37
11 E
11

SC.SUP.H.PL.1.





I

Veſtonj. Theatrum Vitæ Civilis.

D. d.
II
94

THEATRVM

VITÆ CIVILIS AC SACRÆ:

SIVE DE MORIBVS REIPVB. CHRISTIANÆ COMMENTARIA.

IN QVINQVE LIBROS DISTRIBVTA.

In quibus omnes rationes tam ſpeculatiuę quam practicę traduntur exactiſsimè, ad rectè inſtituendum, moderandum, conſeruandum & amplificandum ſtatum, tum ſacrũm, tum Politicum ſiue ciuilem.

OPVS

Cum omnibus vtile, tum maxime Magiſtratum gerentibus, Theologis, Iuriſconſultis, Concionatoribus, Principum a Secretis & Conſilijs.

AVCTORE

EDOVARDO WESTONO LONDINENSI, S.T.D,

Nec non Collegiatę B. Mariæ Eccleſiæ Brugis Canonico.



BRVGIS FLANDRORVM,

Ex officina GVILIELMI de NEVE, ſub ſigno Solis.

M. DC. XXVI. *Cum Gratia & Priuil.*

Com. Soc. Iesu B

27.11.E 11

CIVILIVM DOMINIS, SIMVLAC SACORVM PRÆSIDIBVS CHRISTIANIS, CATHOLICIS,

Honore obſeruantiaque colendiſſimis, Auctor Salutem & fœlicitatem precatur ſempiternam.

IN veſtris perſonis, D.D. Ampliſſimi, Sacratiſſimique, vniuerſum genus optimorũ ac Deo charorum hominum iſtis ſalutare & compellare videri potero. vos etenim vti eſtis communes iuſtitię, reliquarumque virtutum veluti fontes, a quibus ad alios perenni curſu pręſtantiſſimarum functionum leges dimanant, ita pariter illorum incolumitates & ornamenta cuncta non niſi in veſtrorum dignitarum pręſidijs contineri omnes facile intelligant. Quo idcirco in vobis ſupremos actionum apices, quales Principes decent, exopto, adeoque operam meam, exilem licet, impendo, vnde ſicut par eſt, tantis Dei, ſimulatque naturę donis inſigniri, cęteris pręluceatis, eodem plane vectigales ſeu ciues veſtros ad maxima bona pro meo virili inſtituo, promoueoque .·. fieri namque non poteſt, vt vobis inde florentibus, ipſi pariter non floreant, vobis ad imitationem Dei examuſſim efformatis, illi iuxta, terrena excedentes, tam diuinam normam viuendi, quantum in eis humanum permittit ingenium, conſilijs ſuis minime aſſequantur. Quicquid itaque in vobis pręclarum & pręcipue ſpectabile, quod peculiari nota ſtatus & condiciones veſtras attingit, illud haud ſe ſinit priuatis veſtris emolumentis dumtaxat circumſcribi, quinimo foras ad aliorum commoda proferenda, augendaque progrediens, tanquam ſolaris radius, ad inferiorum quaſi vitam, motuſque procurandos, benefico ac ſalutari influxu ſeſe quam latiſsime diffundit. Hoc vero, quod vobis proprium, ac in vobis palmare indigito, ex eis coaleſcit rebus, quæ a natura in homine, recto iudicio informata, pariterque a diuinæ in eodem veritatis agnitione, ſupernę quoque gratiæ robore propagantur. ob quam cauſam, ab hac indole naturali, munere ſupernaturali abhorrẽtia ſtudia; vtpote hæreſes, æmulationes, aſtus, fraudes, violentię, ad regimen hoc veſtrum ſacrum ac Ciuile recte moderandum nihil conferunt momenti, ſed potius vt fini vobis pręſtituto plurimum aduerſantur, ita infinitis inſuper miſerijs eos conficiunt, quorum tamen patrocinia affectu omnino paterno in

vos ſuſcepiſtis. Illa autē quæ in hoc grauiſsimo negocio vobis in adiumentis eſſe potiſſimum poterunt, vt compendio dicam, virtutibus Intellectualibus, Moralibus & Cardinalibus conſtant: ex quibus contextis non ſolum ortum ducit huius aut illius Reipublicę proſperitas, ſed etiam cum ſumma pace & animorum conſentione vniuerſi orbis Chriſtiani gemmea, melleaque tranquillitas. Dolemus itaque hiſce noſtris deplorandis temporibus, tam frequentia, tam ſanguinolenta, tam funeſta inter Chriſtiani nominis profeſſores vbiq; ferme gliſcere & feruere bella, tantas indies mutuo ebullire armorū offenſiones. Enimuero merito dolemus, eos, quos Chriſtus Dominus ſuo cruore non redemit modo, verum inſuper in vnam Eccleſiam, vtpote ſuum myſticum corpus, coagmentauit, hiſce prorſus tragicis contētionibus, idque in oculis externorum hominum, flagrare. Huic autem ingenti malo quo ipſe pro modo mearum virium oportunius ſuccurrerem, hæc Ciuilis & Sacri iuris commentaria deſcripſi: in quibus non aurea *Saturni* ſæcula, de quibus antiquitas nimium fabulata, ſed aurea Chriſti ſęcula a me adumbrari lectores animaduertant. Quod ergo in hunc ſcopum ſtylo exarante collimare mihi votum fuit, animos ſumpſi vobis Dominis operis inſcriptionem dedicare. ac tametſi ex humilitate condicionis huiuſmodi propoſitum meū in altum veſtræ eminētiæ ſe audacter ſatis extulerit, nihilominus ex magna itidem charitate, qua erga vos ęſtuabam, in tam ſublime officio ociſsime ſe excitauit. Proinde mihi abunde ſatiſfactum exiſtimauero, ſi tantummodo perceperim, dedicationem hanc, gratam, acceptamque in veſtro conſpectu apparuiſſe.

Dominationibus veſtris
Addictiſsimus

Seruus

EDOVARDVS VVESTONVS.

BENEVOLO LECTORI.

SACRAE pariter ac Ciuilis vitæ Dogmatica Principia hoc opere me complecti inſtituentem, vniuerſum inde hominis Chriſtiani officium, ſiue illud ad terrena, ſiue ad cæleſtia referatur, eodem circumſcribere, varijſque partibus conſtans, plenius elucidare voluiſſe, haud immerito, optime Lector, apud animum tuum iudicaueris. Enimuero ea ciuilitatis forma hic a nobis ſpectanda, quæ a morum ſacro candore minime ſecernitur: Ea viciſſim Sanctitudo pertractanda, quæ ciuilis neceſſitudinis leges neutiquam tollit aut auerſatur. Proinde
hujus noſtræ moralis diſciplinæ idonea figura, ſub muliebri ſpecie, ſcl. *Boetij Seuerini* oculis quondam
objecit, quam & ipſe iſtis deſcriptam, poſteritati commendauit: *Erat ſtatura diſcretionis ambigua: nam* Boet. lib. 1.
nunc quidem ad communem ſe hominum menſuram cohibebat; nunc pulſare cælum ſummi verticis cacumine vi- Conſ. Pros.
debatur. Quæ cum caput altius extuliſſet ipſum etiam cælum penetrabat; aſpicientiumque hominum fruſtrabat in- 1.
tuitum. Quemadmodum enim homo ſuæ phyſicæ ſubſtantiæ ingenio, ex ſpirituali anima, ſimulque concreta corporis mole coaleſcit: ſic eiuſdem munus actiuum ſeu morale, veluti cujuſdam *Prothei*, ad operandum diuerſimode inſtructi, partim ciuile, partim ſacrum, partim diuinum, partim humanum, in vnius penſi abſolutam notionem demum effloreſcit. Habet enim hoc ipſius officium veluti diuini vigoris alas, quarum remigio ſurſum ad Deum & cælites euolat, a contagione hac terreſtri ſe in ſublime extollat: itidem pondus quoddam retinet, cuius inſita vi ad inferiora deſcendit. atque ſiue hoc ſiue alterum homo recte præſtiterit, plurimũ ſane ei, alijſque vtilitatis inde accreſcit. Binas haſce noſtri muneris
partes, Chriſtus Dominus ad Iudæos diſſerens, ſingillatim expreſſiſſe viſus, iuxta ac vtraſque in vnam
perfectam agendi tabulam contuliſſe: *Date ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Quibus ver- Math 22.
bis (vt in eis notatu digna, ac in eiſdem abſtruſas ſententias particulatim deſignem) imprimis obſequij vectigal *Cæſari* tribuendum, illo præmiſit Chriſtus Dominus, quod Deo exhibendum. hoc vero eo conſilio factum: quantum id interpretari potero, propterea quod, ciuilis obedientia erga *Cæſarem* propius ad naturam humanam accedat, quam erga Deum obſeruantia Chriſtiana: quippe huius norma, reuelatione ſupernaturali, quæ naturam prius conditam ſupponit, ſtabiliatur; illius autem lex anterior vel ſolius naturæ inſtitutione proferatur. Quod porro vita ciuilis ad functiones diuinas, a Chriſto Domino deſcriptas, apte hominem præparet ac diſponat, ideo iure primo loco cultum *Cæſaris* recenſuit. Cæterum vero eiſdem verbis diſcreuit etiam Chriſtus Dominus, proprio veluti adhibito vtrimque chara-
ctere, ea quæ *Cæſari* pendenda, ab eis, quæ Deo concedenda: non quod *Cæſaris* iura haud ſint quo-
que ipſius Dei peculia: cũ dicat Apoſtolus, *Non eſt poteſtas niſi a Deo:* ſed vt intelligatur, aliã & aliã ori- Rom. 10.
ginẽ ſortiri modũ penes nos colendi *Cæſarem* ac Deum: & vtriuſque munia ſeorſim, ciuili ſcilicet conſilio & diuino iuſſu eſſe hominibus mandata ac conſtituta. Quo vero lubentius, diligentiuſque in ciuilem erga *Cæſares* obſeruantiam mortales incumberent, ne diuinis initiati, eoque ad ſuperiora euecti humiliora poſtea ciuilitatis officia faſtuoſe aſpernarentur, Principibus Deus quaſi de ſuo delibatum quid largitus, ex cuius agnitione illos ducerent in terris pulcras ipſius imagines, & vitæ genere, præ alijs, eiuſdem accuratiores imitatores. viciſſim ne putarent, terrena negocia penitus a diuinis eſſe diſtracta, ſæpius patefecit Deus eorum infirmitates, labileſque conditiones; quarum inſpectu eiſdem innoteſceret, ſine diuinis præſidijs, ad vitam etiam ciuilem commode ineundam, eadem non poſſe ſubſiſtere. Nihiloſecius plurimi in peſſimos errores adacti, ſeu in ſuperbiam efferati, aut diuina a terrenis dirempta elatis animis ſuſpexere, vel terrena a diuinis auulſa impie conſectati, renuerunt prorſus vitæ ſuæ ſtudia amborum nexu inſtituere, dupliciue eorum imperio ea contineri. In hunc errorem veteres paſſim impegere: nam cum plures Deos ſpecie tenus a ſe colendos ſibi proponerent, reuera nullum
magnopere curandum eodem oſtenderunt. proinde cenſuerunt, non vna aliqua certa via inueſtigan-
dam diuinitatem ſed multiplici. *Quid intereſt,* dicebat *Symmachus* Romanus, *qua quiſque prudentia verum* Sym. orat.
inquirat: vno itinere non poteſt perueniri ad tam grande ſecretum. Verum apud illos hæc multiplex inquiſitio, pro. vet R. I.
quaſi diuerſis ſemitis allecta, primum incidit in dubia & perplexitates: ſubinde hæc ad atheiſmum eoſ- Reſtitu.
dem detulere. Quocirca vltra *Cæſarum* aſſertas ab ipſis diuinitates, nihil certi de diuinitate ſtatuebant.
quorum veſtigijs ij poſtmodum inſtitere, qui *Cæſarum* voluntatibus iura omnia diuina iuxta ac huma-
na ſubmiſerunt, eoque ritu tractandam religionem arbitrati, quo opportunius populi compendia, in Theod. lib.
prædã cederent eorum, qui illis imperitabant. atque hi ciuilia a diuinis ſeparata eſſe voluerunt. Quod 4 Hiſt. ſap.
vero ad alterum ſpectat, nimirum diuinorum auulſionem a ciuilibus, non alij ferme quam Hæretici id 10. Aug. lib.
moliri conſtituere: quales olim *Meſſaliani, Adamitæ, Angelici,* & noſtro ſæculo, in varias ſpecies rebellionũ 1. de Hær.
æſtuante, *Caluiniſtæ* & *Anabaptiſtæ*: qui ſub inuolucro libertatis Euangelicæ, principum dignitatibus, eorumque iuribus obſtinatiſſime repugnarunt. verumtamen firmitate ſua ſtat Chriſti Domini ſententia:
Date ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Cuius præcepti veritatem probarunt ij omnes, quot Math. 21.
quot in negocijs imperij ciuilibus hactenus floruerunt. inter quos veluti idæa ſuccurrat nobis *Conſtantinus Magnus*, qui ſibi in menſa & in conſilijs capiendis familiares adſciuit Eccleſiæ Catholicæ Epiſ-
copos, ciuiliter iuxta ac ſancte eodem imperatorios mores componens. *Quippe ait Euſebius, licet homines*
fuerint ipſius forma habitu ad adſpectum abiecti, ab eo tamen non eius generis exiſtimati ſunt. ſed Deum ipſum, qui in Euſeb. lib. 1.
eorum animis inſiderat, cõſiderare viſus eſt. illos ſua menſa effecit participes: Illos quocumque iter capiebat, ſecum vit. Conſt.
duxit, atque ea de re Deum, quem ſancte colebant, ſibi credidit fore propitium. Cum idcirco animaduertiſſem, cap. 15.
qua corruptæ in nobis naturæ vitio, qua tyrannide, qua hæreſi, inter morum Sanctitudinem, iuxta a ciuilitatis pulcritudinem, diuortium quoddam noſtris temporibus procuratum, tum operæ precium duxi, aliquo moralis Philoſophiæ argumento, vtraſque in vnum, aurea veluti *Homeri* catena deuin-

ctas in ſcenam quaſi orbis Chriſtiani ſpectandas inducere, earumque nexum firmitate ſtabilem, & decore venuſtum, omnium iudicijs commendare, eiuſque ſtudium eiſdem perſuadere. vt tamen, quod res eſt fatear, ſi animo ſcribendo hoc tempore indulgendum exiſtimaſſem, Metaphyſicis potius pertractandis ſtilum addixiſſem, quippe quibus ætatem iam attribui meam, & in quibus qua priuatim meditando, qua publice alios docendo conſenui. Cæterum communem aliorum vtilitatem de meo cuicumque æſtimationi, aut vel propriæ iucunditati præferendam, fixa in animo meo viguit æſtimatio, non tam cogitante quid ſcriptioni, ingenioque meo oportunum, quam quid rerum præſentium ſtatui compendium literarium adlaturum. vt vero ſuccincto, & commentariorum proprio dicendi genere in iſtis vterer, multa ſane mihi id perſuaſere. Equidem inter alia mecum cogitaui, in vniuerſum debere Lectorem, non obſtantibus recentiorum ſcriptis, claſſicis in vnaquaque facultate Auctoribus diligenter euoluendis incumbere, qui in fontibus ipſis liquoris ſaporem deguſtet, ne dũ ſolum in riuulis eundem ſenſu perſequatur. Nolui proinde confuſa prolixitate illius extenta ad eos ſtudia diutius auocare, ſolis verborum tropis, aut minime notabilium, vel triuialium inculcatione expectationem eiuſdem deludere. Quocirca in hac palæſtra conſtitutus, haud mihi propoſui ad imitandum ſcripturientis noſtri ſæculi, quos vocant *Literiſtas*: quibus ſtudiũ extitit, mera verba ſeu Græca ſeu Latina, nouo, inſolentique ſtyli apparatu veſtita, effingere, peregrinos durioris cuiuſdam elegantiæ modulos, eorum præſertim iuuenum oculis obijcere in quibus tenuis intelligentia vltra dictionis formulas haud ſe extendit. Quam autem caduca & vana ſit horum omnis contentio, noſtra hæc eadẽ ætas, quæ illos ad commentandum primum incitauit, etiam vel anguſto ſui tractu paulo poſtea patefecit: cũ nullius *Vulcani* flamma nocentior, quam in non longe diſtantem periodum temporis decurſio; adeo vt veluti magni in principio ipſorũ impetus, ſubitanea facta deſitione expirent: vnde eorum quæ lecta, iam in faſtidio: quæ vero nũ lecta, in neglectu: adeo *Saturnus* in eos, & ſuũ *Apollinem*, ſe præbuit immanem. Enimuero humana mens nimis diuina, nimiſque delicata, quo minus capiatur diu delectatione illius ſcripti, quod rerum ipſarum ponderibus deſtitutum, in verboſitatem penitus graceſcit. verum neque mihi conſilium fuit, Pædotribarum more in iſtis diſſerere: quibus licet cura adſit vera monita in medium adferre, in duobus nihilominus deficiunt. principio id quod diſputant, ſi rei momentum ſpectetur, plane vulgare, & aliorum lacertis detritum. deinde nihil ex altis Philoſophiæ aut Theologiæ principijs eruditionis vi deducunt vel exprimunt, ſed vt fragmenta cadunt ſparſim omnia quæ ingerunt: in hoc vnum intenti, quo aliquali doctrina *Literiſtas* ſuperantes, de cætero ad eorum ingenia, quodam conciſo & horriſono dictionis charactere, lectorum ingenijs ſuperbe dominentur. Quorum conſilijs ſatis, abundeque, quod ſe veteris æris nummularios profiteantur, etiam dum orbi delicias non ex floribus, ſed ex ſolido ære promere inſtituunt: quod quædam Satyrice in verborum ampullas diſtendant: quod deſcriptiunculis aliquid vtcumque picturent; at nimiũ, quod ridente THEATRO, minuſque eorumque verba curante, ac ſi non ſcripſiſſent, ſubito diſpareant. Equidem vero eo diligentius, libentiuſque me dedi in opus huiuſce ſcripturæ, quo poſt veteres neminem nouerim, qui in eo tractando verſatus. Illius quidem liminares Titulos haud pauci præ ſe tulere noſtro æuo: at ſi quid recte hac in re æſtimare potero, in veſtibulis ſolum hæſere, ad argumenti iſtius adyta minime peruenientes. Requiro itaque Lectorem, qui doctus, qui rerum ipſarum notionibus, inſolentem verborum faciem præteruectus, delectetur, quique hæc noſtra luſtraturus, id oſcitanter præſtare haud ſibi præſtituat, ſed potius qui ſingula verba expendere, explicatæ ſententiæ adhuc immorari apud ſe decreuerit. Quod eo vrgentiua ab eo requiro, quo firmius mihi perſuaſum, id repertũ, aut ſaltem morata lectione, in eis enim inuenturum, quod prima aut volatili tranſmiſit. Hiſtorias quidem in hoc opere non penitus miſſas facio; quinimo earum vſum ſæpius ingemino. Nihilominus illius iudicium probo, qui in materia morali argumentum ductum ab Hiſtoria, affirmauit magis eſſe *Suaue* quam *Forte*. Et quod ad humanas

Iuſtin. lib. 1. Hiſtor. ſpectat, neminem credo latere, auctorum fucis eas paſſim vitiatas, in commendationem ſtyli, plebiſque admirationem, nimium exaggeratas, ne Poëtas ſolum in hoc genere criminemur: adeo vt de earum multis id dici poterit, quod *Ouidius* de itinere *Vlyſſis*, a nonnullis recenſito, cecinit:

Ouid. lib. 4. *Adde quod illius pars maxima ficta laborum.*

Triſt. Eleg. 4. *Decantata, ait Seneca, in omnibus Scholis fabula iſta ſunt.*

Senec. epiſt. 24. ad Lucil. Neque mireris velim Lector, in hoc opere, frequenti ac ſpiſſo interiectu Philoſophorum ſimul ac Poëtarum verba in medium me adducere: adeo enimuero noſtra Sancta fides veritati etiam humanæ conſentanea, vti, quod obſeruat *S. Auguſtinus*, nihil præclari aſpernetur, quod a Philoſopho vel Poëta in

Augu. lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 2. eius ſententiam diſputatum. Et quod ad Poëtas attinet, Philoſophiæ argumenta ſuæ artis elegantijs non modo adſtruere, verum etiam exquiſitiſſime venuſtare ſolent. Proinde habita ratione Philoſophiæ neu aliter, a Poëtis requirenda teſtimonia exiſtimaui. Philoſophorum vero apud me denſior copia redundat: inter quos *P. Annæum Senecam*, veluti in primario loco cenſeri per me licebit, tametſi illius peculiarem quandam habendam rationem mecum cum alijs ſemper iudicauerim. quid autem de illo multi veterum ſenſerint, Ex *A. Gellio* non grauabor indicare. *De Annæo Seneca partim exiſtimant, vt de*

Gell. lib. 12. cap. 2. *Scriptore minime vtili: cuius libros attingere nullum pretium operæ ſit: quod oratio eius vulgaris videatur & protrita; res atque ſententiæ aut inepta inanique impetu, aut leui & quaſi dicaci argutia: eruditio autem vernacula & plebeia, nihilque ex veterũ ſcriptis habens neque gratiæ neque dignitatis. Alij vere Elegantiæ quidem in verbis parũ eſſe non inficiantur: ſed & rerum quas dicat ſententiam, doctrinamque ei non deeſſe dicunt: & in vitiis morum obiurgandis ſeueritatem grauitatemque non inuenuſtam.* Vt vero paucis ac libere de illo iudicium meum hic prodam, id imprimis in illius ſcriptis deprehendo, quod alio & alio dictionis ſchemate eandem plane ſententiam ita verſet, vti multæ ipſius Epiſtolæ vna, adeoque in vna diuerſi circuitus, vna complexio videantur: in quo genere varietatis, ex ſtyli vbertate fælix ſane & fœcundus merito cenſeatur. Oratio

vero

vero ipſius tota conciſa, & multiplici antitheſis breuitate ſubſtricta, ad ingenij oſtentū acuta quidē, ſalebroſa tamen, iraſcibilis, increpatoria, ſententiarū typbis ad Stoicorū morē ampullata: & hoc nomine Borealium ingenijs amabilior quam medium ſitum incolentium. Proinde quod ad verborum, periodorumque rationes, emblemata, & veluti in ferro elaboratos bottos, ei detrahere, mihi nequaquam animus. Quod vero attinet ad vnitatem thematis, in vna epiſtola, aut diſputatione ab eo inſtituta, plane fracta omnis illius diſertatio, ita vt vel vnius paginæ ambitu plura, eaque diſparatā ſæpius proponat & optimis ſententijs, abſque deductu tamen a principijs Philoſophicis, vel cōtextu, ſeorſim quaſi multa admoneat. Cæterum ſi de re ipſa quæratur, facile quis perceperit, verum eſſe, quod de illo aliquot veterum apud *Gellium* iudicarunt: nimirum eum plane iacere, vulgarium quippe & vel idiotarum conceptionibus oportunum. In qua cenſura quilibet ſe confirmabit, poſtquam vel accuratiſſima ipſius dicta Stoicorū phaleris denudarit, & ſimplici dumtaxat eloquio id expreſſerit, quod ipſe ornatius ſuo ritu, literis includendo turbinauit. Sietit itaque apud me ſententia deſinire, *Plutarcham* Scriptoris Moralis munus plene abſoluiſſe, quippe qui & hiſtorias Philoſophia ſtabilierit, & Philoſophiam hiſtoriis illuſtrarit. Denique hoc vnote informatum cupio, optime Lector, me in quatuor prioribus libris, Ciuilis & ſacræ vitæ Principia haud abſolute in vniuerſum aut ex genere ipſo diſcutere, ſed ea via ac methodo ſolum, qua poſtea inſtructior accederem ad quinti inſtitutum; conficerem ſcilicet, Proteſtantum dogmata & ritus, ſub faſcinatione prætenſi luminis Euangelici, ſub ficticio peplo amplificandi beneficium Crucis Chriſti, ſub impia ſimulatione reformatæ religionis, vniuerſa momenta ad ciuilitatem, & Sanctimoniam vitæ conferentia, qua barbarie, qua impuritate ſubuertere; quo tandem ipſi prodromi, per ruinas vbique morum & fidei, ſuo Antichriſto viam muniant, ipſius hypocryſim, ipſius cōfuſionem Babyloniçam, ipſius immanitatem plus quam tragicam, in hoc orbis Chriſtiani theatro præludant. Quam ergo felices interim nos, matris Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ complexu muniti, qui eam doctrinam ab eius vberibus inſugimus, eam vitæ normam ab eius imperio accipimus, quæ actionis, Sanctitati & ciuilitati conſentiunt, tantaque animorum ſimul ac corporum bona in nobis ſuſtentant! Contra, quam infelices Proteſtantes, qui eiſdem greſſibus, quibus a nobis digredi volunt, ad Antichriſtum, ad infidelitatem, ad rationes viuendi plane barbaricas in cunctis ſe recipiunt!

APPROBATIO

THeatrum hoc vitæ Sacræ ac Ciuilis quinque libris abſolutum ab E-douardo Weſtono *Londinenſi. S. Theologiæ Doctore eximio & in Collegio Anglicano Duaci olim Profeſſore, nunc inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Diuæ Virginis Mariæ Brugenſis Canonico digniſſimo, a diligente eiuſdem perlectione iudico, nihil continere orthodoxæ fidei ac morum integritati aduerſum: ſed refertum eſſe varia doctrina, ſpirare pietatem, religionemque: imo eſſe neceſſarium omnibus Reipub. clauum tenentibus, qui in officio ſuo præſtando ſingulari inſtructione & iuuari & recte dirigi cupiunt: quin & præſentiſſimum eſſe antidotum eliminandis Pſeudopoliticorum impietatibus. Quare raræ vtilitatis tam populi Chriſtiani, quam Typographorum ingenti emolumento, lucem publicam videre meretur. Actum in Palatio Epiſcopali Brugenſi. 1625.*

Arnoldus van Mechelen Archidiaconus Brugenſis.

Summa Priuilegij.

PHILIPPVS D.G. Hiſpaniarum & Indiarum Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate ſuo ſanxit, nequis librum, qui inſcribitur, THEATRVM *Vitæ Ciuilis ac Sacræ: ſiue de Moribus Reipub. Chriſtianæ Commentaria*, Auctore Reuerendo Domino, EDOVARDO VVESTONO LONDINENSI. S.T.D. Citra voluntatem & conſenſum GVILIELMI de NAVE, Typographi Brugenſis Iurati imprimat, aut alibi impreſſum, in ſuas ditiones intra Nouennij ſpacium importet, venalemue habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione Librorum, & graui pœna mulctabitur, vt latius patet in literis datis Bruxellæ Anno 1626. die 27. Febr.

Signatum

F. DE GROOTE.

DE MORIBVS REIPVBLICAE CHRISTIANÆ COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Quænam Ciuilitatis notio, & quæ in vniuerſum eius officia.

DE Vitæ ciuilis, ſimul ac ſacræ actionibus, Deo adiuuante, diſputaturi, non proponimus nobis illud argumentum pertractandum, quod de ſingulis ciuium ſtatibus conſtituendis, de particularibus eorumdem officijs explicandis, de legibus, Moribus, præceptis, artificijs deſcribendis, de rationibus enarrandis, quibus ſuos fines opportunè conſequantur, pericula præcaueant, infeſtaque amoliantur, definit: De quibus pertractare, *Pragmaticorum*, ſeu Stoicorum ex ſentẽtia *Ariſtonis*, ſolummodo, haud Doctorum inſtitutum videatur: ſed in hoc tantum de *Theologorũ* ac Philoſophorum noſtrorum more operam ponere ſtuduimus, vt in vniuerſum oſtendamus, quænam ſint vtriuſque vitæ generalia principia, ex quibus idonea monita quo ad mores, deducantur: qualiter pariter iſtis cõtraria capita, ſiue ex errore, ſiue ex libidine nata, quæ ſacræ ac ciuilis vitæ functionibus aduerſentur. Cum enim, quantum ad vitam ciuilem, plurima fieri noſtri ſæculi infælicitas oſtendit, quæ vel ex ipſis vitæ ciuilis axiomatibus rectè perceptis facillimè poſſint redargui, tum operæ pretium duximus, hæc ipſa axiomata recenſere ac diſcutere, vt ad honeſtatis ſanctimoniæque normas, nonnullorum Conſuetudines ab illis haud parum deflectentes, emendentur & corrigantur. Harum rerum ea *dogmatica* principia appello, quæ a nemine, rationis luce colluſtrato, negari poſſunt, ſed ita ſua innata veritate inclareſcunt, vt ab omnibus planè admittantur. quocirca ex eis deductæ concluſiones ad perſuadendũ efficaciſſimæ erunt, adeoque ad inducendum etiam eos in ſententiam veritatis, qui vel athei, vel hæretici, in vitæ inſtitutione ab ea declinare ſecum obſtinarunt.

Cicer. l. 1 off. Seneca. Ep. 94 ad Lucil. l. 95 Muret. ibid.

2. Duo idcirco in hac ciuilitate, de qua pertractamus, conſideranda; id videlicet, quod in illa *Debitum* quoddam, ſeu eiuſdem *Actus primus*, virtute quadam habituali reliqua in ſe complectens: alterum, quod ipſius operatio, functio vel *Actus ſecundus* nuncupari ſolet. Etenim aliud eſt, quod Princeps, ſiue magiſtratum gerens vi inaugurationis Populo ipſis commiſſo debent, aliud, quod ipſo munere exequuntur: quemadmodum Ciuium reſpectu aliud eſt quod ratione ſui ſtatus ſuperioribus debent, aliud quod mandata Superiorum perficientes, ipſo opere abſoluunt. Et quidem prænotandum, vtraq; hæc primam cauſam ac ſui fundamentum obtinere in hominũ multitudine, non quidem quomodolibet confluente, ſed communi quodam iure in vnum finem publicum per certas ſocialis vitæ neceſſitudines ex condicto procurandum, coaleſcente. Cum enim hominum multitudo, cuius proprietas quædã eſt Ciuilitas, conuenire non poterit ad efferendum bonũ, quod totius communitatis, niſi prius diſpertita fuerit in eos, qui imperant, & in alios, qui imperantibus ſeſe vltro tradiderunt, & mox ex vtriſq; componatur, liquet omnino, ius hoc ciuile, de quo inquirimus, principatu, ſubiectioneque, aptè & idoneè ad inuicem relatis ac conſertis, conſtare: quod *Cicero, Platonem & Ariſtotelẽ* ſequutus, Texturæ ſimilitudine egregiè declarauit, illuſtrauitque.

Cicer. l. 1. off.

Ariſt. 1 Pol. cap. 2.

Cicer. l. 5. de fin. S. Thõ. 2 2 q 26 art. 1. 2.

3. Hęc autem officiorum debita non eodẽ modo propagantur, ſed diuerſimodè. pariter iuxta principia, ratione ſuarum qualitatum diſcrepãtia, ab eis deriuantur Debita priora ac poſteriora, generaliora, itidem & minus generalia, maiora ac minora. Quædam itaque oriuntur a vi ſolius naturæ in vnoquoque hominum exiſtentis. quale illud debitũ, quo homo tenetur, Deum cum agnoſcere, tum amare & colere: quo obligatur vitam fideliter ſeruare: efficere, vt in ſuis actionibus appetitus à ratione recta gubernetur, non contra: vt parentibus ac proli pietas exhibeatur. quę Debita originalia & latiſſima, dici poternut. alia ortum ducunt ab alterius ſumma ac ſimplici voluntate: vtpote quorum vi incumbit homini, Dei poſitiuis mandatis ſe obſequentem reddere: qualia in Iudæis, Dei legem accipientibus, erant conſpicua. Nonnulla proueniunt ex mutuo inter homines conſenſu: veluti debitum diligendi vxorem quam quis liberè delegit: obtemperandi Principi cui quis ſe ſubmiſit; ſoluendi id alteri quod promiſit, quod initæ amicitiæ iure alicui debet. Porro haud pauca ciuium reſpectu emanant a cauſa ac fortuna, Dei licet prouidentia conſtitutis. hoc pacto ſortuitò incidens in theſaurum, in officio habet, illo vti ex ratione iuſtitiæ & vitutis: ex improuiſo aliquò delatus, humaniter cum eis conuerſari tenetur, in quos inciderit. Poſtremò aliqua debita ex horum, veluti elementorum, multiplici combinatione ducuntur, vti facile fuerit particularia expendenti animaduertere.

Cicer. l 1. De legib.

4. Munus verò ipſum, ſeu actus ſecundus ciuilitatis,

utilitatis, iuſta ex parte imperantium, agendorũ, omittendorumq́; præſcriptio, idque ex perfecta eorumdem cognitione ac notitia practica, vt docet *Ariſtoteles*: atq́; ex parte eorũ, qui in aliorum ditionẽ concedere ſpõte voluerunt, prompta ex voluntate parẽdi, vt notat *Plato*, obſeruantia: vtrimq́; in bonum commune omnibus conſilijs, abſquè violentia & fraude, tendentibus. Finis verò, qui iſtis officijs cõparandus, primò cernitur in virtute tam intellectuali, quam morali: deinde in bonis corporis, ac fortunæ: demum in conuictus ſuauitate, ex mutuo inter ciues gratificandi ſtudio, tanquam fauo, expreſſa. quibus omnibus a Ciuilitate conſtitutis, vt canit elegantiſſimus Poeta,

Ariſt lib 3. Pol. Cap. 3.
Plato l. 2. de leg.

——— Diræ ferro & compagibus arctis
Clauduntur Belli portæ: furor impius intus
Sæua ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Virg. Æneid 1.

5. Atque ex iſtis facile aſſequi fuerit, quid Status ciuilis, & quid Ratio ſtatus, vt vulgus loqui iam aſſueuit; quod *Boterus* rectè obſeruauit. Status enim ex illis iuribus conſtat, quibus magiſtratus, & ſubditi in vnum corpus harmoniacum deuinciuntur, dictaque debita primitus contraxerunt. Ratio autem ſtatus, optimam Methodum practicam cum imperando tum obſequendo, ad conſeruandum amplianduḿq; illum ſtatum ſignificat. quamobrẽ huius laus, bonitas, admiſſioque, ſimul ac eiuſdem vituperium & inciuilis malignitas, dependent ab alterius conditione: ſi enim Status ipſe fuerit iniquus; quippe naturæ, iuri diuino, aut Eccleſiaſtico contrarius, ratio itidem talis Status iniqua erit: neque ſcelus aliquod eſt, vt affirmat *Ariſtoteles*, quod in ſe non coercebit. Sin probus & iuſtus, tunc veræ rationes ſtatus, ad illum conſequẽtes, & ab eo prouenientes, probæ, ciuiles, iuſtæque meritò æſtimabuntur. Ex hoc capite rationes Status, quæ oriuntur a qualitate imperij voluptuoſi, quale illud *Sardanapali*, non ſunt abſolutè ciuiles, aut politicæ: quia talis non eſt ſtatus ipſe, ex quo deriuantur: idem affirmandum de rationibus ſtatus concomitantibus imperium iraſcibile, imperium deſpoticum, ſeu barbarum; itidem imperium, cuius baſis & fundamentũ falſa aliqua religio: eo quod huiuſmodi imperia a morũ ciuilitate deficiant. quocirca eſt quod mutentur hæc imperia, ſeu ſtatus, ex quo poſtea rationes ſtatus, ad illa pertinentes, extinguantur. neque horum imperiorum ſtatus rationes laudandæ, niſi fortaſſis eo modo, quo illius ingenium æſtimandum, quod artificioſè ſophiſma aliquod contra impugnatores, vt notat *Plato*, inſtruit aut defendit.

Boter. l. 1. de Regno.
Ariſt l 5. Pol.

6. Hoc fermè modo iuriſperiti ac Theologi diſcrepantiam ponunt inter Ius δίκαιον & Iuſtitiam; quod nempe ius ſit ipſamet res in ſe æqua, ſiue vi naturæ, ſiue legis poſitiuæ iuſſu talis fuerit: ipſum etiam officium habituale, vel poteſtas ad aliquid legitimè agendum, ius appellatur, vt recolit *Molina*; Iuſtitia verò ſit virtus, quæ ſuo munere actuali circa eiuſmodi ius, tanquam obiectum, occupatur: Quocirca ſicut ſecundum quandam cauſæ, ſeu originis prioritatem, Ius ipſam Iuſtitiam antecedit, ita

Plato l. de Regno.
Vlpia. de Iur.
S Thom 2. 2. q 57. art. 2
Aragon. ibid.
Molin. Tract 1 de Iuſt et Iur. diſp 2.

Statu primò conſtituto in republica, Rationes Status illum mox conſequuntur. quod in liræ fidibus ſijmbolicè adumbrari videmus; nam ſicut primò ad concentum harmoniacum reductæ, ſubinde ſonum edunt muſicum, ſic in ciuitate, ſtatu ipſe iam efformato, Rationes poſtea ſtatus per leges, conſuetudineſque ſtabilitæ, & ad illum rectè adminiſtrandum ordinatæ, decernuntur.

7. Suppoſita itaque bonitate ſtatus, vt *Rationes ſtatus*, pariter habeantur bonæ, duo requiruntur. Primò ad hoc poſtulatur, vt *Rationes ſtatus* proportionẽ contineant commodorũ ſeu vtiliũ ad illum ſtatum. Sine qua, tametſi alias honeſtæ *Rationes* tamẽ *ſtatus* minimè cenſendæ, ſed nomine tenus duntaxat tales iudicandæ. Deinde requiritur, vt eiuſmodi *Rationes ſtatus* in ſe ipſis ac proprijs ſpeciebus nihil implicent contra virtutẽ, aut bonũ commune illius ſtatus; quinimo in ſe ſpectatę, probæ potius ſint, ſaltem indifferentes, vel legitimę. Ex cuius defectu, *Rationes ſtatus* non ſubſiſtunt, aut Rationes ſtatus aliter nuncupandæ, quam ex Sophiſmate pſeudopolitico. Hoc pacto apud Turcas è medio tollere immeritos primogeniti Fratres, licet proportionẽ quamdam in ſe complectatur medij, conducentis ad monarchiæ conſeruationem, nihilominus cum id repugnet naturali pietati, vera *Ratio ſtatus* haud ducendum. Omnium verò abſurdiſſimæ illæ *Rationes ſtatus* reputandę, quæ neq; in ſeipſis honeſtæ, neque vi proportionis dictæ ad amuſſim ſtatus ipſius accommodatæ. Cuius rei cum multa exẽpla, tum id manifeſtè liquet in auxilijs & fauoribus, qui hæreticis, ab aliquibus Principibus Catholicis interdum cõcedi ſolẽt, quo alijs principibus, & eorum magnitudini quoquo modo incommodent. prætereà enim quod hoc malũ ſit, nẽpe tam diuino quam Eccleſiaſtico iuri contrarium, Principi etiam id peragenti plurimum officit; bonorum vt pote in ſe odia concitando, ac in propria Ditione relligionis vim debilitando. quorum damna vel in ratione ſtatus, nunquam vtilitate aliqua ſatis compenſabit eiuſmodi arte impietatis ad tempus elaborata æmulatio; concuſſa enim & imminuta religione, ſtatim omnis politiæ inſtructa firmitudo diſſoluetur.

8. Qui hoc ritu *ſtatus Rationes* inſtituunt, mihi perſimiles videtur eis iratis, qui vindictæ nobili genere relicto, adeunt *Medeam* aliquam maleficã, qui eius fœdis artibus pernicies lædentibus creetur. Et quidem ex duobus veluti fontibus dimanat huiuſmodi *Ratio ſtatus*; nempe ex atheiſmo, vel animi quadam muliebri impotentia. quam pronus in eam atheiſmus, ſatis liquet; cuius quippe eſt, Rationes quaſuis ſtatus religioni in vniuerſum anteponere. ſin verò ille morbus atheiſmi in auctoribus iſtius *Rationis ſtatus* non reperiatur, tum in illum finem ſuccurret in ipſis quædam muliebris impotentia; citius enim mulieres in facinoroſum modum vindictæ exercendæ, æſtu commoti animi rapiuntur, quam viri, quorum eſt haud aliter quam generoſis conſilijs riualitatem ſuam prodere & inſtaurare. re enim vera qui inimicitiæ ergo in alios, ſuppe-

tias

tias belli hæreticis impertiuntur, eodem dæmonem, eorum principem adeunt, & inducunt vt vel eo inſtigante, armati ipſius milites, exitiales & funeſti exiſtant eis, quos odio proſequuntur: quod certè factu fœdiſſimum, & cum Stige hic in terris turpiſſimum commercium meritò iudicetur.

Horat. Epod. 5.

Nox & Diana, quæ ſilentium regis,
Arcana quum fiunt ſacra,
Nunc nunc adeſte; nunc in hoſtiles Domos
Iram atque Numen vertite.

9. Cæterum verò, vt iam ad magis particularia deſcendamus, cum quò ad eos, qui præſunt, tum quo ad alios, qui mandata capeſſunt, iuxta triplicem animæ facultatem, a Philoſophis pertractatam; nempe *Rationalem*, *Concupiſcibilem*, & *Iraſcibilem*, in vtriſque tres ciuitatis partes requirendas aſſignare poſſumus. Imprimis, in Ciuibus mens vera Dei cognitione, *Sapientiaque* imbuenda. deinde percipere illis incumbit, quam ſit egregium, iuſtis mediis Bonum commune excitare, augere ac conſeruare. Ad Principem verò vltra hæc ſpectabit, intelligere, ſe a Deo ad imperium ſublimatum, vt omnium virtutum, ſuorum reſpectu, ipſe eſſet *idæa*, Prototypos, agendiquè in cunctis exemplar. Denique poſteaquam idonea ſcientia Ciues informati fuerint, Rationalis officii munus in eis erit, voluntatis propoſito directo ſtatuere, quid ex decoro, honeſtoque in ſingulis operandum, idque tam pertinaciter, vti ſibi proponant, neutiquam paſſuros, vllo timore, vel cupiditate præualituris, ſe a tam ſancto inſtituto ſorte diuellendos. Quò ad eam autem vim, quæ in ipſis Concupiſcibilis, conari debebunt, vt ea, diſciplina quadam coercita, brutis careat voluptatibus; tota autem virtutum amore, beneuolentiæ mutuo ſtudio accendatur, eiſq; admiſſis, tenereſcat. Subinde in eiſdem ciuibus energia iraſcibilis, acris, excitaque eſſe oportet ad defendendum Rempublicam, ad repellendum iniurias, ad opem ferendum afflictis; ita nihilominus humanitate hæc ipſa temperanda, vt numquam inſoleſcat, incrudeſcat numquam. Huiuſmodi autem facilitas, cum in omnibus, tum præſertim in perſona ipſius Principis optanda; eſt enim veræ nobilitatis nota, effectuſque, vt ait *Caſſiodorus*, adeoque Dei ipſius ſumma quædam ab homine imitatio.

Ariſt 4. Ethic. cap. 3 Claudian. Panegyr. in 4. conſul. Honor.

Sis Pius in primis: nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat Clementia *nobis.*

Homer. Iſaiæ l. 1. Phil. lib. de S. Ioſeph. S. Auguſtin. lib 19. Ciuit. cap. 15 & 5. Senec. Epiſt 103. Plin. in Panegyr. Traian.

Et ideo inquit *S. Auguſtin.* poſt *Homerum*, ac *Philonem Iudæum*, *Priores iuſti, non Reges, ſed Paſtores ouium fuerunt, & appellati ſunt*. A quo animi affectu Principes degenerantes, in immanes tyrannos ac lupos eo exaſperantur; & ab eodem Ciues pariter deficientes, in bruta commutantur; *Erras*, inquit *Seneca ſi iſtorum, qui tibi occurrūt, vultibus credas, hominū effigies habēt, animos ferarū.*

10. Et quidem in eiuſmodi manſuetudinis cultu decus vrbanitatis vel maximè ſuſpicimus, & admiramur; & ad hoc, naturam, ſocietates hominum primum inſtituentem, credibile eſt intendiſſe, quo Ciuitatis ambitu, legum vſu, commercioque, ferreum illum partis iraſcibilis rigorem Ciues in ſe lenirent, ſenſum verò, & ſuccum humanitatis altius imbiberent: hinc enim dulcis conuictus, facilia ac iucunda vitæ negocia, ſocietates, conuerſationeſque amabiles; omnium denique Ciuium ad præclara facinora patranda concordes vnitæque voluntates propagantur. Iucundum ſanè, pariterque acerrimus ſtimulus ad benè merendum de republica, quando Ciues hac emolliti affectione, de alterius bonis, diuitiarum quippe, potentiæ, famæ, honoriſque, perinde ac de propriis ingenue lætantur: quando ritu, ac cœremonia honorifica, inuicem applaudunt & gratulantur, quando aliorum virtutibus debitum vectigal, hoc modo in cultū proni, viciſſim rependunt.

11. Vim hanc Ciuilitatis ad emolliendum ciuium animos, appoſitè ſignificarunt Matris Deorum ſymbolo *Lucretius*, *Ouidius*, *Herodianus*, *Macrobius*, *Arnobius*, aliique. hanc vtpote Reginam, curru vectam, & a binis leonibus tractam, propoſuerunt: in cuius apparatu inſpectores, poteſtatem ciuilis diſciplinę deſcriptam intuerentur. quæ deorum Mater: non *Phrigius lapis*, aut terra fuit, ſed multitudo hominum Ciuilis, quę deos, hoc eſt homines excellenti virtute prædiros eduxit.

Lucret. li. 2. Ouid lib. 4. Faſtor. Herodian. li. 1. Macrob. l. 1 Saturn. ca. 21 Arnob. lib. 5 cont. Gent.

Hanc veteres Graium docti cecinere Poetæ,
Sublimem in Curru biiugos agitare leones.

Ouid 4. Metam. Virg. Aeneid. 10. 250.

Signum interpretatur *Ouidius*, quod homines aliquando, quaſi leones ab ingenio feri & ſoliuagi ex ſuperbia, ciuilitatis nihilominus ſubacti virtute, benigni, ſocialeſque denuo euaſerint.

Ouid 4. faſt.

——— *Cur huic genus acre leonum*
Præbeat inſolitas ad iuga curua iubas?
Deſierat, cœpit feritas; mollita per illam
Creditur, id curru teſtificata ſuo eſt.

Non ergo inſtituta vita ciuilis, vt homines ex imperio, diuitijs, ſanguinis claritate inſoleſcant, vt alios aſpernentur, vt illos durius tractent, ſed vt inter ſe conciliata & accenſa charitate, omnē ingenij duritiem faſtumque exuant, ad Caucaſos, ad ſiluas ac deſerta luca hæc remittāt, a quibus ad conſortium ſe recepere. Summam hanc vitæ Ciuilis viſus Chriſtus Dominus aſſignaſſe, quando, teſte *S. Paulo*, dixit: *Beatius dare, quam accipere.* Dantis munus profitetur bonus ciuis, & ideo amantis officium præ ſe fert: cuius eſt dare, & dulci fluxu, a ſe deducto, conciuibus benefacere. Cum itaq; ciuem dico, amantem dico, ſuauem hominē nomino, & aliquam partē ſeu cellulam quandam deſigno illius faui, quē reipublicæ ambitus complectitur. Vnde autem officium hoc, ſimulque beneficium vitæ ciuilis prouenerint, iam proximè diſquirendum.

Act. 20.

CAPVT II.

Quinam origo Ciuilitatis extiterit.

Lucan. l. 10. Senec. lib. 4. Nat quæſt. cap. 2. Plato dial. de Repub

HAc in re non perinde anxie laborādum, ac pleriſque contingit, dū mundi ortum, vel Nili fontes curioſius perſcrutātur; etenim Philoſophorum, Theologorumque definita ac conclamata ſententia, totū ciuile negociū humanarū cōſenſionū delectu ab origine conſtetiſſe. *Plato*, & *Ariſtoteles* diſertè pronunciarunt,

Ariſt. lib. 1. Pol. cap. 2.

neceſſitatem, indigentiamque, induxiſſe primum homines in ſtudium ciuilitatis, *Quandoquidem*, inquit *Plato nullus noſtrum ex ſeipſo ſufficiens, ſed multorum indiget, impertiunt viciſſim ſua, & aliena viciſſim accipiunt, condonari ſibi hanc viciſſitudinem exiſtimantes.* *Plinius* quoque *ſecundus* in eandem ſententiam explicatè diſſerit. *Lactantius* verò ita ſcribit: *Ergo animal commune, & conſors eſſe debemus, vt nos inuicem præſtandis accipiendiſque auxiliis muniamus.* Rectè idcirco adnotauit *Aegidius Romanus*, plura eſſe ciuilis vitæ inuenienda commoda in familia, quam in ſolitudine, plura in vico quam in familia: plura in ciuitate quam in vico: plura denique in Regno, quam in ciuitate. optimè autem hæc intulit S. Baſilius: *Cum autem nemo ſatis eſſe poſſit, vt ſuo marte id quod decens & vtile ſit, inueniat, ideo ſummis beneficiis complectens nos Deus, Conſultores & Dominos ſubinde dat nobis.*

Plin. in Panegyr. Traian.
Lactan. l. de opif. c. 4.
Ægid. Rom. Tract. de Donat. Eccleſiæ.
Baſil. orat. 21
Origen. l. 4. Cont. Celſum. Baſil. li. Reg. fuſe. diſp. Reſp. ad Interr. 7.

2. Hanc neceſſitatem, naturæ humanæ ideo inſeuit Deus, vt eius ſenſu inducerentur homines in normas legesque vitæ Ciuilis. Proinde homo, vt ſe debitè tam quo ad animam, quam corpus perficiat, ac in optimo ſtatu collocet, indiget pluribus quam bruta, ac inter ipſa bruta, vt aduertit *Lactantius*, fortiora ſunt ſoliuaga: quippe non indigentia aliorum operæ, ſed ſibiipſis ſufficientia; cum minus fortia & timida ſociatim degant, & aliorum adiumenta mutuo requirant. Neceſſitas verò, quæ hominis condicionem contingit, a multis cauſis propagatur. Principio oritur ex qualitate naturæ, vt retulimus: cui modo acceſſit multiplex calamitas ex peccato originali. Deinde hominum malitia, ac in hominem brutorum rebellio, haud paruam conſtituunt vim neceſſitatis & indigentiæ humanæ: ſoli quoque ſterilitas & locorũ incommoditates dum homini ad benè commodeque viuendũ difficultates adferunt, eum reddunt in plerisque indigentem. quamobrem videmus, eas gentes in ſtudio Ciuilitatis eſſe acriores, qui eiuſmodi Cæli ac ſoli aduerſitatibus laborioſius obluctantur: quærunt enim diligentius ex conſortio contra eas ſubſidia. quale incitamentum eis non adeſt, qui terræ & aëris bonis abſque ſua induſtria abunde veluti feriati perfruuntur.

Lactan. l. 3 Inſtit.

3. Agnita hac ab humano genere indigentia, eidem, Dei munere interueniente, inſerta flagrat ingens cupido, ſocietates ineundi, ac conſortia frequentandi: Cumque in eum finem ſolus homo inter animantes facultate ſermocinandi ſit inſtructus, vti loqui ac diſſerere familiariter vehementer deſiderat, tum appetitu congrediendi cum aliis, illoſque alloquendi, mirabiliter inardeſcit. Proinde rectè aſſeruit, *Ariſtoteles*, hominis natura perſpecta, eum magis quam apes, aut aliud quoduis animal eſſe ſocialem, & conuictus appetentem. Imo *Plato* in unoquoque homine, particulatim ſumpto, deprehendit certa, quædam ſemina, & quaſi prælodia congreſſus ciuilis: etenim in illo animaduertit, rationem, tanquam principis ſimulacrum, vim concupiſcendi, perinde ac turbam opificum: iraſcendi facultatem, veluti aciem militum imperium armis munientiũ;

Ariſt lib. 1. Pol. cap. 2.
Plato dial. 4. de legib.

quod & *Marcilius Ficinus* quoque adnotauit. Toto ergo Naturæ pondere, vt ex ciuili ſocietate, quoad animæ, corporis, ac fortunæ bona, homo aliquid lucretur, propendit in ſtudium conuictus & vrbanitatis. Auibus familiaris locus, quem appetunt, aer, brutis terra, piſcibus aqua: ſic hominibus ciuitates.

Marcil. Ficin. Prohem. ad 4. dial.

4. Cum autem variæ exiſtant ſpecies iſtorum conuentuum, vt pote in familia, in vico, in oppido, in ciuitate, tum quod ad naturam alij aliis priores, & gradu quodam reliquis magis neceſſariæ. Prima, ac naturæ ipſi viciniſſima, cernitur in familia, in qua maritus & vxor, parentes ac liberi, dominus & ſeruus, ſimul viuunt. Quod verò hac ſolá ſpecie non ſit definienda humanæ ciuilitatis extrema appetentia, in ea ipſa familia elucere voluit Deus formam quandam reipublicæ, vt ea ab homine inſpecta, vlterius illum duceret in cupiditatem perfectioris Ciuilitatis. de qua re *Ariſtoteles*, poſteaquam aſſeruiſſet, humano generi magis neceſſarium familiam, quam Ciuitatem; quippe quod, quo ad omnia animantia, cum quibus homo quantum ad id quod vniuerſale, conuenit, communiſſima ſit ſobolis procreatio, ita diſſeruit: *Patris erga filios ſocietas figuram regni habet: quippe cum patri cura filiorum ſit. Vnde etiam* Homerus Iouem *Patrem appellat, eo quod regnum paternum imperium eſſe debet. At apud Perſas patris imperium tyrannicum, qui vt ſeruis, ſuis filijs vtuntur. Tyrannicum item eſt heri erga ſeruos: in eo enim, quod vtile eſt hero, agitur. Sed hoc eſſe rectum videtur, Perſicum illud prauum atque erran; eorum enim qui ſunt diuerſi, diuerſa quoque imperia ſunt. Viri & vxoris optimatum poteſtati ſimile apparet. Si omnium Dominus eſſe velit vir, in Paucipotentiam delabitur. Fratrum autem ſocietas Centipotentia ſimilis eſt. Populique potentia in ijs maxime conſultationibus apparet, quæ ſine Domino ſunt.* In iſtis quidem initiis, ac primis coitionibus, ſemina quædam, iuxta ac incentiua, vlterioris Ciuilitatis contemplamur, eiſque ad quid perfectius, natura duce, gradatim incitamur. *Sanctus Chriſoſtomus* quoque hoc ipſum luculenter adſtruxit. *Eſt ergo*, inquit, *loco Regis maritus: præfecti, aut legati, vxor. Tertium autem imperandi locum ſortiti ſunt filij. Deinde quartum imperium eſt ſeruorum.* Quod verò familia in ſe retineat formam quandam Ciuitatis, ſeu Reipublicæ, ex eo liquet, quod in ſocietate hominum Ciuiliter coalita duo ſpectanda: ſcilicet commune aliquod bonum, ad plures in ea relatum; iuxta ac poteſtas de eodem bono conſtituendi diſponendique: quorum vtraque in familia reperiuntur. Bonum commune illud in familia dicitur, quod ad omnes familiares ſpectat, & in quo ſinguli partem ſibi vendicant. Poteſtas, quæ de illo ex auctoritate decernit, ſpectabilis in Marito, & Vxore, idque naturæ ipſius inſtitutione: nihil ergò deeſt, quo minus familia, Reipublicæ, aut Ciuitatis vultum aliquadantenus referat ac repræſentet.

Ariſt. lib. 8. Ethic. c. 10.
Chriſoſto. Homil. 34. in 1. ad Corin.

5. Cum idcirco vel natura volente, homines in familias coaluiſſent, ſubinde edocti,

excellentio

excellentiorem formam ſocietatis & regiminis ſuperciſſe, eiuſque percepta pulcritudine ac vtilitate deliniti, ſiue vt ferarum iniurias, defugerent (quod *Lucretio placuit* aſſerere) ſiue quod verius, vt tam animi, quam corporis, Bonis vberius ornarentur, a paruis iſtis in agris ſiluis, ac montibus aſſociationibus ad vicos, ad opida, demum ad ciuitates, reſpublicas, & regna colenda proceſſerunt: idque eadem natura continenter eos ſuadente & inſtigante. Vnde concludit *Ariſtoteles*: *Ex quibus perſpicuum eſt, in eis, quæ à natura orta ſunt, eſſe Ciuitatem, hominemque animal eſſe aptum ad catus, ad concilia, ad Ciuitates.* Cuius mentem interpretatus *Doctor Angelicus*, ſic loquitur: *Patet, quod regimen Regis ſuper Ciuitatem vel gentem, proceſſit a regimine antiquiori in Domo, vel vico.* Primus itaque gradus Ciuilitatis, vt idem refert *Ariſtoteles*, incæpit a conditis ciuitatibus: vnde in eis habitantes *Ciuiles* principiò nuncupati: qui autem in agris, ſiluis, aut Montibus, vicatim, vel opidatim degebant, agreſtes, ſilueſtresue vocati. Quibus ciuitatibus Rex aliquis Monarcha ab initio præfuit, ſuuſque vnicuique, vt idem Narrat *Ariſtoteles*. *Primo ſub Regibus ciuitates erant.* Idem teſtantur *Dionyſius*, *Plutharchus*, *&* *Philo*. Quid vero tanquam finem natura in hominibus, hoc ritu in Ciuitates coeuntibus, preſtituerit, ita declarat, poſtquam diſcrepantiam aſſignaſſet inter Simul Viuere, & bene viuere: *Bene igitur agendi gratia ponendum eſt, eſſe ciuilem ſocietatem, non autem gratia ſimul viuendi.* Si ergo vitę Ciuilis finis ſit bene viuere, neque benè viuere contingat abſque virtute tam Intellectuali quam Morali, conſequens, Naturam humanam, cui illarum virtutum diuinitus immiſſa ſemina, ad conſtituendas Ciuitates, ad regna, & imperia excitanda, Mortales earum cauſis precipue inſtigaſſe.

Lucret. li. 5.

Ariſt. lib. 1. pol. cap. 2.

S. Thom. lec. 1 Pol. lect. 2.

Ariſt lib 1. Pol. c. 1 Diō. lib. 2. antiquit. Plutar lib de Ciui. Philo. de Ioſeph cicer. li. 2. de legib.

Ariſt. lib 3. pol cap. 6 lib 9. ethic. cap. 11. Boët. li. 3. de Conſol. Met. 3.

6. Poſtquam itaque homines per familias diſperſi, hæc bona animis percepiſſent, ac delibaſſent, illico inclinabantur non ſolum propenſione habituali, verum inſuper actu expreſſo deſiderii, ad conueniendum cum aliis, ad ſermocinandum cum eiſdem, demum ad appetendum & accipiendum ab eis beneficia; ac viciſſim gratificandum benefactoribus, mouebantur. Vt cuius, quando ſemel conueniſſent, incenſo inter eos amore, & ſtudio honores deferendi flagrante, incepere de Regimine, ac eius forma, de charitate in omnes mortales, vt ait *Cicero*, apud ſe deliberare ac demum definire: ſemper in hoc proſpectantes, non vt tam ſimul viuerent, quam vt ex iure ſociali bene viuerent; hoc eſt, vt ſapienter, pie iuſtè, ſecure, diu, ac ſuauiter vitam inſtituerent. Cui inclinationi, a natura hominibus in certum finem boni attributæ, in eiſdem reſpondit facultas Media comparandi, quibus optatum finem melius conſequantur, vt rectè *S. Thomas*, & *Caietanus* inde intulerunt. Quod ergò eis non fuerit ſatis, pecorum ritu in Vnum cœtum paſtus cauſa confluxiſſe, quinimo ipſis votum eſſet, optime ad Dei, ſimul ac naturæ præſcriptum viuere: vnderentque pariter, abſque regimine, ac lege iuſtitiæ, confuſa multitudine, cæca & impetuoſa eiuſdem malitia ſolum reſtantibus, fuiſſe ipſis conſultius, per familias in montibus, ac ſiluis diſperſim, ſicut prius, egiſſe, eo poteſtatem apud ſe agnouere imperium conſtituendi, quo minus ab optabili fine, adeoque ante oculos ipſorum tam poſito, turpiter ac cum ſenſu doloris deficerent vel aberrarent. Et quidem in hoc conſilio nullum diuinum Ius ex ſacris litteris, aut aliunde illis conſtetit, quod amplam in ipſis quo ad hunc finem poteſtatem coerceret: quaſi Deus ipſis modum propalaſſet externo aliquo ſigno, quem omnes obſeruare debuiſſent. quantum autem ad legem naturæ, decretam in eiuſdem naturę viſceribus, non aliud deprehendere, quam quod in familiarum conditione, & cohabitatione, ipſis innotuerat. proinde quo ad Ciuitatum, Regnorum, Imperiorumque iura ac formas decernenda, liberi omnino erant ac ſoluti: ita vt ab ipſorum conſenſionibus illa ſpecies regiminis futura, in quam vnanimi, aut plurium ſententia, conſpirare ipſis placuiſſet. Nam ſi hac in re ius aliquod diuinū præualuiſſet, vbique tunc locorum iſte, vel alter modus gubernationis, definitè viguiſſet: vt pote *Monarchia*: cui illæ gentes repugnaſſent, cum graui etiam ſuo ſcelere, qui, *Ariſtocratiam*, vel *Democratiam* condidiſſent: quod nullo pacto exiſtimandum. quantum ad legem naturę, eodem modo cogitandum, certam nempe aliquam normam regiminis ab ea ſola haud fuiſſe decretam, ſi in iſta re imperitaſſet: pariter neq; eiuſdem nudo iuſſu, hos liberos, illos ſeruos, hos dominos, illos ſubditos, in lucem emerſiſſe: aliter enim opinari, a cōmuni mortaliū ſenſu alienum videatur.

Cicer. lib 2 de fin. lib 3 Offic.

S. Thom. li. de Regim. Princip. c. 1. Caiet. opuſ. de Poteſt. Papæ part. 2. Cap 2. & 10.

Auguſtin. lib. 19. Ciu. Cap. 15 Gregor lib 21. Moral cap. 10. Suarez lib. 1 de leg. cap 4.

7. Quamobrem hæc ipſa multitudo Agreſtiū, et opidanorum, in vnum cœtum coalita, veluti fęmina fuit, fæta ac grauida naturæ opere, Ciuili quodam in ea ſemine excepto. virtualiter enim eminenterque in ſe continuit multiplices rationes imperiorū; vt pote *Monarchiam*, in qua vnus dominatur; *Ariſtocratiam*, in qua meliores, aut pauci nobiles imperant: *Democratiam*, in qua multitudo ſupremam obtinet poteſtatem. proinde ſi ex iſtis formis aliqua ab eius conſenſu, tanquā vtero proles, decidiſſet, nullo pacto vniuerſam illam matris virtutem adæquaſſet, ſed ingentis ampliſſimæque illius fæcunditatis ſolum delibatio quædam inde apparuiſſet: plus enim illa ciuiliter potuit, quam ex iſtis ſeorſim aliqua. Exiſtimandum porro, hanc ipſam multitudinem, huic grauiſſimo Conſilio intentam, prudenter, ſanctè, appoſitè, quę ad ſuum finem conſequendum primitus conſtituiſſe: idcirco tamquam Mater Deorum hæc ipſa ſocietas celebrata fuit apud veteres; hoc eſt, procreatrix habita virorum, virtutę excellentiſſimorum. Quamobrem ſiue in perſonam alicuius, vel in plures regnandi poteſtatem contulerit: ſiue hanc, illamue formam delegerit: ſiue eam latam, ſiue quibuſdam conditionibus reſtrictam extulerit, totum hoc præſtitiſſe in ſui ipſius vtilitatem; tanquam in vltimum

timum finem, non verò in commoda & voluptates imperantium definiendum: quandoquidem Iure Diuino, pariter ac Naturali, ſpectatis, Multitudinis ſalus ac fælicitas, vnius aut paucorum præſtat ſaluti, aut fælicitati. abſurdum autem, maius, in id, quod minus, nobilius, in minus nobile, tamquam ſupremum finem, ritu præpoſtero deſtinari. Deinde accuratè ſecum deliberauit hæc ipſa ſocietas, cum ſui indolem exactè prius diſcuſſiſſet, quænam Reginiinis forma certis nationibus amabilior, facilior, proinde potentior ad inducendũ ciues in pietatẽ, & reliquas virtutes. Non enim perpetuo quæ ipſo genere perfectiora, ea pracıcè ſeligenda, aut alijs præferenda, ſed potius quę hominum ingenijs & iudicijs plauſibiliora; conformioraque, poſteaquam omnes circumſtantias ciuilis Prudentia ſerò expenderit, in mores & leges admittenda. Hinc grauiſſimum fuiſſet onus, ſi hæc mater Deorum *Gratu* imperiũ Regis, ab eo auerſiſſimis, obtruſiſſet: ſi *Romanus* quoque veterũ ętate, idem iniunxiſſet, ſimile fuiſſet. Cum enim *Scipio* in *Haſdrubalem* fęliciter fortiterque pugnaſſet, vt ſcribit *T. Liuius*; *Circumfuſa Multitudo Hiſpanorum, & ante deditorum, & pridiè captorum,* Regem *eum ingenti conſenſu appellant. Tum Scipio, ſilentio per præconem facto, ſibi maximum nomen Imperatoris dixit, quo ſe milites ſui appellaſſent;* Regum *nomen, alibi magnum,* Romæ *intollerandum eſſe; regalem animum in ſe eſſe.*

Plutar. in Agis.
Liu. decad. 3 lib. 7.
Sueton in Iul. Cæſar.
Plutar. in Anton. in Cæſar.

9. Quantum ad formam Reipublicæ, ſiue ea monarchica fuerit, ſiue Democratica, ſiue Ariſtocratica, humana malitia, & infirmitate cõſideratis, ea minime expectanda, quæ omnis prorſus mali expers, aut longè poſita ab incõueniente. Satis fuerit vel ſuo genere optimæ, vel ingenio Ciuium aptioris, delectus habeatur. Romani aliquando Regibus ſeu Monarchis obſequuti: at ſubinde propter tyrannidem, Reges expulêre. Mox in eorum loco ſubſtituta Conſulum Ariſtocratica iuriſdictio: quibus in omnes magiſtratus, excepto Tribuno, auctoritas concedebatur. De iſtis verò hæc *Cicero*: *Ego enim fateor in ipſa iſta poteſtate in eſſe quiddam mali. Sed bonum, quod eſt quæſitum, ſine iſto malo non haberemus.* Populi democratia aliquibus arriſit. *Sed vis populi,* ait idem *Cicero, multo ſæuior, multoq; vehementior.* Quam ob cauſam Romani temperare voluere hanc populi poteſtatem interiectu Tribunorum; quando quidem *quæ Ducem habeat, interdum lenior eſt quam ſi nullum haberet.* Cæterum de hac Tribunicia auctoritate ſic idem: *Nimia poteſtas eſt Tribunorum plebis, quis negat?* Quale autem extiterit *Ciceronis* iudiciũ hac in re, iſtis videtur explicaſſe: *Quamobrem aut exigendi Reges non fuerunt, aut plebi re, non verbo danda libertas.* Si libri, quos ille ſcripſit de Republica, extarent, nil dubitarem, quin ex illis multa recepiſſemus in cõmendationem Status popularis æquo pariter intelligeremus, haud ſolos Græcos, ſiuiſſe olim monarchis infeſtos. *Non quidem,* vt ipſe ait; *vitio Regni, ſed vitio Regum. Regem Romæ poſthac nec dij nec homines eſſe patientur.* Deinde quantum ad legum ac imperij vires, duo ſibi

Cicer. lib 3. de leg.
Cicer. lib. De diuin.

propoſuit hæc ipſa Mater. Primum, earum decretis ciues a malis moribus coercere, incitamque in ipſis libidinem comprimère; ſummatim, impoſito iugo extremam, quam naturæ noſtræ corruptio extulit, licentiam debilitare. Non enim ea ſemper ratio regiminis præſtabilior, quæ ſolutior, præſertim agnita in nobis ea deprauatione, qua in malum, omnemque actionis intemperiem, natura perurgente continuo inſtigamur: cui vt ſuccurratur, vtilis nõnumquam, vel in Ciuilibus, ſummæ illius excurrentis libertatis, per imperium etiam Monarchæ, diminutio. Alterum, quod apud ſe cõſtituit, voto illo connectur, quo concupiuit, vt ciues ritu humano, non mancipiorum inſtar, ſuperioribus morem gererent: adeoque miti quodam iure alacriter, ſuauiterque in officia obſeruantiæ inducerentur, haud verò reluctantes ac triſtes ad ea ex terrore Tyrannidis proterue adigerentur.

Cicer. lib 2. offi.

10 Poſtremo hæc eadem Multitudo, Naturæ poteſtate freta, nõ ſolũ ex ſuo gremio quoſdã ſelegit illorum perſonas deſignãdo, quos ad imperium ſubleuandos deſtinauit, quinimo eis de ſuo auctoritatem poteſtatemque imperandi largita eſt, ac contulit. Nam quemadmodum potuit ſeſe multiplici ratione gubernare, ad virtutem, Deique cultum vario inſtituere, ita habuit in ſua poteſtate ſitum, in eum finem magiſtratus certis perſonis deferre, eorumque dignitates, quaſi ex proprijs viſceribus, educere. Et quamuis de hoc faciendo nullum ex iure diuino, aut naturali, præceptum clarè appareat, vt *Durandus* opinatur, quod multitudinem ad id compulerit, cum vita ciuilis non ſit ad ſalutem æternam medium ſimpliciter neceſſarium, vt notat *Suarez.*, ſed tantum ad melius bonum incitamentum: Nihilominus, poſteaquam multitudo iam conſociata, infinita illa bona cogitaſſet, quæ ex vita ciuili proventura: pariter, quod moraliter loquendo, eadem fermè eſſet medium neceſſarium multorum ſaluti, abſque graui ſcelere contra pietatem ac charitatem, exiſtimarem ab ea committi non potuiſſe, vnde talis vitæ ciuilis cultus omitteretur. Quomodo vero, iſtis non obſtantibus, dominatio, ac poteſtas omnis in Deum, vt principium, largitoremque, reducantur, modò enarrandum.

Durand. lib. 1 de orig. iuriſd. q. 1.
Suarez lib. 1 de legib. ca. 2 Bann. de Iur. & Iuſt. ad q. S. Thom. 62. q. 4.

CAPVT. III.

Quonam pacto Ciuilis auctoritas a Deo ad homines deſcenderit.

INſignem Ciuilitatis partem Principatu, & Dominatione conſtare credo neminem latere: quæri tamen ſolet, vndenam eius ortus, & propagatio deuenerit. Aſſequimus poteſtatem illam ciuilem, qua hominum multitudo in vnum aſſociata, gaudere dicitur, ſiue immediatè ab ipſo congreſſu, vt aliqui volunt, reſultarit: ſiue quod alij opinantur, mediante eiuſdem multitudinis expreſſo conſenſu in vitam ſocialem compararit, cauſam eſſe moraliter

I. mo

Bannes de Iur. & Iuſt. ad q. S. Thom. 62. q. 4.

Suares l.1. de legib. Cap 2. Victor. de poteſt. Ciu. Num 1. 82. de legib. q. 95. Tract. 14 Diſp. 7. Sect. 2.

moraliter efficientem omnis, quam videmus in magiſtratibus, dignitatis, atque auctoritatis. Vt vero iam examinemus, num totum hoc, quod in iure & creatione Principis cernitur, etiam Deo, tanquam cauſæ immediatè operanti, attribui poſſit, hæc videntur diſtinguenda: ipſamet nempe multitudo in vnum cœtum recollecta, conſpiratio eiuſdem ad iueundum vitam ciuilem: in eadem poteſtas inde emanans ad conferendum aliquibus Superioritatem, iuxta ac illius exercitium: poſtremò, in perſonam Principis collata ab eadem iuriſdictio.

S. Thom. l. 1 de Regim. princ. cap. 1. Durand. l. 1. de origen. Iuriſd. Soto l. 4 de Iuſt. & Iur. q. 4. art. 1.

Pronunciamus itaque, huius ipſius autoritatis Deum eſſe cauſam, idque immediatè. Cum enim Dei prouidentia & munere, multitudo hæc conſtet hominibus, anima rationali inſignitis, ac eo vehementer in virtutes & iura ciuilia inclinatis: cumque eiuſdem prouida cura, ſiue generali ad naturalem exigentiam ſecundæ cauſæ, ſiue ſpeciali, ex gratioſa ſolum ipſius voluntate, multitudo hæc primum appetijt conſortium, deinde conſpirauit vitam ciuilem degere, poſtea huic, vel alteri contulit imperium, neceſſe fuerit exiſtimemus, hanc ipſam imperandi poteſtatem numerandam inter effectus, impreſſioneſque diuinæ prouidentiæ; adeoque immediatè ea procurante, excitari. quo nempe pacto æſtimandum, non tantum Phiſica, ſed etiam Moralia, immediatè a Dei opere prouenire.

Scot. in 4. Sent. q 5.

Sacramentorum virtus, a Chriſti inſtitutione & meritis deſcendens, quæ moralis, a Deo extitit immediatè, nā enim huiuſmodi virtutis proximā cauſam, nempe humanitatem Chriſti, inſtituit tantum Deus, verum etiam illam eſſe ipſemet ſignatè voluit & decreuit. In ſacris perſonis poteſtas, Ordinis virtute collata indem moralis; nihilominus a Deo etiam immediate, & non duntaxat ab illius ordinis Sacramento manauit. In virtute honeſtas & valor meriti, qualitates quoque morales: ſcilicet haud concretæ, aut reales; excitantur pariter a Deo, immediatè: eas enim ipſe prædeſtinat, efficit, & futuras ſtatuit. Denique omnia, vt ait diuinus Theologus, vno excepto peccato, per ipſum facta.

Ioan 1. Auguſt. tract. 10 Ioan. Cap. 1. 1. Cor. 2. Cryſoſt. Homil. 34. in 1. ad Cor.

Iuxta hanc ſententiam veriſſimè definiuit *Apoſtolus: Non eſt poteſtas niſi a Deo. qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt.* De qua re *S. Chryſoſtomus*; *Quod enim principatus ſunt, quod ſi quidam imperant, iſti verò ſubiecti ſunt: quod non ſimpliciter, ac temere, cuncta ferantur, nec fluctuum inſtar populi huc atque illuc circumagantur, diuinæ ſapientiæ opus eſſe dico.* Si enim vel antiquorum iudicijs, res minoris momenti, vt pote quod *Socrati* interdiu bona idola, ſeu repreſentationes ſanctæ, occurrant, vt refert *Plutarchus*: quod ſub ſtili acumen plenior periodus ſubeat, teſte *Cicerone*; quod, vt ſcribit *Seneca*, *vir magnus ſine aliquo afflatu diuino numquam fuerit, nullane, ſine Deo mens bona*, profectò exiſtimandum, grauiſſimum hoc opus ciuile, quo, vt air *Ariſtoteles*, nihil diuinius, non ſolum in progreſſu, & adminiſtratione recta, verum & in prima ipſius Principis inauguratione, ſingulari Dei munere ac beneplacito auſpicatò extitiſſe.

Plutar de Socrat dem. Cicero q. 1. Tuſcul. l. 1. de Nat. de. Seneca Epiſt 73. Ariſt l. 1. Ethic. cap. 2.

2. Cæterum in diſceptationem venit, num ita ſimpliciter ac abſolute a Deo Principatus, præſertim Regius, immediate deſcendat, vt Reſpublica, vel illa prima multitudo, quod ad eiuſdem effectiuam donationem, nullas plane partes obtinuerit; vel an ſimul cum Deo, tanquam cauſa ſecunda cum prima, etiam ad eam effectiue concurrerit. Sunt qui arbitrantur, Deum tantummodo talis Principatus auctorem eſſe immediatè ac collatorem: præſertim quando non electione, ſed iure ſanguinis, vel ſucceſſionis, in alicuius perſonam deuoluitur.

Victor. Relect. de poteſt. Ciuil.

Hoc imprimis ſtabiliūt eis locis Scripturæ, quæ aſſerunt, Deum ſuo mero beneplacito regna dare, & auferre: ea mutare & transferre. Confirmant hoc deinde exemplo *Saulis*, immediate à Deo, vt rex eſſet, conſtituti. Qui, quod Rex fuerit populi Dei, videtur a Deo excitatus in exemplar regum Chriſtianorum: quaſi eò ſancitum, ſolum Deum apud eos futurum cauſam regiæ poteſtatis, tametſi ad populum pertineat, perſonam deſignando, eandem diuinæ voluntati ad eum effectum ſubijcere.

Dan 4. Iſa 45. Ioan 19 Homer.

Hoc porro veteres viſi ſunt adſtruxiſſe: vtpote *Homerus*, & *Plato*: qui, cum reipublicæ ſapientiam *Prometheo*, vtpote eius donum, conceſſiſſent, imperium tamen in alios, modumque eos optimè gubernandi, *Ioui* ſolummodo attribuere. *Ariſtoteles* pariter poteſtatem regiam, pulchrum & diuinum opus ſæpius appellat.

apud Auguſt. l. 9. de ciu Cap 15. Plato in Protag. Ariſt. l. 1. Ethic. Cap. 2. & pol. Cap. 8.

3. In eandem quoque ſententiam rationes ciuiles huc adferri poſſunt. Optima Methodus ad ingenerandum, ac confirmandum in Mentibus populi perſuaſionem de ſumma illa, abſolutaque poteſtate deſpotica, regi concedenda, quo iure proprietarij de ſuorum omnium bonis, adeoque vita & ſanguine diſponat, innixa videtur æſtimationi, qua definiatur, a ſolo Deo poteſtatem regiam in Principis perſonam deueniſſe. Nam hoc ſemel admiſſo, cum nullibi conſtet reſtrictionem aliquam, eam cōcedendo, Deum adhibuiſſe, conſequenter reputabunt, eſſe maximam, indefinitam, abſolutam, ac plane deſpoticam, tam quod ad ius Dominij quam Proprietatis.

4. Vlterius etiam hac concepta ſententia, regi a populo maieſtas auguſtior, diuiniorque cultus ei accreſcent. dum enim ſecum reputant, regem ſublimiori poteſtate eſſe præditū, quam vt ad eum efficiendo, vel donando, reſpublica pertingat, ipſum quaſi Numen quoddam ſuſpicientes, diuino quodam honore venerabundi vltro proſequentur.

5. Denique hoc a populis ſemel agnito, repreſſi penitus ac cohibiti fuerint ab omni auſu rebellionis. definient namque, ſuum regem nihil aliud agere, quantumuis tyrannicè ſe gerat, præterquam quod ſuo peculio, illud malè collocando, abutatur: proinde ipſis, vtpote mancipijs, nihil iniuriæ eo intuliſſe, in cuius vindictam arma corriperent, aut ſeſe ab eius violentia bellicoſè defenderent, dicent, ſed ipſorum lum eſſe ſtatuent, quiete, & obſequenter, et etiam furenti, imperij habenas permittere, Neque animus ipſis vnquam aderit, ſeſe opponere altiſſimo

proſiluiſſe, originem ſui ſubmiſſius colent, & tantam benefactricem amantius inde complectentur. Mox vbi conſtiterit, hanc ipſam rempublicam Regi ac Principi auctoritatem cum purpura & ſceptro primitus tradidiſſe, viciſſim illum, tanquam illuſtrem ſuum fœtum, orbi eſſe ſpectabilem, ſtudioſius hæc ipſa eum venerabitur ac diliget.

10. Quamobrem omnipotens Deus, vt Iudæis, Meſſiam promittendo, rem magis gratam faceret, prædixit, oriundum ex eorum ſanguine, maximamque cum eis neceſſitudinis vim
Hierem. 30. inde habiturum: *Et erit dux eius ex eo, & Prin-*
Michæ 5. *ceps de medio eius producetur.*
Æneid. 6. *Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux*
Educet Syluis Regem, Regumque parentem.

Etenim certa ſunt fundamenta charitatis, quæ inter plures in aliquo bono communica-
S. Thom. 2. 2 q. 23. art. 4 tiones appellantur, vt docet *Doctor Angelicus:* ſiue ea in Militia, ſiue in familia, ſiue in ſchola, ſiue in republica, inueniantur. quamobrem, vt ciuilis charitas firmior acriorq́; euaderet inter ciues, conuenit omnino, Regem ac Principem incunabula ſua primumque ortum agnoſcere in beneuolentia ac munificentia vectigaliũ: quo, tanquam coagulo interueniente; adeoque arctiſſimo communionis Iure copulante, tam ille,
Polybius. l. 4 quam ſubditi, vt obſeruat *Polybius*, ad maiorem pietatem mutuò incitentur. Imo huius rei, vtpote ad Ciuilitatem plurimum conferentis, præcipuam quandam rationem in regimine populi Iudaici viſus Deus ipſe habuiſſe: cautionem enim ipſis impoſuit, vt non alios Princi-
Deut. 17. pes eligerent, quam ex ſuo genere propagatos:
Philo de Creat. Princip. quod *Philo* Iudæus animaduertit. Contrà verò, cum ſubditi aliunde quam a ſeipſis ſuum Principem dignitatem accepiſſe videtint, tanquam externum, admirandum potius, quam vt familiarem, amandum ſibi proponent: deficietq́; illa ratio communicationis inter eos ac Principem, ex qua amor & charitas, vel naturæ ipſius inſtinctu, affluenter manare ſolẽt. proinde odioſi potius, quam ſuis amabiles Imperatores Romani, qui inter homines agentes, non homines, ſed Dij æſtimari voluerint.

11. Cæterum argumenta pro aduerſa ſententia neque multum vrgent. quod ex ſcripturis proponunt, ſolum oſtendit, propter excellentiam ac ſingulare momentum effectus, Deo peculiari modo curæ eſſe regna & imperia; & ideo præcipua ratione eorum fundationes, ſta-
Franciſ. patritius de Inſtit. Princip. l. 5. Tit. 11. bilimenta, ac ruinas, etiam Deo in ſacris litteris adſcribi, quod *Plato* & *Ariſtoteles* tantum contendunt. iſtis verò non repugnat, quod Principes auctoritates ſuas mutuentur non ſolum a Deo immediate, ſed etiam a Iure humano, adeoque a voluntatibus populi; quæ omnia Deus in finem, ab eo intentum, admirabiliter diſponat. Non enim neceſſe, ea tantum a Deo fieri immediatè, quorum curam ſpecialem in ſe ſuſceptam ſacris litteris ipſe profiteatur: hæc enim curæ ſpecialitas, cum noſtra etiam ſumma admiratione, conſtare poterit ex eo, quod cauſas ſecundas, vt effectum aliquem inſignem educant, aptauerit, accommodaueritque ad agendum.

12. Quod de *Saulis* inauguratione affirmatur, varie a diuerſis ſolet diſceptari. Sunt enim qui exiſtimant, populum non tantummodo eius perſonam deſignaſſe, verum, hoc a Deo ſemel facto, ſimul cum ipſo immediatè ius regium illi contuliſſe: quod & ſacra ſcriptura videtur expreſſius aſſerere: *Nunc ergò præſto eſt Rex veſter,* 1. Reg. c. 12.
quem elegiſtis & petiſtis. Populus idcirco ille poſteaquam Deus *Saulis* perſonam indigitaſſet, ipſum in Regem elegit: quod eſt, illi regiam dignitatem impertiuit. hoc ipſum confirmat *Philo* Iudæus verbis eiuſdem ſcripturæ, diſertè attribuentibus populo poteſtatem ad creandum principem: *Præficies tibi ipſi Principem.* De qua Philo l. de creat. Princip.
te hæc ipſe: *Præficies tibi ipſi Principem non alienigenam, ſed vnum ex tuis fratribus, nimirum ſignificans, electionem debere fieri voluntariam ex ſuffragijs, conſenſuque totius populi, præcedente, vt oportet, examine.* Poteſtas itaque Iudæis adfuit eligendi Principem: ergò & ipſum creandi, dignitatemq́ue immediate eidem conferendi. At ego plurimum demiror hanc quorundam cõſequentiam: *Saul* immediatè a ſolo Deo, ſeu iure diuino, Rex extitit: ergò omnes poſteà Reges Iudæorum ei ſuccedentes, adeoque omnes Reges Chriſtiani, tales tantummodo immediate a Deo. Vbi enim obſecro, ſcriptura dicit, inaugurationem *Saulis* extraordinariam a Deo, propoſitam in exemplar omnium Regum apud Chriſtianos, vel Iudæos inaugurandorum? an non extra ſcripturas de ſuo fabulantur, qui ita concludunt? Quod ſi ad amuſſim cuncta modò obſeruanda, quæ in inauguratione *Saulis* contigere, affirmare debebunt neque ſpectare ad populum perſonæ deſignationem, quandoquidem deſignatio, quæ ad *Saulem* pertinuit facta fuit a ſolo Deo: ac ſic Phanaticorum ritu, vt emergat demum aliquis de nouo Rex inter homines, vni Deo omnia permittenda.

13. At neque ad ſtabiliendam inter ciues ſupremam poteſtatem Principis, opus fuerit philoſophari quod a Deo ſolo immediatè Dominationem is habuerit: nam tametſi Reſpublica principem crearit, id nihilominus faciendo, ſubiecit ſe illi a ſe condito, tamquam reliqua membra capiti: in quo facto nihil eſt quod deſideretur, quantum ad ſupremam, ampliſſimamque iuriſdictionis maieſtatem, agnoſcendum. Illa autem abſoluta poteſtas deſpotica, Ariſt. l. 4. pol.
non eſt ciuilis, ſed Barbara, Naturæ quippe humanæ dignitati, adeoque Euãgelij libertati, infeſtiſſima, vt poſtea oſtendetur. Cæterum, D. do l. de Libert. cap. 5.
quod neque eam aſſerentes, Principis incolumitati ſatis conſulant, expreſſè docet *Ariſtoteles*. Cum enim, vt ipſe diſſerit, omnium in Dom. Soto. lib. 4. de Iuſt. ar. 2.
Republica bonorum ſolos dominos Principes ſeſe reputauerint, inde propenſi euadent in periculoſam ipſiſmet ſuperbiam: quo pa- Ariſt. lib. 4. Pol. cap. 11.
cto, *Faſtu & arrogantia elati, facile contemnent cæteros. Subditi verò interea loci inuidentiæ flammis ardebunt. quæ quidem aliena ſunt ab amicitia, & communione ciuili.* Videant itaque iſti, ne dum plus iuſtò principibus adulantur, ipſis interim grauiſſime eodem noceãt, ac ciuilitatis iuribus barbaricè refragẽtur.

14. Vt verò cultus idoneus, cum debita poteſtatis æſtimatione, Principi a populo deferatur, ſufficit abundè, quod ab illis habeatur, propter ſupremam illam poteſtatem, à Multitudine deriuatam, expreſſa, luculentaque Dei ipſius in terris imago. Si enim vel in vnius hominis priuati poteſtate multa præclara contineantur, quid exiſtimandum de poteſtate illa, quæ a tota republica dimanauit? Illa autem alia poteſtas, ſeu potius diuinitas, ad quam efficiendam nulla virtus infra Deum pertingere valeat, de qua recentes politici commentantur, multis nominibus inciuilis, tam principibus ipſis, quam eorum ſubditis peſtifera. Imprimis pleniſſimè comparata ad inflammandos animos Principum extrema arrogantia, dum eam ſecum penſitantes, exiſtimant, ſe vltra humanam ſortem euectos; ciues autem ſuos tanquam meros homines, longiſſimè infra ſe abiectos, ſordèſcere. Cui arrogantiæ in Principe neceſſario occurret à populo ardens indignatio, vt rectè *Ariſtateles* definiuit. Deinde Principes diuinitatis ſuæ opinione turgidi, parum habebunt virtutis præſtantiam: præſertim quibuſdam appendicibus rerum contemptibilium pleruͤque obſcuratam, adeoque deformatam: cum tamen hæc virtus præcipuum ſit noſtri generis, illorumque Principum, decus & ornamentum. *Plato* Athenienſibus in perſona *Socratis* hoſce ſermones attribuit: *Nos autem noſtraque vna ex matre omnes, fratres inuicem geniti, haud arbitramur nos Dominos ac ſeruos eſſe: ſed generationis æqualitas, nos inducit, vt & legis quæramus æqualitatem, neque rei prorſus vlli, niſi opinioni virtutis & prudētiæ cedamus.* Hanc porro in Principe diuinitatis affectationem veriſſimè *Plutarchus*, vt in Deum impiam, ita & in rempublicam inciuilem, redarguit. Aminaduertit etiam, apud Romanos, eam appetentes Imperatores, exiguo tempore vixiſſe: vindicante Deo hanc in ipſis profanam ac Gygantæam immanitatem. *Offenditur enim Deus*, inquit, *in eos, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur, delectatur autem eis, qui ſuam æmulantes virtutem, ſeſe in honeſtate reddunt ſimiles. atque hos in maius prouehit, impertiens ſuam æquitatem, iuſtitiam, veritatem, ac manſuetudinem.*

Vidi & crudeles dantem Salmonia pœnas,
Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi.

Eminuero Principes, qui eò vſque ſuis phantaſmatibus elati, deſperant prorſus, ſe honores, aut incolumitates, aſſequuturos, veris ſolidiſque ſuis virtutibus, inde ad diuinitatem quandam adſpirant, qua tuti ac glorioſi inter mortales, turpiter licet delicientur, conſiſtant. Neque ſatis habent, quod *Dionyſius halicarnaſſeus* recoluit, ad conciliandum ſibi auctoritatem inſtar *Numa* cum Dea *Egeria* ſermones miſcere, ad exemplar *Minois*, Iouē familiariter adire, vel ad imitationem *Lycurgi Apollinem* conſulere, ſed omnino pro diis haberi, ac celebrari a ſuis diſcupiunt. Quamobrem *Plutarchus* eos Principes appoſite comparat ingentibus coloſſis, breui ex vaſtitate molis lapſuris, qui relicta virtute, *Grauitate vocis, toruitate vultus, ac morum truculentia, fugaque conſuetudinis humanæ, maieſtatem & auctoritatem imperij ſibi videntur imitari. qui cum foris heroicam ac diuinam quandam ſpeciem præ ſe ferunt, intus pleni ſunt ferro, lapide, plumbo: niſi quod illud Coloſſorum pondus rectitudinem illorum ſtabilem & immotam ſeruat: at ineruditi Principes, propterea quod intus malè librati ſunt, ſæpenumera vacillant ac ſubuertuntur.*

Plato in Menech.
Plutarch. in marcell.
Plutarch. l. de Princip. Doct. in Ariſt.
Iuuenal. l. 4. Satyr. 10.
Virgil. Æneid. 6.
Dionyſ. l. 2. Antiq. pag. 122.
Plutarch. l. de Doctor. Princip.

15. Ceterum ad cohibendum populos a defectione, aut rebellione, non erit opus de hac conficta ſublimitate, aut diuinitate quicquam comminiſci: Nam illa ipſa Principis auctoritas, quæ a populo datur, non ſolum eſt impreſſio quædam a Deo, ſed & eiuſmet gladius, vt ait *Apoſtolus*: proinde reſpectantes in principem, ea imbutum ciues, videbunt, ſe iure diuino impeditos & cohibitos a proditionibus, coniurationibuſque. Cui accedit ipſis perſpectum ius naturale, quo omnino ad parendum obligantur. quod ſi neutrius iſtorum iurium adiutio ſatis potens, quæ reluctantes ſubditos in officio contineat, quid demum reliqui, quod hoc ipſum fortius efficiat? Duo in Principe, vim præcipuam continentia ad imperandum: ipſum nempe ius, quo in eo gradu & ſtatu is collocatur: iuxta ac in eodem digna virtus, qua Ciuibus amabilis redditur. non ergò quaſi hæc in illo defeciſſent, illi recurrendum ad illam deſpotici, aut diuini Dominij amplitudinem: ne hinc detur occaſio ſuſpicandi, ad illorum interitum, nouum hoc præſidium immenſæ auctoritatis, artificioſe comparatū, deforis acceſſiſſe. Rom. 13.

16. Iſtis ciuilis officij partes, origineſque ſuccinctè deſcripſimus: quibus conſtat, Ciuilitatē, multitudinis alicuius ordinatè aſſociatæ functionem eſſe, ac progreſſum. An autem omnes ciuilis viri actiones, vel quæ reipublicæ in vniuerſum vtiles, ad alium, hoc eſt ad ipſammet multitudinem, vel ad aliquem ex multitudine, proxime & immediatè perpetuo referātur, ſtatum inquirendum,

CAPVT. IIII.

De Functionibus Monaſticis, ac Ciuilbus, in Ciue deſiderandis.

ACtiones *Monaſticæ* illæ nuncupātur, quæ vnius hominis, ſolitariè ſumpti ſtudia, quæq; in operantis duntaxat perfectionem deſtinantur, ſiue mente, ſiue voluntate, ſiue vtriſque ſimul abſolutæ fuerint: vnde & monaſticæ a Philoſophis appellari conſueuerunt. Ex iſtis, rerum ſcientia, tam ſpeculatiua quam practica mens imbuitur, affectus itidem & animi perturbationes ad normam rationis rectè pariter componuntur: de quibus agit. *S. Thomas*: denique illa omnia peraguntur, quæ alterum non reſpicientia, ſolo bono intellectuali, aut morali, ſtudioſè viuentis ipſius definiuntur. Ac præter contemplationem, rerum humanarum, iuxta ac diuinarum, cognitionem complectentem, inter virtutes actiuas ordinis *Monaſtici* recenſeri ſolent temperantia cum ſuis partibus, ſobrietate, abſtinentia, caſtitate,

S.Thom. 2. 2 q. 180 art. 3. q. 47 art. 2.

virgini-

virginitate, quæ ad inſtitutionem partis concupiſcibilis pertinent: fortitudo etiam, patientia, humilitas, ſpes, perſeuerantia, quæ affectus iraſcibiles moderantur. Ac inter reliquas virtutes, ad hoc genus reuocantur Amor Dei, & pietas in ipſum: nam tametſi publico ritu proteſtatæ hæ virtutes, conſilia ſint virtutum *Ciuilium*, nihilominus tantum ſecreto animæ munere defunctæ, virtutes *monaſtica* nominari poſſunt. Et quidem charitatem erga Deum, atque hominem, quæ culmen vitæ monaſticæ, ad vitam contemplatiuam ſpectare, affirmant *S. Gregorius*, & *S. Thomas*.

S. Thom. 2 2 q 180. art 1. Gregor. Homil. 14. in Ezech.

2. *Ciuiles* autem actiones vocantur illæ, quæ externo opere, iuxta vniuſcuiuſque ſtatum in republica circa bonum alterius, ſiue priuatæ perſonæ, ſiue totius multitudinis, occupantur: denique ſummatim, vniuerſa cum alijs laudabilis conuerſationis officia. quæ omnia ad iuſtitiam diſtributiuam, aut Commutatiuam, vel ad eius ſpecies *poteſtatiuas*, vtpote ad relligionem, ad amicitiam, ad magnificentiam, ad gratitudinem, ad vrbanitatem, ad pietatem io patriam, reducuntur. Iſtis ritè diſpoſitis ciuibus, ſuperiores omnes, ſiue quo ad ſpeculatiua, vt Doctores, ſiue quo ad practica, vt magiſtratus, Principes, & patresfamilias, ac viciſſim cum illis eorum inferiores, earum vi legittimè, ac Ciuiliter vitæ negotia perficiunt, & ciuiliter ſeſe in cunctis gerunt. Quarum virtutum ſemina, licet homini ſint à Natura inſita, non tamen ad eas eandem indolem ſingulis ineſſe experimur: ſunt enim aliqui ad virtutes *Monaſticas* aptiſſimi, qui ad Ciuiles inepti: alij ad *Ciuiles* quaſi a natura facti, qui minimè idonei ad *monaſticas*. quod ſi in vtriſque excellentia Dei munere alicui acciderit, is pro heroe quodam inter ciues meritò haberi poterit. etenim earum conſilia pene oppoſita; ſcilicet ſibi ipſi attendere, & de alijs ſolicitum eſſe, ad ſe eſſe reſtrictum, atque ad multos pariter effuſum, minorem mundum excolere, maiorem interim condere, & bene inſtituere; volatilem quaſi eſſe, & certo loco affixum: Denique Ciuem, ac Monachum, hominem, & Angelum reperiri. *Omnis vita*, inquit *Ariſtoteles*, nempe ciuilis, *ſpontaneaque hominum conuerſatio bus conſtat, quæ cum familiaribus, aut cognatis, aut alijs nobiſcum degentibus, vel liberis, vel parentibus, vel vxore tranſigitur.*

Ariſt. l. 7. ad ad Eudem. cap. 1.

3. Diuiduntur porrò virtutes iſtæ actiuæ, ſeu ciuiles, in *Gymnaſticas*, ac *Muſicas*, vt *Plato* doctè animaduertit. *Gymnaſtica* non ſolum eas ſignificant, quæ pugilum, quæ militum, ac palæſtritarum propriæ, verum etiam honeſtas, & ſerias in vniuerſum Ciuium occupationes externas complectuntur: vtpote quæ magiſtratuum ſunt in regendo, ſubditorum in obediendo, Doctorum in docendo, Artificũ in operando, Ruſticorum in terram colendo, militũ in pugnando, mercatorum in mercimonias exercendo, Patrumfamilias in adminiſtrando œconomiam. quod ſi contingat, aliquam virtutem ex iſtis Gymnaſticè ciuilibus, verſari circa moderationem alicuius perturbationis, ſimulque circa bonum alterius, ea tantummodo parte ciuilis Gymnaſtica habenda, qua bonum alterius reſpicit ac procurat. hoc modo fortitudo, quatenus timorem ad mediocritatẽ reducit, virtus eſt monaſtica: quatenus autem ſpecies quædam pietatis, aut iuſtitiæ poteſtatiuæ, quæ reipublicæ, aut innocentis bonum tuetur, virtus cenſenda Gymnaſticè ciuilis. Virtutes ſeu functiones muſicè ciuiles, pariter circa externum bonum, ſiue alicuius conſortij, ſiue particularis perſonę, verſantur: quo pacto ciuiles ſunt, & à Monaſticis diſcrepantes: addunt verò ciuilibus iucunditatem quandam, tanquam vitæ cõdimentum, neceſſariam pariter animorũ, corporumq́; a magis ponderoſis & operoſis functionibus, hoc eſt Gymnaſticis, relaxationem, vt *S. Leo, & Caſſianus* obſeruant. quæ quod occupẽtur ſiue in audienda harmonia, poëtica, vel oratoria recitatione percipienda, in celebrandis relligionum feſtis, in præſtandis, aut aſpiciendis ludis, ad ſimilitudinem muſicæ compoſitis, oblectantibus, ac recreantibus, muſicæ vulgò & abſolutè vi analogiæ nominantur. quarũ vſus, effectus & commoda ita *Plato* recenſet: *Gymnaſtica ipſa iraſcendi partem coroborat, & fortitudinem inſtruit: muſica eam ipſam & diſciplina capacem, & rationi obſequentem facit*: quod *Auerroes* in ſua Paraphraſi rectè explicauit. Etenim dum Ciues in exequendis profeſſis ſuis muneribus diſtrictius verſantur, accenduntur vehementer in ipſis animi, vt in eis excellant, & vt omnes difficultates ſuperent, quæ intentis ab ipſis finibus obſtare ab ipſis iudicentur. quamobrem ne in eiſdem ratio, & vires perpetuo intentæ, ex *Gymnaſticis*, deficerent aliquando, *Muſica* ſtudia illis in ciuitate ſuccurrunt, quæ dulci quodam veluti pabulo eos reficiant, ac idoneos reddãt, qui inde reparati, diſciplinas alacrius addiſcant, rationi omnem truculẽtiam facilius ſubijciant: ſine quibus, ex meris Gymnaſticis, aut hebeſcerent tandem, aut nimium ferocirent.

Leo ſerm. 2. d. Reſur. Caſſian. Collat. 26.

Plato dial. 3. de Repub. Auer. in paraph.

4. Modus itaque ciuilis vitæ ſic efformandus, vt ex his omnibus munerũ ſpeciebus, *Monaſticis*, videlicet, *Gymnaſticis*, atque *Muſicis*, fiat quidam contextus, & ordinata viciſſitudo, nec vnius ſolum occupatio ſeorſim pro tota vita a ciue eligatur. Nam ſi in *Monaſticis* tantum ſtudiũ omne ab ipſo collocetur, priuabitur inde, qui id fecerit, aptitudine & facultate Ciuiliter cum alijs viuendi, ac illis benefaciendi. Sin autem relictis omnino *Monaſticis*, ad ciuilia mera quis tranſiuerit, non multum io eis proficiet, neque diu in honeſtate talis inſtituti perſeuerabit: eò quod naturæ ordine prius, quempiam rectè componi quo ad ſe, quod fit per ſtudia *Monaſtica*, quam quo ad alios, quod per Ciuilia efficitur: pari modo, quantum ad ipſa ciuilia *Gymnaſtica* & *Muſica*, ſunt ea miſcenda: nam ſine muſicis, Gymnaſtica acrimoniam quandam in mores inferrent: & abſque Gymnaſticis, Muſica leuitatem & ineptiam ex nimia dulcedine in eoſdem inducerent. quod ergò vtraque certis vicibus intertextis vſurpanda, iſtis egregie, licet paucis, oſtendit *Plato*. *Oportet vnumquemque, eſſe animoſum, ac Mitem*. Quibus verbis ſignificat, præclaros

Cicer. l. 1. de off.

Plato dial. 5. de legib.

quo ad ciuilitatem eſſe nobiles ; ſanguinis enim & indolis ratione, ſi reuera tales fuerint, animoſi exiſtunt ad ſortia præſtanda , ad ducatum aliis in bello præbendum, ad defendẽdũ iniuſtè oppreſſos : iuxta ac mites inueniuntur, faciles nempe & dulces in conuerſatione . qui verò animoſus, pariter & mitis, is palmam planè obtinuit ciuilitatis.

——————— *Hoc Reges habent*

Senec. in Med.

Magnificum, & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere.

Greg. Naz. orat. 1. de Theol.

S.Gregorius Nazianſenus animæ & corporis in homine connexionem ſua contemplatione intuens, earumq́ue partium varia ingenia & operationes expendens , hominem appellauit mixtum animal, & mixtum Dei adoratorem . pari modo conſiderantes optimi Ciuis munera , eum nuncupare poſſumus mixtum operatorem : quo tam naturalis fabricæ in eo variam rationem , quam & officij multiplicem conditionem , ad ſummam nobilitatem , ac magnitudinem , perueniſſe, rectè iudicare poterimus. Luſit idcirco quodammodo Deus in hominis inſtitutione, rerum diſcrimina in ipſo ad quoddam compendium & conſenſionem reducens: in quo, naturam , ſimul ac Philoſophiam moralem , in differentes partes diſcretas, recollectas tamen & in vnam quaſi ſummam voluit eſſe ſubductas.

5. Ad Ciuilem idcirco virum maximè ſpectabunt actionum *Monaſticarum* cura , & exercitium : In quem finem conueniet, ſingulos, licet negotioſiſſimos, aliquam ſuę ædis partem conſtitutam habere , adeoque excultam , quæ ſui ſpecie remota & pulcra, inuitet ad eius ſolitudinem : in qua ſeriò de monaſticis conſilijs ciues deliberent, & ex eorum inſtitutis , animi doment paſſiones , illumque præſtantiſſimis cogitationibus informent . a quo ſtudio neque paterfamilias, neque Artiſex, neque mercator, neque magiſtratus, eximitur : uam in eis omnibus vel natura ipſa ſolitudinis cupiditatem, ac quid monaſticum , inſeuit ; quos proinde ſolos, iuxta ac ſocios , eſſe voluit. Errant itaque plerique Ciuilem vitam profeſſi, qui in ædibus ſuis nihil præter menſas & cubilia ſpectant ; proinde ſtatim ac a ſomno excitati , atque vtcumque raptim deinde veſtiti , illicò egrediuntur , abhorrentes domeſticam ſolitudinem , totos dies ruſticantur, vagantur , diſcurrunt , venantur, piſcantur , aut actionis forenſis perpetuo curſu diſtinentur. Neque ſolum, quod multoties ipſe cum admiratione deprehendi , huiuſmodi cubicula ſua relinquunt, ſed vt inuiſa ergaſtula, & ad quæ redire numquam illis animus, niſi ſomnus ad id coegerit, ſordibus contaminari , ac confuſa ſupellectili deformari, patiuntur.

6. Hæc autem perpetua curſitatio, & in publico aſſidua conuerſatio , grauitati , ſimulque Maieſtati vitæ ciuilis , penitus aduerſantur. quis alius in continuo motu , niſi leuis ? & quis ſemper in aliorum oculis , niſi contemptibilis ? *Miſcenda iſta,* inquit *Seneca* , *& alternanda ſunt , ſolitudo , & frequentia. Illa nobis faciet* (Seneca l. de Tran. c. 15.) *hominum deſiderium , hæc noſtri ; & erit altera* (de Beat. vita q. 12.) *alterius remedium. Odium turbæ ſanabit ſolitudo , tædium ſolitudinis turba. Nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad iocos reuocanda.* Cum porrò virtutes monaſticæ comparatæ fuerint , eædem Ciuiles ornabunt poſtea , ac ſuſtentabunt ; ſine quibus , vt flamma exhauſto oleo , citò, deficient . *Nuſquam eſt,* vt ait idem *Seneca* , *qui vbique eſt.* Nempe is nihil accuratè , & ad ſolidum proſequitur , qui vbique volans , leuiter non tam pertractat , quam pertranſit negocia: qui in ſecreto apud ſe rationes rerum non expenderit priuſquam eas exequuturus acceſſerit. (Senec. Epiſt. 2.) *Sic vtroſque reprehendas , & eos , qui ſemper inquieti ſunt , & eos , qui ſemper quieſcunt. Nam illa tumultu gaudens , non eſt induſtria , ſed exagitatæ mentis concurſatio : & hæc non eſt quies , quæ motum omnem , moleſtiam indicat, ſed diſſolutio & languor.* (Senec. Epiſt. 3. Baſil. Reſp. ad inter. 8. in Regul.) Duo verò præcipuè commoda diſciplinis monaſticis comparantur, vt notat *S.Baſilius* , quæ etiam vitæ ciuilis fundamenta, vt ſuo loco oſtendetur: Amor nempe Dei, & affectionum mortificatio. *Ibi mirrha perfectæ mortificationis , non ſolum carnis , ſed quod glorioſius eſt , propriæ voluntatis , exundat ; & thus aſſiduæ orationis indeſinenter emanat , & igne diuini amoris ſuauiter ardet.* Et alibi loquens de compreſſione affectuum , ſic ſcribit : *Ad id autem aſſequendum ſolitudo grande opera pretium affert, vtpote quæ perturbationes animi conſopire ſolita ſit , ſpaciumque deinde indulgere vi ratiocinationis ipſos ſtirpitus ex anima elidendi. Eſto igitur locus aliquis huiuſmodi , qualis hic noſter , ita ab hominum congreſſu liber , vt a nullo extraneorum irrumpente aſſidua interpelletur meditatio.* (Baſil. de laud. Eremi.) Cauendum autem viro, Ciuilis vitæ principium deſumenti a monaſticis, ne ſerpentis inſtar in paradiſum penetrantis, ſuperbia ipſum a reliquis ſecluſum adoriatur , ſuique opinione non tam moderatum, quam inflatum in turbam ſubinde veluti tempeſtate adigente extrudat.

7 Certè vel naturæ ordine ſpectato, vt diximus, prius, rectè formari quempiam in ordine ad ſe, quam in ordine ad alios: propter quã cauſam *Ariſtoteles* cõgruẽter Ethica primò deſcripſit deinde Politica. ſunt idcirco virtutes monaſticæ, tam intellectuales quam morales, Ciuilibus priores. Atque in præclarioribus , cum naturæ, tum etiam artis, operibus videmus , quædam eſſe in alto & ſecreto recõdita, quibus, quę eminent ; innituntur: Sic montes, ſic arbores, ſic pallatia, ex inuiſis fundamentis, & abſtruſis radicibus in altum conſurgunt, robuſtius eis innixa confirmantur . pari modo , vt vir ciuilis ad culmen auctoritatis ſeſe attollendo perua-dat, iuxta ac ſtabilius roboretur, in monaſticis inſtitutis ante omnia , ſua ſtudia diligenter collocare debet . Etenim ſi quis ad Dei amorem frigens , ſi perturbationum æſtu huc illucque indecore raptatus, ſi ignorantia obtenebratus, ſi huius præſentis vitæ bona maiora quam ſint ex errore putans, ſe in turbam immittere voluerit alijs legem agendi impoſiturus, dubio procul, non ſolum in caſſum conabitur, verum inſuper ab omni gloria & fœlicitate ciuili turpiter & cum dedecore excidet. Illa

autem.

autem præſidia, quibus talis deſtituitur, per diſ-
ciplinas monaſticas optimè comparantur. E-
nimvero ſicut periculoſum, quempiam, in veſ-
tibus ignem habentem, io horreum, aut locum
in quo ſtipulæ aridæ ſeruantur, ingredi, ita ei, in
quo perturbationes flagrant, intempeſtiuum,
ſe in fori negocia ingerere, cum diſcrimen inde
fuerit conflagrationis priuatæ & publicæ,
erumpentibus illis flammis perturbationum,
easq; ibi excitantibus innumeris actionũ occa-
ſionibus. opus itaque eſt, vt ciuilia tractaturus
ante monaſticis inſtitutis affectuum motus in ſe
rectè cõponat, & veluti antidotũ in ſecreto bi-
bat, quod poſtea in publico vitam contra om-
nes venenatos occurſus defendat. quod perin-
Virgil. de erit, ac ſi quis arma a Diuino aliquo *Vulcano*
Æneid. 8. fabrefacta cum *Aenea* primò induat, ac deinde
Laur Inſtin. dimicaturus in hoſtem, animoſè prodeat.
l. de ligno *Quamdiu animus*, inquit *Laurentius Iuſtinianus*,
vitæ Tract. *immixtus eſt turbis, & in multitudine fluctuantium*
de orat. *volutatus, nec vacat ſoli Deo, nec ſegregatus eſt a*
Exod. 20. *vulgo*. Conſilium hoc præſignaſſe viſus Deus,
dum legem ſuam, quæ vitam ciuilem contine-
bat, in eremo daret; inſinuans, initium ſumen-
Matth. 4. dum a ſui ſubductione a turbis, & quaſi a ſoli-
tudine. Similiter Chriſtus Dominus ex eremo
venit defuncturus munere Doctoris. mox ad-
Matth. 6. monuit ſuos, vt in cubicula ſua intrarent, ac
Greg lib. 4 eis clauſis, Deum orarent. *Cubicula tunc ingre-*
Moral. c. 24. *dimur* ait *S. Gregorius, cum ſecreta mentis intramus:*
Oſeæ 2. *oſtia autem claudimus, cum deſideria illicita coerce-*
mus. Ducam eam, inquit Dominus, *in ſolitudinem,*
S. Thom. 2. *& loquar ad cor eius.*
2. q. 83. art. 4
ad 3 Grego. 8. Verum quidem eſt, quod docet S. *Thomas*
l. 6 Moral. ex Sancto *Gregorio*, eos aptiores vitæ actiuæ ſeu
cap. 26. Ciuili, qui propter Spiritus magnitudinem,
quoſdam cum ad cogitandum, tum ad agen-
dum motus habeot maiores. impetus tamen iſte
neque nimius, neque præceps eſſe debet: ne
non tam ex iudicio, quam ex quodam turbine
ciuiles actiones inde perficiãtur. quo ergo loco
in naui ſuburra, eodem in vita ciuili diſciplina
mooaſtica: nam vt nauis abſque grauitate ſabur-
ræ fluitando facilè a quouis fluctu ſubuertere-
tur, ita abſque monaſticis inſtitutis profeſſa vita
Ciuilis, paſſim iactata violaretur. Quid enim
abſurdius, quam dum in quopiam libidines,
iræ excandeſcunt, furunt, mens in tenebris ver-
ſatur, illum in actiones fori, tribunalis, aulę pro-
rumpere, in infinita incommoda inpacturum?
prius ergò monaſticis ſtudijs animus illuſtran-
dus, affectiooeſque inde componendæ. Hinc
tot lapſus, tot dedecora in vita ciuili propa-
gantur, quod incuria mooaſticæ diſciplinæ, ad
Curt. in ciuilia imparatos temere tranſmittat. Certe
vita Alex. *Alexander & Scipio*, ſi non prius ardores ſuos
Plutarch. in priuatim & monaſtice rationi ſubieciſſent, ea
Scipion. laude caſtitatis, qua etiam armati, & io acie,
claruerunt, celebres haud extitiſſent. Proinde
dum in mores alicuius inquirere ſoleo, de eius
aptitudine iudicium laturus ad Vitæ ciuilia ne-
gocia pertractanda, interrogo, num totus ſit
pragmaticus, vel potius ſtatutis temporibus
monaſticus: hoc eſt, num in horreum prius
colligat, quæ poſtea per agros ſpargat: num il-
lud altius imbibat, quod alijs ſubinde propinat:

num ad cõtemplationes monaſticas rectè obe-
undas aliquam ędis partem, muſæolum aliquod
adaptauerit, inſtruxeritue. quod ſi hac in re
deficientem inuenero, ſtatim apud me definio,
abſolute talem noo eſſe ciuilem, quantumuis
aſtutus, quantumuis impetuoſus, vulgi calculis
palam renũcietur. Fuerit omnino, vt vir ciuilis
tam ſui condicionem, quam vires externarum
rerum perſpectas habeat, vt ſine damno ſuo ſo-
cietatem ſubinde ineat. in vnoquoque; enim
vigent igniculi prauarum cupiditatum, qui pla-
ne geſtiunt vt in flammas erumpant malarum
actioonm. viciſſim earumdem illicia vbique
exponuntur, quæ eas cõtinuo prouocẽt & ac-
cẽdant. Artis idcirco monaſticæ vſus ciuili verò
inſeruit, vt progreſſus in publicum, vt a variis
illecebris & incentiuis quodammodo tactus,
minimè ab eis violetur aut multum commoue-
atur: & vt ipſe, veluti vitrum, ad alia vitra
alliſus, haud tamen frangatur, venenis a ſeoſi-
bus hauſtis, animæ incolumitas ab eodem re-
tineatur.

9. Veteres, vt alibi etiam dicam, nomine vi-
tæ ciuilis, cunctas planè virtutes ſunt complexi,
adeo vt apud eos idem ſonuerit vir ciuilis, quod
ſanctus, pleniſſimeque omni virtutum genere
excultus. Non ergò ab eius officio monaſticæ
diſciplinæ excludendæ, loca ſecreta non ſunt
amouenda, noo contemplationes arcendæ, ſed
vt ciuilia rectè a quopiam pertractentur, ſiue
Gymnaſtica, ſiue Muſica fuerint, ſui ſubductio
omnino adhibenda. ſic enim apud oos animia
conſtituendum, vt reputemus omnium virtu-
tum robora parari in hac ſui a forenſibus auo-
catione; quorum defectu fit, quod in actio-
nibus externis paſſim ſuperemur, ac vincamur
ab infeſtis, ac rebus virtuti contrariis. Rectè
affirmat *Seneca*, impotentis eſſe hominis, abſ- Senec.
que ſuperbiæ, aut luxuriæ conquinamentis Epiſt. 2.
non poſſe quempiam, ciuilem vitam agentem,
honeſtè ſuſtinere pondus, aut ſplendores diui-
tiarum; non poſſe debellare vitiorum incen-
tiua, quæ in forenſi occuparione occurrunt.
Cæterum, vt virium comparato acceſſu vir
Ciuilis hanc a ſe abigat impotentiam, atque
ambidexter tandem euadat quo ad vtramque
fortuoam, vt loquitur *Caſſianus*, opus omnino, Caſſianus
ſe in monaſticis exerceat, vt ſolitarie cum Deo, Collat. 6.
Sanctis, adeoq́ue ratione ipſa, omoia negocia cap. 10.
priuatim pertractans, ſpiritus hauriat, qui-
bus fretus, io medijs etiam ciuilis curſus offen-
diculis, virtutem illæſam, ac perpetuo vernan-
tem ſeruet. vt verò hoc liquidius adhuc con-
ſtet de vtilitate vitæ ſolitariæ, vel quò ad ciui-
lia, pauca diſſerenda.

CAPVT. V.

Quanam in parte Ciuilitatis habenda vita ſolitaria ſeu purè Monaſtica.

IN vniuerſum liquet, vitæ huma-
næ genera in bonum quoddam
tendere, ac proinde ex diuerſa
Boni ratione, aliã ac aliã ſpeciem
ſui ſortiri. *Ea ſcientia politica*, in-

S. Thomas 2.2 q. 47. ar. 12.

quit *S. Thomas, quæ ordinatur ad bonū commune ciuitatis: Et Oeconomica, quæ de his eſt, quæ pertinēt ad bonum commune domus, vel familiæ: & Monaſtica, quæ eſt de his quæ pertinent ad bonum vnius perſonæ.* Quæri idcirco poterit, num *monaſtica* diſciplina tametſi abſolutè ciuilis non habeatur, operam tamen aliquam ferat Ciuili inſtituto, ſicut eidem oeconomica adminiculatur. Vitam autem monaſticam eam hic intelligimus, quæ vel ſtrictè *Coenobitica*, vel abſolute ſolitaria, ſiue eremitica: nam cū monachis inter ſe, tū cū alijs, magna apud nos intercedit Ciuilis vitę neceſſitudo.

Ariſt. l. 1. Pol. cap. 2.

2. *Ariſtoteles* Ciuilis vitæ profeſſores recenſens, ab eorum numero repellit ſolitudinis ſectatores, diſtractéque ab alijs degentes; quòd, vt apud ipſum canit *Homerus*, eiuſmodi *expertes ſint Tribus, iuriſque, domuſque.* verumtamen haud abſolute hoc vitæ genus vituperat, aut homine prorſus indignum cenſet; quinimo aſſerit, illud ineuntes, plerumque aut meliores eſſe hominibus, vel Dæmonibus peiores. Meliores quidem, quod externis adiumentis, legum ſcilicet, admonitionum, exemplorum, æmulationum, ſiquti cæteri mortalium, ad comparandam virtutem minime indigeant, ex ſuo tantū, ac diuino influxu, omnia abunde peragētes: peiores autē Dæmonibus, quod deſertis eis medijs ad virtutē, eōtū ginorātia, infirmitas, ac malitia, in ſecreto aliquo diuortio, grauiſſimis ſæpius ſint obnoxiæ ſceleribus: quod etiam *S. Baſilius* luculenter oſtendit.

Baſil. Reſp. ad Inter. 8. in Regul. fuſ. diſp.

Peccare noſter nouit in ſiluis amor.

Senec. Hypol.

3. Et quidem antiqui Philoſophi, demptis *Stoicis*, ſolitudinem vituperarunt, potius quam vmquam laudarunt. vnde *Cicero* affirmat, ſublatum aliquem in locum ſecretum, vbi omnibus etiam bonis exciperetur, ſolum aliorum conſortio priuatum, nō degere vitam vel a ferreo aliquo expetibilem, licet ſtellarum ipſarum naturas aſſequutum, non habentem interim ſocium, cui animo deſcripta narraret. *Stoici* verò ex aduerſo hominum aſſociationi repugnarunt, ac inde Ciuilitati detraxerunt, vt *Plutarchus* recolit. hi quidem monaſticis ita indulſere (licet id ex appetitu meræ voluptatis præſtiterint) vti amicorum neceſſitudines, rerum publicarum adminiſtrationes a ſe penitus repulerint: Deū ipſum ſuperbè æmulati, ex ſuo viuere, externorū haud indigi, videri ambiuerunt. *Sapiens*, inquit *Seneca*, *tam æquo animo omnia apud alios videt, contemnit quā Iupiter, hoc ſe magis ſuſpicit, quod Iupiter vti illis non poteſt, ſapiens non vult.* Quando verò *Stoici* ſeſe hoc pacto a turbis, a magiſtratu gerendo, ad angulos aut vitam ſcholaſticam contulere, nihil præter voluptatem a moleſtia fori, ac vitæ Ciuilis quæſiuere, vt rectè *Plutarchus* deprehendit. Leſum itaque hac ex parte, neque id parum, a Stoicis, ocium ſuadentibus, vt ait *Cicero*, inſtitutum ciuile.

Seneca. Epiſt. 5. Cic. lib. de amicit.

Plutarch. Con. ſtoic.

Senec Epiſt. 73. & 89. Senec. de vita beata q. vlt.

Cicer lib. 1. off.

4. Veruntamen vt de ſolitaria vita, quod ad noſtrum attinet propoſitū, aliquid definiamus, prius in ſocietate erudiendi, adeoque in eadem affectiones eorum edomandæ videntur, qui in illam ingredi apud ſe ſtatuunt: ne eas effrenes & immoderatas ſecū ferentes in ſolitudinē, vbi ad eas corrigēdes defuerint paratiſſima media in vita ſociali, inde earumdem impetus indecoros, ac plane tabidos ſuſtinere cogantur, neque tantum grauiſſimis tentationibus, ſed etiam ſceleribus horrendiſſimis inde conantur, contaminenturque, vt probe admonet Seneca. quibus autē vitijs, tam homines, quam fæminæ, ſeorſim agentes, opportuniores ſint, ita recenſet, in hoc negocio expertiſſimus, *Hieronymus: Si in viris periculoſa ſit vita ſolitaria, ne abſtracti ab hominum frequentia, ſordidis & impijs cogitationibus pateant, & pleni arrogantia ac ſupercilij cunctos deſpiciant, armentque linguas ſuas, vel Clericis, vel monachis detrahentes: de quibus rectiſſimè dicitur: Filii hominum dentes eorum arma & ſagitta, & lingua eorum gladius acutus, quantò magis in fæminis, quarum mutabilis, fluctuanſque ſententia, ſi ſuo arbitrio relinquantur, cito ad deteriora delabitur?* porro hoc ipſum latiſſime proſequitur *S. Baſilius*, qui probat, eremiticam vitam ſectantes, maximis carere commodis ad virtutem, quibus abundant Ciuiliter degentes, & cum alijs in ſocietate conuiuentes. Nihilominus exiſtimandum omnino, Deum ſua ſpeciali gratia hoſce defectus ſuppleturum, quando aliquos, ſua aura inſpirante, ad eremum impulerit. proinde ſtatum hunc, omnium perfectiſſimū, ob vitam contemplatiuam, cui inſeruit, quantum ad gradum perfectionis ſic metiri debemus, vt ſemper modum virtutis in eo proprium expendamus, ac cum ſolitudine illum huminem conferamus, qui hoc genus ſectari propoſuerit. proinde ducta ratione, quæ vel ipſam naturam ſequitur, ſanctè ac ſapienter ordinauit *Cōcilii Agathenſe*, nō eſſe admittendos ad profeſſionē eremitarū, niſi quos vita ſocialis primò diutius formauerit, probaueritq;.

Senec. ex. 25 ad lucil.

Hieron. Epiſt. ad Demet.

Baſil. Reſp. ad Inter. 8. in Reg.

Concil. Agathen. c. 38. Caſſia. l. 1. 5 Thom. in 2. l. Pol.

5 *Ariſtoteles* varia incommoda enumerat, quæ vitam ſolitariam frequentius ſequuntur; quod & *Seneca* ſæpius ſecit. ſolitudine homines exaſperari dicunt & inde ferocire. quo fortaſſis venit, vſu obſeruatum, Romæ & alibi, Philoſophos refractarios, ac rebelles extitiſſe, ac habitos plerumque, vt *Seneca* recolit: quippe quod litteris dediti, ac eò a cōſortio abalienati, tetrici euaſerint; vt enim inter volatilia, ea, inquit *Ariſtoteles*, crudeliora; vtpore aquilæ, milui, accipitres, quę ſeorſum magis verſantur, ac volant, ita pariter inter hominēs illi magis immites ac feri, ſi naturales ſolum cauſas ſpectemus, qui degūt in ſolitudine. meritò idcirco miraculi loco habuit *S. Athanaſius*, quod *S. Antonius* in eremo diu agens, nihilominus vultu alijs amabilis, ſermone affabilis, ipſumq; adeuntibus ſuauis quędam perpetuo extiterit recreatio ac iucunditas. *Seneca*, & *Albertus* ex ſeparato illo victu generari affirmant, atram bilē, ad triſtitiam & odium ſocietatis multum conferentē. quamobrem *S. Bernardus* verè pronunciauit: *Forte vult aliquis eligere ſolitudinem, non ſatu attendens propriam infirmitatem, & periculoſam diaboli luctam. quid enim periculoſius, quam ſolum luctari contra antiqui hoſtis verſutias, a quo videatur, & quē videre non poſſit?* Plato vt teſtatur *Plutarchus*, ſolitudini adſcripſit pertinaciā, vtpote ei ſociā. Verū enim vero hæc vitia nō tā ſolitudini ipſi quā eorū ingenijs, qui importune eam colūt, attribuēda.

q. 2. Ariſt. l. 1. Pol. c. 1. l. 9. Ethic. c. 9. Senec. ep. 25.

Athan: in vita S. Anto.

Senec Epiſt. 5 Albert. l. de Motion. animæ c. 6.

Auſon. Epiſt. 25 ad Paulin.

Bernardus ſerm. 1. de tam. Epiphan.

Plutarch in M. Coriola.

buĕda: ex quibus oriri potuit cōmune apud nos adagiū, quo dicitur de ſolitarijs, quod ſint ſancti cholerici: nam ſolitudo aptiſſimum alioqnin medium ad mentis illuſtrationem comparandum: quod *Ariſtoteles* etiam innuit, affirmando, homines, Sapientes euadere quieſcendo. mentis autem præclarior lux, vt oſtendit contemplanti Deum amabiliorem, ita aliarum rerum vanitates patefacit manifeſtius, & ipſiuſmet hæc meditantis abiectiorem condicionem luculentius proponit: ex quorum notionibus oriuntur amor Dei, & humilitas. hæc vero mitem et ſuauem animum erga alios etiam efficiunt, vt ſatis cōnſtat, idque poſtea a nobis expreſſius declarabitur. humanæ autem naturæ fragilitas, aut in aliquibus ad vitam ſolitariam ineptitudo, vulgo pariunt faſtus, aliorum contemptum, & moroſitates. Quamobrem quod iſtis expenſis, valde ſit difficile, quempiam die & nocte diuinis animo duntaxat intendere; quale porro ſtudium, otium vel nauſea, in ipſis plerumque interpellare ſolent, exiſtimarem, huic etiam generi vitæ apprimè conuenire omnes ſpecies ſapientię; ſeu eruditionis, quæ ociandi in ipſis cupiditatē repellant, & dulci pabulo laſſum animum perpetuo reficiant. nulla enim ſapientiæ pars, quæ quempiam dedeceat, aut illum aliquo modo ad virtutem, Deique amorem non præparet, vt poſtea docebitur. quod pronunciauerim contra nonnullos, qui cognitionē reputant ſuę pietatis & contemplationis inimicam. Si angeli fermè eſſent, admitterem quod dicunt, cum vero homines, vix, aut nullo modo.

Ariſt. 1. metap c. 2.

6 Quāobrem *Ariſtoteles* nō reputauit eremitam, Ciuem, ſed ciue hominem diuiniorem, & ad angeli ſeu ſpiritus cōdicionem quam proxime in hac vita accedentem. Etenim ille ciuis propriè nuncupatur, qui imperando, obediendoue, aliquid iure ciuili peragit, quod ad bonum ſocietatis referatur: quæ munera haud reperiuntur in Eremita, cuius princeps Deus ſolus, conciues Angeli, & ſancti, vt aminaduertit *S. Hieronymus*.

Hieron. Epiſt. ad Nepot. ad Nehad

7. Cæterum ſi is generali notione cenſendus ciuis, qui rebus ciuilibus quomodolibet, legitimis ſcilicet medijs, cōmodo eſt, Solitarius profecto ciuis habendus. hinc enim imprimis ipſimet ciues eius exemplo inuitantur ad ſanctam quandam ſolitudinem ineundam, in qua cum Deo ac Cælitibus animæ & æternitatis negocia ſæpius pertractent. niſi enim hoc ſingulari eſſet ad ſapientiam ac virtutem comparandam auxilio, neutiquā illam meram aut puram ſolitudinem delegiſſent Deo ſacri eremitæ: proinde eo ſuadent, iuxta qualitatem ſtatus vniuſcuiuſque, auocationem a periculis delinquendi in populari vita, ac receſſum, in quo nobiſmetipſis exactius attendamus, diuinis vero opere acrius incumbamus. atque hoc pacto a fonte, in ipſo eremo patefacto, ducuntur ad ciues riuuli optimorum præceptorum. Docet *Doctor Angelicus*, animam in ſecreto abſtractam a turbis forenſibus, aptiorem reddi ad excipiendum ignem diuini amoris, ac cæleſtis Solis doctum illum radium admittendum: quod *Ariſtoteles* quoque expreſſit. *Experieris* inquit *Plinius* ſecundus, *non Dianam magis montibus, quam Mineruam inerrare*. vt enim terra non conſtat ſolum explicatis campis, ſed ſinuoſis quoque vallibus, ita Ciuilis vita præter fora, negociorum loca, & emporia, penetralia ſua retinet diuortiorum, in quibus *Minerua*, & omnes Gratiæ a nobis adeundæ verſantur.

S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2.

Ariſt. l. 7. de ſenſu. lib. 1. metaph

Plin lib. 1. Epiſt. 6

——— Me gelidum nemus,
Nympharumq; leues cum ſatyris chori
Secernunt populo.

Horat. odſ. libro 1.

Non alia magis eſt libera & vitio carens,
Rituque melior vita quæ priſcos colat,
Quam quæ relictis moenibus ſiluas amat.
Non illum auara mentis inflammat Furor,
Qui ſe dicauit montium inſontem iugis.
Non ille Regno ſeruit aut Regno inuidet,
Spei, metuſque liber: aut illum niger
Edaxque liuor dente degeneri petit.
Non ſcelera populos, inter atque vrbes ſita
Nouit, nec omnes conſcius ſtrepitus pauet.

Senec in Hyppol.

8. Ego quidē multoties ad eā animi cogitationem indolui, qua mecū reputaui, a pleriſque deſertas Ciuitates, adeoq; ciuilē vitā penitus abdicatā, quod virtus & inocentia in eis frequenter periclitentur: cum tamen Ciuitates principio conditæ, vitaque ciuilis ab origine inſtituta ac profeſſa, vt inde ad virtutem, ad innocentiam hominibus commodior progreſſus daretur, & ciues ſibi mutuo eſſent incitamenta. iam verò creſcentę libidine, proprietatis ſtudio omnia occupante, ambitu furente, nō ſolum prauitati naturæ in ciuitatibus aditus patentior aperitur ad perficiendū curſum in omni ſcelere, quinimò ipſamet firmamenta & ornamenta earum prępoſterè vertuntur in lenocinia, ac ipſa robora vitiorum: ingenijs, artibus, diuitijs, formis, honoribus, eis inibi opem ac decus ferentibus. vnde optimis non modo vita ciuilis paſſim ingrata, quinimo moleſta, perturbata, imo odioſa, noxiaque eſſe cæpit.

Ariſt lib 9. Ethic. cap. 9.

Fortunatus & ille, Deos qui nouit agreſtes,
Panaque, Siluanumque ſenem, Nymphaſque ſorores.

Virgil. lib. 2. Georgicon.

Hinc Stoici moleſtiarum in ciuili vita pertæſi, magnam eius partem à ſe abdicarunt, vt fælices eſſent araneæ, non induſtriæ apes, vel formicæ. ideoque ſapienti vix idoneum locū cōſtituendū in ciuitate arbitrati. *Interrogo*, ait *Seneca, ad quam rempublicam ſapiens acceſſurus ſit? ad Athenienſium, in qua Socrates damnatur, Ariſtoteles ne damnaretur, fugit: in qua opprimit inuidia virtutes? Ad Carthaginienſem ergò rempublicam ſapiens accedet, in qua aſſidua ſeditio, & optimo cuique infeſta libertas ſūma, æqui ac boni vilitas, aduerſus hoſtes inhumana crudelitas, etiam aduerſus ſuos hoſtilitas?*

Plutar. de ſect. Stoic.

Senec. de vit. beat. cap 31.

9. Credendum etiam, quod & *S. Chryſoſtomus* admonet, precibus ac meritis in ſolitudine degentium induci Deum ad beneficia, tam ſpiritualia, quam corporalia, ciuibus donandum. hac de cauſa *Conſtantinus magnus* preces *S. Antonii* enixè requiſiuit, vt ſcribit *S. Athanaſius*. *Theodoſius* ſenior *Ioannem Anachoretam* de belli euentu, tanquam oraculum quoddam, conſuluit: ſubinde *Seraphilæ* baculum in manu tenens, & ſuperhumerali eiuſdem amictus, dum

Criſoſt. l. de Comparat. Monach. & Regis.

Athan. in vita Antonij.

Auguſt. l. 5. Ciu. cap. 20

Ruffin. l. 2. cap 32.

Metaphr. die. 31. Ian.

Glicas Anal part. 4.

præliaretur,

prœliaretur, inſignem de hoſte victoriã reportaunt, vt *Metaphraſtes, Glicas, & Nicephorus*, commemoranr. Hoc pacto non renuerem monachos militares appellare, perinde ac ſanctos, ac inter illos *Oniam*, & *Hieremiam*. Hic enim *Iudæ Machabæo* oranti extenſa dextera gladium tradidit, *Accipe*, dicens, *ſanctum gladium, munus à Deo, in quo deÿcies aduerſarios populi mei Iſrael*. eodem *Senaphia* eremitæ ſuperhumerale, & baculus ſpectarunt, arma plane martia, & inexpugnabilia. ob cuius rei memoriam, vt refert *Glicas* quotannis imago *Theodoſÿ* proponebatur apud Græcos ſuperhumerali illo veſtiti, & baculum manu tenentis. Quando verò iſtius generis homines, ad exemplum monachorũ in Aegypto, de quibus *Caſſianus*, aliquid etiã ſcribũt, aut agſit, quod in publicum denuò prodat, quis inficias iuerit, eos optimè de republica ac ciuitate ipſa mereri? ſummis certè laudibus celebranda eorum Monachorum memoria, de quibus *S. Chryſoſtomus*, qui ſæuiente in oriente Arianorum hæreti: alijs ibi Dei cauſam, ad quos ſpectabat, negligẽtibus, aut fugientibus, relictis montibus ac deſertis ſuis locis, inſtar apum, alueario egreſſarum, ad ciuitates, diuino ſpiritu armati, agitatique, conuolarunt, qui orthodoxam fidem, ab hæreticis impetitã, generoſè defenderẽt. Idem poſtea, cum ſumma laude etiam martyrij, eius generis homines, debachante hæreſi Iconoclaſtarum præſtiterunt. In occidente quid aliud fermè omnes eccleſiæ, quam monachatus fructus ac flores?

Nicephl. 14 cap. 4. *Machab. 2.* *Glicas 4. part. Anal. Metaph. die Ian. 13.* *Caſſian. l. 10. Collat. cap. 22.* *Chryſo. l. de Comparat. Monach. & Regu.* *Simẽ ſtu-dita.*

10 Verum, quod vel optima vitæ inſtituta vitijs ſint obnoxia, aut certè apertius maleuolorũ pateant calumnijs, euenit, vt Romæ, adeoque in occidente, nomen monachi, vt ſcribit *S. Hieronymus*, odio plane & infamia diutius laborauerit. Exiſtimatum enim popula riter, iſtos ad ſolitudinem receptos, otio indulſiſſe, tam literis, quam virtutibus prorſus abſtinuiſſe, neutiquam aliud vitæ genere curantes, quam aliorum vrbaniter viuentium contemptum, & ſuam ipſorum inertiam. cum autem *S. Petrus Alexandrinus*, & *S. Athanaſius* exules, Romam appuliſſent, ſtatim eorum opera monaſtica diſciplina correcta, & ad excellentem, quæ in Græcia primitus reſpleuduerat, normam, redacta, celebris eſſe cœpit, omnibus amabilis, ac honorabilis reluxit. Enimuero nimis propenſũ hominum ingeniũ in maleuolentiam erga illos, quos a ſuis inſtitutis diuerſo vitæ genere, quaſi longinquo diſeriminatos, & in alium quaſi ordinem ingreſſos, perſpexerint. diſſimilitudines perpetuo ferueut in inimicitias, vt ſimilitudines in amores.

Hieron. Epiſt. ad Principiam.

11. Cum verò in republica vniuerſus *Clerus*, comparatione facta cum alijs popularibus, abſtractior ſit à Ciuilibus negocijs ac inde plus monaſticæ inſtitutionis, quam cœteri, profitentur: tum inter eos ex eodem Clero, qui membra ciuilia cenſentur, gradus ciuilitatis ita decernẽdi, vt in eo genere ij preſtent, qui ad vulgarem formam conuictus exterioris accedunt, eoque minus monaſtici præ ſe ferunt. neque hoc quicquam cedit in ignominiam monachorum; quandoquidem quod huis rei reſpectu, minus ipſis ciuile, id magis diuinum, ac perfectum eſſe poterit. Hinc Chriſtus Dominus appoſitè illud vitæ genus delegit, quod minus monaſticum, quam illud *Eſſæorum*, illo tempore florentium in Paleſtina; imo vel *Phariſæorum*, ipſo nomine de ſe prædicantium ab alijs ſeparationem. voluit itaque vitam degere communem, hoc eſt aptiorem congreſſui ciuili, perinde ac ſi in medio aliorum petra fuiſſet ſalis, quam alij tamquam oues familiariter lambentes, ſanitatem ſuam aut tuerentur, aut conſequerentur: quod egregie *S. Thomas* declarauit. *Ideo* inquit, *conuenientiſsimum fuit, vt Chriſtus in cibo ac potu communiter ſe, ſicut alii, haberet.* at non plane expers eius vita monaſticæ ſequeſtrationis: ſæpius enim a ſuis digreſſus, vtpote in eremo, itidem in montibus, ac noctis tempore, ſolitarium paſſerem, ac gementem columbam, ſe oſtendit ac probauit; proinde hæc duo vitæ genera, quæ non minus quam cœlum & terra inter ſe prius diſſidere videbantur, ipſe mirabiliter ſuis moribus vnitim expreſſit ac ſuo exemplo eminentis charitatis copulauit: quod *S. Baſilius*, & *S. Gregorius Nazianſenus* indicant, ac demirantur. *Illam arctam viuendi viam, ait S. Chryſoſtomus, Ioanni omnino dimiſit: ipſe vero Publicanorum atque peccatorum menſas elegit, vt Publicanos & peccatores ſaluaret.*

S. Thom. 3. part. q. 40. art. 2. *Baſil. orat. 20. Gregor. Naz. orat. 21*

12. Ex iſtis liquet, monaſtica inſtituta haud penitus diſcrepare a ciuilibus, quinimo iſtis magnam potius commoditatem adferre. Et quidem ſi nihil aliud ex eis ſpectabile; quam quod animum recreant, & miſerijs iſtius vitæ conflictatum, non parum conſolantur, ſatis hoc faceret ad eorũ cupiditatem ac ſtudium. *Quam contempta res homo*, exclamat *Seneca*, *niſi ſe ſupra hominem erexerit*: Certè hominis contentio, quę merè ciuilis, vitæ breui ſpacio definitur, inquietudini, mutationi, ac tandem defectui opportuna: proderit idcirco, mentem interdum ſupra illud omne quod oculis cernitur, eleuare; quod contemplatione quidem perficitur, ipſaque diuina cogitare, quorum immenſitates, durationeſquè, nullis finibus aut temporum ſpacijs terminantur. At hoc perficiendum non ex animi peruerſitate aliqua, vel ex eorum, qui in propatulo degunt cõtemptu: quomodo diuinæ litteræ affirmant, quoſdam inſtar leonum, domos ſibi ex ſuperbia excitaſſe in ſolitudine: qui, vt ait *Seneca*, *Ideo in tenebras refugerunt, vt putent in turbido eſſe quidquid in luce eſt*: ſed eo fine recedendum, vt inde Doctiores, ac moderatiores euadentes, melius ciuilia ſubinde pertractemus. *Inter ſe miſcenda ſunt: & quieſcenti agendum, & agenti quieſcendum eſt. Cum rerũ natura delibera. illa dicet tibi, ſe & diem feciſſe & noctẽ.* In vna eademq; domo partes ſunt quæ edã aſpectabiles, aliæ in ſecreto. & plerumque quæ io ſecreto, receptacula inueniuntur rerũ magis precioſarum, a quibus patentiores ſuſtentãtur, adeoque ad illas referuntur. In eadem acie adſunt *Pallas*, & *Mars*: illa, quæ conſilia clanculum digerat, iſte qui in impetum belli foras erũpat. Non ergo functio ciuilis Monachiſmi neceſſitudinem, neque iſte penitus actionis abhorreat negocium. Cæterum officium illud,

Senec. præfat. l. 1. q. Nat. *Iob. 3.* *Senec. Epiſt. 3.*

quod

S. Thom. 2. 2. q. 47. art. 11.

quod ex propoſitio hic expendimus, proxime & immediatè Ciuile eſt: nempe in commercijs ciuilibus collocatum & poſitum, ac totum ad bonum aliquod commune, tanquam terminum, deſtinatum. melius verò hoc conſtabit, ſi iſtius boni communis naturam ac definitionem paucis modò diſcuſſerimus.

CAPVT VI.

Quidnam Boni communis nomine ſignificetur.

VNiuerſale ac commune, quomodocumque concipiatur, ſiue in voce, ſiue in animæ notione, ſiue in re ipſa, metaphyſicè, phyſicè, ſeu moraliter nobis objiciatur, concreta ſunt ac compoſita: ex vnitate, nempe quadam formæ, ac eiuſdem reſpectu, ſeu ordine, quo ad alia vniuerſale dicuntur, vel eis commune appellantur. quæ quidem vnitas alia, & alia in multis: ipſe quoque reſpectus, vt pote vniuocus, vel analogicus, planè diuerſus, iuxta naturam rei, quæ vniuerſalis, vel communis nuncupatur. Niſi enim vniuerſale vel commune quid in ſe vnum eſſet, neque definiri a nobis poſſet, neque plura in eo ordinatè conſpirare: ſiue hæc vnitas conſtet vna ſpecie, vna exiſtentia, ſiue plurium ad vnum coordinatione. ſimiliter quod huic vnitati accedere debeat relatio ad alia extrinſeca, liquet omnino: quandoquidem vniuerſalia ac communia, inferiorum, & aliorum, ſunt vniuerſalia & communia.

2 Certum verò eſt, bonum hoc commune, de quo inquirimus, morale quid eſſe, non Phyſicū, aut Metaphyſicum: proinde ad huius rationē, non conſtitui, vel abſtrahi, aliquam vnam formam à ſingularibus bonis particularium ciuiū auulſam, ab eis realiter, formaliter, aut virtualiter diſtinctam, conſtat: quod genus vniuerſalis etiā in Metaphyſicis egregiè conuellunt Nominales, ideo hoc genus vniuerſalis nihil aliud in ſe continet, quam vel ipſamet particularia bona Ciuium ad inuicem collata ac coordinata, vel bonū aliquod participatione quadā ad ea relatū. Duplici itaque modo in ciuitate reperitur bonū commune: primo, quatenus illud dicitur bonū commune, quod ad multos ciues geometricè pertinet, ac eſt cauſa priuatorum commodorum in ipſis; licet in ſe ſpectatum ſit quid vnū & ſingulare: quomodo Princeps ipſe, ærarium publicum, lex, appellantur bona communia, quandoquidem ab eis quam plurima bona ad ſingulos ciues deducantur; & in quibus omnes ſuas obtinent partes. altero modo bonū commune cenſetur ipſamet coalitio bonorum particularium in ciuibus, quatenus ordine quodā inter ſe ita diſponuntur, vt vnū quid, harmonicè coaleſcentia, conſtituant, ſimulque mutuò ſint bona, vniuſcuiuſq; bono redundāte in vtilitatem alterius. In quo Bono communi duo conſpicua: plurimorum bonorum numerus, & eorum ſeries aptè collocata ad mutuā vnius in aliud deriuationem. quamobrem *S. Auguſtinus* Rempublicam appellat Bonū ipſius populi, ſeu plura bona populi, *Ariſtoteles* quoq; admonet, in ciuitate res, ad aliquorum priuatorum dominia

Auguſtin. l. 2. de Ciu. cap. 21.

ſpectantes, quo ad vſū tamen debere eſſe communes: hoc eſt impendendas in commoda & bona aliorum. *Singulorum enim facultates*, vt ait *Cicero, diuitiæ ſunt Ciuitatis.* quod ſi in principe, vel ciue, reperiantur bona, ſiue animæ ſiue corporis, ſiue fortunæ, quæ vlterius ad hoc bonum minime referuntur, bona ſunt *Monaſtica*, haud *Ciuilia*: ſcilicet bona priuatarum perſonarū, nō ciuium, ſub hac ipſa dico formalitate. *Conſtat igitur, inquit Ariſtoteles, quod quæcumq; Reſpublicæ ad communem vtilitatem intendunt, hæ certè rectæ ſunt ſecundum ſimpliciter iuſtū. quæcumque verò ad propriam eorum, qui præſunt, vtilitatem ſolum, aberrant quidem: ſuntque omnes rectarum rerumpublicarum tranſgreſſiones & labes: gubernamur enim quaſi a Domino. Ciuitas autem eſt liberorum ſocietas.* Neque ſolum nomine boni communis intelliguntur certo ordine ciuium diſpoſita bona, quæ modo exiſtunt, verum inſuper, in quantū ſucceſſione poſteritatis durabilia, iuxta ac incrementi per honeſtas rationes capacia.

Cicer. lib. 2. off.

Ariſt. lib. 3. pol. cap. 9.

3 Quod ad illud primum in Bono communi ſpectabile, attinet, ſcilicet vnitatē, animaduertēdum, hanc non oriri niſi ex ordinata ſingulorū bonorum in ipſo digeſtione: vbi enim hæc non interuenit, ibi multitudo indiſcretum quendā numerum, aut confuſionem potius, delinit: vt ergò plura in vnū coaleſcant, opus eſt, ea inter ſe cohærere, licet genere diſſimilia, vt ait *Ariſtoteles*, ac ordinis quodā filo componi. Nā in diuerſis Ciuitatibus varia quidē reperiuntur bona, nullo tamen modo vnū conſtituentia, quādoquidē ordinis inter ſe vnitate minimè copulentur, ſed potius diuerſitatis ſeparatione diſcriminentur. Ordo autem & vnitas in hoc Bono communi attendēda penes ordinē & vnitatem harmonicā in ipſis ciuibus: ita vt bona ipſa ſic inter ſe quod ad hoc conferantur, ſicut & ciues, iuxta ſtatus vnicuiq; proprios, per ſua loca aptè diſponuntur. a quibus harmonicè collocatis dimanat ſitus & modus quidā harmonicus ad ipſa eorum bona: quatenus nempe Bona magiſtratuum, mercatorū, militū, colonorū, artificū, eo ritu proportionem ſubeant, quo magiſtratus ipſe, mercatores, milites, coloni, ac artifices, geometricè aut harmonicè inter ſe comparantur. Hinc ratio Boni communis, quantū ad vnitatē, omnino ſequitur formā reipublicæ, *Monarchia, Ariſtocratia* aut *Democratia* diuerſimode conſtantis. *Monarchia*, vnitate perſonarum & bonorum eſt perfectiſſima. proxime ad eandem vnitatem accedit *Ariſtocratia*: vltimo demum loco, ſpectata vnitate, cenſenda *Democratia*. Similiter bonum commune in *Monarchia* magis, vnum, quam in *Ariſtocratia*, & huius magis quā in *democratia*. Quantum verò ad vnitatis corruptionē, ſumma eſt ex democratiæ violatione, populo nempe in diuerſa abeunte, & nihilo fermè vnitatis in ciuitate tunc remanente. Deinde magnus receſſus ab hac ipſa vnitate cernitur in perturbatione Ariſtocratiæ. cum qua tamen populus inter ſe conſpirans, aliquam vtcumque obtinere poterit vnitatē. per Tyrannidē verò, quæ monarchiæ infeſta, non fit tam longinqua diuulſio ab vnitate: cum inde caput ſolū a corpore ac eius vnitate diſcedat in factionem. lege

Baſil. Hom. 5. in Hexam.

Ariſt. lib. 2. pol. cap. 1.

idcirco proportionis obſeruata, eodem modo de vnitate philoſophandum Boni communis in iſtis tribus ſpeciebus, ac de ipſiſmet ſpeciebus inter ſe comparatis.

4 Alterum, quod in Bono communi notauimus, eſt partium eius concors conſpiratio ad proferendum mutuo inter ciues commoda, cum particularium Ciuium, tum totius ciuitatis: ideo enim plures in ciuitate confluere voluere, vt horum bona per aliorum bona melius conſtarent, defenderentur, ac incrementa caperent.

Ariſt. 8. Ethic. Orig. Homil. 5. in c. 20. Gen.

Continet, inquit *Ariſtoteles, quidquid commune eſt*. Eſt enim Bonum hoc commune, ipſum gluten quaſi, quod ciues inter ſe vnitate ſua copulat; ſicut è contrario, quod eos diſſidere facit, id proprium & particulare. *ἐν κοινωνίᾳ πᾶσα φιλία ἐστί: in communitate omnis cernitur amicitia*. Habet etenim bonum commune ingentem vim ad attrahendum homines in vnum, & ad conſentionem inter eos procurandum, tametſi varietate ingeniorum, plurimum inter ſe diſcrepârint: quod & fabula *Orphei*, veteres aptè ſignificarunt.

Boetius l. 3. conſol. met. 12.

Poſt quam flebilibus modis
Siluas currere mobiles,
Amnes ſtare coegerat,
Iunxitque intrepidum latus
Sæuis Cerua leonibus,
Nec uiſum timuit lepus
Iam cauta placidum canem,
Cum flagrantior intima
Feruor pectoris vreret,
Nec qui cuncta ſubegerant,
Mulcerent Dominum modi,
Immites ſuperos querens,
Infernas adiit Domus.

Quemadmodum enim partes vniuerſi iſtius, quibuſdam facultatibus inſtructæ, proprios ſuos fines adſequuntur, tum etiam contrarijs reſiſtūt; inſuper ſic inter ſe vinciuntur, vti totius optimum ſtatum confirmant, ac reciprocè ſingulis, & omnibus, ſint vtilitati, Ciues pari modo in republica ad munera rectè obeunda idoneè ſic comparantur, vt non tantum priuata commoda, ſed bonum quoddam commune proferant, cuius virtute & vnitate particularium bonorum rationes contineantur, atque ſtabiliantur.

Origen. Homil. 5. in cap. 2 Gen. S. Thom. 2. 2. q. 26 art. 3. Soph. 3.

Ciuitas, inquit *Origenes*, *a conuerſatione multorum dicta eſt: pro eo quod multorum in vnum conſtituat et contineat vitas.* Hoc ritu in ſcripturis multi dicuntur Deo *vno humero ſeruire.* & apud Romanos plures milites appellari vna manus: proinde eiſdem manus haſtuli affixa, vt inſigne militare, præferebatur.

5. Reliquum explicemus duas præclaras proprietates iſtius Boni communis, quæ eiuſdem præſtantiam plurimum etiam probant, & expetibiliorem oſtendunt: nimirum externam. pariter ac intellectualem, ipſius pulchritudinem, juxta ac eiuſdem ſuauitatem, quæ veteres olim varijs ſuis emblematibus repræſentarunt. Ipſamet imprimis facies Ciuitatis ad normam Architectonicæ extructæ, vitæ ciuilis neceſſitudinem, tanquam rem ſua innata ſpecie prælucentem, valde commendat.

Auguſtin. l. de pulcro cap. 1.

Si enim in vniuerſum, vt notat S. *Auguſtinus*, pulchritudo concinna quadam partium cum colore, tum poſitura, efferatur, profectò cum ciuiū officia quodam ordine apte inter ſe diſponantur, pariter forma virtutis, veluti coloris tēperamento, decorentur, vita Ciuilis ex eis cōſtituta, ad idæam ciuitatis pulcherrima comparebit. Ipſe porro cæli, cui vnus Deus præeſt, vultus, tranſlatus quoque fuit ad Reipublicę venuſtatē ſignificandū: & quidē propter ordinis ſingularē diſpoſitionem, ſtellarum iſte aſpectabilis in eo conuentus, in ſacris literis dicitur militia cæli.

Iſa. 24. Gregor. l. 4. Epiſt. 96 Caſæus Sphera Poll.

Similitudinem hanc inter cælū ac rempublicā egregiè pertractat *S. Gregorius*. inde *Ioannes Caſæus*, olim Oxonii præceptor meus, appoſite libris ſuis de rebus ciuilibus tractantibus, ſpheræ politicæ nomē indidit & præfixit. Huc nympharū elegantes formę pariter adſcitæ, quę *Aphrica*, *Europa*, *Aſia*, & *America* pulcritudines adumbrarent. *Britannia* quidem ſymbolum Nympha, ad colorem oceani, cerulea clamide veſtita, rupis cacumini inſidens, ac tridentem, veluti maris, poſt *Neptunum*, Domina ac *Thetis*, manu tenens. Enimuero ſi ratione ac virtute nihil pulchrius, ciuitas profectò quæ non niſi excellentis rationis opus, nobiliſſimæque virtutis præclarū inſtrumentum, ac domicilium, ſumma pulcritudine inter reliqua omnia prælucebit. Cuius tāta vis eſt, vt etiam ad ea, quæ naturis ſuis alioquin horrida & inamæna, quamdam pulcritudinis formā ciuitas tranſmittat.

Ariſt. lib. 2. Phyſ. Text. 64. lib. 4. de generat. Animal. c. 4

Refert *Ariſtoteles*, monſtra in ciuitate huic venuſtati in ea illuſtrandæ eo inſeruire, quo integrorum corporū decora oſtentent, ac laudent, ideoque vniuerſæ ciuitati eſſe ornamento potius quam dedecori, probat. eodem modo caſtigationes ac pœnæ ipſæ, licet in ſe ipſis deformes & horrendæ, quatenus tamen a iuſtitia, bonoque communi inde aſſerto, defenſoque inſtituuntur, animi iudicio etiam pulcræ videntur, imo inſuper amabiles.

Plato dial. Ciuil. Ariſt. l. 10. Ethic.

propter quā cauſam aduertit idē *Ariſtoteles*, *Platonem* ſequutus, ipſos, qui commeritò in ciuitate pœnis excipiuntur, ſi ciuiles fuerint, magiſtratū, ac legē ipſam punientes diligere, quippe quod intelligant, caſtigationibus illatis iuſtitiam inter ciues ſeruari ac bonū publicum contra iniurias malefactorum ſtabiliri. Quo modo inter formicas pulcrum opus admiramur, non ſolum quo grana in penuariū ſtatutis tēporibus inferunt, ſed etiam dum mortuorum cadauera alueolis efferunt & exturbant. Similiter quod ad naturam, non tantū pulcritudo in fluminibus apparet, dū ſpecie criſtallina vbique puta collucent, ſed etiam quando appetente æſtate cū ſordibus ſuis colluctantia, illas excernere laborāt.

Apoc. 20. Math. 3.

At mirum non eſt, ciuitatem, ac in ea vitā ciuilem, inter pulcherrima cenſeri, quū, vt ex ſacris literis conſtat, regnum beatorū in cælo, ipſumque Dei regnum in eccleſia, Ciuitatibus comparentur.

6. Iucunditatem verò proferunt in vita ciuili amor, amicitia, & charitas inter ciues: quibus inescati, non tantū in vnam ſocietatem confluxere, vt opibus, vel ocio abundarent, ſed vt ex mutuæ neceſſitudinis iucunditate, vtrimq; honoribus exhibitis, pręſtitis auxiliis, exhilararētur. quid quæſo, in vita iucundius, quam ciues ex beneuolentia ac confidentia inter ſe negocia

vitæ ciuilis coniunctim & amanter pertractare, dum vnuſquiſque illorum in alterius excubat præſidijs & in eius bonum procurandum totus incumbit. Duo ergò ſunt in hac vita ciuili præcipui fontes iucunditatum; vnus rerum omnium parabilitas: alter adiuuandi prompta inter ciues voluntas. illo fluente, triſtes curæ, labores, ac ſolicitudines excedentes, abiguntur: iſto redundante, ſecuritas omnia ſerenat, ac placida reddit, vnoquoque Ciuium in alterius pectore aſylum tutò conſtituente. Cui ſuauitati repræſentandæ apud veteres vſui fuit lyra *Amphionis*, & *Orphei*. voluere proinde quod recolit *Plutarchus*, *Thebas*, inſonante *Amphionis* lyra, conditas: pariter lyram pulſante *Orpheo*, ſaxa montes, arbores, inſtar rudium hominum, commota, in vnum cœtum coiuiſſe; de quo memoriam ingerunt *Virgilius*, *Ouidius*, *Papinius*, *Diodor. Siculus*, *Suidas*, *Claudianus*, *Cicero*, *S. Auguſtinus*, *Boetius*, *Rodiginus*, & alij: Etenim illa doctrina, qua primo mortales incitati, ad vitam ciuilem ineundam accellere, omnino ſuauis fuit eis quaſi harmonia, quæ intellectus vim, in ipſis adhuc incultis, plurimum oblectaret. Deinde eiuſdem vitæ ſemel ſuſceptæ exercitium, dum multi ſua officia exequuntur, perinde ac quidam Muſicæ concentus editus, miruum in modum delectatione afficere ſolet. Vnde *Ciceronis* apud *S. Auguſtinum* ſententia: *Cum autem Scipio in ſecundi libri fine dixiſſet, vt in fidibus, ac tibiis, atque cantu ipſo, ac vocibus, concentus quidam eſt tenendus ex diſtinctis ſonis: quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, ipſe concentus ex diſſimillimarum rerum moderatione concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſumma, & medijs, & infimis interiectis ordinibus ut ſonis, moderata ratione Ciuitatem conſenſu diſſimillimorum morum conſiſtere: & quæ harmonia a muſicis dicitur in cantu, eam eſſe dicebat in Ciuitate concordiam, arctiſſimum atque optimum in Republica vinculum incolumitatis, eamque ſine iuſtitia nullo pacto eſſe poſſe.*

Plutar. Lib. Prim. p.

Virg. 4. Æn. Ouid. 10. Metam. Papin. lib. 3. Siluar. Diodor. l. 1. Suidas verb. Orpheus. Claudian. præfat. l. 2. cont. Ruffin. Cicero l. de Repub. Auguſtin. l. 2. de Ciu. cap. 21. Boetius l. 3. de Conſol. Met. 12. Rhodigin. l. 18. A. c. 24. Auguſtin. l. 2. de Ciu. cap. 21.

7. Porrò melleo illo apum regno, earumque in fauo liquidis delicijs, ciuilis imperij dulcedinem deſcribi pariter a veteribus percepimus: *Apes*, inquit *Macrobius*, *quodam modo debemus imitari, quæ vagantur & flores carpiunt: deinde quidquid attulere, diſponunt, ac per fauos diuidunt, & ſuccum varium in vnum ſaporem, mixtura quadam & proprietate ſpiritus ſui mutant.* Admonet pariter *S. Hieronymus*; *Monaſteriorum ordinem, ac regiam diſciplinam, in paruis diſce corporibus.*

Macrob. in Proem. Satur.

Hieron. Epiſt. ad Ruſtic.

Claudian. in 4. Conſul. Honor.

——— *Sic mollibus olim*
Stridula ductorum pratis examina Regem
Naſcentem venerantur, publica mellis
Iura petunt.

Diſtinctius verò hac ipſa ſimilitudine elegantiſſimus Poëtarum *Virgilius* munera ciuilis officij recenſet ac depingit.

Virgil. 1. Æneid.

Qualis Apes æſtate noua per florea rura
Exercet ſub ſole labor, cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus a præſepibus arcent.
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Magna autem pars ciuilis iſtius ſuauitatis oritur ex amicitia inter ciues: in quam ciuitates plurimum homines inſtituunt. quam ſuauitatē ad fælicitatem ipſam pertinere arbitratur *Ariſtoteles* contra Stoicos; quatenus nempe amicorum bonis fælix delectatur: cuius bono priuaretur, ſi cum amicis non ageret ſociatim. Quæ cum vera ſint, tum inde ſatis conſtat, quam deforme ac triſte facinus, morum ciuilitatem, noſtri generis decus, ac vtilem iucunditatem, errore perturbare, vel actionis prauitate violare: denique illud barbaricis inſtitutis demoliri, quod natura, ars, induſtria, experentia, ac diuinus fauor, ad culmen perfectionis inter homines antea euexere.

Ariſt. lib. 8. Ethic. c. 11.

8. At non eſt exiſtimandum, Boni communis aptè diſpoſiti ambitu contineri ſolum bona corporis, & fortunæ, quaſi ciuile inſtitutum mera voluptate ciuium definiretur, ſed præcipue animæ bona intellectualia, ac moralia, eodem comprehendi; adeoque vt prima loca in fauo ciuili ſuo iure occupantia, ad quæ illa, tanquam inſtrumenta, referantur: quod *Ariſtoteles* docuit egregie. Si enim diuitiæ, honores, poteſtates, ac voluptates, ſeorſim poſſiderentur à ſapientia, a iuſtitia a charitate, ac pietate, nullo modo vitam hominis quietam, lætam, aut ciuilem redderent, ſed potius perturbatam: imo inter ſe diu non cohærerent hæc bona, quinimo ſtatim concuſſa, ab inuicem dilaberentur, vt poſtea oſtendemus. quamobrem quod non in rebus ipſis externis poſſeſſis tantum conſiſtat vitæ ciuilis ratio, ſed maximè in eorum vſu, ac moderatione, conſequens, inter bona ciuilia habendam animi virtutem, vt *Plato* rectè diſſerit: qua illa congrue ad rationem adminiſtrentur: a qua ſi diuulſa fuerint, & bruto ſenſui ſolum commiſſa, barbariei, ſeditionum, nouarum rerum ſtudij, & omnis immanitatis cauſæ potius inuenientur. *Si dignitates, potentiaque, in improbiſſimum quemque ceciderint*, inquit *Boetius*, *quæ incendia, flammis Ætnæ eructantibus, quod diluuium tantas ſtrages dederit?*

Ariſt. lib. 1. Moral. c. 2. l. 2. pol. c. 5. l. 7. cap. 1.

Plato Dial. 4. de legibus

Boet. lib. 2. proſ. 6.

Heu grauem ſortem, quoties iniquus
Additur ſæuo gladius veneno;
Nulla ſub indigno virtus eſt principe tuta:
Nulla ſub inceſtu caſtis eſt gloria Rege. A quo alio malo precor, multæ reſpublicæ exitium ſuū deduxere, quam a mole externorum commodorum: ſub qua veluti ingenti onere, ciues laborantes, quod virtute deſtituti fuerint, qua illa ad honeſtatem deſtinarent, oppreſſi, tandem funeſtè corruere.

Boet. lib 2. Met 6. Senec. Agam. Mantuan. in Parthen.

9. Quemadmodum verò ſocietates Ciuiles primitus initæ fuere Boni communis cauſa, in quo, & gratia cuius, dicuntur homines viuere, ita conuenit noſſe, quænam ſint præcipuæ partes iſtius Boni communis, Ciuium curæ ac ſtudijs commiſſi. Voluere itaq; ciues conuenire in Ciuitate, *vt ſimul viuerent*. Vita autem in vniuerſum ſumpta, vt actione conſtat, ita huic viuenti ea vita actionis propria, quæ peculiari, iuxta ipſius ſpeciem, conatu ac motu perficitur. Vnde vita hominis alia

14. Vt verò cultus idoneus, cum debita poteſtatis æſtimatione, Principi a populo deferatur, ſufficit abundè, quod ab illis habeatur, propter ſupremam illam poteſtatem, à Multitudine deriuatam, expreſſa, luculentaque Dei ipſius in terris imago. Si enim vel in vnius hominis priuati poteſtate multa præclara continentur, quid exiſtimandum de poteſtate illa, quæ a tota republica dimanauit? Illa autem alia poteſtas, ſeu potius diuinitas, ad quam efficiendam nulla virtus infra Deum pertingere valeat, de qua recentes politici commentantur, multis nominibus inciuilis, tam principibus ipſis, quam eorum ſubditis peſtifera. Imprimis pleniſſimè comparata ad inflammandos animos Principum extrema arrogantia, dum eam ſecum penſitantes, exiſtimant, ſe vltra humanam ſortem euectos; ciues autem ſuos tanquam meros homines, longiſſimè infra ſe abiectos, ſordeſcere. Cui arrogantiæ in Principe neceſſario occurret à populo ardens indignatio, vt rectè *Ariſtoteles* definiuit. Deinde Principes diuinitatis ſuæ opinione turgidi, parum habebunt virtutis præſtantiam: præſertim quibuſdam appendicibus rerum contemptibilium plerũque obſcuratam, adeoque deformatam: cum tamen hæc virtus præcipuum ſit noſtri generis, illorumque Principum, decus & ornamentum. *Plato* Athenienſibus in perſona *Socratis* hoſce ſermones attribuit: *Nos autem noſtraque vna ex matre omnes, fratres inuicem geniti, haud arbitramur nos Dominos ac ſeruos eſſe: ſed generationis æqualitas, nos inducit, vt & legis quæramus æqualitatem, neque rei prorſus vlli, niſi opinioni virtutis & prudẽtiæ cedamus.* Hanc porro in Principe diuinitatis affectationem veriſſimè *Plutarchus*, vt in Deum impiam, ita & in rempublicam inciuilem, redarguit. Animaduertit etiam, apud Romanos, eam appetentes Imperatores, exiguo tempore vixiſſe: vindicante Deo hanc in ipſis profanam ac Gygantæam immanitatem. *Offenditur enim Deus,* inquit, *in eos, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur, delectatur autem eis, qui ſuam æmulantes virtutem, ſeſe in honeſtate reddunt ſimiles. atque hos in maius prouehit, impertiens ſuam æquitatem, iuſtitiam, veritatem, ac manſuetudinem.*

Plato in Menech.

Plutarch. in marcell.

Plutarch. l. de Princip. Doct. in Ariſt.

Iuuenal. l. 4. Satyr. 10.

Virgil. Æneid. 6.

Vidi & crudeles dantem Salmonia pœnas,
Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi.

Eminuero Principes, qui eò vſque ſuis phantaſmatibus elati, deſperant prorſus, ſe honores, aut incolumitates, aſſequuturos, veris ſolidiſque ſuis virtutibus, inde ad diuinitatem quandam adſpirant, qua tuti ac glorioſi inter mortales, turpiter licet delicientur, conſiſtant. Neque ſatis habent, quod *Dionyſius halicarnaſſeus* recoluit, ad conciliandum ſibi auctoritatem inſtar *Numæ* cum Dea *Egeria* ſermones miſcere, ad exemplar *Minois*, Iouẽ familiariter adire, vel ad imitationem *Lycurgi Apollinem* conſulere, ſed omnino pro dijs haberi, ac celebrari a ſuis diſcupiunt. Quamobrem *Plutarchus* eos Principes apposite comparat ingentibus coloſſis, breui ex vaſtitate molis lapſuris, qui relicta virtute, *Grauitate vocis, toruitate vultus, ac morum truculentia, fugaque conſuetudinis humanæ, maieſtatem & auctoritatem imperij ſibi videntur imitari. qui cum foris heroicam ac diuinam quandam ſpeciem præ ſe ferunt, intus pleni ſunt ferro, lapide, plumbo: niſi quod illud Coloſſorum pondus rectitudinem illorum ſtabilem & immotam ſeruat: at inerudıti Principes, propterea quod intus malè librati ſunt, ſæpenumero vacillant ac ſubuertuntur.*

Dionyſ. l. 2. Antiq. pag. 122.

Plutarch. l. de Doctor. Princip.

15. Ceterum ad cohibendum populos a defectione, aut rebellione, non erit opus de hac conficta ſublimitate, aut diuinitate quicquam comminiſci: Nam illa ipſa Principis auctoritas, quæ a populo datur, non ſolum eſt impreſſio quædam a Deo, ſed & eiuſmet gladius, vt ait *Apoſtolus*: proinde reſpectantes in principem ea imbutum ciues, videbunt, ſe iure diuino impeditos & cohibitos a proditionibus, coniurationibuſque. Cui accedit ipſis perſpectum ius naturale, quo omnino ad parendum obligantur. quod ſi neutrius iſtorum iurium agmen ſatis potens, quæ reluctantes ſubditos in officio contineat, quid demum reliqui, quod hoc ipſum fortius efficiat? Duo in Principe, vim præcipuam continentia ad imperandum: ipſum nempe ius, quo in eo gradu & ſtatu is collocatur: iuxta ac in eodem digna virtus, qua Ciuibus amabilis redditur. non ergò quaſi hæc in illo defeciſſent, illi recurrendum ad illam deſpotici, aut diuini Dominij amplitudinem: ne hinc detur occaſio ſuſpicandi, ad illorum interitum, nouum hoc præſidium immenſæ auctoritatis, artificioſe comparatũ, deforis acceſſiſſe.

Rom. 13.

16. Iſtis ciuilis officij partes, origineſque ſuccinctè deſcripſimus: quibus conſtat, Ciuilitatẽ, multitudinis alicuius ordinatè aſſociatæ functionem eſſe, ac progreſſum. An autem omnea ciuilis viri actiones, vel quæ reipublicæ in vniuerſum vtiles, ad alium, hoc eſt ad ipſammet multitudinem, vel ad aliquem ex multitudine, proximè & immediatè perpetuo referãtur, ſtatim inquirendum.

CAPVT. IIII.

De Functionibus Monaſticis, ac Ciuilibus, in Ciue deſiderandis.

ACtiones *Monaſticæ* illæ nuncupãtur, quæ vnius hominis, ſolitariè ſumpti ſtudia, quæq; in operantis duntaxat perfectionem deſtinantur, ſiue mente, ſiue voluntate, ſiue vtriſque ſimul abſolutæ fuerint: vnde & monaſticæ a Philoſophis appellari conſueuerunt. Ex iſtis, rerum ſcientia, tam ſpeculatiua quam practica mens imbuitur, affectus itidem & animi perturbationes ad normam rationis rectè pariter componuntur: de quibus agit. *S. Thomas*: denique illa omnia peraguntur, quæ alterum non reſpicientia, ſolo bono intellectuali, aut morali, ſtudioſè viuentis ipſius definiuntur. Ac præter contemplationem, rerum humanarum, iuxta ac diuinarum, cognitionem complectentem, inter virtutes actiuas ordinis *Monaſtici* recenſeri ſolent temperantia cum ſuis partibus, ſobrietate, abſtinentia, caſtitate,

S. Thom 2. 2. q. 180 art 3. q. 47 art. 14.

virgini-

virginitate, quæ ad inſtitutionem partis concupiſcibilis pertinent: fortitudo etiam, patientia, humilitas, ſpes, perſeuerantia, quæ affectus iraſcibiles moderantur. Ac inter reliquas virtutes, ad hoc genus reuocantur Amor Dei, & pietas in ipſum: nam tametſi publico ritu proteſtatæ hæ virtutes, conſilia ſint virtutum *Ciuilium*, nihilominus tantum ſecreto animæ munere defunctæ, virtutes *monaſticæ* nominari poſſunt. Et quidem charitatem erga Deum, atque hominem, quæ culmen vitæ monaſticæ, ad vitam contemplatiuam ſpectare, affirmant *S. Gregorius*, & *S. Thomas*.

S. Thom. 2. 2. q. 180. art. 5. Gregor. Homil. 14. in Ezech.

2. *Ciuiles* autem actiones vocantur illæ, quæ externo opere, iuxta vniuſcuiuſque ſtatum in republica circa bonum alterius, ſiue priuatæ perſonæ, ſiue totius multitudinis, occupantur: denique ſummatim, vniuerſa cum alijs laudabilis conuerſationis officia. quæ omnia ad iuſtitiam diſtributiuam, aut Commutatiuam, vel ad eius ſpecies *poteſtatiuas*, vtpote ad relligionem, ad amicitiam, ad magnificentiam, ad gratitudinem, ad vrbanitatem, ad pietatem in patriam, reducuntur. Iſtis ritè diſpoſitis ciuibus, ſuperiores omnes, ſiue quo ad ſpeculatiua, vt Doctores, ſiue quo ad practica, vt magiſtratus, Principes, & patresfamilias, ac viciſſim cum illis eorum inferiores, earum vi legittimè, ac Ciuiliter vitæ negotia perficiunt, & ciuiliter ſeſe in cunctis gerunt. Quarum virtutum ſemina, licet hominibus ſint à Natura inſita, non tamen ad eas eandem indolem ſingulis ineſſe experimur: ſunt enim aliqui ad virtutes *Monaſticas* aptiſſimi, qui ad Ciuiles inepti: alij ad *Ciuiles* quaſi a natura facti, qui minimè idonei ad *monaſticas*. quod ſi in utriſque excellentia Dei munere alicui acciderit, is pro heroe quodam inter ciues meritò haberi poterit. etenim earum conſilia pene oppoſita; ſcilicet ſibi ipſi attendere, & de alijs ſolicitum eſſe, ad ſe eſſe reſtrictum, atque ad multos pariter effuſum, minorem mundum excolere, maiorem interim condere, & bene inſtituere; volatilem quaſi eſſe, & certo loco affixum: Denique Ciuem, ac Monachum, hominem, & Angelum reperiri. *Omnis vita*, inquit *Ariſtoteles*, nempe ciuilis, *ſpontaneaque hominum conuerſatiobus conſtat, quæ cum familiaribus, aut cognatis, aut alijs nobiſcum degentibus, vel liberis, vel parentibus, vel vxore tranſigitur.*

Ariſt. l. 7. ad ad Eudem. cap. 2.

3. Diuiduntur porrò virtutes iſtæ actiuæ, ſeu ciuiles, in *Gymnaſticas*, ac *Muſicas*, vt *Plato* doctè animaduertit. *Gymnaſtica* non ſolum eas ſignificant, quæ pugilum, quæ militum, ac palæſtritarum propriæ, verum etiam honeſtas, & ſerias in vniuerſum Ciuium occupationes externas complectuntur: vtpote quæ magiſtratuum ſunt in regendo, ſubditorum in obediendo, Doctorum in docendo, Artificū in operando, Ruſticorum in terram colendo, militū in pugnando, mercatorum in mercimonias exercendo, Patrumfamilias in adminiſtrando œconomiam. quod ſi contingat, aliquam virtutem ex iſtis Gymnaſticè ciuilibus, verſari circa moderationem alicuius perturbationis, ſimulque circa bonum alterius, ea tantummodo parte ciuilis Gymnaſtica habenda, qua bonum alterius reſpicit ac procurat. hoc modo fortitudo, quatenus timorem ad mediocritatē reducit, virtus eſt monaſtica: quatenus autem ſpecies quædam pietatis, aut iuſtitiæ poteſtatiuæ, quæ reipublicæ, aut innocentis bonum tuetur, virtus cenſenda Gymnaſticè ciuilis. Virtutes ſeu functiones muſicè ciuiles, pariter circa externum bonum, ſiue alicuius conſortij, ſiue particularis perſonę, verſantur: quo pacto ciuiles ſunt, & à Monaſticis diſcrepantes: addunt verò ciuilibus iucunditatem quandam, tanquam vitæ cōdimentum, neceſſariam pariter animorū, corporumq; a magis ponderoſis & operoſis functionibus, hoc eſt Gymnaſticis, relaxationem, vt *S. Leo, & Caſſianus*, obſeruant. quæ quod occupētur ſiue in audienda harmonia, poëtica, vel oratoria recitatione percipienda, in celebrandis relligionum feſtis, in præſtandis, aut aſpiciendis ludis, ad ſimilitudinem muſicæ compoſitis, oblectantibus, ac recreantibus, muſicæ vulgò & abſolutè vi analogiæ nominantur. quarū vſus, effectus & commoda ita *Plato* recenſet: *Gymnaſtica ipſa iraſcendi partem corroborat, & fortitudinem inſtruit: muſica eam ipſam & diſciplina capacem, & rationi obſequentem facit*: quod *Auerroes* in ſua Paraphraſi rectè explicauit. Etenim dum Ciues in exequendis profeſſis ſuis muneribus diſtrictius verſantur, accenduntur vehementer in ipſis animi, vt in eis excellant, & vt omnes difficultates ſuperent, quæ intentis ab ipſis finibus obſtare ab ipſis iudicentur. quamobrem ne in eiſdem ratio, & vires perpetuo intentæ ex *Gymnaſticis*, deficerent aliquando, *Muſica* ſtudia illis in ciuitate ſuccurrunt, quæ dulci quodam veluti pabulo eos reficiant, ac idoneos reddāt, qui inde reparati, diſciplinas alacrius addiſcant, rationi omnem truculētiam facilius ſubijciant: ſine quibus, ex meris Gymnaſticis, aut hebeſcerent tandem, aut nimium ferocirent.

Plato dial. 5. de legib.

Leo ſerm. 2. de Reſur. Caſſian. Collat. 26.

Plato dial. 3. de Repu. Auer. in paraph.

4. Modus itaque ciuilis vitæ ſic efformandus, vt ex his omnibus munerū ſpeciebus, *Monaſticis*, videlicet, *Gymnaſticis*, atque *Muſicis*, fiat quidam contextus, & ordinata viciſſitudo, nec vnius ſolum occupatio ſeorſim pro tota vita a ciue eligatur. Nam ſi in *Monaſticis* tantum ſtudiū omne ab ipſo collocetur, priuabitur inde, qui id fecerit, aptitudine & facultate Ciuiliter cum alijs viuendi, ac illis benefaciendi. Sin autem relictis omnino *Monaſticis*, ad ciuilia mera quis tranſiuerit, non multum in eis proficiet, neque diu in honeſtate talis inſtituti perſeuerabit: eò quod naturæ ordine prius, quempiam rectè componi quo ad ſe, quod fit per ſtudia *Monaſtica*, quam quo ad alios, quod per Ciuilia efficitur: pari modo, quantum ad ipſa ciuilia *Gymnaſtica* & *Muſica*, ſunt ea miſcenda: nam ſine muſicis, Gymnaſtica acrimoniam quandam in mores inferrent: & abſque Gymnaſticis, Muſica leuitatem & ineptiam ex nimia dulcedine in eoſdem inducerent. quod ergò vtraque certis vicibus intertextis vſurpanda, iſtis egregie, licet paucis, oſtendit *Plato*. *Oportet vnumquemque, eſſe animoſum, ac Mitem.* Quibus verbis ſignificat, præclaros

Cicer. l. 1. de off.

Plato dial. 5. de legib.

quo ad ciuilitatem eſſe nobiles; ſanguinis enim & indolis ratione, ſi reuera tales fuerint, animoſi exiſtunt ad fortia præſtanda, ad ducatum aliis in bello præbendum, ad defendēdū iniuſtè oppreſſos: iuxta ac mites inueniuntur, faciles nempe & dulces in conuerſatione. qui verò animoſus, pariter & mitis, is palmam planè obtinuit ciuilitatis.

——— *Hoc Reges habent*
Senec. in Med. *Magnificum, & ingens, nulla quod rapiet dies,*
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere.

Greg. Naz. orat. 1. de Theol. *S. Gregorius* Nazianſenus animæ & corporis in homine conuexionem ſua contemplatione intuens, earumque partium varia ingenia & operationes expendens, hominem appellauit mixtum animal, & mixtum Dei adoratorem. pari modo conſiderantes optimi Ciuis munera, eum nuncupare poſſumus mixtum operatorem: quo tam naturalis fabricæ in eo variam rationem, quam & officij multiplicem conditionem, ad ſummam nobilitatem, ac magnitudinem, perueniſſe, rectè iudicare poterimus. Luſit idcirco quodammodo Deus in hominis inſtitutione, rerum diſcrimina in ipſo ad quoddam compendium & conſenſionem reducens: in quo, naturam, ſimul ac Philoſophiam moralem, in differentes partes diſcretas, recollectas tamen & in vnam quaſi ſummam voluit eſſe ſubductas.

5. Ad Ciuilem idcirco virum maximè ſpectabunt actionum *Monaſticarum* cura, & exercitium: In quem finem conueniet, ſingulos, licet negotioſiſſimos, aliquam ſue ædis partem conſtitutam habere, adeoque excultam, quæ ſui ſpecie remota & pulcra, inuitet ad eius ſolitudinem: in qua ſeriò de monaſticis conſilijs ciues deliberent, & ex eorum inſtitutis, animi doment paſſiones, illumque præſtantiſſimis cogitationibus informent. a quo ſtudio neque paterfamilias, neque Artifex, neque mercator, neque magiſtratus, eximitur: nam in eis omnibus vel natura ipſa ſolitudinis cupiditatem, ac quid monaſticum, inſeuit; quos proinde ſolos, iuxta ac ſocios, eſſe voluit. Errant itaque plerique Ciuilem vitam profeſſi, qui in ædibus ſuis nihil præter menſas & cubilia ſpectant; proinde ſtatim ac a ſomno excitati, atque vtcumque raptim deinde veſtiti, illicò egrediuntur, abhorrentes domeſticam ſolitudinem, totos dies ruſticantur, vagantur, diſcurrunt, venantur, piſcantur, aut actionis forenſis perpetuo curſu diſtinentur. Neque ſolum, quod multoties ipſe cum admiratione deprehendi, huiuſmodi cubicula ſua relinquunt, ſed vt inuiſa ergaſtula, & ad quæ redire numquam illis animus, niſi ſomnus ad id coegerit, ſordibus contaminari, ac confuſa ſupellectili deformari, patiuntur.

6. Hæc autem perpetua curſitatio, & in publico aſſidua conuerſatio, grauitati, ſimulque Maieſtati vitæ ciuilis, penitus aduerſantur. quis alius in continuo motu, niſi leuis? & quis ſemper in aliorum oculis, niſi contemp-
Seneca l. de Tran. c. 15. tibilis? *Miſcenda iſta,* inquit *Seneca, & alternanda ſunt, ſolitudo, & frequentia. Illa nobis faciet* de Beat. vita q. 12.
hominum deſiderium, hæc noſtri; & erit altera alterius remedium. Odium turbæ ſanabit ſolitudo, tædium ſolitudinis turba. Nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad iocos reuocanda: Cum porrò virtutes monaſticæ comparatæ fuerint, eædem Ciuiles ornabunt poſtea, ac ſuſtentabunt; ſine quibus, vt flamma exhauſto oleo, citò, deficient. *Nuſquam eſt*, vt ait Senec. Epiſt. 2.
idem *Seneca, qui vbique eſt.* Nempe is nihil accuratè, & ad ſolidum proſequitur, qui vbique volans, leuiter non tam pertractat, quam pertranſit negocia: qui in ſecreto apud ſe rationes rerum non expenderit priuſquam eas exequuturus acceſſerit. *Sic vtroſque reprehendas, &* Senec. Epiſt. 3.
eos, qui ſemper inquieti ſunt, & eos, qui ſemper Baſil. Reſp. ad Inter
quieſcunt. Nam illa tumultu gaudens, non eſt induſtria, ſed exagitata mentis concurſatio: & hæc 8. in Regul.
non eſt quies, quæ motum omnem, moleſtiam indicat, ſed diſſolutio & languor. Duo verò præcipuè commoda diſciplinis monaſticis comparantur, vt notat *S. Baſilius*, quæ etiam vitæ ciuilis fundamenta, vt ſuo loco oſtendetur: Amor nempe Dei, & affectionum mortificatio. *Ibi mirrha perfectæ mortificationis, non ſolum carnis, ſed quod glorioſius eſt, propriæ voluntatis, exundat; & thus aſſiduæ orationis indeſinenter emanat, & igne diuini amoris ſuauiter ardet.* Et alibi loquens de compreſſione affectuum, ſic ſcribit: *Ad id autem aſſequendum ſolitudo grande operæ pretium affert, vtpote quæ perturbationes animi conſopire ſolita ſit, ſpaciumque deinde indulgère vi ratiocinationis ipſos ſtirpitus ex anima elidendi. Eſto igitur locus aliquis huiuſmodi, qualis hic noſter, ita ab hominum congreſſu liber, vt a nullo extraneorum irrumpente aſſidua interpelletur meditatio.* Cauendum autem viro, Ciuilis vitæ principium deſumenti a monaſticis, ne ſerpentis inſtar in paradiſum penetrantis, ſuperbia ipſum a reliquis ſecluſum adoriatur, ſuique opinione non tam moderatum, quam inflatum in turbam ſubinde veluti tempeſtate adigente extrudat. Baſil. de laud. Eremi.

7 Certè vel naturæ ordine ſpectato, vt diximus, prius, rectè formari quempiam in ordine ad ſe, quam in ordine ad alios: propter quā cauſam *Ariſtoteles* cōgruēter Ethica primò deſcripſit deinde Politica. ſunt idcirco virtutes monaſticæ, tam intellectuales quam morales, Ciuilibus priores. Atque in præclarioribus, cum naturæ, tum etiam artis, operibus videmus, quædam eſſe in alto & ſecreto recōdita, quibus, quę eminent, innituntur: Sic montes, ſic arbores, ſic pallatia, ex inuiſis fundamentis, & abſtruſis radicibus in altum conſurgunt, robuſtius eis innixa confirmantur. pari modo, vt vir ciuilis ad culmen auctoritatis ſeſe attollendo perſuadat, iuxta ac ſtabilius roboretur, in monaſticis inſtitutis ante omnia, ſua ſtudia diligenter collocare debet. Etenim ſi quis ad Dei amorem frigens, ſi perturbationum æſtu huc illucque indecore raptatus, ſi ignorantia obtenebratus, ſi huius præſentis vitæ bona maiora quam ſint ex errore putans, ſe in turbam immittere voluerit alijs legem agendi impoſiturus, dubio procul, non ſolum in caſſum conabitur, verum inſuper ab omni gloria & fælicitate ciuili turpiter & cum dedecore excidet. Illa

autem

autem præſidia, quibus talis deſtituitur, per diſciplinas monaſticas optimè comparantur. Enimvero ſicut periculoſum, quempiam, in veſtibus ignem habentem, in horreum, aut locum in quo ſtipulæ aridæ ſeruantur, ingredi, ita ei, in quo perturbationes flagrant, intempeſtiuum, ſe in fori negocia ingerere, cum diſcrimen inde fuerit conflagrationis priuatæ & publicæ, erumpentibus illis flammis perturbationum, easq; ibi excitantibus innumeris actionũ occaſionibus. opus itaque eſt, vt ciuilia tractaturus ante monaſticis inſtitutis affectuum motus in ſe rectè cõponat, & veluti antidotũ in ſecreto bibat, quod poſtea in publico vitam contra omnes venenatos occurſus defendat. quod perinde erit, ac ſi quis arma a Diuino aliquo *Vulcano* fabrefacta cum *Aenea* primò induat, ac deinde dimicaturus in hoſtem, animoſè prodeat. *Quamdiu animus*, inquit *Laurentius Iuſtinianus*, *immixtus eſt turbis, & in multitudine fluctuantium volutatus, nec vacat ſoli Deo, nec ſegregatus eſt a vulgo.* Conſilium hoc præſignaſſe viſus Deus, dum legem ſuam, quæ vitam ciuilem continebat, in eremo daret; inſinuans, initium ſumendum a ſui ſubductione a turbis, & quaſi a ſolitudine. Similiter Chriſtus Dominus ex eremo venit defuncturus munere Doctoris. mox admonuit ſuos, vt in cubicula ſua intrarent, ac eis clauſis, Deum orarent. *Cubicula tunc ingredimur* ait *S. Gregorius*, *cum ſecreta mentis intramus: oſtia autem claudimus, cum deſideria illicita coercemus. Ducam eam*, inquit Dominus, *in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.*

Virgil. Æneid. 8.
Laur. Inſtin. l. de ligno vitæ Tract. de orat.
Exod. 20.
Matth. 4.
Matth. 6.
Greg lib. 4. Moral. c. 24.
Oleæ 2.

8. Verum quidem eſt, quod docet S. *Thomas* ex Sancto *Gregorio*, eos aptiores vitæ actiuæ ſeu Ciuili, qui propter Spiritus magnitudinem, quoſdam cum ad cogitandum, tum ad agendum motus habent maiores. impetus tamen iſte neque nimius, neque præceps eſſe debet: ne non tam ex iudicio, quam ex quodam turbine ciuiles actiones inde perficiãtur. quo ergo loco in naui ſuburra, eodem in vita ciuili diſciplina monaſtica: nam vt nauis abſque grauitate ſaburræ fluitando facilè a quouis fluctu ſubuerteretur, ita abſque monaſticis inſtitutis profeſſa vita Ciuilis, paſſim iactata violaretur. Quid enim abſurdius, quam dum in quopiam libidines, iræ excandeſcunt, furunt, mens in tenebris verſatur, illum in actiones fori, tribunalis, aulę prorumpere, in infinita incommoda inpacturum? prius ergò monaſticis ſtudijs animus illuſtrandus, affectioneſque inde componendæ. *Hinc* tot lapſus, tot dedecora in vita ciuili propagantur, quod incuria monaſticæ diſciplinæ, ad ciuilia imparatos temere tranſmittat. Certe *Alexander & Scipio*, ſi non prius ardores ſuos priuatim & monaſtice rationi ſubiecisſent, ea laude caſtitatis, qua etiam armati, & in acie, claruerunt, celebres haud extitiſſent. Proinde dum in mores alicuius inquirere ſoleo, de eius aptitudine iudicium laturus ad Vitæ ciuilia negocia pertractanda, interrogo, num totus ſit pragmaticus, vel potius ſtatutis temporibus monaſticus: hoc eſt, num in horreum prius colligat, quæ poſtea per agros ſpargat: num illud altius imbibat, quod alijs ſubinde propinat: num ad cõtemplationes monaſticas rectè obeundas aliquam ędis partem, muſæolum aliquod adaptauerit, inſtruxeritue. quod ſi hac in re deficientem inuenero, ſtatim apud me definio, abſolute talem non eſſe ciuilem, quantumuis aſtutus, quantumuis impetuoſus, vulgi calculis palam renũcietur. Fuerit omnino, vt vir ciuilis tam ſui condicionem, quam vires externarum rerum perſpectas habeat, vt ſine damno ſuo ſocietatem ſubinde ineat. in vnoquoque; enim vigent igniculi prauarum cupiditatum, qui plane geſtiunt vt in flammas erumpant malarum actionum. viciſſim earumdem illicia vbique exponuntur, quæ caſtcõtinoo prouocẽt & accẽdant. Artis idcirco monaſticæ vſus ciuili verò inſeruit, vt progreſſus in publicum, vt a variis illecebris & incentiuis quodammodo tactus, minimè ab eis violetur aut multum commoueatur: & vt ipſe, veluti vitrum, ad alia vitra alliſus, haud tamen frangatur, venenis a ſenſibus hauſtis, animæ incolumitas ab eodem retineatur.

S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 4 ad 3 Grego. l. 6 Moral. cap. 26.
Curt. in vita Alex. Plutarch. in Scipion.

9. Veteres, vt alibi etiam dicam, nomine vitæ ciuilis, cunctas planè virtutes ſunt complexi, adeo vt apud eos idem ſonuerit vir ciuilis, quod ſanctus, pleniſſimeque omni virtutum genere excultus. Non ergò ab eius officio monaſticæ diſciplinæ excludendæ, loca ſecreta non ſunt amouenda, non contemplationes arcendæ, ſed vt ciuilia rectè a quopiam pertractentur, ſiue Gymnaſtica, ſiue Muſica fuerint, ſui ſubductio omnino adhibenda. ſic enim apud nos animis conſtituendum, vt reputemus omnium virtutum robora parari in hac ſui a forenſibus auocatione; quorum defectu fit, quod in actionibus externis paſſim ſuperemur, ac vincamur ab infeſtis, ac rebus virtuti contrariis. Rectè affirmat *Seneca*, impotentis eſſe hominis, abſque ſuperbiæ, aut luxuriæ conquinamentis non poſſe quempiam, ciuilem vitam agentem, honeſtè ſuſtinere pondus, aut ſplendores diuitiarum; non poſſe debellare vitiorum incentiua, quæ in forenſi occupatione occurrunt. Cæterum, vt virium comparato acceſſu vir Ciuilis hanc a ſe abigat impotentiam, atque ambidexter tandem euadat quo ad vtramque fortunam, vt loquitur *Caſſianus*, opus omnino, ſe in monaſticis exerceat, vt ſolitarie cum Deo, Sanctis, adeoque ratione ipſa, omnia negocia priuatim pertractans, ſpiritus hauriat, quibus fretus, in medijs etiam ciuilis curſus offendiculis, virtutem illæſam, ac perpetuo vernantem ſeruet. vt verò hoc liquidius adhuc conſtet de vtilitate vitæ ſolitariæ, vel quò ad ciuilia, pauca diſſerenda.

Senec. Epiſt. 2.
Caſſianus Collat. 6. cap. 10.

CAPVT. V.

Quanam in parte Ciuilitatis habenda vita ſolitaria ſeu purè Monaſtica.

IN vniuerſum liquet, vitæ humanæ genera in bonum quoddam tendere, ac proinde ex diuerſa Boni ratione, aliã ac aliã ſpeciem ſui ſortiri. *Ea ſcientia politica*, in-

S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 11.

quit *S. Thomas, quæ ordinatur ad bonū commune ciuitatatis: Et Oeconomica, quæ de his eſt, quæ pertinēt ad bonum commune domus, vel familiæ: & Monaſtica, quæ eſt de his quæ pertinent ad bonum vnius perſonæ.* Quæri idcirco poterit, num *monaſtica* diſciplina tametſi abſolutè ciuilis non habeatur, opem tamen aliquam ferat Ciuili inſtituto, ſicut eidem oeconomica adminiculatur. Vitam autem monaſticam eam hic intelligimus, quæ vel ſtrictè *Coenobitica*, vel abſolute ſolitaria, ſiue eremitica: nam cū monachis inter ſe, tū cū aliis, magna apud nos intercedit Ciuilis vitę neceſſitudo.

Ariſt. l. 1. Pol. cap. 2.

2. *Ariſtoteles* Ciuilis vitæ profeſſores recenſens, ab eorum numero repellit ſolitudinis ſectatores, diſtractèque ab alijs degentes; quòd, vt apud ipſum canit *Homerus*, eiuſmodi *expertes ſint Tribus, iuriſque, domuſque.* verumtamen haud abſolute hoc vitæ genus vituperat, aut homine prorſus indignum cenſet; quinimo aſſerit, illud ineuntes, plerumque aut meliores eſſe hominibus, vel Dæmonibus peiores. Meliores quidem, quod externis adiumentis, legum ſcilicet, admonitionum, exemplorum, æmulationum, ſicuti cæteri mortalium, ad comparandam virtutem minime indigeant, ex ſuo tantū, ac diuino influxu, omnia abunde peragētes: peiores autē Dæmonibus, quod deſertis eis medijs ad virtutē, eorū ignorātia, infirmitas, ac malitia, in ſecreto aliquo diuortio, grauiſſimis ſæpius ſint obnoxiæ ſceleribus: quod etiam *S. Baſilius* luculenter oſtendit.

Baſil Reſp. ad Inter. 8. in Regul. fuſ. diſp.

Peccare noſter nouit in ſiluis amor.

Senec. Hypol. Senec. Epiſt. 5. Cic. lib. de amicit.

3. Et quidem antiqui Philoſophi, demptis *Stoicis*, ſolitudinem vituperarunt, potius quam vmquam laudarunt. vnde *Cicero* affirmat, ſublatum aliquem in locum ſecretum, vbi omnibus etiam bonis exciperetur, ſolum aliorum conſortio priuatum, nō degere vitam vel a ferreo aliquo expetibilem, licet ſtellarum ipſarum naturas aſſequutum, non habentem interim ſocium, cui animo deſcripta narraret. *Stoici* verò ex aduerſo hominum aſſociationi repugnarunt, ac inde Ciuilitati detraxerunt, vt *Plutarchus* recolit. hi quidem monaſticis ita indulſere (licet id ex appetitu meræ voluptatis præſtiterint) vti amicorum neceſſitudines, rerum publicarum adminiſtrationes a ſe penitus repulerint: Deū ipſum ſuperbè æmulati, ex ſuo viuere, externorū haud indigi, videri ambiuerunt. *Sapiens*, inquit *Seneca*, *tam æquo animo omnia apud alios videt, contemnit quā Iupiter, hoc ſe magis ſuſpicit, quod Iupiter uti illis non poteſt, ſapiens non vult.* Quando verò *Stoici* ſeſe hoc pacto a turbis, a magiſtratu gerendo, ad angulos aut vitam ſcholaſticam contulere, nihil præter voluptatem a moleſtia fori, ac vitæ Ciuilis quæſiuere, vt rectè *Plutarchus* deprehendit. Læſum itaque hac ex parte, neque id parum, a Stoicis, ocium ſuadentibus, vt ait *Cicero*, inſtitutum ciuile.

Plutarch. Con. ſtoic.

Senec. Epiſt. 73. 58. 59. Senec. de vita beata q. vltim.

Cicer lib. 1. off.

4. Veruntamen vt de ſolitaria vita, quod ad noſtrum attinet propoſitū, aliquid definiamus, prius in ſocietate erudiendi, adeoq́ue in eadem affectiones eorum edomandæ videntur, qui in illam ingredi apud ſe ſtatuunt: ne eas effrenes & immoderatas ſecū ferentes in ſolitudinē, vbi ad eas corrigēdas defuerint paratiſſima media in vita ſociali, inde earumdum impetus indecoros, ac plane rabidos ſuſtinere cogantur, neque tantum grauiſſimis tentationibus, ſed etiam ſceleribus horrendiſſimis inde concutiantur, contaminenturq́ue, vt probe admonet Seneca. quibus autē vitijs, tam homines, quam fœminæ, ſeorſim agentes, oportuniores ſint, ita recenſet, in hoc negocio expertiſſimus, *S. Hieronymus: Si in viris periculoſa ſit vita ſolitaria, ne abſtracti ab hominum frequentia, ſordidis & impijs cogitationibus pateant, & pleni arrogantia ac ſupercilij cunctos deſpiciant, armentque linguas ſuas, vel Clericis, vel monachis detrahentes: de quibus rectiſſimè dicitur: Filij hominum dentes eorum arma & ſagitta, & lingua eorum gladius acutus, quantò magis in fœminis, quarum mutabilis, fluctuanſque ſententia, ſi ſuo arbitrio relinquantur, cito ad deteriora delabitur?* porro hoc ipſum latiſſime proſequitur *S. Baſilius*, qui probat, eremiticam vitam ſectantes, maximis carere commodis ad virtutem, quibus abundant Ciuiliter degentes, & cum alijs in ſocietate conuiuentes. Nihilominus exiſtimandum omnino, Deum ſua ſpeciali gratia hoſce defectus ſuppleturum, quando aliquos, ſua aura inſpirante, ad eremum impulerit. proinde ſtatum hunc, omnium perfectiſſimū, ob vitam contemplatiuam, cui inſeruit, quantum ad gradum perfectionis ſic metiri debemus, vt ſemper modum virtutis in eo proprium expendamus, ac cum ſolitudine illum hominem conferamus, qui hoc genus ſectari propoſuerit. proinde ducta ratione, quæ vel ipſam naturam ſequitur, ſanctè ac ſapiēter ordinauit *Cōciliū Agathenſe*, nō eſſe admittendos ad profeſſionē eremitarū, niſi quos vita ſocialis primò diutius formauerit, probaueritq́;.

Senec. ex. 25 ad lucil.

Hieron. Epiſt. ad Demet.

Baſil. Reſp. ad Inter. 8. in Reg.

Concil. Agathen. c. 38. Caſſia. l. 1. S. Thom. in 2. l. Pol. q. 2.

5 *Ariſtoteles* varia incommoda enumerat, quæ vitam ſolitariam frequentius ſequuntur; quod & *Seneca* ſæpius fecit. ſolitudine homines exaſperari dicunt & inde feroci re. quo fortaſſis venit, vſu obſeruatum, Romæ & alibi, Philoſophos refractarios, ac rebelles extitiſſe, ac habitos plerumque, vt *Seneca* recolit: quippe quod litteris dediti, ac eò a cōſortio abalienati, tetrici euaſerint; vt enim inter volatilia, ea, inquit *Ariſtoteles*, crudeliora; vtpote aquilæ, milui, accipitres, quę ſeorſum magis verſantur, ac volant, ita pariter inter homines illi magis immites ac feri, ſi naturales ſolum cauſas ſpectemus, qui degūt in ſolitudine. meritò idcirco miraculi loco habuit *S. Athanaſius*, quod *S. Antonius* in eremo diu agens, nihilominus vultu alijs amabilis, ſermone affabilis, ipſumq́; adeuntibus ſuauis quędam perpetuo extiterit recreatio ac iucunditas. *Seneca, & Albertus* ex ſeparato illo victu generari affirmant, atram bilē, ad triſtitiam & odium ſocietatis multum conferentē. quamobrem *S. Bernardus* verè pronunciauit: *Forte vult aliquis eligere ſolitudinem, non ſatis attendens propriam infirmitatem, & periculoſam diaboli tentam. quid enim periculoſius, quam ſolum luctari contra antiqui hoſtis verſutias, a quo videatur, & quē videre non poſſit?* *Plato* vt teſtatur *Plutarchus*, ſolitudini adſcripſit pertinaciā, vtpote ei ſociā. *Verū* enim vero hæc vitia nō tā ſolitudini ipſi quā eorū ingenijs, qui importune eam colūt, attribuēda.

Ariſt. l. 1. Pol c. 2. l. 9. Ethic. c. 9. Senec. ep. 53.

Athan: in vita S. Anto.

Senec Epiſt. 5 Albert. l. de Motion. animæ c. 6. Auſon. Epiſt. 23 ad Paulin.

Bernardus ſerm. 1. de Epiphan.

Plutarch. in M. Coriola.

buēda: ex quibus oriri potuit cōmune apud nos adagiū, quo dicitur de ſolitarijs, quod ſint ſancti cholerici: nam ſolitudo aptiſſimum alioquin medium ad mentis illuſtrationem comparandum: quod *Ariſtoteles* etiam innuit, affirmando, homines, Sapientes euadere quieſcendo. mentis autem præclarior lux, vt oſtendit contemplanti Deum amabiliorem, ita aliarum rerum vanitates patefacit manifeſtius, & ipſiuſmet hæc meditantis abiectiorem condicionem luculentius proponit: ex quorum notionibus oriuntur amor Dei, & humilitas. hæc vero mitem et ſuauem animum erga alios etiam efficiunt, vt ſatis cōnſtat, idque poſtea a nobis expreſſius declarabitur. humanæ autem naturæ fragilitas, aut in aliquibus ad vitam ſolitariam ineptitudo, vulgo parium faſtus, aliorum contemptum, & moroſitates. Quamobrem quod iſtis expenſis, valde ſit difficile, quempiam die & nocte diuinis animo duntaxat intendere; quale porro ſtudium, otium vel nauſea, in ipſis plerumque interpellare ſolent, exiſtimarem, huic etiam generi vitæ apprimè conuenire omnes ſpecies ſapientię; ſeu eruditionis, quæ ociandi in ipſis cupiditatē repellant, & dulci pabulo laſſum animum perpetuo reficiant. nulla enim ſapientiæ pars, quæ quempiam dedeceat, aut illum aliquo modo ad virtutem, Deique amorem non præparet, vt poſtea docebitur. quod pronunciauerim contra nonnullos, qui cognitionē reputant ſuę pietatis & contemplationis inimicam. Si angeli fermè eſſent, admitterem quod dicunt, cum vero homines, vix, aut nullo modo.

Ariſt. 1. metap c. 2.

6 Quāobrem *Ariſtoteles* nō reputauit eremitam, Ciuem, ſed ciue hominem diuiniorem, & ad angeli ſeu ſpiritus cōdicionem quam proxime in hac vita accedentem. Etenim ille ciuis propriè nuncupatur, qui imperando, obediendoue, aliquid iure ciuili peragit, quod ad bonum ſocietatis referatur: quæ munera haud reperiuntur in Eremita, cuius princeps Deus ſolus, conciues Angeli, & ſancti, vt animaduertit *S. Hieronymus*.

Hieron. Epiſt. ad Nepot. ad Nebad

7. Cæterum ſi is generali notione cenſendus ciuis, qui rebus ciuilibus quomodolibet, legitimis ſcilicet medijs, cōmodo eſt, Solitarius profecto ciuis habendus. hinc enim imprimis ipſimet ciues eius exemplo inuitantur ad ſanctam quandam ſolitudinem ineundam, in qua cum Deo ac Cælitibus animæ & æternitatis negocia ſæpius pertractent. niſi enim hoc ſingulari eſſet ad ſapientiam ac virtutem comparandam auxilio, neutiquā illam meram aut puram ſolitudinem delegiſſent Deo ſacri eremitæ: proinde eo ſuadent, iuxta qualitatem ſtatus vniuſcuiuſque, auocationem a periculis delinquendi in populari vita, ac receſſum, in quo nobiſmetipſis exactius attendamus, diuinis vero opere acrius incumbamus. atque hoc pacto a fonte, in ipſo eremo patefacto, ducuntur ad ciues riuuli optimorum præceptorum. Docet *Doctor Angelicus*, animam in ſecreto abſtractam a turbis forenſibus, aptiorem reddi ad excipiendum ignem diuini amoris, ac cæleſtis Solis doctum illum radium admittendum: quod

S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2.

Ariſtoteles quoque expreſſit. *Experieris* inquit *Plinius* ſecundus, *non Dianam magis montibus, quam Mineruam inerrare*. vt enim terra non conſtat ſolum explicatis campis, ſed ſinuoſis quoque vallibus, ita Ciuilis vita præter fora, negociorum loca, & emporia, penetralia ſuā retinet diuorticrum, in quibus *Minerua*, & omnes Gratiæ a nobis adeundæ verſantur.

Ariſt. l. de ſenſu. lib 1. metaph Plin lib. 1. Epiſt 6

——— Me gelidum nemus,
Nympharumq; leues cum ſatyris chori
Secernunt populo.

Horat. od. libro 1.

Non alia magis eſt libera & vitio carens,
Ritusque melior vita quæ priſcos colit,
Quam quæ relictis mœnibus ſiluas amat.
Non illum amara mentis inflammat Furor,
Qui ſe dicauit montium inſontem iugis.
Non ille Regno ſeruit aut Regno inuidet,
Spei, metuſque liber: aut illum niger
Edaxque liuor dente degeneri petit.
Non ſcelera populos, inter atque vrbes ſita
Nouit, nec omnes conſcius ſtrepitus pauet.

Senec in Hypol.

8. Ego quidē multoties ad eā animi cogitationem indolui, qua mecū reputaui, a pleriſque deſertas Ciuitates, adeoq; ciuilē vitā penitus abdicatā, quod virtus & inocentia in eis frequenter periclitentur: cum tamen Ciuitates principio conditæ, vitaque ciuilis ab origine inſtituta ac profeſſa, vt inde ad virtutem, ad innocentiam hominibus commodior progreſſus daretur, & ciues ſibi mutuo eſſent incitamenta. iam verò creſcente libidine, proprietatis ſtudio omnia occupante, ambitu furente, nō ſolum prauitati naturæ in ciuitatibus aditus patentior aperitur ad perficiendū curſum in omni ſcelere, quinimo ipſamet firmamenta & ornamenta earum prępoſterè vertuntur in lenocinia, ac ipſa robora vitiorum: ingenijs, artibus, diuitijs, formis, honoribus, eis inibi opem ac decus ferentibus. vnde optimis non modo vita ciuilis paſſim ingrata, quinimo moleſta, perturbata, imo odioſa, noxiaque eſſe cæpit.

Ariſt lib. 9. Ethic. cap.

Fortunatus & ille, Deos qui nouit agreſtes,
Panaque, Siluanumque ſenem, Nymphaſque ſorores.

Virgil. lib. 2. Georgicon.

Hinc Stoici moleſtiarum in ciuili vita pertæſi, magnam eius partem à ſe abdicarunt, vt fælices eſſent araneæ, non induſtriæ apes, vel formicæ. ideoque ſapienti vix idoneum locū cōſtiruendū in ciuitate arbitrati. *Interrogo*, ait *Seneca, ad quam rempublicam ſapiens acceſſurus ſit? ad Athenienſium, in qua Socrates damnatur, Ariſtoteles ne damnaretur, fugit: in qua opprimit inuidia virtutes? Ad Carthaginienſem ergò rempublicam ſapiens accedet, in qua aſſidua ſeditio, & optimo cuique infeſta libertas ſūma, æqui ac boni vilitas, aduerſus hoſtes inhumana crudelitas, etiam aduerſus ſuos hoſtilitas?*

Plutar. de ſect. Stoic. Senec. de vit. beat. cap 31.

9. Credendum etiam, quod & *S. Chryſoſtomus* admonet, precibus ac meritis in ſolitudine degentium induci Deum ad beneficia, tam ſpiritualia, quam corporalia, ciuibus donandum. hac de cauſa *Conſtantinus magnus* preces *S. Antonii* enixè requiſiuit, vt ſcribit *S. Athanaſius*. *Theodoſius* ſenior *Ioannem Anachoretam* de belli euentu, tanquam oraculum quoddam, conſuluit: ſubinde *Scuaphile* baculum in manu tenens, & ſuperhumerali eiuſdem amictus, dum præliaretur,

Criſoſt. l. de Comparat. Monach. & Regis. Athan. in vita. Antonij. Auguſt. l. 5. Ciu. cap 20 Ruffin. l. 2. cap 32. Metaphr. die. 31. Ian. Glicas Anal part. 4.

S.Thom.2. 2.q 47 art. 11. quod ex propoſitio hic expendimus, proxime & immediatè Ciuile eſt: nempe in commercijs ciuilibus collocatum & poſitum, ac totum ad bonum aliquod commune, tanquam terminum, deſtinatum. melius verò hoc conſtabit, ſi iſtius boni communis naturam ac definitionem paucis modò diſcuſſerimus.

CAPVT VI.

Quidnam Boni communis nomine ſignificetur.

VNiuerſale ac commune, quomodocumque concipiatur, ſiue in voce, ſiue in animæ notione, ſiue in re ipſa, metaphyſicè, phyſicè, ſeu moraliter nobis obijciatur, concreta ſunt ac compoſita: ex vnitate, nempe quadam formæ, ac eiuſdem reſpectu, ſeu ordine, quo ad alia vniuerſale dicuntur, vel eis commune appellantur. quæ quidem vnitas alia, & alia in multis: ipſe quoque reſpectus, vt pote vniuocus, vel analogicus, planè diuerſus, iuxta naturam rei, quæ vniuerſalis, vel communis nuncupatur. Niſi enim vniuerſale vel commune quid in ſe vnum eſſet, neque definiri a nobis poſſet, neque plura in eo ordinatè conſpirare: ſiue hæc vnitas conſtet vna ſpecie, vna exiſtentia, ſiue plurium ad vnum coordinatione. ſimiliter quod huic vnitati accedere debeat relatio ad alia extrinſeca, liquet omnino: quandoquidem vniuerſalia, ac communia, inferiorum, & aliorum, ſunt vniuerſalia & communia.

2 Certum verò eſt, bonum hoc commune, de quo inquirimus, morale quid eſſe, non Phyſicū, aut Metaphyſicum: proinde ad huius rationē, non conſtitui, vel abſtrahi, aliquam vnam formam à ſingularibus bonis particularium ciuiū auulſam, ab eis realiter, formaliter, aut virtualiter diſtinctam, conſtat: quod genus vniuerſalis etiā in Metaphyſicis egregiè conuellunt Nominales, ideo hoc genus vniuerſalis nihil aliud in ſe continet, quam vel ipſamet particularia bona Ciuium ad inuicem collata, ac coordinata, vel bonū aliquod participatione quadā ad ea relatū. Duplici itaque modo in ciuitate reperitur bonū commune: primo, quatenus illud dicitur bonū commune, quod ad multos ciues geometrice pertinet, ac eſt cauſa priuatorum commodorum in ipſis; licet in ſe ſpectatum ſit quid vnū & ſingulare: quomodo Princeps ipſe, ærarium publicum, lex, appellantur bona communia, quandoquidem ab eis quam plurima bona ad ſingulos ciues deducantur; & in quibus omnes ſuas obtinent partes. altero modo bonū commune cenſetur ipſamet coalitio bonorum particularium in ciuibus, quatenus ordine quodā inter ſe ita diſponuntur, vt vnū quid, harmonicè coaleſcentia, conſtituant, ſimulque mutuò ſint bona, vniuſcuiuſq; bono redundāte in vtilitatem alterius. In quo Bono communi duo conſpicua: plurimorum bonorum numerus, & eorum ſeries aptè collocata ad mutuā vnius in

Auguſtin. l. 2.de Ciu. cap 21. aliud deriuationem. quamobrem *S. Auguſtinus* Rempublicam appellat Bonū ipſius populi, ſeu plura bona populi, *Ariſtoteles* quoq; admonet, in ciuitate res, ad aliquorum priuatorum dominia ſpectantes, quo ad vſū tamen debere eſſe communes: hoc eſt impetiendas in commoda & bona aliorum. *Singulorum enim facultates*, vt ait *Cicero, diuitiæ ſunt Ciuitatis*. quod ſi in principe, vel ciue, reperiantur bona, ſiue animæ ſiue corporis, ſiue fortunæ, quæ ulterius ad hoc bonum minime referuntur, bona ſunt *Monaſtica*, haud *Ciuilia*: ſcilicet bona priuatarum perſonarū, nō ciuium, ſub hac ipſa dico formalitate. *Conſtat igitur*, inquit *Ariſtoteles*, *quod quæcumq; Reſpublicæ ad communem vtilitatem intendunt, hæ certe rectæ ſunt ſecundum ſimpliciter iuſtū. quæcumque verò ad propriam eorum qui præſunt, vtilitatem ſolum, aberrant quidem: ſuntque omnes rectarum rerumpublicarum tranſgreſſiones & labes: gubernantur enim quaſi a Dominis. Ciuitas autem eſt liberorum ſocietas.* Neque ſolum nomine boni communis intelliguntur certo ordine ciuium diſpoſita bona, quæ modo exiſtunt, verum inſuper, in quantū ſucceſſione poſteritatis durabilia, iuxta ac incrementi per honeſtas rationes capacia. — Cicer. lib 2. off — Ariſt lib 3. pol.cap.4.

3 Quod ad illud primum in Bono communi ſpectabile, attinet, ſcilicet vnitatē, animaduertēdum, hanc non oriri niſi ex ordinata ſingulorū bonorum in ipſo digeſtione: vbi enim hæc non interuenit, ibi multitudo in diſcretum quemdā numerum, aut confuſionem potius, deſinit: vt ergò plura in vnū coaleſcant, opus eſt, ea inter ſe cohærere, licet genere diſſimilia, vt ait *Ariſtoteles*, ac ordinis quodā filo componi. Nā in diuerſis Ciuitatibus varia quidē reperiuntur bona, nullo tamen modo vnū conſtituentia, quādoquidē ordinis inter ſe vnitate minimè copulentur, ſed potius diuerſitatis ſeparatione diſcriminentur. Ordo autem & vnitas in hoc Bono communi attendēda penes ordinē & vnitatem harmonicā in ipſis ciuibus: ita vt bona ipſa ſic inter ſe quod ad hoc conſeruantur, ſicut & ciues, iuxta ſtatus vnicuiq; proprios, per ſua loca aptè diſponuntur. a quibus harmonicè collocatis dimanat ſitus & modus quidā harmonicus ad ipſa eorum bona: quatenus nempe Bona magiſtratuum, mercatorū, militū, colonorū, artificū, eo ritu proportionem ſubeant, quo magiſtratus ipſe, mercatores, milites, coloni, ac artifices, geometricè aut harmonicè inter ſe comparantur. Hinc ratio Boni communis, quantū ad vnitatē, omnino ſequitur formā reipublicæ, *Monarchia*, *Ariſtocratia* aut *Democratia* diuerſimode conſtantis. *Monarchia*, vnitate perſonarum & bonorum eſt perfectiſſima. proxime ad eandem vnitatem accedit *Ariſtocratia*: vltimo demum loco, ſpectata vnitate, cenſenda *Democratia*. Similiter bonum commune in *Monarchia* magis, vnum, quam in *Ariſtocratia*, & huius magis quā in *democratia*. Quantum verò ad vnitatis corruptionē, ſumma eſt ex democratiæ violatione, populo nempe in diuerſa abeunte, & nihilo fermè vnitatis in ciuitate tunc remanente. Deinde magnus receſſus ab hac ipſa vnitate cernitur in perturbatione Ariſtocratiæ. cum qua tamen populus inter ſe conſpirans, aliquam vtcumque obtinere poterit vnitatē. per Tyrannidē verò, quæ monarchiæ infeſta, non fit tam longinqua diuulſio ab vnitate: cum inde caput ſolū a corpore ac eius vnitate diſcedat in factionem. lege — Baſil Hom 2.in Hexam. — Ariſt.lib.2. pol.cap 1.

idcirco proportionis obſeruata, eodem modo de vnitate philoſophandum Boni communis in iſtis tribus ſpeciebus, ac de ipſiſmet ſpeciebus inter ſe comparatis.

4 Alterum, quod in Bono communi notauimus, eſt partium eius concors conſpiratio ad proferendum mutuo inter ciues commoda, cum particularium Ciuium, tum totius ciuitatis: ideo enim plures in ciuitate confluere voluere, vt horum bona per aliorum bona melius conſtarent, defenderentur, ac incrementa caperent. *Continet*, inquit *Ariſtoteles, quidquid commune eſt*. Eſt enim Bonum hoc commune, ipſum gluten quaſi, quod ciues inter ſe vnitate ſua copulat; ſicut è contrario, quod eos diſſidere facit, id proprium & particulare. *In communitate* [illegible] *: in communitate omnis ter-minit amicitia*. Habet etenim bonum commune ingentem vim ad attrahendum homines in vnum, & ad conſentionem inter eos procurandum, tametſi varietate ingeniorum, plurimum inter ſe diſcrepârint: quod & fabula *Orphei*, veteres aptè ſignificarunt.

Ariſt 8. Ethic. Orig. Homil. 5 in c. 10. Gen.

Boetius l. 3. conſol. met. 12.

Poſt quam flebilibus modis
Siluas currere mobiles,
Amnes ſtare coegerat,
Iunxitque intrepidum latus
Sæuis Cerua leonibus,
Nec viſum timuit lepus
Iam cantu placidum canem,
Cum flagrantior intima
Feruor pectoris vreret,
Nec qui cuncta ſubegerant,
Mulcerent Dominum modi,
Immites ſuperos querens,
Infernas adiit Domus.

Quemadmodum enim partes vniuerſi iſtius, quibuſdam facultatibus inſtructæ, proprios ſuos fines adſequuntur, tum etiam contrarijs reliſtũt; inſuper ſic inter ſe vinciuntur, vti totius optimum ſtatum confirmant, ac reciprocè ſingulis, & omnibus, ſint vtilitati, Ciues pari modo in republica ad munera rectè obeunda idoneè ſic comparantur, vt non tantum priuata commoda, ſed bonum quoddam commune proferant, cuius virtute & vnitate particularium bonorum rationes continentur, atque ſtabiliantur. *Ciuitas*, inquit *Origenes*, *a conuerſatione multorum dicta eſt: pro eo quod multorum in vnum conſtituat et contineat vitas*. Hoc ritu in ſcripturis multi dicuntur Deo *vno humero ſeruire*. & apud Romanos plures milites appellari vna manus; proinde eiſdem manus haſtili affixa, vt inſigne militare, præferebatur.

Origen. Homil. 5. in cap. 2 Gen. S. Thom. 2. 2. q. 26 art. 3. Soph. 3.

5. Reliquum explicemus duas præclaras proprietates iſtius Boni communis, quæ eiuſdem præſtantiam plurimum etiam probant, & expetibiliorem oſtendunt: nimirum externam, pariter ac intellectualem, ipſius pulchritudinem, juxta ac eiuſdem ſuauitatem, quæ veteres olim varijs ſuis emblematibus repræſentarunt. Ipſamet imprimis facies Ciuitatis ad normam Architectonicæ extructæ, vitæ ciuilis neceſſitudinem, tanquam rem ſua innata ſpecie prælucentem, valde commendat. Si enim in vniuerſum, vt notat S. *Auguſtinus*, pulcritudo concinna quadam partium cum colore, tum poſitura, efferatur, profectò cum ciuiũ officia quodam ordine apte inter ſe diſponantur, pariter forma virtutis, veluti coloris tēperamento, decorentur, vita Ciuilis ex eis cõſtituta, ad idæam ciuitatis pulcherrima comparebit. Ipſe porrò cæli, cui vnus Deus præeſt, vultus, tranſlatus quoque fuit ad Reipublicę venuſtatē ſignificandũ: & quidē propter ordinis ſingularē diſpoſitionem, ſtellarum iſte aſpectabilis in eo conuentus, in ſacris literis dicitur militia cæli. Similitudinem hanc inter cælũ ac rempublicã egregiè pertractat *S. Gregorius*. inde *Ioannes Caſæus*, olim Oxonii præceptor meus, appoſitè libris ſuis de rebus ciuilibus tractantibus, ſpheræ politicæ nomē indidit & præfixit. Huc nympharũ elegantes formę pariter adſcitæ, quę *Aphricæ*, *Europæ*, *Aſiæ*, & *Americæ* pulcritudines adumbrarent. *Britanniæ* quidem ſymbolum Nympha, ad colorem oceani, cerulea clamide veſtita, rupis cacumini inſidens, ac tridentem, veluti maris, poſt *Neptunum*, Domina ac *Thetis*, manu tenens. Enimuero ſi ratione ac virtute nihil pulchrius, ciuitas profectò quæ non niſi excellentis rationis opus, nobiliſſimæque virtutis præclarũ inſtrumentum, ac domicilium, ſumma pulcritudine inter reliqua omnia prælucebit. Cuius tāta vis eſt, vt etiam ad ea, quæ naturis ſuis alioquin horrida & inamæna, quamdam pulcritudinis formã ciuitas tranſmittat. Refert *Ariſtoteles*, monſtra in ciuitate huic venuſtati in ea illuſtrandæ eo inſeruire, quo integrorum corporũ decora oſtentent, ac laudent, ideoque vniuerſæ ciuitati eſſe ornamento potius quam dedecori, probat. eodem modo caſtigationes ac pœnæ ipſæ, licet in ſe ipſis deformes & horrendæ, quatenus tamen a iuſtitia, bonoque communi inde aſſerto, defenſoque inſtituuntur, animi iudicio etiam pulcræ videntur, imo inſuper amabiles. propter quã cauſam aduertit idē *Ariſtoteles*, *Platonem* ſequutus, ipſos, qui commeritò in ciuitate pœnis excipiuntur, ſi ciuiles fuerint, magiſtratũ, ac legē ipſam punientes diligere, quippe quod intelligant, caſtigationibus illatis iuſtitiam inter ciues ſeruari ac bonũ publicum contra iniurias malefactorum ſtabiliri. Quo modo inter formicas pulcrum opus admiramur, non ſolum quo grana in penuariũ ſtatutis tēporibus inferunt, ſed etiam dum mortuorum cadauera alueolis efferunt & exturbant. Similiter quod ad naturam, non tantũ pulcritudo in fluminibus apparet, dũ ſpecie criſtallina vbique pura collucent, ſed etiam quando appetente æſtate cũ ſordibus ſuis colluctantia, illas excernere laborãt. At mirum non eſt, ciuitatem, ac in ea vitã ciuilem, inter pulcherrima cenſeri, quũ, vt ex ſacris literis conſtat, regnum beatorũ in cælo, ipſumque Dei regnum in eccleſia, Ciuitatibus comparentur.

Auguſtin. l. de pulcro cap. 1.

Iſa. 24. Gregor. l. 4. Epiſt. 90 Caſæus Sphera Poli.

Ariſt. lib. 2. Phyſ. Text. 64. lib. 4. de generat. Animal. c. 4

Plato dial. Ciuil Ariſt. l. 10. Ethic.

Apoc. 20. Math. 5.

6. Iucunditatem verò proferunt in vita ciuili amor, amicitia, & charitas inter ciues: quibus illecti, non tantũ in vnam ſocietatem confluxere, vt opibus, vel ocio abundarent, ſed vt ex mutuæ neceſſitudinis iucunditate, vtrimq; honoribus exhibitis, prę̄ſtitis auxiliis, exhilararētur. quid quæſo, in vita iucundius, quam ciues ex beneuolentia ac confidentia inter ſe negocia

vitæ

vitæ ciuilis coniunctim & amanter pertractare, dum vnuſquiſque illorum in alterius excubat præſidijs & in eius bonum procurandum totus incumbit. Duo ergò ſunt in hac vita ciuili præcipui fontes iucunditatum: vnus rerum omnium parabilitas: alter adiuuandi prompta inter ciues voluntas. illo fluente, triſtes curæ, labores, ac ſolicitudines excedentes, abiguntur: iſto redundante, ſecuritas omnia ſerenat, ac placida reddit, vnoquoque Ciuium in alterius pectore aſylum tutò conſtituente. Cui ſuauitati repræſentandæ apud veteres vſui fuit lyra *Amphionis*, & *Orphei*. voluere proinde quod recolit *Plutarchus*, *Thebas*, inſonante *Amphionis* lyra, conditas: pariter lyram pulſante *Orpheo*, ſaxa montes, arbores, inſtar rudium hominum, commota, in vnum cœtum coiuiſſe; de quo memoriam ingerunt *Virgilius, Ouidius, Papinius, Diodor. Siculus, Suidas, Claudianus, Cicero, S. Auguſtinus, Boetius, Rodiginus*, & alij: Etenim illa doctrina, qua primo mortales incitati, ad vitam ciuilem ineundam acceſſere, omnino ſuauis fuit eis quaſi harmonia, quæ intellectus vim, in ipſis adhuc incultis, plurimum oblectaret. Deinde eiuſdem vitæ ſemel ſuſceptæ exercitium, dum multi ſua officia exequuntur, perinde ac quidam Muſicæ concentus editus, mirum in modum delectatione afficere ſolet. Vnde *Ciceronis* apud *S. Auguſtinum* ſententia: *Cum autem Scipio in ſecundi libri fine dixiſſet, vt in fidibus, ac tibia, atque cantu ipſo, ac vocibus, concentus quidam eſt tenendus ex diſtinctis ſonis: quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſummis, & medijs, & infimis interiectis ordinibus, vt ſonis; moderata ratione Ciuitatem conſenſu diſſimillimorum morum concinere: & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, eam eſſe dicebat in Ciuitate concordiam, arctiſſimum atque optimum in Republica vinculum incolumitatis, eamque ſine iuſtitia nullo pacto eſſe poſſe.*

Plutar. l. de Prim. p.
Virg. 4. Æn.
Ouid. 10. Metam.
Papin. lib. 3 ſiluar.
Diodor. l. 2.
Suidas verb. Orpheus
Claudian. præfat. l. 2. cont Ruffin.
Cicero l. de Repub.
Auguſtin. l. 2. de Ciu. cap. 21.
Boetius l. 3. de Conſol. Met. 12.
Rhodigin. l. 18. A. 14.
Auguſtin. l. 2. de Ciu. cap. 21.

7. Porrò melleo illo apum regno, earumque in fauo liquidis delicijs, ciuilis imperij dulcedinem deſcribi pariter à veteribus percepimus: *Apes*, inquit *Macrobius*, *quodam modo debemus imitari, quæ vagantur & flores carpiunt: deinde quidquid attulere, diſponunt, ac per fauos diuidunt, & ſuccum varium in vnum ſaporem, mixtura quadam & proprietate ſpiritus ſui mutant.* Admonet pariter *S. Hieronymus*; *Monaſteriorum ordinem, ac regiam diſciplinam, in paruis diſce corporibus.*

Macrob. in Proem. Saut.
Hieron. Epiſt. ad Ruſtic.
Claudian. in 4 Conſul Honor.

——— *Sic mollibus olim*
Stridula ductorum pratis examina Regem
Naſcentem venerantur, publica mellis
Iura petunt.

Diſtinctius verò hac ipſa ſimilitudine elegantiſſimus Poëtarum *Virgilius* munera ciuilis officij recenſet ac depingit.

Virgil. 1. Æneid.

Qualis Apes æſtate noua per florea rura
Exercet ſub ſole labor, cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.
Feruet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Magna autem pars ciuilis illius ſuauitatis oritur ex amicitia inter ciues: in quam ciuitates plurimum homines inſtituunt. quam ſuauitatẽ ad fælicitatem ipſam pertinere arbitratur *Ariſtoteles* contra Stoicos; quatenus nempe amicorum bonis fælix delectatur: cuius bono priuaretur, ſi cum amicis non ageret ſociatim. Quæ cum vera ſint, tum inde ſatis conſtat, quam deforme ac triſte facinus, morum ciuilitatem, noſtri generis decus, ac vtilem iucunditatem, errore perturbare, vel actionis prauitate violare: denique illud barbaricis inſtitutis demoliri, quod natura, ars, induſtria, experientia, ac diuinus fauor, ad culmen perfectionis inter homines antea euexere.

Ariſt. lib. 8. Ethic. c. 12.

8. At non eſt exiſtimandum, Boni communis aptè diſpoſiti ambitu contineri ſolum bona corporis, & fortunæ, quaſi ciuile inſtitutum mera voluptate ciuium definiretur, ſed præcipue animæ bona intellectualia, ac moralia, eodem comprehendi; adeoque vt prima loca in fauo ciuili ſuo iure occupantia, ad quæ illa, tanquam inſtrumenta, referantur: quod *Ariſtoteles* docuit egregie. Si enim diuitiæ, honores, poteſtates, ac voluptates, ſeorſim poſſiderentur à ſapientia, à iuſtitia, à charitate, ac pietate, nullo modo vitam hominis quietam, lætam, aut ciuilem redderent, ſed potius perturbatam: imo inter ſe diu non cohærerent hæc bona, quinimo ſtatim concuſſa, ab inuicem dilaberentur, vt poſtea oſtendemus. quamobrem quod non in rebus ipſis externis poſſeſſis tantum conſiſtat vitæ ciuilis ratio, ſed maximè in eorum vſu, ac moderatione, conſequens, inter bona ciuilia habendam animi virtutem, vt *Plato* rectè diſſerit: qua illa congrue ad rationem adminiſtrentur: à qua ſi diuulſa fuerint, & bruto ſenſui ſolum commiſſa, barbariei, ſeditionum, nouarum rerum ſtudij, & omnis immanitatis cauſæ potius inueniuntur. *Si dignitates, potentiæque, in improbiſſimum quemque ceciderint*, inquit *Boetius*, *quæ incendia, flammis Ætnæ eructantibus, quod diluuium tantas ſtrages dederit?*

Ariſt. lib. 1. Moral c. 2. l. 2 pol. c. 5. l. 7 cap. 1.
Plato Dial. 2. de legibus
Boet lib. 2. prof. 6.

Heu grauem ſortem, quoties iniquus
Additur ſæuo gladius veneno;
Nulla ſub indigno virtus eſt principe tuta:
Nulla ſub inceſto caſtis eſt gloria Rege. A quo alio malo precor, multæ reſpublicæ exitium ſuũ deduxere, quam à mole externorum commodorum: ſub qua veluti ingenti onere, ciues laborantes, quod virtute deſtituti fuerint, qua illa ad honeſtatem deſtinarent, oppreſſi, tandem funeſtè corruere.

Boet. lib 3. Met 6.
Senec. Agam.
Mantuan. in Parthen.

9. Quemadmodum verò ſocietates Ciuiles primitus initæ fuere Boni communis cauſa, in quo, & gratia cuius, dicuntur homines viuere, ita conuenit noſſe, quænam ſint precipuæ partes iſtius Boni communis, Ciuium curæ ac ſtudijs commiſſi. Voluere itaq; ciues conuenire in Ciuitate, *vt ſimul viuerent.* Vita autem in vniuerſum ſumpta, vt actione conſtat, ita huic viuenti ea vita actionis propria, quæ peculiari, iuxta ipſius ſpeciem, conatu ac motu perficitur. Vnde vita hominis alia

eſt a vita pecorum, & in ſocietate alia exercet vitæ munera. viuit idcirco homo actione virtutis, tam intellectualis quam moralis: eo quod in eo ratio, vtpote illius vis ſingularis, vigeat. non ergo dum ſe paſcit in ciuitate, quod faciunt etiam pecora, viuit abſolute vita Ciuili, (Ariſtot. l. 9. Ethic. c. 11.) vt admonet *Ariſtoteles*, ſed dum rationem exercendo, virtutes profert. ob quam cauſam, liquidũ, præcipuas partes boni communis, quod ad homines, functionibus virtutum & earum vitis contineri. quocirca cum inter Ciuiles emineant orthodoxa fides, ac vera Religio, tũ ciues, quibus bonum commune concreditum, debent haſce virtutes vel maxime colere, propagare ac defendere contra iniuſtos inuaſores quoſcumque. primò quidem, quod iſtæ virtutes ſint primariæ partes boni communis: deinde quod alia bona corporum ac fortunæ, ab eiſdem dependeant, quandoquidem eis violatis, hæc pariter ſoleant intercidere. ſi ergò teneantur, bonum commune protegere contra iniquos inuaſores, ſtrictiſſimo iure obligantur, fidem ac Religionem contra eoſdem munire, ſartas tectasque in omnibus cuſtodire.

10. Ex iſtis, quæ diſputauimus, procliue iam fuerit iudicium facere de præſtantia humanæ vitæ, quam Aranea Stoicorum, aliorum verò Apis, vel Formica, hominum iudicijs inter ſe altercantibus, ſibi vendicarunt. Aranea illa, a quibuſdam amplificata, ſibi ſufficiens viſa, ac Deo ſimilis in medium adducta, quæ vel cum aruis Niloticis de vbertate contenderet. gloriata quod ex ſe viuat, quod a viſcerum ſuorum ſola ſubſtantia, omnia ſibi ad vitam neceſſaria ſuppeditet. Contrà vero Apem & Formicam alij traduxere eo nomine & condicione ignobiles, quod ab aliorum ope ac conſortio, quo ad victum omnia earum dependeant: cum naturæ perfectioris indicium, minus rebus externis indigere, ac ſibi ipſi ex propria ſuppellectili plenius ſatis eſſe. Ego quidem, vt de hac controuerſia aliquid definiam, quædam in hac ipſa Stoicorum Aranea, ſumma laude digna perpetuò exiſtimaui. imprimis eius ſolertiam admiratus; qua plurima bonorum genera ſibi tempeſtiuè comparando, ac in pectoris horreum congerendo, externa auxilia eo in gradu neceſſitatis haud requirat, quo alij paſſim animantes, quorum peculium tenue, exile, & foras emendicatum. Et quantum ad hoc, ad ſtatum Angeli, vel etiam Dei, Araneas proprius accedere inficias minimè item. Deprædicare etiam ſoleo euſdem Araneæ conſtantiam, ac firmitudinem, quæ ex proprio ac diuino fauore animi tranquillum ſtatum ſuſtentare poterit, etiam quando amici, cum omnibus externis emolumentis, defluxerint, Deo interim, ſuæ conſcientiæ integritate, contenta. Cæterum vehementer diſplicet ille auſus Araneæ, quo ſimilis Deo videri ambiuit, ea nempe ſpernendo vitæ ciuilis compendia, & (Cicer lib. 1. Offi.) aliorum opera, quæ ad virtutem acquirendã plurimum conferre videmus. potior idcirco mens Apis & Formicæ, quæ in commune laborant, quæ aliorum ſocietatem expetentes, ab ipſis vitæ præſidia certiſſimè mutuari profitentur: quæ aliorum in ſe ſuſcipiunt curam: neque in angulis proinde, Aranearum inſtar, ſed in hortis, aut apertis campis, vitam agere deſiderant. Enimuero magnum, ac diuinum quid, publicum Bonum inter homines excitare, ac procurare: quod iam ſtatim comprobabitur.

CAPVT. VII.

Quam præclarum ſit, Bonum aliquod Commune, illudque per poſteritatem ad alios traducendum, curare, ac promouere.

VT Ciues publici boni, cum exiſtentis, tum per multa ſæcula apud poſteros duraturi ac futuri formam ex animis diligant, eiuſque ſtudio, ita teneantur, vt priuata ſua commoda eius dignitati poſtponere libenter velint, intereſt, eius vim ac definitionem animis percipiant, vnde eiuſdem præſtantiam intelligentes, toti in eius amore iure inardeſcant. qua quidem ab ipſis cognita, vt animaduertit *Philo*, pudore res digna planè (Phil. de S. Ioſepho.) eiſdem apparebit, id ipſos in eius procuratione non facere, quod cum ſuis laboribus, ac ſinceritate, paſtores erga oues, medicos erga morbo affectos, quotidie præſtare animaduertunt. Duo itaque in hoc bono ſpectanda: primum, ratio eſt communitatis, vnitate quadam harmonica, cum ſui copia reuincta, de qua diximus: alterum, perennitas quædam eiuſdem, qua, vt ſol nocturnis tenebris ſupereſt, ita illud poſt funera modò viuentium ciuium, apud poſteritatem manſurum, & indies augmentum capturum: perinde ac ſi æternitatem quamdam, aut durabiles cælorum circuitiones, hic in terris æmularetur. Vtrimque certè cauſa iuſtiſſima occurrit, quæ ciues vehementer erga hoc bonum commune ſumma cupiditate accenderet.

2. Quam egregium ſit multa, diſperſaque in vnitatis vinculum reducere, ita *Macrobius* enarrat. (Macro. in Prolog. lib. 1. Satur.) *Ex omnibus recolligamus, vnde vnum fiat ex omnibus, ſicut vnus numerus fit ex ſingulis. hoc faciat noſter animus, omnia quibus eſt adiutus, abſcondat, ipſum tamen oſtendat, quod efficit. vt qui odora pigmenta conficiunt, ante omnia curant, vt nullius ſint odoris propria, quæ conduntur, confuſuri videlicet omnium ſuccos odoramentorum in ſpiramentum vnum. Vides quam multorum vocibus chorus conſtet? vna tamē ex omnibus redditur. Aliqua eſt illic acuta, aliqua grauis, aliqua media. accedunt viris fœminæ, interponitur fiſtula. Ita vires ſingulorum illinc latent, voces omnium apparent. & fit concentus ex diſſonis.* Huic ex multis emananti vnitati in republica, adhæret pulcherrima quædam ratio proportionis, cuius vi bonum commune non ſolum ad plures extenſum, ſed pulchra inſuper quadam forma ad illos ſparſim deductum. *Omnis hominis vita*, vt ait *Protagoras* apud *Platonem*, (Plato in Protag.) *numeroſa quadam indiget conſonantia:* ex qua plurimorum ſalus, ſtatu licet diſcrepantium, in ciuitate propagatur. (Ouid lib. 2 Faſt.)

Sæpe ſequens agnam lupus eſt a voce retentus:
Sæpe auidum fugiens reſtitit agna lupum.

Sæpe

Sæpe canes, leporeſque vna iacuere ſub vmbra,
Et ſletit in ſaxo proxima Ceruus leæ.
Et ſine lite loquax cum Palladis alite Cornix
Sedit, & accipitri iuncta columba fuit.

Ex his Boni communis proprietatibus, ſcilicet vnitate ſingulari, proportione vero multiplici, rectè colligitur, quanta ſit ipſius excellentia, quamque ſuſpiciendum ſit illud in homine mentis acumen, quod vtraſque exactè comprehendit. Cum enim bruta animantia, vt obſeruat *Doctor Angelicus*, particularia ſolummodo, & ad ſe reſtricta, abſque collatione vnius cum alia, norint, aut côcupiſcant, vtpote ſibi ipſis, vel proli vtilia, homo, ciuiliter iuſtitutus, vires intelligentiæ deſert ad Bonũ aliquod commune, ad obiectum ſecretum a ſingularibus, & ſola ratione perceptibile, quod etiam *Boetius* obſeruauit: ex quo optimè argumentati quamplurimi, ad probandum hominis animam, ſubſtantiam eſſe ſpiritualem, ac immortalem.

S. Thom. 2. 2. q. art. 2. Cicer. lib. 1. off. Boet. lib. 1. de Muſica. cap. 2.

2. Mirum idcirco non eſt, ſi inter ipſos homines agreſtes quidam, ac fæculentis voluptatibus immerſi, eoque ad ſortem brutorum quaſi proximè accedentes, iſtius Boni communis notionem minimè animis concipiant. Etenim priuatis ſuis inhiantes rebus, propter morum conſuetudinem, a ſenſibus auulſa, & a particularibus abſtracta, perſentiſcere vix poſſunt. Vnde liquet, quanta cura principes & magiſtratus, quibus Boni iſtius administratio præcipuè committitur, debeant animæ oculum in ſe ipſis purum ac ſerenatum certa vitæ diſciplina ſeruare, vt concrediti boni communis formam, elegantiamque exactè percipiant, nec patiantur illum, impurorum aſpectu oblini, vel excæcari. Enimuerò in hac Boni communis diffuſione, in eiuſdem Geometrica, & muſica proportione, demũ vnitatis coronide, dignitas, tantaque altitudo reperiuntur, vt niſi à defæcata mente, & particularium vſu auocata, videri poterint. Idealem in Deo ſapientiam in eo vel maximè admiramur, quod non ſolum particularia a ſe facta ſeorſim intueatur, verum omnium coordinationes, ipſamque ex eis conſtantem vniuerſi rationem, colluſtret: ex quo, quâta in ipſo artificalis cognitio eluceat, aliquo modo intelligimus. Quamobrem hanc ipſam diuinam ſapientiam egregie imitantur, qui, quantum ad ciuilia, boni alicuius communis vim ac definitionem animis vndiquaque complectuntur, & quod in eo totum & vniuerſum, quodque diſcretum ac partitum, plenè adſequuntur. *Stulta auaritia mortalium* inquit *Seneca*, *poſſeſſionem, proprietatemque diſcernit: nec quicquã ſuum credit eſſe, quod publicũ eſt.* Nolunt iſti ſenſus ſuos attollere a priuatis ſuis cupiditatibus ad aliquid eis elatius. hi porro ita incurij boni communis, & ſuis duntaxat intenti, plerumque etiam non adſequuntur quæ volunt, ſed meram voluptatem ex priuatis venantes, in odia aliorum, & multiplices ipſorummet incidunt interim ſolicitudines. Odioſus, ſine dubio, ciuis, qui contra naturæ ingeniũ, quod ad colendam ſocietatem inſtigatur, in ipſa ſocietatem deſerit, & ſibi ſolum prouidere ſtudet. peior autem, ſi boni communis neglectu, vel deprædationibus, ad propria lucra omnia conferat. quo pacto a ſtudio boni publici recedentes, etiam priuato multoties deſtituũtur. vt enim mare, fluminũ & fontiũ aquas côſeruat, ſine cuius acceſſione citò deficerent, ita, illud Bonum, quod cuiuſque proprium, diutius manſurum, quod cum bono communi copulatur: ab eo autem auulſum, diuinitus, vel humanitus breui extinguitur.

Seneca Epiſt. 37.

Turbine magno ſpes ſollicitæ
Vrbibus errant, trepidique metus.
Ille ſuperbos aditus Regum,
Duraſque Fores expers Somni
Colit: hic nullo Fine beatus,
Componit opes gazis inhians.
Et congeſto pauper in auro eſt.

S nec Hercul. Furen.

3 Veriſſimè ſanè *Ariſtoteles* pronunciauit: *Eminuero præclarè nobiſcum agitur, ſi id quod vel vni ſoli ſit vtile reperire poſſimus. ſed longè profectò id pulcbrius, ac diuinius, quod Gentibus & Ciuitatibus vſui eſt.* Argumẽtũ hoc deducitur a magnitudine effectus, quo publico bono ab aliquo proſpicitur: vt ſciamus, huius officij dignitatem nô ſolũ deduci ab intelligibili quadam ſupra ſenſus ipſius eleuatione, ſed etiam ab actionis genere, quo multis rectè conſulitur: ex quo eam *Ariſtoteles* diuinã nũcupauit: *eo quod*, vt loquitur *S. Thomas*, *magis pertineat ad Dei ſimilitudinem, qui eſt vltima cauſa omnium bonorum.* Hinc veteres boni communis magnitudinem animis rite metientes, eos tanquam Deos æſtimarunt, qui illi egregie proſpexerant. *Ianus Rex Ianiculi*, inquit *Macrobius*, *Saturnum obſeruari iuſſit maieſtate religionis, quaſi vitæ melioris auctorem*: quod *Heſiodus* quoque luculenter, ac *Cicero* affirmarunt. *Nihil eſt*, ait *Cicero*, *illi principi Deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, cœtuſque hominum iure ſociati, quæ Ciuitates appellantur.* imo aduertit *Ariſtoteles*, homines inimicorum loco eos ducere, qui τοῖς ὀρμαῖς appetitionibus bono publico repugnant: *lex autem non eſt ipſis odioſa, præcipiens quod probum, ac moderatum eſt.* Ea enim maieſtate amabili in omnium oculis publicum bonum collucet, vt lex in eius gratiam lata, tametſi aliquorum malitiæ obſiſtat, minimè tamen ab illiſmet maleuolis odio habeatur.

Ariſt. lib. 1. Ethic. cap. 2. lib. 3. pol. cap. 8.
S. Thomas in 1 cap. Ethic. lect. 2.
Macrob. l. 1. Satur. cap. 1. Virgil. Æneid 8. Heſiod. Theogon. Cicero in Som. Scip. lib. 4. off. Ariſt. lib. 3. pol. cap. 8.

4. Et quidem, licet iſtius boni communis ratio ſit multum elatior, quam vt ad eam craſſiores hominum ſenſus pertingãt, nihilominus prouidit Deus, omnes vel naturę rudimentis ad eius cognitionem, ſcientiamque quodammodo inſtitui, ac prouocari. Etenim in corpore humano oculus non tantum pro ſe videt, ſed pro toto compoſito, vt nobis conſtat: quod etiam in manuum, pedumque officijs fieri cernimus: quo a nobis agnito, notionem inde capere poſſumus, nos omnes vnius corporis politici eſſe debere membra, ad bonum aliquod commune proferendum ordinatos. *Ergo ſecundum Dei voluntatem*, inquit *S. Ambroſius*, *vel natura copulam, inuicem nobis eſſe auxilio debemus: certare officiis, veluti in medio omnes vtilitates ponere; & vt verbo ſcripturæ vtar, adiumentum ferre alter alteri, vel ſtudio, vel officio, ne vel periculi terrore reuocetur, ſed omnia ſua ducant, vel aduerſa vel proſpera.* Idẽ porro ductus, quo natura ipſa ho-

Ambroſius lib. 1. off. cap. 28.

BIBLIOTECA NAZ. ... EMANUELE

mines ad ſocietates primo coëgit, eoſdē propē-ſos ardeoteſque poſtea extulit in Boni cōmunis cupiditatem: nam hoc velut cementum quoddam eſt, omnes ciues in officio continens. quod ſi illud neglexerint vel priuatis tantummodo bonis ſtuduerint, illico a ſe mutuo diſſidere incipient, ac ſocialem vitam diſrumpere. Hioc euenit, Ciuilitatis opera inuenta vel præclara bona, vtpote aurum, argentum, gemmas, & alia decora ciuitatum, quod diuulſa deinde fuerint a cultu, ac procuratione boni commonis, atqoe ad priuatas voluptates tranſlata, reipublicæ viſceribus peſtem exitiumque intulilſe.

Ariſt. lib. 8. Ethic.

Heu primus quis fuit ille
Auri qui pondera tecti,
Gemmaſque latere volentes,
Precioſa pericula fodit?

Boet. lib. 2. Conſol. Met. 5.

5. Cæterum hoc Bonum commone, non tantantum quod ad ſui ſpeciem, res eſt eleuata vltra ſenſuum vires, amplitudineque ſua ad multos dilatatum, ideoque merito ab ingenuo diligendum, quinimo, vti diximus, ſui duratione quodam modo immenſum: ad multa quippe ſæcula deducendum; quo etiam nomine plurimum amoris ac charitatis ab vnoquoque ciuium iure optimo ſibi vendicare poterit. quam hoc æſtimabile, quod in tantum ætatis per tam copioſum hominum numerum, cum eorum felicitate, permanſurum, idque indies auctum ad poſteros tranſiturum? hic ferme *Saturnus*, prolem editam deuorans, hoc eſt tempus quæ peperit, eadem conſumens, locum non habet, cum ciuitates vera ſapientia ſemel conditæ atque ſtabilitæ, æternitatis quamdam vim & imitationem a bonis ciuibus conſequantur. Certe de tam copioſo numero ſuperſtitum, pariter ac futurorum, bene mereri, ac in tam eximio effectu pietatis quaſi perpetuo viuere, genere ſuo præclariſſimum cenſeri iure debet. Officium hoc Bono publico impenſum, cum *Cicero* contuliſſet cum cognitione ac contemplatione, ei primas detulit: neque affirmare minime auſus, hominem addiſcentem vel numerum ſtellarum, ac earum veras naturas, ſtudium ſuum abijcere oportere, ſi audiuerit, periclitantem rempublicam ſuo opere interim indigere. *Chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui familiares: ſed omnes omnium charitates patria una complexa eſt: pro qua cur bonus dubitet mortē oppetere, ſi ei ſit profuturus?* quemadmodum fons aquæ dulcis in ſinum maris illapſus, quodam modo ibi amplificatur, & perennat, ita beneficia in bonum publicum collata, perpetuitatem quandam ac magnitudinem ex eodem adipiſcuntur, contraque malignitatem diſſipationis, vel extinctionis ſtabiliuntur. *Iphiginia*, vt cecinit *Euripides*, ſacrificio mactari ac conſumi haud exhorruit, inde patriam ſuam vtilitatem adepturam ſecum cogitans:

Macrob. l. 1. Satur. cap. 5.

Cicero lib. 1 off.

Hæc profecto cuncta redimam morte, ſi cadem mea,
Cum decus, & celebre nomen hinc mihi parabitur:
Quippe quæ meopte capite liberarim Græciam.
O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Troia ſub moenibus altis
Contigit oppetere.

Eurip. Iphigen.

Virg. 1. Æneid.

Recte intulit *S. Thomas*, Deum ſupra omnia diligendum, quod in illo eminenter inueniantur cunctæ coniunctiones, & amabilitates, quæ in alijs perſonis amādis ſeorſim ſpectari poſſunt: etenim a Deo, vt a cauſa efficienti, omnes emanarunt, iuxta ad illum, tamquam vltimum finem, terminantur. quod de Deo Doctor iſte aſſeruit, idem de patria iuxta rationem quandam analogiæ *Cicero* definiuit: etenim quæ coniunctiones interueniunt inter amicos, inter ſanguine deuinctos, inter commilitones, ac in eis repertæ formæ, amorem prouocantes, cunctæ a patria proueniunt & ad illam referuntur: proinde plus quam illa vniuerſa diligēda. *Ciuis ergò, vt dixit Ariſtoteles, æſtimare debet, ſe non ſuum eſſe, ſed reipublicæ:* hoc eſt non debere illum ſecū reputare, quod bona priuata ipſius, ſint bona præcipua, aut quod in poteſtate ſua ſitum, vti placuerit de ſuis actionibus ſtatuere, quandoquidē cū ſit ipſe patriæ membrū, optabilius ducere oportebit huius bonum, quam ſuū proprium & ab eius ratione pendere inter agendum magis quam a ſuo iure particulari. propter quam cauſam parendum ſemper bono publico, & priuato renunciandum, quando ambo ſimul conſiſtere nequeunt. Ac in vniverſum coi auctoritas incumbit diſponendi de bono communi, ei pariter auctoritas conuenit ſtatuendi de bonis particularibus ſubditorum in eius gratiam, eo modo, quo boni publici neceſſitas poſtulauerit, neque in contrariū ſteterint lex aliqua naturalis, diuina, aut eccleſiaſtica. *Vnaquaque amicitia* inquit *S. Thomas*, *reſpicit principaliter id, in quo principaliter inuenitur illud bonum, ſuper cuius communicatione fundatur. ſicut amicitia politica principalius reſpicit principem ciuitatis, a quo totum bonum ciuitatis dependet: vnde & ei maxime debetur fides & obedientia à ciuibus.*

S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 2.

Ariſt. l. 1. pol. cap. 4

S. Thom. 2. 2. q. 26 art. 2 in Corp.

6. Ob has rationes, Boni communis naturā oſtendentes, multi reperti, præclaro ſpiritu animati, qui ſeſe totos illi deuouere, ſuaque omnia vſque ad extremum vitæ halitum in ipſis, ac immaniſſima tormenta, ſponte vltroque illi ſubiecere. Veterum quidem, quo ad hoc officium, memorias ingerunt *Seneca*, *Valerius Maximus*. plena omnis hiſtoria tam *Græca*, quam *Romana*, horū illuſtriū virorū monumētis. *Agamemnon* apud *Homerū*, miſere *licet Chryſeidem* deperiens, eam tamē patriæ ſaluandæ cauſa parenti reſtituit. *Romani* vt ſchribit *S. Thomas*, elegerunt potius pauperes eſſe in diuite imperio, quam diuites in pauperi imperio: Denique vel chariſſima quæque, quo patriæ inde prodeſſent, cōtempſere, vt tecolit *Dionyſius*. Cuius generis ſloruere *Mutius*, *Horatius Cocles*, *L. Largius*, *Clælius*, & alij infiniti. *Brutus*, inquit *Florus*, *Tarquinium Collatinum collegam ſuum propter affinitatem Tarquiniorum ſuſpectum, capit Conſulatu ſe abdicare, & ciuitate cedere.* At verò noſtri, ac Iudæi olim veram Dei cognitionem adſequuti, hac in re palmā planè Ciuilitatis obtinuimus. Ciuilis prorſus animus adfuit *Moyſi* Principi, ac Prophetæ, expetenti atrociſſimam Dei iram in ſeipſum vindictam, adeoque deletionem e libro vitæ pro ſalute populi. Ciuilis pariter *Ionæ* ſenſus eligentis, in mare proijci, vt reliqui vectores a naufra-

Senec. Epiſt. 57. Valer. Maxim. lib. 4 cap. 4.

Homer. Iliad.

S. Thomas 2. 2. q. 47. art. 10.

Dioniſ lib. 5. & 10.

Cicer lib. 2. De legibus

Flor. lib. 1. cap. 9.

Exod. 32.

Ion. 2.

gio

gio liberarentur. Supremo antẽ gradu ciuile pectus S. *Pauli*, *anathema* in ſeipſum deſiderantis, qui Iudæi ſalui conſiſterent. Sanè in iſtius boni communis exacta cognitione, ac in eiuſdem procuratione, tota ferme laus ciuilitatis conſiſtit. præclarum ſane ingenium Ciuium Spartanorum, de quo *Plutarchus*: *Lacedæmonii uero honeſti, partem primam vtilitati patriæ tribuentes, ius aliud nec accipiunt, nec norunt, quam unde Sparta capere poßit incrementum.*

Plutarch. in Ageſil.

7. Hoc quidem bonum commune ex duplici ſpecie boni conflatur: ſcilicet ex bonis animi, & bonis corporis. Animi bona virtutibus, & diuina gratia conſtãt, corporis bona proferunt externa emolumenta diuitarum, poteſtatis, iucunditatis; & honoris. priora bona ſuis naturis bona: poſteriora, vt a prioribus ordinantur. quibus autem qualitatibus inſtituẽdus ciuis, qui de bonis ciuium diſponat, egregie ſtatuit *Plutarchus*: *Quis enim putat, magnas res poſſe conficere, qui in humiles cogitatiões animum dimittit? nec profectò multos iuuauit indigentes, qui multis indigeat. Ego magni momenti uiaticum in república non diuitias, ſed per ſe ſufficientiam exiſtimo: qua quia luxurioſum omnem apparatum repudiat nullius voluptatis cauſa grauiſſimum ciuitatis munus intermittit. Deus ſiquidem nulla re ſimpliciter eget. Hinc illam hominum virtutem, cui minimum alterius acceſſio neceſſaria eſt, perfectiſſimam putamus. Nam vt corpore optima veletudo, temperato, nec luxurioſo veſtitu, nec delicijs opus eſt, ſic vita & domus, quæ bene valent, non exquiſitis, ſed vtilibus copijs contenta ſunt. Neceſſitatis enim rationem habere pro facultatibus oportet. Veluti ſi quis plurimas opes cumulat, cum pauciſſimis vtatur, ei multa deeſſe conſtat: verum ſi ne non vtitur apparatu rerum quas appetit, vanus eſt, ſi ne appetit, obſtat autem per auaritiam ſibi, quo minus fruatur, miſer.* Verum quod hoc ipſum bonum publicum ex diuerſis generibus gubernationum conſurgat. proinde de illis primis, quæ proximè naturæ indolem ſequuntur, ſtatuendum videtur.

Plutarch. in Comparat. Ariſt. & Caton.

CAPVT VIII.

Quatuor ſumma, ac prima genera Imperiorum: Diuinum ſcilicet, Rationale, Concupiſcibile & Iraſcibile, recentur & expenduntur.

Clem Alex l. 5. ſtrom. Plato dial. 9 de Repub & de legib.

CLemens Alexandrinus, doctrinam *Platonis* ſequutus quatuor ſuprema genera recenſet Imperiorum: *Diuinum Rationale, Cõcupiſcibile & Iraſcibile.* quę ideo dicũtur ſuprema genera, quod, Diuino excepto, ab vno Deo adminiſtrato, admittere poſſunt differentias *Monarchia, Ariſtocratia*, vel *Democratia*. Diuinum imperium illud eſt, quod a deo erga ſuas creaturas ſpirituales, ac corporales, dum eas condit & in ſuos fines deſtinat, mediiſque ad eos adipiſcendos inſtruit: dum præmiat, caſtigatque ex miſericordia, ac iuſtitia ſua, exercetur. hoc genus imperii neceſſariò eſt monarchicum, ſicut neceſſario vnus ſolum Deus exiſtit, qui ab alio conſorte quo ad regimen, aut aliunde dependere non poteſt. De hoc imperio, prætér ſacrarũ literarũ auctores, *Dionyſius Areopagita, S. Auguſtinus, Oroſius, Saluianus maſſilienſis, & alii.* Tria reliqua genera ducuntur a tribus partibus humanæ naturæ, ſcilicet a facultate in ea rationali, vnde imperium *rationale*, a poteſtate in eadem concupiſcendi: vnde Imperium *Concupiſcibile*; & ab energia in ipſa iraſcendi: ex qua Imperium *Iraſcibile* propagatur. Hinc in tribus omnem vim humanæ virtutis *Cicero* rectè collocat: ſcilicet in cognitione veritatis, in moderatione appetitus & in propulſatione contrariorum. quocirca quatuor iſtę formæ imperiorum oriuntur ex totidem principijs actionum in homine. quorum reſpectu, dum voluntas in illo medium quendam locum occupans: hoc eſt inter rationem in ſupremo collocatam, & appetitum ſenſitiuum quaſi in imo poſitum, ſituata, efficit, vt eius motibus aliqui hominum ad Angelos ſimilitudine quadam accedant; dum nempe ad rationis normam ea facultate operantur, qua Angelis adfines exiſtũt: alij viciſſim in pecora degenerat, cõmunibus eis cũ pecoribus, appetitus motibus, eamdem voluntatem ſubijcientes. excitãda itaque voluntas vt diuinam, & rationalem vitam degat, ad ſuperiorem rationis partem, & quodammodo inferioribus extrahenda. ſunt enim in aliquibus voluntates tanquam immundi piſces ſine ſquammis ſuo pondere ad limum depreſſæ, vt porc ad brutorum mores: quorum piſcium eſum olim Iudæis Deus prouide interdixit. aliæ autem veluti etiam piſces ſuis ſquãmis ad ſuperficiem purioris liquoris, per quam cæli lumina cernuntur, euectæ: ſcilicet diuino aflatu & rationis lumine inſtitutæ ad agendum, virtuti optime incumbunt. Duo itaque imperia in faſtigio quodam eminentia, *Rationale*, & *Diuinum*: alia duo inferius ſubſidentia: *Concupiſcibile & Iraſcibile*. & quod actiones partis concupiſcibilis veluti in fundo naturæ, priores ſiot illis quæ Iraſcibilis, ideo imperium concupiſcibile viliſſimum merito iudicetur. Quando ergò aliqua ex iſtis potentijs in cœtu hominum, aliarum comparatione præualet, tunc ad eius iuſſum ac legem in eodem certa ſpecies Imperij decernitur. Idcirco imperium rationale tunc emergit inter ciues, quando ex rationis vera ſententia leges et conſuetudines, denique omnes partes regiminis, ſtatuuntur: quale Græci, ac ac inter eos Athenienſes, ſibi vendicare ſolebant. Imperium *concupiſcibile*, illud, quod ciuibus voluptatem vt finem vltimum proponit, omniaque ſtudia eodem refert: quale creditur fuiſſe illud *Sardanapali*, & aliorum paſſim in *Aſia* imperantium. Iraſcibile dicitur, quod omnia ad militiam, ad vitæ rudem & incondytam auſteritatem, deſtinat: Cuiuſmodi erat illud *Dionifii, Alexandri, Herculis*, Tyrannorum apud *Argiuos, Lacedæmoniorum*, ac aliorum in Septemtrione infinitos populos regentium, vt recolit *Clemens Alexandrinus*. Romani ideo duplices poſuere triumphos, concupiſcibiles ſcilicet, & iraſcibiles. concupiſcibilis ille æſtimabatur, qui incruentis victorijs concedebatur in præmium vincentium. Iraſcibilis habebatur, qui partus fuit victorijs multo ſanguine conſtantibus. Hoc diſcreuere myrto, & lauro, vt ſcribit *Plutarchus*.

Dionyſ. l. de Cæleſt. et Eccl. Hierar. August. de ciuit. Dei Oroſius. Hiſt. Saluian. de Iudic.

Ariſt lib. 1. Ethic. c. 2. Cicer lib. 1 off.

Ariſt. 7 lib. Ethic c. 6.

Clem. Alex. l. 1 ſtrom.

Plutar. in M Colol. Gell. l. 1 c. 6.

Plutarchus. quippe quod in myrto quid aquei flaccidi, ac venerei, in lauro ignea vis reperiatur. vt enim fructus radicis ſaporem refert, ita in homine actiones, & modi iubendi, naturam ipſius produnt, & ab ea, pro diuerſitate in ipſa ingenii, varie inſtituuntur. proinde non ſolum taliter loquuntur homines, quales ſunt, verum etiam quales moribus ſunt, ſic imperare volunt: ac ideo magiſtratus oſtendit virum.

Plato dial. 8. de Repu.

2. Ex quibus generibus, quo ad humana, vnum ſolum ciuile reputat *Plato*, nempe imperium *Rationale*: alia duo ab appetitu Concupiſcibili, & Iraſcibili deducta, appellat barbarica, ſeu Tyrannica. Sicut enim in homine appetitus ille duplex ex ſe turbatus eſt, in tranſuerſũ actus, ita in republica tyrannis, inquit, a tota ratione auerſa, non aliunde inſtituitur, quam, vel a voluptate, vel a crudelitate imperantium. atque inde duplex ſpecies Tyrannidis deſcẽdit, concupiſcibilis, & iraſcibilis. Cæterũ verò recta ratio, cõſtans & moderata vitæ regula, ac in ſolidum bonum perpetuo directa, imaginẽ gerit in homine Principis Ciuilis in Republica. quod vſque adeo clarum eſt, vt in hoc maximè laborent Tyranni, vnde ex obtentis fucis rationis ac virtutis, etiam dum peſſima ex ſua libidine concupiſcentes, aut iraſcentes imperant, ciuiles videantur, non verò vt ſunt, Barbari, aut Tyranni.

Clem Alex. l. 2. Strom.

3. Iuxta quam Imperiorum partitionem, *Hipodamus* aput *Clementem Alexandrinum*, tres conſtituit ſpecies amicitiæ, & neceſſitudinis inter homines: primam appellat diuinam, fide, religioneque vltra naturæ vires coalitam: ſecundam humanam, vt pote a ratione, quæ in homine res præcipua, formatam; poſtremam animalem vocat, appetitu nempe concupiſcendi, & iraſcendi. qui nobis cum alijs animalibus communis, decretam. atque de iſtis quatuor generibus imperiorum ſingillatim pauca dicenda.

4. Diuinum imperium, quod tribus perſonis ex æquo, quo ad proprietatem, ineſt, non ita definitur perſonarũ ipſarum numero, quaſi vnus Deus diuerſimode ad ſe relatus, tribus perſonis dominaretur. nam regnum quodcũque, vt diximus, conſtat ex diuerſis partibus, non niſi ordine quodam ſuperioritatis, & inferioritatis, harmonicè digeſtis: qualis ordo, aut partitio, in diuinis perſonis haud inueniuntur. licet enim inter illas ſit ordo principij, ac manantis a principio, ſeu ordo originis, nullo tamen modo ordo ibi maioris ac minoris, ſuperioris & inferioris cogitari poterit, ubi omnes tres perſonæ vnus Deus, ſummaque æqualitas in eiſdem ſingulis reperitur. Imperium idcirco diuinum conſiderari debet in voluntate diuina, tribus perſonis inſita, reſpectus varios fundante ad ipſius Dei creaturas tam in cælo, quam in terris, adeoque vbique, exiſtentes, eius auctoritatiua bonitate ac ſapientia diuerſimode conditas & gubernatas. Alio tamen, & alio modo, vt aduertit *S. Dionyſius*, res ſibi ſubiectas regit Dei omnipotentia. quædam enim ipſis inditis qualitatibus ita in fines ſuos ab ipſo deſtinantur, vt vel ſolo naturæ in eis pondere in illos continuo ferantur; neque aliorſum poſſunt vlla renitentia reſilire: vtpote omnia concreta ex materia ac forma corporeis, cælum, elementa, mixta, animantia. alia verò, vti Angeli, & homines, ita dono creationis, gubernationis, ac ſpecialis fauoris diuini, ad ſuos fines incitantur, vt non ſolum connixu ſuo illos attingat, quin imo boc perficiant cum laude operis, cum actionis meritoriæ præſtantia: quippe libere ſeſe mouentes, & in vtramque partem ſpontè concedentes: quod *Gregorius Nazianſenus* in argumentum diuinæ erga nos bonitatis, meritò interpretatur: nimirum, *Vt noſtra quoque aliquâ ex parte ſit virtus, neque a natura ſolum nobis inferatur: ſed voluntate etiam, animique propoſito, excolatur, arbitrijque libertate parem in vtramque partem motum habente.*

Dionyſ. l. 1. de Cæleſt. Hierar. c. 1.

Gregor. Nazianſ. orat. de Natiu.

5. Quædam itaque Deus in lucem profert, vel ad nihilum etiam redigit ſua ſola actione, aut conſeruationis ſubtractione, vtpote cælum & terram, angelos, & animum ex nihilo creando, multaque ad nihil reuocando. alia per adminicula cauſarum ſecundarum educit: non quod ad ea producenda earum ope indigeat; ſed quum ipſemet ſolus ea excitare potuerit, vt naturæ tamen a ſe conditæ decus quoddam adferret, eius opera ac minuſterio in agendo vti voluerit: niſi fortaſſis ex imperfectione effectus, vt pote *Modorum ſeſe habendi*, relationum, actionumque vitalium, quod contra *Nominales* multi contendunt, ad ſecundarum cauſarum efficientias reſtrictorum ab intrinſecis ſuis principijs, eorum reſpectu quædam ſint, quæ a ſolo Deo proferri non poſſint. vtcumque verò hac in re ſentiendum fuerit, nulla ex cauſis ſecundis eius voluntati efficaci poterit reſiſtere, tametſi plurima incidant, ſimplici eiuſdem beneplacito renitente, vt noſtri Theoligi optimè definiunt.

Boët. lib. 4. Conſol. Met. 9.

——— *tu cuncta ſuperne*,
Ducis ab exemplo, pulcrum pulcherrimus ipſe,
Perfectaſque iubens perfectum abſoluere partes.
Tu numeris elementa ligas, vt Frigora Flammis,
Arida conueniant liquidis, nec purior ignis
Euolet, aut merſas deducant pondera terras.
Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Connectens animam, per conſona membra reſoluis.
Quæ cum ſecta duos motum glomerauit in orbes,
In ſemet reditura meat, mentemque profundam
Circuit, & ſimili connectis imagine Coelum.
In cauſis animas paribus, vitaſque minores
Prouehis, & leuibus ſublimes curribus aptans,
In coelum, terramque ſerit, quas lege benigna
Ad te conuerſas reduci facis igne reuerti.
Tu requies tranquilla Diis, te cernere finis,
Principium, Rector, Dux, ſemita, Terminus idem.

6. Diuinum hoc imperium, tametſi omnes mortales complectatur, ſingulari tamẽ ratione ciues olim habuit Iudæos: quippe a deo ipſomet legis inſtructione, auxilioque, præ omnibus alijs ad ipſius voluntatem, ac ipſorummet fœlicitatem optime, inſtitutos. Cuius imperata apud illum populum erant triplicia, *Moralia*, *Ceremonialia*, ac *Iudicialia*. Certe tum diuinum hoc imperium, lege ab illo ſancita ſtabilitum, non tam cernitur in rebus externis, quam in internis animæ virtutibus, aditum ad veram beatitudinem aperientibus.

Rom. 4.

propto-

in Spiritu ſancto: hoc eſt eſca & potus, & reliqua vitæ ſubſidia, & ornamenta, Dei imperio quidem continentur, ſed non vt præcipua in illo, aut ſui gratia: hæc enim ſunt hominum virtutes, ac felicitates. vnde inter ea, quę Dei regno includuntur, ex primarijs eſt charitas. Hæc enim eſt, quæ omnes rebelliones humanas contra Dei imperium compeſcit, & ſubditum Dei in optimo ſuo ſtatu ſuauiſſimè firmiſſimeq; componit: proinde virtus eſt ante omnes alias diuina, & ad ciuem in diuino imperio agentem, vel maximè ſpectans: quæ tandém
1. Cor. 15. in Cælu viſione Dei conſummata, omnia Deo perfectiſſimè ſubiiciet.

7 Voluit autem Deus, vt olim in ſynagoga, ita etiamnũ in Eccleſia, ſingulare quoddam diuini Imperij veſtigiũ apparere inter homines. Vbi imperium non eſt abſolute diuinum, quod ibi hominũ munera interueniant, adeoque vnus Monarcha, quò ad externum regimen, homo aliquis exiſtat: neque ſimpliciter tamen cenſendum humanum, propter promiſſam illi ſpiritus ſancti aſſiſtentiam, ac ſacramenta, in eadem ſalutem operantia virtute inuiſibili, atque ſupernaturali. eſt itaque ex vtriſque mixtum, quocumque demum nomine a nobis appelletur. At verò Eccleſia propius accedit ad illud prima-
S. Thom. 3. part. q. 2. art. 4. V2iq. diſp 6. art. 1. & 2. rium Dei regnum, quam Synagoga, cum ratione primi legiſlatoris in illa, tũ propter media, quæ ciuibus ille proponit ad adſequendum finem æternę beatitudinis. Synagoga quidem cũ ad credenda, tum agenda, inſtituta erat a Deo, ſed in manu ac diſpoſitione Angelorum, a qui-
Act. 7. Heb. 2. bus immediate legem a Deo lata excepit. Eccleſia autẽ a Chriſto Domino, Dei filio naturali & ſubſtantiali, tam quò ad credenda, quam agenda, inſtructa fuit. proinde hac ex parte eius imperium multò diuinius. Mandata porro, ac ſacramenta Eccleſiæ, quò ad virtutem, gratiam, ac vitã æternã, perfectiora, ac per conſequens diuinora mandatis, conſilijs, ac Sacramẽtis Synagogæ: ex hoc ergo ſimiliter diuinius in Eccleſia imperium. qua de cauſa de cælo illud deſcendiſſe in terras appoſitè affirmat *S. Ioannes.*
Apoc. 20.

8 Eximia illius regni ſpecies elucet in Beatis: hi enim filij regni, ac lucis, verè imperant. nihil eſt in ipſis appetitus, aut molis corporeæ, quod rationi aduerſetur: nihil rationis, quod Deo nõ pleniſſime ſubijciatur. Quidquid volunt id omne facile aſſequũtur. Illius autẽ mundi reges, multis parere coguntur, adeoq; plurima agere, iuxta ac a plurimis ſe abſtinere, aliter quam, ſi ſui Iuris eſſent, ſtatuerent. Si externa eis ad votum fortaſſis obediuerint, interni ſui ipſorum motus in eos paſſim tyrannidem exercent. imo neque externorũ planè Domini. Ius enim diuinum, & Eccleſiaſticũ in eos etiam renitentes iuriſdictionem exercent: ciuile etiam, ſaltem directiuè, illos obligat. Ex quo veteres dicere ſolebant, nullum præter Deum, abſolutè eſſe li-
Eurip. Iphigin. berum, & ſuæ poteſtatis. At reſpectu Beatorũ, ſicut omnis ratio regnãdi in hominibus eſt deriuatio quædã a regno Dei, & illius quædã repręſentatio: ita in illis regnum, horum reſpectu, maxime diuinũ: quippe quod ad Deũ ſpeciali quadam ſimilitudine illi propius accedant. vt enim Deũ nullæ leges externæ tenẽt; ſeipſo paruet contentus felicitatem extra ſe nõ emendicãt, ita Beati ſibimet lex, vnius Dei poſſeſſione ſatiantur & reguntur. Quod ſi idcirco in terrenis illi maxime regnãt, quibus pauciora obluctantur: quo modo futurũ expectatur abſolutũ
Chriſti imperium, quando etiã morte deuicta, 1. Cor. 6.
nihil ſupererit, quod eius auctoritatem amplius detrecter: profectò excellens quædam forma regni in ſanctis conſpicua floret, quandoquidẽ ad eorũ nutum omnia ipſis placide ſuccedãt. Fluit apud ipſos regnũ inſtar oliaginei riui: hic verò taquã vorticoſus torrẽs, perturbate, & ſupra latẽtes obſcuritatũ inſidias lubrice decurrit.

9 Imperiũ *Rationale*, quod ſecundo in loco recenſuimus, quantũ ad hominem duplex: primũ naturale, cuius vi animantia, & cuncta hæc ſpectabilia, hominis imperio ſubſũt, & ad illũ tã-
quam finem referuntur: vt homo vi rationis Gen. 1.
aliquo modo, iuxta verba *Gregorii Nazianſeni*, Gregor.
idem eſſet in terris, quod Deus in cœlis. Alterũ Naz. orat. 1.
ciuile, quo in vnum cætum coaliti, iuxta rationis præſcriptum gubernantur. vtræq; ſpecies imperij repræſentant imperium diuinum tam illud, quod Deo in omnia neceſſariò competit, quam & aliud, libera eius voluntate inſtitutũ.

10 Et quidẽ Rationale imperiũ inter homines totũ directum eſt in commune bonũ, virtute ac legitimis medijs comparandum: quod neq; cõcupiſcentiæ mollitiei, neque iraſcentis facultatis truculentiæ cedat. imo adeo in bonũ commune intendit, vti particularia bona non reſpiciat, niſi vt ad illud conducentia. quæ autẽ illi detrahunt, vt pote priuata lucra, priuatæ volupta-
tes, auctoritates priuatæ, ea omnia vehementer Plato. Dial. 4. de R. pu.
deteſtatur & expugnat. Non ergò, vt *Plato*, & Ariſt 4. pol.
Ariſtoteles aduertunt, Ciuili, ac Rationali imperiu curæ, vt pauci tantummodo in ciuitate cap 11.
floreant, aut vt magiſtratum gerentes ſolum bonis affluant: ſed vt tota potius ciuitas beata vndiquaq; exiſtat, vnicuique eis attributis emolumentis, quæ ſecundum proportionẽ harmonica eorũ ſtatus ac merita poſtulauerint. Quẽadmodum enim pictor non ſemper lucidiores, aut precioſiores colores adhibet, dũ oculos, aut præcipuas corporis partes depingit, ſed ſolummodo idoneos: in hoc, ſuo opere maximè incumbens, vt tota forma depingẽda ab ipſo illuſtretur, & ex tota laudẽ demũ acquirat: ita ciuilis legiſlator pincipaliter ſtudere debet, vt integrũ corpus politicũ ſe bene in omnibus habeat, nõ vt in eo pauci, vel imperantes duntaxat, idque cõmunitatis ſpolijs, diteſcãt, vel effulgeãt.

10. Quamobrem in hoc imperio *Rationali*, habito reſpectu ad bonum commune, decernenda
bona particularium ciuium. *Plato* de extremis Plato dial. 4
huius rei diſſerens, nempe de quorumdem ciui- de Repub.
um ingenti copia, ac eorũdem tenuitate fortunæ, ita loquitur: *Illa ſiquidem delicias, deſidiã. ſeditiones, rerum nouarum ſtudium parit. hæc autem cum rerum imminutione, illiberalitatem. & maleficia gi-
gnit.* *Ariſtoteles* quoq; in eandẽ ſententiã diſpu- Ariſt. l. 4.
tans, affirmat, ex quorumdam immenſis opibus pol. cap. 11.
aliorũ Ciuiũ odia, contra reipublicæ pacẽ concitari. Diuitiæ ergò bonis ſolũ concedendę: eis nempe, qui illis vti velint ad procurandũ bonũ

commune: & quidē hoc valdè optādū. quod ſi malis artibus partæ tranquillitati ciuiū infeſtæ, per rapinas, contumelias iniurioſæ, aut ab eo poſſeſſæ, qui illas proferre nolit in mediū, quādo bonum publicum id poſtulauerit, detrahēdæ auctoritate reipublicæ, vel Principis ſentētia, videntur. Illa proinde aptior in ciuibus opū moderatio, quæ ad inſeruiendum virtuti magis idonea, qua bonum publicum continetur. Pro hoc genere imperii ſtabiliendo egregiam operam, qua literis, & religione, qua rem *Agrariam* inducendo inter Romanos nauauit *Numa*.

[Plutarch. in Numa.]

11 Quantū verò ad ipſum principem in hoc imperio, quod eius priuatū bonum, ſeu poteſtatis, ſeu voluptatis fuerit, tyrannicis artibus acquiſitū, planè ſit exitiale bono publico, idcirco tam Deus apud Iudæos, quam prudentes apud alias gentes, certum modū ei præſcripſerunt, vt ex ratiōne, non ex libidine, omnia huius generis ab eo tranſigerentur. *Non multiplicabit*, inquit diuina Scriptura, *ſibi equos, nec reducet populum in Aegyptum equitatus numero ſublevatus*. *Socrates* apud *Platonem* hæc habet: *Ad hanc igitur diſciplinā quiſquam ſanæ mentis diceret, habitationē & reliquam ſupellectilem, ita adhibendam, ne ipſo ciues quo minus optimi viri eſſent, prohiberet, neque eos, nempe principes, ad cæteros ciues lædendos incitaret*. Conſentit omnino *Ariſtoteles*. *Dionyſius, cum cohortem peteret, conſilium dedit Syracuſanus quidam vt tantum darent. qui ergò legem præeſſe vult, is velle videtur Deum ac leges imperare: qui autem vult hominem, etiam belluam adiungit: cum præſertim tale quid ſit Cupiditas, & iracundia, & magiſtratus optimus, quiſque a ratione recta diſtorquetur. Nunquam permittendum*, monet *Polybius*, *cuiuſquam principatum in tantū creſcere, vt neque de manifeſta iuſtitia apud eum dubitare liceat*. Hanc formā rationalis imperii *Athenienſes*, quod a *Pallade* edocti, exiſtimarūt, ſe primos inueniſſe, ſimul ac retinuiſſe.

[Deut 7.] [Plato Dial. 3. de Rep.] [Ariſt. lib. 3. pol. c. 11. 12] [Polyb. l. 1.] [Plato lib. 3. de legib.]

12 Eſt quidem hæc forma admodum excelſa, ac ſupra ſenſus eleuata. Notat idcirco *Plato*, idque egregiè, Rempublicam virtute ad bonum commune, ac rationem, inſtitutam, ſimilē eſſe priuatæ perſonæ contra impetus voluptatis, iræ, ac timoris vitam optimè conformanti. quemadmodum enim, inquit, nullus virtutem exercet, niſi ſe quodammodo eleuauerit ſupra ſeipſum, quaſi in imo relinquendo ingentem ſui partē: ſcilicet corpus, ac ſenſus; ita Reſpublica, ſibi ex ratione ac virtute præcipiens, monitiſque earū obediens, in altum inſurgit, & ſeipſa ſuperior facta, ſibi ipſi rationis imperio dominatur. Hoc ſane vulgaribus non ita facile ſiue ad concipiēdum, ſiue ad agendum: reperitur autem in ſuperiori illa ciuitate, *Achyllis* clypeo a *Vulcano* exſculpta, in qua etiā altera inferius depreſſa ciuitas deſcribebatur, turbulentia, & fœda confuſione deformata, iuxta Philoſophicū ac poenè diuinum *Homeri* figmentum; qui hoc emblemate, Imperium *Rationale* a *Concupiſcibili* & *Iraſcibili* appoſitè eleganterq; diſtinxit: vnde credendum, Platonem hac de re ſententiam ſuam deſumpſiſſe.

13. Imperium *concupiſcibile*, licet a ratione ſit auerſum, nihilominus ratione prorſus nō deſtituitur: quandoquidem ingenii cuiuſdam inuētis, ac legibus, ad voluptatem adſpirat. ac vt hoc inſtitutum ciuile appareat, commune quoque bonum ſibi præſtituit accurandum ad ſimilitudinē virtutis, vt notat *Cicero*: ſcilicet bona quædam particularia ciuiū, voluptate plena, ordine etiam quodam harmonico inter ſe diſpoſita: nā ſi in hoc imperio nihil eſſet comparandū præter particulares ciuium voluptates abſque omni ſerie cōfuſè collocatas, imperii, aut ſocietatis nulla forma appareret, ſed eius loco pugnax quædam confuſio cerneretur: Imo omnis voluptatis mutua expugnatio tumultuaretur. quod tamē voluptuoſi illi politici renuunt concedere. Genus hoc imperii ſæpius *Plato muſicum* appellat: hoc eſt totum delicus, ac iucunditatibus deuotum & attributum: eoque ſæpius vtuntur Tyranni, vt inde ſuorum ſubditorum viribus fractis, ac cerebris dementatis, tutius expoſitos ſibi fines per eorū iniurias conſequantur. Hoc verò, vtpote Epicuræorum, ſuis coloribus deſcriptum ex *Cicerone S. Auguſtinus* ita proponit: *Tabulam quandam pingunt, vbi voluptas in ſella regali quaſi delicata quædam Regina conſideat, eique virtutes famulæ ſubiiciantur, obſeruantes eius nutus, vt faciant quod illa imperauerit: quum prudentiæ iubeat, vt vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, & ſalua ſit, Iuſtitiæ iubeat, vt præſtet beneficia, quæ poteſt ad comparandas amicitias corporalibus commodis neceſſarias: nulli facias iniuriam, ne offenſis legibus voluptas viuere ſecurè non poſſit. Fortitudini iubeat, vt ſi dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat Dominā ſuā, id eſt voluptatē fortiter in animi cogitatione, vt per priſtinarum deliciarum ſuarum recordationem mitiget præſentis doloris aculeos. Temperantiæ iubeat, vt tantum capiat alimentorum: & ſi quæ delectant, ne per immoderationem noxiū aliquid valetudinem turbet: & voluptas, quā etiam in corporis ſanitate Epicuræi maximum ponunt, grauiter offendatur.* Præcipuus huic imperio neruus hypocriſis, in vſibus falſatum virtutum ſpectabilis. *Imitatrix boni voluptas*, ait *Cicero*, *malorum autem omnium mater*.

[Cicer lib. 1. de legib.] [Plato Dial. 4. de legib.] [Auguſtin. lib. 5. Ciu. cap. 20] [Cicer. lib. 2. de fin.] [Cicer. lib. 1. de legib.]

14 Cæterum in hoc imperio quam plurima, errata contra vitam ciuilem reperiuntur. error enim eſt contra prudentiam, voluptatem, nobis cum brutis communem, conſtitui poſſe finem laudabilis humanæ actionis. Conſequenter error exiſtit, falſatas virtutes contra naturæ legē inducere in ciuitatem, quæ brutæ voluptati ibi ancillentur. deniq; error habendus, exiſtimare, has voluptates poſſe inter ſe harmonicè cōuenire, cum vna alteri ſit contraria, ac infeſta; nihilque bono communi ac paci ciuium magis contrarium, quam voluptas. Intelligendum tamen, iſtius voluptuoſi imperii aſſertores, non ſolum craſſiores voluptates in ſuam ciuitatem intuliſſe: quaſi eius regina tātū eſſet delicioſa, verum etiam non *delicatas*, vt ait S. *Auguſtinus*: veluti ad gloriam, ac dominationē pertinentes, ſummis etiam laboribus ciuium acquirendas: quarum non minor voluptatis guſtus, quam aliorū ad corporeos ſenſus iucundè affluētiū.

[Ariſt. lib. 7. Ethicor. 12.]

15 Iſtius quidē Imperii origo pleruḿq; dimanat a quibuſdā veluti exceſſibus ciuilitatis in imperio Rationali. Cum enim variæ artes in eo excogitatæ fuerint ad facilitanda negocia vitæ ciui-

lis

lis, ad animos ac corpora recreandum, ſuccreſcit inter eas voluptas, eiſque demum, tanquam armis arreptis, *Rationale* imperium expugnat, & eius locu ſubſtituit concupiſcibile.

Clem Alex l. 2 ſtrom.

Vnde *Clemens Alexandrinus* voluptatem in ciuitate appellat *Acceſſionem quandam ad res neceſſarias, & earum affectionem, vt pote famis, ſitu, frigoris, ac matrimonij.*

Plato dial. 3. de legib.

Muſica, inquit *Plato*, hoc eſt recreationes nimiæ, *liquefacit animum, & reſoluit, donec diſtillando exhauriat animoſitatem omnem, exſcindatque veluti neruos ex animo. ex quo animum, quaſi ſegnem militem efficit.* Vnde liquet in quanto periculo mortiferæ voluptatis verſentur ciues. ad eam imprimis naturæ prauitate omnes propendent. Deinde vis Tyrannidis in eamdem ſæpius illos compellit. poſtremò ingenia, artes, appendiceſque domeſticæ ciuilitatis, vberrimè illam proferunt, & virtuti multoties præferunt.

Plato dial. 2. de legib.

Et quemadmodum Princeps vt ait *Plato*, voluptate in malum animæ ſuæ euiratus, non ſolum ſui, ac ciuium eſt Tyrannus, abiectè, ſordidè, ac violenter ſe, eoſque gubernans, verum voluptates inferendo in ſubditos, cupit, vt ipſimet ſibi ipſis exiſtant Tyranni, Domini crudeles, & in rationem hoſtes importuni: præſertim ſi ſuis voluptatibus iræ etiam flammas eos adiungere voluerit.

16 Poſtremò imperium *Iraſcibile* diſcutiendum. Hoc quidem totum eſt *Gymnaſticum*, ſeu martium, nulla ex parte muſicum, vt docet *Plato*.

Plato l. 7 de legibus. Plato dial. 3. de legib.

Quibuſcumque diuina eſt cura fortitudo, ii quadrupedes omnes curſu, vulneribus, teliſque, manu vincere debent. Huiuſmodi ciues, vt idem inquit, *vi & agreſti immanitate tanquam feræ quadam ad omnia feruntur: ſcilicet inſcitia, & ruditate, ſine rithmo, & gratia, & vrbanitate viuunt.* Vnicus iſtis finis, viribus & armia rapere, & inſtar quorundam animalium, ex aliorum cæde viuere. Cuius rei cauſa, etiam dum armis abſtinent, omnia, quæ ad victum, veſtitum, atque exercitia ipſorum ſpectant, dura, periculoſa, auſtera, lenocinio procul apud eos conſiſtunt: ex quibus non ſolum corpora ipſorum veluti in ferra rigeſcunt, ſed etiam animi ſenſus in eiſdem immites redduntur.

Cicer. lib. 2. off.

Vnde rectè pronunciauit *Dicearchus* apud *Ciceronem*, plures homines occiſos ab hominibus, quam ab omnibus feris, inimicorum telis, vel venenis, conſumptos. Hi adeo auerſi a vitæ iucunditatibus, & ornamentis, vt neque illa vel aſpicere poſſunt: ridentque, ac contemnunt eam ciuilitatis partem, quæ apud alios ſignis honorarijs, ac delicijs, exquiſite perficitur.

17 Ac in vniuerſum acres, bellicæ & incultæ nationes, in immodeſtiā laſciui affectus propenſiores. quod fortè non tam eis attribuendum ex vi ingenij in illam illecebram incenſi, quam ex incuria externi ritus, & modeſtiæ ciuilis ignoratione. Boreales enim, qui in victu aſperrimi, & iræ dediti, alijs gentibus cernūtur in eius ſtudio neglıgentiores: tametſi quantum ad appetitū ipſū libidinis, ab eiſdē ſuperentur.

Propert. lib. 3. eleg. 13.

Lex igitur Spartana vetat ſecedere amantes,
Et licet in triuijs ad latus eſſe ſuæ:
Nec timor, aut vlla eſt clauſæ tutela puellæ;
Nec grauis auſteri pœna cauenda viri.

Aſiani verò, quorū calores in venerem ſua celebritate ſatis infames tam veſtium oblongioribus formis, quam abſtinentia a mulierum conſortijs, quod ad publicum, graues modeſtiæ leges ſibi indixere.

18 Quod ſi alia regna mundi conferre velimus cum Chriſtiano, ferme omnia animaduertemus, præſertim extra Aſiam poſita, præ iræ licentia incruduiſſe. Apud Græcos Lacedæmonicum imperium huius omnino generis, in quo nullæ leges pro pace, ſed omnes pro bello ferebantur. Cuius inſtitutor *Lycurgus* duo ſolum, veluti elementa condidit vitæ Ciuilis, teſte *Plutarcho*: *Parere principibus, & de hoſtibus victoriam reportare.* Romanum quoque imperium, quod tanquam ferrum alia imperia domuit, teſte *Daniele*, mihi magna ex parte viſū iraſcibile: quod *Plutarchus* ex *Pindaro Martis templum* appellauit. In hoc imperio infames prorſus, qui per quatuor annos non militaſſent, vt ſcribit *Liuius*. *Cum ſcrutinio habito a cenſoribus, quoſdam inueniſſent, qui ad id temporis non militaſſent, tribu omnes moti, additumque inertiæ Cenſoria nota triſte ſenatus conſultum, vt ii omnes, quos cenſores notaſſent, pedibus mererent, mitterenturque in Siciliam ad Cannenſis exercitus reliquias: cui militum generi, non prius quam pulſus Italia hoſtis eſſet, finitum tempus ſtipendiorum erat.* porro immunitates & coloniæ, promiſſæ in præmium, incitabant Romanos ad militiam: de quibus *Iuuenalis*, *Liuius*, *Lucanus* & *Claudianus*. *Tria millia*, ait *Liuius*, loquens de inductione coloniæ militaris in agrum Bononienſem, *ſunt deducta, equitibus ſeptuageſima iugera, cæteris colonis quinquagena ſunt data.*

Ariſt. 7. pol. Clem Al. 2. ſtrom. Plutar. in Compar. Num. et Lycur. Dan. 2. Plutar. in Marcell. Liu. dec. 3. lib. 4. Iuuenal. l. 5 Satur. 16. Liu. dec. 4. Lucan. l. 7. Claud. de Bello. Get.

——— *Qui indice ferro*
Diluit immeritum laudato ſanguine crimen,
Iniuſum miles ſitiens haurire cruorem,
Per varias veſtes, onerataque plauſtra metallo
Tranſit, & argenti cumulos, & cadit auarus
Contemptas perculcat opes, pretioſior auro
Sanguis erat. paſſim neglecti prodiga lucri,
Ira furens, ſtrictis odium mucronibus explet.

Huc acceſſere ludi Theatrales, ludi gladiatorij, ac pugnæ cum beſtiis: vt in ipſis vis iraſcibilis crude exercitata, immanius in hoſtem, etiam ſumma cum voluptate, ſubinde deſæuiret. *Cicero* de iſtis diſſerens in more poſitis apud Romanos, ſic loquitur: *Quum verò depugnabant ferro, auribus fortaſſe multæ, oculis quidem nulla poterat eſſe fortior contra dolorem & mortem diſciplina.*

Cicer. Tuſcul. 2.

Fore Romanum Imperiū, omnino martiū declarauit figmentū illud religionis, apud Romanos, quo narratum, *Martem* ancile in exercitum ipſorum, tempore *Numæ* cælitus dimiſiſſe.

Ouid. 4. Faſto. et 3.

Ecce leui ſcutum verſatum leniter aura
Decidit, a populo clamor ad aſtra venit.

Idē indicauit ferrea pars ſtatuæ viſa a Daniele: cū vt ferrū metalla, ſic Roma gentes domitura.

Dan. 2.

19 Imperium quoque Turcicum, ad vindicanda Chriſtianorū peccata diuinitus dubio procul excitatum, plane iraſcibile ac ferum? non enim aliter ad hanc amplitudinē deuenit quā armis, & crudeli irruptione. Haud mirum idcirco, ſi illis ingenium, ad recreandos animos

paſſim accipitres immittere in imbelles auiculas, cũ ipſi in *Aſia, Europa*, & *Africa*, accipitrũ more, in nos, & alias omnes nationes, nil præter diras ſtrages meditati. ſic loquuntur apud ipſos *Azoara*: *Militantes, & ii, a quibus iuuantur, gratiam peccatorum promerẽtur, & paradiſum habebunt. Prædatum, vel expugnatum profecti, maximam a Deo mercedem accipient*. De horum rabido impetu ad gerendum bellum ſcribunt *Septemcaſtrenſis, Cuſpinianus, Poſtellus, Shauajius*. Hic examinari poſſet, vtrũ bono communi ſtatus Reipublicæ ſtatus, plus quam concupiſcibilis, vel cõtra, aduerſetur: ſed de hoc, libro quarto oportunius diſputabitur.

Azoar 19 32

Septemcaſt. de Reg. Tur. Caſpin. Trac. de milit. Tur. Poſtellus lib. de Turc. iuſtitia Chattaſius de Mo. ver. Rel. lib. 4 cap. 4.

20. Cæterum, cum apud Philoſophos decãtari ſoleat, omnia humana negocia tranſigi virtute, dolo, vel violentia, in diſceptationem venire poterit, cui nam dolus familiarius adhęreat, num imperio *Concupiſcibili*, vel potius *Iraſcibili*. Dubio procul, Philoſophi dolum diſtinguentes a ratione, ſeu virtute, atque etiam a violentia, eius nomine vim in homine concupiſcentem ſignificarunt, verumenimuero, non ita illi ſoli innaſcitur dolus, vti iram quoque non comitetur, ſicut ſatis apparet ex varijs belli ſtratagematibus, & graſſatorum inſidijs. Cũ etiam voluptas ingenium potius hebetet humanum, videtur dolis concinnandis ineptum prorſus exibere hominẽ, imperiũ voluptuariũ. nihilominus materiæ generalitate ſpectata, dolus magis referendus ad Imperiũ *Concupiſcibile*. nam voluptati deditus, omni ſuæ actioni, arte quadam deceptrici, obtendit ſpeciem honeſti: alioquin enim ſi finem intentum palam alijs oſtenderet, nihil fermè ad optatum exitum vnquam deduceret. Irati porrò, vbi de honore ex fidelitate agitur, ibi fidem datam fallere, aut falſarij haberi, exhorreſcunt. voluptuoſi autem non in eo precio habent honorem, quo martij, proinde vt ſuis delicijs potiantur, perpetuò fallunt. Poſtremò, facilius, & diutius viuunt, ac in frequentiori congreſſu, voluptatem, quam prædam, expetentes: ex quibus acuantur hominum ingenia ad dolos excogitãdos. irati verò, propter morum acerbitatem, non tam citò conueniunt, neque adeo diu pariter morari ſolent. Quamuis ergo voluptas vim ingenii retardet, nihilominus propter rationes dictas, ſtatus imperii concupiſcens doloſior reputandus ſtatu imperii iraſcentis, quod & veteres Philoſophi voluere. Conſtat hoc etiam ex *Auguſtino*, qui, vt ſupra vidimus, virtutes in tabula oſtendit ſimulatas, quæ voluptati ancillentur.

Auguſtin lib 5. ciu. c. 20.

21. Deriuantur hæc tria genera Imperij ex naturæ partibus in ipſis Ciuibus, vti diximus. ac plerumquè illud deligunt, ad quod eiuſdem naturæ pondere magis inclinantur. rarũ enim eſt, quempiam in vniuerſis inſignem reperiri ciuem. Non plurimi inueniuntur *Alcibiades, Demetrii, Syllæ, Catilinæ, Antonii*, atque *Luculli*, qui pari felicitate, otio, & labori, voluptati, & vitæ duritiei, aſſueſcant. *Alcibiades*, teſte *Plutarcho, erat in Lacedemonia homo grauis, & quod apud Spartiatas plurimi ſit, pugnator egregius. In Ionia iners, mollis, ac multis voluptatibus deditus. In Thracia quoque nunc potando, nunc equitando, incredibili arte mores barbarorum imitabatur. Hæc cum ageret Alcibiades, non mores in alios mores vertebat, ſed natura vtens, interioribus cupiditatibus tectis, ſemper ad eorum conſuetudinem, quibuſcum verſabatur, ſuum accommodabat ingenium*. Idem comparationem inſtituens inter *Demetrium* & *Syllam* hæc habet: *Fuerunt ambo cum ſummu flagitiu, frequenti potui, ac leuiſſimu amoribus dediti, tum è contrario liberales, benefici, ac in re militari peritiſſimi Duces*. Syllæ ingenium teſtatur eius epitaphium apud eumdem *Plutarchum*. *Nemo me amicus beneficientia, nemo inimicus inferenda iniuria ſuperauit*. Hæc morum diſcrimina proueniunt ex magno rationis in aliquo imperio, cuius vi naturæ indoles in omnem partem inſtar claui in manu *Palinuri* flexibilis, etiam in eam, a qua ab ingenio recedit obſtinatius. quale in *Lucullo* cernebatur, cum cœnis, tum Philoſophiæ, enixè incumbente.

Plutar. in Alcibiad. Saluſt. in Catil.

Plutar in Demet. & Sile. compar.

Plutar. in Silla.

Plutarch. in Lucul.

22. Quod itaque a prudente legiſlatore obſeruanda ſit populorum indoles, quibus, quãtum ex virtute fieri poterit, Ciuilium rerum adminiſtrationes accommodandæ, de hac ipſa indole pauca diſſerere non inutile aut iniucundum fuerit.

Cicer. lib. 1. off.

CAPVT IX.

Indolis humanæ quenam interpretatio Ciuilis.

INdoles naturę humanæ, eiuſdem vim in ſe complectitur: quæ etiã duplex, vna apprehenſiua ſeu cognoſcitiua, altera appetiua. quãobrem nomine indolis, ſignificamus aptitudinem, vel ineptitudinem in homine ad aliquid apprehendẽdũ, cognoſcẽdũ, ſimulque aptitudinem & ineptitudinem in eodem ad aliquid appetendum, vel non appetendum. Et quod plerumque tales fiot in ipſo homine apprehenſiones, & cognitiones, iuxta atque appetitiones, qualis in illo indoles, ea propter vt de apprehẽſionibus, & cognitionibus, inſuper de appetitionibus, iudicium feramus, opus, vt principiò indolem, ſeu naturæ humanæ actum primum, inſpectum habeamus. Et quidem indoles deficiens, aut praua, non reficitur vel corrigitur, niſi acri & longo vſu diſciplinæ: quod *Gregorius Nazianſenus* oſtendit exemplo ſimiæ: quæ cum in orcheſtro, ſpectante populo, mirum in modum humanos geſtus repreſentaret, illico viſis quibuſdam bellarijs, a quodam in tabulatum, vbi ludebat, proiectis, quibus ab ingenio capi ſolet, iocandi immemor, ad illa accurrendo ſe ſimiam eſſe omnibus monſtrabat.

Gregor. Nazian. Apell. 2.

His ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus vtilis armis.
Natura ſequitur ſemina quiſque ſua.

Propert. lib. 3. Eleg. 8.

2 Indolis verò, quæ animæ ineſt, nobis capienda magna ex parte notio a corporis ipſius qualitate: quæ iuxta multiplicem cauſarum, & aliorum accidentium occurſum, vt pote ratione parentum, aëris, cibi, ac potus, negociorum, recreationum, documentorumque, variatur, atque in diuerſis hominibus plurimum ſubit

bit diſcriminis. Imo ex corporis filo fit aliquãdo coniectura de internis animi conſilijs. *Plutarchus* de Sylla diſſereus, hæc refert: *Memoria proditum eſt, virum quemdam, genere Chalcidenſem, ex ÿs, qui cum Orabazo deſcenderant, Syllæ vultus ſæpius contemplatem, & ad corporis atque animi motus haud curioſe incumbentem, quin ad artis materiam hominis ingenium attentius conſiderantem, dixiſſe: Neceſſe eſt hunc maximum fieri virum. miror etiam nunc, inquit, quomodo ne cunctorum primus ſit, tamdiu patiatur.* Quinque autẽ in vniuerſum ſtatus corporeæ diſpoſitionis aſſignare poſſumus: Duos quaſi in extremo poſitos, alios vero totidem in medio conſiſtenres: & poſtremum ex ſingulis mixtum: quæ quidem partitio quatuor elementis, & ex eis compoſitis, reſpondet: inter que extrema, terra & ignis, media aqua & aer. Pariter affectionum corporearum reſpectu, melancholia, & cholera extremæ, terræ & igni, extremis adſcribuntur: in medio poſitæ ſanguineæ & phlegmaticæ complexiones, aeri, & aquæ medijs cõcedũtur. Aptãtur quoque eiſdẽ quatuor elementis, ãni totidẽ partes, ver, æſtas autũnus & hiems. vernali tẽpore & æſtiuo creſcun aer, & ignis, diminuuntur terra & aqua, Autumnali & hiemali incrementum capiunt terra & aqua: aeri verò & igni aliquid decidit. quibus accũmodantur quatuor in corpore humano humores. ſanguis, melancholia, pituita & cholera. quatuor etiã in animo affectiones, amor, odium, ira, & triſtitia eodem referendæ; quod earum acceſſiones, aut deceſſiones, ſi naturæ curſus ſpectetur, oriuntur plurimum a diuerſis diſpotionibus corporum & anni tempeſtatibus. Deinde ſubducenda ratio climatis, vt pote vicinitatum, & receſſuum, quò ad Polum & Aequatorem in generali: mox conſideratio adhibenda particularium ſituum ratione in eis habita montium, vallium, aquarum, pinguis aut arenoſi ſoli, Inſularum, & continentum, cibi etiam, ac potus, nec non exercitiorum, vt coniectura ſagaciter fiat, de alicuius ciuis indole. porro in hunc effectum mẽte colluſtranda ſexus diſparitas, ætas pariter, vtpote iuuenilis, ac ſenilis, expendenda, de qua egregiè *Ariſtoteles*, dum oratorem inſtituit ad prudenter dicendum. Diſciplina quoque, ac inſcitia, otium, & labor, apud aliquam gentem in vſu, examinanda: vitæ ſimiliter diuerſæ cõdiciones & ſtatus, vtpote literis ſtudentum, militum, mercatorum, ruſticorum, famulorum, liberorum, mancipiorum, exactè inquirendi, vt eis mente cõprehenſis, quod in animo ipſorũ latet, tanquam ex quibuſdã indicibus, & veluti lapidibus in ſuperficiem terræ egeſtis, genus foſſilium ibidem metallorum indicantibus, appoſitè venemur. de quibus in ſequentibus nõnulla ſtrictim pronunciabimus.

Plutarch in. Sylla

Ariſt. lib. 2. Rhetor.

4. Qui exactè quantum ad Ciuilitatem aliquid ambit æſtimare, is omnino gentium mores & inclinationes ſcire debet: & tametſi diuino impellente ſpiritu, in diuerſum quidam mortalium a ſua indole multoties abeant, & tanquam ſapientes vel ipſis aſtris arbitrij libertate dominantur, nihilominus ſtultorum infinitus numerus: eorum ſcilicet, qui naturę prouitari, tanquam malitiæ torrenti, dant manus, fingi ac refingi, volu ſe ab ea, impotenter patiuntur. ſi enim illi, qui varia animalia domi ſeruant, vt ea idoneè pabulo & accuratione tractent, diligenter eorũ naturas inſpiciunt, multò magis, vt ait *Muretus*, ciuilium officiorum pręfecti debent ſubditorum ingenia noſſe, vnde eis cum incitamenta, tũ impedimenta idoneè accommodent: quod & *Plutarchus* cum *Gregorio Nazianſeno*, præclare quoque aduertũt poſt *Ciceronem*. vnde obſecro, Princeps ſuis aptas leges præſcribet, quo vel a malo, intentatis pœnis eos arceat, vel ad bona ſpe mercedis prouocet, ſi non prius eorum intimos ſenſus nouerit, vt admonet *Celſus Mancinus*? *Sic enim eſt faciendum*, ait *Cicero*, *vt contra naturam vniuerſam nihil contendamus, ea tamen conſtructa, propriam naturam ſequamur; vt etiamſi ſint alia grauiora, & meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturæ regula metiamur: neque enim naturæ attinet repugnare, nec quidquam ſequi quod aſſequi nequeas: ex quo magis emergit quantum ſit decorum illud.* quod ſi in naturæ deprauatione aliqua corrigenda, eaque mouenda motu quodam raptus a diuina gratia, contra motum ſuum proprium ac naturalem, ad ideam inferioris ſpheræ cæleſtis ſub primo mobili collocatæ, in hunc finem iuuabit, perſpectam habere hanc ipſam naturæ, ſi quæ fuerit, a recto diuergentiam.

Prouerb. 16

Muretus in lib. 2. Tacit.

Gregor. Nazianzen. Apol. 1.

Plutarch. lib de rep.

Cicero lib. 1 de off.

Cel. Mancin. de Iur. Princip lib. 7. cap 9. Cicero lib 1. off.

5. Quod verò animi indoles plurimum dependeat a corporis, ex quatuor primis qualitatibus temperata diſpoſitione, idcirco in eodem ſummâ ratio habenda ſicci, & humidi. In vniuerſum deſinit cum reliquis Philoſophis *Ariſtoteles*, egregium præſtantis ingenij inſtrumentũ eſſe corporis ſiccitatem. Huius enim vi ſpiritus animales puriores, & magis ignei euadunt: proinde ad cogitandum, ac penetrandum potentiores: ſicut contra, vbi humidiores & craſſiores inueniuntur corporũ conſtitutiones, ibi ingenium quoque iacet, & ſemiſomne quaſi languere videtur. non tamen quò ad hoc, omnimoda ſiccitas optanda: nimia enim præcipitat mentem, & ad inſaniam declinat: ſed ea in precio habenda, quæ a colore, non quouis aqueo ſeu humido, ſed pingui ac tenaci, nutrito, propagatur. illud enim genus humidi frigidi, ac tenuis, vt facile diſſipatur, ac conficitur ætate, ita calidum non admittit, vnde ſiccitas illa ingenioſa deriuaretur. ob hãc ipſam vim ſiccitatis, obſeruat *Ariſtoteles*, mares prudentiores eſſe fæminis, ieiunantes paſtis, adultos pueris, vigilantes ſomno oppreſſis: quod *Euſebius* quoque recolit. ex quo effluxit figmentum Poeticum *Promethei*, furtiuum ignem inſerentis corporibus humanis: quod nempe intelligendi virtus in homine ſit quodammodo ignea, ad agendum quippe inde vehemens, excitaque.

Ariſt. de long. & breu. vitæ. Probl. de Eſu car.

Euſeb. lib 8 Demonſt. cap. 8.

Diſce orbu quid quiſque ſibi, quum conderet artus
Noſtros, æthereis miſcens terrena Prometheus,
Sinceram patrio mentem furatus olympo,
Continuit clauſtris, indignantemque reuinxit.

Claudian. Panegyr. in quart. Conſul. Honor

-Alij ad hoc ipſum ſignificandum, ingeniorũ varias ſpecies *Appollini*, hoc eſt Solis radio, diuerſimode corpora humana ferenti, & vrẽti, adſcripſerunt; ac inde eundem *Apollinem*

Æſcebil. prom. Mart l. 9. Epig 32.

inter Muſas appoſitè tanquam principem & parentem collocarunt. Quomodo verò animi affectibus diuerſimodè inſeruiāt quatuor primæ qualitates in humano corpore, ita deſcribit *Lucretius*:

Lucret.l. 3. *Eſt etiam calor ille animo, quem ſumit in ira,*
Cum feruescit, & ex oculis micat acrius ardor.
Eſt & frigida multa comes formidinis aura
Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati ſtatus aëris ille
Pectore tranquillo qui fit, vultuque ſereno.

Vnde apparet, nōn ſolum cogitandi & cognoſcendi modos deduci a certa corporum temperie, verum etiam affectionum diſpares formas ab eadem ſæpius oriri. *Quare dum agrotant*, inquit *Ariſtoteles*, *dum paupertate premuntur, dum amant, dum ſitiunt, omnino dum cupiunt, & non rectè rem ſuam agunt, iracundi ſunt, & facilè concitantur.* *Eſt autem*, inquit Heraclitus apud *Stobæū*, *anima ſicca ſapientiſſima, & optima.*

Ariſt lib 2. Rhetor. cap. 3. — Stob. ſerm. 3.

6. Hinc idem *Ariſtoteles* diſputans de moribus, & affectionibus ſenū, Iuuenū, nobilium, atque pauperū, corporū in eis proprietatibus exploratis, inde egregiè definit. Iuuenes affirmat corporum ratione venereis delectari, bona ſpe plenos; *quia vt temulenti, ſic natura calidi ſunt*: imperterritos quoque dicit, *propter eandem rationem, quia facilè ſperant*: in omnia nimis ruentes vocat, adactos etenim vi eiuſdem caloris vehementius in bona ſeu mala apprehenſa. riſu & facetijs deliniri pronūciat propter impetū ingenij, & ſuauitatis ſocialis appetentiā, non vt lædant, ſed vt ingenij potius ſpecimen iocantes edant. Senes verò propter defectum caloris, tardos eſſe cum ad aſſeuerandum, tum ad agendum: ſuſpicioſos quoque ac maleuolos, timidos pariter ait: *Et timidi & omnia præmetuentes: quia cōtra ac Iuuenes ſunt affecti; quippe qui refrigerati ſunt, illi vero calidi. quare ſenectus aditum timiditati patefacit, eſt enim timor refrigeratio quædam.* Alias porro deducit deſcrepantias ab vnius inexperientia, & alterius experientia: vtpote quod iuuenes facilè credunt minimè fraudum adhuc expertes: quod ſpe viuant, & expectatione futurorum ſuſtententur, parum dum euentuum ſcientes: quod abſolutè pronunciant, quod omnia nimis peragant, quod magnanimi, minimè redarguti, aut a mala fortuna depreſſi: quod ſocietates appetant, ex quibus delectationem capiant: quod miſericordes, omnes bonos, ac ſe meliores reputent. Senibus autem iſtis oppoſita attribuit ex rerum in ipſis vſu experta. mediæ idcirco ætati ſummam illam concedit præſtantiam, quę virum Ciuilem deceret. De hac re alibi quoque ſic loquitur: *Seniorum fœtus, quemadmodum & Iuniorum, imperfecti ſunt, & corporibus, & intellectibus. Seneſcentium quoque fœtus irrobuſti: quapropter illud maximè tempus probandum eſt, in quo maximè intelligentia viget in nobis. id autem fiet in plurimis circa annum quinquageſimum, vt quidam Poëtarum dixerunt, Septenario numero etiam dimetientes.* Fuſius de hoc ipſo diſſeruere *Galenus*, *Hippocrates*, cū ſuo interprete *Ludouico Septaliano*, medico *mediolanenſi*.

Ariſt.2. Rhetor. — Ariſt. l. 7. Pol 16 & lib.4. — Galen lib. quod mor. Anim. ſeq. temp corp Hippocrat.

7. Cum porro fides, ſeu credulitatis aſſenſus, magni momēti ſit, quod ad ciuilis vitæ negocia, tum vtile fuerit ita indolem hominum diſcutere, vt intelligamus, quænam ad ſuſcipiendum eiuſmodi aſſenſum procliuis, quæ verò ab eo auerſa. *Ariſtoteles* de hac re inquirens affirmat, mollia ac ductilia ingenia, aptiora ad fidem concipiendum, quam ſint arida ac moroſa, proinde mulieres citius credere quam viros, iuuenes quam ſenes, affirmauit. ob quam cauſam ſaluator increpans in Apoſtolis incredulitatem, in eiſdem culpat duritiam & tarditatem cordis. Similiter ait *Ariſtoteles*, flagrantes ſpe et deſiderio promptius induci ad credendum, quam nullo motu concitatos. Iſtis adiunxit *Cicero*: *In metu & periculo multa facilius creduntur.*

Ariſto lib. 2 Rhetor. — Ioan vltim. Marc 16. — Cicer. lib. 2. Diuinat.

8. Hae autem in re duo errores, tanquam ſcopuli, à nobis declinandi: vnus *Iuliani* Apoſtatæ, alter *Lucretii* Philoſophi ac poetæ. Ille Apoſtata tantam vim attribuit impreſſioni cæli, ac elementorum in corpus, & hinc in animam, vt inde omnem vitæ rationem, tam ciuilem, quam barbaricam, tam piam, quam impiam, deducendam abſolutè pronunciarit: quod de illo *S. Cyrillus* teſtatur. quem doctor iſte egregiè refutauit, oſtendendo, pleroſque, etiam in partibus Borealibus ortos, ad ciuilitatis iura, ſcientiarumque lumina, fæliciter perueniſſe: quod ille Apoſtata omnino inficiabatur fieri poſſe: adſtruendo, eiuſmodi homines ab ingenio ineptos prorſus philoſophiæ præceptis adſequēdis ac ad ſummum non niſi ad Dialecticam, & Rhetoricam aliquadantenus vnquam adſurrexiſſe. *Lucretius* autem ex hac ipſa corporis in animam poteſtate, tam quò ad cognitionem, quam appetitionem, definiebat, eam eſſe corpoream, quippe a corpore in ſua operatione omnimodo dependentē, & ab eodē paſſibilem. Cæterum ad hoc refellendum ſatis valida vel ipſa Philoſophia. is enim animæ ſtatus in corpore, quod eidem indita forma, vt ſenſibus externis, & interna imaginatione indigeat ad apprehendendum, & conſequenter ad cognoſcendum, & appetendum. mirum idcirco haud eſt, ſi non niſi eis præeuntibus, veluti corporeis & organicis ducibus, intellectu, appetitu, & voluntate ſubinde homo operetur. Neque tamē a corpore hinc patitur, quaſi corpus materiale aut animi affectiones corporeę, vt vult Seneca, quid ad eius ſubſtātiā trāſmitterent: ſed in eo ſenſu pati dicitur, quatenus ob vim corporis, actus aliquos vitaliter elicit, ad quos morali libertate ipſa non concurrit; quippe eorum motibus perturbata, concuſſaque, idque interdum contra expreſſam voluntatis ſuæ cupiditatem.

Cyrillus l. 4 cont. Iulian. — Lucret. l. 3. — Senec. ep. 106. ad lucil. — Rom. 7.

9. Modò vt in vniuerſum de ciuili indole aliqua ſtatuamus, ab ingenij bonitate ſumendū exordium. tres ergo exiſtunt ſpecies præſtantium ingeniorum. Primum, quod inſigni præditum ſpirituum calore, ita tamen humidi vnctuoſitate, ac molis carneæ dēlitate, cōſtipato, vt non ſolum vehemens ſit ad apprehēdendū & concludendum, ſed pertinax etiam ac robuſtum in indagādo, & vlterius ſemper inueſtigando. Huiuſmodi ingenia in ambitum immodicè deferri ſolent: & quod ſpeculatiua, ac eò ad generalia rerum principia delata, non ita quò ad agenda, reperiuntur accurata, aut ſagacia,

cia, niſi ætas de vtriſque illis aliquid decoxerit. Inter bona adhuc ingenia huic maxime contrariũ, illud, quod calore & ſubtilitate quidẽ ſpirituum viget, in humido tamẽ, cui innititur, ac in corpore ipſo, quid lubricũ, tractumque adiunctum retinet. Et quidem hoc ingenium totum poſitum in varietate rerum perluſtranda: quippe ſtromaticum & deſultorium, neque ad vllius rei fundum niſi rarò peruenire ſolitũ. Hoc prædit, quo ad ordinem, conſtantiam, ac virilitatem intelligendi vel ſcribendi, non valde benè compoſiti, ſed potius methodi veriq́ decoris incurij, ac plane in eis negligentes, velut per amæna prata quaqua verſum reſoluti vagè ac carptim ſpaciantur, laſciuiuntq́ animis liberius. Tertium locum obtinet ingenium inter hæc medium, nempe inter lubricitatem, ac tenacitatem, interiectum ſtatum retinens: quod quidem circa rerum decora & ornamenta, maximè eorum, quæ in actionẽ cadunt, ſplendide, ac prudenter occupari aſſueuit, animi quoque affectiones artificioſe cælare, vel ex virtute caſtigare, optime nouit: poetæ, oratores, aulici, ac magiſtratus excellentes, hoc inſtructi, plerũque euadunt.

10. Iſtis opponuntur tres aliæ ſpecies ingenij illaudabilis. prima eorum, qui ob nimiam humorum abundantiam, ac frigoris vim, animis ſtupeſcunt. Altera eorum, qui exuberante ſiccitate extenuati, ad cogitandum præcipites, ad definiendum leues, & identidem mutabiles reperiuntur. poſtrema eorum, qui cum natiuo calore & humido ſatis pingui abundant, eis nihilominus externus Solis ardor, luxuria, aut crapula, vitales ſpiritus exhauriunt, vel extenuant, vnde tardi, ac ſimplices perpetuò apparent.

11. Et quod ad mores attinet, ſpectanda indoles vt relata ad humanarum actionum fines, ſcilicet bonum honeſtum, iuxta ac iucundum, erga quos, homines ab ingenio naturæ diuerſimode comparantur. Reperiuntur enim aliqui, lubenti quadam vi animis delati ad intuendũ formas virtutum, vtpote temperantiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, ſimulq́ ad eas conducentis diſciplinæ, quas egregie animis deſcribũt: qui interim ad iucundorum vtilium, ac fraudum rationes contemplandas, quodammodo indormiſcunt. alij verò cernuntur planè debiles veſpertiliones ad inſpectionem boni honeſti, aut vt eam diutius in animo retineant inepti: ad lucra verò, ad delectabilia cum cogitanda tum acquirẽda, ad aſtus inſtruendos, ab indole acerrimi & eorumdem inquiſitores pertinaciſſimi, quam ingenii diſcrepantiam *Ariſtoteles* expendens, intuli, *finem talem ex eo ponimus, quia nos tales ſumus.* ob quam cauſam dixere quidã, homines *Ipſius apparentiæ Dominos non eſſe*: quod intelligi poterit tam de Apparentia in intellectu formali quam obiectiua. enimuero plerumq́; vbi ſtudiũ & diuina gratia non interueniunt, ibi pro ratione indolis fines proponi, & apparentias in mente conſtare, quaſi a naturali indole decretas, quiſpiam recte iudicabit: & proinde aliquid in iſtis ex dominio naturę omne dominium liberi arbitrii äteuertere. Ceterũ prior indoles omnino ad rationi obſequendum facta, verorum, ſeu bonorum finium & apparitionum intellectualium conſcia, palmare quoddam eſt Dei ac naturæ donum: *Habilitas eſt*, ait *Ariſtoteles*, *perfecta veraq; natura.* altera, r[illegible] ac pietate corrigenda, vt tandem animus [illegible] indocilis, optimarũ apparitionum ſimili[illegible] capax, virtuti, vtpote fini. non voluptati, operam impendat: *Nam & ego filius fui Patris mei, tenellus & vnigenitus coram matre mea, & docebat me atq; dicebat: ſuſcipiat verba mea cor tuum, cuſtodi præcepta mea, & viues.*

Ariſtot lib. 3. Ethic. c. 5

Prov. cap. 4.

12. Affectus quoque menſuram roboris & infirmitatis ſuæ mutuantur a differentijs ingeniorum. & quidem optimorum affectiones vehementiores ſunt, velut partus eorum vegetiores: tametſi eiuſmodi ingenijs prædit, maius obtinent dominium ex rationis potentia in ipſis ad earum moderationem; iuxta ac in eiſdem, vna affectio calentiſſima, aliam ſimilem, quo ad gradum, facilius compeſcit: in quibus ardentiſſima vindictæ cupiditas, timore infamiæ, aut alterius damni, paſſim ſedatur ac comprimitur. Etenim illi ijdem ſpiritus acriores, qui melioribus ingenijs adminiculantur, pariter affectionibus copioſius & acrius quoddam fomentum ſuppeditant; & proinde maximorum ingenioru maxima eſſe ſolent vitia. Quibus verò neruus ingenii iacet, non ob ſiccitatem, ſed ob abundantiam humoris atque frigoris, tametſi in eis minus impetuoſi exiſtant affectus iræ, odij, amoris, ac triſtitiæ, nihiloſecius ob defectum rationis, vt in fœminis videmus, accedunt ii prope ad ſtatum belluarum, non tam ex præſcripto intelligentiæ, quam imaginationis viuentes. Siccorum autem motus omnino rabidi ac furioſi, quales in dementibus deprehendimus. oportet tamen ſiccitatem a calore productam, qualis in iracundis, diſtinguamus a ſiccitate melancolicis inſitam, quæ frigori adhæreſcit: diuerſi enim affectus iſtis duobus ſiccitatum generibus reſpondent: illa enim mordax, maledica, vindicatiua, hæc triſtis tarda & funeſta. Domantur itaque animi paſſiones, ſiue etiam excitantur, dupliciter: primò ab ipſiſmet mutuo ac reciprocè, quod naturæ ad ſcribendũ: deinde a ratione ipſa, quod virtuti ac diſciplinæ attribuendum.

Plutar. in Demet.

13. Iam verò vt melius percipiamus, quænam ſit indoles Ciuilitati capeſcendæ aptior, cum virtutes duplicis ſint claſſis, vt docet *Ariſtoteles*, ſcilicet hominum in ordine ad ſe, ac in ordine ad alios, rectè inſtituentes, exiſtimandum, illam indolem quò ad Ciuilitatem eſſe palmarem, quæ magis capax virtutum, homines inter ſe, ac per varios reſpectus ad alios, rectè efformantium: quemadmodum contra, illam indolem præcipuè inciuilẽ ducimus, quæ earum virtutum minus ſuſceptiua, aut docilis: Ciuilitas enim hominem ad alios, ac ad multorum commune quoddam bonum, vti diximus, præcipue refert ac deſtinat. Reperiuntur etenim nonnulli rigidioris ingenij vi, voluptates a ſe abdicantes, temperantia ac victus frugalitate libidinem in ſeipſis auſterè ſubigentes: ſiue naturę quadam ſtupiditate hoc perfecerint, ſiue aliter, qui tamen in vitæ ſocios moroſi *Catones*, vel *Phociones* tetrici, manebunt: nullo gratificandi

Ariſt. lib. 2. Ethic. cap. 12. 5. Ethic. cap. 2.

Dapin. lib. 4. Thebaid.

Virgil. l. 4. Georgicon
Iuuenal. l. 1. Satyr. 14.

candi ſtudio aut conuiuendi cupiditate affecti. *O ſaxu unnirum & robore nati!* Ciuilis autẽ indoles eis ſolum inest, quorum præcordia, vt dici ſolet, ex meliori ac molliori luto effinxit *Titan*, quorumq́; ingenia nobilitate quadã, cum ad cognoſcendũ tum ad agendũ, reliquis prælocent. Hæc itaq́; imprimis cernitur in parte animi intellectuali, rerũ intelligentiã, tanquam pabulũ, vt loquitur *Cicero*, incitatius appetente: ac inter alia, Bonũ commune, ad poſteritatem traducendũ, expreſſius colluſtrante. Deinde in appetitu concupiſcibili, a fœda voluptate auocato, ſociorum verò amori, & eorum vtilitatibus procurandis, penitus addicta: vt egregie *S. Ambroſius* oſtendit. poſtremo in appetitu Iraſcibili ſedato: ita tamẽ vt vbi iuſta cauſa conſtiterit, acris & erectus nihilominus inueniatur.

Cicer. Tuſcul. 1.

Amb. lib. 2. off. cap. 7.

Ariſt. lib. 4 Ethi. c. 5. 6 l. 2. Rhetor. S. Thomas 2. 2. q. 157. art. 5.

14 Indolem hanc, de qua inquirimus, *Ariſtoteles* tam in *Ethicis*, quam in *Rhetoricis*, doctè expreſſit. Sanctus quoque *Thomas*, præclara hac ipſa de re, nempe lenitate ciuili, diſſeruit. Cæterum hæc lenitas, ſeu ſuauitas ingenij, poſita non eſt in animi quadam ſegnitie, facilitate nimia, vel inertia, quinimo potius igneæ cuidam virtuti admixta: quam & prodit, quoties illata iniuria depulſanda, vel officium aliquod, difficultate implicatum, abſoluendum. *Ea enim videtur*, inquit *Ariſtoteles*, *manſueti & lenis hominis natura*, *vt & ab omni animi tumultu ſit liber ac ſolutus, ne ſe a perturbatione trahi patiatur, ſed vt ratio præceperit, ita & his de cauſis, & tam diu, iraſcatur ac ſæuiat.* tametſi enim ciuilis noſter propenſus eſſe debeat ad ignoſcendum, & ab omni vindicta alienus, vt monet *S. Auguſtinus*, nihilominus non eſt quod incuria veluti reſupinatus, vecors exiſtat, & ad omnem contumeliam immotus torpeſcat. *Enimverò*, ait idem *Ariſtoteles*, *aliorum in ſe, & in ſuos contumelias perpeti, ac negligere, mancipiorum eſt.* Qua de cauſa diuinæ gratiæ in nobis vis, non ſolum ad mores ſanctos, ſed etiam ciuiles conducens, eis emblematibus in ſacris ſcripturis aptè elucidatur, quæ humilia ſimul ac fortia repræſentent: vt in Chriſtiano cum animi dimiſſione, partiſque concupiſcibilis idonea inflammatione, iraſcibilis quoque impetus aliquis ſe oſtenderet: quod *S. Gregorius* adnotauit. Neque hoc humilitati, vel charitati Chriſtianæ aduerſatur: licet enim omne genus iniuriarum abſq́; vindictæ appetitu, ſub ratione vindictæ, vt inſtruit Apoſtolus, ſit a nobis quietè & patienter perferendum, nihiloſecius, quando illata iniuria bonum commune læditur, ac virtuti inde detrahitur, permiſſum, opem magiſtratus inuocare, vt damnũ incuſſũ ab inſonte reparetur, ac vt iuſtitia de tota lite decernat. Hinc definitum a Philoſophis, eas gentes aptiores ad imperandũ, quæ ingenio plus valent, & animoſitate: illud præſtabit vt de omni auſu ac conſilio rectè iudicemus, hæc, vt quæ ſemel definiuerimus animis, neruoſè deinceps executioni mandemus. quod ſi iſthæc defuerit, altero ſuperſtite, omnia languidè ac remiſſè, more Aſiatico, peragentur, omittenturque quam plurima ad publicam laudem ac felicitatem reipublicæ pertinentia. Similiter ſi animoſitas ſeorſim a manſuetudine extiterit, omnia crudelitate & violentia ab ea ſola perficientur.

Auguſt. Serm. 2. de S. Stephan.

Act. 2.

Gregorius Homil. 2. in Ezech.

Rom. 12.

Claudian. de bello Getico

Cui natura breues animis ingentibus artus
Finxerat, inmanique oculos infecerat ira.

Hinc pronunciat *Ariſtoteles*, ſæuos homines, & ex ira rabidos, non eſſe Ciuili ritu fortes, vtpote *Achæos*, *Eniochos*, & *Tartaros*, non leonũ, hoc eſt fortium, ſed luporum ac draconum more incrudeſcentes. *Pugnaces illi quidem, ſed non fortes appellandi ſunt. Neque enim lupus, aut aliarum belluarum alia, honeſtum vllum periculũ adibit, ſed vir bonus potius.* Mixtam itaque ex illis, quæ videntur contraria, formam quamdam ciuilis ingenij in *Bruto* ita *Ouidius* deſcripſit.

Ariſt. lib. 8. Pol. cap. 4.

Ouid. l. 4. de Ponto.

Cum tibi ſuſcepta eſt legis vindicta ſeuera
Verba velut tinctum ſingula virus habent.
Hoſtibus eueniat, quam ſis violentus in armis
Sentire, & linguæ tela ſubire tuæ.
At ſi quem lædi fortuna cernis iniqua,
Mollior eſt animo fœmina nulla tuo.

15. Repugnat verò Ciuilitati, tanquam ferocis equi maxilla, directrici freno, ingenium immite & crudele, cum quod ſuauitatem nullam a ſe in alios transfundat, quæ magna pars ciuilitatis: tum quod nullo amoris affectu, aut commiſerationis teneritudine, erga alios ſoluatur. *Sæui & aſperi homines*, inquit *Ariſtoteles*, *ad conuictum, vitæque conſuetudinem minus accommodati ſunt.* Ad cuius normam reducantur quoque iracundi, & facilè irritabiles: de quorum ſpeciebus diſſerit idem *Ariſtoteles*. Sunt itaque nonnulli, quauis oblata contradictione, ſeu impedimento etiam minimo occurrente, qui illico ira, tãquam aridæ ſtipulæ corripiuntur, in verba probroſa, aut facta nociua, prorumpẽtes.

Ariſt. l. 4. Ethic. c. 4.

Iuuenal. l. 1. Satyr. 10.

——— *quorum præcordia nullis*
Interdum, aut leuibus videas flammantia cauſis,
Quantulacumque adeo eſt occaſio, ſufficit ira.

At hi, vt inquit *Ariſtoteles ſunt placabiles, iraſcendiq́; finem citò faciunt: quod quidẽ in illis vel optimum. nã vt illico iraſcuntur, ſic vindictam repente, propter animi concitati celeritatẽ, maledicto frequenter exequentes, iraſcendi finem faciunt.* hos appellat ἀκροχόλους: qui nempe valde bilioſi *ad omnia, & omnibus de cauſis iracundia exardeſcunt.* Alterius ſortis reperiuntur πικρόχολοι, dicti, nempe amari, *implacabiles, diuque in ira perſeuerant, quod hominum genus cum ſibi moleſtiſſimum, tum amiciſſimis.* In quam claſſem a *Plutarcho* relatus *Cato Vticenſis. Ad iram non facile lubens, ſed cum in eam deuenerat, implacabilis.* Tertio loco recenſentur χαλεποὶ, *qui & propter cauſas ob quas non debent, & grauius quam debent, iraſcuntur: & qui numquam placantur, niſi iniuriam vlti fuerint, vel etiam eos, quibus irati ſunt, caſtigarint.* Apud *Stobæum* vero iræ ſpecies numerantur duodecim, voluptatis tres, metus octo, doloris decem: quibus ipſe conſuli poterit.

Ariſt. Ethic. cap. 5. 6. 2. Rhetor.

Plutar. in Cato.

Stob. lib. 2. Eglog. c. de affectibus.

15 Ciuile porrò ingenium magnanimum eſt: ſcilicet ad magna præſtanda in aliorum gratiã comparatũ. *Neque magnanimos*, ait *Ariſtoteles*, *natura immanes facit, niſi in eos, qui iniuriam inferunt.* quorum ſi ſit aliqua ferocia, eam aſſerit verſari circa iniurias notorum, ac familiarium potius, quam aliorum, quippe quod, propter expectata ab eis maiora commoda, ſint æſtimatione grauiores

Ariſt. l. 4. Ethic. c. 3. 6. 7. l. 7. pol. c. 7. l. 2. Rhetor.

viores eorum iniuriæ. In univerſum autem de ultionibus magnanimiorum ita pronunciat: *Viri magnanimi non eſt. memorem eſſe præſertim iniuriarum & malorum ſed ea potius pro nihilo putare, curabit neminem ut offendat. ſed ut delectet potius, & aliis ſit iucundus, blandus, & placendi ſtudioſus.* Ceterum quod inter alias cauſas, iuxta atque varia indicia civilis ingenij, terræ ſitus, in quo quis naſcitur, educatur, ac verſatur, recenſeri ſoleat: idcirco de illo aliqua breuiter inquirenda. Enim vero tamé quantum ad meram indolem ex ingenio nullus definitè ſtatuere poterit, hunc futurum probum omnino, potius quam improbum. *Antonius* & *Demetrius* ſummis ingenijs prædīti, nihilominus ſententiam *Platonis*, ut ſcribit *Plutarchus*, veram probarunt: *Præclara ingenia, quemadmodum virtutes maximas, eodem quoque pacto, vitia maxima etiam producere ſolent.*

Plutarch in Dem.

CAPVT X.

Conſiderationes, & calculationes Geographicæ, vtiles ad cognoſcendum populorum, quo ad Civilitatem, indolem.

Plin lib 7. cap. 1

VEmò quidem Sapientum haud pauci cum *Plinio*, divinum opificium in eo ſunt demirati, quod Deus in hac tam parva terræ mole præter aliarum rerum admirabilem varietatem, homines moribus, ingenijs, inclinationibuſque adeo diſpares condiderit, ac in ipſa ſedes illis diſcreto conſtituerit. & quidem ſicut in modica tabella multiplices formas depingere difficilius, veluti infinitorũ obiectorũ ſpecies oculi unius pupillæ inferre, quá in largo ac ſpacioſo eas extendendo delineare, ita in hoc globo terræ, qui cæli cõparatione punctulum, tot genera creaturarũ, & in hominibus, conſuetudinum, appetitionum, ac iudiciorum adeo Varias formas Deum excitaſſe, miraculi loco iure haberi debet. quòd verò terræ iſthæc ſubſtantia tota in ſe magna non ſit, inter alia id probat, quod ab *Ariſtotele* deprehenſum: nempe a Græcia iter inſtituentes Ægyptum verſus, non ita grandi ſpacio ab eis dimenſo, ex terræ tamen in eo deuergentia, in oculis ipſorum aſpectus poſituræ in ſtellis intercipi, & haud parum variari. vbi autem exiguo interuallo confecto, in corporatura globi inſignis deuergentia reſpectu cæli cernitur, ibi ille globus valdè amplus aut immenſus eſſe non poterit. *Diodorus ſiculus* porro affirmat, ab ipſa *Scythia* ad *Troglodytas* per *Ægyptum* & *Nilum*, itinere navigabili, tẽpore dierum viginti trium homines pervenire: quæ intercapedo ferme eſt poli arctici, diſtantis ab æquatore, & quartam partẽ totius terræ cõprehendit. Ad hoc ipſum etiam indicandum, à vitis eductione rationem aliquam deduci poſſe, mihi videtur vero ſimile. ſi quis ab Italia recte per mare Tyrrhenum in Africam excurrat, reperiet, vitis edendæ, ob feruorem ſolis, non ita longis tractibus ab illo mare emenſis, terrã tibi prorſus ineptã. Si deus poſtea ab Italia iter faciat verſus Bóream, etiam poſt paucarum dierum itinera, experietur, propter frigus, ibi ſolũ, vitem aut ægre aut omnino nõ producere. Quo circa, quod in locis, ſanè non niſi exiguis intervallis diſſitis, invenitur magna mutatio caloris ad frigus, & huius ad illum, terræ moles, tanta declinatione in paruo deuergens, nullo modo in immenſum lata æſtimari poterit.

Ariſt lib. 2. de Cœl. cap. 7. Tex. 110.

Diodor. Sic. lib 4. antiq. Cap 3.

2. In vniuerſum itaque, quod a Solis radio, delato in aerem, in certo loco oriatur diverſitas temperiei in incolarũ corporibus, ideo neceſſe eſt, pro varietate Horizontum, vel etiá notabili mutatione intra Horizontẽ ipſum, aſſignare varietatem radij ſolaris, ac ipſius Zodiaci. Horizon verò conſiſtit in indiviſibili: nam ad omnem motum aliud & aliud punctum tam centricale quam verticale comparent, vt ſatis manifeſtum. diſcrepantia autem, quòad Solis influxum, nõ videtur attendenda ex artis præceptis, niſi ad magnam aliquam differentiã Horizontum, quæ in quinque Zonis reperiatur.

3. Solem verò in humanorum corporum tẽperies, obtinere vim, præter rationem, oculi pariter noſtri conteſtantur: idque inter alia, ſpecies & colores corporum humanorum ſatis indicant. Vbi verò Solis radius minus roboris habet, ibi corpora frigidiora, craſſiora, humidiora, ſimulque candidiora reperiuntur. quod autem ad candorẽ attinet, is duplex: vnus, qui oritur ex fluore prorſus frigido, qualis in flegmaticis: alius qui propagatur ex elaborato calido, qualis in oſſibus & dentibus. prior ingenio nihil fauet, iſte plurimũ: ſaltẽ nota non eſt animi effæminati, aut inſtar albi equi, vel candidæ roſæ, languentis. Contrà, quo loci Solis radius ardentior, ibi illud fluidũ in corporibus exhauritur, & ſpiritus animales in eiſdem magis ſpirituales & ignei exiliunt, ac conſequenter ingenia feruentiora euadunt: affectus quoque tam in bonum, quam in malum, acriores. Vnde ſolitum dici, talem vnumquemque animam nactum, quale Cælum, ut ex *Homero Ariſtoteles* pronunciauit. Corporibus ita à ſole in diſcrimina actis, reſpondent in eiſdem locis diuerſa genera ciborum, ac potus: ita ut perpetuò ex naturæ appetitu, quod à ſole ſemel ingenitum, id à cibo & potu congruenter in eiſdem locis eductis, conſervandum, augendumque, ſiue id ingenio faveat, ſive aduerſetur: ſimile enim ſemper ſimile appetit, & ſimile a ſimili nutritur, vt docet *Ariſtoteles*. Temperiem corporũ, & ſpeciẽ victus, ſequuntur actiones, recreationes, otia, ſomnus, ita ut omnia fere in favorem primigeniæ cõſtitutionis in ſingulis locis decernantur, niſi ratio, & diſciplina ruentẽ naturã, ad melius & altius opportunè retraxerint. *Athenis tenue cælũ* inquit *Cicero, ex quo acutiores etiã putantur Attici: craſſum, Thebis: itaq; pingues Thebani & valentes.* Et alibi: *Etenim licet videre acutiora ingenia, & ad intelligendũ aptiora, qui terras incolunt eas, in quibus aer ſit purus & tenuis, quam illorũ, qui utantur craſſo cælo atque concreto, quin etiam cibo, quo utare, intereſſe aliquid ad mentis aciem putant.* Et alibi: *Sunt partes agrorum, aliæ, quæ acuta ingenia gignant, aliæ, quæ retuſa, quæ omnia fiunt & ex cæli varietate, & ex diſpari aſpiratione terrarum.*

Claud lib. 1. de Rupt. profer. Plin. lib 3 Nat. Hiſt. cap. 7.

Ariſt lib. 2. de Anim. Text. 150.

Ariſt lib. 2. de gener. & Cor. cap. 2. Text 16.

Cicer de Fato.

Cicer. lib. 2. de Nat. Deor.

4. Ad aeris, ratione ſolis, qualitatẽ, omnino cõſtituuntur qualitates aquæ, terræ, animalium, & eſculentorum, ex quibus vivitur in eiſdem locis: & haud parua quadam ſimilitudine inter ſe, ac

Cicer. lib. 2 Divinat.

cum corporibus humanis copulantur. ac credendum, in partibus *Borealibus* lunam magnam habere potentiam in corpora incolarum : tum quod in eis regionibus lunæ radius diuturnior & potentior, qui inde ibi contra frigus noctu eiſdem ſuccurrit: tū quod cū in vniuerſum humidis luna dominetur, inde eorū corporibus, pariter humidiſſimis, præciſe exiſtimandum. In eis autem partibus, quæ ad æquatorem accedunt, parum valet ſua virtute luna: neque pro *Diana*, aut numine, vt ibi habetur, ſole vrente ab incolis vnicè culto, & quemadmodū ibi in corporibus præualet humiditas, ita & hic ſiccitas. quando autē pronunciatur à Philoſophis, ibi meliora ingenia reperiri, vbi corpora ſicciora, id intelligendū de mediu ſitu inter polos & æquatorē, vel tropicos: & per comparationem ſituū versus polos, vbi corpora valde ſunt fluida. nam absolutè ſiccitas exuſta, licet ſit feruida & acris, nihil tamen confert ad animi diſcurſū, aut iudiciū: quinimo eis potius plurimū officit, vt ſans liquet ex Æthiopibus, & Troglodytis aduſtiſſimis. *Ex quo* inquit *Cicero, intelligitur, plus terrarum ſitus, quam luna tractus, ad naſcendum valere.*

Ouid de triſt lib. 4.
Cicer lib 2 de diuinat.

Marcil. præm 8. lib. Platon. de legib.
5 Inter alia quoq; quantū ad hanc coniecturam, habenda ratio ſterilitatis, aut vbertatis alicuius ſoli, animaduerſum a *Marcilio ficino*, & aliis, plerumq; pinguiores & fertiliores terras, hebetiores homines gignere: contra ſteriliores magis ingenioſos, fortiores etiam, & plane pugnaciores, vt notat *Strabo*: ſiue hoc faciat Deus, vt imbecillioribus naturæ beneficiu opem ferat, ſiue hoc ex naturali quadam cauſalitate deducatur. *Longa obſeruatione probatum*, ait *Alexander Neapolitanus, eas regiones, quæ cæli clementia & affluenti copia gaudent ſenſi hebetes, & obtuſa mente plerumque homines gignere : quæ verò diſſiciles & agreſtes ſunt, ſingulari ingenio viros elucere.* & quidem vbi ſolum ſterilius, aer purior ac ſiccior: pinguiores enim glebæ, craſſiori aeri ex vaporibus & exhalationibus ſubiacent: vnde neceſſe incolarum corpora itā diuerſitatem ſubire; vt illorum non ſint adeo ſicca, quam iſtorum neque putandū tamen, ſolo calore aerem reddi ſicciorem & defecatiorem, quum ad hoc quoque frigiditas plurimū etiam conferat: maximè quando ſubſtrata terra, humore ſiue inſito, ſiue a fluminibus ac paludibus hauſto, deſtituitur. An verò frigiditas eam ſiccitatem corporum pariat in partibus *Borealibus*, quę ingenij ſit adæque nobile inſtrumentum, quam eſt ſiccitas locorum in medio ſitu ex ſolis ardore, diſputari poterit. Neque ad indolem inueſtigandum a ſerie cauſarū in regionibus ſterilioribus. eximenda incolarū inopia: hæc enim tametſi abiectos ac dimiſſos faciat, vt ait *Ariſtoteles*, vſu multiplici tamē incolarum ingenia exercet & acuit. De qua re egregiè tractat *Ptolomæus*; vbi inter alia affirmat, terras aridiores educere homines ingenio acres, licet truces ac fortes. *Omnia*, inquit *Hippocrates, quæ a terra producuntur, terræ naturam ſequuntur.* proinde quod incolæ ad ingenia ſuæ terræ ſint corporibus ſiccioribus, aſſeruit quidam apud *Strabonem, Indos Æthiopibus præſtare, quia ob aeris ſiccitatem acutiores ſint, & minus falluntur.*

Strab. lib. 2.
Alex. lib. 4 cap. 13.
Ariſt lib 4. pol. cap. 11.
Ariſt lib. 7. pol cap 16.
Ptolom. lib 2 Indic. Aſtronom. cap 2.
Hippocrat. lib de ſitu loci, & aer.

6 Quantum autem ad eos, qui regiones fertiles incolunt, corporibus ſunt ij mollioribus ac delicatioribus. ac eò in voluptatem crapulæ ac potus, propenſiores, & pacis ſtudioſi, vt ait *Strabo*. Quibus propterea, vt vivant civiliter, maximè neceſſaria philoſophia, vt monet *Ariſtoteles*, ſapientia ac fortitudine parum alioquin valentibus. *Non faciunt molles ad fera tela manus.* Hinc *Pacianus*: *facile eſt vincere timidos & imbelles, quales amœna Græcia, & deliciæ orientis educunt, vix leue pallium & ſericos ſinus vitando ſole tolerantes, & ſi quando in periculum venerint, libertatis immemores, vt ſeruire liceat, orantes. Romanum vero militem, quem, qualemque ordinat diſciplina, & Sacramenti religio confirmat, aut trucem Francum ferina ſola carnè diſtentum, qui vitam prouentus ſui vtilitate contemnat, quantæ molis ſit ſuperare, vel capere?* Refert etiam *S. Hieronymus*, tunc vel maximè Græcos induſtriam in eloquentiam contuliſſe, quando rerum penuria arctius premebantur, vel ambitu factioſius laborabant: ab ipſa quippe neceſſariurum parcitate vehementius excitatos.

Strab. lib 2.
Ariſt lib 7. pol cap 17.
Ouid. Hypo.
Pacian pa. conſ.
Hieron ad Salum.

7. At nun ſolū in hac Geographica ingeniorū & affectuū inueſtigatiune, cogitanda vniuerſalis ratio ſitus in aliqua regione, nempe quo ad ſolam diſtantiam eius a Polis, & linea æquinoctiali, ſed etiam adhibenda conſideratio ſituum, varijs modis peculiaribus affectorum. Innotuit enim, aliam, & aliam, ſub eadem linea æquinoctiali reperiri terræ qualitatem, ſimulque hominum, ibi habitantium, diſpoſitionē corpoream, & animaſticam, plurimum diſcrepare. India enim occidentalis, ſeu *Peruana*, ſub eodem gradu collucatur cum orientali: illa tamen temperata ſatis, hæc verò calidiſſima ac vix habitabilis. In quibus montes, & valles, iuxta ac diuerſæ aquarum corriuatiunes, differentias conſtituunt, vt ſcribit *Ouandus vlyſſiponenſis*. vnde in eiſdem aliæ quoq; & aliæ ſpecies corporum, pariter & animorum, in ipſis incolis propagantur. *Anglia* noſtra, quantum ad diſtantiam a polo, non multum differt ab aliquibus partibus *Poloniæ*; nihilominus quoad frigus. propter vaporem marinum, & alias cauſas, ad teporem facientes, illis Anglia longè diſſimilis. Atque propter aeris clementiam dicit *Herodianus*, Britannos vſus veſtium quondam ignoraſſe. In regno quoque Neapolitano ſunt loca quædam ſaltuoſa ac montoſa, quæ vitem non admittunt, & ſummo frigore conſtringuntur: cum alibi illa regio vipote œnotria tellus, ſit vitis ac vini generoſiſſimi feraciſſima: & quod in hac tractuū diſparitate cernitur, id transferendum ad diuerſitatem indolis in eis habitantiū. Cum ergò definiuiſſet *Ariſtoteles*, Græcos inter alios maximè aptos ad imperandū propter ingenij in ipſis excellentiā ex medio ſitu, hæc intulit *S. Thomas*: *virtus figuræ cœleſtis non recipitur in contento, niſi mediante continente proximo. ex quo contingit, quod quamuis exiſtentes in aliqua regione non inclinentur ad gubernādum benè ex figura cæleſti communi, tamen ex ſpeciali diſpoſitione ipſius hoc poteſt eis contingere.* Hoc ipſū *Ptolomæus* quoque rectè expendit, ac docet, ſpectandam indolem alicuius gentis non ſolum ex cœli influētia, & horoſcopis, ſed etiā terræ ſiccitate,

Ouand. de Navig. Ind.
Herodia. in Seuer.
Virgil Aneid. 6.
Ariſt lib. 7. pol. lect. 14.
S Thom in 7. pol. lect 5.
Ptolom lib. 2. de Indic. Aſtronom. cap. 2.

tate, aut humiditate, ex locis quippe illius altis, vel depreſſis, ex frequentia aquarum, totis copia, & alijs. *Britannia*, inquit *Arnobius*, *a ſole deſiccatur, ſed circumfluentis maris tepore recreatur. Aegypti ſiccitatem temperat Nilus amnis. colit Euphrates Meſopotamiam, & pro imbribus penſat.* (Arnob. l. 8)

8 Quantum ad hæc ſitus particularia, animaduertit *Hippocrates*, aeris varietatẽ, eiuſdem anni tempore frequentem, ſimulque tranſitum illius à maximo calore ad intenſum frigus, indicare mentium mutationes, inſtabilitates cum violentia conſiliorum in incolis, ab extremis ad extrema digredientibus: ſimulque eorumdem ſenſus plane contrarios: multum ſaltem cum alijs, tum ſibi ipſis, diſſimiles. *Vbi anni temporum mutationes tum crebræ, tum plurimæ inter ſe differunt, ibi & formas, & mores, & naturas, plurimum diuerſas comperimus.* In Europa exiſtimarem has cauſas mutationum, vtpote montes, paludes, decurſus fluminum, ventorum ſpiramina, copioſius reperiri, quam in Aſia: proinde ingenia itidem Europæorum eſſe valde mutabilia, ac diſſimilia. cum enim mores animi ſequantur corporum temperaturas, quod iſtæ regiones identidem varientur, ab extremis ad extremas delux, tales quoque euadent affectus appetitus in incolis, non ſolum ab alijs, ſed inſuper à ſemetipſis ſæpius diſſidentibus. a quibus euentibus neque medij ſitus, qui tamen optimi, prorſus immunes. quamobrem non tantum trutinandus animo calor æſtiuus, ſed etiam frigus hibernum dimetiendum: non tantum dierum æſtus, ſed Noctium longitudines, earumque defluentes humiditates, pariter recogitandæ, ac inter ſe cõferendæ. Si ardente meridie in tractu aliquo, alicunde aura ſpiret frigidiuſcula, quod alicubi vſu venit, profectò horum oppoſitorum occurſu in aere, etiam in corpore & in animo incolarum mirum quid, ac ſibi planè aduerſarium, reſpondebit, & aliquid, quod *Mercurius* aliquis ſub alto complicatis ſinus recondiderit. Eorum verò ingenium conſtantius, & ſibi perpetuò conformius habendum, quorum cælum tale, neq; illa viciſſitudine in incertum, vel etiam certò ita in oppoſita, alterabile. (Hippocrat. de locis aer. & aquis.)

9 Denique non omittenda propagationis, ſeu originis, contemplatio: nam ſtirpis ſuę ingenium gentes referunt, etiam poſt longam ſeriẽ exactarum generationum: ex quo ſæpius venit, vt natiuo cælo, ac ſolo, prima & antiqua indoles alias deducta ad huc repugnet, aut eis ſaltẽ moderationem quandam, inſtar aquæ vinum diluentis, ſanguinis deriuatione adiiciat. quocirca vt Gallicanam indolem expiſcemur, cogitandum, Gallos a Francis, Germaniæ populo, originem traxiſſe: quod & præſtandum in ſimili de alijs gentibus inquiſitione: vt pote in ſcrutinio Romanorum a Græcis, & Longobardis. Hiſpanorum ab Afris, Gothis, ac Vandalis: Hibernorum ac Scotorũ a Scythis oriundorum: Anglorum a Saxonibus & Normannis propagatorũ. tametſi enim aſpera Borealiũ ingenia paulatim miteſcant, poſteaquam ad tractus orientales, aut in medio ſitu poſitos, appulerint: viciſſim mitia ingenia, in frigidis illis Septentrionis terris ſenſim incrudeſcãt: nihilominus, quod in vtriſque primigenium ac radicale, id quo ad aliquem ſui gradum ſemper durare ſolet, ac in ipſa indole morſuſque elucere. quis enim modo non animaduertit *Francorum* aliam eſſe indolem ab illa veterum *Gallorum*. itidem *Anglorum* ab illa *Saxonum*, de foris in *Britanniam* appellentium? (Dionyſ. l. 4. Antiquit.)

10 Certiſſimè itaque definiendum, qualitatem terræ ac aeris ex eorum ſitu, ingentem obtinere vim ad indolis in omni gente rationem conſtituendum. *Britannia*, inquit, *Ptolomaus*, *Galliæ Braccata, Germania, Baſtarna, incolæ ſunt communiter feroces, pertinaces, truces: at Italia, Apulia, Sicilia, Gallia togata incolæ præſtantiæ, bonitati, amicitiæ ſtudent. Tyrrheni vero, & Celtæ, Hiſpanique, libertatis, ſimplicitatis, munditiei ſunt amatores.* In eandem quoq; ſententiam hæc *Iulius Firmicus*. *Quadam gentes ſunt ſic formatæ, vt propria ſint morum quodammodo virtute perſpicuæ. Scythæ ſoli immanis feritatis crudelitate graſſantur. Itali ſunt regali ſemper nobilitate præfulgidi: Galli ſtolidi, leues Græci, Afri ſubdoli, auari Syri: acuti Siculi: iniurioſi ſemper Aſiani, & voluptatibus occupati: Hiſpani elata iactantia animoſitate præpoſteri.* (Ptolom. l. de Indic.) (Iul. firmic. l. 1. cap. 11.)

Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,
Hic Cymbala tinnulaque Gades,
Illic agmina confremunt Syrorum,
Hic plebs ſcenica, quique comminus
Permutat vitreis gregale Sulphur:
Inter quæ ſubitò cadunt volatu
Immenſæ volucrum per aſtra nubes,
Quas Nilus ſacer, horridusque Phaſis,
Quas vdo Numidæ legunt ſub Auſtro.

(Papin. l. Siluar. Calend. Decemb.)

Hoc *Ouidius*, *Ponti* cælum perpeſſus, ſignificauit:
Si quis in hac ipſum terra poſuiſſet Homerum,
Eſſet, crede mihi, factus & ille Getes. (Ouid. 3. de Ponto)

Effaminat animos, inquit *Seneca*, *amanitas nimia: nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio.* Huius rei cauſa in hac ipſa Europa repeeriuntur populi, qui ſi cũ alijs conferantur extremi videbuntur, & alij quantum ad modum indolis, eorum reſpectu, medij. Hoc pacto Italus cenſeatur medius inter Hiſpanum, & Gallum. nõ enim illam retinet prorſus ingenij grauitatem, & pertinaciam hiſpanicam, neque agilitatem Gallicam, ſed horum generum eas formas in ſe complectitur, quæ inter eas collocantur. ſimiliter Anglus & Flander medij reſpectu Galli, & Germani: etenim haud oſtendunt acres illos ſpiritus Gallicanos, neq; omnino Germanicam lentitudinem; ſed horum medius gaudere vtrinque remiſſis, aut amplificatis extremis æſtimentur. & quod de iſtorum indole ſtatuitur, quadrat id in diuerſitatem aëris, quo hi populi vtuntur; ita vt inter eos ſit hoc cælũ extremum, itidemque aliud medium. quorum differentiæ optimè calculationibus Geographicis minutè cognoſcuntur. (Senec. Epiſt. 51.)

11. Genus quoque Belli, ac conuictus, a qualitate regionis deducitur. *Plato* hoc ipſum enucleate animaduertit. Theſſali, qui terram complanatam incolunt: quales modo *Poloni*, & *Tartari Precopitæ*, ab ingenio arte equeſtri vtuntur & delectantur. Cæterum verò, qui loca montoſa ſeu impedita tenent, vel inæqualia, curſu vtuntur, & exercitatione pe- (Plato dial. 2. de l. gib. Senec. Epiſt. 36. ad luci.)

deſtri. leui pariter armatura, vtpote ſagittis, teliſque inſtructi, dimicant, ne curſus in ipſis armorum onere impediretur. Iſtius ingenij, quo ad arma bellica, tàm *Boreales*, quam *Auſtrales*. quod genus militię. fugax appellatur, non tam fortium virorum, quam immanium. Hinc *Scythæ, Medi, Parthi*, populi ſeptētrionales & in Auſtro *Braſilienſes* ac *Æthiopes*, ritu fugacium, telis eminus pugnant, ac ſagittis: nationes autem fortiores, vtpote *Græci, Romani, Germani*, ac *Galli*, pugnis ſtatarijs, haſtis gladijſq; ac cominus rem bellicam conficere ſoliti fuerunt. vnde Lucanus.

Lucan. lib. 8. *Enſis habet vires, & gens quæcumque virorum eſt,*
Bella gerit gladijs: nam Medi prælia prima
Exarmant, vacuaque iubent remeare Pharetra.
Nulla manus illis fiducia tota veneni eſt.

Claudianus ſimiliter hæc cecinit:

Claudian. de tert. Conſul. Honor. ———, omni Numen confeſſi pharetris,
Ignauas Meroe traxit de crine ſagittas.

ob quam cauſam gentes iſtæ nuncupatæ fugaces, vagæ, inſtabiles. *vagus Scythus vagus Afer:*

Lucan. lib. 4 & 3. *At vagus Afer equos vt primum emiſit in agrum:*
Et Tyros inſtabiles. Hunnos iuxta normam iſtius ingenij tam in pace, quā bello agentes, deſcribit *Ammianus Marcellinus*. quorum mores (Am. Marce. lib. 31. Chron.) imitat. Hiberni Septentionales, originem ſuam quoque eo expreſſere. id coma prolixa, palliū, perno tationes in agris, ac paludibus, genus cibi ex lacticinijs, telum, in bello curſus, & multa alia, apertiſſime nobis demonſtrarunt. *Pacianus* (Pacian. in Panegyr. Theud.) itaque de huiuſmodi incolis ita pronunciat. *Leues Medi, imbelles Syri, Parthorum arma volatica.* huc noſtra etiam ætate iure referri poſſunt tormenta bellica, ſunt enim volatica, vt pote tam in manu timidi, quam fortis, abſque diſcrimine læthalia aut inania

Maſſagetes quo fugit equo. volucreſque Geloni.

Ouid Eleg. 15. *In Britanniis ne ab eſſedariis decipiaris caueto*, ait Cicero. *Terguque Parthorum, Romanaq; pectora dicam,*
Telaq; ab aduerſo quæ iacit hoſtis equo.

Cicer. lib. 7. ep. fam. ep. 106. 12. Iſtis tamen nihil obſtantibus, in eis etiam locis, quæ cæli inclementia ad infamiam vſque damnauit, partim ex ſituum particularibus affectionibus, partim ex diſciplina, & vel maxime interdum Dei admirabili munere, inſignes viri floruerunt: vtpote apud *Scythas Anacharſis*, quem ingrati & induciles ciues occiderunt: apud *Thracos Democritus:*

Iuuenal. lib. 2. Satyr. 10. ———. *cuius prudentia monſtrat,*
Summos poſſe viros, & magna exempla daturos;
Veruecum in patria, craſſoq; ſub aëre naſci.

Teſtatur etiam *Iulius Firmicus*, vel repugnantibus (Iul. firm. l. 1. de Ind. c. 4.) cæli horoſcopis, nonnunquam homines ad virtutem ac nominis claritudinē perueniſſe. *Græcorum leuitas pondus accipit. Effrænata Scytharum rabies quandoque humanitatis clementia mitigatur: & in finibus Gallorum populus ſapientia prudentia cauualeſcit. Afrorum ſubdolas mentes honeſtæ fidei ornamenta condecorant: & à plurimis Hiſpanis iactantiæ vitia deſeruntur: & Syrorum auaritiā mutauit repentina profuſio: nec eſt inter acutos Siculos ſtultos inuenire difficile: & ab Italis frequenter Dominationis imperia tranſlata ſunt.*

13. Neq; omittendum, quod ad ea, quæ exterius in moribus apparent, ſimilitudinem quandam eſſe inter ſtatum naturalis complexionis, ac vim rationis. Sunt enim aliqui viri graues ex magnitudine animi, ac dominio in affectiones appetitus ſenſitiui. pariter alij graues redduntur corporea mole, & inertia quadā phlegmatica. Reperiuntur itidem aliqui in conſilijs ſuis pertinaces, eo quod optimè norint quid ad effectum ducere eorum vires poterunt. iuxta ac quam nobile ſit, in bonis propoſitis ſemper progredi, ac nullis impedimentis repelli. alij verò etiam pertinaces cernuntur, quod in eis deficiat ratio, quæ ſuſceptorū propoſitorum honeſtates rectè expendat: neq; ægre fert in eis animus honoris diſpendium, ſi a malo ſemper in peius, aut in quaſuis infelicitates temere agentes deferantur. ob quam cauſam ex Ariſt. 7. incontinentia plurimi etiam Borealium perti- Ethic. c. 9. naces inueniuntur, ne dum ſolum illi, in quibus calor naturalis ſiccitate confirmatur. Rectè etiam a *Cicerone* animaduerſum genus viræ, vſus Cicer. & conſuetudines aliquid ſimile fortitudinis exprimere, vt cōſtat in militibus poſt diuturnum tempus, militari vita et pugna induratis. tametſi veræ fortitudinis a ratione propagatæ, omnino ſint expertes. Hoc etiam ritu. quod ad ingenij aciem, ſiccitas. quæ ex frigore aëris fit, imitatur ſiccitatem ex eiuſdem aëris calorè ortam: in vtriſq; enim ingens vis ineſt ad excogitandum, ad ſubtiles rerum inueſtigationes præſtandum. Cæterum hoc diſcriminis ſolet eſſe, quod ſiccitas ex aëris frigore, & inde tenuitate, deriuata, altera fit inſtructior ad fraudes concinnandas, & ad vniuerſos modos crudelitatis exercendos: non tamen in præclaris animi ſiue ſpeculationibus, ſiue actionibus, fit ita conſtans & confirmata, vt ea reperiri ſolet. Hæc autem quo ad particulares effectus, explicatius apparebunt, ſi prius *Boreales* & *Auſtrales*, mox medium ſitum obtinentes, ad examen reduxerimus.

CAPVT XI.

De particulari Indole Borealium, & extremè Auſtralium.

SI vniuerſam globi terreſtris magnidinem ſupra inferoq; in quinque partes, ſeu Zonas vt in more poſitum, diſtinxerimus, eaſque quantum ad generalem ſitus rationem conſiderauerimus, quid in hoc genere, quo ad indolem in eo habitantium exquirendum, fieri valet, præſtitiſſe omnino videbimur. Cæterum neque omnes in hoc argumentum ſeorſim diſcutere neceſſe; ſufficit enim, vel ſi tres ab vtriſque Tropicis ad polos dimenſas expenderimus, nempe Borealem, Auſtralem ac in medio ſitu collocatam; quandoquidem reliquarum, vtriuſque Poli expenſa ratione, eadem fit cum iſtis ex proportionis lege, forma ac diſpoſitio, eiſque exploratis, harum notitia latere quempiam non poterit. quod verò pertinet ad populationes in tota hac terra. obſeruatum a Coſmographis, maximas reperiri in partibus orientalibus, ſecundas in *Borealibus*, in quibus *Multitudo populorum innumera*, inquit

Plinius

Plin. l. 6 hiſt. cap. 17. *Plinius*: tertias in *occidentalibus*, quartas in *Auſtralibus*. ratio huius videtur deſumenda a terræ qualitate, vt pote eius fertilitate, ſpacio habitabili, ac temperie; quorũ ſingula in oriente maximè vigēt. fertilitas verò quantum ad victum, ac ſpacij dimenſionem, in Septētrione reperitur: in reliquis plagis, vel propter æſtum ſolis, vel diffuſum mare, parcius, reſtrictiuſque. Ac quamuis in oriente ſegipſa humana ſoboles maximè creuerit, nihilominus non exiuere tot inde deductæ in alias exteras regiones Coloniæ, quot a *Septentrione*. ratio eſſe poterit, quod in *Septentrione* non ſit ea vbertas, quæ in oriente. & quod in ea habitantes, fœtuum multitudine oppreſſi, ferociores inde euadunt ad excurrendum, amplioreſque, quo ſuſtentarentur, ſedes acquirendum. Vidimus enim Europam totam ferme Borealium veluti inundationibus fuiſſe quondam occupatam. modò autem muratis ... in ea ciuitatibus, iuxta ac tormentorum apud nos vſu, ab illo audaci appulſu deterriti iſti populi, in proprijs locis cateruatim etiamnum conquieſcunt. Lucan lib. 5. *Errantes Scythiæ populi.*

2 Hi quidem qui frigida loca incolunt, *Alto & exceſſo animo ſunt*, vt ſcribit *Ariſtoteles*. *ingenio autem & arte nihil valent. itaque libertate magis gaudent, ac ciuili ſcientia abhorrent, nec finitimis imperare ſciunt.* (Ariſt. lib. 7 pol. cap. 7) Horum corpora plerumque obeſi, ingenti mole grauia, humoriſque abundantia, ſtudia: interdum tamen vi frigoris contra omnem aëris iniuriam indurantur. quod quidem genus duritiei, diuerſum prorſus ab illo, quod in ſiccis corporibus, ob poteſtatem caloris, reperitur. Color iſtis plerumque rutilus, aut flauus, pituitam, bilemque indicans. *Flauus & rutulus Getarum exercitus*: vt loquitur *S. Hieronymus*. *Galli rutuli, & flaui*, vt ait *Florus*. eiuſmodi quoque *Germani*, auctore *Tacito*.

Hieronim. ep. ad Euſtoch. Flor. lib. 1. Tacit. deſcrip. German.

——*Et flauæ ſequerentur miſta Britannis.*

Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos.

Lucan. l. 2. Cum iſti ſpiritu omni fermè deſtituantur, qui corporeos artus in longum rectumque extenderet, quod ad corporaturam, quodammodo in nodos concreſcunt, & geniturę vt quaſi in ampullas circumaguntur.

Claudian. l. In Ruffin.

Eſt genus extremæ Scythiæ vergentis in ortus,

Trans gelidum Tanaim, quo non deformius vllum:

*Arctoralis, * habitus, obſcenaq; viſu*

Corpora, mens dura, & nunquam ceſſura labori.

Præda cibus, vitanda Ceres, fratreſque necare

Ludus. & occiſos pulchrum iurare parentes.

Boreales haſce gentes, vt pote *Hunnos, Maſſagetas, Alanos, Melanclænas, Anthropophagos*, deſcribit *Ammianus marcellinus*: quos tam quoad veſtes & victum, quam quòad mores, plane immanes refert: vt vix credi poſſit, homines, luce rationis illuſtratos, in tantum diritatis vlla naturæ malignitate deuenire potuiſſe. Am. Marce. l. 31 Chron. *Humi compactis omnes firmiſque membris, & opimis ceruicibus prodigioſe deformes & pandi: vt bipedes exiſtimes beſtias, vel quales in commarginandis pōtibus effigiati ſtipites dolantur incompte in hominum figuras... tectis vllis vnquam tecti, ſed hæc velut ab vſu communi diſcreta, ad ſepulcra declinant. Nemo apud eos arat, nec ſtiuam aliquando contingit. Adeo permutabiles, & iraſci faciles, vt eodem aliquoties die, a ſocijs, nullo irritante, ſæpius deſciſcant, itidem propitientur nemine leniente.* poſt hos *Viſini ſunt*. & *Geloni, perquam feri: qui detractis peremptorum cutibus, indumenta ſibi equiſque tegmina conſtruunt.*

3. Non ergò abſque ratione antiquitus creditum, *Prometheum* ad *Caucaſum* montem catena ligatum, ei alite iecur eximente pœnas dediſſe. quod humano generi ignem ciuilis ſcientiæ indidiſſet. Non enim alibi crudelius in diſciplinas ciuiles deſæuitur, quam in illis duris partibus Borealiũ. quorum enimuero ligamen, vultur, & omne inſtrumentum immanitatis.

——————*potuit qui talia ferret,*

Humanum meritò finxerat ille genus. Martial l. 6. Epig. 32.

Quando verò *Ariſtoteles* hoſce aſſerit alto exceſſoque eſſe animo, id non perinde accipiendum, quaſi fortes diceret, & virtute inſtructos: ſolum enim voluit ſignificare, eos audaces eſſe & imperterritos, maximos mortis contemptores: idque non ex iudicio, ſed animi potius hebetudine, ob quam vitæ commodum, & mortis damnum, veris ſententijs metiri non valent.

——————*quos ille timorum* Lucan. l. 2.

Maximus haud vrget lethi metus. Derident idcirco eos paſſim, qui pericula anxie circumſpiciunt, & cunctabundi, malo aliquo præſentito, hæſitant: in hoc viri fortis ingenium agnoſcentes, quo non ſolum intrepidè, ſed inſuper temerè in quoduis irruitur. Subiungit *Ariſtoteles* hos ingenio & arte nihil valere. licet enim calore quodam ſtomachi ac iecoris ferueant, indeque paſtu vtantur pleniori ac craſſiori, ſimulque incredibilem vini potus ingurgitent, nihilominus propter abundantiam humorum inde prouenientium, ſpiritus, qui ex ſanguine exilientes, menti ingenioque inſeruire deberent, ſpiſſiores ſunt in eorum corporibus, ac tepidiores: proinde vis intelligentiæ in eiſdem languet, & quodammodo indormiſcit. idcirco non percipientes animis egregiam formam ciuilitatis, quæ magna ex parte ſui, a legibus coercentibus nimiam licentiam deriuatur, vt ait *Ariſtoteles*, libertate gaudent, ſolutoque vitæ genere: quo planè inepti, qui alijs ex arte imperarent. Animaduertit *Cicero*, hanc differentiam inter illos Boreales, & alios medium ſitum, vt pote Græcos, occupantes, quod illi melius contra metus firmentur, minus verò contra dolores. *Itaque barbari quidem, & immanes, ferro decertare acerrimè poſſunt: ægrotare viriliter non queunt. Græci autem homines non ſatis animoſi; prudentes, vt eſt captus hominum, ſatis. hoſtem aſpicere non poſſunt: ſed ijdem morbos tolleranter & humanè ferunt. at Cimbri, & Celtiberi in prælio exſultant, lamentantur in morbo.* Cicer. Tuſ. 2.

4 Quod autem ſpectat ad bellicam audaciam, Auer. paraph. in 7. cap. 7. pol. inſigne ac præcipuum eius fomentum non eſt apud iſtos tam ratio ipſa, quam in eorum corporibus affluenter ſubſidens flaua bilis: ſicut Hippocrat. l. de Aere. & Locis. enim multum cibi ac potus ingerunt, ita eorum feces & egeſtiones in id genus humoris copioſius deſinunt: ex quo irati motus frequenter irrumpunt: neque durat in eis iſtius perturbationis ardor vel impetus ad normam iudicij, Ariſt. lib. 3. Ethic. c. 8. ſed ad excitationem ac modum bilis: qua aut

 conſopita.

conſopita, vel confecta, etiam nemine leniente, Marcell. l. 15. vt notat *Ammianus Marcellinus*, in eis iræ furor protinus ſedatur: & nonnumquam præcedens æſtus in teneram quandam tranſit charitatem, quæ vel cum lachrymis priorem rabiei motum impotenter admodum deprecetur & deploret. ſi verò in externas ditiones graſſati, donuneutur acquiſitum imperium confirmant eiſdem artibus, quibus peperere: nempe violentia & immanitate: inualidi, qui ciuili ratione ſtatus Pauſan in Acha. Clem Alex l. 2. ſtrom. negocia pertractent, vt *Pauſanias* rectè obſeruauit. *Fuit* inquit *Ariſtoteles*, apud *Clementem Alexandrinũ*, *quandoque in Macedonia lex, eum qui nullum hoſtem interfeciſſet, capiſtro cingi. Apud Scythas vero non licebat ſolemnibus epulis pateram circumlatam accipere ei, qui nullum occidiſſet hoſtem. Apud Hiberos quoque, pugnacem gentem, tot obeliſcos erigere circa ſepulchrum mos eſt, quot homines ex numero hoſtium necauerit.* Atque cum ex huiuſmodi indole in iſtis, motus bellici fiunt, tũ etiã ab eadem, inimicitiarum vel rixarum initia ac cauſæ in eiſdem proueniunt. ex quo plerumque propter leues iniurias, ac circa cauponaria ſordidaque prorſus, eos innata bile inſtigante, digladiantur. & quemadmodum in iram ſunt propenſi, ita voces edunt admodum raucas, apte ad ingenium eiuſdem affectionis, animo Hippocrat. l. de locis aer. & aquis. & verbo aſperi exiſtentes, vt animaduertit *Hippocrates*.

5. Sunt quidem ex iſtis nonnulli, maximis etiam ingenijs præditi, æquantes vel eorum ingenia, qui medium ſitum incolunt. verum animaduerti, ac in eo me poſtea confirmauit Philoſophia, hanc differentiam inter Boreales, & medium occupantes: quod illi, ſi ingenio vigeant, carentes calore & ſiccitate, nobilibus ad intelligendum inſtrumentis, adiuuari ſoleant egregia corporis, cerebri præſertim, figura: ita vt apud illos ingenioſi, paſſim etiam ſpecioſi cenſeantur. hi verò propter vim caloris & ſiccitatis, in ſumma licet corporis deformitate, ingenioſiſſimi reperiuntur. quibus ſi idonea & pulchra corporatura acceſſerit, ad miraculũ vſque ſe a præſtantia ciuili commendant.

6. Vt iſti recte a ciuili magiſtratu tractentur, ſciendum, eos ſenſu eſſe valdè in plurimum ſimplici, & a ſuſpicionibus alienos, niſi aer ipſorũ alicubi ex frigore ſiccior euaſerit, aut audiuerint, ſuos Rectores, homines vulgo haberi fraudulentos: vnde blandis promiſſis, lenitate, facilè in quoduis conſilium induci poterunt. commoti vero, non tam in ipſo principio ſeueritate comprimendi, quam tempori committendi: cuius aliquod breue ſpacium omnem in ipſis excitatam procellam tranquillabit. ac quod propter animi moroſitatem rarò in vnum plures conferant publica negocia ſeorſim agentes, procliui opere a prudenti domino edomantur. Sin verò in hæreſim aliquam prolapſi fuerint, præſertim expetitæ ab ipſis libertatem multum applaudentem, eorum emendatio impeditior eſſe ſolet. primò enim, cum magno impetu, adeoq́, ſcommatibus, contradicentibus repugnant propter acrimoniam in ipſis facultatis iraſcibilis: deinde argumenta vel momenta in aduerſum facientia, non ſatis bene percipiunt propter tenuem in ipſis rationem. poſtremò, libertatis amantiſſi mi tota ingenio illi doctrinę obluctantur, quæ diſciplinam rigidiorem eis præſcribit ſequendam. adeo vt iuſta inſtet cauſa timendi, huiuſmodi ad fidem minimè conuertendos, niſi dira aliqua calamitas ex bello, alioue, eos reluctantes ad id compulerit.

7. Quod autem vera Dei cognitio, religio, ac ſcientiæ liberales, plurimum in omni gente ad indolis emendationem valeant, inde ſatis liquet, *Boreales* eis ſubſidijs vel maximè indigere: quibus deſtitutæ, animum peſſimè a Ciuilitate, ac conuictus dulcedine, in horridam barbariem degenerant. Ratio etiam habenda eis ad tractandum ſua corpora: ſicut enim abundantia alimenti, ingenſque copia humorum, illos ſegnes ac ſtupidos reddũt, ita vt a talibus malis cutẽtur, parcimonia in victu vſui erit, quæ exũdantiam illam, ingenio, ac ſpiritui inimicam, exhauriat. Neque incuriæ permittenda extenuatio in ipſis bilis, aut diligens ſtudium humanitatis omittendum, vnde manſueſcant. de quorum inſtitutis ac remedijs poſtea diſputaturi. Indigent porro horum corpora magna vi exercitij ac motus: quorum enim corpora calidiora; ab ipſa natura, eis adeſt debita ſiccitas etiam quieſcentibus, quæ menti ad præclaras notiones exprimendas adminiculetur. Horum verò pleniora craſſioraque, ſi a laboribus ad otium auocata, planè oppleta ſtagnabunt, & in eis concreta fæculentia obſtinatè animi flammæ reſtitabit. Denique poſteaquam vitæ pondus didicerunt, eiuſque ornamenta nouerint, non vſque eò negligentes erunt, vt illos alij, non ſolum tamquam mortis cõtemptores, ſed inſuper amatores, traducant.

———— *indomitus bellis, & mortis amator.* Lucan. l. 8.
———— *certe populi, quos deſpicit Arctos* Lucret. l. 3.
Felices errore ſuo, quos ille timorum Lucan. l.
Maximus haud vrget, lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignauum eſt rediturα parcere vitæ.

neque *Herodiano* fides dabitur hæc referenti: Herodian. in om. *Quippe barbaris mos quibuſlibet leuibus momentis ac* Marcellin. *cauſis, facile impelli.* Sed neque *Marcellino* ſcri- l. 16. chron. benti, *Natiuo more ſunt barbari humiles in aduerſis, diſpareſque in ſecundis.* at verò hæc teſtimonia, vt pote Græcorum hominum, vacillare fide quiſpiam noſtrum apud ſe fortaſſis exiſtimabit. Modò eorum ingenia perluſtranda, qui non longè a *Tropicis* diſtant: quorum corpora ſolis ardore exuſta, nigreſcunt. Quanta ſit in hoſce ſolis vis, intelligi ex eo poterit, quod recta ſol eorum capitibus immineat, ac inde vehementiorem radium, abſque vmbræ interiectu, aut munimine in eos deuibret. *Sienes*, teſte *Heliodoro* cum in Ægiptum prope Æ- Heliod. Hiſt. Æthiop. thiopes perueniſſet, Incolæ ei *oſtendebant horoſcoporum gnomones, nullam vmbram in meridie reddentes; radio ſolſtitio æſtiuo eius ad amuſſim vertici imminente, & lumine circũquaq; circumfuſo, omnem caſum vmbra repellente: adeo vt etiam in puteis aqua in profunditate illuminetur, ſimilem ob cauſam.*

8. Hoc genus hominum, vtpote ooo dedicũ

noo,

neque rerum ad vitam neceſſariarum penuria afflictanimi, incultum omnino, imo ſordidum ac fœdum. Haud indigent veſtibus propter cæli, ſub quo vivunt, calorem: ædes neque magnopere curant; & ſi quæ apud eos plane non niſi mapalia aut ramalia facile parabilia, quæque obuiæ ſtipites & arborum rami paſſim eis ſuppeditant. Cibus aut in vicinis ſiluis cõmuni præda acquiritur, vel ex abundanti copia piſcium, quos edunt in eos ſparſim incurrentes maris ſinus, ac radicum, quas terra ſua ſponte profert, ubertate, nullo fermè negocio adeſt unicuique. Potum illis refundit aut flumen, aut pomœrium, vel paſſim arborum ſuccus. proinde in vniverſum ſi quæ ſit apud illos habendi cupiditas, aut ſuſceptum mercaturæ ſtudium, omnia ad delectationem, præſertim oculorum, ab eis referuntur: vel ut antidota contra venena, quorum ſolum illud fertile, apperuntur.

9. Ex hac corporum temperie colligi poterit, illos non eſſe admodum longævos vel præclaro aliquo ingenio præditos. Prius inde conſtat, quod humidum radicale in ipſis valde exiguũ, ac cerebri medulla extenuata, vnde nemi alimentum haurirent. Alterum ex eo liquet, quod ſpiritus ipſorum vitales planè ſint debilitati, vel confecti ſolis ardore in eorum corpora delato, qui ingenio inſeruirẽt. Affectus autem eorumdem vehementes, præſertim in libidinem & odium, vnde ex hac parte acriter incitati, & ex altera, carentes rationis magna vi, quæ hunc motum compeſceret, fermè pecorum ritu bruteſcunt. & ſanè quod ad ingenium attinet, *Auſtrales* iſti, nullo modo conferendi cum *Borealibus*. *Phyſici autem*, inquit *Ariſtoteles*, *de ſpiritibus Boreales magis, quam Auſtrales laudant.*

Ariſt. lib. 7. pol. cap. 16.

Etenim ſolis æſtus, omnes ſpiritus vitales in corporibus *Auſtralium* deuaſtat, cerebri medullam, ac eius frigus, eis exſiccat & conſumit. *Boreales* verò intus ſtomacho & hepare calentes. ſpiritibus abundant: licet non tam igneis ac ſubtilibus, vt medij ſitus incolæ. *Diodorus Siculus* de *Troglodytis* ſcribens, affirmat, eos more rationis expertium, diſcrimen boni & mali vix intelligere: & quod penè incredibile, nullis perturbationibus moueri.

Diodor Sic. lib. 4. antiquit. cap. 3.

Ob hanc ipſam corporum *Auſtralium* ſiccitatem, *Hippocrates* affirmat, eos a ſole percuſſos, minus ſudare, quàm *Boreales*, ſi vtrique nudi fuerint, ſin veſtiti, magis.

Hippocr. li. de locis act.

Hinc venit, inter Auſtrales, Ægyptios, ratione ſiccitatis, & in ea ardoris, exiſtimatos fuiſſe leues ſemper & iracundos. *Nilus lenium hominum altor*, vt ait *Pacianus*. Et vt teſtatur *Ammianus Marcellinus*, Aegyptij *Repoſcones acerrimi*: quiq; tanquã barbari planè horridique a *Iuuenale* deſcribuntur: neque diriora, aut magis inhumana referuntur in hiſtorijs de extremis *Scythis*, quàm de *Aegyptijs* narrantur.

Pacian. in Pang Theo. Am. Marcell. lib. 20.

Iuuenal. lib. 5. Satyr. 15.

Et ſanè quod tot rixantis millia turbæ
Sic viuunt omnes.
Quæ nec terribiles Cimbri, nec Britones vnquam,
Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrſi:
Hac rabie ſæuit imbelle, & inutile vulgus.

Plin. lib 6. hiſt. cap 30.

10. Inter hos populos, Aethiopes monſtroſa corporum forma in aliquibus locis præditi, vt narrat *Plinius*: quod in ipſis mobilitati igneæ, tanquam artifici, attribuit. atque hinc fortaſſis Africa, a ſole vehementius exuſta, monſtrorũ ſemper habita ferax ab hiſtoriographis. Gens iſthæc vſque eò obtuſa, vti, quod mihi quidam fidem fecerunt, ex ea deuecti in *Hiſpanias*, vix capaces inueniuntur, qui vel terminos myſteriorum noſtri dogmatis animis concipiant. In quibus pariter affectiones, cum partis iraſcibilis, tum Concupiſcibilis acerrimæ. extimulantur autem non tam viua rationis apprehenſione, quam imaginationis, a ratione deſtitutę, repræſentatione. inde mentis vix participes, vbi violẽtia ac timor defuerint, ibi ruunt omnino præcipites in ea, quæ ipſis appetenda obijciuntur, moreſque ipſorum ſolutiſſimi euadunt. Videamus iam quid de indole medium ſitum obtinẽtium ſentiendum.

CAPVT XII.

De eorum Indole qui medium ſitum incolunt.

MEdium ſitum illum nuncupamus, qui in medio conſiſtit reſpectu Poli Arctici, vel Antarctici, relatorum ad lineam æquinoctialem. Diuidi poterit iſte ſitus in tres ſpecies, quarum prima illa, quæ abſolutè medius, ac vi ſuæ propriæ poſituræ omnino talis. altera, illa cenſeatur, quæ huius comparatione ad extrema quidem vergit, magis tamen participat de qualitate medij ſitus, quam extremorum. Poſtremò illa habeatur medius, quæ locum obtinet, quantum ad vniuerſum terrę globum, magis Borealem, vel etiam Auſtralem, quamſit ille qui rigidè medius æſtimatur, nihilominus virtute extrinſecæ affectionis, de qua antea locuti, ad medium ſitum referri poterit. Mihi autem de hac re conſideranti videtur commodius, hos tres ſitus ſpectare, non tam ex mathematica climatum ſeu rigoroſa eorum deſcriptione, quam ex triplici modo caloris a radio ſolari: quandoquidem, vti diximus, ab huiuſmodi radio plurimum dependeat ingenij & indolis humanæ qualitas. reſpectu cuius illum volumus eſſe medium ſitum, qui inſignem gradum iſtius caloris participat, non tamen ſummum. ob quem, vt puto, veteres attribuere medium ſitum Hiſpaniæ: quod non feciſſent, ſi ad gradus mathematicos tantum attendiſſent.

2 Et quidem quantum ad hoc, id, quod optimum, videtur natura in parvo concluſiſſe, illudque paruum mira itidem varietate adeoque diſcrepantia diſtinxiſſe. Recte *Ariſtoteles*, vt ſupra diximus, ex mutatione ſtellarum quoad aſpectum noſtrum, & circulũ horizontis, breui terræ ſpacio à *Græcia* in *Auſtrum* verſus decurſo, apparente, intulit non ſolum terræ figuram eſſe rotundam, quinimo *quod magnitudine non magna ſit*. Et in hoc ipſo quidem, ex particularibus locorum affectionibus, vt pote ex vicino, aut remoto mari, ex montibus, aut vallibus, ex aëris humiditate, ex eiuſdem ſiccitate, admiranda planè diſſimilitudo, quantum ad corpora, &

Ariſt. lib 2. de cælo cap. 7.

ingeniorum

ingeniorum indolem, deprehendenda. *Maſſilienſes* & *Romani*, quòad gradum eleuationis, parum diſcrepant: quantum ad indolem plurimum. ac in ipſa *Italia*, *Bononienſes*, qui ſupra vnius diei iter vix aliquid a *Florentinis* diſterminantur, ab eiſdem tamen quò ad indolem, adeoque ſermonis vulgatis dialectum, vel maximè variantur. Hoc ipſum etiam in Græcia, cui *Plato*, & *Ariſtoteles*, medium ſitum attribuere, animaduerterunt plurimi: in qua *Athenienſes*, *Lacedæmonij*, ac *Thebani*, cum moribus, tum etiam linguis valde inter ſe diſſentiunt: adeo vt ex ſola poſitura medij ſitus, quantum ad indolis certam definitamque notitiam, aut nihil, aut non niſi parum colligi poterit.

3. Hinc tamen ex ratione ſitus *Plato*, *Ariſtoteles*, & *Hippocrates*, *Græciam*, vtpote palmam indolis obtinentem, laudarunt.

Plato Philoſoph.

Illud cuilibet Græco ſciendum eſt, inquit *Plato*, *nos regionem ad virtutem omnium pæne optimam habere. in hoc maximè laus regionis huius conſiſtit, quod inter hyemalem, æſtiuamque naturam, media eſt.* In eandem quoque ſententiam *Ariſtoteles*.

Ariſt. lib. 7. c. 7

Aſiatici autem ingenio quidem valent, & artificio, ſed quia demiſſo animo ſunt, parent aliis ſemper, & ſeruiunt. at vero Græci, vt medium inter eos incolunt, ſic vtrorumque mores imitantur. Sunt enim & magnanimi, & acuti. Itaque tum libertate vtuntur, tum optima republica, eaque vna tum cæteris imperare norunt. vnde *Iphigenia* apud *Euripidem* voces:

Eurip. Iphigenia.

Deniquè æquum eſt. non Achiuos barbaris,
Mater, haud contra Pelaſgis imperare barbaros:
Quippe nata eſt ſeruituti barbarorum natio.
Cæterum Græcum genus natura ſtatuit liberum.

Ob hanc ipſam cauſam, *Boreales* rerum penuria preſſos, pronunciat *Ariſtoteles*, imperio ineptos, tum quod ex inedia animis ſint dimiſſis, abiectiſque, tum *Etiam quod præeſſe neſciunt, & parere Dominis tantum ſciunt: ſic illi nullius imperio, aut Domini ritu, præſunt.* Deſpoticum itaque imperium affectatum ſolum a tudibus Borealibus: inter quos, aut Domini, aut ſerui omnes.

Ariſt lib. 4 pol. cap. 11.

De Orientalibus vero medium ſitum obtinentibus, hæc *Hippocrates*: *Homines clara voce ſunt præditi, & ad iram, & prudentiam, melius ſunt comparati quàm Septentrionales: ſiquidem & reliqua illinc agentia ſunt meliora.* Suam verò *Aſiam* omnibus regionibus præfert. *Aſia hæc noſtra melior eſt, & hominum mores meliores, & humaniores.*

Hipocrat. lib de locis. & Aer.

Cicer Ep. 1. ad Quint.

De Aſianis delicijs, quo tempore *Antonius* ibi agebat, hæc *Plutarchus*: *Vniuerſa Aſia, non ſecus ac Sophoclea illa ciuitas, plena vaporibus ſuauiſſimis erat, vbique cantus audiebatur, vbique ſerta exhalabant feſtiua. quippe cum Epheſum ingrederetur, mulieres vniuerſæ in Bacchas, viri omnes & pueri in Satyros & panes ſe formarunt. Hedera, thyrſis, pſalterijs plena ciuitas, Dionyſium Chariodatum, Melichium vocabant Antonium.*

Plut. in Ant.

Cicero de Aſia hæc retulit. *Aſia verò tam opima eſt & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis & multitudine earum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.*

Cicer. pro leg. manil.

Iſtis tamen, vt ſupra vidimus, detrahit *Ariſtoteles* audaciam & animoſitatem ciuilem. ac fatetur *Hippocrates*, hos in libidinem propenſos ex medio inter calidum ſitu. *Pars ſcientiæ capax*, inquit *Auerroes*, *in Græcis præſtantior: in Gallis aliiſque huiuſmodi gentibus, iracundia.*

Auer par. in lib. 7 pol. cap. 7.

4. Enimuero vt paulisper omittamus imperij magnitudinem, reputati ſemper *Græci* aut omnium artium inuentores, vel earum certè emendatores inclyti, vt *Plato* adſtruit. Fatetur quidem, *Græcos* ab *Aegyptiis* ac *Syris* *Aſtronomicas* diſciplinas mutuaſſe, & eius rei cauſam dat:

Plato phil.

Quoniam magis, quam barbari, ab æſtiua ſerenitate diſtamus, horum deorum, nempe ſtellarum, ordinem tardius intelleximus. Talis Ægyptus & Syria ſunt, vti ſtellæ ſemper omnes, vt ita dixerim, claræ cernantur: quia cœli aſpectum nubes & pluuia non impediunt. vnde *Macrobius* appellat *Aegyptum* artium matrem.

macrob. de Som. Scip

At verò literarum inuentio paſſim Phœnicibus conceſſa:

Phœnices, primi, famæ ſi creditur, auſi
Muſarum rudibus vocem ſignare figuris.

Luc. lib. 2.

quod ad ciuiles mores attinet: communis opinio, eos ab Athenienſibus in alias gentes paulatim propagatos.

Prima Frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dederant quondam præclaro nomine Athenæ,
Et recreauerunt vitam, legeſque rogarunt.

Luca. lib 3.

Dio. lib. 13.

Hi leges dedere, inquit *Diodorus*, *quibus vita communis ex vita cultu agreſti, atque iniuſto, ad humanum, atque iuſtum conuictum peruenit.*

Pan. in Att.

Titus Liuius loquens de varijs artibus, quibus vita humana excolitur, inquit: *Quas, ad animorum corporumq; cultum, eruditiſſima omnium gentium Græcia inuexit.*

Liu. Dec 1. lib. 9. Dion. Halic. lib. 1. antiq.

Adſunt Athenienſes, ait *Cicero*, *vnde humanitas, Doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putentur.*

Cicer. orat. pro flacc

hoc ipſum pariter *Herodotus* adſtruxit. *A priſcis temporibus reſponſum erat, Græcam gentem dexteriorem eſſe, quam barbaram. & magis ab ineptiis abhorrentem: etſi Athenienſes inter Græcos feruntur ſapientia principes.*

Hero. lib. 1.

In qibus inquit *Cicero*, *non ſolum humanitas, ſed etiam a quibus ad alios perueniſſe putetur.*

Cicer. Ep. 1. ad Quint. frat.

5. Cæterum quòd Deus nulli genti ita palmam naturæ penitus conceſſit, vti omni planè mali incommodo interim caruerit, inde iſtius medij ſitus incolæ, præſertim Græci, tametſi quadam ex parte quòad ciuilitatem reliquis, diuino munere præſtiterint, nihilominus ipſa indole, rebuſque ab ipſis geſtis, plurimū etiā ciuilitati cum apud ſe, tum alios nocuerunt. Eorum ingenia, *ad fallendum parata* aſſerit *Cicero*, temporibus, non officiis deuota.

Cicer lib. 1. ad Quint. frat, Epiſt. 2.

Pauſanias dum recolit *Græcos* a *Nerone* in libertatem aſſertos, ſubinde in abiectiſſimam ſortem calamitatis recidiſſe, ita ſcripſit: *In hoc Neronis factum cum intueor, rectiſſimè mihi videtur Plato Ariſtonis filius dixiſſe, grauiſſima quæque, & maximè inſignia peccata, non eſſe leuiorum, aut mediocrium ingeniorum offenſiones, ſed ab animi præclara quadam indole, vitioſa educatione deprauata, conſueuiſſe.*

Pauſa. lib. 7.

Ex quo obſeruauit *Alexander Neapolitanus*, *Syracuſanos*, & *Athenienſes* aut habitos excellentiſſimos in omni virtutum genere, vel omnium quo ad vitia peſſimos.

Alex. lib. 4. Ion Dier. cap. 13.

Cicer. ep 2. ad Attic.

Cui prauitatis indoli apud iſtos opè fert interdum rerum penuria, qua mirum in modum ad fraudes, ac violentias, etiam cruentas, incitari ſolet. Multi itaque ſcriptores conqueſti, ab iſtis, vtpote *Orientalibus*, & *Aſianis*, voluptates exitiales in alias gentes deueniſſe, quæ

rum animos & corpora eſſæminarunt. *Pacianus* loquens de milite Romano, in oriente verſato, ſeu potius orientem ſecum in triumphum Romam adducente, ait, *Longo orienti. uſu, vel malorum retrò principum remiſſione, tantus quoſdam luxus inſecit.* Plinius diſerte affirmat, Græcos, ut omnium artiũ inventores, ita *omnium vitiorum* patronos extitiſſe. pariter diſſerens de natura olei, inquit: *uſum eius ad luxuriam vertere Græci, vitiorum omnium genitores in gymnaſiis publicando.* quocirca narrat, *Catonem*, Græcos omnes urbe pellendos exiſtimaſſe. Imo in impietatem periurij accenſi paſſim Græci, infames habiti:

Pacian. in pro Theo. Flor lib. 19. Plin. lib. 15. cap 4. Plin. lib. 7. cap 4. Iuven. li. 2. Satyr 6. Hor. lib. 29.

———————— *nondum Græcus iurare parata*
Per caput alterius.
———————— *non poſſum ferre Quirites,*
Græcam urbem. Ex *Plauto* intelligere poſſumus, quales Græci olim Romæ, & quem finem ſuis literis ibi præſtituerint.

Pla. in Curc.

Tum iſti Græci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt ſuffarcinati cum libris, cum ſportulis.
Conſtant, conferunt ſermones inter ſe drapetæ.
Obſtant, obſiſtunt, incedunt cum ſuis ſententiis.
Quos ſemper videas, bibentes eſſe in Hermopolio.
Ubi quid ſurripuere, operto capitulo calidum bibunt
Triſtes atque ebrioli incedunt.

6 De imperio verò à Græcia comparato, illud verbo tenus ſolum obtinuerunt: nempe ipſis à Macedonibus debellatis, imperium Græcorum primum auditum fuit. atque ut omittam ciuilia bella, quibus eorũ res concuſſa ſæpius, nihilo obſtante ſua *Minerva*, externis ſeruiere, imo ſedibus depulſi, nunc *Romæ*, nunc *Ægypto*, nunc *Syracuſis*, nũc *Maſſiliæ*, nũc alibi, ſeruili, aſſentationi dediti, turpiter lenocinati, quo victum ſibi exules pararent; ut intelligamus, omne negociũ ciuile non eſſe in meris ingeniis repoſitũ. quin imo diuina vindicante iuſtitia, frequenter accidit, tam *Græcos*, quam alios, acumine mentis vigentes, ob ſcelera tamen ſua ad infimam planè ſortem ſub iugo barbarico corruiſſe, ac modo etiam depreſſos gemere conſtat, cum caſum ſuũ alias deplorare non audeant: aliis interim non ita intelligentia vel eloquio elatis, ſin maxima libertate ac opulentia degentibus. *Dionyſius Halicarnaſſæus* iſtis, quantum ad imperium, inter Græcos ac Romanos comparationem inſtituit: *Athenienſes maritimam tantum tractum tenuerunt annis duo de ſeptuaginta: ac ne hunc quidem totum, ſed eum duntaxat, qui intra Euxinum Pontum & Pamphilium pelagus continetur: idque cum maxime pollerent rebus navalibus. Lacedæmonij verò Peloponneſum ac reliquam Græciam tenentes, uſque Macedoniam extenderunt imperium. in quo vix triginta annis tranſactis, à Thebanis victi, eo privati ſunt. At Romanorum civitas imperat per cunctas terræ plagas; quæ quidem inacceſſæ non ſunt, ſed habitantur ab hominibus, toto etiam mari dominatur non ſolum inter columnas Herculis, verum etiã Oceano quacumque eſt navigabilis, primaque & ſola in omni hominum memoria, ortũ & occaſum, terminos imperii ſui poſuit. Tempus quoque eius potentiæ non breve, ſed diuturnius, quam ullius vel regni, vel reipublicæ obtigit.* Quinimo Græcorum gloriæ bellicæ obſtetiſſe viſa eorũmet ſuperbia, non enim dignati deditos externos, quos barbaros faſtuoſe vocabant,

Dion. Hal. lib. 1. antiq.

Ciuitate donare, eaque de cauſa, quos modo vectigales retinuerant, parum poſtea expertos rebelles, cũ *Romani*, quod idẽ *Dionyſius* adnotavit, nulla alia ratione magis ſuum imperium amplificarunt, ſimul ac confirmarunt, quam receptos in ſuam ditionem municipes ad communia iura ciuitatis admittendo. Quomodo autẽ *Græcia*, ac tota *Aſia* etiamnum iaceant, ac ſordeſcant, cũ omni illa indole, cũ uniuerſis illis voluptatum inſtrumentis, vel ipſa Scythia, quoad rem ciuilem, inferiores, quis non videt;

Dion. Hal. lib. 2. Anti.

7 Quod autem ad *Europam* ſpectat, *Italiæ* mediũ hunc ſitũ attribuendũ omnibus in confeſſo; tametſi in ipſo ſolo, habita ratione quarũdã affectionũ particularium, quædã retineat proſperitatis ciuilis impedimẽta, aut certè inobtationes.

Luc. lib. 1.

Sed neque in Arctoo ſedem tibi legeris orbe
Nec polus adverſi calidus, qua vergitur Auſtri,
Unde tuam videas obliquo ſidere Romam.
Ætheris immenſi partem ſi preſſeris unam
Sentiet axis onus: librato pondere cæli
Orbe tene medio. Regio iſthæc, ſi quæ talis ſupereſt, reliquis *Græciæ*. huius incolę ingenio nitent, in ornatum, in ordinem, in externum decus tam rerum quam verborum intenti. cumque rationis potentia valeant, animi affectus aut inde ſedant, vel diſſimulare optime norũt. illuſtrandis honoribus plurimum operæ ab iſtis impenſum, ut pote fabricæ magnitudine, conuiuij ſplendore, veſtium apparatu, compellationis ceremonia inſtructis: & quod in quouis genere delectet, id apud illos magno in precio eſſe aſſueuit. Cæterũ in hac regione mira cernitur aeris inæqualitas; frigore, ac calore, etiam intenſiſſimis, in ea ſuccedentibus: & cum hinc *Adriatico*, illinc *Tyrrheno* mari anguſtior continens alluatur, ſimulque montes ubique erecti multa niue aſpergantur, fontibus, ac paludibus ſolum planius irrigatur, aer humidior inde redditus, acrẽ facit impreſſionem in capita ac corpora incolarum; præſertim vi caloris prius extenuata, & relaxata. ob quam cauſam nulla loca præter montes, ciuitatibus dant aeris ſalubritatem: vallibus interim aut penitus deſertis, vel peſſimo aere vitiatis; ibi vitis & urbs amant colles, utræque collinæ: in Hetruria præſertim, Umbria & Latio. inſuper in mediis æſtibus circa meridiem, & occidẽte ſole, ſpirare ſolet ibi ventus ſeptentrionalis, iſque acutiſſimus: unde difficile, cõtra huiuſmodi cæli intẽperiẽ, corporis ſanitatem eo loci diutius tueri.

8 Obtinet porrò *Hiſpania* hunc ipſum medium ſitum, teſte *Paciano*: *quæ nec Auſtriais obnoxia æſtibus, nec Arctois ſubiecta frigoribus.* Ob quam cauſam, terræ fructus, qui ibi naſcuntur, optimi. Duo in hac gente conueniunt, quæ ſummis laudibus digniſſima, ingenii nempe acumen, & eiuſdem maxima quædam pertinacia. iſtis duobus concurrentibus, non eſt *Cerberus* aliquis tam in abſtruſo ſepultus, qui ab iſtis *Herculibus* excuſſus, non educatur in lucem. quod verò ad ingenii vim, ac contentionem, erecta corporibus conſiſtant, paſſuumque grauitate, ad ritum gentilicium, inceſſum moderentur, viſi aliquibus, iſtis ſpeciem quandam ſuperbiæ propagare: cum tamen non ad faſtus normam, ſed ad conſtantis animi, ſemper ulterius

Pacian. Pan. Theod.

contendeotis, obſtinationem quandam, illa omnia reuera cōponant: corporeque illud ſeriò loquuntur, quod defixa quadam mentis cogitatione altè meditantur. non norunt iſti, adulatione aliorum gratiam aucupari, falſandoue fidem, utilia ſibi comparare: utpote quorum ſenſus auguſtiores, quam ut ad haſce ſordes fictionum aliquando dimittantur. denique quantum in litteris ſimul ac pietate valeant hodierna die, demonſtrant libri, probant imperia, orbis terrarum conteſtatur, Eccleſia, bene merentibus filiis applaudendo, ſignificat.

9 Gallia tam cælo, quam ſolo conſtans feliciſſimo, ad medium ſitum, ſi omnia expendantur, pariter referenda. In ea calor, & frigus ſtatutis temporibus vigent, vnde homines gignuntur acerrimis ſpiritibus cum præditi, tum inflammati animis, admirabili quadam velocitate, ex aeris puritate, pee omnia, contemplantes diſcurrunt. ea porro bonitate naturæ temperati, ut apud eos inimicitiæ non exiſtant perpetuæ, & aliorum calamitatibus maxima quadam affectus teneritudine indoleſcere ipſis familiare. Gens libertatis auida, & congreſſus civilis, in quo ludi liberalès exercentur, appetentiſſima, qui cum exacta iuuentute, calentes ſpiritus ætas gravior decoxerit, ſeneſcentes acutiſſima quadam in rebus agendis perſpicacia inclareſcunt. hoc probant ad dictos dies eorum cum externis conventus, de rebus belli ac pacis tractantes, in quibus Galli fermè ſemper, quòad emolumenta honoris, & rei, primas deferre ſoliti. De formis, ac moribus antiquorum Gallorum, multa ſcripſit *Diodorus Siculus*. *Sunt Galatæ* inquit *molles, & albi, corpore oblongo. Comas quamuis habeant rufas, ſtudio tamen naturæ colorem augent.* *Belgas* potentiſſimos vocat *Plutarchus*: ac inter eos *Neruios*, efferatiſſimos & bellicoſiſſimos.

Theuet lib. Coſm. Dio. S c lib. 6 Virg Æne. 8. 655. Plutar. in Chi.

10 Cæterum neque Angliam medio ſitu prorſus excludendam iudicarem, ſaltem ſi particularium affectionum ſitualium ratio habeatur. Nulla ibi caloris aut frigoris ingens vis reperitur, ſed bonitate clementis aeris campi perpetuo vernant, & cælum dulci favonio, deambulationibus, & vitæ campeſtri, applaudit.

Non illic Aries verno ferit aera cornu:
Gnoſia nec Gemini procedunt cornua Tauri.
Sicca Lycaonios reſupinat plauſtra Bootes.

Architrem. de Britan.

Quod ergò neque frigore, neque æſtu multum Angli urgeantur, inde in ipſis affectus appetitus moderatiores ſunt, neque ea vehementia, qua alii, amant, aut odio habent. raro proinde inimicitiæ ergo ſeſe mutuo occidūt, auerſiſſimi ab hac immanitate homicidii. quempiam verò per inſidias interficere, vel in æqualibus armis adòriri, crimen ducunt contra hominis dignitatém atrociſſimum. Atque quod ſoli ubertas omne genus copiæ, ad victum pertinentis, incolis refundat, hæc naturæ præſtantia & humanitas, in ipſis inde cum generoſitate plurimum augentur. vnde non noruot paupertatem, indicto ipſi ſinet exilio, ab externis artificioſè ſubleuare, illis blandiri, ac ſe abiectè dimittere: nimis enim animis ſunt generoſis, quippe quos natiuum ſolum procreavit, & aluit effula ſui benignitate. proinde aut meritorum pondere, modeſta petitione adiutos, ſe apud humanos opitulatores præualituros autumant, aut nullo modo ad mercedem euaſuros ſe ſperant. Si modò iſtis cura fuerit, corporis mollitiem, ac humiditatem indurare parum, atque exſugere quà exercitiis, qua ciborum parcimonia & ariditate, exiſtimarem nullam Gentē, quòd ad litteras, vel bellum, illis præferendam: ac ferme non ulla ætas comparuit, in qua Anglus aliquis eruditionis fama non inſigniter inclaruerit. Simile iudicium profero de *Flandria*, magna quoque de parte *Germaniæ*, atque *Polonia*, nobiliſſimorum ſanè ſpirituum matribus & altricibus.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus. Perſi Sat. 5.

11 Iſtis accedunt ætatum ac ſexuum diſcrepantiæ, quæ proportione quadam ubique locorum ſimilem obtinent veritatem. obſervandū idcirco, an quis tractaturus negocium cum hominibus, an cum fæminis: cum iuuenibus an ſenioribus: horum enim intelligentia non ſolum Rhetoribus commoda, ex quibus ſciatur, qualibus argumentis in eis commouendæ animæ affectiones, verum etiam negocia civilia peragentibus. ætatum diſſidentium mores ſingillatim deſcripſit *Ariſtoteles*. iuuenum autem ex duobus conſtituit: nempe ex calore in eis, & inexperientia: itidem ſenum ex frigore, & experientia, de quibus hæc etiam cecinit *Horatius*.

Ariſt lib. 2. Rhetor.

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo Hora in art. poet.
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis canibuſque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis cupiduſque, & amata relinquere pernix.
Conuerſis ſtudiis ætas, animuſque virilis
Quærit opes, & amicitias, inſeruit honori.
Commiſiſſe cauet, quod nec mutare laboret.
Multa ſenem circumueniunt incommoda: vel quod
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet uti,
Vel quod res omnes timidè gelidèque miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, auiduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.
——— *Quam veri effœta ſenectus* Vir. Æne. 7
Arma inter Regum falſa formidine ludit.

12 Habenda etiam diſcrepantiæ ratio inter eos, qui in urbibus frequentioribus viuunt, & alios, qui in campis àgunt. urbani enim, affectus habere ſolent magis ſubactos, ingeniaque acutiora & exercitatiora ad excogitandū, iuxta ac diſſimulandum, quam campeſtres. nam in urbibus contrariæ ciuium voluntates acuunt mutuo ingenia, & retundunt impetus paſſionum; qui autem ruſticantur, & in ſuæ villæ ſolitudine verſantur, nihil ferme inueniunt, quod ad ſua deſideria, obſtaculi: inde minus admittunt in ſe rigorem diſciplinæ, in id omne aperti, ſoluti, & effreoes, quod diſcupiunt.

Quis non malarum, quas amor curas habet, Hor. lib. Ep.
Hæc inter obliuiſcitur;

Verum

Verumquod non omniũ hominum, etiam ciuium, ſit eadem indoles quo ad beneuolentia ac commiſerationẽ, quibuſdã expetentibus potius ex ratione pura, quã motu appetitus, benè de alijs mereri, examinabimus quænã harum melior indoles, ac ciuilitati morum magis opportuna.

CAPVT XIII.

Vtrum indoles, teneritudine quadam adfectus emollita, quoad Ciuilitatem ea ſit præſtantior, quæ durior. & ab eiuſmodi ſenſu alienior.

Galen. lib. 3. de locis c. 8. Viues lib. 3. de Anim. cap. 1.

CErtum omnino, affectionum in appetitu ſenſitiuo exurgentium radices quaſdam, ac veluti cauſas originales reperiri in ipſa corporis diſpoſitione: ita vt pronunciare liceat, hos præ alijs ad iſtos affectus inclinari corporum ratione. videmus enim, quoad illos, aliter comparatos iuuenes, quam ſenes, viros quam mulieres: quæ diſcrepantia aliunde oriri nequit, quam à differenti corporum in ipſis temperatura. vnde animaduertit *Doctor Angelicus*, motum corporis dupliciter referri ad appetitus ſenſitiui paſſionem: principiò antecedenter: quatenus quis virtute cuiuſdam complexionis, aut motus corporei, euadit diſpoſitus & propenſus in aliquam perturbationẽ: quemadmodum corpore accenſus, ad iram etiam leuem ob cauſam, vt notat *Ariſtoteles*, incitatur: deinde ea ratione, qua vt effectus illam ſequitur. vtpote cor dilatando, vel reſtringendo, idque contra ſtatum corporis naturalem. proinde S. *Auguſtinus* aſſerit, appetitus paſſionem *eſſe commotionem animi & corporis*. Nos verò hic ſolùm conſideramus illum corporis motum, aut habitum, qui præuius & inductiuus in affectionem. non quidem quamlibet, aut in vniuerſum, ſed in commiſerationem, in ſtudium gratificandi, in voluntatem ignoſcendi, ac remittendi iniurias. Et quidem dubio procul verum, aliquos, corporum ratione præ alijs ad hæc officia moueri; ita vt corporis ipſius definita quædam temperies, in imaginationem & appetitum ſenſitiuum ipſorum, impreſſiones quaſdã faciendo, tandem ad rationis aſſenſum, ac voluntatis actum, facilius pertingat, quam faceret altera in aliis ab ea diuerſa. Nam cum obiecta commiſerationis, gratificationiſque, tanquam ſenſibilia apprehenduntur, ad eorum aſpectus, in appetitu ſenſitiuo exurgere poſſunt quædam affectiones, quæ, vt docet *S. Damaſcenus*, verſantur circa bona, ac mala, ſenſu perceptibilia: affectiones idcirco denotant proprias ſuas diſpoſitiones in corpore: vnde melancholicorũ tales, aliæ verò cholericorum, vt oſtendit *Galenus*, & experientia ipſa ſatis manifeſtè idem demonſtrat.

S. Thom de verit. q. 26. artic. 1. & 2. q. 17. ad 2. Ariſt. lib. 2. de Anim. Text. 14.

S. Auguſtin. lib. 9. de Ci. cap. 4.

Damaſcen lib. 2. de fid. cap. 12. Galen lib. 3 de locis cap. 8. S. Thom 2. 2. q. 35. art. 1. ad 2. Virgil. Æneid. 6.

2. Ob hanc cauſam doctè, eleganterque Poëta *Virgilius Æneæ* paſſiones affingit incidenti in vmbram *Didonis*, dum per inferna loca pererraret. *Didoni* verò ipſi, corpore ſolutæ, eas adimit:

Vt primum iuxta ſtetit, agnouitque per vmbram
Obſcuram, qualem primo qui ſurgere menſe
Aut videt, aut vidiſſe putat, per nubila lunam:
Dimiſit lacrymas, dulcique affatus amore eſt.
Illa ſolo fixos oculos auerſa tenebat:
Nec magis incepto vultum ſermone mouetur,
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

In queſtionem iam venit, vtrum præſtabilius, Ciuem in prædicta officia erga alios ſola ratione inclinari & adduci, vel in illo, rationem affectumque permouente appetitus ſenſitiui quadam teneritudine, aptitudineque ſenſitiua ad concipiendum amoris calorem ex quadam corporis temperie illiciente, eiuſmodi munera perficere.

3. Sunt qui hanc indolis qualitatem, ex appetitus ſenſitiui diſpoſitione conſtitutam vituperant planè, ac proinde in ciue ad benè faciendum aliis, ad remittendum iniurias, meram rationẽ cum Stoicis deſiderant: quod vtpote cõueniens quid meliori bono, multis argumẽtis probare contendunt. Inprimis mollitiem hanc commiſerationis & amoris, effectum nempe illius corporeæ complexionis, incuſant, quaſi excellentiſſimi ingenii grauitati inimicam. plerumque enim corpore teneri ac fluxi homines, affectionibus iſtis facilius percelluntur: vnde mulieres viris, pueri adultis, ad condolentiam, ad beneuolentiam hoc ritu promptiores: quorum ſcilicet corpora laxiora, humidioraque, ingenia vero languidiora. imo ſi ad ciuilitatem conferrent teneræ affectiones iſtæ, inde ſequeretur, melius diſponi ad ciuiles mores *Septentrionales*, quam qui medium ſitum incolunt: quippe quod eorum corpora ſucculentiora, quorum vi, mulierum inſtar, commiſeratione ac ſenſu teneritudinis citius quoque perſtringuntur. Cæterum verò, qui ingenio excellunt, eorum pariter corpora ſicciora, quæ proinde parum cõmercii habebunt cum hac muliebris naturæ flexibilitate ac paſſibilitate. Plutarch. lib. de Nobil.

——*argilla quiduis imitabitur vda.* Horat. lib. 2 Ep. ad Iul. Flor.

4. Fieri porro non poteſt quin ea a quibuſdam æſtimata bonitas naturæ, ſenſui doloris nimij coniungatur: quo affligi, præſertim in caſſum, & omni irrito effectu, nullus ſapientum exoptaret. at verò ad intuitum calamitatis in altero triſtari, commiſeratione exacerbari, ingemiſcere, ac lacrymari, prorſus idem, ac ſibimet ipſi aculeum infigere, cor proprium lancinare: quod cum, vt ſæpius fit, malum ipſum non excutiat, aut eleuet, quorſum in viro ciuili fomentum hoc ægritudinis ac cruciatus requireremus, ſeu miſericordiam, quæ nil aliud quam cordis miſeria, vt notat *Sanctus Doctor*, exuri cuperemus? hanc enim ob cauſam inficiatur idem Deo competere miſericordiam ſecundum eiuſdem affectum, dumtaxat illam ei tribuendo iuxta effectum: dum nempe ſuo collato dono hominum miſerias expellit, vel demerito noſtro repugnante, ſuam bonitatem nihilominus benefaciendo oſtendit. potius ergò ſpectabit ad excellens viri ciuilis officium, pura ac ſolitaria ratione, ad dei exemplar, effectum miſericordiæ præſtare, quam eius affectũ in conuictu, abſque omni operæ precio, proferre.

S Thom 1. part. q. 2. 1. art 3. & 2. q. 30. art. 1. Ricard. in 4. d. 46 art. 1. 4.

5 Neque virum conſtantem decere videtur indoles ab appetitu concupiſcibili decreta, & eius mollitie: n. .iſi modò iuſta inſtet cauſa, ob quam ira ſuſcipienda, vel appetitio vindictæ concipienda, quare eadem cauſa perſiſtente, non erunt affectiones iſtæ perpetuo manſuræ: niſi velimus dicere, non à rationis imperio, aut veritate ipſa, ſed à temporis defluxu, aut immutatione corporis, vel imaginationis, vitæ ac morum rationes inſtituendas: Iræ, inquit, *Cicero, ſi exorabilis, ſumma leuitas*. propius ergò ad ſtatum Angelorum accedunt, qui in ſuis conſilijs perſiſtunt immobiles, nec permittunt ſe calido ac frigido, huc & illuc raptari, motu ſenſus diverſimodè abduci, & cameleontum inſtar, ſolo venti flatu immutari.

Cicer. lib. 1. Ep. 1. ad Quint. fratr.

6. Quinimo hæc ipſa facilitas & teneritudo verſus alios, præſtantiſſimis viri civilis officiis ſæpius obſiſtit, ſi ad mandatum Dei, aut inſpirationem ipſius aliquid peragendum: ſicuti in *Abrahamo* conſtitit, carni ac ſanguini contrariũ. Si parentes deſerendi, ſi patria relinquẽda, quid ad hoc iuuabit ſenſus iſte comploraticius, imo quid non in horum oppoſita commovebit? Iudex iuſtam ſententiam mortis aut ſpoliationis in ſontem laturus, à ſuę indolis teneritudine, poſtquam acerbitatem rei ſecum expenderit, plectẽdique lugubres voces ac lacrymas perceperit à iuſtitiæ norma facilè avocabitur, ac ad beneficia totus convertetur. Miles in acie pugnaturus, viſis hoſtium vulneribus, auditiſque eorum ſupplicationibus quantumuis doloſè inſtructis, ferire deſinet, parcere incipiet, omnemque in ſe martium rigorem, miſericordiæ indulgendo, remittet. quemadmodum enim mollia, impreſſionem ab externis facilius admittentia, citius violantur, externiſque terminantur, ita hominum animi, naturæ quadam facilitate effæminati, de conſtantiæ loco ad turpẽ fugam, aut muliebres querimonias celerius deijciuntur. Exemplum idcirco ciuilis officij dedit *Æneas Africa* ſoluturus, dum vel amantiſſima *Dido*, verbis, habitu, ingentem ſuũ dolorem, ob eius diſceſſum conceptum, quà flendo, quà eiulando, quà orando, ipſo vidente, audienteque, teſtaretur.

Gen. 22.

——— Sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.

Virg. Æneid. 4.

Quem ſi flexibilis aliquis, & a dolore expeditè penetrabilis ac vulnerabilis adſpexiſſet, cum *Didone* protinus pronunciaſſet,

Nec tibi Diua parens generis, nec Dardanus auctor
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanæque admorunt vbera tigres.

Huiuſmodi quoque extitit durities Spartanorum, de qua *Plutarchus*, narrans profectionem *Cleomenis in Tænarum. Priuſquam nauem conſcenderet, Cratiſiclia Cleomenem ſolum in Neptuni templũ adductum complexa ſæpius, atque exoſculata, ubi pietate commotum animaduertit, Age, inquit, Lacedæmoniorum rex, caue ne quis e tẽplo digreſſos, lacrymantes, aut indignum aliquid Sparta facientes, animaduertat.*

Plutar. in Cleomen.

7. Nihilominus amàs illud ingenium, ad condolendum ac benefaciendum ſuapte vi procliue & incenſum, verè ciuile exiſtimandum: adeoque huic naturæ palma ciuilis concedenda; quidquid Stoici, aut in rigorem indolentis malitiæ indurati alij, in contrarium ſtatuerint. Indolẽ hanc admiramur & exoſculamur in ſanguine nobilibus: quibus ſi eam detraxerimus, nihil ſuperſtitis, veluti præclaræ alicuius notæ, illos à vulgari ſorte diſcriminabit. Hos *Plato*, ut ſuperius vidimus, mites eſſe vult ſimulque animoſos, inde verò mites, quod aliorum amantes, quodque eorum miſerijs medullitus indoleant, longè poſiti ab omni immanitate, vel inhumanitate. At ſicut intellectus à ſenſu dependet in ſua operatione, ſimiliter voluntas, quoad indolem habitualem, ab appetitus inclinatione, & hæc a corporis temperie. non enim voluntas unius hominis ui ſolius creationis, aut facultatis intellectivæ per ſe ſumptæ, inclinatior ad amãdum, ad ſubleuandum aliorum miſeriam, voluntate, quæ eſt in alio: cum tam animæ, quantum ad ſubſtantiam, quam eius potentiæ, quod ad entitates, ſint omnino pares & ſimiles, quod ergò in hac diſpoſitione voluntas in aliquibus ſit inclinatior, provenit à conſtitutione appetitus ſenſitiui, qui in eiſdem procliuior ad amandum, ad commiſerandum. oritur itaque nobilitas naturæ à certa appetitus ſenſitivi, tam concupiſcibilis, quam iraſcibilis, qualitate. Inane idcirco, quod aliqui videri cupiunt, ſcilicet abſque motu appetitus ſenſitiui, aut eius conditione, vi ſolius rationis ac voluntatis ſe eſſe propenſiores alijs ad diligendum, ad aliorum miſerias depulſandum: nam cum Angeli non ſimus, ſed homines, diſcrepantia hæc mutuanda ab appetitu ſenſitiuo, & aliquo eius motu, vel ad illum à definitâ quadam in nobis energia, ut docet *S. Thomas*.

Hero. apud Gellium lib. 19. cap. 12.

S. Thom. de verit. q. 26. art. 3.

——— Nox & tua teſtis
Dextera, quod nequeam lacrymas perferre parentis,
At tu, oro, ſolare inopem, & ſuccurre relictæ.

S. Thom. 2. 2 q. 155. art 2

Virg. Æneid. 9. 85. 12. 930.

8. Hac indole emolliti, ad donandũ ac ad cõdolendũ propenſi, aliorũ fauores, quod a viro ciuili multũ ſpectãdũ copioſè conciliare ſolẽt. cum enim virtus omnis ſit amabilis, tum illa vel maximè, quæ alios in vita ſocios reſpicit. proinde naturæ iſthæc teneritudo, dum ciuem ad benefaciendum inſtituit, ac promptum eodem reddit, ſtatim ac perſpecta fuerit ab aliis, beneuolentiam eorum ſumma quadam vi procurabit. *Ac primum nouerimus*, inquit *S. Ambroſius, nihil tam vtile quam diligi, nihil tam inutile quam non amari. nam odio haberi exitiale ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, vt omni ſedulitate commendemus exiſtimationem, opinionemque noſtram: ac primum placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum*. Etenim paſſio appetitus ſenſitiui pronam facit voluntatem in operationem, eiuſdemque motum reddit magis ſpontaneum, nempe impetu vitali intenſiorem: quatenus voluntas in id procumbit lubentius, in quod appetitus magis propendet, vel in quod idem actu ſuo delatus, iam ſibi ſuauius perceperit. Hoc verò inde prouenire interpretatur *S. Thomas*, quod paſſio appetitus moueat voluntatem per modum obiecti: quatenus præſtat, quod *homini in paſſione aliqua videtur aliquid conueniens, quod non videtur extra paſſionem exiſtenti: ſicut irato videtur bonum, quod non videtur quieto*, iuuat idcirco ad beneuolentiam,

Amb. lib. 2. off. cap. 7.

S. Tho. 1. 2. q 9 art. 2 q. 10, art. 3.

tiam, ad amicitiam, ad miſericordiam certa quædam temperies appetitus ſenſitiui: quo emolumento, & veluti pondere in bonum, ii deſtituuntur, quorum appetitus indureſcens, non ita afficitur: conſequenter neque eo gradu ciuilis indolis gaudent, quo alii, affectum contra diſpoſitum retinentes. Fruſtra verò a ſola ratione, abſque hac ipſa appetitus diſpoſitione, expectatur eadem alacritas ad donandum, ad condolendum, quandoquidem inter alia voluntatis incitamenta, natura ipſa, appetitum ſenſitiuum, rationi adiunctum, vnum eſſe voluerit. *Plutarchus* de *Bruto* Romano, filios ſuos *Titum*, & *Tiberium*, tradente lictoribus, vt manibus a tergo reuinctis flagellis, ſecuri, illo etiã inſpectante, tandem cæderentur: atque ad hoc ipſum nihil de vultus ſeueritate ex miſericordia aut

Plutar. in Bruto

dolore remittente, ait: *Aut enim eius virtutis celſitudo ſedatum animum præbuit, aut calamitatis magnitudo ſenſum doloris eripuit: quorum neutrum neque paruum, neque humani eſt ingenij, ſed diuinitatis cuiuſdam, aut immanitatis.*

9. Quod ſi præclarum aliquod ingenium appetitu ſenſitiuo inſitum fuerit, id a corporis temperie conſtituitur: nam vt dictum eſt, ipſamet appetendi facultas, in ſe ſpectata, ſimilis eſt quoad ſpeciem ac modum ſui in omnibus hominibus: ſi ergò illius hominis appetitus melius ad bonum efformatur, quam alterius, ab extrinſeco aliquo id prouenit, nempe a corporis ipſius diſcrepante complexione.

S. Thom. 2. 2. q. 35. art. 1 ad 2.

quia appetitus ſenſitiuus, inquit *S. Thomas*, *habet organum corporale, ſequitur quod per aliquam corporalem tranſmutationem homo ſit habilior ad aliquod peccatum. Et ideo poteſt contingere, quod ſecundum aliquas tranſmutationes corporales, certis temporibus prouenientes, aliqua peccata nos magis impugnent. omnis autem corporalis defectus de ſe ad triſtitiam diſponit. & ideo ieiunantes circa meridiem, quando iam incipiunt ſentire defectum cibi & vrgeri ab æſtibus ſolis, magis ab acedia impugnantur.* quod verò de vitiis ac peccatis a Sancto Doctore aſſertum id virtutibus educendis eadem ratione aptari poterit.

10. Multa ſanè ſunt in vita ciuili officia, ad quæ plurimum confert hæc tenera animi indoles. meritò idcirco *Virgilius* ſollicitum exhibendo *Aeneam* ob amiſſam vxorem, illum magna vi doloris affectum repræſentat, eaque ſic permotum, vt cum ſummo etiam vitæ ſuæ periculo, eam inquirendo, *Troiam* iam deflagrantem, & ab hoſte inceſſam, regreſſus, poſtquam inde aufugiſſet, ac in tuto conſtitiſſet.

Auſus quin etiam voces iactare per vmbram.

Virg. lib. 2. Æneid.

Impleui clamore vias, mæſtuſque Creuſam,
Nequicquã ingeminans, iterumq; iterumq; vocaui.

Lae. in vit. Alex. Trog. lib. 20.

Hoc ingenio affectus *Alexander*, videns Clitum ſuum in bello vulneratum, equo deluſit, ac diademate detracto, illius ſicio vulnus ſuis proprijs manibus ligauit. idem ad aſpectum interfecti *Cyri*, quantumuis hoſtis, lacrymis ſuis dolorẽ teſtatus.

Eutr. lib. 6.

Cæſar ipſe, licet in ferrum propemodũ induratus & ad necem a *Pompeo* ardentiſſimè expetitus, nihilominus reciſum eius caput, & annulũ intuitus, illacrymatus. Si pauperum miſeriæ depellendæ, Si *Marcellus* vel a

Cicer. de Senect.

crudeliſſimo hoſte ſepeliendus, ſi amicorum bona procuranda, ſtimuli loco ſuccurret hæc ipſa commiſerationis vis in appetitu ſenſitiuo: Præcipue vt ſcelera noſtra in Deum patrata deplangamus, vt ipſum deum amemus, ſimulque cum Chriſto in cruce moriente, ex compaſſionis ſenſu doleamus: Deinde vt columbæ ſimus ac turtures dei, eadem erit vel maximo incitamento. Iſtius ingenij diuinus planè flos in Chriſto domino enituit; in Chriſto dico, noſtro generi indolente, toties in eius gratiam lacrymas fundente, & extremos dolores cordis ſponte exprimente. vbi enimuero hæc animi mollities non reperitur, ibi virtutes iſtæ rarò comparebunt, haud minus ſanè quam roſa in hyeme, quam in ſolo aſpero luxurians herba.

11. Verum quidem eſt, affectioni huic partis ſenſitiuæ modum quemdam apponendum, ne ratione ſuperior, pro imperio de voluntatis actionibus definiat. Enimverò in vniuerſum quæ a vehementi paſſione fiunt, ea aut riſu, aut contemptu digna: tametſi quò ad obiectum ac materiam a ratione non aberrent: cum illius non ſit, præeſſe humanis conſilijs, ſed animi iudicio duntaxat obſecundare. quod ſi in obiecto ac materia quoque, hi motus exceſſerint, tunc vel maximè in riſum vel contemptum impingent. Noui ipſe quoſdam, ab aliis ſumma compaſſione defenſos a ſuis miſeriis, etiam grauiſſimis, inter ſe corridentes, nullo omnino in precio ducentes cõllata in ipſos beneficia, quod exiſtimauerint, vltra gentilem conſuetudinem aliorum benefactorum ſe fuiſſe a nimiũ tenero Tranſalpino, vt ipſi loquebantur ſublevatos: proinde non a prudenti iudicio, ſed puerili, aut muliebri affectu deductam gratiam cogitantes, a riſu, etiam præ frigore algentes, ſe abſtinere nequiuere. qua in re illi atidicumesperperuò oſtendunt: quibus proinde ex teneritudine compati, aut prodeſſe, inane, quantum ad ſenſum in ipſis gratitudinis excitandum; ſemper enim apud ſe ſtatuent, non voluntatem alicuius, a ratione directam, ad donandum proceſſiſſe, ſed merum affectum, illumque puerilem vel effæminatum, in beneficentiam erupiſſe; niſi aliquis durus & auſterus *Cato* bona ipſis forte contulerit. Quocirca vt ad optimæ indolis diſpoſitionem hæc teneritudo, ſiue habitualis, ſiue actualis, conferat, ratione, vel animi motu a ratione regulato, etiam & ipſa regulari debet, vt S. Doctor oſtendit. Tunc autem *miſericordia ſeruit rationi*, inquit *S. Auguſtinus*, *quando ita præbetur miſericordia, vt conſeruetur iuſtitia, ſiue cum ignoſcatur pœnitenti.* quod etiam in omni animi paſſione, etiam in bonum inſtigante, obſeruandum: cum laudabile non ſit, imperante, aut furente paſſione, vel quæ ſuo genere optima cenſeantur, peragere: nimium enim, & importunum hoc, vel in probis ipſis vituperabile. Quod ſi aliquis huic naturæ teneritudini, aliorſum tendendo interdum voluntate obſtiterit, is ferus aut inhumanus reputari haud debet. idcirco non crudelis, ſed ciuilis potius animus Patriarchæ *Abrahami*, qui ad dei voluntatem, omniumque nationum com-

S. Tho. 2. 2. q. 30. art. 3.

Auguſt. lib. 9. de Ciu. cap. 5.

Gen. 22.

modum reſpiciens, brachium gladio armatum ſponte extulit, quo necem unico filio intentaret. Ciuilis pariter, non horridus ſancti *Pauli* ſen-
Act. 20. ſus, dum inter chariſſimos ſuos *Epheſinos* conſiſtens, ploratu illorum non fuit auocatus a ſancto propoſito itineris ex dei ipſius iuſſu ſuſcipiendi: tametſi ſciret, eorum quam plurimos, adeo ab ipſo dilectos, ab illo tempore ipſum nunquam amplius reuiſuros. Ciuiles, non immanes illi piorum ſpiritus, qui à paternis ædibus euolantes ad monaſteriorum ſepta, ad diſſita orbis ſpacia peregre ſe ſe contulerunt: nam pietas eſt,
Hier Ep. ad Nepot. in hoc genere eſſe crudelem. *Eſto ſacerdos* inquit *Origines, animi filij tui. Sacerdotem autem immolantem deo non decet flere. oſculo, quia fides in dominum fortior eſt quam carnis affectus. Amabat Abraham Iſaac filium ſuum, sed amori carnis prætulit amorem dei.* Regium hunc animum in *Agamem-*
Euri. Iphig. *none* demiratur antiquitas, qui in filiæ *Iphigeniæ* necem placide conſenſit, quo Græcis proſpera nauigatio contingeret.

13 Ceterum ab hac teneritudine ac indole auerſi, quam plurimis malis, vitæ etiam ciuili repugnantibus, obnoxij. fingunt quidem, vel deluſi potius ſecum commentantur, quod abſque huiuſmodi temperie & teneritudine, ſola rationis vi apprimè ſint comparati ad donandum, ad gratificandum, ad ignoſcendum. at contrà prorſus omnino accidit, ubi enim hæc mollities, & dulcis ſanguinis irriguus humor non comparent, ibi velut in ſaxeæ naturæ ſiccitate, extrema erga alios malitia, & erga ſeipſos immoderatus ſui amor plerumque dominari ſolent, quemadmodum enim arida citius ignem concipiunt, illumque diutius fouent, ita indolentia, inhumana, ac impaſſibilia iſtorum ingenia que erga alios iam obriguere, ſui amorem, ſuperbiam, fraudem, malitiam, ambitum, iram, odiumque facilius admittunt: quæ etiam mala admiſſa pertinacius conſeruant. enimvero quanam, obſecro, in parte erit Ciuilitas, quando hæc ingenij ariditas ac duritia, Ciues à ciuibus diſtraxerint, & vnumquemque ad ſeipſum, uti ultimum terminum, redegerint; ſi perennes apud iſtos inimicitiæ, ſi ad totam proſapiam ab uno furioſo, aut utcumque læſo, adeoque ad poſteritatem ipſam, ardentes ac ſanguinariæ contentiones immortalibus odiis deuenerint; ubi pacis iucunditas, ubi confidentiæ firmamēta inter cives invenientur? hi tam honoris ſolent eſſe plerumque appetentes, ut ſi vel minimum concium verbulum exciderit, quo expetita æſtimatio ipſorum vel tantillum lædatur, aut exoptatæ dignitati non reſpondent, illico in eis ebullire incipiunt odia, & vindictæ cupiditates excandeſcere. quæ incommoda ut in ciuili cōuerſatione ciuis declinet cum iſtis duris converſatus, quanta ab ipſo cautio adhibenda, quam *Argos* eſſe oportebit, præſertim cum acerbitas hæc immortalibus quibuſdam votis implicetur; Nullus porro ad ſeipſum ſui amore & faſtu totus recollectus, & in alios rigidus, ullo in loco habebit aliorum miſerias, aut commoditates: ſolum hinc inde in acre ementitæ amicitiæ vanæ ſpecies, quas vocales urbanitates elaboratè expreſſerint, atomorum inſtar, volitabunt, ac ibi in caſſum crepitantes expirabunt: quibus ſi qui tenellus fidat, aut ſimilibus in eundem finē expreſſis certis quibuſdam geſticulationibus, is euaneſcente ſubſidio omni peribit, & fraude irretitus ac deluſus, omnem de ingenio opinionem, inter cætera damna amittet. Iſti, ſi minimè ſcirent modos celandi concepta ſua odia, & ad eos artificioſè formandos, etiā repugnante in ipſis appetitu, ac naturæ abiectione quadā haud eſſent dimiſſi: ſi ignorarent falſis promiſſis alios lactare, dubio procul, eorum clandeſtini odia, iræ, ambitiones, ac ſui amor immēſus, in extremam barbariem erumperent: ac pene in ipſis miraculū, aridam ſtipulam, medullæ loco igne plenam, non ſtatim deflagrare. Ciuiliora idcirco eorum ingenia, quæ ad bona conſilia magis ductilia, ac faciliora, eaque teneritudine compoſita, quæ amorem, gratitudinem, miſericordiamque uberius ex ſe effundunt. Hinc virtutes monaſticæ ingenio acerbo familiarius cōveniunt, ciuiles amanti.

14 Verū temperies hæc, ratione corporis conſtitura, ut illi argumentantur, neque aduerſatur eminenti ſtatui ingenii, aut in universum incolis medii ſitus denegatur. nam ſiccitas corporis nimia, inſaniæ parens potius, quam optimæ mentis organum. ut ergo ratio in aliquibus eluceat, ſanguis non ſolum eſſe debet calidus, ut ex illo exilientes ſpiritus veluti ignei inſurgant, ſed inſuper pingui, & concocto quodam rore humidus qui ſpiritus etiam quodammodo caſtigando humectet, vnde cū vi intelligentiæ, affectus quoque dulcedo ac facilitas ab eis profectantur. Cuius tēperiei ratione, inter reliquos in *Europa* excellunt *Galli, Angli*, ac *Flandri*, ſaltem nulli nationi ſecundi. Quod ſi pueri adultis, fœminæ maribus, quo teneriores, quantum ad affectus ſint, eoſdem etiam quantum ad rationem imbe- S.Thom 1. part q 92. art. 1.
cilliores, id non prouenit ex teneritudine affectus, ſed cerebri humiditate, ex ſpiritibus vitalibus, qui in fœminis ac pueris non ita igneſcūt, ut in maſculis & adultis. Cæterum haud nati ſumus merè ad ingenii excellentiam, aut ex ea ſolummodo expendenda ciuilitatis præſtantia, ſed ad virtutem ex apta indole educendam, ex qua etiam eius modus ſpectandus: ut maneat proprium munus ſpiritualium ſubſtantiarum, notitia; hominum intetim moralis honeſtas, natiuum decus fuerit. illi autem aridi ac duri, magis opportuni pluribus ſceleribus ſpiritualibus, ſimul ac carnalibus, quam teneriores: importunius enim ſuperbiunt, ferocius iraſcuntur, immanius libidinantur, diutius hærent in ſtatu mali. Hi autem non eo impetu deferuntur in vitia, & ratione teneritudinis, ab eiſdem mutabiliores reperiuntur. Ex quo ſequitur, illos ingenio feruido colluſtratos, violabiliores quoque eſſe à diuinæ iuſtitiæ telis. loquatur hoc *Græcia*, quorū ingenia grandia, peccata itidem grandia efferentia, in grandem dei caſtigationem, adeoque ciuilitatis ruinam, incidere.

15 Criminari porro ſolent ingenium hoc aliorum amans. quod valde propenſum in ea vitia, quæ ex ſodalitate oriuntur: nimirum quod ſit commeſſationibus deditum, iuxta ac amori-

bus

ribus venereis. Cumq; eis plerumq; ineſt, quorum corpora ex ſubtilitate ac tenuitate ſpirituũ & tactus magis delicata, & ipſa etiam externa ſpecie pulcriora, inde facilius corporum in alijs venuſtatibus capi aſſueuit. fateor equidem in hac re, quemadmodum in reliquis, nihil in hac vita tam magnæ vel puræ eſſe bonitatis, quod cum aliquo malo non ſit cõmixtum, aut illi valde vicinum. quapropter quod ingenium hoc amans, ſit multum inclinatum in virtutes, quæ ad alterum intuitum hominem, ac proinde ab indole ſit iuſtum, pium, munificum, ſociale, ac religioſum, inde pariter a prædictis vitijs non eſt longè remotum. a quibus ingenium ſiccius alienum magis, ſæpius eis virtutibus deſtituitur quæ alterum reſpiciunt, tametſi temperans interim fuerit. Cæterũ amans ingenium ad temperantiam, ad caſtitatem libentius componitur, quam illud durum ad iuſtitiam & charitatem: quandoquidem cum admodum aptum ſit ad concipiendum flammas amoris Dei ac patriæ, tum earum ardoribus, eiuſmodi vitiorum calẽtes libidines expeditiori opera in ſe compeſcet aut extinguet.

16. At inutile non eſt, quod miſericordiæ ſenſu, veluti aculeo pungamur: hoc enim magis inſtigamur ad ſubleuandum aliorum miſerias, ac proinde ad optimum vitæ ciuilis officium exequendum actius promouemur. *Quid eſt autem miſericordia*, inquit S. *Auguſtinus*, *niſi alienæ miſeriæ quædam in noſtro corde compaſſio, qua vtique ſi poſſumus ſubuenire compellimur*? Homines idcirco cum ſimus, vacuitatem a paſſionibus, aut naturæ adamantem vendicare non debemus: perinde ac ſi quantum ad hoc, Deo ipſi, vel Angelis, cuperemus eſſe ſimiles, vel æquales: imo, vt intelligamus, illas nobis eſſe connaturales, quod idem S. *Auguſtinus* animaduertit, ſacræ ſcripturæ etiam Deo, & Angelis *iuxta conſuetudinem humanæ loquutionis*, affectus attribuunt: *propter quandam operum ſimilitudinem, non propter affectionum infirmitatem.*

August. lib. 9. de Ciu. cap. 5.

Cicer lib. 3. de fin.

Gellius. lib. 19. cap. 1.

August. sup.

17. Eodem modo naturæ mutabilitas, quæ oritur ex appetitus ſenſitiui mollitie quadam, ciuibus commoda. Inſita eſt quidem nobis ab auctore naturæ Deo, ratione eiuſdem appetitus, quædam pronitas & actualis etiam incitatio in peccatum, ſaltem vt pœna criminis originalis: quæ tamen triplici vtilitati inſeruit: primò quod in eam ex virtute fortiter depugnantes, eo præmia maiora conſequimur: deinde quatenus ex eius infirmitate, perpetratum delictum leuius, & indulgentiæ diuinæ vicinius euadit: poſtremò in quantum hominem a malo ad bonum volubiliorem cõſtituit. proinde illa ira ciuilior, quæ ex bile oritur, quàm quæ ex certa iudicij malitia propagatur: Hæc enim cum ingenti clade boni ciuilis perdurat, vitamque ciuium inquietam omnino reddit, cum altera citius euaneſcat, & rationi, veluti ſoli in ſereno cælo ſplendenti, locum denuò concedat. Nullo autem modo debere hominem, in ſocietate degentem, mutationem iraſcendo vel odiendo ſubire, perinde eſt ac ipſum in Dæmone obrigeſcere. præſtitit itaque Deus, vt non perpetuò eadem eſſet cauſa in nobis iraſcendi, odio habendi, aut dolendi: nam naturæ indultum, ad mortem parentis moderatè plangere, id tamen per totam vitam agere, importunum: licet eadem ratio damni perſiſtat, ac ſic de reliquis definiendum.

18. Poſtremò, neque ſenſus iſte obeſt iuſtitiæ, militiæ, aut pietati in patriam: potius prodeſt, magiſtratum ac militem ab iniuria inferenda, crudelitateque exercenda, cohibendo. Neque in ciue ſummã illam teneritudinem approbamus, quæ rationi imperet, quæ ex ſe ſola de negocijs ciuilibus conſtituat; ſed illam moderatam ſtatuimus, quæ rationi ancilletur. quod ſi extremos exceſſus ac defectus inter ſe conferre velimus, exiſtimarem, ciuitati pernicioſius, Ciues nullo penitus tangi affectus iſtius molliori ſenſu, quam nimio. inter quæ tantundem diſcriminis intercedit, quantum inter ſummã malitiam, & maximam infirmitatem.

19. Optimus verò ex vtriſq; , Ciuili nempe & Monaſtico, animi ſtatus, quo quis actione & adſpectu grauis, iuxta ac humanus. qualem animaduertit *Cicero*, propter aduerſitates vtriuſque formas, difficulter ac rarò pariter in aliquo reperiri, ſic *Attilũ* alloquitur: *Quid enim eſt elegantia tua dignius: cuius & vita & oratio conſequuta mihi videtur difficillimã illam ſocietatem grauitatis cum humanitate?* Amans quidem ingenium, propenſum omnino in facilitatem & humanitatem, a grauitate autem alienius. viciſſim ingenium aridum ac erga alios auſterum, graue quidem, at inhumanum. proinde illud in contemptum, hoc in odium plerumque incidit. contemni, an verò odio haberi, vtrum peius aut rebus ciuilibus nocentius?

Cicer. lib. 2. De legib.

20. Atque iſtius Ciuilitatis naturam in vniuerſum explicatam dedimus, ex eius generalibus principijs de ea diſſerentes. Reliquum inquiramus modò etiam in vniuerſum de medijs, ac fine eiuſdem: quod iam proximè aggrediendũ.

DAPVT XIV.

Virtutes Intellectuales, iuxta ac morales, inſtitutis Ciuilibus neceſſaria.

Dionyſius halicarnaſſeus cauſas ſecũ repetens ſummæ illius fælicitatis, qua Romanum imperium quondam floruit, tres enumerauit, Deorum ſcilicet cultum, virtutum, legumque exactè obſeruatarum vires. quibus tam intellectus humani, quam voluntatis, optima munera eſt complexus; nullus enim erga Deum, vel homines ſe rectè gerit, niſi prius animo inſtructus, officium ſuum propriũ didicerit. *Actionis principium*, inquit *Ariſtoteles*, *conſilium eſt. principium inquam vnde motus proficiſcitur, non cuius gratia res agitur.* Cũ idcirco duplex ſit partis in homine rationalis facultas, tũ vtraque duplicis ordinis virtutibus informãda, *Intellectualibus*, vtpote, & *Moralibus*: quarum illæ priores, poſteriores iſtæ. virtutis inde duæ ſpecies, vt docet *Ariſtoteles*, moralis vna, intellectiua altera. *Neque enim iuſtos tantum, ſed etiam intelligentes, ſapienteſque laudamus.* Cognoſcentes

Dionyſ. lib. 2. Antiq.

Ariſt. lib. 6. Ethic. cap. 2.

tes quidem operamur, & quadam veri intelligentia inſtructi, ſubinde in actionem incumbimus, quæ circa bonum honeſtum, vel iucundum occupetur. Cæterum ciuiliter nos gerentes, non proſpicimus in ipſam cognitionem vti finẽ, ſed in aliquid aliud expetẽdũ quod admonuit *Ariſtoteles*: quandoquidem virtutes intellectuales, nempe ſapientia, ſcientia, prudentia, fides, ars, ad morales, tanquam earum directrices, referuntur. Et quidem bruta quibuſdam apprehenſionibus conuenientium ac diſconuenientium rerum ad appetendum, aut fugiendum ducuntur. Homines autem præeunte diſcurſu ac iudicio libere officia ſua exequuntur. vt ergò Ciues finem ſuum adſequantur, animis ſunt informandi, ſimulque actiuis virtutibus, quoad voluntatem, imbuendi: quibus coniunctis, ex illis ſolis perſpicacia abſque firmitudine in ipſis, & ex iſtis, firmitudo cum cæcitate inuenirentur.

2. Quantum verò ad virtutes intellectuales, quædam ſpeculatiuæ, aliæ practicæ: nulla tamen, ne dum ipſa metaphyſica, ita ſpeculatiua, vt nihil omnino ad actionem ciuilem conferat. Hinc pronunciauit *Auerroes*, ſcientias practicas in ciuitate, ſpeculatiuis ſubordinari: probantur enim & demonſtrantur in ſpeculatiuis practicarum principia: ex quo practica ſcientia non ſolum in Ciuium animis euadit exactior, verum etiam ad dirigendum in actionem honeſti potentior. Animaduertit autem *Ariſtoteles* ingenia ſpeculatiuis ſtudijs maximè dedita, non tam fælicia eſſe in practicis peragendis. *Hinc fit*, ait, *vt nonnulli etiam neſcientes, ſcientibus actuoſiores ſint*. Huius rei eam aſſignat rationem, quod actio, quemadmodum prudentia, verſetur circa ſingularia: ſpeculatio autem ab eis abſtracta, generalia rerũ principia proſequatur. *Cuius autem prouiſio*, inquit *S. Thomas*, *in ſolis vniuerſalibus cõſiſteret, parũ de prudẽtia participaret*.

Auer. in paraph. Rep. Platon.

Ariſt. lib. 6. Ethic.

S. Thom. lib. 3 Cont. Gẽt. cap. 44.

3. Harum virtutum ſummam neceſſitatem aſtruit hominis ipſius natura: hæc enim, ſi quò ad mentem ſapientia, ſcientia, ac fide, deſtituatur, pariterque quoad appetitum ac voluntatem, careat religione, iuſtitia, ac temperantia, vehementior euadit ex malitia ad omnem nequitiam peruerſiſſimæ barbariei, quam quoduis animal brutum, ferinum licet & immaniſſimum: *In quo*, vt loquitur *Ariſtoteles*, *nulla ferarum fraus eſt tanta, nulla malitia, quæ cum eius malitia contendat. Nam cum iniuſtitia armis inſtructa ſit, horribilis maximè: hominique a natura quaſi arma quædam data ſint prudentia nempe, ac virtutis, quibus in contrarias partes vti poſſit, nihil eo, ſi virtute vacet, eſſe poteſt ſceleratius, nihil denique ad libidinem & intemperantiam abiectius.* Arma autem in homine, quæ virtuti direpta flagitijs inſeruiunt, potiſſimum tria, ratio, ſermo, & manus: quemadmodũ enim nauis, quo melius comparata, eo calamitoſius in ſcopulos impingit, ſi curſum inſtitutum aberrando non teneat: ita homo pleniſſimè a natura inſtructus ad probitatem cognitionis, & actionis, ſi ſuis copijs abutatur, in peiorem ſtatum deformitatis ſe proijcit, quam animal quoduis ab ingenio licet rabidiſſimum. Atque ſicut hominis admirabilis vis cogitandi ſimul ac agendi, ſeroſim a virtute exiſtens, malitiæ ſummo in gradu ſuppetias fert, ita commercio ciuili, adeoque ipſa ciuitate adiuta, truculentius debacchatur. *Mortales quondam miſeri*, inquit *Marcilius Ficinus*, *antequam ciuilitas cultum miſteretur; neque ſegregati viuere poterant, quin paſſim laniarentur a feris: neque iterum congregati, quin a ſemuicem lacerarentur. Homo namque malus*, ait *Ariſtoteles*, *millies plura mala, quam fera, facere poteſt.* Hoc ipſum, Ciuilitatis nomen iudicare videtur. id enim in homine ciuile olim nuncupatũ, quod modeſtum, quod temperatum, quod ab omni corporis & animi immoderato impetu alienum. Cum nomen Cæſaris infamibus libellis appeteretur, is, vt ſcribit *Suetonius*, *Id ciuili animo tulit*. Idem, *Tiberii* in ſuis regendis humanitatem recolens, ait, *Ciuilem ſe admodum inter initia ac paulò minus quam priuatum egit. Antoninus* vt loquitur *Plutarchus*, *bono & ciuili animo fuit*. Sicut e contra, barbaries irritabilis, exaggerata furioſa, vt notat *Herodianus*. Hæc verò ſui caſtigatio ac repreſſio, ſine cultu virtutis perfici non poſſunt: ſine quo natura, inſtar equi indomiti nimium exultaret in omnem intemperiem ſolutiſſima.

Ariſt. lib. 1 pol. cap. 2.

Hippocr. Galen. D. Hom. Gener. & Part.

Marcil. Ficin. præfat. in Dial. 5.

Ariſt. lib. 7. Ethic. cap. 6.

Sueton. in Cæſar.

Sueton. in Tiber.

Plutarch. in Anton.

Herod. in Commod.

5. Tria porrò ſunt, quæ quantum ad alios, actionibus præſunt: virtus ſcilicet, fraus, ac violentia. quarum duæ poſteriores ciuili vitæ infeſta, in pyratis ſiquidem, ac prædonibus inuenienda: reliquum, vnam virtutem diſponere debere de neceſſitudine ciuili; ſine qua aut nihil ageretur in ciuitate, aut omnia ex fraude ac violentia, ritu barbarico diſponerentur. neque opus horum incommoda recenſere, cum ſatis liqueat, bonũ commune aliquod, non poſſe illis adminiſtrari, eiſdemque vitam humanam perturbari potius ac penitus confundi, appareat. *Non aliunde*, inquit *S. Auguſtinus*, *beata ciuitas, aliunde homo: cum aliunde Ciuitas non ſit, quam concors hominum multitudo.* Finis verò humanæ vitæ quod voluptas nõ ſit, is honeſto ac virtute definietur. Similiter facultas, quæ in homine ſuprema & architectonica, teſte *Ariſtotele*, in virtutem tanquam in vltimum terminum progreditur. atque hinc differentiam conſtituit inter Philoſophum ciuilem, ac voluptuarium: quod ille in virtutem, iſte in corporis voluptatem reſpiciat. Affirmat porro duce natura, neminem hominum ſua ſponte velle alteri ſubeſſe, ac illi obedire, niſi id in bonum ſuum cederet. cuius boni notione comprehenditur virtus: etenim nimis abiectum, voluptatis ergo, vel propter bonum inferius decore & bonitate virtutis, hominem a ſe libertatem abieciſſe, & alterius imperium, cum ipſum natura liberum extulerit, in ſe vltro admiſiſſe.

Auguſtin. Epi. 52.

Ariſt. lib. 1. Ethic. cap. 2. lib. 1 Moral. cap. 2.

Ariſt. lib. 6. Pol.

6. Idem confici poterit ex qualitate bonorum ciuilium, vtpote dominiorum, poſſeſſionum, diuitiarum: quibus ſi virtus modos non conſtituerit, nihil facient ad vitæ ciuilitatem, imo potius omnem illius dulcedinem ac commoditatem eliminabunt: ac facilius, ſolis virtutibus vita ciuilis conſtabit, quam ſine virtutibus, ex ſolis bonis corporis. Neque regulam hæc præſcribunt virtu-

tibus

tibus, ſed virtutes illis. hinc ciuibus, ut pote Spartanis, & Romanis, aliquando decreta ratio limitis in bonis externis. *Lata eſt lex*, inquit

Flor lib 6. cap. 7. Plut. in Age. in Cleom.

Florus, ne cuiquam plus quam quingenta iugera agri liceret poſsidere. Lucius Ploto lege ab ipſo lata damnatus eſt quod plus quingentorū iugerum agri poſsideret. Vt ergò bona externa rectè adminiſtrentur, a virtute ſunt moderanda, ac in earum fines referenda. non itaque in vita ciuili virtus eſt medium, diuitiæ, pax ac iucunditas fines; ſic enim res omnium optima ſibi longè inferioribus ſubijceretur, cum finis eis præſtet, quæ ſunt ad finem. in hoc autē ſenſu virtus dici poterit medium ad bona externa in ciuitate, quatenus idonea ad eis imperandum, eaque deſtinandum in ſeipſam, ut pote in ultimum optimumque finem: ciuile enim non eſt appetere diuitias ac dominia, ſed hæc referre ex motiuo virtutis in bonum commune, aut aliud priuatum bonum, quod rectæ rationi, ſeu virtuti, conſentit, id demum ciuile ſentiendum. Ex quo probat *Ariſtoteles*, ad fælicitatem ciuilem non requiri, quod *Plato* contendebat, commune ius, aut vſum promiſcuum apud ciues in

Ariſt. lib 2. pol. cap. 5.

rebus externis, vel earum æqualitatem. *Quibus telum* inquit, *remedium non eſt opum, aut bonorum æquatio, ſed potius diſciplina, qua ij, quos natura inſigni quadam probitate ornauit, ita percolentur, & præparabuntur, vt & ipſi augere in immenſum opes nolint, & improbi non poſſint.* Et alibi:

Ariſt. 7 pol. cap. 1.

Nunc verò hoc tantum poſitum ſit, vitam optimam & priuatam vniuſcuiuſq; & publicæ ciuitatis eā eſſe, quæ coniuncta cum virtute, tantum habeat copiarum, vt actionem virtutis adipiſcatur. Vult proinde *Ariſtoteles*, vltimum finem vitæ ciuilis eſſe virtutem, eamque hoc nomine ſacram & fælicem haberi: nullo autem modo pace, tranquillitate,

Ariſt. lib. 1. Ethic. cap 9. & 13.

& rerum externarum abundantia definiri. *Atque is quidem, qui ad rempublicam adminiſtrandam vere idoneus eſt, in huius*, nempe virtutis, *ſtudium maxime exercitatus eſſe videtur. huic enim ſe parat, atque hoc ſtudet, ut ciues ſuos viros bonos, & legibus obedientes efficiat. Ciuilis autem ſcientiæ finem optimum eſſe ſtatuebamus, quæ magnam diligentiam adhibet, ut ciues certo quodam modo affectos, bonoſque, & ad res honeſtas agendas idoneos, reddat.* Imo externorum bonorum abundantia, virtute deſtituta, ruit ſuapte mole in morum barbariem: ea enim virtuti reſiſtit, & eius diſciplinis reluctatur, ut non niſi ægrè ad ciuilitatem ſe componi patiatur. *Difficillimum*, inquit *Plato*,

Plut. in luc.

apud *Plutarchum*, *Cyrenæos, ampliſsima fortuna ſolutos, legibus continere. Nil enim imperatu difficilius eſt eo homine, quem proſpera fortuna extulerit: neque iterum regi quippiam lenius, qui aduerſis fuiſſet caſibus depreſſus atque contractus.* Fælicem idcirco

Plut. in Sol.

illam rempublicā dixit *Solon*, in qua nemo pauper, diues nemo. ob hanc cauſam, apud aliquē ciuem ſubito rerum copia reperta, iudicium olim habitum improbitatis. hinc *Sullæ* oblo-

Plut. in Sil.

quutum: *Quonam modo vir bonus eſſe potes, qui cum nihil a patre tibi relictum, tot ac tanta poſsideas?*

7 Propter hanc cauſam, *S. Auguſtinus* admirandam proponit aliorum contemplationi ciuita-

Aug Epiſt. 202.

tis formam, in Dei Eccleſia collucentem. *Intuere obſecro te, & cerne quantis ibi laudibus frugalitas & continentia prædicetur, & erga coniugale vinculum fides, caſtique ac probi mores: quibus cum præpolle̅t ciuitas, vere florere dicenda eſt.* Principium in hac re hominum mores capiunt a lege naturæ, cuius incitatione, ut primum in cœtus coaleſcunt, ita eadem continuo permouente, virtutes perſequuntur, tam eas, quæ animi affectiones monaſtice inſtituunt, quam alias ad aliorum bona deſtinatas. de quibus hæc *Seneca*: *Vna inducetur humanis virtutibus re-*

Sen. Epi 66

gula, una enim eſt ratio, recta, ſimplexque. Vnde conſequens, in ciuilibus magiſtratum gerentem, iuriſdictione gaudere in materiam, ac circumſtantias virtutum, in ordine ad ſuum finem conſequendum, nempe iuſtitiæ legalis perfectionem, quæ rationem boni communis in ſe contineat. nam qui in finem auctoritate perfecta pollet, is etiam media ſub ſua poteſtate habet: media autem ſunt virtutes tam monaſticæ, quam ciuiles: proinde cum principi cura ſit demandata iſtius finis, ad virtutes, quibus eiuſmodi finis a ciuibus comparatur, eius poteſtas legittimè extendetur.

8 Enimuero ſi princeps tam intellectualibus quam moralibus virtutibus priuetur, nihil iuſti, præclari nihil iubebit, nec eam formam actionis exprimet, quam, utpote exemplarem, ciues imitari decet. quinimo inſcitia, iniquitas, impietas, libido, in illo affluentes, tanquam ex malorum omnium fonte ubertimo, ad cunctos ciuiū ordines, eos corruptum, violatumque, ab ipſo decurrent. & quamuis ſub hac notione *Subditi, Ariſtoteles* neque prudentiam, neque virtutem in aliquo requirat: quatenus nempe merè id exequitur, quod a principe mandatur, actus potius ab alio, quam agens, notitia practica ei incuſſa a lege, non educta aut præſcripta ab ipſius ratione, nihilominus, ut ipſe etiam aduertit, ſi modo ciues, ſeu vectigales, virtutibus omnino carerent, non magis ſuperioribus morem gerent, quam diſcoli præceptoribus.

Ariſt. li. pol Et. Ethic.

etenim a voluptatibus ſuperati omniaque priuatis commodis metientes, bonum commune breui deuaſtarent. in utriſque idcirco virtus requiſita. At de hac re fuſius diſputaturi libro ſequenti.

Ariſt. lib. 4 pol.

9 Hac ipſa virtute ſemel exculta in ciuitate, inter ciues quædam æqualitas conſtituitur, quā ab ipſis expetendam, etiam in externis valde ſuadent Philoſophi: quandoquidem ex eorum inęqualitate diſſidiā, inuidentia, diſtractioneſq; animorum oriri ſolent: ut id pulchrè oſtendit *S.*

Amb. lib 5. Hex. ca. 15.

Ambroſius. quæ quidem æqualitas, in re etiā omnium excellentiſſima, nempe in virtute, eis hinc proponitur conſequenda. hæc enim omnibus ex æquo obiecta, nulli eius præſtantia denegata: imo ita cunctis obuia, ut vel inferioris ſortis ciues, in ſuperiori loco collocatis, quod ad virtutem, excellere poſſint. & eò patientius ferre debent majorum in ſe imperium, quod animæ palmari qualitate altiorem, quam quo illi gaudēt, gradū attingere va-

Chry. Hom. 26 ca. 11. ad Heb.

lent: cum virtutis dignitas eminentior ſit vel omni iuriſdictionis faſtigio, & ab eo ſæpius

culta, ut obſervat *Chryſoſtomus*, hac opinione concepta de virtute, amplius moleſtum ipſis non erit, aliis dimitti; ac ipſis obedientiam deferre, quandoquidem percipiant, præſtantes virtute obedientiæ, ad excelſum virtutis tam intellectualis quam moralis culmen ſe felicius perſuadere: alioquin ſanè condicio vectigalium durior, acerbiorque merito exiſtimaretur, eorum præſertim, qui infra mediam ſortem collocantur, ſi ex virtute nulla ipſis ſpes eminentię affulgeret.

10 Præclarum porro argumentum ad adſtruendum ciuilitatem ex virtute, inde deducitur, quod hæc ſola ſerenitate, & ſua innata dulcedine, ut poſtea plenius dicetur, animos ciuium, quantumuis rerum externarum fluctibus concuſſos, tranquillare & exhilarare poſſit. quemadmodum contra, vitia, ex maxima etiam poteſtate & rerum affluentia, vel in ipſis Principatibus prognata, triſtitias, animique angores poſt ſe incredibiles relinquunt, ſurdo, diro tamen verbere, continenter potentiſſimorum conſcientias affligunt. conuenit vero ciuium ſenſus eſſe pacatos, & dulci quodam ſucco delinitos: quæ bona, una virtute ab eis acquiruntur. *Ergo impius ipſe, ait S. Ambroſius, ſibi pœna eſt, iuſtus autem ſibi ipſi gloria: & utrique aut bonorum aut malorum operum merces ex ſeipſis ſoluitur.*

Amb. lib. 1. off. cap 12.

11 Conſulto idcirco Philoſophi, qui de rebus ciuilibus ſcripſere, primò moralia explicarunt, deinde politica. quam ob cauſam *S. Auguſtinus* laudat *Pythagoram*, poſt alias diſciplinas, præſertim ethicas, ciuilem ſcientiam ſuis tradentem. *Plato* ut exactè ciuilia pertractaret, uniuerſam doctrinam de virtutibus, ac vitijs copioſe recenſet. *Ariſtoteles* ita poſtremum librum ethicorum concludit, ut commodè tranſitum inde faciat ad libros, quos ſcripſit de Politicis. qui ſignificare voluerunt, inſtitutiones ciuiles fundari in moralibus, ac verſari in declinandis vitijs, ac virtutibus amplexandis: quod ſanè hominis decus, eiuſque officij ſuprema veluti manus ac munus.

Aug. lib de ordine

Mart lib 4 Eleg 10.

Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyaſque
Inuenies; hominem pagina noſtra ſapit.

12 In ſocietates itaque ciuiles ideo homines conuenere, ut ciuilibus medijs adiuti, perfectius Deum cognoſcerent, ardentius amarent, puriuſque colerent, quam poterant ſeorſim agentes: ut ſuis affectionibus exactiorem normam rationis præficerent, ut erga alios charitatem & iuſtitiam perfectiorem exhiberent, quam præſtarent in ſolitudine degentes: ut principes rectè gubernando, ad altiorem gradum virtutis inſurgerent, quam ſi priuati exiſterent. Quãobrem cum politiæ alicuius ratio inquirenda, videndum, num virtuti inſeruiat, num ad eam ciues prouocet nec ne. & quando comparatio inſtituenda inter plures ciuitates, ea coniecto calculo præferenda, quæ magis ad virtutem facit: quod etiam ſpectandum in eis, quæ reipſa, vel in ſpeciem, diuinæ reuelationi innituntur. optime *Ariſtoteles* dixit, homines in ciuitates conueniſſe ut viuerent vita intellectuali ex operationibus virtutum: *Non, ut in pecoribus, eodem loco paſci.* vani idcirco nonnulli hæretici; qui animaduertentes morum regulas, præſcriptas a fide catholica, efficaciores eſſe eis, quæ a ſua credulitate ſanciuntur quoad virtutem, dicunt tamen in hac re non eſſe agendum Philoſophicè, ſed Theologicè ſolùm, eaſque ciuilis vitæ regulas admittendas tantum, quæ iure diuino in ſacris literis contento, ſtabiliuntur, tametſi iuxta Philoſophiæ ſpeculationem, aliæ ad virtutem potentiores cogitari poſſint. Enimuero euidenter demonſtramus vi Philoſophiæ, eas morum regulas iure diuino, aut ſacris literis non præcipi, quæ ad virtutem frigent, multo magis, ſi vitijs, ſi voluptati turpiter lenocinentur, ſi ad prouocandum ad virtutem imbecilliores fuerint monitis *Platonis*, aut *Ariſtotelis*. quis enim credet, eiuſmodi enerues & glaciales regulas a deo dimanaſſe? videndum modò, ad capeſſendas optimas ciuilis vitæ diſciplinas, quamnam vim educatio obtineat.

Ariſt. lib 9. Ethi. cap. 11.

CAPVT. XV.

Ad virtutes tam intellectuales, quam Morales capeſſendas, ratio educationis magnum momentum adfert.

ITa eſt a natura comparatum, ut homo cum corpore & anima rationali componatur, iuxta Philoſophi doctrinam, triplici quaſi vita, & ex ea motibus totidem, conſtet, ac ſe agitet. ortum ipſum in eo primum excipit vita vegetatiua, per incrementa artuum corporis ad debitam quantitatem molis contendens. ſuccedit vita ſenſitiua, in oblectamenta ſenſuum, & appetitus ſenſitiui, feſtinato curſu progrediens. *Vidi ego, ait S. Auguſtinus, & expertus ſum, zelantem puerulum, nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu collactaneum ſuum.* vltimo vita rationalis accedit, quæ partim natiuo vigore in vſum diſcurrendi erumpens, partim accepta aliunde ſcientia, experientiaque deforis collecta, rerum veritates pedetentim aſſequuta, tandem philoſophatur. quo pacto homo, primo herba, deinde calamus, neque plane ſtultus, neque ſapiens, vt ait *S. Auguſtinus*, poſtremo Angelo ſimilis comparet. In qua ordinis digeſtione, natura neutiquam a decore aberrauit, ultima enim plerumque perfectiora, & antecedentia ad illa præparatoria. hoc enim modo, quod homo mundi Princeps, ſingulis a deo prius conditis, quæ eius imperio exequendo idonea, tunc demum quaſi in optimè inſtructum palatium a deo inductus fuit. pari ſcemate, quod corporis iuſta ſtatura, ac ſenſus opera rationi inſeruire debeant, ideo primò exiſtunt, ac ſubinde ratio, minorem mundum perficiens, ſeſe oſtentat ac prodit.

Ariſt. 2. de Gen. Anim. cap. 3. & 4.

Aug. lib 1. conf. cap. 7.

Aug. lib. 1. Retr. cap 14.

Gen. 2.

Phi de hom. fabr.

2 Cum idcirco exordium vitæ in infantibus obtineat voluptas, eaque craſſior, & externis ſenſibus familiarior, que utpote iocus infantulis ac puerulis, menti & intelligentiæ

vel

vel contrarius, vel graue impedimentum, ne diuturniori affluxu perennans, ſtatione ſua veluti egreſſus, omnes vitæ partes ſibi ſubiciat, diſciplina, tam animæ, quam corporis facultates cohibente, ſenſuſque amaritudine perſtringente, illa ætatula inſtituenda. adeo enim intelligentiæ munera in ea inſuauia, aut ſaltem ab omni guſtu diſtracta, ut ſi pœnæ ſibi notiores non inſtarent, nullo modo vellet in ea incumbere. aut ſolitis delicijs, eorum importuna interpellatione priuari. *Per pœnas* inquit *S. Auguſtinus, doloribus plenas, pueri coguntur quæque artificia, vel literas diſcere: ipſumque diſcere, ad quod pœnis adiguntur, tam pœnale eſt eis, ut nonnunquam ipſas pœnas, per quas compelluntur diſcere, malint ferre, quam diſcere. Quis autem non exhorreat, & mori eligat, ſi ei proponatur, aut mors perpetienda, aut rurſus infantia;*

Aug. lib. 21. de ciu. ca. 14. Porph. ii. de Abſtin.

3 Tria autem, quantum ad mores, iuxta *Plutarchi* ſententiam, in homine expendenda; natura videlicet, ratio, & aſſuefactio: quibus concurrentibus, aut ſumma virtus, aut extrema vitioſitas perficitur. quoad naturam, pueri ac iuuenes propenſi omnino in ſenſuum iucunditates; adeo ut vel ſponte ocientur, laboribus ſuperſedentes, vel ſuccum imbibant voluptatum, aliquid operantes. quibus duo remedia opponenda: auocatio a ſenſuum gratis actionibus, & in aſperis ſtudiis exercitatio: vtraque enim plurimum faciunt ad mentis lumen expurgandum, eiuſque aciem exacuendum. Etenim ipſa animi intellectio, tametſi adminiculo corporalium phantaſmatum exprimatur, ut eam tamen perfectam proferamus, quantum poſſumus a corporeis officijs recedendum. *Quis enim bene ſe inſpiciens*, inquit *S. Auguſtinus, non expertus eſt, tanto ſe aliquid intellexiſſe ſincerius, quantò remouere atque ſubducere intentionem mentis a corporis ſenſibus potuit?* Ex quo probat, animam ſpiritum eſſe immortalem, non corpoream ſubſtantiam corruptibilem. *Quod ſi temperatio corporis eſſet animus, non utique id poſſet accidere.* Cæterum an non hoc valde mirū: quidnam animā a corpore digredi quodāmodo debet, a quo neceſſariū vitæ & actionis expectat ſubſidium: perinde ac ſi ingratitudine exaſperata, poſt acceptum beneficium a corpore, adeoque vi naturæ abſolutum cum illo ligamen, ab eodem diffugere ſtuderet? accedit anima ad corpus ut eius adminiculo aliquid intelligat. ſubinde adiuta, ab eodem recedit, ut melius intelligat, ut ſanctius amet, amicum deſerit, nutricem relinquit, & quaſi a corpore, emendicato munere, ſtatim auolat. quam ſubdolum, quam varium & multiplex animæ in corpore conſilium. imitari videtur Iſraelitas, qui in procinctu ſuæ fugæ ex Ægypto, ſub ſpecie accommodati, Ægyptiorum bona ſecum in alias terras detulere. haud ergo permittendi pueri, ut in ſenſuum delicijs ſeſe totos perpetuò immergant: quinimo efficiendum ut ab illis retracti, in vitæ curſu, ſubinde facilius mentem eis eximant, & ſuper illas attollant, dū aliquid ſerio contemplari volunt.

Plut. lib. de Educat.

Aug. lib. de immo. Ani. cap. 10.

Exod. 1. 20.

4 Quod porro virtutis actio in rebus triſtioribus & acerbioribus plerunque occupetur, idcirco vel in prima ætatula guſtandum abſynthium, ſenſuum ingrata obiecta percipienda, ſuperanda, eo fine, ut adulti virtutum angores melius perferre poſſint ac velint. naturæ fragilitati in pueris, etiam in iuuenibus, aſſociatur infirmitas rationis. Refert *Bion* apud *Plutarchum*, procos *Penelope* depulſos & reiectos ab ea, ad impudentiam ancillarum eius ſe recipiſſe. quo ſignificare voluit, a ſapientia utcumque deficientes, vel ad eam impotentes, quod omni iucunditate deſtitui nolint, aditum ſibi facere ſolent ad viliuris ſortis voluptates. natura quidem puerorum ac iuuenum mentes impares reddidit, quæ excelſum ſapientiæ culmen ſcanderent: proinde nihil miri, ſi vis in ipſis intelligentiæ inferius iacens, aut errori, aut vanitati impendatur. *Iuuentutis*, ut ait *S. Gregorius Nazianſenus, affecta eſt ſtultitia.* quæ ut natura, excutiatur, optimarumque rerum rationes, tanquam tabulæ raſæ, animis ipſorum inferantur, antequam turpes formæ eas penitus obtinuerint, aut obſtinata ignoratione induruerint, diſciplinis utrique cum coercendi, tum litterarum ſcientia informandi. *Eſt autem puer*, inquit *Plato, omni beſtia intractabilior. nam cum prudentiæ fontem nondum perfectum habeat, inſidioſiſſimus eſt, acerrimusque, ac omnium beſtiarum petulantiſſimus. Ideo multis quaſi frenis vinciendus eſt.* Quantum verò ad aſſuefactionem in pueris & iuuenibus, ea quoad bonum tenuis eſt: ex cuius exilitate, ſi quid probi agunt, id flaccide & imbecilliter admodum perficiunt, non ex habitu, ſed naturæ potius ruditate quadam lubricè operantes. ſin vero mali aliquid moliantur, aſſuefactionis loco eſt ipſa in eis natura, in indecoras illecebras ſuapte vi propenſiſſima.

Plut. lib. de educ.

Greg. Naz. cap. 11 in Eccleſ.

Plat. lib. de leg. dial. 7.

5 Pueritiæ ſtatui, adeo imperfecto ac impotenti, in parentibus ipſis plerumque occurrunt nimis tener ſenſus, laxiorque amandi indulgentia. Duo ſunt, quæ prouocant parentes ad voluntatem teneritudinis ac nimiæ licentiæ in filios: unum in ipſius naturæ communicata ſimilitudine, alterum in ipſa forma puerorum collocatur. præclarus ſanè ſpeciei effectus proles, in qua non ſolum participata nobilitas, verum etiam efficientis illuſtris ſimilitudo, vel potius ab eo quid ipſius deciſum ac dilumbatum cernuntur: ex quorum intuitu ſingularis affectus in parentibus, vel naturæ opere, excitatur. Cū porro inermes naſcūtur infātes, ea tamē gratia, & decore corpuſculorum collucent, ut vel ſaxeis cordibus ſenſum eliciant amoris, ac ad ipſis benefaciendum mira virtute inſpectores compellunt. Hæc verò amabilis ſpecies, in parentum oculis præſertim efflorescit. atque iſtis duobus detineri ſolent parentes ab illo ſtrictiori modo, ex virtute educandi liberos. verumenimvero, naturæ hanc fragilitatem ipſimet parentes; etiam diſciplinæ acrimonia, debent in ſeipſis primo caſtigare. quod ſi non præſtiterint, ad educationem liberorum apti non fuerint: haud minus corrigente alio indigentes, quam liberi inſtructore. ſcire oportet, filiolos ſuos non ipſorum oculis obuerſari, ut tantum in eis ſuas delicias cum admi-

rentur tum exoſculentur: vt ipſorum ſenſibus gratificentur, ſed ut tractentur ab ipſis eis medijs, quibus melius ad prudentiam, ad ſapientiam, ad virtutem, ac corporis ſanitatem, inſtituantur. quid attinet, quod parentes iocandi cauſa liberos perdant, & cum ſimia nimium ſtringendo prolem, illos occidant, quod illorum ſenſus ingeſtis bellarijs obruant, corpuſculaque, alioquin ex ſe ſucculenta, humorum copia ſubmergant? Florente apud *Perſas* imperio, ut ſcribit *Plato*, gens illa ab infantia, artis paſtoriciæ, militaris, ac venaticæ occupationibus, robur acquiſiuit, *Deinde Cyrus filios non tradidit inſtituendos arte paſtoricia, & illa robuſta, ac Perſica, ſed mulieribus Medorum. Permiſit etiam ut mulieres, & eunuchi, Medorum ritu, filios eius nutrirent. quorum educatio ob eam, quæ vulgo æſtimatur fœlicitas, corrupta eſt.*

Pla. Dial. 3. de leg. l.

6 Laborat illa ætula lubrici, & tenebroſi conditionibus: proinde lubrico victus duritiës, tenebroſo autem eruditionis radius opponendus. ſi enim ſenſus permittantur in ea liberè excurrere, ad illum impetum euadent domũ, ut etiam ſubſequentiũ temporũ ſtudia ad ſe rapiãt, omnia que fiant ab ipſis ex libidine, non verò rationis imperio. Similiter ubi in teneris exceptus non fuerit in animam lux doctrinæ, ibi ignoratio veritatis ſenſuum dominatum confirmabit, ratione interim magna vi errorũ obcæcata, & in ſeruitutem miſere abiecta.

Oui. Eleg. 3.

Iam reſpicitur tellus, ubi ſune ſolum

Currit in immenſum panda carina ſalum. Inde, coram idcirco ac turpes imagines rerum ſordidarum, ac voluptuoſarum, imprimis amouendæ ab oculis puerorum, ut rectè admonet *Ariſtoteles*. non enim ſolum ut mollis cera, facile ab externis impreſſionem ſuſcipit puerilis hæc ætas, verum insuper illam diu ac mordicus retinet, donec ad naturæ quemdam modum, ineluctabile malum excreuerit.

Ar. li. 4. pol.

Iuuen. li. 5. Sat. 14.

Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeant animos auctoribus,
Nil dictu fœdum, viſuque hac limina tangant,
Intra quæ puer eſt, procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia. Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

7 Non ergò expedit, pueros iam iam adoleſcentes, ſanguinis ſuæ claritudinem, aut excellentiam ſtatus illico agnoſcere; conuenit potius ut timeant pœnas, ut dimiſſis animis aliorum opem quærant, vereanturque verbo, aut ulla ſignificatione, iniuriã ulli irrogare: imò ut neceſſitate aliquoties preſſi euadent, & excitent in ſeipſis ingenij vires, a quibus adiuuentur, & præuiſa mala deuitent, vel cupita bona conſequantur: horum enim contraria, quod in ipſis petulans & inſcium, per omnẽ ætatem ſtabiliunt ac corroborant. quo pacto non tantum in ipſis ratio excitata, ſcilicet a vexatione prouocata, vires acquiret, verum etiam iraſcibilis energia animoſior euadet, fietque ut in vitæ curſu haud nimium langueſcat. ſtatim namque dignitatis ſuæ conſcij, ſuperbiunt, in admonitores contumelioſe rebellant; & omni rerum copia ad ipſos ultro affluente, occaſione carent exercendi ingenium, ſenſuum interim appetitionibus in omni actione præualentibus. ob quã innatam elationem, & ingenij ſoporem, per totam vitam plerumque ſtulteſcunt, ex timore, & ſenſuum iudicijs cuncta de reliquo tranſigentes. quam ſuperbiam abijcit, ſui quantũ ad hoc, ignoratio, variæque interim cum aduerſis colluctationes, mẽtem in ipſis reddũt acrem & exercitatam; quæ ex primis illis concertationibus ingentem poſtea vim colligit neruorum ac poteſtatis, ad inſequentis vitæ neceſſitates depellendas, extendendam.

8 Nollem tamẽ ſeueritate educationis, aut iniectis timoribus retundi penitus naturam in ipſis pueris, ita ut quicquid in illis ſit animoſitatis, illud rigore quodã diſciplinæ prorſus frangatur: qui enim ita in pueritia ab immanibus quibuſdam orbilijs tractantur, in vitæ decurſu hebetes ſubinde, abiectiſque animis euadere ſolent. ut autem, quoad negocia ciuilis vitæ ciues ſint actuoſi, quodam impetu valere debent, & naturæ alacritate, ut diximus, quæ plurimum dependent ab affectionibus appetitus ſenſitiui, vigentibus quidem, licet non dominantibus. quædam porro ſunt obiecta, puerorum etiam ingenijs & affectionibus ſatis opportuna, ex quorum perceptione ac cultu ad addiſcendas litteras & alia ſtudia virtutum liberaliter induci poſſunt: ſcilicet, ſi ipſis perſuadeatur, deo charũ eſſe ſi ſic, aut aliter egerint, velle ipſum dona ſuæ gratiæ ac proſperitatis copioſè in eos infundere, qui talia præſtiterint: ſtatim enim atque hæc animo pueri illapſa, ſedulo ſe comparabit ad officium ſuum ac munus accurate explendum. neque in eundem finem aculeo ſuo caret opinio conſequendi beneuolentiam parentum, & ab alijs ſingulares honores in præmia factorum adipiſcendi, modo ad tutorum monita muneribus ſuis impigre defungantur. horum certè capaces ſunt vel animi puerorum ingenuorum: quæ cum genere ſuo illuſtria, tum magna in ſe continent momenta ad excitandum ac promouendum eorum ingenia, atque voluntates.

9 Ego cum in hoc negocio educationis, tum in uniuerſa inſtitutione vitæ tam ſacræ, quam ciuilis, ſæpe demiratus dei ac naturæ decretum, quo fixum, ratumque, vitæ rationem auſteram, ſenſibuſque amaram, inter media cenſeri, quæ ad virtutem, adeoque ad politici conuictus legẽ ac dulcedinem, conducat. Certè videretur potius, iucũdo naturæ curſu, ut pote operatione ei conueniente, huiuſmodi fines adſequendos, non verò violenta, triſtique eius tractatione, veluti præſciſis a *Moyſe* tabulis, niſi aliunde crederemus, naturam iam corruptam, & à bono auerſam, duritie hac & acerbitate, ut corrigatur, plurimum indigere. iſtius autem uniuerſam vim principio animo colluſtrabimus, deinde ad eiuſdem magis particularia gradatim deſcendemus.

Exo. 34. Ar. de vit. ſpir. lib. 2. part. 4. cap. 3.

CAPVT.

CAPVT XVI.

Diſciplinæ modus acerbior, Arctiorque, quem Mortificationem Theologi noſtri appellare ſolent, cum ſacer, tum Ciuilis.

DIſciplina hæc rigidior tam animam quam corpus afficiens, facultatis alicuius in eiſdem, appoſitè in ſacris litteris *Mortificatio*, appellatur. ſicut enim quod vita priuatur, id mortuum dicitur, ita cum vita facultatis in anima ac corpore actu, ſeu motu conſtet, ſicut etiam corporis vita in eiſdem cernitur vt *Philo*, & *S. Bernardus* obſeruant: ſic eadem facultas tunc mori dicitur, quando non permittitur ad appetitum ſuum operari, potius veluti conſopita, cogitur quieſcere. aut e contrario, paſſioni ſubiecta, acerbitatis cuiuſdam vim in ſe admittere. eſt itaque hæc mortificatio, quędam animi ac corporis durior tractatio, qua, aut in eis natura a grata operatione cohibetur, aut ad ingratam moleſtamque perpeſſionem, reluctante ingenio adigitur. Triplex itaque in vniuerſum huiuſce diſciplinæ pœnalitas: prima, actionis alicuius expetitam iucunditatem homini adimit, ſiue ea ab animo, ſiue a corpore ipſius deſiderata fuerit. altera, coactionem quandam cum ſenſu doloris adducit, renitentem naturæ vim, tanquam tabernaculi byſſum retortam, in aliquam operationem compellendo. poſtrema, moleſtiam aliquam, ab extrinſeco illatam, homini patienti, velnti acerbitate caſus, imprimit & inurit. Scopus verò ac finis iſtius diſciplinæ non eſt ſpectandus in ſolo cruciatu, aut pœna, ſiue ea fuerit partis in homine rationalis, ſiue ſenſitiuæ ſiue animæ, ſiue corporis, ſed in meliori inde præparatione intellectus ad percipiendum veritatem aliquam tam practice quam ſpeculatiuè: ſimulque preſtantiori directione voluntatis in opus virtutis ac ciuilis honeſtatis: a quibus abſtracta hæc vexatio, nil aliud, quam vt affirmat *S. Paulus*, inutilis corporis exercitatio. Ex quo liquet, corporis duriorem inſtitutionem, diſciplina hac ſolum contineri, quatenus animæ interiores paſſiones commodius ſedat ac componit, mentemque puriorem ad intelligendum reddit: ac in eo gradu, quo hæc melius aut tenuius præſtat, de eo iudicium ferendum. Optimè idcirco Chriſtus Dominus, tribulationis ac martyrij ſeſſum, epoto calici comparauit, cuius abſynthinus liquor bibendus, hoc eſt, deducendus vltra corpoream acerbitatem, ad internos animi ſenſus reformandos: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* liquor ille homini planè mortalis, intus hauriendus, quandoquidem ibi animi importunis motibus oppoſitus, vt diximus; eos reprimendo, in ipſis eorum caucis occidat. *Mori etiam dicitur anima*, inquit *Macrobius*, *cum ad huc in corpore conſtituta, corporeas illecebras, Philoſophia docente, contemnit, & cupiditatum dulces inſidias, reliquasque omnes exuit paſſiones.* Quale ſtudium mortificationis *Democritum* Philoſophum inceſſit, & quale a Chriſtianis ſuſceptum, declarat *Tertullianus*. *Democritus excæcando ſeipſum, quod mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet, & doleret ſi non eſſet potitus, incontinentiam emendatione profitetur. at Chriſtianus ſalnis oculis fœminā videt, animo aduerſus libidinem cæcus eſt.* Idcirco diſciplina noſtra a carnis ſeueriori tratactione intus ad animam peruadit.

Phil. lib. de Hom. Creà. Bernard. Serm. de Ketur. Macrob. lib. 1 Satur. c p. 5.

Exod. 35

Tim. 4.

Marc. 10.

S Thom. 2. 2 q. 87. art. 7 B... R... 17. Macrob. 1 ... in ſom Sci.

2. Stoicam, autem illam, dico extremam mortificatiunem, quæ in paſſionum ipſarum omnimoda euulſione reperitur, hic a ciue non requirimus; moderata contenti, quæ eas debilitet, ac ſub iugum mittat rationis, vt admonuit *Seneca*. *Lactantius Firmianus* diſputans de animi affectibus, ait, *Ferè omnia, quæ fiunt iniuſtè, atque improbè, ab his oriuntur affectibus.* vt ergo ſimus cultores virtutum, prius Domini eſſe debemus affectionum: imo ipſa dominatio in affectiunes, virtus eſt, cuius munus illis reſiſtere ac præeſſe. quo pacto in vno opere virtutis, mors & vita apparent: mors quidem affectionis, vita rationis: ideoque eodem moritur anima affectioni, quo viuit probitatis contentioni. vt enim non expectanda recens ariſta abſque ſeminis morte, ſic pariter ſine morte affectionis, educendum decus vitæ ex virtute haud ſperandum. Contrà, ſi velimus in nobis viuere affectiones, ſequetur mors virtutis, quæ nullo modo conſtabit, vbi illæ viguerint. *Si enim*, ait *Lactantius*, *commotionis, quæ ira dicitur, impetus retundatur, omnes hominum contentiones malæ ſopientur. nemo inſidiabitur, nemo proſiliet ad nocendum. Item ſi cupiditas temperetur, nemo terris marique graſſabitur; nemo exercitum ducet, vt rapiat & vaſtet aliena. Item ſi ardor libidinum comprimatur, omnis ætas & ſexus retinebit ſuam ſanctitatem, nemo quicquam pudendum aut patietur, aut faciet.* Duplex autem malum ab affectibus indomitis. vnum, flagitium in materia concupiſcibili vel iraſcibili: alterum, error, aut inſcitia in intellectu: quæ non ſolum peccata cauſant, verum eadem nutriunt, confirmantque: ita ab vitiis ad virtutē receptus ſit difficillimus. flagrante enim paſſione mala, ad omnia conſilia bona mens quodammodo ſurdeſcit: ad omnem oſtenſam virtutis elegantiam, voluntas planè obſtupeſcit.

Seneca. Epiſt. 10. Lactā. lib. 6. Inſtitu. cap. 5

Lactant lib. 6 Diuinar. Inſt. cap. 5.

3. Duo præcipue effectus iſtius ſeuerioris diſciplinæ ſpectandi, intellectus nempe illuſtratio ac repurgatio, ſimulque appetitus ſenſitiui, ad normam rationis, idonea inſtitutio. De corporis verò decore, & ſanitate, quæ etiam hinc proueniunt, ac de longiori vita, ab eadem manante, expreſſè hic non diſputamus. *Amara eſt veritas*, inquit *S. Cryſoſtomus*, *et qui eam prædicant, replentur amaritudine.* ſicut enim iucunda ad ſe attrahunt intellectus cogitationē, eiuſque luci craſſiores nebulas offundūt; ita vexatio ac moleſtia eius vim excitā, pariter eo ę lūt ab animi criſtallo inſultātes illos fumos, qui e lacunis voluptatū exurgūt: quo purior, acutiorque ad perſpiciendū euadit. Qua de cauſa *Plato* exiſtimauit, homini ſcientiarum contemplationes difficiliores, magiſque animum mortificationis oſtentu abſterrere, quam exercitationes Gymnaſticas: *Siquidem magis proprius illi labor, ſoli competit, quam qui corpori etiam communis*

Chryſoſt. in Pſalm 40.

Plato dial. 7. de Repub.

dũ vero animus contemplationi vacat,eum ſubit laborē,qui illi proprius;quippe in quo perferendo nullas partes adiumẽti loco,obit corpus. ea propter vt animus hanc ſpeciem diſciplinæ ſuperet, opus magna quadam vi intelligentiæ: quibus ita ſubigendus, vt ad præſcriptum iudicij practici, ſumma contentione, adeoque expeditè det operam literarum ſtudijs. cæterum de hac re poſtea. *Seuerior loci diſciplina,* inquit *Seneca. firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit.*

Senec. Epi. 5

4. Confert porro hæc ipſa diſciplinæ ſeueritas plurimum ad edomandum appetitus immoderatos. etenim vt exilium, vt penuriam, vt filiorum amicorumque mortes decenter feramus, prius acerbitate vexandi, indurandique: quo omnia hinc contemnamus, quæ molliores, tanquam vehementer appetenda, ſibi proponunt. Hoc modo accidente infortunio, trãquilli ac conſtantes continuò erimus, ſicut illi, ſi quid aduerſi inciderit,inquiete ac diuerſimode iactati. *Si quis* inquit *Simplicianus, ad ferendam moleſtiam idoneus cupit fieri, opus eſt vt moleſtiarum ſit particeps. ſi ad timorem, vt in res timidas conijciatur. ſi ad cruciatus, vt nobilium Lacedæmoniorũ adoleſcentum flagellationis certamẽ æmuletur, & omnes eas exercitationes doloris plenas, quæ ad id certamen referuntur: aut Saluſtium, qui noſtra ætate in viuum carbonem fæmori impoſitum inſufflando, periculum faciebat, quandiu ardorem illum tollerare poſſet.* Quod ſi rigor iſte abfuerit, appetitus ſenſitiuus in ciue euadet non ſolum petulans, ſed inſuper ferus, importunus, ac crudelis, vt *Plato* animaduertit. *Hominem autem eſſe manſuetum animal dicimus. porro ſi cum natura felici certam quoque diſciplinam fuerit aſſequutus, in diuiniſſimum manſuetiſſimumque animal ſolet euadere. Sin verò nõ ſatis bene fuerit educatus, ferociſſimum omnium, quæ in terris naſcuntur.* Creſcunt enim in immenſum affectiones appetitus concupiſcibilis,ſi modò ſeueritas diſciplinæ a nimia licẽtia abigatur, vnde tandẽ Iraſcibilis quoq; vis in iram ac ferociam,imo in beſtialitatem, vt ait *Ariſtot.* irrũpet furioſius. Nulla ſane natio abſq; hac duriori victu ad felicitatẽ ciuilem adſpirauit,quinimo eius virtute ac ductu ad illã cũctę peruenere. *Athenienſes,* inquit *Tyrius Maximus, elegãtiã exercent, quorũ ſtudia nihil aliud ſpectant quã Oratoriæ cultum. Inſtitutiones Creticæ in venationibus, in montanis, in itineribus, iaculando, currendoque conſiſtũt. Theſſalicæ in equitandi peritia habenda. Cyrenæi agitãt currus: Aetoli graſſantur: iaculãtur Acarnanes. Thraces in vtendis benè peltis operam ponũt. nauigant Inſulani.* Apud Romanos dictum celebre: *Fortia agere, ac pati, Romanum eſt. Suſtine, abſtine,* ciuilis diſciplinæ compendioſa olim admonitio.

Simplician in Com. Epict.

Plato Dial. 6 de legib.

Ariſt. lib. 7. Ethic. cap 5

Tyr. max. ſerm. 7.

5. Argutè ſatis Poëta quidam,a Deo imploranda ſuadet, quæ firma. quæ cum dolore cõiuncta, non verò fluida ac delicioſa arridentis fortunæ bellaria.

Fortem poſce animum, & mortis terrore carentem,
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcumque labores:
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, ſæuoſque labores
Et venere, & cœnis & pluma Sardanapali.
Monſtro, quid ipſe tibi poſſis dare. Semita certè
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.

Iuuenal. lib. 4 Satyr. 10.

Quæ ergò in nobis duro circumciſionis cultro reſecanda, ea potius fontes ſunt dolorum, quam iucunditatum: eiſque deletis, in hac ipſa eorum morte, tanquam in leonino cadauere, faui admirabilium dulcedinum a veris *Sampſonibus* inueniuntur. hoc pacto ſe geſſit in *Hetruria* quidam adoleſcens, de quo hæc enarrat *Mamertinus: Nobilem Hetruriæ adoleſcentem ferunt, quum propter eximiam formæ dignitatem multarum in ſe fæminarum amores excitaret, faciem ſuam, ad obliterandam pulcritudinem, vulneribus ſauciaſſe.* Huiuſindi ſanè elephantorum ingenia imitantur: hi enim vt ſcribit *Caſſiodorus*, ſcientes, dentium acquirendorum cauſa a canibus inſectantibus ſe ad necem peti, *ebora ſua*, vt ipſe loquitur, *damnant:* ea ſcilicet inter currendum ad obuios rupes aut ſaxa allidunt. *Cicero* humanæ perfectionis ex virtute ſummam animo complectens, pene totam in affectuum caſtigatione poſitam cogitauit. *Ergo is, quiſquis eſt, qui moderatione & conſtantia quietus animus eſt ſibique ipſi placatus, Vt neque tabeſcat moleſtiis, neq; frangatur timore, nec ſitienter quid expetens, ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens, deliqueſcat, is eſt ſapiens, quem quærimus, is eſt beatus, cui nihil humanarum rerum aut intollerabile ad dimittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri poteſt.* Exitus itaque acerbæ potionis, poſt aliquam colluctationem cum medicamenti ingrato ſapore, quies & animæ tranquillitas, cum ea vitæ dulcedine, quæ ſedatas compreſſaſque appetitus paſſiones, in maxima animi malacia, inſequitur. Hoc ipſum porro virile quid, & veri dominij exequutio. ſunt qui plurimum operæ ponunt in cicurandis ferociſſimis animalibus. Cæterum hoc parum, ſi comparetur cum diſciplina mortificationis, quæ rebelles in homine motus compeſcit, hominemque ex efferato mitem ciuem reddit & tractabilem. hinc *Simonides* apud *Plutarchum*, Spartam, vitæ duritiei inſuetam, *hominum domitricem* appellabat: quippe in qua ciues ſui eſſent compotes in omnem impetum perturbationis.

Iudic. 4.

Mammert. in panegy. Iulian.

Cicer. Tuſcul. 4.

Plutar in Agesil.

6. Cæterum quod attinet ad eam partem mortificationis, quæ paſſiones appetitus compeſcit, intelligendum duplex eſſe eius genus. Primum, quo vna paſſio aliam aut ſedat, aut excitat: alterum, quo Ratio ipſa ſuo imperio ſolo vtraque præſtat. Etenim ipſimet irati, ſi honoribus addicti, aut multum auerſi a perpeſſionibus ærumnarum, timentes dedecus aliquod ex vindicta, aut læſionem fugientes, non ſolum iram in ſeipſis deprimunt erumpentem, quinimo interdum fucati amicitiæ obtentu, omnem eius æſtum diſſimulabunt, perinde ac ſi duobus dæmonibus a mago excitatis, eorum potentior alterum vinculis cõſtrictum teneret. quod autem vehemẽs aliqua paſſio alium excitet id in multis liquet. Hinc enim nauali prælio dimicantes, nullum fugæ locum ſibi dari animaduertentes, tametſi alioquin timidi, ad pugnandum tamen vitæ, tenendæ cauſa, vehementiſſimè incitantur ac timere deſinunt. ſimiliter

Cicer. lib. 3 Tuscul.

militer vrgente extremæ famis neceſſitate, immane vulgus hominum eſſe ſolet.

Lucan lib. 4.

Vt lethi videre viam, conuerſus in iram
Præcipitem timor eſt.

Cicer. lib. 3. tuſcul.

7. Huius quidem generis luculentum exemplum *Cicero* de *Cn. Pompei* militibus, accepta prius clade, diſſerens, nobis ſuppeditauit. *Conſtabat eos qui concidentem vulneribus Cn. Pompeium vidiſſent, cum in illo ipſo acerbiſſimo, miſerrimoque ſpectaculo ſibi timerent, quod ſe claſſe hoſtium circumfuſos viderent, nihil tum aliud egiſſe, niſi vt remiges hortarentur, & vt ſalutem adipiſcerentur fuga. poſteaquam Tyrum veniſſent, tum afflictari lamentarique cœpiſſe.* in quibus patientia aut fortitudo ægritudinem doloris minimè repreſſit, ſed timor tantummodo id effecit. quo inſuper prodit *Cicero* ingenium huiuſce mortificationis. Etenim illi milites ad Tyrum appulſi, & timore hoſtium liberati, ſtatim muliebriter caſus ſuos deplanxere. ea autem quæ virtutis ac rationis imperio fit, durabilior eſt, quemadmodum perturbatione conſtantiores ratio & virtus. neque vlla debilitatio aut amputatio affectus in appetitu ex ea forma quam deſcripſimus propagatur; ſed ſolum eiuſdem cernitur quædam occultatio, vel dimiſſio, ad ritum ariſtarum in proceris ſegetibus, quæ denſorum imbrium vi cum tempeſtatibus acta, parum declinantur: reperiturque in brutis, vt ex canunculis liquet, in quos moloſſi inuadunt. Familiaris quoque cernitur aulicis adulatoribus, cum mendicitate etiam aliquid petentibus, miſerè & afflictim pariter rei alicuius amore flagrantibus vſui eſſe ſolet.

8. Hoc genere non conſtituimur laudabiles, ſed illo altero, in quo ratio ac virtus cernuntur. Illius quidem præcipuus in homine auctrix Amor: etenim vt hic protopaſſio, ac Regina aliarum paſſionum, ita pro ſuo libitu illis vitam quodammodo inſpirat, eaſque ſubinde mortificat. quo modo, vt exiſtimandum, *Socrates Plato*, & alij Philoſophi, ſeceſſiones quaſdam, ac veluti voluptatum amputationes delegere, inediam, veſtiumque rigores adhibuere ex cupiditate famæ, & apud alios admirationis. *Cato* etiam hinc inductus, vt in ipſo honoris appetitus, diuitiarum & delectationum deſideria

Plutar. in Caton.

ſuperaret, vt notat *Plutarchus*. Aliter autem, etiam cum maiori voluptate, decretum a virtute procedit mortificationis ſtudium: non enim eò ſuſcipitur, vt in vna re, aut ſub vno domino turpis ſeruitus à nobis depellatur, alio æque immodeſto ac probroſo interim ad imperium in nos excitato, ſed in omni prorſus materia, ac ſemper ratio in ſuperiori loco, vt princeps vitæ, ſeruetur a deiectione immunis. cuius fru-

2. Cor. 4.

ctus ac finis, vt docet *Apoſtolus Paulus*, vita, Chriſti Domini reſurrectioni ſimilis, delecta-

Saluian. lib. de Iudicio.

tioniſque pleniſſima. *Nemo*, inquit *Saluianus*, *alieno ſenſu miſer eſt, ſed ſuo: & ideo non poſſunt eſſe falſo iudicio miſeri, qui ſunt verè ſua cõſcientia beati.* Deſtituitur verò hac iucunditate illud aliud genus mortificationis: nam vt huic affectioni moderetur, aliam euocat, quæ ex æquo in exceſſu poſita, rationi moleſta & oppoſita: neque proinde ſuccum illum retinet ſuauitatis, quem ratio tantum in obiectum virtutis delata, non paſſio aliqua, exprimere poterit. ac vitæ tranquillæ loco, quæ genuina mortificatione dumtaxat procuranda, non veram quietem, ſed viuam flagrantemque ſecum adducit appetitus perturbationem, quam mori præſtaret potius, quam viuere.

9. Verumenimuero quod ad ciuilis vitæ diſciplinam perficiendã, huius ſeueritatis quædam ratio moderata, & ab omni exceſſu remota, in more eſſe debet; non quæ modum mediumque excedat. Duo quippe in principio ciuilitatis ſpectanda, mentis ſcilicet acies, & voluntatis quædam humanitas: quarum formæ plurimum a corporum tractationibus dependent. quamobrem ſi auſteritas quoad corpus extrema fuerit, neceſſe eas vitæ partes in diſcrimen inde adduci. *Vigiliæ & pernoctationes irrationabiles*, vt ait *Caſſianus*, *deiecerunt, quos ſomnus ſuperare non potuit.* Rectè quoque pronunciauit *Ariſtoteles*, cutem molliorem, tactumque delicatiorem, non ſolũ melioris ingenij eſſe indicia, ſed etiam eiuſdẽ opportuniora inſtrumẽta.

Caſſian. lib. 2. cap. 16.
Ariſt. lib. de Senſu ac ſenſil.

Curandũ idcirco, quòad id fieri poterit, vt cum reſtrictione a luxuria ex victus tenuitate, in quam valde propenſa ea corporis temperies, quæ nobiliori ingenio accommodatior, ea corporis diſpoſitio interim ſeruetur, quæ ad ſubminiſtrandum puriores ac magis igneos ſpiritus plus confert, a quibus intelligentia haud parum ad contemplationem adiuuatur: ſicut cõtra, terreſtres ac feculenti ex prauo nutrimẽto prognati, eius vim plurimum mœrore ac mœſtitudine retardant, ac debilitant. Hinc populi *Boreales Scytarum, Tartarorum* ac *Thracum*, quos *Homerus Hippomulgos* ac *Lactiuoros* appellat, victus ratione, ingenijs tardi ac ſtupidi: quorum ſcilicet vitales ſpiritus craſſi, & non multum diſtantes ab illis, qui in corporibus brutorum inueniuntur, quippe nimium terreſtres, aquei, vel crudi.

Archit. lib. 6. cap. 7.
Herodo lib. 5.
Marcellin. lib. 21.
Boetius lib. 1. de Cõſol. proſa. 1.

——————*quibus vda Ferarum*
Terga dabant veſtes, cruor hauſtus, pocula trunci,
Antra lares, dumeta thoros, cœnacula rupes.
Præda cibos, raptus venerem, ſpectacula cædes:
Imperium vires, animos furor, impetus arma,
Mortem pugna, ſepulchra rubus, monſtriſque gemebat
Monticolis tellus. Propter hanc cauſam *Boetius* Philoſophiæ formam ſibi apparentem *colore viuidam, & vigoris inexhauſti* narrat fuiſſe.

10. Hi ipſi populi, vi pariter alimenti ac ſilueſtris rigoris, quoad conuictum, immaniſſimi. qui, licet facultati iraſcibili indulgentes, viſi oſores veneris, nihilominus inſtar Satyrorum ac Faunorum agreſtium, etiam in libidines rabidiſſimi: non quidem eos incitantibus ſpiritibus calidioribus, quales ab optimo ſanguine propagantur, ſed acri & melancholico humore illos mordaciter continuo perurgente: de quibus *Menander* apud *Strabonem* ita ſcripſit:

Strabo lib. 2.

Nunc nemo noſtrum vxoribus poteſt decem
Contentus eſſe, vndecimam, quin duodecimam
Plerique ducunt: quatuor qui duxerit
Dumtaxat, aut vel quinque, cenſetur miſer
Noſtratibus, mortemque obiturus nuptiarum expers.

Refert *Macrobius*, ad hoc ingenioſe ſignifican-

Macrob. lib.

dum,

dum, *Iouem, Regem extitiſſe rudem ac ferum ante fruges cognitas, victumque in melius commutaſſet.* Feritas quoque & naturæ aſperitas hinc ortum habent. ieiuni in iram propenſi, corrupto cibo refecti in aliorum odium vel contemptum inclinati. Ex quibus liquet, curanda corpora certa quadam moderatione, quæ luxum quidem repellat, naturę tamen ad intelligendum, ad conuiuendum, vigori nimium non detrahat. Aſſerit enim *Ariſtoteles*, tam triſtitiam, quam delectationem, prudentiæ eſſe inimicam.

Ariſt. lib. 6. Ethic. cap 5

11. Cæterum iſtis derogandum non eſt eis auſteris vitæ modis, quos Eccleſia catholica approbauit, quoſque afflatus diuinus quibuſdam inſpirauit. tantum enim, quid Philoſophia duce hac in re in vniuerſum præſtandum quòad vitæ diſciplinam, explicare inſtituimus. Minimè autem me latet quod cum Regula S. *Benedicti*, quoad victum ac veſtitum ſui facilitate, ſit humanę infirmitati apprime accommodata, de ea pronunciaſſe S. Gregorium, quod eſſet *Diſcretione præcipua.*

12. Atque in vniuerſum, vt ſpina agnata roſæ, ita mortificatio virtuti. hæc enim ad ſuperiorem elata rationem, cui morem gerit, tota pura, lenis, ſuauis, ac cæleſtis collucet; cæterum relata ad inferiorem ſenſum, cui ubluctatur, inſtar eboris antiqui incrudeſcit, tanquam corallum aquis eductum dureſcit, & ex ſua fortitudine callo abducta, in rebus aſperis occupatur. Cui ergo hæc ipſa virtus arridet, non debet is quod iucundum, quod molle. quod lucidum tantum ſibi præſtituere, ſed etiam quod cum dolore, cum appetitus mortificatione coniunctum. & væ illi, qui ad aſpectum iſtius diſciplinæ, ſe a virtutis rigore abſtinuerit, qui vnius facilitatis ac delectationis ſenſitiuæ cupidus, iucundis vitæ ſtudijs inhæſerit. qui non ad exempla aquilæ & Phœnicis, altum agendo petit, ſed ad ingenium lubrici ſerpentis, animam ſuam ad terram deijcit. Qui, vt ait *Lactātius, ſi delicatus ac tenèr in hac vita aliter fuerit, quam ratio eius expoſcit: ſi virtute contempta, deſiderijs ſe carnis addixerit, cadet & premetur in terram. ſi autem vt debet ſtatum ſuum, quem rectum rectè ſortitus eſt, & promptè conſtanterque defenderit: ſi terra, quam calcare ac vincere debet, non ſeruierit, vitam merebitur ſempiternam.* Oſculamini virgam hanc in ſceptrum commutandam. *Noluit enim deus hominem ad immortalē illam beatitudinem delicato itinere peruenire.* Hæc ipſa diſciplina, vt ad debellanda monſtra, Herculana claua, ſic pariter cæli clauis reputanda. Cuius neceſſitas clarius cōſtabit, cum eius particulares quaſdam partes, certis ſtatibus ac perſonis proprias, deſcripſerimus.

Lactant. de opif. cap 20

Lanctant. cap. 19.

CAPVT. XVII.

De Ciuili diſciplina ad Iuuenes, ſimul ac ad Coniugatos ſpectante.

CVm vt diximus ſupra, pueri ob naturæ defectum, deuergentiãque in malum, indigeant ſeuerioris diſciplinæ adminiculo, tum iuuenes, in quibus ad concupiſcendum vis auctior, ſimulque, ad excogitandum media, perſpicientia acrior, reperiuntur, in maxima eiuſdem neceſſitate ſimiliter conſtituuntur. volunt iſti, ſeruentes, prudenteſque haberi, ſimulque exultantes ſpiritus, magnoſque animos in voluptatum intemperiem ſoluere. at falluntur, diſtracta ſunt hæc, imò mutuò infeſta, pariter conſiſtere non poſſunt. aut enim impetus in eis cohibendus, vel ab omni opinione effectuque ſapientiæ, prudentiæ, ac probitatis, ipſis excidendum. Sicut enim tam animæ quam corporis in eis vires augeſcunt, ita, vt notat *Plutarchus*, ad libidinum iniuriarūque facinora eo magis præcipites euadunt. neque eorum ſenſus, vt in pueris, timore coërcendus: iam enim edocti a ratione, illum norunt declinare, vel contemnere: neque plène vt homines viuere volunt, nondum virtutis edocti viam, & in libidines vehementius inflammati. *Quapropter*, inquit *Plutarchus*, *iuueniles impetus acutu rationibus vinciri, ac compeſci conuenit.* Diſciplinæ, verò, ipſis adhibendæ, ſummam ita complectitur, volens, vt id fiat *Docendo, minando, rogando, conſulendo, pollicendo. exempla demonſtrando, cum eorum, quos voluptatum ſtudium in miſeriam coniecit, tum qui abſtinentia laudem, ſibique gloriam, parauerunt.*

Auguſt. ſerm. 248

Plut lib. de Audiendis Poëtis

2. Cauſa verò, ob quam, quòad ciuilem conuictum, iuuenibus rectè inſtituendis neceſſaria ſit cuiuſdem auſteritatis diſciplina, deprehenditur ex diſpoſitione partis in ipſis Rationalis, etiam appetiuæ ſeu ſenſitiuæ, a temperie corporum ipſorum proueniente. cum enim anima ipſius ſcientia, experientiaque deſtituatur, iuxta ac ipſorum corpora ex ſanguinis æſtu feruida, fluida, ſpirituque turgida, inde venit, quod in ſuis conceptionibus prompti, in iudicijs lubrici, in appetitionibus vehementes, in operibus temerarij inueniantur: quodque, corporū ſpiritoſis caloribus vrgeantur, in eis rebus feruorem ſuum (in malum proprium mirabiles Vulcani) impendunt ac produnt, quæ carni & ſanguini turpiter gratificantur. *Hæc eſt cauſa* inquit *Plutarchus, quod adoleſcentum cupiditates, ob copiam ac calorem ſanguinis cæteris ferociores ſint, ardentes atque rabidæ.* Cumque difficile reputatum, vt *Plinius* recolit, diſciplinam ad iuuenum mores ſpectantem eis ſuadere, *Romæ Iuuentuti* ædes ſacta erecta, eo ſane fine, vt inde relligione concepta, ac diuina ope implorata, iuuenes ſenum monita lubentius capeſcerent. Etenim a ſua naturæ prauitate, vel imbecillitate inſtituti, ſpiritibus interim per omnes corporum ſuorum artus difflatis, animiſque arrectis in mirabilia ſupra ipſos, omnem grauem ſermonem, fracti cordis ac ſenſus delirium, omnemque annoſum *Neſtorem* baculo innitentem, ſemihominem, tripedem, ſuo ingenio ſuperſtitem, lepidè ſecum arbitrantur. Dolendum certè, iuuentutem, inſtar *Actæonis*, tot affectionibus erroribuſque, tanquam canibus, in prædam ſuis ipſius manibus dari, ac interim nolle prudentem adiutorem, qui vel eius vitam contra rabidorum animalium morſus tueretur. *Iuuentus, flos ætatis, periculum mentis*, vt loquitur S. *Auguſtinus.*

Plutar. lib. de virt. Moral.

Plin. lib. 8. Hiſt. cap 4. 35. cap. 12

Auguſt. Serm. 246 de Tempore

3. Si

3. Si enim vel in abdita eremi, in templorum penetralia abreptos iuuenes ex fallacia *Fauni* ac Satyri, veluti nymphas, conſectantur, quos turpi voluptati, vtpote totidem hoſtias, diro ritu immolent, quid fiet tandem de illis iuuenibus, qui receſſuum, qui abſtinentiæ, qui doctrinæ prorſus expertes, in lubricis calidioris littoris arenis ſponte exæſtuant, ludunt, in Regiarum roſeris ociantur, ac in ipſo Cypro reſupinati perpetuo delicientur!

Me Satyri celeres ſilua ego tecta iacebam:
Ouid. Epiſt. Parid. *Quæſierant rapido turba proterna pede.*
Cornigerumque caput, pinu præcinctus acuta
Faunus in immenſis, qua tumet Ida, iugis.

Quanta autem referat vel ad Ciuilitaris rationem, iuuenilles animos & artus ſeueritate quadam coerceri, ac conſtringi, exundantem in ipſorum corporibus ſuccum exhauriri, calores reprimi, ex eo inter cætera conſtat, quod matrimonio poſtea iugales, qui magna pars Ciuium, a libidine, a ſtupris, a contumelijs, ac cædibus, in eo ſtatu poſiti vindicari vix poſſint, niſi prius iuuenes ad modeſtiam, ad temperantiam, atque caſtitatem, rigidis quibuſdam diſciplinis compoſiti fuerint. numquam enim niſi id raro contigerit, nec populariter futurum, ut mariti & uxores continentiam mutuo colant, ſi iuuenes laſciuia corrupti, modum omnem continentiæ antea exceſſerint. *Quis iuuenis* eſt, inquit *S. Auguſtinus, aut Beda venerabilis, qui non caſtam* Aug. de ver. dom. 46. *ducere velit vxorem; & ſi accepturus eſt virginem, quis non intactam deſideret, intactam quæris! intactus eſto, puram quæris, noli eſſe impurus. non enim illa poteſt, & tu non potes. ſi tu fieri nõ poſſes, nec illa poſſet. quia vero illa poteſt, doceat te, quia fieri poteſt.* Imo uſu rerum iam obſeruatum, citò detinere in eorum moribus petulantiam, in quibus iuuenilles animi modeſtiæ ac pietatis ſtudiis antea compreſſi fuere: contra, in eis uſque ad ſepulcralia ferme, ac pollinctorum officia, durare vel caſſo irritoque naturæ effectu, in ſenibus ineptire, ſcelere grandeſcere, qui iuuentutis feruores in bru- Amb. in Pſ. 98. tæ voluptatis appetentiam laxarunt. *Tantum eſt in malis ſenibus*, inquit *S. Auguſtinus, plerumque gur-* Aug. de Te. ſer. 280. *ges auiditatis, & inſatiabilis vorago ventris, & gutturis, vt, quanta boni ſenes prudentia ſerenantur, tanta iſti vinolentia ſepeliantur: quaſi ad hoc in eis arida viſcera, & ſucco exhauſta curuentur, ut ad vigorem priſtinum reparandum, ebrietatis inundatione riganda ſint.* An non utile tunc iuuenibus, auſteritatis Prou. 27. obſtaculum! An non dulciora eis eſſe debent Pſalm. 140. verba amici increpatoria, quam voluntaria oſcula prodentis inimici! *Tentatur illa ætas*, ut loquitur *S. Auguſtinus, cum a ſuis in mundo diligitur & in Chriſto negligitur. Periculoſum ulcus iuuentutis, quod cupiditatibus contabeſcit.* neque ſolum hoc vlcus voluptatum mollitiem quærit, dum dicit Sap. 2. iuuentus, *venite fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter*, quinimo adiungit: *Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ, quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & defamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.* qualis iſta in iuuenibus teneritudo, quæ incorrecta in alios lapides ſundit, ac in ſilicem tandem indureſcit! *Quid enim mollius quam illa* Aug. de Te. Serm. 286. *luxuria, quid durius, quam iſta crudelitas! vinum ſequitur furor, unguenta tormenta, ſanguis roſas, ira lætitiam.*

4 Variæ autem ſunt diſciplinæ formæ ciuiles, quibus quod in iuuenibus effrene ac ſolutum, maturo cohibeatur. Principio quidem illis expedita Senioribus obſequenter addiſcere, quid in vitæ actionibus deceat, quid indecorũ, quæ proſequenda, & a quibus fugiendum: tametſi hoc inſtitutum non ſine magna moleſtia plerumq; ab ipſis admittatur. Etenim iuniores non tantum ſcientia ac prudentia carent, ſed ut ægroti, aut dementes, medicinę incapaces, aliquid in ſe habent, adeoq; fouent, quod eruditioni ac credulitati inferendis aduerſetur. quo pacto non ſolum ignorantiam interius retinent, ſed etiam illam contra vim veritatis obſtinatiſſimè muniunt ac defendunt. quam primum enim in ipſis calidus ſanguis feroces ſpiritus ad cerebrũ expirauerit, illico definiunt, ſe omnium ſapientiſſimos, neutiquam indigos ſanioris conſilij. ob hanc cauſam, cum *Sanctus Auguſtinus* ad iu- Aug. Serm. 286 de Te. uenes & puellas diſertiſſimum huius argumenti ſermonem habuiſſet, ſuſpicabatur, a cõcione velle eos dicta ab ipſo amatorijs ſuis iocis carpere, & penitus irridere, ad exemplum eorum puerorum, qui ſanctum ac venerandum Prophetam conuicijs appetentes, clamabant *Aſcende calue, Aſcende calue.* 4. Reg. 2. quocirca ſine renitentia & ægrimonia adduci non poſſunt iuuenes, ut a ſenibus doceantur. verumtamẽ ſuperanda hæc difficultas: quod præſtando, inſigne quidẽ ſpecimen dabunt maximi in ipſis iudicij, ac certam pollicitationem maximorum facinorum ab eis in vita pręſtandorũ. hinc etenim apparent conſcij ſuæ infirmitatis, ac ioſcitiæ: quæ mala alij coetanei ignorant ſuperbientes: cumque hunc defectũ in ſeipſis detexerint, quod quidẽ difficile, & ferme omnibus obſcurũ, fidem hinc faciunt, ſe etiamnum ab ingenio doctos ac prudẽtes, poſſeq; per inſequentem ætatem, virtutũ ſcientiarumque monumentis viuentibus, ſimul ac poſteris inclareſcere. Prudens ſanè *Auguſti* Imperatoris admonitio: *Audite ſenem iuuenes,* Suet. in Au. *quem aliquando iuuenis vocem ſenes audiuere. Ariſtidi*, inquit *Plutarchus, continuo adſuit Clithenus. a* Plutar. lib. Nu. ſen ger. Relp. *Fabio maximo Cato numquam eſt digreſſus. Pompeius a Sylla, Polybius a Philemone numquam diſceſſit. Cicero* lateri ſenis *Scæuolæ* perpetuo adhæſit. hoc Cic. de Am. in probem. modo compoſitus iuuenis iuxta prophetæ verba, *Sedet ſolitarius & ſilet:* Ther. 3. euaditque demum idoneus auditor moralis Philoſophiæ, quod *Ariſtoteles* perdifficile reputauit. *Heſiodi* hac de re ſententiam profert: Ariſt. lib. 1. Ethi. cap. 4.

Optimus ille, poteſt qui ex ſe cognoſcere cuncta.
Ille bonus, monitis qui aliorum obtemperat. at qui
Ex ſe nec nouit, nec quæ bene conſulit alter
Percipit, admittitque animo, eſt ignauus, inerſque.

5 At non tantum ab ingenio ſibi plus iuſto attribuere ſolent iuuenes, verum etiam in eis rebus, quas perſequuntur, aut a quibus reſiliunt, ſe feroces nimium ac impetuoſos oſtendunt. Amb. in Pſ. 95. *Iuuentus*, inquit *S. Ambroſius, ad amorem liberior,*

ad lapſum incautior , ad infirmitatem fragilior , ad correctionem durior eſt. Ferre non vult iugum, quo exultans in ipſo ſpiritus deprimatur. obicem pati renuit, quo curſus ipſius intercipiatur, vitæ duritiem admittere exhorreſcit, qua ſenſuum blandimenta arceantur. *Grave adoleſcenti*, ait idem *S. Ambroſius Iugum domini , grave iuueni, cuius ætas eſt florulentior , ut nolit iugo verbi ſubiiciendum præbere animæ ceruicem.* Cæterum accedere debet diſciplina, quæ hoſce impetus retundat , quæ in virtutem ac commodum ipſum , aſſultum faciat in eis moderatum: a quibus ſi excidere ipſis contigerit , lapſus reddatur mitior , leuiorque inde proueniat calamitas : non enim eodem modo corruit ex caſu , titubante pede ſobrius , quo ex temulentia ebrius. ac plerumque iuuenum caſus ob præcipitantiam irremediabiles : toti enim & integri cadere volunt.

6 Porro ſi ratio in eis nullum modum conſtituerit voluptatum appetitionibus, bruta ſanè vita in eiſdem truculentior immaniorque appareret , quam in ipſis beſtis , quas a natura limites poſiti continent , certoque quaſi giro definiunt. *Vinum & adoleſcentia*, ut ait *Sanctus Hieronymus*, *duplex incendium voluptatis.* Atque ex ſententia *Sancti Cryſoſtomi* , iuuentus pyra, quę omnia ſuccendit. hinc ſuadet *Clemens Alexandrinus* : *Oportet autem quam maximo fieri poteſt, iuuenum appetitiones conari extinguere , minarum quidem bacchicum fomitem auferentes, ſeruori autem contrarium medicamentum infundentes, quod etiam ardentem animum cohibebit & membra intumeſcentia retinebit , & quæ iam agitantur , cupiditatis incitamento ſopiet. Qui autem ſunt in ipſo flore ac vigore ætatis , cum interdiu prandium ſumpſerint , quibus conuenit prandium, pane ſolo guſtato , a potu omnino abſtineant , ut ebibatur eorum ſuperflua humiditas aridorum eſu, veluti quadam ſpongia exhauſta.* Eos verò hallucinari aſſerit *Sanctus Hieronymus* , qui putant vni caſtitati prodeſſe victus tenuitatem , cum , ut ipſe loquitur , *Ingenium exacuat , & cunctis virtutibus opituletur. Si autem* , vt ait *Sanctus Ambroſius, qui poſt decurſa iuuentutis annos iugum tulerit, non eſt ſtatim perfectum bonum: ſtimulabunt enim eum peccata ſua, exagitabit conſcientiam conſuetudo peccandi, & uſus erroris inſtabilem faciet. luctandum eſt diu huiuſmodi viro, ut aboleſaciat inueterata atque diuturna.*

Hieron. epiſt ad euſtoch.
Criſoſt in Epiſt. ad Tem.
Clem Alex lib 2 pædagog.
Hieron. epiſt ad Celant.
Ambr. in Pſalm. 98.

7 Cuius diſciplinæ fructus , inter reliqua commoda iuuentutis , ad matrimonium etiam tranſit : coniuges enim maiori amore mutuò flagrant , dum intactos ac integros eo vinculo copulari ſe ſenſerint : vnde etiam data fides fortior euadit, cum tanta fide rem dignam ex caſtimonia obtinuerint. meritò idcirco *Hypſiphile* , quantum ad conciliandum ſibi amorem *Iaſonis*, ſeſe prætulit *Medeæ* :

Turpiter illa virum cognouit adultera virgo,
Me tibi, teque mihi, tæda pudica dedit.

Ouid Epi. Hypſi.

Conuertant itaque iuuenes præclaras ac fortes naturæ ſuæ dotes ad optima obiecta , ad ſapientiam nempe, ad dei amorem , ad virtutem : voluptatibus fœdis, falſiſque honoribus ſubductæ, ad hæc toto nixu deſtinentur. *Si amatores eſtis* , inquit *Sanctus Auguſtinus, hæc amate , ſi formoſi eſtis deo placete , ſi iuuenes eſtis , diabolum vincite.*

Aug Serm 286 de Temp.

8 Hi ut progreſſus faciant ad virtutes , omnino ſcire debent , ipſis ſumendum exordium a purgatione, ſeu vitiorum extirpatione : quod peragi ab ipſis nequit abſque ſenſu amaritudinis & mortificationis ſtudio : præſertim ſi vitia iam altas radices inolita egerint in appetitu, ac naturæ noſtræ corruptæ penitus arriſerint. quod etiam faciendum, quando diu abſque lege diſciplinæ affectionum motus tumultuarint. huc verò ita eleganter expreſſit *Lactantius. Sicut in rudibus agris prius quam ſerere incipias, euulſis ſentibus & omnium ſtirpium radicibus amputatis , arua purganda , ſic de noſtris animis prius vitia detrahenda; & tunc demum virtutes inſerenda : de quibus ſeminata per verbum dei fruges immortalitatis oriantur.* Agricultura proſcindit, frangit, complanat, occat, eleuat, deiicit, cohibet : quibus ſimilia in iuuenum pectoribus peragit mortificatio.

Lactant. Epitom.

Vt poſſit naſci, hic appetit ante mori.

Lact de Phœn.

9 Qui etiam matrimonio vir & fæmina iuncti , ut officia ſua rite præſtent , qua familiam regendo , qua mutuum amorem conſeruando, qua prolem educando. plurimum egent reſtrictiua hac & mordaci neceſſitudinis ciuilis diſciplina. quod autem in hunc ſtatum ex connubio multa incidant ipſi carni , nedum ſolis animis, moleſta , quippe ad datam fidem inuiolabiliter ſeruandum , ad conuictus pacem ac ſuauitatem continuo pertinentia , veteres multa excogitarunt , ut pote de cælis , ac religionum penetralibus ad matrimonium deducta . quæ eius difficultates omnes mitigarent. *Xenophon* proinde , *Ariſtoteles* , *Dioniſius* , *Plutarchus* , matrimonium diuinum vocant inſtitutum , ac negocium , cui interſint ipſi Dij. Nuptialem thalamum , ſacrum appellant , adulterium , in deos offenſam clamant.

Xe. in Œc. Ari. in oec. Dion. lib. Plut. in q. Rom.

Qua patet orbis, cernitis omnia,
Quique iniuſta cæde necantur,
Aut furtiuo qui concubitu
Sacri fœdera violant thalami. Verum de hac re poſtea oportunius.

Euri. elect.

10 Cæterum pietati huic, opinionique de matrimonij ſanctimonia , adiungenda ſeueritas diſciplinæ , ictus mortificationis cum ea adhibendus. Enimuero ea eſt vis , ac propemodum rabies laxatæ libidinis , ut uſu matrimoniali non tam ſatiata , quam excitata in immenſum vagi concubitus plerumque geſtiat excurrere. dumque libidinoſi imaginarias ſuas delicias venantur , eas puras , & liquidas non inuenientes , quaqua verſum reſpiciunt, in omnem partem ſe mouent , vnde quas ſecum commentantur voluptates tandem varietate conſequantur. at numquam voti compotes effecti , continuo in ipſis exitum aliquem quærit furor concupiſcentiæ , quo tandem ad deſiderata peruadant. quamobrem opus

opus eſt diſciplinæ caſtigatione, quæ in coniugibus æſtum hunc ſedat, ad fidelitatis iura, ad continentiæ normã, omnẽ eius vim rigidè componat. ac fortaſſis virgines, nondum expertes thalami, faciliori lege florem ſuum illibatum ſeruant in ſeipſis, quam coniuges in connubialibus negocijs verſati, vinculi ſui retinere poſſunt ſanctitatem. Quis non exiſtimabit *Alexandrum*, etiam iuuenem, duritie conſuetudinis ſeipſum tractaſſe, qui profligato *Dario*, uxorem eius coram factam ac ſupplicem noluit intueri, ne contra caſtitatem vel oculis voluptatem libaret, ut ſcribit *Curtius*? ſimili ſeueritate reſtricta uxor *Tygranis*, quæ, ut narrat *Xenophon*, cũ in præſentia Cyri conſtiterat, poſtea ſuo marito faſſa, ſe penitus ignorare, quali forma *Cyrus* præditus eſſet.

Curt. in vit. Alex. Xenoph. in Cyr. Tyr. max ſer. 8.

11 Difficultatem quoque auget conuictus ac coniunctiõis matrimonialis inſeparabilitas. in alijs ferme, ſi moleſta aliqua acciderint, ea aut euincuntur, aut diſceſſu quodam declinantur: at hic mali ſtatus prorſus fixus ac immobilis perennat, quotidiana experientia grauior redditus, ac intollerabilior indies factus. mutant ob aëris intemperiem aues regiones, piſces aut fundum, aut littora in tempeſtatibus petentes, turbidam alti faciem relinquunt. ab amicis homines malè tractati, amicitiæ iura aut rumpunt, aut diſſuunt, & alios amicos quærunt. Coniuges verò vinculo pluſquã adamantino etiã rixantes, etiã iniurias mutuo inferentes, inter ſe ſic copulantur: ut in eis nulla ratio tædij, nauſeæ, vel pertæſæ conſuetudinis incommoda, contra ligaminis ſacri firmitudinẽ præualere poſſunt. hac de cauſa *S. Ambroſius* matrimonium appellat officium maximi laboris. *Reuera* inquit *S. Chriſoſtomus*, *myſterium eſt, & magnum myſterium, relicto eo, qui genuit, eo, qui aluit, etiam ea, quæ peperit, quæ miſere & cum labore parturiuit, adhærere virum illi, quæ antea neque viſa ſit, atque hanc omnibus præferre. Hoc Sacramentum magnum eſt*; ait *S. Hieronymus*: *arduumque eſt iter caſtitatis, ſed magna ſunt præmia.*

Abr. in c. 8 1. ad Cor. Criſ Hom 20. in Epiſt. ad Epheſ.

Hier Ep. ad Celant.

12 Multa porro in conuictu domeſtico accidere ſolent, quæ coniugibus urticoſum plane reddunt matrimonium, adeo ut illa æquis animis perferre & ſuperare non poſſint, niſi magnam vim diſciplinæ adhibuerint. Primo tam reſpectu indolis, quam appetitionum, non ſemper perfecta inter coniuges ſimilitudo ac conuenientia reperiuntur: cum tamen opus fuerit, diſcordantiam in omni euentu ad pacem ac tranquillitatem inſtituere: quod profectò factu implexum, & non niſi magnæ diſciplinæ opus. Ad hoc ſignificandum, *Romani* olim, coniuges exhibebant veſtibus diverſicoloribus indutos: ut intelligerent, ſtudijs ſuis, vel in ipſis vi naturæ repugnante, procurandum tamen, ut morum ac deſideriorum diſſimilitudines in unam quaſi veſtis texturam componant, decenter ſcilicet, quietè in unum pacis ac conſentionis ſcopum omnis in eis voluntas deſtinetur. quam operoſa, quam impedita, quam acerba hæc textrina: *Quæ eſt*, inquit *Plato*, *ita laborioſus, mutabilis, ac varius homo, ut ſe multis ſimilem reddere & accommodare velit?* dubio procul, niſi coniuges naturam ipſam in ſeipſis repreſſerint, numquam telam hanc meditantes, fæliciter perficient. huic inſtituto quod maximè infeſtum, quod euincere pluſquam herculeum, eſt in coniugibus, amor priuatus: qui ſanè profligandus omnino, ut maritus uxoris infirmitati amanter conſulat, ut in eius uſus, labores impendat; viciſſim ut uxor, marito tanquam domino, cum amore obſequium cultumque deferat. Etenim ſi in priuata dumtaxat commoda ſtudia ſua ſeorſim contulerint, lites, rixæ, ac clamores aures omnium complebunt, ipſorum, amicorumque animos, contentiones ſauciabunt. Opus idcirco, id agente diſciplina, ut in unum optatis, actionibuſque conſpirent, proprijs interim abdicatis, & quadam morte ciuili deletis. Si enim ciues reputare debent, ſe ſuos non eſſe, ſed reipublicæ, id multo magis a coniugibus ſtatuendum: vnde intelligant, neutrum ipſorum plane eſſe in propria poteſtate, ſed utroſque in alterius ditionem tranſlatos, mutuoque iam ſeruire debere, omniaque in commune referre. *Oportet autem*, inquit *Plutarchus*, *ut Geometri docent, lineas & ſuperficies non per ſe, ſed una cum corpore moueri, ſic uxorem, nullum proprium affectum habere, ſed ſtudia, curas, riſum communem habere cum viro.*

Plu. quæſt. Rom.

Pla. de cul. Aga.

Ariſt. lib. 1. pol.

Plut lib. de præ Con.

12 Quem diſciplinæ rigorem ſi minimè in ſe admiſerint, dici aut cogitari vix poteſt, quantum inter coniuges futurum diſcordiarum incendium. quid autem viri offenſi ac læſi ab vxore, zelo, ut loquitur Sapiens, ferocius aut immanius? *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*: itidem ſexus muliebris, ob defectum intelligentiæ, malitiæ ſemel traditus, timidus licet, & alioquin vel ad aſpectum ferri pauidus, in rabiem tamen læſus erumpit, & in crudelitatis immenſum ſe immittit.

Prov. 6.

———— *Plena mulier alioquin metu*
Infirma, ferri contacti haud ſuſtinet.
At in toram ſi quiſpiam peccaverit,
Nullum cruoris pectus eſt ſitientius.

Sophoc. Medea

Iam Principũ, & aliorum quæ nam ſit diſciplina, explorabimus.

CAPVT. XVIII.

De Rigore diſciplinæ in Principum moribus optando.

AD nullos certe magis ſpectat reſtringentis diſciplinæ iſtius ſeueritas, quam ad Principes ipſos, ac ad eos, qui alijs imperant: licet ex apparatu externo rem aliter eſſe popularibus videatur. hoc ſanè ex multis cauſis demonſtrari poterit. Imprimis id arguit excellens virtutis gradus, quo alijs præſtare iure officij, adeoque diuino, tenentur. ita ut in ipſis non ſimplex virtus, ſed *Architectonica* ſeu primaria & ſũma, iudicio *Ariſtotelis*, & omniũ aliorum, poſtuletur. quemadmodũ itaq;

Ariſt 1 pol cap 8 S. Th. 2. 2 q 92. art. 1. ad. 3.

non naſcitur aurum in omni terræ parte, ſed in certa quadam, temperie loci ad eiuſmodi fœtum accommodata: neque florentem ſpicam quælibet gleba edit, ſed pinguis tantum ac culta. ita virtutes principe dignas non omnis anima, populari cura ſubacta, profert, ſed illa dumtaxat, quæ mortificationis gradu expectatæ virtutis excellentiæ reſponderit. ſi enim virtus abſolutè nullibi creſcat, niſi ubi mortificatio radices eius prius tenuerit ac fouerit, conſequens, ſublimem virtutem, adeoque clariſſimam, ex modo mortificationis æque magno ſolum, & accurato, educendam. Fruſtra ſanè Principes ad virtutem contenderent, ſi affectiones ſuas in appetitu ſenſitiuo vigentes, nullo ſtudio in ſe compeſcere ſtuderēt. hinc in Republica *Platonis*, Principes, & eius conſultores, vinũ non bibunt: quo in ritu affirmat *Plato Carthaginenſes* ſua cum laude ſeueriores extitiſſe *Lacedamoniis*, vel *Cretenſibus*. Atque inter reliqua, cum virtutes omnes ex humilitate oriantur, ſequitur profundiſſimam in principe eam ineſſe debere, ſicut in eodem virtus prẹſtantiſſima expectanda: ut quo altius erigit ſtructuræ faſtigium, eo dimiſſius collocet in ſeipſo humilitatis fundamentum. quemadmodũ ſanè Principum palatia, quo ritè conſtruantur altiori indigent fundamento, quã plebæorum ædificia, ita eorum principum virtutes, cum ſummæ eſſe debeant, profundiori humilitati inniti eas par omnino fuerit, quam aliorum. Quod ſi ex defectu diſciplinæ, ſuperbiæ motu, & luxus conſuetudine affectiones in eo indomitæ fuerint, aut vix tactæ ab imperio diſciplinæ, erectas criſtas habuerint, numquam permittent Principem inſigni aliquo amore erga ſuos inflammari t numquam odio conueniente ſceleris concitari, numquam vitæ continentia inſigniri, aut lactea tantæ virtutis venuſtate exornari ſinent: ſed ad ſeipſum amandum inde adactus, earum importunitate, ſalua una ſua voluptate, cætera omittendo, contemnet. At verò qui Principis hoc munus ritè penſitarunt, ij dicere ſoliti, in maxima potentia minimam eſſe licentiam: ipſumque Principatum nihil aliud, hac in parte, quam ſpecioſam ſeruitutem. videmus magnates vitos, funere elatos, ſumptuoſis ſtragulis in ſpeciem pompæ illuſtrari, cum alij ſortis vulgaris in eum uſum non niſi mediocres adhibeant: utrique tamen ſe mortuos produnt. Ita Principes, quorum mors ciuilis clarior: quippe quorum affectiones magis reciſæ, ac perdomitæ, veſtiũ apparatu, aulæ majeſtate, præſidiariorũ numero hanc ipſam ſuam mortem alijs honorificentiorē commendant; ac meritò, quis enim non admiratur ex iſtis inſignibus vitas virtutum in Principe florentes, ex morte in ipſo affectionum enatas & propagatas?

Plat. dial. 2. de legib.

2 Cumque Principes in omni virtutum genere excellere debeant, tum maximè in amore dei, ac Patriæ: in quo amore alij amores, ac in eis affectiones reliquæ moriuntur & extinguũtur, ut oſtendũt *S. Baſilius*, & *Ephrem*. Quod ſi minus in ſe affectus, voluptati aut ambitioni inſervientes, compreſſerint, viuent illi affectus quidem at non virtutes charitatis & pietatis, haud deus aut patria termini ac fines erunt ſuorum votorum, ſed ipſimet ſibi Principes, ſibi deus, & omnia conſtituentur: demum viuent, ſed vitijs, ſibi viuent, dæmoni ac turpitudini: ſeu potius, ut ſummatim dicam, veræ ſeruituti. *Quod mors agit in ſenſibus corporis*, inquit *S. Bernardus*, *hoc agit dilectio dei in ſaculi cupiditatibus. circumcidet dominus deus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas dominum deum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Vt enim roſa ex caudice ſenticoſa, ita dei ac patriæ amor ex mortificationis ſtudio.

Baſ. Reg. 17. Eph. exhor. ad pænit.

Bern. de modo bene viue Ser. 4. Deut. 3 Greg. Naz. ora ad Max.

3 Quod vero perturbatio in actum aliquem irrumpens, qui in priuatum commodum feratur, turpis ſit in Principe, qui ſe ſuaque omnia publicæ multorum ſaluti iam deuouit, idcirco ei ſummæ curæ eſſe debet, eiuſmodi motum in ſe compeſcere: ac ſi fieri poterit a ſe penitus exterminare. quo ritu excultum legimus *Themiſtoclem* præclarum apud Græcos belli ducem, qui, *cum poſt pugnam*, ut ſcribit *Ammianus Marcellinus*, *agminaque deleta Perſarum licenter obambulans, armillas aureas vidiſſet, tolle, inquit ad comitem quemdam adſtantem, tu qui Themiſtocles non es, non quodlibet probans in duce magnanimo lucrum.* Sacrilegium, deo ſacratas victimas altaribus adimere, vel alio igne, quam ſacro cremare: ita inciuile ac impium in principe, affectionis ſuæ aliquam partem reipublicæ eripere, aut eam indigno aliquo amore inſtituere. Principe digna vox:

Am. Marc. lib. 30.

Omnia dum vobis liceant, nihil eſſe recuſo. Luc. lib. 7.

4 Ea etiam incitamenta ad vitia obuallare ſolent principum vitas, ut ad eorum reiectiones magna indigeant vi diſciplinæ. Etenim ut ligna arida, viciniora rogis, in maiori conſtituuntur periculo combuſtionis, ita Princeps, ſi pectus gerat paſſionibus vehementius commotum, cum in occaſionibus malè agendi verſatiſſimus, procliuiori lapſu offendet, & facilius a vitiis obtinebitur. Ac inter cætera, cum adulatores, veritatum loco, errores obtrudere ſoleant, ſpe utilitatis inducti, princeps inter eorum voces ita inſtituendus, vel indurandus potius diſciplina, ut nè audire quidem eas videatur, artemque inſuper Mithridaticam calleat, innocuè venena potandi: nempe ut nouerit admiſſas ſui laudes in aures mentemque, vel reijcere, vel efficere, ut quantumuis peſtiferæ fuerint, ipſi tamen non ſint exitiabiles. Syrenes iſtæ aulicæ diuerſimodè inſidiantur. hac in arte quondam velificati *Iconoclaſtæ* hæretici, affirmantes jura diuina in Regibus nullam vim retinere. Alij occurrere pariter, ac proclamarunt, Reges deos eſſe, ac ſummos Pontifices, ſimulque ad eorum peculia omnia vectigalium bona ſpectare. Aſtrologi nequaquam ocioſi aut muti hac in re, definientes, impedire deum, quo minus ſtellæ imperatorum, ſicut aliorum, fata aut cauſent, aut denunciēt. Inter quos, ut animaduertit *Galenus*, rariſſime vel unus *Diogenes* comparebit, qui *Alexandro* veritatem ipſam explicate dicat. denique ut obſeruauit *Ariſtoteles*, diuitiæ ac poteſtas ſapientiam, moderationemque impediunt. ex imperio pauci meliores, inquit *Flauius Vopiſcus*. *Adhuc*, ait *Plinius*, *nemo extitit enim virtutes nullo*

Stud. cont. Iconocl.

Iul. firm. li. 2. de iud. cap. ult. Gal. de cur. Ani. morbis

Flau. vopiſ. in Claud. Plin. Paneg. Traian.

vitiorum

Pacian. Panegyr. Fra.
vitiorum conſinio læderentur. Rectè *Pacianus: vix vnquam conſigit, & abundare fortuna, & indigere ſuperbia.* ac propter hanc cauſam, vel ipſum nomen Regis odioſum fuit *Romanis*, vt ſcribit

Sueton. in Cæſar.
Suetonius. Atque inter cætera, animaduertit *S.*

Ambroſ. lib 5. Hexaem.cap 5.
Ambroſius, imperij perpetuitatem, faſtus, arrogantiæque in Regibus cauſam exiſtere. Quis modò hæc animo verſans, non ſtatuet, præ omnibus alijs, magno vſui Principibus eſſe mortificationem? ſi enim ab iſtis malis tangantur, luctuoſius ac calamitoſius deflagrant, quam vlli priuatorum: a quo miſero exitu vnicum eis aſylum ſeuerior vitæ diſciplina. Sale iſto perfricatus *Conſtantinus* Imp. qui vt ex applauſu militum, inanem gloriam vitaret, cito curſu equum, quo vehebatur incitans, laudantium

Euſeb. lib 1.
turmas pertranſijt, vt ſcribit *Euſebius.*

5. Summa etiam poteſtas, qua Principes gaudent, ſiue ad voluptatem obtinendam, ſiue ad vindictam inferendam, ſicut virtutis minus magis impeditum reddit, ita diſciplinæ

Liu Hiſt. decad. 3.
maiorem in eis neceſſitatem ædem arguit. *Liuius* affirmat, Rarò ſimul hominibus bonam fortunam, bonamque mentem dari. quam rarum, & optabile in Principe votum *Catonis* patria & nomine Romano periclitantibus;

Lucan. lib 2.
Ovsinam calique dijs, Erebique liceret
Hoc caput in cunctas armatum exponere pœnas.

Honoris Imp. quoque a ſe ipſo quodammodo alienatum ſenſum ita *Claudianus* decantauit:

Claudian. in 4 Conſul Honor.
Deuotum hoſtiles Decium preſſere cateruæ:
Me geminæ figant acies, me barbara telis
Rheni turba petet: Cunctis ego peruius haſtis,
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat ſanguis populos, hac cade luatur
Quidquid Romani meruerunt perdere mores.

eodem veluti aceto perſtringi voluit apud nos

Polyd Virg. in Canut.
interior ſenſus *Canuti* Regis, qui ſuorum laudibus ob potentiam exceptus, vnum Deum affirmauit verè eſſe potentem: ac ad id ſignificandum coronam illico ſuo capiti detractam, capiti Chriſti Crucifixi imponi voluit. *Gregorius* quoque Pont. Max. illius nominis Decimusquartus, contra faſtum vanamque gloriolam benè ſe præmeditatione humilitatis armauerat, qui, vt ſcribit *Antonius Cicarella*, peractis inau-

Cicarell. in vita Greg. 14.
gurationis ſuæ ſplendidiſſimis cæremonijs, ad ſuos familiares reuerſus, iſtis Deo litauit humilitatis hyſopum: *Gratias agimus Deo, qui in tantis honoribus & reuerentiis noſtra perſonæ hodie exhibitis, nos a ſuperbia, inanique mundi huius gloria, conſeruauit.*

6. Et quidem radicem accipit ſui mortificatio principis in eius intelligentia, qua ipſius proprium ſtatum penitus exploratum ac perſpectum habet: ſcilicet noſcendo imprimis, quam incertis caſibus maxima quæque fortunæ bona obiaceant. *De Pompei capite, inquit Se-*

Senec. Ep 4.
neca, pupillus & ſpado tulere ſententiam: De Craſſo, crudelis & inſolens Parthus. Caius Cæſar iuſſit Lepidum Decimo Tribuno præbere ceruicem. Momento mare vertitur, eodem die vbi luſerunt nauigia, ſorbentur.

Senec Agā. Tract lib 13. Caſſiodor. lib. 5. Ep 16.
Placet in vulnus
Maxima ceruix. Nec vnquam, inquit *Tacitus*, *fida potentia, vbi nimia eſt.* Hanc ipſam potentiam comparauit *Theodericus* Rex apud *Caſſiodorum*, tremulis gemmæ fulgoribus. *Quam non immeritò pandia gemma dicimus eſſe conſimilem: in qua vnus ſe fulgor non poteſt continere: fluctuat aſpectibus, dū lapis tenetur immobilis.* Deinde hanc ipſam mortificationem profert intelligentia earum ſollicitudinum, quæ a Principe rebus publicis impen-

Plutar. in Scipion.
dendæ. *Ampla enim imperia, ait Plutarchus, & nimia quæ expetuntur opes, tot tamque varias & vndique circumfuſas moleſtias habent, vt non minus verè quam eleganter a Theocrito dictum ſit:*

Non mihi ſint opes Pelopis, nec multa talenta,
Nec celeri curſu ventos ſuperare fugaces.
At vacua curis liceat cantare ſub antro,
Et procul e ſpecula mare proſpectare profundum.

Succedit mortis & ſupremi tribunalis librata

Hoſe. 8. Iſa. 30.
cogitatio, quæ ſtudium hoc mortificationis in animis principum educat. *Quoniam in aranearum telis erit vitulus Samariæ*: nulla ſiquidem poteſtas melius contra mortem armatur, quam aranearum contectus angulus, contra ictum ſcoparij. *Alexander* ille nullis finibus imperij cōtentus,

Iuuenal Satyr. 10.
Cum tamen a figulis munitam intrauerit vrbem,
Sarcophago contentus erit. mors ſola fatetur,
Quantula ſint hominum corpuſcula.
Aſpice miramur periiſſe homines, monumēta fatiſcūt:
Mors etiam ſaxis, nominibuſque venit.

Caprificus facit ſaxa monumentorū dehiſcere.

Horat lib. 2. Od. 3.
Nil intereſt an pauper & infima
De gente ſub Dio moreris
Victima nil miſerantis Orci.
Omnes eodem cogimur, omnium
Verſatur vrna, & nos in æternum
Exilium impoſitura tumba.

Huius exitus penſitatio apud Principem, illius voluptates aut arcebit penitus, vel certæ diſciplinæ amaritudine coërcebit plurimum. In eundem finem haud parum etiam condocet, diuini tribunalis, veluti ardentis ex vindicatiuæ iuſtitiæ flammis correpti intuitus, ſi Principis animo penitus infitus: ſub cuius imperio neceſſe eſt illum omnem contremiſcere, qui illud ſecum diligentius diſcuſſerit.

Senec. Hoc oet. Claudi. lib. 2. in Rufin.
Vultur veſtro tundens Titij,
Aut inconceſſo Titius deliquit amore?

Qua ergo ratione Princeps alijs debet excellere virtute, eadem in eo ſpectanda mortificatio acerbior. *Quomodo*, inquit *Cicerō*,

Cicer. Cato maior in paradox.
hic liberè imperabit, qui non poteſt ſuis cupiditatibus imperare: refrenet primum libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, auaritiam coerceat, cæteraſque animi labes repellat. Tunc incipiat alijs imperare, cum ipſe improbiſſimis Dominis dedecori ac turpitudini parere deſierit. Dum verò his obediet, non modò imperator, ſed liber quidem non habendus

Sidon. Apol. Ep. 11.
erit. libertatem autem ei adimet vehementia perturbationis: nam vt ait *Sidonius Apollinaris*, *Sicut hominibus Reges, ita Regibus deſideria dominandi dominantur.* Enim vero ſi permittāt Principes, ſiue voluptates perſequendo, ſiue vindictas inferendo, ſe æſtu paſſionum turbatos, concitari, apti nō erunt, qui ſuis legibus in alijs flagrantes cupiditates coërceant.

Eurip. Medea
Grauis eſt Regum faſtus, & ira
Nimium memores, qui dare leges

Sunt ſoliti aliis, lege ſoluti.

Alios quidem, vel in voluptates, vel in iras, furentes, retardant rei ipſius arduitas, ac periculum, quibus adiuuantur, vt minori cum animæ virtute ſuaſis, obiectiſque reſiſtant. Cæterum quando ad præſentiam lenocinij, ad cogitationem vindictæ, poteſtas ad hæc exequenda in promptu, tunc vt ardor, incitatioque ſiſtantur, opus maxima ſeueritate, ſummaque duritie, quæ nullo igne, aut impetu, diſſoluatur.

Claudian. in Panegyr. Theod.

——— ſuadetque licentia luxum,
Illecebriſque effrena fauet. tunc viuere caſtè
Aſperius, cum prompta venus: tunc durius iræ
Conſulitur, cum pæna patet. Et quidem in vniuerſum cum vitiorum obiecta ſæpius in principum ſenſus incurrant, quam in aliorum, eorumque poteſtati obſequentius ſubduntur, inde in ipſis virtus aſperior, ſicut & victoria ex ea glorioſior, emanat.

7. Ac quemadmodum virtutis ſublimis gradus in Principe ſpectandus, ita adſcito vitæ rigore, longius, quam vllus priuatorum abeſſe debet ab eis iucunditatibus, quæ virtuti obſunt & vitiorum ſunt illectamenta. hinc *Themiſtocles* rempublicam capeſcens, compotationes, conuiuia, ebrietates illico a ſe penitus ablegauit, & *Melchiadis* triumpho potius ſolicitari voluit. *Pericles* imperio potitus, viuendi rationem ſtrictiórem delegit, corporiſque cultum luxurioſum abiecit, vt ſcribit *Plutarchus.*

Plutar. in Inſtit. Ciuil.

Lucan. poë.

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo Conſule Faſti
Profuerint, cui vita labat: At neque ipſa dignitas regia ſatis ex ſe potens, quæ a ruina ac interitu Principem liberet. Inanis idcirco *Cæſar*, qui viribus proprijs, ac a Dea *Venere* ductæ proſapiæ confiſus, cum mare piſcatoria ſcapha eſſet traiecturus, trepidantem nautam ad aſpectum vndæ turbatæ, animauit:

Lucan. lib. 5

Sola tibi iuſti iuſta eſt hæc cauſa timoris,
Vectorem non noſſe tuum.
——— hanc Cæſare preſſam
A fluctu defendet onus. Enimuerò niſi Principes ſuæ digintati virtutum, acerbiores diſciplinas adiunxerint, in imum infælicitatis ſuarum affectionum ponderibus, in hoc æſtuante ſalo deprimendi: eoque infortunium acerbius incidet, quo gloriæ amplitudine illuſtriores extiterint, earumque ſplendoribus oculos perſtrictos habuerint.

Senec. Agã.

——— quiſquis amne ſecundis
Tradere ſe fatis audet, niſi morte parata:

Iuuenal. ſatyr. 14. lib. 1.

Senſit Alexander, teſta cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quantò felicior hic, qui
Nil caperet quam qui ſibi totum poſceret orbem,
Paſſurus geſta æquanda pericula rebus.

8. Inter quæ, non videtur minimum quid, lubricus ac quaſi virgineus maieſtatis, famæ, ac reputationis in Principe ſtatus. qui vel tenuiſſima ſpecie indecori dehoneſtari ac deflorari ſoleat. pronum vulgus ad ſuſpiciones deducẽdũ grandiũ etiã facinorũ, vel ex paruis a Principe exhibitis indicijs: ac ſiue verum ſiue falſum fuerit, quod de illo ſemel diuulgatur, id facilè plerumque locum obtinet apud multos credulitatis. originem huius in duobus eſſe exiſtimarem: nempe in inuidia inferiorum erga ſuperiores, ac in ea naturæ elatione, quæ in eiſdem reperitur, ex qua nemini libenter parere vellent. Hinc ex minimis à Principe exterius expreſſis mali formis, maxima ei ineſſe, colligi in more eſt, crimina: neque rumor fermè vllus adeo a veritate auerſus, quin apud plures fidem obtineat veluti oraculi.

Sophoc. Aiæ flagell.

Nam iacula viris qui immittit
Magnis, facilè non errat.
At verò talia ſi quis
Contra me paruum dicat,
Haud perſuaderet cuipiam:
Nam ad felicem inuidia
Accedit torua.

Quamobrem oculata diſciplina, nedum tantum ſeuera a Principe adhibenda, quæ omnes caueat vel leuiores prauitatum notas: eoque ritu diſciplinæ a ſeipſo coërcendus, vt nullibi petulantiam, vel leuitatem animi excurrere permittat. Ex quo ſatis liquet, quam inhumanum ſcelus, principis nomini aut famæ mentiendo detrahere: præſertim cum verum, quod dici ſolet, principum vitas auribus ipſorum ineſſe: ſcilicet, eis planè lethale, iniquum rumorem iam diuulgatum de ſeipſis audire. Cui accedit, quod a muris ac repagulis cubiculorum, ab aliorum fidelitate, principum errores minus ſunt contecti, quam priuatorum: quipper quod in illos omniũ oculi ſint coniecti, geſtiãq; cuncti ſcire quid Principe factitatũ. *Habet hoc*, inquit *Plinius primũ magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur. Principum verò non modò domos, ſed cubicula ipſa, internoſque ſeceſſus recludit, omniaque arcana noſcenda famæ proponit atque explicat.* Vnde ne quid exeat, ne quid erumpat, maximè auſtera cura a Principe adhibenda: præſertim cum diuulgata ſemel crimina, non tantum ipſi Principi odium ac infamiam conflent, ſed infinitæ multitudini, peſſimo dato exemplo, multum noceant.

Plin. in Panegyr. Traian.

Claudian. lib. 12.

——— nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinet, latebraſque per omnes
Intrat, & abſtruſos explorat fama receſſus.

8. Denique illa accurata tam corporis quam animæ ſpecies, quam Princeps aliorum oculis perpetuò obiectare debet, effectus prorſus eſt ſingularis cuiuſdam animaduertentiæ atque diſciplinæ. Cum ergò proprius quaſi color ipſius, quo alijs innoteſcat, ſit externa iucunditas, maieſtatis quadam grauitate temperata, maximè ei cauendum, tametſi natura in ipſo vrgeat in contrarium, ab iræ, furoris, vel deiecti animi ſignificationibus. oſtẽdere potius debet, ſe ad exemplum ſolis ſemper ſereni ac placidi, altiorem eſſe, quam vt ad eum attingant iſtiuſmodi nebulæ, adeoque fortiorem, quam vt ab impotentibus vehemẽtius paſſionibus cõmoueatur. quod ſi aliter fecerit, nõ ſolũ dedecora iſtis ſibi inde conſciſcet, verum ſecreta animi conſilia prodendo, eorum deſiderato effectu ſe priuabit, adeoque multoties ſibi periculum creabit: nam vt admonet *Sapiens*, *Indignatio Regis, nuncii mortis. In hilaritate vultus Regis vita, & clementia eius quaſi imber ſerotinus.* Nunc de aliorum in Republica coërcitiuis diſciplinis tractabitur. Proverb. 16

CAPVT. XIX.

Qualis Nobilium, aliorumque Ciuium, virtute diſciplinæ debeat eſſe coercitio.

Ariſt. lib. 4. pol.

ARiſtoteles Ciues diſtribuit in tres ordines: in primo collocat nobiles, ſeu primores, in ſecundo medios, in tertio Infimos. Deinde inquirit, quinam inter iſtos meliores ex eis rebus, quæ contingunt, quò ad probitatem ciuilem; ac reſpondet, in plurimũ medios. cauſam aſſignat, quod primi, fortunæ conditione plerumque elati, inferiores paſſim ſpernant: infimi tenuitate preſſi, potentioribus ac ditioribus inuideant: medij verò neque ex abundantia aut ſtatus altitudine ſuperbiunt, neque egeſtate afflicti, alijs detrahunt: ſunt ergò, ſpectata iuſtitia Ciuili, omnium optimi. Nihilominus vt ad virtutem ciuilem horum ſinguli benè dirigantur, eis adiumento auſtera vitæ diſciplina, ac naturæ in ipſis rigoroſa quædam inſtitutio.

Plato dial. 4. de Repub.

2. Primores quidem, iuxta *Platonis* ſententiã, *Mites eſſe debent, & animoſi*: duplex proinde eis conuenit mortificatio. vna quæ ad mores placidos amabileſque contra ſuperbiá iramque in eis conferat: altera, quæ deuicta libidine, contra ingenij quandam mollitiem, fortitudinem ſtatuat ac defendat: quorum neutra placido naturæ curſu abſque rigore diſciplinæ in eis perficiuntur. Ac in vniuerſum, ſicut nobilibus, aliorum reſpectu, maior virtus ineſſe debet, ita ſimiliter ſtrictior modus viuendi eiſdem conuenit: diſciplinæ quippe rigore a vitio optimè compreſſis, ac ad virtutem deſtinatis, accuratiuſque certa lege informatis. Equi nobiliores, vt bellicis negocijs aptiores reddantur, multiplici ratione domeſtica coercentur, ac diuerſimodè, vel inuita naturæ in ipſis rudi ſimplicitate, effinguntur: cuius quidem moderationis haud eſſent expertes, ſi in campis aut montibus vi ſolius ingenitæ ferocitatis vagarentur, ac fuſe diſcurrerent. quum idcirco in homine læſa ſit natura, ac deficiens euaſit ad præclara, ac qualia nobiles decent, non comparatur ipſe idoneè ad muneris ſui apicem, niſi acrior vitæ diſciplina eum reluctantem violentia quadam ad decreta officia compulerit. Quamobrem *S. Baſilius*, & *S. Gregorius Nazianſenus*, homines ſanguine & poteſtate claros, roſæ comparant. vt enim Roſa, florum princeps, ſic nobiles, naturæ inter homines decora. atque ſicut roſa odore fragrans, ac colore florida, ab aſpero ramulo, ſeu fibra ſenticoſa exſpirat, ita nobilium præſtantiſſimæ virtutes, a vitæ auſteritate oriuntur. *Vallata eſt enim*, inquit *Nazianſenus*, *elegantia vita noſtra, & quibuſdam ſolicitudinibus ol ſepta, vt triſtitia adiuncta ſit gratia.* huiuſmodi roſam nobis deſcribit *Seneca*. *Omnium ſomnos Principis vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* quopacto in Principe, vt roſa. alias roſulas depingit, quales in republica nobiles, ac purpura fulgentes eſſe debent. Eminuero inane ac commenticium, ibi vberes ac læios fructus expectare virtutum, vbi animi ſolum diſciplina mortificationis non fuerit prius ſubactum. vt enim concretæ gemmæ magis ſplendent, ardent ac vibrant fortius, quam aqua fluida, ita quos in firmitudinem quandam ac denſitatem coegit diſciplinæ ſeueritas, illi plus ex virtute lucent quam alij, quos luxus in fluores diſſoluerit.

Baſil. Homil de parad. Grego Nazianſen orat. in Maxim. Ambroſ. l. 3 Hexam.

Senec. lib. de Conſol.

3. Primo itaque in loco a nobilibus vſurpanda mirra, quæ in eis in aliorum Ciuium contemptum pronitatem exſugat, altoſque illos animorum motus, ad moderationem quãdam ſcitè componat. mites enim eſſe debent, quales numquam erunt, niſi ſpiritus illos arectos diſciplina veritatis dimiſerint, aut fregerint. Præclaram ad hoc præſtandum iſtis *S. Gregorius Nazianſenus* doctrinam ſuppeditat: *In duas partes non natura ſed tyrannus, homines ſecreuit. ac diſtinxit. mihi ſeruus eſt, quiſquis turpiter ac flagitioſe viuit: mihi liber eſt, quiſquis virtute, integritate præſtat.* Moritur, hac conſideratione percuſſa, omnis in nobilibus elatio: cum eo percipiatur, non ductu ſanguinis, aut poteſtatis magnitudine, vel diuitiarum copia hominis dignitatem metiendam, ſed vna virtute, quæ in alijs intra ſuam ſortem dimiſſis, excellentius ac plenius inueniri poterit. *Nam vt roſa, licet ex aſpera planta naſcatur, fragrantiſſimum tamen odorem efflat. Tu contra, ſi e molli terra nihil aliud quam ſpina exiſtas, igne vt igne punieris.* Enimuero mala potius ac deprecanda, natalium ſplendor, diuitiarum cumuli, ſi quempiam in arrogantiam & contumeliam adegerint. *Diuitiæ & paupertas, duplex malum. ex altero inſolentia, contumeliaque exoritur, ex altero ægritudo.* qui ergò diuitijs abundant, caſtigare debent in ſeipſis motum in aliorum contemptum, in quem alioquin inde proni exiſtunt. ſecum reputent velim, communem ipſorum & aliorum finem, ac talis cogitatio leuiores illas inanitatis pennas, quibus in altum ſubleuantur, præſcindet. *Ecquid precor inter mortuos eſt, quo alius alium antecellat? idem puluis, eadem oſſa ſunt heros Agamemnon. & Irus mendicus, Conſtantium Imperator & famulus meus.* quod genus mortificationis ſi non vſurpauerint nobiles, vita affectionum, in ipſis turbulentia conſtans, non ſolum vitam ex virtute in eis expugnabit, quinimmo vitam, quam delegere, alijs odioſam, & ſibi funeſtam reddet. Certè res odio digna, animum nobilem, a natura ad mites ac amabiles mores inſtitutum, perinde ac ſi roſa in labruſcam degener tranſiret, faſtu ac contumelia efferari. *Quid in natalium ſplendoribus faciunt animorum ſordes!* vt loquitur *Caſſiodorus*.

Gregor Nazian. De Nobil. malè morato.

Greg Nazianſen. de Hominis miſeria.

Grego. Naz. ibid.

Caſſiod. lib. 1. ep. 6.

4. Cæterum nobiles non tantum erga alios mites, quin etiam in eorum defenſionem, ac reipublicæ commodum, animoſi eſſe debent. quam naturæ leoninã generoſitatem vt in ſeipſis conſeruent, omnino oportet, voluptates, quæ animum & corpus emaſculant, mortificare. ſi quid enim in eis duri, erecti, ac conſtantis, id omne libidinis ac deliciarum appetitus emollire, dimittere, ac frangere continenter ſatagit. haud aliter ſanè glacies ad ignis præſentiam liqueſcit, ac animus, quantumuis robuſtus,

robuſtus ad vſum voluptatis in timores, amoreſque muliebres diffluir. abſurdum verò populorum duces, quales exiſtunt nobiles, pauidos eſſe, ac inertes ad inſurgendum in difficilia & periculoſa. vt ergò igneos hoſce ſpiritus integros ac vegetos in ſe retineant, opus, vt ſeuerius naturam in ipſis reſolutam cohibeant, victuſque auſteritate quaſi reſtringant.

5. Qui medium porro in republica ſtatum obtinent, hanc ipſam diſciplinam acrem ac mordacem in multis ciuilis vitæ officijs adhibere debent. licet iſti quidem ſuperioribus non inuideant, nibili indigentes, in ipſis tamen voluntas paſſim ſubeſſe, ac obedire pertinacius detrectat. Cumque opes accumulare in inmenſum, & vlterius ſemper peruadere geſtiunt, interdum vix vno oculo, proprijs interim intenti, commune bonum intuentur. ob quas cauſas, vt non grauatè ſed promptè morem gerant magiſtratui, vt publicum priuato anteferant, diſciplinæ iſtius legibus coërcendi.

6. Quinimo inter bos iura ipſa amicitiæ, nedum communis erga conciues charitatis leges, non ſolum ad vtilitatem eorum, ſed etiam iucunditatem facientia, ſeruari non poſſunt abſque hac vi mortificationis. Nemini obſcurum, vnumquemque, vtpote ſibi maxime proximū, inſita naturæ vi acrius ſua quam aliorum bona expetere: ex quo dici ſolet, rationem amandi alterum, deſumendam ex bonis, quæ quis ſibi appetit. vt ergò, amici cum ſimus, neceſſitate id poſtulante, noſtra vel chariſſima in medium proferamus ac in eius vſus liberè impendamus, maxima opus naturæ quadam impugnatione, appetituſque proprij poenoſa compreſſione. hinc oritur cura penitus perſpiciendi amici indolem: ſtudium & ſolicitudo hinc propagantur, vt conſilia noſtra, in omni occaſione incidente, ei accommodemus, nec aduerſum quid vnquam vel dicamus, vel faciamus. *S. Paulinus* hæc de ſua amicitia cum *Auſonio* cecinit:

[S Thom. 2. 2. q. 26. art. 4]

Quumque tua acceſſi veneraus, mea cautius ora
Compoſui: & læto formaui lumine Frontem,
Ne qua vel tacito contractam pectore nubem
Duceret in Sanctum ſuſpectio falſa parentem.

[Paulin. ep. 2. ad Auſon.]

Propter hanc cauſam affirmauit *Attalus* Philoſophus apud *Senecam*, *Iucundius amicum facere, quam habere.* quod ſi finem amicitiæ ſpectemus, illum attingi non poſſe facilè animaduertemus ſine moleſta aliqua in nobis ſenſus & appetitus perpeſſione. *In quid igitur*, ait *Seneca*, *amicum paro? vt babeam pro quo mori poſſim, vt habeam quem in exilium ſequar, cuius me morti opponam & impendam.* Hæc verò erga amicum officia, quod amore ſui in homine aduerſentur, præſtari non poſſunt abſque eiuſdem caſtigatione ac mortificatione. Cuius acerbitatis conſcij Stoici, vnicè voluptatibus addicti, vt *Seneca* & *Plutarchus* teſtantur, amicitæ cultum penitus reſpuebant.

[Senec. ep. 9.] [Senec. ep. 9. Plut. cont. Stoicos.]

7. Poſtremò infimæ condicionis ciues moderari in ſeipſis non valent inuidentiam aut triſtitiā abſque adminiculo iſtius rigidæ diſciplinæ. parui momenti non eſt, aut res factu expedita, quempiam miſeria preſſum, vitæ ſtatu abiectum, Deo ac virtute interim contentum, pacato eſſe animo, ac patienter velle aliorum imperio ſubiacere. Inuidiam quidem appellat *Plutarchus vanorum hominum aſſeclam*: ac concludit; *oportet autem ciuilem ſenem quam longiſſimè ab inuidentia abeſſe.* Nihilominus merito durum infimis iſtis videatur, a natura ex æquo ad libertatem ac bonorum affluentiam natis, ſe propemodum ab alijs conculcari, ac ob rerum inædiam ſqualentes, alijs florentibus, contabeſcere. Quis hic ſalem, crudum mordentem, non defugiet? quis non horret ſui ſacrificium hoc acerbius, abſque omni mellis aſpergine, quo minus ad animi quietem tandem luctabundus cum cogitatione ſua, ac fortunæ iniquitate, peruadat?

[Plut. de Aud.] [Plut. An ſeni ger. Reip.] [Iſa. 28.]

8. Si condicionis iſtius afflictis hominibus aſylum aliquod, illud certè in Dei amore tantum reſpiciendum. amor verò iſte nullius rei fructus, aut flus. quam radicis humilis, & ob ſpeciem obſcuriorem, veluti morientis. *Quem docebit*, inquit Propheta, *ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, auulſos ab vberibus.* lac et vbera iuuenilium, vel potius infantilium deliciarum, eis adimenda, qui dei arcana percipere, vel diligere apud ſe conſtituerunt. Quid de Sancta *Demetriade*, ob amorem Dei virginitatem expetente ſcribat *S. Hieronimus*, audiamus. *Aiunt ſancta ac nobiles fæminæ, quæ eam viderunt, quæ norunt, quas de littore Galliarum ad habitationem ſanctarum ſororum, Oſtiam per Aphricam compulit ſæua tempeſtas, noctibus & ſecreto conſcijs tantum virginibus Dei, quæ in matris, & auiæ comitatu erant, numquam eam linteamine, numquam plumarum vſum mollitie, ſed ciliciolum in nuda humo habuiſſe pro ſtratu, iugibus faciem rigaſſe lacrimis, Saluatoris mente genibus aduolutam, vt ſuum reciperet propoſitū, vt impleret deſiderium, vt Auiæ animum, matriſque molliret.* Etenim vt ducet *S. Bonauentura*, orantem Deum, ad exemplum Dauidis, afflictio ſui plurimum promouet ad indulgentiam. *S. Epiphanius* inducebatur a *S. Hieronimo*, vt ſaltem ſanitatis cauſa *S. Paula* perſuaderet modicum vini vſum: at illa ita perſtitit in ſtudio mortificationis, vt reſpōderit *Epiphanius*: *Tantum profeci, vt penè perſuaſerit, ne vinum bibam.*

[Iſa. 28.] [Hieron. ad Demet.] [Bonau. l. de prof. Reli. Cap. 16.] [Hier. ep. Paulæ.]

Corpus vt impulſa ſegetes, aquilonibus horret,
Literaque articulo preſſa tremens labat.

[Ouid. Arid.]

Cæterum de iſtis poſtea fuſius. vt ergò ſuauiorem ad Deum habeant ciues receptum, ſimulque potentiores fiant, etiam imbecilles facti, ad obtinendum ab ipſo quæ poſtulant, ac in eo conſolationem inueniant, qui rebus aduerſis premuntur, eis adiumento erit mortificationis ſtudium. Plerumque non aliam ob cauſam aduerſa in homines immittit Deus, quam vt inde fracto in ipſis ſuperbiæ idolo, ante eius tribunal dimiſſi ac proſtrati iaceāt. non ergò iudicat ipſe vt alij iudicant, dū deformē corporis ſpeciē ſummā reputat pulcritudinē, animi humiliationē eiuſdē in ſuperna aſſultū. nobilius profectò coram Deo ſterni to puluere, quam inter ſtellas ſpaciari. illi *Paulus* cadens, *Saulo* equitante amabilior. delectatur magis peccatoris cilicio, quam cęli fulgoribus. vt vero diuinis oculis huiuſmodi ſpectaculum cordis contriti, iuxta

[1. Cor. 1.]

ac

ac animi doloroſi, obijciatur, colorem & artem miniſtrat mortificationis viola.

9 Et quidem nulla eſt pars, vel facultas naturæ, quæ iſto ſale non defricanda, quæ non fune iſto liganda, ac pondere deprimenda. Intellectus hanc vim admittit, dum ſe docilem hominibus, & eccleſiæ ſubiectum exbibet. voluntas eadem ſe perſtringendam lubens præbet, quando a delectationibus reſilit, curſum ad eas ſiſtit, & aliorſum diuertit, quam quo ab ingenio propendet. Phantaſiæ vaga ac lubrica deſultatio, quam ſibi, optimis intento, importunam fuiſſe plurimum doluit *S. Bernardus*, voluntatis quippe imperiũ defugiens hinc firmatur, & a multiplici volatu, quaſi ad ſudam, etiã plorãs, adducitur. Appetitus cõcupiſcibilis eiuſdẽ freno caſtigatus, imo abſynthio exacerbatur. Iraſcibilis quoque rigor illius virtute emollitur. Denique quinque corporis ſenſus certæ diſciplinæ norma conſtricti, non percipiunt ſemper quæ cuperent, ac id interdũ perferre coguntur, quod horrent. Seueritatis autem iſtius munus præcipuè in fuga ac diſceſſu a ſenſuum illecebris conſiſtit. unde *S. Iſidorus* mortificationem appellat ἀποταγήν, ſcilicet a rebus terreſtribus ſeceſſionem. *Cum enim procul*, inquit *S. Hieronymus*, *ab his remoti ſæpe capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus: quanto minus ſi circumdati retibus voluptatum, eſſe nos liberos arbitramur?* verum, ſiue hunc diſceſſum meditamur, ſiue perpeſſionis acerbitatem procuremus, utraque ad animi bonum, eiuſque motus ut diximus compeſcendos, referenda. *Quid enim prodeſt*, inquit *S. Hieronymus*, *tenuari abſtinentia corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbia? quã laudem merebimur de pallore ieiunii, ſi inuidia ſimus liuidi? quid virtutis habet vinum non bibere, & ira atque odio inebriari?* *Probabiliter* ait *S. Paulinus*, *ac ſcienter qui abſtinentiæ virtutẽ tenent, eo affligunt carnem ſuam, quo animi frangant ſuperbiam: ut quaſi de quodam faſtidio contemptu ſui, atque arrogantiæ, deſcendant ad implendam dei voluntatem; quæ maxime in humilitate perficitur. Idcirco a variis ciborum deſideriis mentem retrahunt, ut totam eius vim occupent in cupiditate virtutum.* Etenim, ut ſcribit *S. Iſidorus*, *ventri prorſus dominari, perturbationibus animi dominari eſt.*

Etenim licet Indica longe
Tellus tua iura tremiſcat,
Et ſeruiat ultima Thule,
Tamen atras pellere curas,
Miſeraſque fugare querelas,
Non poſſe, potentia non eſt.

Bern. lib. de Int. dom. cap. 29.
Hieron. lib. 2. cont. Iou.
Hier. Ep. ad Cel. Amb. Serm. 33.
Paul. Ep. ad Cel. Cal. lat. cap. 10.
Iſid. lib. 1. Epiſt 70.
Boet. lib. 3. de Conſ. Met. 5.

CAPVT. XX.

Quis diſciplinæ rigor ſpectandus in doctis, Conſiliariis, magiſtratu fungentibus, ac Militibus.

QVisquis ſanè pura ac defecata mẽtis intelligentia in veritatem cupit intendere, quique errorum nubes diſcutere, eaque obſtacula diſpellere, quæ eiuſdem viſum intercipiũt, potẽs eſſe velit, is rigida adſcita diſciplina, ſenſuũque duro rigimine inſtituto, neq; aliter, utraque præſtiterit. Tria præſertum huic *Palladi* inimica: ſenſuum inſtabilis curſitatio, appetitus inquieta agitatio, & e lacunis voluptatum craſſior quædam ad mentis aciem euaporatio. quæ res commouit animum *Democriti* Philoſophi, teſte *Gellio*, ut oculos ſibi ſpõte erueret, quo habilior euaderet ad contemplandum rerum naturas: tametſi craſſè nimis ſententiam doctæ diſciplinæ perceperit, ac ſequutus fuerit.

Gel. lib. 10. cap. 17.

2 Neceſſe omnino vim intelligentiæ in ſe recolligi, ut acutius cernat profundiuſque ſpeculetur. quemadmodum enim radius ſolaris ad umbilicum ampullæ vitreæ aqua plenæ, redactus & alliſus, ſplendendo igneſcit, ita ingenij acumen ab alijs auocatum, ac totum in aliquid coniectum, ignea quadam virtute ad rerum penetralia fulminis flãmantis inſtar peruadit. Eo verò ſuo dominio quempiam pollere, quo intelligentiæ omnis neruus in vnũ aliquod defixus conferatur, cum eiuſdem propenſioni planè deſultoriæ id aduerſetur, tum neutiquam res eſt parui momẽti, neque exiguæ diciplinæ Supra ex *Platone* retulimus, moleſtius homini, mẽtis operæ ſedulo incumbere, quam gymnaſtica exercere: eo quod in illo labor a mente purè ſubeundus, omnem tædij cruciatum in eandẽ refundat. Primo itaque in hoc genere mens ſeuerius tractatur, quando dum contemplatur, ſemper in cauſas ac principia rerum ſerio reſpicere compellitur, ita ut ſtylus aut ſermo, inde profectus, nõ ſolum depingat ac dicat aliquid, ſed probet, confirmet, ac ſeriatim plurima deducat. deinde vis eius volanlis cohibetur, ne, quod cuperet, per capita rerum leuiter cicadæ more duntaxat diſcurrendo, ad formam illius Deæ, quæ ita ſeſe gradiendo agitabat, ut neque vel ariſtas ſegetum, impreſſo pondere plantarũ deprimeret, multa quidẽ concipiat, eaque diſcreta. nihil verò ex imo diſcutiat, neque in eodẽ diutius immoretur. hinc enim obfirmatur etiã noleos, ac inſtar vomeris ab aratore ſemel in glebæ viſcera immiſſi, neque inde reſultantis, vi quadam ſtabilitur, donec omniã vnius eiuſdemque argumenti momenta vndiquaque explorant. Poſtremò, ſi quid ad decorem, ornatumque rerum ſubſtantijs conſciſcendum, id omne elaborato extremoque ſtudio ac iudicio limatum, politum, illuſtratumque perficit intellectus, diſciplina directus. hæc autem requirũt in ſtudioſo auocationem a forenſi ſtrepitu, diſceſſum ex theatro iſto ſpectabilium vndique in ſenſus temerè impingentium.

Plat. dial. 7. de Rep.

3 Motus autem appetitus varij, multiplices, ac concitati, duplici modo, ni a ratione comprimantur, ingenij virtuti obſiſtunt. Principio, quemadmodũ in corpore dolor ex ulcere, crudo tumore, aut aliunde, animi cogitationem ad ſe indeſinenter cogit, & alijs ſubtrahit, ita appetitus turbulentia ex amore, odio, ſpe, ac timore propagata, intelligentiæ ſenſum omnem ad ſe compellit, ideoque nec permittit eam libere in alijs occupari. Quamobrẽ ſedandus iſte tumultus in appetitu, ut Muſis *Liber Pater* adſit, nempe libertas quædam, oppoſita ſeruituti, a perturbationibus animæ procuratæ, ingenij viribus dextrè inſeruiat. Deinde affectiones iſtæ in particularia ſemper deferuntur, cum animi

Virg. lib. 2. Georg.

pura contemplatio circa univerſalia verſetur. proinde ſicut adultus colludendo perpetuò cum puero mores pueriles induit, ſic mens ad ingenium affectionum circa ſingularia ac concreta, continenter intenta, in vim quandam ſenſus demigrat, adeoque inde quodammodo eralleſcit: idcirco ne hoc eueniat, comprimēdi, aut extirpandi illi furentes motus appetitus.

4 Senſuū quoque oblectamenta, rigore diſciplinæ propter eas ipſas cauſas reijciēda, propter quas appetitus corrigendus. quibus peculiaria quædam incommoda, utpote incontinentiæ, ac intemperantiæ adſcribenda. nam vel illos ſpiritus hæc vitia conficiunt, qui literis impendendi, aut caput vaporibus pinguibus obnubilant, ac eo vim intelligentiæ plurimum impediunt.

5 Hoc ipſum veteres *Pallađis Ægide* caput tectæ, armatæ, & in clypeo *Gorgonem* inſculptam oſtendentis, voluerūt ſignificare: nam ut in ea ſic deſcripta nihil blandum, ocioſum nihil, ſed horrificum omne, acre & excitatum apparet, ita in litterarum cultoribus nulla labes aut mollities inertiæ vel voluptatis ſpectāda, ſed omnia bellicoſa, aſpera & cum ſummo rigore diſciplinæ coniuncta.

Vir. Æn. 8. Homer 9. ſiad. 5. Plut. lib. de educan.

Ægidaque horrificum turbata Palladis arma,
Certatim ſquammis ſerpentum auroque polibant,
Connexoſque angues, ipſamque in pectore Diuæ
Gorgona, deſecto vertentem lumina collo.

Rarum vero fuit, rigorem hunc martium incunditatis cauſa aliquantiſper *Palladem* depoſuiſſe: eiuſque rei aſpectus alijs nociuus, ut cecinit Callimachus:

Callim od 5. Pro lib. 4 Eleg 10.

Magnam Tireſias aſpexit Pallada vates,
Fortia dum poſita Gorgone membra lauat.

6 Atque inter cæteras ſcientias, illa pars literarum, quæ oratoria continetur, nō penitus diſiuncta eſſe debet ab hac diſciplina. in hoc quidē negocio omnis immodeſta audacia, ac ſui venditatio depulſanda, cum verecundiam oratoris mereantur tot auditorum ſpontaneum ſilentiū & corona. nihilominus timor nimius, qui ſolet etiam in doctiſſimos irruere, hinc caſtigandus. *Cicero* de ſe affirmare ſolebat, quod in ipſis exordijs orationum palleſcere ac trepidare ſoleret. De alijs hæc *Seneca*: *Quibuſdam etiam conſtātiſsimis in conſpecta populi ſudor erumpit, non aliter quam fatigatis & æſtuantibus ſolet: quibuſdam tremunt genua dicturis: quorumdam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt.* quantum ad ruborem, adiungit, cum inueniri *magis quidem in iuuenibus. quibus & plus caloris eſt, & tenera frons.* verū iſtis paſſionibus diſciplina occurrendum: etenim ſi immodice ultra terminos modeſtiæ in oratore excreuerint, curſum orationis omnino impedient, animique impotentiam quamdam auditoribus manifeſtabunt.

Sen lib. de Tranquil.

7 Qui porro Principibus a Conſilijs, ij omnino hoc ipſo ſenſu rigiditatis afficiendi. etenim voluptatibus dediti, neque tempus, neque ingenij vires retinebunt, quæ in veri inueſtigationē conferant. proinde rerum inſcij, improuidi, ac veluti ſemiſomnes, negocijs ſtatus politicè tractandis intererūt. ut ergo in iſtis ſtudijs ſint accurati, peruigiles & excitati, eſt quod a ſe ablegent ocia ac delicias. horum etiam intereſt, animos ſemper lenes ac compoſitos oſtēdere, nūquam cōmotos, alicui paſſioni indulgentes, neque vnquam fiet, ut ipſi ſecretorum ſint tuta & inexpugnabilia receptacula, niſi naturæ in loquelam pronitatē, diſciplina in ſeipſis relligioſius reſtrinxerint. enimuero duræ prorſus leges tū ad animas, tū ad corpora ſpectantes, huiuſmodi inſtituri homines attingunt. *Væ tibi terra*, inquit *Eccleſiaſticus*, *cuius Rex puer eſt, & cuius Principes mane comedunt. Beata terra, cuius rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Ecc. cap. 10.

8 Magiſtratum autem gerentes, hac ipſa diſciplina penitus indurandi. ad hos ſpectat, non ſolum iuſtitiæ ac veritatis rationes mente adſequi ac complecti, verum etiam ex æquo bonoque illas exequi: ac proinde duplex cauſa ſe prodit, ob quas ſeuerius a ſeipſis tractandi atque inſtituendi. etenim haud tantum praua affectio notitiam impedit, errores menti obiectando, quinimo nonnumquam agnita veritate, & æquitate explorata, in tranſverſum adhuc compellit actionem voluntatis. ut ergò ſua priuata commoda vel etiam amicorum, publicæ utilitati magiſtratu fungentes, nunquā præferant, ſed cum *Metello* oculum filio erui volente, communis iuſtitiæ normam illæſam ac vigentē ſemper præſtent, omnino vigore quodam in ſeipſis affectus compeſcere debebunt. Quod cum illuſtrius in ſummis Pontificibus perpetuo conſtare oporteret, eam ob cauſam ad apicem dignitatis eleuati, recentia cognomina ſibi adſumunt, ſignificantes, ſe affinibus, carni, ſanguini, ac ſibi ipſis prorſus iam mortuos, nouam vitam ratione, ac diuinis tantum legibus conſtitutam auſpicari. Plu. in Ma.

9 Qui autem militiam profitentur, illi pariter tam quoad appetitum ſenſitiuum, quam quo ad corpora, maximo vitæ rigore coërcendi, ut ait *Liuius*. & quidē in ipſis animus illico flacceſceret, omniſque virilitatis robur in eis concideret, ſi voluptatibus, petulantia, ac ſocordia ſe deliniri, & emolliri paterentur. Porro ut militiæ aſpera incommoda ex victus parcimonia, excubiarum moleſtia, cæli ac aliorum elementorum inclementia, melius perferant, corporū, nedum animorum tantum, indigent dura quadam firmitudine. Proinde huius inſtituti diſciplina ab anima egreſſa ad corpus ipſum ſeuerius accurādū pertingit. quo miles, ut inquit *Liuius*, *Horridus debet eſſe non auro, argentoue celatus.* Principem ac ducē belli iſtius rei admonens, *Claudianus*, ita cecinit. Liu. dec. 5. lib. 4. Liu. dec. 1. lib. 9.

Non tibi deſidias molles, nec marcida luxu
Ocia, nec ſomnos genitor permiſit inertes. Claud. in Pan. 5. Hon.
Sed noua per duros inſtruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole vires.
Frigora ſæua pati, gravibus non cedere nimbis,
Æſtiuum tollerare iubar. tranſnare ſonoras
Torrentum furias, adſcenſu vincere montes,
Planiciem curſu, valles & concaua ſaltu.
Nec non in clypeo vigiles perducere noctes,
In galea portare niues. nunc ſpicula cornu
Tendere, nunc glandes baleari ſpargere funda.

Traiani pectus, plane martiū deſcribit. *Plinius*: Plin. in Pan. Traian.

veniet

veniet ergo tempus, quo poſteri viſere, viſendū tradere minoribus ſuis geſtiunt, quis ſudores tuos honeſtauit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ ſomnum ſaxa prætexerint: quod denique tectum magnus hoſpes impleuerit. Profligato in *Pharſalia Pompeio*, qui ab illa immani clade milites ſuperſtites per arentis Lybię arẽas palabundi, inter cæteras penuriæ ſpecies, ſiti planè intollerabili confecti, errabant. Accidit verò, a milite aquam undique conquirente, parum turbidæ licet, & è pulueribus ebullientis, repertam. qui cito greſſu occurrens galeæ ſuæ cauo, uti potuit, eam hauſit ac collegit: quam duce *Catone* munus dignum in illa extrema ſiti arbitratus, doni ac honoris cauſa eam illi obtulit. Cæterum ut ſuis exemplum daret *Cato* perferendæ ſitis, oblatorem corripuit primum, mox aquam effudit:

Luc. lib. 9.

——— Conſpecta eſt parua maligna
Vnda procul vena: quam vix e puluere miles
Suſtulit, & Galea conuexum infundit in orbem,
Porrexitque Duci: ſquallebant puluere fauces
Cunctorum, minimumque tenens dux ipſe liquoris
Inuidioſus erat. me ne inquit degener, vnum
Miles, in hac turba, vacuum virtute putaſti?
Vſque adeo mollis, primiſque caloribus impar
Sum viſus? quanta pœna tu dignior iſta,
Qui populo ſitiente bibas? ſic concitus ira
Excuſſit galeam, ſuffecitque omnibus vnda.

Sen. Ep. 103. ad Lucil.

Quoties aqua fuerat occaſio, nouiſſimus bibit, ut ait *Seneca*.

10 Ea certe militiæ pars, quæ naualis, præparatoriam hanc poſtulat præcipue vitæ duritiem. etenim marina itinera plerumque extenta cum ſint, maioribus frequentioribuſque aëris mutationibus obnoxia, niſi in omnem euentum rigor & auſteritas corpora vectorum obfirmauerint, Plurimum eiſdem obeſſe ſolent. Deſtituuntur porro eo loci eis ex terra elatis exhalationibus, quibus eorum vires confirmarentur: ut enim ex terra eiuſmodi corpora primū orta, ac vi nativæ concretionis terreſtria, ita ex eadem terra ſpiritu euaporato magna ex parte ſuſtentātur. quale beneficium in maris alto non invenitur. Ipſamet deinde navis plurimis incommodis vectores ſuos excipit, a quibus haud tuti fuerint, niſi prius voluptatum ac ocij delicias vitæ genere & conſuetudine a ſe abiecerint. non alia ſane ex cauſa *Hiſpanis* ac *Luſitanis*, ad nouas colonias per immenſos maris tractus in alienas terras deducendas, nauigantibus res feliciter ſuccedit, niſi quod corpora victus ariditate ſibi reddiderint duriora, haud facile inedia, aut aëris violentia ſubinde diſſoluēda. Contra vero ij, quorum corpora ex luxu molliora ac humidiora fuerint, tametſi inſulanorū, & ad negocia nautica a natura factorum, ſtatim nihilominus ac per maris ſpacia delati, lautitia illa & popina domeſtica priuantur, corrumpuntur in eis miſere corporum vires: quibus ut corpora ſenſim contabeſcunt, ita animi, quorum operationes ab eis dependent, paulatim marceſcunt. unde interdum vel cum dedecore totius Gentis, pauci ſuperſtites ad nihil aliud valent, quam ut ſuorum miſerias ac mortalitates, in patriā reuerſi, vocibus tragicis renunciant. Enimuero, planè ridiculum, videre, delicatos, comatos, ac lacteos iuuenes, plenos calido ſanguine ex recentibus conuiuijs, naues conſcendere ad longiora hæc per vaſta maris ſpacia, itinera conficienda. cum enim patrio æſtu ex copia ciborum, *Sibaritarum* ritu, incaluerint, in futurum proſpicere ob ingenij & experentiæ defectum non poſſint, ſpe victoriarum dementari, omnia planè, uniuerſum ipſum mundum vel uno halitu ſe diſperſuros, Neptuno ipſi tridentem imaginario trophæo cum imperio, erepturos, ſibi pollicentur. Turba hęc quæ domi hoc modo, quaſi in *Seplaſia*, *Capuæ* foro, inter vnguenta marceſſendo ſtulteſcit, foras enauigans perit: non aliter fortis quam in necem ſuam, quam in dedecus ſuum. Hæc quæ de militari diſciplina definiuimus, præcipue ſpectanda in imperatoribus belli, qui aliorum reſpectu virtutum exemplaria iuxta ac ad eas inſtigatores acerrimi. *Neque enim poteſt*, inquit *Cicero*, *exercitum is continere Imperator, qui ſeipſum non continet: neque ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros iudices non vult.* Non excurrit in licentiam virtus imperatoria, quin imo ſuis ſepimentis incluſa, definito rationis gyro continetur, eiuſdemque præceptis acrius regitur & coërcetur.

Val. Max. lib. 9. Cic. cont. Rull.

Cic. Or. pro lege Manil.

11 Ex iſtis conſtat, quam utilis, adeoque neceſſaria in omni ſtatu tam animi, quam corporis, mortificatio: qua illud imperium comparatur, quo homo ſibi ipſi dominatur, valentiorque inde redditur, unde poſtea externa etiam ſibi opportunius acquirat.

Imperat bene ventis, tumidæ non imperat iræ?
Poſſidet & vitiis regna minora ſuis.

Oui. Ep. CL

Appoſite idcirco antiqui eum virum ciuilem dixere, qui animi affectus caſtigarat, & ab omni exceſſu abiecerat. Etenim nulla eſt barbariei ſpecies, qua vel hominis intellectus obſcuratur, vel voluntas eius efferatur, qua corpus exſcinditur, quæ ab affectionum extrema turbulentia non proficatur. Vana idcirco ea ſchola, impia ea credulitas, quæ perturbationibus iſtis ac delicijs applaudit, gratificatur, quæ fomenta ciuium libidinibus indies ſuppeditat, in immenſum erūpere in eis luxum, ac laſciuire impunè permittit. Ea potius inſtitutio ciuilis ac diuina habenda, quæ inſtar fræni cohibet, ad modum ſalis mordet, tanquam myrrha exedens, a corruptione vēdicat. Ciuilis idcirco *Theodoſius*, de quo *Pacianus*: *Aulam omnem Spartianis Gymnaſiis duram, laboris, patientia, frugalitatis exemplis abundantem reddidit. Nemo inueniri potuit, qui auderet ad penu regium flagitare remotorum littorum piſcem, peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem.* Imo ut pectoris ſecreta incognita aliis ſeruentur, utque ſignificationū ſtrategemmata, ſiue prudenter, ſiue fraudulenter inſtructa, ad effectū pertingant, ut iam dicemus, hoc imperium in paſſionum compreſſione verſatum, a ciuibus omnino comparandum ſuadent ac requirunt.

Suet. in Aug.

Pac. Paneg. Theod. Vir. Æne. 7 & 9.

CAPVT. XXI.

Quam ſit utilis affectionum, ac ſermonis caſtigatio cum prudentiæ conſiliis, tum fraudulentiæ machinamentis.

EA eſt inter cætera, ex cordium ſecretis, cogitationum, intentionumque arcanis, in homine dignitas cundicionis, ut nullius vel Angeli ſeu Dæmonis, cognitioni ea pateant: ſiue hoc accidat ex eo, quod obiecti intelligibilis rationem, Angelis ac dæmonibus peruiam excedant, ſiue aliunde ex dei prouidentia, ipſis ſpecies intelligibiles negante, aut concurrere nolente cum eis generali ſuo concurſu ad huiuſmodi rerum intellectiones, proueniat. verumtamen, licet hoc penetrali ſui pectoris homo gaudeat, & ex eo quaſi a Natura tectus & armatus plurimum voluptate afficiatur, quippe hinc quodámodo nulli ſubiectus alijs dominans, & veluti arx inexpugnabilis exiſtat, nihilominus illo aliquando vel inuito, quædam in corpore, ut pote effectus, ac ſigna internarum affectiunum erumpunt, in quibus ad aliorũ viſum, quaſi characteribus, deſcribũtur. *Cognoſcitur enim cogitatio interdum*, ait *S. Thomas*, *non ſolum per actum exteriorem, ſed etiam per immutationem vultus. Et etiam medici aliquas affectiones animi per pulſum cognoſcere poſſunt, & multo magis Angeli, vel etiam dæmones, quanto ſubtilius huiuſmodi immutationes occultas corporales perpẽdunt*: quod etiam auctoritate S. *Auguſtini* S. Doctor cõfirmat. Natura itaque ex dei munere hoc ſecretum inſtituit, neque ullus eſt hominum, qui non velit eſſe alijs hoc pacto inacceſſus omnino, & eorum oculis vel animis inſcrutabilis. ſi enim aliter fieret, paſſim obuij euaderent ciues aliorũ maleuolentiæ, & caſſi omni effectu deſiderato, inaniter apud ſe multa conſtituerent. verumtamen quod homo naturæ vi animal ſit ſociabile, inde ratione corporis ſic comparatur, ut alijs ſua deſideria, amores & odia cognoſcenda ultro proponat. *Oculi* inquit *Cicero nimis arguti, quemadmodum affecti ſumus, loquuntur: & is qui appellatur vultus, qui in nullo animante eſſe præter hominem poteſt, indicat mores.* ad quod ex duobus fit homo inclinatior. primò, ex motu in appetitu ſenſitiuo maiori, deinde ex ipſa diſpoſitione corporea ad hoc aptiori. Motus quidem vehementiores in appetitu, ex imaginatione boni aut mali ſenſibilis proficiſcuntur. imaginatio verò principium eſt motus localis in corpore: eius enim apprehenſiones concitant ſpiritus vitales, eos aut retrahendo, vel foras mittendo: ex quorum agitatione oriuntur certæ in corporibus appetitionum aut fugarum, ſeu odij notæ, quæ ſpectatoribus repreſentent quid ſecretius & intus ab animo expreſſum fuerit. quædam etiã corpora alijs magis idonea ad ſuſcipiendã hanc ab imaginatione impreſſionem, vi cuius immutẽtur. ut pote molliora, magiſque fluida. ob quam cauſam, fæminæ non tantum acriori vi perturbationum incitantur, propter defectum in illis rationis, quam homines, ſed etiam earum corpora citius mouentur, ac in colores palloris, ruboris, vultus contractioris, vel deductioris figuras, promptius cõponuntur. ac in univerſum, in nulla corporis parte affectus ita comparent, atque in oculis, propter eorum teneritudines a ſpiritibus admodum permutabiles, ut *Plato, Plinius, Plutarchus* & alij obſeruarunt. qui ſi prominentes fuerint, difficilius tunc falſas exprimũt repreſentationes vel diſſimulationes, quæ non percipiantur, ac facilius ab imaginatione transformantur & imbuuntur eis formis, quæ latentibus in appetitu affectibus apertius ac vere reſpondent. contrà, quorum pupillæ in cauo latitant, ſetoſis palpebris obtectæ, ac paruæ ſunt, melius diſpoſitæ ad ſuſcipiendum temperiem, quam ratio iuſſerit: neque ita manifeſtè alijs apparet earum quæ fit tranſmutatio: paratiores proinde ad fraudes, ac ſecretis velamina pretexendum. Melius proinde ad haſce formas diſſimulatas exprimendum comparantur, qui complexione fuſci, ac vultu contorti, quam qui claro & explicato: cũ enim illæ notæ coniunctæ ſint cum quadam vi adſcititia, ſtatim in eiuſmodi claris & explicatis deprehenduntur: in fuſcis autem & contortis, quaſi fraudum latebris ac domicilijs, non eadem facilitate.

S.Th. 1. Pte. q 57 art 4.

Aug. lib. de diuin. Dæm. cap. 5.

Cic. lib. 1. de leg.

Pla. in Pho. Plut. lib. 5. Hyp. Pli. lib. 11. cap 36. Giſſ in cap. 7. can. vet. 4.

2 Cæterum naturæ inſtinctu difficile, id vultu ac corporis filo non eloqui quodámodo, quod in voluntate & appetitu ſenſitiuo gliſcit aut ardet. difficilius verò, contrariorum ſignificationes in eiſdem exhibere: ita ut illo ipſo momento oculus & os rideant, quo cor intus dolet, iraſcitur, timet vel lamentatur. quamobrem ut ea repreſentatio foras non emittatur, quæ genuinè internis animi conſilijs congruit, aut ut interius in animo actis, oppoſita indicia in vultu proferantur, id uno ex duobus modis, nec aliter ferme perficitur. ſcilicet, aut iſtius affectus in appetitu ſenſitiuo ex imperio rationis ſedatione, vel excitatione alterius, qui illũ euincat, ſubindeque ſui vexillũ in corpore, eo profligato, victrix oſtendat. quam primũ enim paſſio animi à turbulentia moderationi ſubijcitur, illico in vultu ac corporis geſtu propemodum extinguẽtur priores illæ ſpecies ac formæ, quæ, ea flagrante, pariter vitam in corporeo organo ſpirare videbãtur. quando ſimiliter paſſio contraria, vel diſcreta, quæ etiam potentiur, excitatur, ſtatim illius figuræ in oculis ac vultu ſeſe produnt, alijs veluti fugatis ac deletis, quæ propriæ præexiſtentis erant. atque iſtis modis interius concepta ac conſtituta alios latere, ac diſſimulari ſolent: neque in vultu, aut corpore deſcripta ab eis tam expeditè legi poſſunt. ut enim quantitas binas figuras in ſe pariter non admittit, ſed hæc impreſſa, alteram expellit, ita neque vultus humanus diuerſorum in appetitu motuũ diſcretas imagines pariter ſuſcipit, ſed hac ſemel inſidente, alia recedit. Imagines autem iſtæ triplices: quædam naturales, aliæ ex arte violenter ortæ, aliæ mixtæ. priores naturæ opere a motibus animi ad vultum deueniunt: propriæ a proprijs. Poſteriores dimanant a mera imaginatione & voluntate diſſimulantis, abſque debita paſſione eam intus requirente. poſtremæ vna parte natu-

naturales: quatenus ſempe alicui paſſioni, vti cauſæ, congruũt: aliæ violentæ: in quantum ſcilicet repugnant alteri paſſioni, quæ coniungitur cum illa, quæ cauſa ipſius, vt poſtea oſtendetur.

Papin l. 1. Achil Ouid. Metamo. l. 2.

——————*hic ficto riſit Thetis anxia vultu.*
Heu quam difficile, eſt, crimen non prodere vultu?

Eminuero ex commoto animo veluti excurrunt quædam commotionis indicia ad vultum ac corporeos artus: nam ita animæ facultates harmonia quadam inter ſe componuntur, vt ad vnius operationem alia munus ſuum explere geſtiat, ac eo

Pap. l. 1. Achil.

Nec latet hauſtus amor, ſed fax librata medullis
In vultus, atque ora redit, lucemque genarum
Fingit, & impulſum tenui ſudore pererrat.
Lactea Maſſageta veluti cum pocula fuſcant
Sanguine Puniceo, vel ebur corrumpitur oſtro:
Sic varijs manifeſta notis, palletque, rubetque.

3. Atque non ſolum iſtis characteribus cupit natura patefacere alijs, quæ intus in illa peraguntur, ſed hoc præſtando, eleuat in ſe aliquando gradum mali, & quadam dulcedine inde refici videtur: dulce enim dolere ac flere, mœſtitudiniſque ſpeciem, cum malum increuerit, adſciſcere: proinde ad hoc præſtandum quaſi allecta natura, pronior reperitur: amor enim & voluptas per omnes affectus humani appetitus, ac eorum effectus ſponte admiſſos, comeant, ac illis immiſcentur.

Greg Nazianz. Orat. 1. Apol.

Ouid. ad Liuiam

O nimium fælix, nimium crudelis, & expers
Imperij Fortuna tui, qui dicere legem
Fletibus, aut fines audes cenſere dolendi!
Incitat heu planctus. potius fugientia ripas
Flumina deuincas, rapidis aut ignibus obſtes,
Quam miſeris lugere vetes.

Senec Aga.

Licet ipſa ſileas, totus in vultu eſt dolor.

3. Nihilominus multoties e re Ciuili fuerit, motus iſtos interius comprimendo, eorum effectus in vultu & corpore aut penitus expungere, & impedire, vel obducto oppoſiti velo, diſſimulare; nec ſemper maris immanes fluctus imitemur, etiam in damnum noſtrum, ſimplicis naturæ ductui obſequuti.

Lucan. l. 5.

Turbida teſtantur conceptos æquora ventos.

Elian. l. 4.

Si Pantheris adſit ingeniũ, ad vultus ſui toruitates dimiſſis capitibus abſcondẽdas, vt ſcribit *Elianus*, ne alijs odio ſint, vel horrori, cur homini ars deneganda celandi alios ſua, vel artificiũ fucandi, vbi iuſta cauſa inſtitent? *Antigone* cũ ſepeliſſet ſuis manibus fratrem *Polynicem* contra Regis *Creontis* edictum, ad ſepulchrum eius lacrymado ſe perdidit, ac tumuli conditricem prodidit: inde enim delata ac iudicata, in ſepulchrum fratris etiam viua cõpingebatur. *Ira etiã prodita perdit vindictæ locum.* quemadmodum enim cadente Sole augeſcunt rerum, vmbræ, lumina verò earum abſconduntur, ita in anima, vi diſciplinæ ac in ſe dominij, paſſione dimiſſa, in corpore omnis color, & ſi quid ſit turbidi, emoriuntur. quod ſi non fiat, duplicia dedecora inde conſtabunt, vnum quo anima dehoneſtetur, aliud quo corpus deformetur. ideo *S. Criſoſtomus* comparat iracundos, & ab alijs paſſionibus occupatos, obſeſſis à Dæmone, quod ſpecie externa cuiuſdam Dæmonis referant deformitates. vt ergò nihil perturbati ac diſtorti in ciue appareat, vtilis ex virtute poteſtas quædam ad animæ motus componendũ quo tanquam in tranquillo fiat ab ipſo nauigatio, ſerenoque in cælo pulchra actionis repræſentatio in aliorum oculis efflореſcat. Atque in multis negocijs ciuilibus peragendis, vt *Theognes* admonuit, prudentis erit, alijs ſe quãdoque accommodare, & imitari *Polypum*, qui illum colorem exhibet, quali petra, cui adhæreſcit, imbuitur. quod ſine hoc ſtudio fieri nequit.

Sophoc. Antigon.

Senec. l. 1. de Ira cap. 1.

Criſoſt. Homil. quod. Nem. læd.

Theog ſen. Eleg.

5. Cæterũ verò operoſius, illius affectus argumẽta loquẽdu, agẽdo, aſpiciẽdoque demonſtrare, qui reuera non eſt in animo, ſed ſolum emotius, falſatuſque. Hoc autem perficitur duobus modis. primò, ſola ipſius corporis aut vultus geſtu, compoſitione, vel ſermonis ſchemate voluntarijs, nulla paſſione ad id animum extimulante. ſecundò, quando hæc indicia externa proueniunt ab aliquo ingenti affectu alterum concomitante: vt poto contingit in illo, qui ex magna cupiditate beneficij, aut timore damni, interim odio flagrans, adulando foris oſtendit verba ac notas amicitiæ. prior ille omnino violentus, à natura ipſa facilè detegitur, ac falſitatis redarguitor: alter verò gradum ſequens ſui motus, propius accedit ad ingeniũ naturæ, ac proinde magis comparatus, vt pote mixtus, ad alios decipiendum. Cuius vis in eo ſpectanda, in quo illa affectio, a qua externa diſſimulatio dimanat, ex cuius momento grauior fuerit vel remiſſior: nam hinc ſincerior habebitur, vel fucatior.

Tibul. l. 3. Eleg. 7.

Difficile eſt triſti fingere mente iocum;
Nec bene mendaci riſus componitur ore;
Nec bene ſollicitis ebria verba ſonant.

Verumtamen in hoc negocio expeditius erit, illa ſigna effingere, quæ fælicius fallant, quando nulla omnino in animo paſſio incitatior ad id adigit, quam quando ea intus viget, quæ eiuſmodi ſignis prorſus aduerſaria: verum quomodocumque fiat hæc deceptio & illuſio, non niſi a dominio quodam in affectiones animi perficitur. quod dominium eis valde obtutũ, qui ſeruili ingenio, qui rebus aduerſis fracti, quique indigentia conflictati, hac arte deceptrice ſibi victum parare ſoliti. *Mederari* inquit *Cicero, animo & orationi, quum ſis iratus, aut etiam tacere & tenere in tua poteſtate motum animi, & colorem, etſi non eſt perfectæ ſapientiæ, tamen eſt non mediocris ingenij.*

Cicer. lib. 1. ep. ad Quint. fratr. ep. 1.

——————*mendaci celantur robore Achiui.*

Auſ. exiſt. vliſſ. ad Pe.

6. At nihil hoc in genere mirabilius efficitur quam quòd lacrimæ ipſæ vbertim præſilientes, dolores ac triſtitias præ ſe ferentes, maximorũ gaudiorum interim ſint inuolucra. Notant aliqui, apud Hebræos idem verbum oculum ſignificare, ac fontem: ex eo nempe, quod, vt ipſi interpretantur, oculi fontes ſint, ex quibus omnes animi adfectus ad alios fluunt. Egò verò potius fontes dici autumo, quod naturæ ſint aqueæ, ſeu criſtallinæ, quodque lacrimarum origines: nam adfectus non manant ab oculis, ſed eorum duntaxat effectus ac ſigna in illis patentius cernuntur; quæ in ſe promp-

Giſlier in cap. 7 cant. ver. 4.

cultus, qui aquilinis pennis ad altum veritatis ſublimantur.

10. Atque ex iſtis, quæ diſputauimus, ſatis liquet, non naturæ ſolius placido curſu, non rerum externarum iucunditate, non ſelicium acceſſo, non ad voluntatem proſpero ſucceſſu ciuile decus cōparari, ſed potius rigore aduerſantis diſciplinæ, cuius proinde rationem præcipuè ſecum ducere debent prudentes Ciuitatum moderatores, morumque ductores, ac doctores. Verum quod omnis in affectibus inciuilis intemperies a ſui amore oriatur, idcirco de illo aliqua differenda videantur.

CAPVT. XXII.

Qualis ſit vis ac poteſtas ad animi mores, geſtaque corporis, ſui met Amoris.

AMor ſui in vniuerſum ſumptus, tam illum complectitur, qui appetitus concupiſcibilis, quā qui voluntatis ipſius actus. ille quidē ab iſto diſtinguitur dupliciter: primo ratione ſubiecti: deinde qualitate obiecti. ſui Amor, qui appetitus cōcupiſcibilis operatio eſt, cōiungitur cū quadā violēta corporis immutatione, ſicut & cæteræ paſſiones: quæ immutatio cum amore ſui expreſſo a voluntate, non connectitur: quòad obiectum, amor ſui, qui eſt appetitus ſenſitiui munus, verſatur tantum circa bonum ſenſibile ex eius imaginatione: amor verò ſui, quia voluntate elicitur, reſpicit obiectū generalius, nempe quodlibet bonum, a quo cupiens vtcumque perfici poterit: ſiue id bonum fuerit rationis, ſiue ſenſus. Nos modò de vtroque promiſcuè diſputabimus, præcipue tamen de ſui amore, qui a voluntate dimanat.

Halenſis 2 part. q 107 art. 2. mem.

Ariſt. ethic. l. 9. cap 8

2. Qui quidem ſui amor, ex communi notione, admiſſa a Philoſophis ac Theologis, ſumitur pro amore culpabili, oppoſitoque ſui amori honeſto; ſcilicet amori, quo bona expetuntur, rationi ac virtuti, cum omnibus circumſtantijs, conſentientia. qualis ſui Amor eſt, qui ex obiecto, fine vel circumſtantijs vitioſus, operanti ſemper, alijs plerumque detrimentum culpę vel damni iniuſti adferens. is itaq; cuius ſui amore vituperabilis redditur, qui ſibi bona proponit cōparāda, quæ reuera bona non ſunt, ſed obiecta potius vitiorum: aut illo modo bona proſequitur, quo non oportet: ſimpliciter verò ſeipſum amare in quouis gradu, quantum ad bonum licitum, non eſt culpabile: hic enim amor eſt a natura ipſa inſtitutus, ac charitate, vt docet *S. Thomas*. ea de cauſa malitia amoris ſui, ſpectanda ex qualitate ac conditione eorum, quæ amantur ac deſiderantur: iuxta ac effectu & circumſtantijs eiuſdem amoris; non ex mera perſona amantis. qui ergò ex nimio ſui amore, quantum ad exceſſum, reſpectu perſonæ amatæ, offendit, non id facit præciſè quia in tali gradu ſuam perſonam amat, ſed quia eum gradū ſibi conſtituit, qui impedimētū alterius amoris poſiti tunc in præcepto: quo pacto, ſibi tunc vitam optans ſummo affectu, quādo liberationem patriæ, morte obita, procurare potius deberet, inique ac perperam ſeipſum amaret: non quidem ratione perſonæ, vel obiecti, ſed ratione extrinſeci euentus: proinde talis ſui amor, quod prudētiæ repugnans, in vitium omnino incideret. Propter hanc cauſam Plato affirmat, ſui amatores ſolidè ac verè ſeipſos non diligere, neque eum honorem animabus ſuis habere, qui illis poſt Deum & intelligentias ſeu genios, ſummo iure debetur. *Qui voluptatibus indulget, animam ſuam non honorat, deijcit enim ipſam, cum malis & pœnitudine repleat. Neque etiam tunc honorat, quando labores lege laudatos, metuſque ac dolores ferendos non ſuſcipit, ſed cedit, atque ſuccumbit. Hæc enim agens omnia, animam ſuam dedecorat. Sed nec quando hanc vitam, ſummum bonum cenſet: imo etiam tunc vituperat. Reuera nimius in ſeipſum amor, omnium peccatorum omnibus ſemper eſt cauſa. occæcatur quippe circa amatum, qui amat. quapropter qui ſe amat, cum ſeipſum magis quam virtutem honorandum putet, quod iuſtum, bonum, pulchrum ſit, male indicat. Docet ſane eum qui magnus vir futurus eſt, neque ſeipſum, neque ſua diligere, ſed iuſta ſemper, ſiue a ſeipſo, ſiue ab alio quouis, gerantur. Enimuero amor ſui auctor ignorantiæ, & tyrannidis: non enim ſine aliorum iniurijs ſuſtentari poteſt; quippe furioſum quid, vorago cæca, & inſatiabilis.*

S. Thom. 1. part. q. 60. art. 4.

Plato lib. 5. de legibus.

Auguſt ep. 52.

Cicero amorem ſui originem appellat virtutis, *Fieri autem non poſſet, vt homines aliquid appeterent, niſi ſenſum haberent ſui, eoque ſe, ac ſua diligerent ex quo intelligi debet, principium ductum eſſe ſe diligendo. Ariſtoteles* quoque duos aſſignat amores ſui: vnum ex virtute, alterum ex voluptate. Amantem ſui ex virtute ita diſpoſitum ait, vt libenter bona externa relinqueret, quorum cupiditate tenetur, ſi commune bonū id poſtulauerit: ſui autē amātem ex voluptate, id nolle facere aſſerit. vnde concludis, eos ſinceros ſui amatores, qui virtutis cauſa aſpera cupiunt, nec ſui amantes abſolute nominandos, ſed potius virtutis, Dei, vel aliorum contendit amantes. Idcirco oppoſitionem quandam conſtituit inter amorem ſui, ac amorem ciuilem: quod amor ſui non innitatur prudentiæ, ſed calliditati; cum amor ciuilis prudentiam ſequatur: quodque ex illo amore operantes non prudentes appellandi, ſed *Polypragmones*: ex iſto agentes prudentes omnino cenſendi. *Prauus*, inquit, *cum nihil in ſe habeat amabile, neque erga ſeipſum amore affectus videtur.* Itē, vt S. Doctor definit, ex errore & peruerſo affectu omnia peragit in ſui amorem: nam non bonum rationis in ſe, principale eſſe arbitratur, ſed bonum ſenſus: proinde hinc agens, damno ſe afficit, in dedecus illius, quod in ipſo principale. ac proinde ſe reuera & abſolutè non diligit. Neque ſolum ex errore practico ſui amor oritur, ſed etiam erroris vlterioris cauſa vt notat *Plutarchus*. vi namque beneuolentiæ, qua quis ſeipſum proſequitur; delectatur adulatoribus, & eorum falſis laudibus ſe decipi iucundiſſimè patitur. & talis ita a ſe & alijs illuſus, facilè etiam ſocios in fraudem adiget, vt animaduertit idem

Cicer. l. 3. de Fin.

S. Thom. 2. 2. q 26 art. 4.

Ariſtot. l. 9. ethic. cap 8.

lib. 6 cap. 12.

Ariſt l. 6. pol. cap. 8.

Iauel. in l. 5. ethic. Tract. 2.

Ariſt. l 9. Mor. cap. 6.

S. Thom. 2. 2. q 25. art 7.

Plutar. l. de diſt. Amici & Adulat.

Ariſtoteles

Ariſtoteles, quod illos tanquam ſeipſum diligat. qui ergò virtute prædirus, is verè ac propriè ſe amat, vt *S. Thomas* probat: cum ſeipſum amare nihil ſit aliud, quam bonum & perfectionem propriam appetere. qui autem vitioſus, licet vulgò ſui amator dicatur, nihilominus, *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Si amas iniquitatem* inquit *S. Auguſtinus*, *non diligis te.* quemadmodum enim quædam mulierum, ratione morbi, eo interdum deueniunt, vt vi amoris ſui adactæ, vehementer appetant ſenſus in ipſis gratificari, cum magno licet corporum damno, lutum ſcilicet, cinerea, carbones, ac ſimilia comedentes; ita vitioſus ſui amor, quod ad mores, quo voluptuoſa ſcelera ab aliquo ſunt in votis, prodit ex animi morbo, ἐν τῆς ἀκρασίας, ſeu eiuſdem intemperie, quandoquidem animi bono, flori nempe ac robori aduerſentur, quorum capitur deſiderio: proinde minimè genuinus ſui amor, ſed fictieius tantum ac deceptor, qualis, quantum ad corpus, reperiri etiam poterit in parricidio, quo quis ad fugiendum aliquod malum, proprijs manibus ſibi vitam funeſtat. Deſcripta iam cum ſit natura amoris ſui, quem ducimus vituperabilem, eius vim ac poteſtatem modò examinabimus.

S.Thom. 7. part. q. 60. art.4.
Pſalm 10.
Auguſtin, ſermo 4. de verb. dom.

3. Amor itaque protopaſſio inter affectus appetitus concupiſcibilis, non ſolum naturæ ordine primus, verum eiuſdem inſtitutione imperator aliorum reſpectu: quibus non modò imperat eos excitando, vel ſedando, ſed inſuper aliquid ſui eis communicat, ac præſtat, vt cum amemus, tum etiam amemus ſperare & audaces eſſe, vt amemus triſtari, ac dolere: *Amat pro coniuge luctam*: vt iraſci ac vindictam inferre amemus ardentiſſimè.

Halenſis 2. part. q. 156. art. 2.
Bernard lib de dig amo. diuin cap. 1.
Lucan. li. 9.

Nihil immune eſt, odiumque perit
Cum iuſſit amor: Vt denique miſereri amemus: *Caſus alienos* inquit *Cicero*, *ſine vllo dolore intuentibus, etiam ipſa miſericordia eſt iucunda.* Recenſet *Plato* ex *Orpheo*, amori commiſſas claues ſuperorum ac inferorum; quod homines eò ingenijs, affectionibus, ac Conſilijs tendant, quo amor iuſſerit. Hic ipſe amor adeo operatiuus ac præualens, ea ipſa eſt libido, quæ vt ſerpens triplici capite inſtructus, omnibus vitæ noſtræ partibus fraude, ac viribus inſidiatur. Sui amor carnis eſt libido in ſenſuum delectationes incitata. idem amor, libido oculorum, vt volunt *S. Auguſtinus*, *Beda venerabilis*, & *Halenſis* in ſcientiarum curioſitates feruida: Demum amor iſte, ſuperbia vitæ, tota in honores & ambitus incenſa: a quibus, veluti barbaricæ Babyloniæ ianuis, omnes ſpecies iniquitatum in ciuilitatis cultores hoſtiliter excurrunt. imo hæreſis ipſa furiata, ex hoc ipſo libidinoſo ſui amore dimanat, vt notat *Halenſis*, nam licet obiectum formale hæreſeos ſit falſitas, fidei veritati oppoſita, nihiloſecius, ſpectatus ab ea finis voluptas eſt aliqua, vel ſenſu vel mente deguſtanda.

Senec. Hypol Cicer lib 5. Epiſt. fam. Epiſt. 12
Plato dial. 10 de regn
Ficinus in Prohem.
Ioan. 2.
Auguſti. lib. 13 conf. cap 53. Beda in. Ioan. Halen, 2. part, 150, art. 7. M 3. q 107. art, 2, M, 2,

4. Et quidem amor iſte ſui magnam obtinet vim ad faſcinandum intellectum, ac illi errorem penitus ſuadendum: ad quod præſtandũ ſolerter, ſagaciter, ac ingenioſiſſime idem fraudulentus. Dici quidem ſolet, amorem eſſe cæcum, quod & in multis veram habet ſententiam. Etenim ſui amantes, ſeipſos nobiliores ac meliores quam ſint, indicant: aliorum commoda, vel etiam reipublicæ, nihili ducenda definiunt, cum de proprijs agitur, quibus ea poſtponenda contendunt. vim veri argumenti, improbantis illud, quod præpoſtere ab eis eligitur, non adſequitur in eiſdem ſui amor, potius falſa omnia, quæ priuatæ cupiditati contradicunt, æſtimauerit. *Scribunt ſeculi litera*, inquit *S. Hieronymus*, *Amantium cæca eſſe indicia.* Verumtamen in tenebris errorum idem amor inſtar ignis elucet & acriter ſcintillat: in perniciem amantis catellus licet, tamen leo, ac vulpes apparet; & in ipſa cœcitar mirum in modum *Argos* ac vigil ad agendume prodit. Quod amor iſte cœcutiat, poëtarum figmenta ſatis declarant, quibus commenti, illum rebus indignis, ac minutulis omnem ſuam vim ſtolidè interdum impendere: Quod *Gregorius Nazianzenus* obſeruauit. quo modo *Ecchus Narciſſum* miſerè deperijt: *Narciſſus* ſui formam in aquis apparentem inani amore proſequutus. Nihilominus, quod idem amor etiam in nugis ſerius, in nigris lucidus ſit, ex multis conſtat: eius enim arma, fraudes, ſimulationes, mendacia, periuria, cæteraque, quæ ſummo ingenio elaborata, ad fallendum efficiendumque potentiſſima. Propter quam cauſam, vt aduertit *S. Thomas*, amor a *S. Auguſtino* prudentia appellatur: quod intelligentiam acuat ad prudentiam, quodque rerum notitia illuſtretur. *Nulla manus illis, fiducia tota veneni eſt.* Cui amori, inter reliqua nocendi inſtrumenta, arcus, doloſum videlicet ſymbolum, inſeruit: ibi enim lethalis effectu arcus, vbi præſentia ſui non eſt ſpectabilis. Hoc eſt tunc maximè amor ſui alijs funeſtus, quando id nemo ſuſpicaretur. ob hanc cauſam veteres Amorem poſuere medium inter *Mercurium & Herculem*: ſcilicet, quod corporis viribus, ſimulque ſuadela ſermonis amor validiſſimus. atque cum hoc amori in vniuerſum congruat, tum maximè amori ſui, vt principali eius analogato. vnde conſequens, ſui amantes eſſe omnium malitioſiſſimos: nam ſicut vehementer ſe amant, ita ex damno magis adfliguntur, immaniuſque in eos feruntur, qui illud intulere, aut optatis reſtitere, vel reſiſtere poſſunt. quocirca malitia ac fraude inſtructi, in aliorum perniciem importuniſſimi. Neque eos quicquam a facinore retrahet humanitas: qui enim ſeipſos ſummè amant, hominem exuentes, neminem curant, aut vllo ſenſu ex aliorum calamitate tanguntur. læſis verò, affectus in appetitu iraſcibili, tanquam tondem *Hercules*, illico furioſe ad vindictam erumpunt, qui amorem tueantur, aut eius rabiem exequantur; vt rectè *Plato* philoſophatur. Quocirca *S. Iacobus* furores omnes irati impetus ad amoris concupiſcentiam reuocat. *Vnde bella & lites in vobis? Nonne hinc ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? concupiſcitis, & non habetis, occiditis & zelatis, & non poteſtis adipiſci, litigatis & belligeratis.*

Hieron. ad Pammach.
Greg. Naz. 1. epiſt.
Auguſt. de mor. Eccl.
S. Thom. 2.2 q. 47. art. 1.
Lucan. lib 8.
Plato dial. 9. de Repub
Iacob. 4.

Deinde

Deinde tam violentiam, quam fraudulentiam iſtius amoris taxans, ſubiungit: *Emundate manus, peccatores, & purificate corda, duplices animo.* manus, cor, & animus, ſui amori inſeruiunt, manus ad efficiendum, cor ad deſtinandum, & animus ad fallendum eius cauſa comparantur.

4 Cæterum mirum, quod hic idem amor meticuloſus pariter, eoque tam varius & multiplex. qui enim ſibiipſis plus iuſto indulgent, illimet accuratius declinant omnia mala, à quibus lædi poſſunt: exhorreſcunt plane ad adſpectum periculi, palleſcunt ac ſudant, neque mater circumſpectius infantuli ſui vitam contra aliorum viui tuetur, quam iſti carnem ſuam, ſi ſpinæ aliquot ſeſe oppoſuerunt. Inſuper hic iſte amor ſui audaciſſimus:

Senec. Hip.

——— *Nulla Minois leui*
Defuncta amore eſt, iungitur ſemper nefas.
Quis legem dat amantibus?
Maior lex amor eſt ſibi,

Boët. lib. 3. Me 12 Iuſt. lib. de faſci. Amoris Plat dial. 9. de Repub.

Vt canit *Boëtius*, & multa de hac re *Laurentius Iuſtinianus* recenſuit. *Plato* quoque obſeruauit, vulgo amorem Tyrannum vocari: eo quod maxima quæque ab iſto amore iubeantur, ſiue intelligentes, ſiue furentes illa homines perfecerint. non ergo amor recta progreditur ſolũ, dũ æſtuat in humano pectore, verũ illud quaquaverſum in obliquum diſtorquet, in oppoſita concitiſſimo impetu ſimul erumpendo. urit, refrigerat, impellit, retrahit, perſuadet, diſſuadet, audet, timet, vult, non vult: denique mirus artifex, omnium artium myſteria probè callet: tragicus, comicus, & ex his mixtus, cuncta peragit. Quemadmodum ſagittarius pro ſua voluntate magno cũ diſcrimine ſagittas emittit, ita amor ſui, cui tanquam tela aliæ paſſiones inſeruiunt, illas diuerſimodè vibrat, & variorum animalium mores, eiſdem uſus, in vno homine effingit. Natura quidem ita inſtituit, ut vitæ dux eſſet amor: nam cum duo ſint obiecta humanæ voluntatis, bonum nempe ac malum, non decuit eam verſari præcipuè aut primo circa malum,

S. Thom. 1. 2 q. 25. ar. 1

ſiue odio habendum, ſiue deplorandum: Bonum idcirco, cuius cupiditas etiam prior, tanquam principale quid nobis obijcitur, in quod amor feratur, ac in quo, ſemel eo comparato, idem amor lætitia, delectatione, ac gaudio conquieſcat: malum vero ſolum eatenus defugit voluntas, quatenus amori expedit, ut in bonum inde felicius tendat, eiuſque poſſeſſione exhilarètur. ex quibus conſtat, quanti referat, hunc amorem, præſertim in amentem ipſum relatum, ratione ac virtute dirigere & inſtituere. Rectè *Zeno* apud *Ciceronem* dixit, *omnium perturbationum matrem eſſe immoderatam quandam intemperantiam.*

Cicer. lib 2 quæ. Acad.

CAPVT. XXIII.

De ſui Amore, ad inſtitutum Ciuile, moderando.

NIhil ſanè ciuilibus moribus infeſtius quam ſui amor, neque aliũde impetitur vitæ vniverſa Ciuilitas, quam ſui amore, fraudulenter blandiente, aut violenter inuadente. Cum enim Ciuilitatis munus eis virtutibus perficiatur, quæ ad alterum referuntur, ac commune multorum bonum reſpiciunt, quid illi vel fingi poterit magis contrarium, quá ciues in ſeipſos totos ſui amore recolligi, nulloque ductu humanitatis ad alios deriuari? habet enim hoc ſui amor, quod pectus, cuius hoſpes, in ferrum quodammodo rigeſcere faciat, omneſque in eo charitatis meatus obſtruat, ex quibus ad alios beneficia dimanarent. Non patria, non plurimorum ſalus, non afflictorum auxilia, non inſequentis ætatis emolumenta, ab illo ut decet, intelliguntur, qui animi oculum totum in ſeipſum defixerit: neu quicquam extra poſitum ab illo curabitur, qui ſe ſibi colendum tanquam idolum quoddam, omniumque ſuorum ſtudiorum finẽ, conſtituerit. Si quæ in iſto facies alios reſpexerit, ea torua eſt inſtar Gorgonis, horrenda ac crudelis. vel ſi blanda compoſitaque ad riſum videatur, ſub forma ſyrenis furiam tunc tegit ad nocendum, ad perdendum paratiſſimam. fingit *Heſiodus* ad ſententiam prorſus Philoſophiæ, *Pandoram*, igni humanis corporibus a *Prometheo* inſerto alium omnino oppoſitum eiſdem indidiſſe, quo illius cæleſtis præclaros effectus nempe ſapientiam, pietatemque, ignorantia, ac impietate ſuperaret:

Heſid. lib. Dies & op.

ita certe ſui amor ille eſt noſtro generi inimicus *Pandoræ* ignis, qui in nobis ardens, alios ignes virtutum ac bonæ indolis opprimere, adeoque a Ciuilitate ad barbariem nos reuocare molitur. & quis vel hominis nomine dignus, qui nollet hunc barbaricum *Pandoræ* ignem, impurum ſcilicet ac ſceleſtum, exterminare, ne eo combuſtus, ac denigratus, in cineres deſinat omnium planè vitiorum? ferunt, Romanas mulieres dum rogos, mortuorum ſuorum infantium corpora cremantes, intuerentur, ſæpe præ teneritudine, ac magnitudine amoris, qua lacrymis, qua expreſſo lacte ex uberum compreſſionibus, conatas, illos funeſtos ignes extinguere.

——— *Madidumque cecidit*
Pectus, & ardentes reſtinxit lacte fauillas.

Stat in ep. Phal. li. 3 de Fabul. Nat.

Multo autem magis ciuem decet, ſui amoris immanem ignem, quo cum corpora, tum etiam animę deflagrant, caſtiſſimis lymphis ciuilis pietatis corrumpere ac deuaſtare. *Recta voluntas*, ut ait *S. Auguſtinus*, *bonus amor, & voluntas peruerſa, malus amor.* Præualente *Pandora*, vel *Orpheus* ipſe errabit.

Aug. lib. 14. ciu. cap. 7.

Boet lib. 3. Met. 12.

Orpheus Eurydicem ſuam
Vidit, perdidit, occidit.

2 Cum idcirco aliorum hominum amore ciuilitatis officia abſoluantur, tum opus, huic aduerſarium amorem, non ad alios exeuntem, ſed alios ad ſe, a quo conficiantur, compellentem, charitate ſupprimere. natura in mundi fabrica, huius rei liquidum ſymbolum dedit, in qua amor omnia ligat, ordineque pulcherrimo connectit: non quidem amor, quo hæc pars ſibi ſoli proſpicit, aut proficua eſt, ſed amor, qui alijs prouidet, vtilitati communi de ſuo exiſtit. Quo pacto terra non ſolum ſeipſam conſolidat, ſed etiam in ſe aquæ locum & receptaculum benignè præbet. ſimiliter aqua non tantum id quærit, vnde per terræ

canales inoffenſè decurrat, verum inſuper, vt eidem terræ nutrimentum, & ſuperiori aëri fomentum, continenter ſuppeditet. ita Ciues ut in unum cætum ordinatè coaleſcant, non tam reſpicere debent ex ſui amore priuata emolumenta, quam ex alio amore quæ ſociorum publica. Quod ſi natura in ipſis inanimatis ſui amorem aliorum amore moderatur, peruerſum fuerit, ſi homo permittat, aliorum amore deſerto, ſe ſui amore ad ſeipſum, veluti infamię ac barbariei cētrum penitus adigi inretirim ac cōpelli. Et quis demū exitus amoris ſui iſtis totus cōtinetur. principiò faciet, vt vnuſquiſque in ciuitate a ſocio animo ſit abalienato, ad ſeipſum ſolum receptus: mox præſtabit vt ingentia odia excitentur inter ciues, dum mutuo commodorum priuatorum impedimenta habentur. poſtremo, aut pugnas, vel diſceſſiones perpetuas ab inuicem barbaricè procurabit.

Ouid.l.2. de Remed.

Ad mala quisque animum referat ſua, ponet amorem:
Omnibus illa Deus pluſue minuſue dedit.

3. Sin etiam vel quietis dulcedinem tantum modo reſpiciamus a Ciuibus deſiderabilem, profectò ſui amorem in eis inde reprimendum omnino iudicabimus: eſt enim amor ſui, paſſio animi omnino tyrannica. Tyrannici, hoc eſt crudelis ac turbulenti imperij, expreſſa figura, vt docet *Plato*. Illo vigente, ſi quæ ſpecies impedimenti, vtpote prædonis vel pyratæ interuenerit, immanis timor ciuem protinus exanimabit: ſi quæ iniuria illata, ſtatim omnes *Megara* incenſæ tædæ, & angues eius animum vrent, & exedent. ſi commodi acquirendi alicuius præclara forma illuxerit, e veſtigiò deſiderij nerui vexabuntur, ſpes dilata, vel ſubducta adfliget. *Cupiditates*, inquit *Cicero*, *ſunt inſatiabiles, quæ non modò ſingulos homines, ſed vniuerſas familias euertunt, totam etiam labefactant ſæpe rempublicam. Ex cupiditatibus odia, diſſidia, diſcordia, ſediſiones, bella naſcuntur.* An non proinde ciuibus merito incumbit, hunc amorem diminuere, ac vt præſcribit ſapientia, ad quemdam modum reducere? Ciuis turbatus, & quaqua verſum iactatus, cui proderit, cum ſibi ipſi ſuimet amans moleſtus eſſe cœperit!

Plato. Dial. 9. De Repub & 10.

Cicer. l de Finibus

Lucret l. 5.

Ergo hominum genus in caſſum, fruſtraque laborat,
Semper, & in curis conſumit inanibus æuum.
Nimirum, quia non cognouit, quis ſit habendi
Finis, & omnino quo ad creſcat vera voluptas.
Idque minutatim vitam prouexit in altum,
Et belli magnos commouit funditus æſtus.

Prop lib.3. Eleg 6.

Ergo ſollicitæ tu cauſa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

4 Modò ſi ea expenderimus, quæ ſui amor comparanda ſibi proponit, animaduertemus, ad incitandum, ad exulcerandum ea eſſe ferociſſima: ſunt enim honos & voluptas. Qui autē honoribus ex ſui amore impenſius velificantur, quid non audebunt, quid non ſpirabunt, vel reipublicę quantumuis noxium ſeu capitale! hac parte incenſus olim *Cæſar*, pari non potuit *Pompeium* conciuē, aut iſte illum: vtriuſque ſociatim haud capax vrbis Romanus videbatur,

Lucan lib.1

Nec quemquam iam ferre poteſt, Cæſarue priorem,
Pompeiuſque parem. vterque
Acer & indomitus, quo ſpes quoque ira vocaſſet. Imo in *Cæſare* eò increuerat hoc malum ambitus ex ſui amore, vt profligato *Pompeio*, neque *Ptolomæum* in Aegipto Regem innoxium permittere potuerit; ſæuiente in illo hoc affectu ſine omni limite arenæ vel littoris: quod non oceanus ipſe quantumuis inſanus facit, quantumuis turbidus exæſtuauerit.

Lucan.l.9.

Non tuleram Magnum mecum Romana regentem,
Te Ptolomæe feram: fruſtra ciuilibus armis
Miſcuimus gentes, ſi qua eſt hoc orbe poteſtas
Altera, quam Cæſar.

Voluptatis, ab amore ſui profecta cupido, quāta vi ſit, nemo credo, ignorat, & maximarum Gentium ruinæ, qualis ſit, dilucidè, licet luctuoſè, conteſtantur. Auri ſacra fames, Deus bone quid in orbe præſtitit! *Qui pecunias amat* inquit *S. Chriſoſtomus*, *iraſcitur facile, maledicet, ſtultum appellabit, periurabit, neque veteris legis normam ſeruabit.*

Chriſoſt. Homil 86. in Ioan.

Lucan. l.7

Vſque adeo ſolus ferrum mortemque timere
Auri neſcit amor.
Impulit amentes, aurique cupidine cæcos
Ire ſuper gladios, ſupraque cadauera patrū,
Et cæſos calcare duces.
Si ſpoliare Deos, ignemque immittere templis;
Numina miſcebit caſtrenſi flamma moneta.

Lucan. l.6.

5. Quod ſi hæc ipſa flamma amoris ſui Principis pectus obtinuerit, in omnes tunc Tyrannidis impietatem inflectet: non enim alia tyrannidis origo, quam ſui amor, vt *Plato* aſſerit. unde enim aliter Ciues ſibi ſubiectos contemneret, eorūque bona omnia ad ſe transferret, niſi quia ſui amore dementatus, neminem præter ſeipſum curat, vel curādos arbitratur: Cumque honeſtis medijs ſui amor in illo ad finem exoptatum peruenire nequit, omnia ſui cauſa licita habebit.

Plato Dial. 9. de legib.

Senec. Hip

Nefaſque, quod non vlla tellus barbara
Commiſit vnquam: non vagus campis Geta,
Nec inhoſpitalis Taurus, aut ſparſus Scythes.

Hoc malum, poſteaquam ipſum Principem in ſeipſum mollem reddiderit, in alios horridum, ac marmaricum prorſus ſubinde exhibebit. apud quem ſic affectum, ſupplicationes, lacrymæ nullum locum inuenerint: iam enim ſibi ipſi omnia deuouit cum ſuorum vel extrema inædia ac paupertate in ſuos vſus conſumenda. Ac inter reliqua effecta a ſui amore in Principe, recenſetur timiditas, & ex ea inconſtantia. qui enim ſeipſum amat, is alios aut odit, aut negligit. cuius conſilij Princeps ipſe conſcius, putabit, a Ciuibus ſe pariter aut odio haberi, aut vilipendi: ac proinde ad omnem eorū motum pauidus ac tremulus conſiſtet. timore autem ſtatum animi in Principe concutiente, alia ipſius propoſita identidem nutabunt, perpetuo veluti in Euripo mutabuntur. vt enim lepus, animal timidiſſimum, teſte *Iſidoro*, ſæpius cubilia variat, ita Princeps timoribus obuius, continuò in omni actione vacillabit, neque vnquam firmus, aut ſibi ſimilis diu alijs apparebit. Proprium itaque Principis, ſicut in omni virtutū genere excellere, ita ſui amorem,

Iſidor. lib. 2. Epiſt. 41

vnde cuncta in ciuilitate vitia manant, accuratius exterminare: Dei, ſuorũque charitati ſubijcere. pulcra vox Principis populo pereunte.
2. Re. ca. 24 *Ego ſum, qui peccaui: ego inique egi: iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro, manus tua contra me. & contra domum patris mei.*

6 Verum quod omni prorſus amore carere non poſſimus: nam ut horologium non ſe mouet abſque pondere, ita neque animal ſeſe agitat ſine amore: ut ſui amor reprimatur, nihilque noſtrę voluntatis illi concedatur, alij amores in eam inducendi, qui nos foras ad obiecta pręſtantiſſima inflammatos deducant. ad quod amor Dei iuuabit vel maximè, & eius cauſa amor aliorum, plurimmum commodi adferet, ut docet *S. Auguſtinus.* ſi iſtis cor præoccupatum
Aug. Epiſt. 3 ad vol. lib. 1 de do. Chr. cap. 26. Epiſt. 52. fuerit, ſi hiſce flammis arſerit, tum periculum haud erit, ex profano illo ſui amoris igne deflagrandi. Et quidem ſi ad nos ipſos oculos interdum velimus reducere, videbimus & recognoſcemus hoc nihil noſtrum, dedecora ac næuos noſtros: ex quorum aſpectu ſuppudentes, libentius ad Deum noſtri amoris vniverſum impetum ſubinde conuertemus. quod ſi, in decora aliqua ſeu naturæ ſeu gratiæ in nobis viſus inciderit, imitemur radios ad ſolem a terſis ſpeculis reflexos: hoc eſt, amore inde ardentius in deum feramur, a quo explicatius nouerimus illa omnia fluxiſſe, ac ad quem a nobis eadem inſtituenda cognoſcimus. Enimuero, plurima ſunt obiecta, gradu dignitatis eminentiora priuatæ alicuius perſonæ nobilitate: ut pote Dei honor, ſalus reipublicæ, poſteritatis fælicitas: proinde maiores ſpiritus qui ſunt, vltra & extra ſingulares ſuas perſonas ad hæc amore, beneuolentia, ac ſtudijs ſuis ſpaciari & excurrere deſiderabunt, ardebunt. non niſi parui & exili ſenſu prædìti, ſibi ipſis duntaxat indulgent, inhæreſcunt, applaudunt, inuigilant, qui vel ſuis, cum cicadis, hoc pacto in exiguo immoriuntur.

Hactenus vniverſam naturam ac notionem præparatoriam Ciuilitatis deſcripſimus, generali quoq; ratione eiuſdẽ finẽ ac media complexi, Reſtat modo explicemus, quænam illius inſtrumenta ac momenta particularia. Cumque hæc duplicia exiſtant, Intellectualia ſcilicet, & Moralia, de Intellectualibus proxime ſequenti Libro tractandum. Deinceps vero Moralia, ſuo ordine occurrentia, a nobis diſcutienda.

Finis Libri Primi.

LIBER SECVNDVS.

DE MORIBVS REIPVBLICAE CHRISTIANÆ COMMENTARIA.

Quidnam ſit virtus intellectualis, & quæ eius ſpecies.

CAPVT PRIMVM.

IN Deo homines natura incitāte, in cœtus ciuiliter primum coaluere, ut inde perfectionem aliquam ſibi ipſis compararent, cuius, ſparſim agentes, cõpotes eſſe non poterant, ut ſupra dictum fuit. Perfectio autē iſta aut in voluptate, aut in virtute conſiſtit, indignũ verò de aſſociatione ciuili affirmare, voluptatis gratia eam fuiſſe primitus inſtitutam: ſic enim hominum ſocietates a brutorum gregibus neutiquam differrent: imo propter naturæ decretũ in brutis, quo in ipſis libido circũſcripta, multò eſſet in ciuibus, quã in illis, voluptatis appetentia intemperantior. conuenere ergò, ut virtutibus inde cumulatè & affluenter ditarentur. Quod autē duo ſunt præcipua in homine principia actiua, ut aduertit *S. Thomas*: nempe intellectus, & appetitus, ad præſtantiſſima officia circa *Verum* atque *Bonum*, efformanda, conſequens ex ciuili congreſſu vtraque virtute dirigēda, exornanda, illud quidē virtutibus intellectualibus iſtud moralibus: illud, ut ad veritatē recte inſtituatur, iſtud, ut in Bonitatem certa quadam deſtinatione ordinetur. videtur enim homo tam cæli, quam terræ in ſe ſymbola quædã complecti ac referre. cælum quidem intellectũ ipſius repræſentat, qui virtutum ſibi propriarum luminibus illuſtrãdus; quo inſtar lucis a deo productæ, quantum ad fabricam vitæ ciuilis, ante omnia collucerer. Appetitus terræ ſimilis: eſt enim ſubiectus ſuperioribus in intellectu, quaſi ſtellis ac planetis virtutum intellectualium, & ab illis radios excipiendo fœcundatur, ut oſtēdit *S. Bernardus*, ad proferendum fructus moralium virtutum vberrimos. ac quemadmodũ e ſublimi cœleſtia corpora ſplendent, ita etiam ad eorum imitationes, cometæ, flammulæ, & variæ ſpecies meteororum, in alto licet haud in cælo, ſuos fulgores emittunt. pari modò in ſuperiori animi parte non ſolũ veræ virtutes intellectuales in ſalutem ſuos radios appetitui humano impertiunt, verũ etiam opiniones prauæ, hæreſes, vtpote falſata lumina, noxia veluti ibidē meteora, in animæ excidiũ æſtuare vidētur.

[Arist. lib. 8. Ethic. cap. 9 — S. Thom. 1. 2 q. 58. art. 1. — Gen. 1. — Dan. 12. — Bern. ſerm 27. in Cant.]

2 Quod ſi hoc cælũ ab alto nihil fulgoris aut roris in appetitum inferius poſitum dimiſerit, ſi error & ignorantia ab inferioribus elati, omnē eius radium & puriorem liquorem interceperint, appetitus interim, veluti terra, in antiquum chaos redibit, aut nihil præter extremas immanitates ac morũ confuſiones procreabit. duo præcipuè ſunt, iſtis in animo ſupernis ſplēdoribus infeſta: primũ, doctrina erronea, a ſeductoribus in eius ſenſus doloſè inſtillata: alterũ, affectionum in appetitu ſenſitiuo laxa quædam ac commota perturbatio. quod verò cognitionis initium ab humana fide ſumatur, magnus proinde in hoc delectus adhibendus, vnde perquã cauti ſimus ad credendum, hunc vel illum idoneum eſſe, qui nos doceat. ac quò ad alterũ, tametſi multa ſint externa, ingenijs nociua, fermè tamen ſemper proxima cauſa, quæ nebulas illis offundit, quæ eorum vires ocio diſſoluit, appetitus eſt concitatio: quæ vel contentionem omnem illis adimit, aut in id aſſentire compellit, quod a veritate alienum, decipiendo fallit. *Nihil enim*, inquit *S. Baſilius*, *ſic obturbat & confundit contemplationem ſapientiæ, ut hæc inquietudo affectionũ, omniſque ſpecies peccati.* quamobrem ut in homine cælũ hoc, vti oportet, rerum agendarum cognitione ſuperius fulgeat, ſtrictè curandum, ut appetitus inferius placidè ſubſidat, animaque pura ſit a labe omnis grauioris delicti, aut indecorę voluptatis cõtagione.

[S. Baſ. in ca. 5. Iſa. — Greg. Naz. orat. 1. de Theol.]

2 Noſtri itaque, cum *Doctore Angelico*, nomine virtutis Intellectualis, habitum quemdam deſignant in humano intellectu collocatum, qui illum inclinet, habilemque reddat ad actũ bonũ, naturæ nempe indoli conuenientē, proferēdũ, quo veritas aliqua ſiue contemplatiua, ſiue practica negando, aut affirmando, ut ait *Ariſtoteles*, percipiatur. Neque eſt, quod hanc deſcriptionē virtutis Intellectualis redigamus omnino ad normam virtutis moralis: qua more humano homines euadũt abſolutè boni, laude & præmio digni. nam in virtute intellectuali ſolũ ſpectãda vis ac poteſtas ad eliciendum actũ bonum, ſcilicet, veritati conformē, abſque omni ordine ad bonum vſum eiuſdē, vel ad optimũ finē debita relatione. hęc enim virtuti intellectuali accedunt extrinſecus a voluntate, in bonum, non quoduis, ſed morale, ſeu in more poſitũ, ut nomē *S. Thomas* interpretatur, progrediēte. proinde, cum utraque hæc coiunctim reperiantur in virtute morali, deriuata ab eius habitu, a libero arbitrio, & a prudētia finem ac circumſtantias actionis præſcribente, nomen virtutis principaliter illi conuenit, minus principaliter Intellectuali: non enim ſimpliciter ex optima operatione intellectus, elicita ab habitu virtutis Intellectualis, conſtituimur boni: quia fortaſſis ea copulari poteſt cum abuſu, ex malo fine appoſito, vel ſaltem bono fine deſtitui: quod

[Ariſt. lib. 6. Ethic. cap. 3 — S. Thom 1. 2 q. 56. art. 1 Sales 1. 2. q. 56. diſp. 5]

inſcientia & arte exercendis liquidū conſtat.
S Thom 1 2 Cæterum hoc admiſſo, ſciſcitabitur quis, vnde
q 56, art. 3. ergo ſecundū ſentētiā *S.Thomæ*, adeoque *Ariſt.*
2.2, q. 23. dici poterit, virtutē intellectualem morali eſſe
art. 6. ad. 1. præſtantiorē, ſicut entitas intellectus nobilior
Ariſt. lib 7. entitate voluntatis paſſim iudicatur? dico vtra-
Ethic. que iuxta vniuſcuiuſque propriā rationem vera eſſe. ſciendū idcirco, immediatum genus ad hanc ſpeciem virtutis intellectualis eſſe vim ſolum quandam in anima aptam ad proferendū actum intellectus circa veritatem; qui bonus eatenus ſit, quatenus naturę, ratione intelligēti, conformis & ad veritatē obiectiuam debitè commenſuratus. at vero immediatum genus ad actum virtutis moralis, nō tantū eſt vis habitualis ad bonum actum phyſicè ſumptū, ſed ad bonū actum conſideratū moraliter reſpectu boni finis & vſus liberi arbitrij. Idcirco nō cōparat *S. Thomas* genus virtutis intellectualis cum genere virtutis moralis ſecundum totum ſui, ſed tantum ſecundum id, quo virtus moralis eſt habitus quidam phyſicè reddēs appetitū aut voluntatem, potentem ad benè, operandū. & ſecundum hoc, virtutem intellectualē præferri morali non abſolutè, ac ſimpliciter. quod verò genus, relatū ad virtutem moralem, vtraque illa in ſe complectatur, ſatis manifeſtum: nam virtus moralis, etiam genericè ſumpta, eſt habitus ad rectè operandum diſponēs ex more humano: hoc eſt ex libertate arbitrij, ex bono fine, ac legitimis circumſtantijs mente perſpectis: quorum particularia, ſiue infima, ſiue ſubalternata fuerint, per ſuas poſtea differētias generale illud contrahunt, ac limitant: nempe per certas ſpecies bonę operationis, ex vſu liberi arbitrij, ex bono fine, ac debitis circumſtantijs
Ariſt lib. 1. in particulari. *Ariſtoteles* quidem ſcientiam ſpe-
Met cap 2. culatiuam affirmat ſui gratia expetendam: quæ ideo libera, *Quod ſui ipſius gratia ſit.*

S. Tho. 2. 2. 6 At quod ad naturam virtutis non faciat ſa-
q. 4 art 5. q. tis habitualis vis inſtituens ad bonum actū, v-
6, art. 2, ad 1 tique naturæ conformem, colligi videtur ex ipſomet *S.Thoma*. is enim abſolutè negat, fidē informem, nempe a charitate ac iuſtitia ſeparatā, eſſe virtutem, quandoquidem non referatur in Deum tanquam vltimum finem: quemadmodum, ut ipſe ait. ſine prudentia nec actus Temperantiæ eſſet virtus. Nihilominus eiuſmodi fides eſt habitualis quædam energia inclinās ad bonum actum, ſcilicet ad diuinæ veritatis quādam cognitionem, naturæ intellectuali cōgruentem. Reſpondetur tamen ibi loqui *S.Thomā* de fide informi, tanquam de actu humano, & bono vſui applicato: ac proinde non de illa præciſè, quatenus virtute intellectuali. aſſerit itaque, fidem eſſe actum humanum modo perfectiſſimo, quando a charitate formatur, ſeu in deum tanquam vltimum finem deſtinatur. Cū enim credere, inquit, ſit actus intellectus aſſentientis vero ex imperio voluntatis, *Ad hoc quod iſte actus ſit perfectus, duo requiruntur.* loquitur ergo de modo perfectiſſimo, quo fides virtus eſſe poterit, nō ſimpliciter quo virtus intellectualis dicatur. de reipſa, ut ego arbitror, non poteſt eſſe magna controuerſia, tametſi doctrina *S. Thomæ* in corpore iſtius Articuli ſit admodum perplexa. ſanè, qui charitate nō vigent, ex alio tamen fine imperare poſſunt actum fidei: vtpote ſi quis illū exercere vellet, ex motiuo obedientiæ, ſeu ut animā ſuam inde perficeret, ut ad præſcriptum prudentiæ intellectu circa diuina operaretur: in quibus euentibus intellectus virtutis intellectualis officia præſtaret, &
voluntas moralis. Nihilominus, quod fides di- Conc. Trid.
vina ſua natura ordinetur ad charitatē, ac no- Seſſ. 6 ca. 6
bis infuſa, ut deum, ac proximum amemus, videtur illius quædam eſſe particularis ratio ex charitate ad hoc, ut ſimpliciter virtus reputetur. Eodem modo, quando voluntas bonum vſum virtuti intellectuali impertit, illam imperādo, ac referendo in bonum finem: reſpectu enim actus in voluntate, idem eſt obiectum ac finis:
tunc eadem voluntas moraliter ſe gerit ex vir- Ariſt. lib. 1.
tute intellectuali. veluti dum quis vult prudē- Ethi. cap. 1.
tiam, ſcientiam, aut artē exercere, ut inde animam ſuam exornet, ut ciuilibus negocijs ſe aptiorem reddat, ut alias curas depellat, quoad voluntatem iſtis ſtudijs poterit eſſe actus moralis amoris ſui erga ſeipſum, etiam ſtudioſitatis, charitatis in patriam, vel ſimilium pro conditione finis a voluntate præſtituendi.

5 Et quidē aliquibus virtutibus Intellectualibus abſque omni dubio malus finis a voluntate conſtitui poterit; ut pote ſcientiæ & arti ob malum finē inanis gloriæ aut voluptatis ad operandum excitatis. a quibus finibus earū formæ corrūpuntur, ſaltē priuantur eis decoribus virtutū, quibus ex bonis finibus nobilitari poterant: ac quantum ad hoc, intellectuales iſtæ diſtinguuntur a moralibus, quibus nemo malè vti poterit. nam cum harū obiectum, ſit bonū honeſtum, ſeu finis honeſtus: ſicut hæc deprauari nequeunt, dū talia manent, ita actus moralium virtutum, ſuis obiectis, finibus, ac circūſtantijs perſiſtentibus, ſunt prorſus a malo inuiolabiles. An autem inter Intellectuales talis ſit prudētia, quæri poterit: videtur enim, quod voluntas poſſit imperare prudētiæ ex malo fine; nempe ut ex illo hunc vel alterum actum practicè præſcribat, qui reuera iuxta regulam ipſius alias ab eadem exercendus. At duplex ſenſus eſſe poterit iſtius quæſiti; primus, quod iſte malus finis teneat ſe ex parte ipſius actus præſcribendi a prudentia: alter quod ſe teneat ſolū ex parte actus, quo volūtas imperat prudentiæ. qui arbitrantur, prudentiam connecti cum omnibus virtutibus, dicerent conſequenter, malo imperio volūtatis ſemel aliqua virtute morali expulſa, illico verā prudentiam pariter exterminari, & in eius locū ſuccenturiari quoddam ipſius ſimulacrum, utpote *Calliditatem*. Quantum vero ad malum finem actus præſcribendi a prudentia, impoſſibile, ut eo modo ipſa in abuſum trahatur: nam prudentia non præſcribit actum ſolum phyſicè ſumptum, ſed ut inveſtitum omni bonitate ex fine ac circumſtantijs: vnde quoad praxim, reipſa nullus actus eſt imperabilis a prudentia. qui ratione finis ac circumſtantiarum vitiaretur. quando autem malus finis ſub ratione finis non ſpectat ad actum iuſſum a prudentia, ſed actum voluntatis imperantem

pru-

prudentiæ, quæſtio euadit difficilior: vt pote quādo aliquis ita apud ſe conſtitueret: volo ex fine inanis gloriæ, vt prudentia iubeat abſtinētiā a carnibus tēpore Quadrageſimæ, ex motiuo tamē temperātiæ, aut obediētiæ: quemadmodū id etiā eueniret, ſi pater ex prauo fine id iuberet filiū, quod filius ex bono exequuturus. Cæterū reſpectu vnius eiuſdemque perſonæ, malus finis intentus ab actu voluntatis imperantis prudētiæ, eſſet ſaltem circumſtantia operis præſtadi ad impetium ipſiuſmet: atque ideo tametſi intentus ille prauus finis nō ſit finis actus præſcripti a prudentia, fieret tamen eius circumſtantia, vt pote euentus: qui abunde ſufficiens ad vitiādum talem actum a prudentia ſtatutum, eoq; ad reddendum eundem ineptum vt a prudentia practicè iubeatur.

6 Et quidem, quod ad virtutis rationem in prudentia, dici ſolet, inter alias virtutes intellectuales, eius eſſe peculiarem quandā rationem. volunt itaque ſic prudentiā intima ſua ac tranſcendentali natura referri ad morales virtutes, ut cum illis neceſſario copoletur: vt pote earum regula, non quæuis, ſed practica: hoc eſt, connexa cum opere quod præſcribit. vnde *Ariſtoteles* affirmat, prudentē ſimpliciter & abſolute probū ac bonum eſſe virum. ac conſequenter vitioſitatem, particularē virtutē actiuā exterminantē, ſimul aut omnimodā prudentiam, vel ſaltem illi propriā, è medio tollere. Hoc tamē non eſt ita accipiēdum, quaſi præmiſſo actu prudētiæ, eius vi volontas neceſſitate exercitij, aut ſpecificationis adigatur ad bene agendum; ſed ad ſummū, quod ipſo effectu, ad tale munus prudētiæ, perpetuo ſequatur hic vel alius actus bonus ex voluntate: aliter enim eſſet conſequens, homines non eſſe liberos immediate in officijs iuſtitiæ, tēperantiæ pietatis, aut charitatis, ſed ſolū in tali, aut tali actu prudentiæ liberè deligendis, quod nullo modo, meo iudicio, exiſtimandum. imo hinc ſequeretur, moralium virtutum opera, reſolui in prudētiā, vel imprudētiā tāquā, quātū ad libertatē, in principia antecedētia adeoq; neceſſitate aut fatalitate conſtituta. nā vt voluntas eligat hūc actū prudētiæ, id contingit vi eiuſmodi prudentiæ, vel alterius, antecedenter ſe habētis ad voluntatis electionē. ſi ergo prudentia neceſſitatē boni operis voluntati inferat, tota reſolutio libertatis in eius motibus abibit in antecedentem prudentiæ neceſſitatem reſpectu omnis actus a voluntate manātis. Quocirca, etiā poſito prudentiæ iudicio, voluntas adhuc, vel eo ſuppoſito, libera in vtrumvis: neque ſic practicum eſt, vt neceſſario voluntatem deferat in actionem: tametſi dicamus, ita eſſe ad bonum practicum, vt ad malum opus excidat penitus, neque cum illo poſſit coniungi: multo minus ab illo deprauari, vti Scientiæ, & Arti valet contingere.

Ariſt. 6. Eth.

7 Poſtremo, ut iſtarum virtutum intellectualium ſpecies recenſeamus, intelligendū ex *Platone*, ſequi eas condicionē naturæ, ſiue humani intellectus, in quo reperiuntur. eſt enim intellectus ſua innata energia ſpeculatiuus, ſimul ac practicus; proinde quaſdam virtutes retinet ſpeculatiuas, alias practicas. ſpeculatiuæ in veritatem cognoſcendā, idque eius gratia, abſolutè feruntur: practicæ circa ſingularia facienda, ſiue opera externa, ſiue animi operationes ea fuerint, occupantur. qua etiam ſerie contineri aliquas artes liberales ac ingenuas quam plurimi contendunt: vt pote Logicam, Grammaticam, Rhetoricam, Mathematicam, Muſicam, quod verſentur circa particolaria non ſimpliciter cognoſcenda ſolum, ſed facienda: ut pote certas animi notiones, orationem, modos dicendi, aut cantandi, horologia, ac ſimilia. Quæ quidē virtutes intellectuales, monaſticæ eſſe poſſunt, ac ciuiles: monaſticæ, ſi ad ſtudioſum ſolū referantur: ciuiles, ſi ad alios ac ipſam ciuitatem. Referri autem poſſunt ad alios dupliciter. primò, immediatè, ut pote quādo eis illuſtrati alios erudiunt, eoſq; ad agendum informant, ſecundo mediatè: veluti quando literis priuatim exculti, inde aptiores reddi volunt, quo reipublicæ poſtea commodo ſint.

Plat. lib. de virt. in pro. Gre. lib. 31. Moral. cap. 30.

Ariſt. lib. 6. Eth. S. Thom. 1. 2. q. 57. ar. 2.

8 Enumerantur vero ab *Ariſtotele*, ac *S. Thoma* quinque virtutes intellectuales: Tres ſpeculatiuæ, *Sciemia, Sapientia*, & *Intellectus*: duæ practicæ. *Prudentia*, & *Ars*. *Scientiam* omnes agnoſcunt illum animi habitum, qui rem aliquam per ſua principia ac cauſas certo, euidenterque cognoſcit. *Sapientiam*, eam virtutē nuncupant, quæ cauſas altiſſimas ſeu primas in quauis materia ſpeculatur: vt pote Deum, ac ea, quæ in Methaphyſica tractantur: iuxta ac quæ ex eis immediate deductas concluſiones expendit: vel quæ in alijs ſcientijs demonſtratas concloſiones ad hæc altiſſima principia reſoluit. *Intellectus* ea virtus animi habetur, quæ prima principia ex terminis nota rectè percipit: ac in ſpeculatiuis appellatur *Intellectus*, in practicis moralibus *Synderiſis*: procedit enim etiā moralis Philoſophus ex ſuis cognitis a natura principijs. *Prudētia* virtus eſt intellectualis, quæ practicè nonnam agēdi in omni materia virtutis præſcribit. *Ars*. virtus Intellectualis, compoſita ad opera externa facienda, quam *Plato phantaſticam* appellat: ex eo quod imaginariæ facultati plurimum innitatur, non diſcurſui aut ſpeculationi. at de iſtis poſtea.

9 Verum enimuero, nihil in humanis tam reipſa & abſolutè pulchrum, quod aliquadam tenus deformitatis aliquid non contrahat: nihil tam lucidum, quod aliquando non denigratur, vel obſcuratur: nihil tam ſuaue, quod omni tæce careat, aut amaritudinis temperamento: præſertim cum quorundam maleuolentiæ acceſſerint, quæ ipſis pulcris, lucidis, ac iucūdis infeſtiſſimæ, ad optima quæque eleuanda, accuſandaque, paratiſſimæ. quod cū præſtantiſſimis ſemper contigerit, tum virtutibus Itellectualibus academiarum præſens luctus, ac rerum publicarum clades idem eueniſſe proteſtantur. idcirco ante quā accedamus ad dignitates harum virtutum Intellectualium enarrandas, vt ad eas liberè remotis impedimentis, ciuium mentes pertingant, quaſdam earum externas veluti vmbras diſcutiemus: ne talium viſu repercuſſæ, interius ad tantarum virtutum clara penetralia adire recuſent, aut id facere præ tedio auerſentur.

CAPVT II.

Quænam ſint virtutum Intellectualium vmbræ, ſeu forma inamabiles, ſiue eas rei veritate aſſe-ctentur, ſiue eis ab inertibus & maleuolis adÿciantur.

VIrtutes Intellectuales, ſicut & Morales, adeoque ipſæ Theologicæ, licet præclara ac præcipua ſint vitæ ciuilis firmamenta ac ornamenta, tamen vel ex eo, quod in hac vita nihil vndequaque bonum vel quod optima maleuolorum calumnijs oportuna, quædam retinent, quæ abſterrent, quædam veluti inuolucra eis innaſcuntur, quorum interiectu euadit, vt minus liquido a mortalibus egregiæ tantorum Bonorum formæ ſpectentur. Scientiá, Sapientiá & in vniuerſum literarũ ſtudia haud pauci multis nominibus vituperant. ac primò quidem id faciunt ex vitæ humanæ condicione, quę illis inſeruit. Dicunt, ſi iſtis ciuium vires penitus attribuendæ, quid aliud homines manet, quam id, quod opprobrio dignum, ac contemptui oportunum: nempe vitæ genus ſiccum, Oſor lib 1. de Regum. inſtitut. auocatumque à conſortio, à floribus ac luminibus mundi, angulis verò quibuſdam ac receſſui omnino addictum? veſtitus vilis ac tetricus virtutum harum cultoribus vſui, victus parcus ac tenuis illos excipit aliquantiſper a muſis digreſſos. nihil denique in eis apparet, quod corporis egregiam formam, quod animi magnitudinem aliorũ ſenſibus commendet. quo enim animæ vires acrius in ſeipſis recolligunt, quas in literas ac chartas ſortius eubrent. eo. quæ apud alios, in publico verſatos, in pretio habita ſtudioſius diffugiunt, ne non nisi manci ac debiles, non toti aut integri, virtutibus ſuis intellectualibus incumbant. Hæc ſane vmbra in vulgarium hominum oculis craſſiſſima, ac vix ab eis penetrabilis.

2 Porrò definiunt, ac id pariter experientia ipſis demõſtrat, animi operationes, ut *Plato* adſeruit, Plat lib. 9. de legib. magis eſſe moleſtas ac laborioſas, quam corporum Gymnaſtica exercitia. nam præter quam quod, corpus animę contemplanti nullo ſit leuamento, ſed potius oneri ac impedimento, ac ideo ſola operetur: cũ contra corpori vires exerenti rationis iuuamine ſuccurrat anima, etiam eidem de ſuo magnam copiam ſuppeditat ſpirituum vitalium, qui animæ operationibus, præſertim ignitis, continuò ac ſtatim abſumuntur: vnde vultus ſtudentium palleſcit, nerui eorum debilitantur. flos naturæ marceſſit eius omnis vigor in eis citò flacceſſit: totus denique homo extenuatur veluti in ſpiritum, cuius interim nulla præclara imago in aliorum oculis effloreſcit.

——— *Lignorum aliquid poſce ocius, & quæ*
Componis, dona Veneris Telesine marito:
Iuuen lib. 7 Sat 7. *Aut claude, & poſitos tinea pertunde libellos.*
Frange miſer calamos, vigilataque prælia dele,
Qui facis in parua ſublimia carmina cella,
Vt dignus venias hederis & imagine macra.

Fieri etiam aliter non poteſt, quin corporis imbecillitas animi induſtriam ſimul frangat conteratque.

3 Cum etiam ciuium animi actuoſi eſſe debent: hoc eſt, idonei, excitique ad agendum, ac inter ſingularia, quæ in ſenſus incurrunt, ipſis verſandum: illis officijs excidium planè adfert ſpeculatio oculos *Democrito* adimens: hæc enim à ſingularibus, quantum poſſibile, recedẽs, eodem impetum omnem retundit ad agendũ. Laert. lib. 9. Sabel. lib. 2. cap. 1. 6. Euenit igitur, ait *Oſorius, ut qui his ſtudiis oblectatur, nihil velit, nihil amet, nihil cupiat, eoque tantum cogitationes ſuas conferat, ut ſummum gradum eruditionis obtineat. homines igitur fugiet, domi ſe quaſi in carcere & tenebris incluſum continebit: omnẽ ætatem in otio conſumet, & languore, deſidiaque paulatim intabeſcet.* Oſor. lib. 1. de inſt. Re. Eraſ. Mor. Encomm. *Cicer.* loquẽs de *Phalereio Demetrio* ait: *Qui vero vtraque excelleret, vt & doctrina ſtudiis & regenda ciuitate princeps eſſet, quis facile præter hunc inueniri poteſt?* Cic lib. 3 de leg. Quod pariter cõtemplationibus dediti, minime ſint ſuſpicioſi, (externæ quippe malitiæ ignari) facile ab alijs in fraudes compelli poſſuut: ſicut *Archimedi* ſummo Mathematico contigit, ut narrat *Valerius*: Val lib 8. cap 7. is enim vel ipſo tempore excidij *Syracuſani* adeo intentus erat in ducendis artis ſuæ lineis ac circulis, vt inopinus prorſus, & de opere ſuo ſolicitus, ab irruente quodam milite fuerit interfectus. Similis caſus *Palinuro* Virgiliano contigit: dum enim ſiderum curſus notabat, in mare decidit.

——— *Dum ſidera ſeruat,*
Exciderat puppi mediis effuſus in vndis.

Eiuſmodi etiam ſpeculatiui, quoad mores, cõuerſationem ciuilem, ſermonem, & alia, reliquis Virg lib 5. Æneid 4. popularibus omnino diſſimiles euadunt: vnde amicitia, ſtudium gratificandi, conueniendi cupiditas inter eos extare non poterunt. An non potius ex hac diſſimilitudine grauiſsimæ animorum offenſiones inter ciues orientur?

——— *Et torrens dicendi copia multis*
Et ſua mortifera eſt facundia.

Vnde animaduertit *Oſorius* tam apud Græcos Iuuenal. 4. Sat. 1. quam Romanos, tunc imperia conciduiſſe, quãdo Philoſophia maximè florebat, & ſumma eloquentia dominatum ſibi in republica compaſſet.

4 Superbiam quoque, animique tumorem ſcientia pollentibus nunnulli adſcripſere. cum intus ac in animo ex notitia fulgere, alijſque prælucere ſibi videantur, eò tum proni vt reliquos contemnant tanquam rudes, omnique dignitate indignos, ac veluti inglorios traducant. vnde vulgo obſeruatum, quod *Seneca* teſtatur, Philoſophos in ipſos etiam principes plerumque extitiſſe refractarios, ac rebelles, quibus a-Sen ep 73. & 10 ludo. liquando euenit, ut ſcribit *Origenes*, quod compreſſis, extinctiſque fœdiſs amoribus, inſoleſcãt, Ori. Hom. 5 in cap. 18 Gen. ſuperbiantque. *Obſeruare enim debet, ne forte etiã tum effugeris flammas ſæculi, & incendia carnis euaſeris, etiã cum puſillã & nõ puſillã ciuitatẽ Segor, qui eſt medium quidã, & ciuilis profectus, ſuperaueris, & ad ſcientiæ altitudinem, veluti ad quædam cacumina montis aſcenderis, vide, ne tibi inſidientur duæ ſorores iſtæ, quæ a te non diſcedunt, ſed ſequuntur te, etiam cum aſcendis montem: id eſt vana gloria, & maior eius ſoror ſuperbia.* Vt enim ſuperbit Iunonius pauo,

pauo, dum pennatum ſuarum lumina ad ſolis radium in gyrũ agit, ita literis inſtructi, quãdo earum gemmas in ſuis animis intuentur, haud rarò inde turgeſcunt.

5 Ac quamuis literarum diſciplinæ craſſiores externorum ſenſuum voluptates aſpernentur, in alias tamen, illiſque maiores, ut affirmat *S. Thomas*, quę mentis ſunt, incidunt iucunditates. qua de cauſa, *Plutarchus*, Stoicos, vitã agentes *Scholaſticam*, veluti Epicuræos traducit, dũ nempe magiſtratuum, diuitiarumque voluptates eo fine contempſerint, quo vberius, ſuauiuſque ſcientiarum voluptates animis haurirent. *Pythagoras*, teſte *Clemente Alexandrino*, dicere ſolebat, muſas vel ipſis ſyrenibus iucũdiores. quare ſuadet, inquit, *Non cum voluptate exercendam ſapientiam: arguens deceptricem illam animi oblectationem*. Affirmat quoque *Ariſtoteles*, ſcientiam de numero eorum eſſe, quæ natura delectabilia. at quid iuuat, homines ſuis ſtudijs ab vna voluptate refugas, ad aliam ſe recipere: in alijs *Stoicos* eſſe, in hac re literaria *Epicuræos*? Quid aliud precor, quam volu[ptas], tanta animi contentione addixit *Archimedem* geometricis diſciplinis, a quibus nunquam vel reſpirauit? *Quapropter*, inquit *Plutarchus*, *ĳs, quæ de ipſo commemorari ſolent, habenda fides eſt: propria cuiuſdam ac familiaris amœnitate ſyrenis allectum, cibum & corporis curam neglexiſſe ſæpenumero inuitus ductus ad balnea & vnctionem, dum perungendus in cratere cõſtitueretur, in focis ducebat lineas: mox vncto corpore per corporis vnguenta geometria figuras ac lineamẽta digito inſcribebat: tãta eius rei dulcedine capiebatur, vt vere illũ muſarum inſtinctu correptum dixerim*. Idẽ *Plutarchus* loquẽs de *Chryſippo, Cleanthe, Diogene, Zenone, Antipatro*, hæc inſuit: *Qui quidem ſuas deſeruerunt patrias, non quod eſſet, quod de eis quererentur, ſed vt quieto in ſuaui ocio apud Zoroaſtrem ſuis diſputationibus perpetuo vacarent*. Quod ſi verum fuerit, etiam conſequens, deſides, ac meticuloſos quoque eſſe literarum amatores, qualis inter cæteros *Cicero*, quod certe aliunde prouenire non poteſt, niſi a voluptate literaria in eorum animos admiſſa, quæ neruos laxans, huiuſmodi effectus ſortiri ſolet. De *Caio Mario* hæc *Plutarchus*: *Fertur quidem neque Græcas literas didiciſſe, nec vllis in ſtudĳs, Græcis præceptoribus vti voluiſſe: tanquam ridiculum eſſet, literis, quarum magiſtri alĳs ſeruirent, operam impendere*. cuiuſmodi iudiciũ fuiſſe *Catonis* Cenſorij idẽ refert, denũciantis, *Romanos imperio tunc ſpoliatum iri, cum ſe Græcis literis dediſſent*. at quorſum hic delicatus inerſque animi ſenſus conſciſcendus rebus ciuilibus, in quibus labores, auſteritates, vigiliæ deſudant, & mores exaſperant; in quibus acres contentiones de victoria ac palma virtutis cõfligunt? hinc multi animaduertere, ſtatui belliçoſo reipublicæ alicuius, maximè aduerſari ſpeculatiuas ſcientias: proinde *Turcæ* omnino deteſtabile reputant, ſuum principem literis eſſe addictum, in quo nihil præter æſtus & aſtus martios requirunt. Contra, *Chinenſes*, literis immerſi, planè imbelles, paucorum iniurijs oportuni, ut *Nicolaus Trigautius* nobis retulit. Hinc conſcij, vt mihi videtur, propriæ timiditatis, conſortia vitant externorum.

S. Tho. 1 2, q 2 art. 6.
Plut. lib contra Sto.
Clem Alex. lib. 1.
Ariſt. lib. 1. met, cap. 1.
Plu in Mar.
Plu. de rep Stoic. Sene. lib. 1. ep. 9.
Cic li 4. ep. Fam ep. 3.
Plut. in C. Mar. & in Cat.
Trig. l 4 de expedit. Chriſt Cic. l 2. Acade. quæſt.

6 Porro inquiunt, ſi conſiderare velimus imperfectionem ac incertitudinem noſtræ ſcientiæ, vix operæ præcium conſtabit tanti laboris, quantus ad eam comparandam inſumendus. finxere veteres, *Herculem* Muſis familiarem: quem *Muſageten* ideo appellarunt, ut refert *Eumenius*, propterea quod, non niſi maximarum virium, ac ſummarum contentionum fructus ſit eruditio. Cæterũ, quis poſt hoſce nixus editos, quis poſt diurnas, nocturnaſq́; elucubrationes, rerum ipſarum naturas a ſenſibilibus formis diſcretas ac euolutas penetrat, aut illas intelligendo dilucide intuetur? An non *Ariſtoteles*, ingenio primus, de Deo, de Angelis, de Anima humana diſſerẽs, aut in errores prolapſus, aut certè cunctanter nimis de illis definiuit: ac fermè nihil eſt in humanis, de quo in vtramque partem humanis rationibus non poſſit probabiliter quis academię more diſceptare ac ſtatuere. opus nõ fuerit huius argumẽti particularia recenſere, cũ vniuſcuiuſque intelligentia, ſi modo ad hoc expendendum vires ſuas reflexerit, id facilè poſſit perſentire: eoque plus ſuæ ſcientiæ infirmitatem quiuis incuſabit, quo vlteriores in literis progreſſus fecerit, magiſque ingenio ac iudiciu præſtiterit.

Eum. orat. pro Schol.

7 Neque ſolum iſtis offucijs, vmbriſque cælare voluere quam plurimi excellentes formas ſcientiarum, verum etiam ad inumbrandum Prudentiam ipſam, Artem, Fidem, ac Theologiam ſunt progreſſi. Prudentiæ grauitatem ac ſilentium, hypocriſim paſſim vocant, aut aſtutiam. æquiuocationis vſum, ab illa inſtitutum, appellant mendacium: quod temporibus ac aliorum diſpoſitioni ſeſe accommodet, verſatilis conſilij inuentricem damnant. Artem propoſuere naturæ inimicam, quæ eius inſufficientiã perpetuo criminaretur. cum enim natura homines docuit paucis eſſe contentos, Ars interuenit, dicunt, ac ſententiam tulit, multa in vitæ vſu adhibenda, ad quæ naturæ ſimplicitas ſeſe extendere, aut peruenire non potuit. Cum natura, præſtantiæ loco ducat, quod paucioribus, eiſque parabilibus, homo indigeat: Ars importunè irruens, hoc redarguit, ac docuit, nobiliores circa plura vſurpare debere vitæ ſuæ facilitandæ, ac voluptatis imbibendæ cauſa, ab ipſa inuenta, effectaque. Neque ſane artiũ mechanicarum leuiores ab eiſdem notati exiſtũt defectus, quandoquidem in multis ſuperbiæ & impuris ciuium voluptatibus paſſim inſeruiant. hoc veſtium aiunt ſplendores, menſarum apparatus, palatiorum pompæ, quę ab arte proceſſerunt, liquido ſatis atteſtantur. Denique Fidem ipſam, diuinæ autoritati aſſentientem, cum *Celſo, Porphyrio*, M. *Aurelio* & *Galeno* ruſticum, indoctum & vanum animi motum arbitrantur: imo iugum quoddam intellectui apici impoſitum dicunt, quod omnem eiuſdem nobiliorem ſpiritum ac impetum ad ſeruilem quandam obedientiam deprimat, abijciatque. Theologiam eo nomine eleuant, quod de Deo ac diuinis haud aliter commentetur, quam veluti per tranſennas rerum corporalium: quodque hominum cogitationes in quæſtiones plane interminabiles conijciat. Atque huiuſmodi vmbris virtutes

Orig. l. 1. cont. Cel.
Porp orat.
M. Aurel l. 1. ad Senat.
& Fau. Gal. de Diſ. Pul.
S Thom. cont gent. l. 1. cap 5.

Intellectuales obſcuratæ, quaſi triſtes in hominum conſpectu progrediunrur.

8 Opponunt verò iſtis luminibus caliditates ſuas, obſeruatiunculas hiſtoricas ex *Cornelio Tacito*: imo ignorantiam ipſam apud ſubditos quanrum poſſunt ſtabiliũt, vnde facilius tyrannidis violentia, euentuum ac finium inſcij, in omnem partem ſeruili ritu deferantur. quibus adiungunt admirabilem in externis faſtum, ac in ſingulis incredibilem oſtenrũ cuiuſdam diuinæ maieſtatis: vt eorum aſpectus non ſolum animos intuentium percellant, verum inſuper ad omnia officia, etiam mancipiorum propria, inflectant, aut reluctantes frangant. Animorũ interim ingenuitatem, in externis modeſtiam, ac ſui dimiſſionẽ, a liberalibus ſtudijs inuectas, deridendas proponunt: eorumque ſymbolum eſſe volunt aſini ſpeciem togatã, manuq; librũ geſtantẽ, qua Gentiles olim noſtris Romæ illu-

Tertul, in Apol. Cap. 16. ſere, vt ſcribit *Tertull.* Hi verumtamẽ non verorum in cælo luminum ductus, ſed cometarum ac meteororum lapſus incertos, caducoſque ſequuntur,

CAPVT III.

Inumbrationum, obſcuritatumque, quibus virtutum Intellectualium luminoſi vultus dedecorari ſolent, depulſiones legitimæ.

QVemadmodum virtus in vniuerſum ſemper habita fuit pbiloſophorum ſententia ingenere honorabilium, ita Intellectualis locum præcipuum in eodem obtinniſſe perpetuò exiſtimata. Nihilominus partim ex quorumdam hominum maleuolentia, partim ratione eam aſſectantium veluti appendicum, in vituperium apud pleroſque aliquoties incurrit ac contemptum. De qua re *S. Iob* videtur conqueſtus, ſuaque querela præſignaſſe, quid plurimis ſapientum, quantum

Iob. 12. ad hoc, per ſequentes ætates euenturum. *Deridetur enim iuſti ſimplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum.* Mirum ſanè, lampadem ſplendentem contemni ab eis, qui oculos habent, cum oculi natura affinis lampadarum fulgoribus. at mirabilius, lampadem non ſibi, ſed alijs lucentem, eorumque cauſa ſeſe conſumentem, ab eis contemni, qui eius beneficia haud contemnenda percepère! at qui contẽnunt? *diuites.* quomodo: *apud Cogitationes.* Ceterum cum diuitię excæcant animos ominum, ac vicinæ tenebris *Plutonii*, e quibus eruuntur, nil niſi tenebras proferre poſſunt: a tenebris autem dumtaxat tenebræ, ſicut a luce lux dimanant. nec alienum a vero iudicio, *Proſerpinas* has, vtpore terræ ſeu *Cereris* fætus, ad obſcura tartara etiamnum raptatas, eius colorem atrum, qui

Claud l. 3. de rapt. Proſerp. & ignorantiæ indicium, mutuari:

———*ille ſuperbi*

Flammeus oris honos, & non ceſſura pruinis

Membra, colorantur picei caligine regni.

Gregor. in 12 Cap Iob. Cap 17. *Lampas*, inquit *S. Gregorius*, *quia interius lucet: & contempta, quia exterius non lucet: intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria reſplendet decoris. lucet ergò & deſpicitur, quia flagrans virtu-* Lact. Inſtit. *tibus abiectus æſtimatur. Quid igitur Paulus niſi* cap. 1. *contempta lampas apud cogitationes diuitum fuit, quia vndè magiſterium humilitatis exhibuit, indè a rudibus diſcipulis ſuperbiæ contumelias recepit. Inſanis Paule, multa te litera ad inſaniã conuertunt* Act. 26.

2. Enimuero plurimum demiror, quonam conſilio iſti intellectualium virturum vmbras ac cortices nobis obijciunt, & talium oſtentu earumdem dignitatibus detrahunt, qui interim ignorantiæ ipſius horrendas caligines, eiuſdemque barbaricas aſperitates, neque vident, neque traducere iuſtituunt! ſi ipſa lux tam tenebroſa, vt ipſi contendunr, quales, amabò vos, tenebræ: ſi oculorum pellucida pupilla, quod defluxionibus è capite, aut irruentibus pulueribus opportuna, directione membrorum ad mouendum, ad gradiendum, ad conſiſtendum non ſatis benè comparata, quid fieret, ſi omni eius claritate extincta, cæco ſubinde impetu homines mouerentur: Publicos Regnorum oculos appello Academias, literarum ſcholas: priuatos voco, acquiſitas ab vnoquoque veri intelligentias: hos oculos ideo eruamus, quod non vt ipſe ſol perpetuò ſplendeant, ſed aliquando nubibus inuoluantur: quod in ſuo inceſſu non ita ſtrepant vt pedes, non ſic plaudant vt mànus, non ita ſplendeant vt crura, ac tunc non minus abſurdè de vita ciuili, quam de corporum officijs, definiemus.

Cogitur heu ſtolidam cernere terram. Boet. l. 1. de conſ.

3 Ego quidem haud exiſtimare poſſum, vulgarium rerum, vtpote ſplendentium veſtium, compotationum, inanis gloriæ repudium, totius habitus grauitatem, vocis ac reliquorum moderationem, virtutum Intellectualinm vmbras reputari debuiſſe, adeoque vel vnquam ita habita, niſi iſti criminatores literatum hoc dixiſſent: quinimo aſſeuero, receſſus expetitos a Doctis, eorum placidos amænoſque mores, longè poſitos a turbulentia: contemptum in eis ſplendoris veſtiarij, potius virtutum pulcherrima eſſe emblemata, & egregia ornamenta. neque quantum ad hoc vulgi error ſequẽdus ſed corrigendus, & ad rationis normam eorum ſenſus ſeuerè reducendus. Abſceſſus a ſtrepitu rerum forenſium, ac fuga interdum ab æſtu meridionali, adiumenta ſunt ad mores ciuiles, vt ſupra diximus: quorum rationes deſumendæ a vitæ ſtatu, quem quis delegit, ac fine, quem ſibi præſtituit. in quibus ſi aliquis interdum exceſſius fiat, is non ſcientiæ, aut contemplationi adſcribendus, ſed imprudentiæ, quæ modum, quem non oportuit, appoſuit. ſi docti parum habeant externorum formas ac ſtrepitus: ſi maluerint animis prius ſolida veritate paſci, quam oculis, intercurſue vaniſſimarum ſpecierum oblectari, an id eis vitio vertendum, an exprobrandum? iniquum ſane, ſenſus, in nobis cum brutis communes, de animorum occupationibus iudicium ferre, & omne illud proſcribere, quod eorum ingenijs non arriſerit. quaſi verò literis addicti, potiori iure non poſſint illoſmet ſenſus vili pendere, qui

perpetuo

curſu ac recurſu effuſi: qui non modò corporis, ſed etiam animi dignitates falſò ex ſagena, ex veſtium precio, ex epularum frequentia, ex partis in ipſis iraſcibilis ferocia, duntaxat metiuntur:

4. At neque pallor in vultu, macies in corpore, obſcuram reddere deberent, aut ignobilem exhibere virtutis alicuius intellectualis præſtãtiam. veritas in hoc conſiſtit, quod cum corporei ſpiritus animo iuxta ac ſenſui inſeruire, & eiſdem alimenta ſubminiſtrare debent, ſenſus animo ex eo litem intendunt, quòd omnes ad ipſos non appulerint, magna eorum parte in vſus animi impenſa. Hinc intellectualem virtutem depingunt colore emortuam, robore caſſam, tanquam vetulam ex debilitate bãculo innixam: veluti quoddam *Palladium* ex aridis oſſibus compactum in oculos hominum obtrudunt: quò mnnſtrum exhorrendum, merus ſine *Pallade Gorgon*, potius quam Dea venuſtiſſima, in ædes adeoque animi penetrale admittenda alijs videatur. Ipſi verò catnis pigmenta, corporis athleticam præ ſe ferentes firmitudinem, exiſtimant ſe inſpicientium cupiditates, a literis auocatas, ad ſua decora rapturos. *Credite fratres*, inquit *S. Bernardus*, *& vtinam experiri vobis non contingat: quia pulcritudines iſtæ, & forenſes honeſtates, cito virile propoſitum eneruant, & maſculinum effaminant.* Haud errarem credo, ſi pallorem, ſapientiæ colorem dicerem, ſicut olim de verecundiæ rubore, quantum ad virtutem in vniuerſum, quidam pronunciauit: imò ſi affirmarem, hunc ipſum defectum floridæ cuticulæ, ipſam eſſe pulcritudinis aut formam, aut certè vexillum. Huius vi Chriſtus Dominus, vt notat. *S. Auguſtinus*, ſpecioſus forma præ filijs hominum, apparuit tamen non habens ſpeciem, neque decorem. Sycomorus, ſev ficus fatua, quo ad hoc inſtitutum, præferenda vel *Apollinis lauro*, Græciæ *pomo aureo*; illum enim adſcendens *Zacheus* dum humilitatem appetit, Ieſum, ipſam veritatem conſpexit: laurus verò cum Apolline & pomo, iam a multis ſæculis euanuere. *Ideo enim vos*, inquit *S. Auguſtinus*, *Ieſum videre non poteſtis, quia ſycomorum aſcendere erubeſcitis. ſed tu irrides ſycomorum, quia homo es: ſtultum autem Dei, ſapientius eſt quam hominum.* Cæterum hac in re id faciendum, quod natura in vnoquoq; cum ſanitate, ingenijque vigore perferre poterit; quodque prudentia, non ſolus addiſcendi ardor, præſcripſerit.

[Bernard. de vita ſolitar.]

[Auguſtin. in pſal. 130. pſalm 44. Iſai. 53.]

[Auguſtin de verb Apoſt. ſer. 8.]

5. Maiorem verò ſpeciem vmbræ obtendere videtur, quòd de ſcientia ſpeculatiua adſtrunt, eam ſcilicet prudentiæ & ſpiritui actiuo contrariam definientes. Cum enim mens inſtar accipitris in altum volatu elati, ſumma rerũ genera, & minutiſſima quæque contemplatur, eiuſmodi occupatio eam abreptam, ab ipſis ſingularibus quaſi auolare compellit: neque poteſt eadem facultas adeo diſparibus muneribus, ſpeculatiuis nempe ac practicis, quò ad eorum inſignem aliquem gradum, dexirè ſimul diſtingui. Nam ſi vel operatio iſtius potentiæ; modò accurata intentaque fuerit, alterius opus impedit: vtpote non exactè ille cantat, qui eodem tempore digitis citharam ſedulò pulſat: multo minus, vnus idemque intellectus, totus in contemplationem incumbens, præclaro vllo conatu circa obiecta prudentiæ, vel ſingularia, pariter verſabitur. *Themiſtocles* itaque ſpeculatiuis ſcientijs carens, eò videbatur ad res agendas prudentior, vt obſeruauit *Plutarchus*. Proinde cum hoc pro bro ei verti ſolitum, reſpondebat: *Se lyra canere, & pſalterio vti neſcire, veruntamen ciuitatem paruam & obſcuram, maximam ac clariſſimam poſſe reddere.* Verumtamen, omnino certum, quarumdam rerum cognitionem etiam ſpeculatiuam, ad mores plurimum conducere, vt poſtea oſtendemus. quod ſi omnis non ita faciat, laudem nihilominus aliunde ſui pariet, in eis præſertim, qui ab officio ſuo exequẽdo quò ad actiones inde non impediuntur. Quando vero in ciue ſcentiam deſideramus, illam volumus, quæ illi adiumento eſt ad propriũ munus peragendum: neque eam probamus, quæ a tali munere ipſum diſtrahit, aut ad illud explendum ineptum reddit. Non ergo bene ſentiunt de diſciplinis literarum, qui earum incapaces abſolute contendunt eſſe vitam ciuilem ac forenſẽ agentes, ac proinde ad ſolitarios ſolũ illarũ functiones relegant. quot quæſo, in orbe in vtroque genere floruerunt? præſertim ingenia maiora, ſi induſtriam collocarint, ac naturæ ductum parum in alteram partem deflexerint, non minus in practicis, quam in ſpeculatiuis, excellere poſſunt. *Iulius, Cæſar*, an non vtrumque præſtitit: *Saluuſtius, Varro, Cicero*, ac *Cato* armati ac togati, in ſubſellijs, iuxta ac in receſſibus Tuſculanicis, rebus geſtis ac ſtudijs ſummam gloriam ſunt conſequuti. Huc *Brutus* accerſendus, *Marte*, ac *Minerua* clarus.

[Plutarch in Them.]

[Cicer l. 1. queſt Ac]

Cum tibi ſuſcepta eſt legis vindicta ſeuera,
Verba velut tinctum ſingula virus habent.
Hoſtibus eueniat quam ſis violentus in armis
Sentire, & lingua tela ſubire tua.

[Ouid l. 4. de Pont ad Brutum.]

Nos potius ſegnitie fracti, excuſationem otij prætendimus, quam condicione vitæ præpediti, a caſtris, a foro, a ſubſellijs literas amandamus. Excutiatur torpor omnis, quem apud nas *Morus* excuſſit, reſumantur vires, animus amore ſcientiæ inflammetur, ac ſtatim progreſſus magni fient, etiam ab iſtis, in ſtudijs artium liberalium. Qun in genere adeo excitus erat animus *Caroli Magni*, vti, quod ſcribit *Eginardus*, concubia nocte ſub ceruicali paratum habuit calamum, quo deſcriberet ſtatim, quod tunc temporis eius menti ocurrebat. Scio huic hominum generi commentanti non ita facile, auctores varios citare, nominibusque onerare chartas, nihilominus rem ipſam ex proprio ſenſu ſolide poterunt tractare. antiqui Philoſophi non multos citabant auctores: neque id fecere Patres Eccleſiæ Græcæ, aut Latinæ, niſi calor controuerſiæ, aduerſariorum importunitates tam illos, quam iſtos, ad authoritatum aſyla confugere compulerint. nos vero modo nihil dicere videmur, niſi adductis teſtimonijs: idque in fidem rerum in ſe ſpectatarum etiam triuialium, omnia probauerimus. Equidem exiſtiidarem, curſum ingenij, & in ſolida

[Stap. in vita mori.]

[Eginhar in vita Carol. M.]

ſolida rerum inſtitutas contemplationes, penes
aliquos impedire nimiam & affectatam hanc
curam congerendi pro omni, quod dicunt,
aliorum auctorum ſententias: præſertim quan-
do cunctis ſummo labore congeſtis, ſi res in ſe
expendatur, ac diuulſa a nominibus eiuſmodi
auctorum conſideretur, nulla ſpeciali animad-
uerſione digna videatur. ſit itaque res ipſa
ſcribent, ante alia pondera, chariſſima: niſi ar-
gumentũ ad fidem ſpectet, cuius præcipuum
quidem fundamentum auctoritas, vt docet *S.*
August de vtil cred. *Auguſtinus.* aliqui ſcribentes rem deſerunt, &
ſequuntur orationis pigmenta. alij: non minus,
qui curioſius auctorum dicta, tomos paginaſ-
que perſequuntur. *Ioannes Rainoldus* apud nos
inſignis hæreticus, ita ambiebat lectionem
ſuam mundo commendare, vt ſi vel elegantio-
rem aliquam phraſim adhibuiſſet ſcribendo,
in margine ſignabat auctorem apud quem in-
uenienda. Verum quidem eſt, quaſdam con-
templationes ad prima altiſſimaque principia
contendentes, longius ſeparati a iudicijs pra-
cticis, quam alias, ex quibus eiuſmodi iudicia
interdum proximè eliciuntur. Quamobrem
eis curæ eſſe debet, qui munus aliquod actuo-
ſum obtinẽt in republica, non longè quaſi a lit-
tore ſtudendo nauigare: hoc eſt, non eouſq;
ad ſubtilitates, ad rerum primas origines, men-
tis conatum in longinquum extendere, vt inde
inepti euadant ad receptum in portum, ad de-
liberandum ac ſtatuendum nempe de rebus
practicis ad ſua officia pertinentibus,

Ouid l. 1. de Pont ad Græcin. *Nec quicquam meliore fide complectitur illas,*
Quam finit officium, militiaque labor.

6. Cæterum ſciſcitabitur quiſpiam, quorſum
admittendæ ſpeculationes quædam nullo mo-
do ad actionem pertinentes: præſertim non
aliqua certitudine apud homines definitè ſub-
ſiſtentes, ſed ſola opinionum diſſidentia in v-
tramque partem agitatæ: de quibus *Seneca* &
Senec. ep. 86 Macrob in ſomn. Scipion. *Mocrobius* quæſtionem proponunt? In hunc
mudum diſputatur, an ſtellæ ſint pares, vel
impares: an in globo ſuperficies conuexa a
concaua diſtinguatur: an figura, res alia a
quantitate: vtrum in linea actũ ſint partes, an
tantum poteſtate. Num Angeli intra eandem
ſpeciem ſolo numero differre poſſunt. Quod
ſi quis aſſerat, harum rerum notitias ciuili vero
haud indignas, cum humani intellectus ſaltem
perfectiones & ornamenta cenſeri poſſint: cu-
ius condicionis in ipſis Angelis plurimæ repe-
riuntur, ab omni praxi diſtractæ: vlterius quæ-
ri poterit, cum harum ac ſimilium opinio tan-
tum futura, nõ verò certa Sciẽtia; vndenã opi-
nio perfectio humani intellectus æſtimetur, quæ
in probabile tantũ defertur, quod nihilominus
aliquando re ipſa falſum? Num in falſum in-
clinari ac determinari ciuilis aliqua perfectio?

7. Verum nihil obſtat, quò minus arbitre-
mur, huiuſmodi etiam rerum ac quæſtionum
diſcuſſiones, laudabilia eſſe ingeniorum exer-
citia; atque de eis ſciendo vel opinando ſta-
tuere, ad perfectionem intellectualem, vtpote
Ariſt. l. 1. Metaph cap. 2. Sapientiam, vt ait *Ariſtoteles*, ſpectare. impri-
mis excitatam ingenij vim exacuunt: deinde
in Theologicis verſatæ, fidei ſententiam ex-
plicatiorem reddunt, & humanis conceptio-
nibus familiariorem: quo etiam fit, vt contra
errores melius ab orthodoxis defendatur: in
quibus præſtandis ſcholaſtica Theologia plu-
rimum deſudare iam aſſueuit. & quidem, ta- Ariſt. l. 6. Ethic. 3.
metſi horum opiniones non ſint virtutes, pro- Thom. 1. 2.
pter obiecti, quo ad veritatem, incertitudinem, q. 57. art. 2.
nihilóminus humani intellectus perfectiones
eſſe poſſunt, quandoquidem ob ſenſuum in
nobis impedimenta, ſit illi connaturale quid,
ex probabilibus coniectare ac definire. Cuius
perfectionis ratio non deſumitur a falſitate ob-
iecti, ſumpta formaliter, ſed ab eius proba-
bili veritate, quæ cum falſitate, materialiter
accepta, poterit conſiſtere.

8. Idcirco nihil vetat, quò minus literis addi-
cti, quò ad propria munera, ſatis euadant a-
ctuoſi in particularibus, ſciantque malitiæ ac
fraudum ſpecies, quæ in mores ciuiles aliquan-
do plus nimio inualeſcunt. Enimuero ſi nihil
in ciue deſiderandum intellectualis, niſi quod
merè quæſtuoſum, practicum & actiuum, diui-
narum perfectionum pulcherrimæ notæ inter
reliqua illi exciderent: humanitatis quoque
dulcis ſenſus in tetricas conſuetudines, adeo-
que immanes, in eodem rigeſceret: denique
mens ſuo vero pabulo cognitionis deſtituta
tota eſſet in excogitandis fraudibus occupata. Ci: Tuſc.
Num ſentire licebit, humanam condicionem lib. 4.
intellectualem abijciendam ſolum ad particu-
laria pecudum ritu, neque vnquam excitan-
dam ad captum principiorum generalium, ad
Theologiã nempe, ac metaphyſicã: Miſcẽdæ
potius praxis, & ſcientia: quod ſine vtrius earũ
iniuria fiet: & vna alterius impetũ pulcherrimè
temperabit. ſin diuortiũ faciendũ, conducibi-
lius ciuitati, puram exiſtere contemplationem
quã omnimodã ſine ea praxim: illa enim nobi-
liorẽ animæ partẽ obtinet, quã inde ipſis intel-
ligentijs adfinem conſtituit; charitatem quo-
que ac miriores in alios ſpiritus profert: hæc
verò ſeorſim reperta, frandulenta plerumque
eſt, violenta, ac ſummatim barbarica. Alta il-
la ſpeculatio, experientia, omnique praxi di-
uinior, & honorabilior, teſte *Ariſtotele*, adeo- Ariſt. l. 1.
que ſui cauſa expetenda, non vt iſta ſolum metaph. cap.
propter opus. 2.

9. Quod ſi rerum ſcientijs illuſtrati turge-
ſcãt animis, ſi iraſcibili facultate auctoritati ad-
uerſentur, ac partes agant ſemper refractarias,
non ſunt hæc ſcientiæ imputanda, quæ contrà
ad humilitatẽ, ac tractabiles mores ciues appri-
me inſtituit: ſed potius affectus malignitati;
quæ cũ præclara aut ſolida cognitione rarò co-
pulatur. ſunt ſcioli, ſunt argutuli iſti, qui ſeſe
efferunt, qui cum pauone omnes plumas ad
ſolem expandunt: qui ſonantibus vocibus
concrepant, qui inſtar torrentium immani cũ
fragore petorant: cum profundiores aquæ
lapſantes, nullum fermè ſtrepitum edunt.
ſane quos noſtra ætas, ſicut & priores,
literis eminenter ornatos protulit, illos nobis
exhibuit modeſtiſſimos, omnique virtutum
genere ſubactos. Hi benè norunt, tam ſcire,
quam ſuæ ſcientiæ imperfectionem expendere,
ignorantiam propriã in multis deprehendere:

denique vanum eſſe ſcire, niſi ad finem aliquẽ laudabilem ex virtute, pietate, ac charitate, illud retulerint. quid obſecro, ſupetbiæ cum ſcientia, quæ huic non minus infeſta, quam tenebræ luci, quam curuitas rectitudini, quam cæcitas [Bern. ſerm. de vit. ſolit.] oculorum perſpicaciç? *Omnis ſuperbia ſtulta,* inquit *S. Bernardus, licet omnis ſtultitia non ſit ſuperba.* At ſit, hanc vmbram faſtus non tam ſequi radios cognitionis, quam eius ſplendoribus inſidiari, vmbræ tamen iſtius cauſa, ipſe ſplendor non eſt á ciuibus deſerendus, ea potius depellenda. at ubi maximus ſolis fulgor, vtpote ſub æquinoctiali, illuxerit, ibi vel parum vmbræ diffunditur; eodem modo vbi ſumma eruditio inſignem çſtum diuini amoris elicuerit, ibi ſuperbientis vmbræ nihil prorſus inuenietur.

Stat librata dies: truncum vix protegit arbor:
[Luc. lib. 9.] *Tam breuis in medium radijs compellitur vmbra.*

10 Illa autem ſumma voluptas, quæ operationes virtutum Intellectualium conſectatur, non eas quicquam deturpat, vituperábiles oſtendit, aut, tanquam bellaria Epicuræorum, reijciendas euincit. Nam ſi ex voluptate deduci poterit argumentum in t. I um virtutum vituperium, pariter præſtantiſſimas virtutum moralium actiones, quæ omni ſucco veræ expreſſæque iucunditatis pleniſſimæ, eadem dehoneſtari ſtatuemus. Vis enim operationi ad iucunditatem inferendam, vitali facultati eatenus ineſt, quatenus illa naturæ eiuſmodi facultatis conueniens, aptè idoneèque illius appetitui concinnata. ſi ergò ſuauitate animum demulceant moralium virtutum ſtudia, id inde euenit, quod naturæ ipſius ingenio accommodatiſſimè applaudant. quæ quidem conſpiratio cum optimo, non niſi optima eſſe poterit, & ab optimo Deo profecta. Neque eſt hæc iucunditas craſſa ac concreta illa, qualis ad externos ſenſus appellit, ſed ſpiritualis quodammodo, eleuata ac pura, a ſola ratione perceptibilis. Haud verò neceſſe fuerit, virtutum intellectualium amantes, hanc ipſam voluptatem tanquam ipſum finem ſuorum conatuum ſibi proponere, ut admonet *Seneca*; ſatis quod illos ſtudentes ea [Sen. de vit. beat. cap. 9.] conſequatur, & quaſi lauto conuiuio, cum in leuamen naturæ in eis laborantis, tum in illectamentum acrioris contẽtionis, grauiter incumbentes iucundè excipiat, ut docet *Ariſtoteles.* [Ariſt. lib. 2. mag. Mor. cap. 8.] Cuius quidem voluptatis in literatis delibatio timidos aut imbelles neutiquam exhibet, ut Turcæ ſecum barbaricè commentantur. Verum quidem eſt, ut ait *Plato*, omnem in vniuer- [Plat. Dial. 3. de Rep.] ſum voluptatis hauſtum ác ſenſum remittere aliquid de ferocia appetitus in homine iraſcibilis, non ſemper tamen ultra metas rationis & ciuilis fortitudinis. ſi nullum adeſſet in ciuitate lenocinium, hominum mores nimium exaſperati, omnia perturbarent, vitæque negotia amaritudine ac bili inficęrentur. ſi ergò ad emolliendum hunc rigorem ciuili, vſui ſit Muſica, út docet *Plato*, propter illam voluptatem, quam parit, maiori ratione in tale ſubſidium, contra iræ aſperitatem aduocandę virtutũ intellectualium iucunditates: ſine quibus cruda ac violenta cuncta apud ciues euaderent.

Imo, propter hanc ipſam vim emolliendi ac relaxandi, vt poſtea dicetur, virtutes Intellectuales valdè commendabiles. Quis doctrinam in *Catone* metus incuſabit? qui, ut ſcribit [Sen. Ep. 71.] *Seneca, Quo die repulſus eſt, luſit, qua nocte periturus fuit, legit.*

12 Quæ verò aduerſarij obijcere poſſẽt contra dignitates virtutũ Intellectualiũ, deſumpta ex obiectis earum, ut quod res eſt ingenuè fatear, imbecillitatem illatummet in nobis ea ſatis euidenter demonſtrant. ad duo autem reuocantur: primum eſt, quod omnia a nobis concepta, alienis formis veſtita ac picturata, non vt ſunt in ſe ipſis, ſed tanquam ſenſibilia, intelligentijs noſtris obuerſantur. alterum, quod rerum pauciſſimarum demonſtrationes habeamus, fermè vniuerſa opinionibus definientes. Illud ex naturæ conditione oritur, quæ omnino decreuit, ut anima, quamdiu corpori illigata, non intelligat niſi interuenientibus ſpeciebus intelligibilibus, ex ipſis phantaſmatibus ſenſibilibus deriuatis. ob quas, ſummos intelligẽtes, etiam in maxima noſtra luce, dupliciter inumbrari neceſſe. principio quidem ex parte cauſæ efficientis, deinde ex parte obiecti. quò ad prius, exiſtimandum, ſpeciem intelligibilem ſimul cum intellectu *Poſſibili* effectiuè concurrere ad ipſam intellectionem: quæ quidem ſpecies, non eſt genuina forma aut imago rei intelligendæ, ſed extranea omnino & adulterina: quippe efformata per intellectum *Agentem* ex phantaſma- [S Thom. li. 3. con. Gen. cap. 81.] tibus materialibus, ſeu ſpeciebus in imaginatione reſidentibus. Propter quam cauſam in Angelis ſpecies intelligibiles non ſunt, ut in nobis ab ipſiſmet expreſſæ, ſed cum illis concreatæ, & a Deo infuſæ, ac ideo rerum ipſarum propriæ notæ, diuino opere ad earum amuſſim fabrefactæ: quarum virtute intellectionem proferunt, quæ intellecta ut ſunt in ſeipſis, attingat & adſequatur. Porro quemadmodum in ratione principij intellectiui hoc pacto deficimus, ſic etiam quò ad rationem ipſius obiecti minus perfecti ſpeculantes reperimur: nam quicquid mente complectimur, id ſingulare ac ſenſibile nobis videtur, etiam [S. Aug. li. 18 de ciu. cap. 4. S Thom. lib. 1. cont. Gent. cap. 4.] dum ipſum Deum & Angelos contemplamur. idem cernitur dum ſpeculamur rerum principia Phyſica ac Methaphyſica: quæ tamen maximè intelligibilia, diſtractiſſimaque a qualitatibus ſingularium aut ſenſibilium, ut mente reflectendo, noſipſi indicamus. Proinde conſiderato ipſo vultu obiecti, dum intelligimus, in idæas falſas, vel tantum ſimilitudinarias, nos impingere comperimus. Cæterũ propter hæc duo impedimẽta, omnis plane cupiditas addiſcendi in nobis haud extinguenda: nec ſane minus, quã lumen nocturno tempore, ideo non reſpuendum, quod tunc ſolis radius minime illuceſcat. Modus ſciendi, qui nobis a natura conceditur, lux eſt, licet tenuis, mẽtem irradiat, ad agendũ inſtruit, deſideriũ beatitudinis incẽdit: demũ abſtruſas modò nobis rerũ veritates, quaſi in aprico tandẽ viſionis explicatas, intuebimur. Agnoſcẽtes pariter vmbras hac ex parte noſtræ cognitionis, inde intelligimus, ſciendi

munus,

munus, quemadmodum Intelligentijs ſeu Angelis, nobis non eſſe præcipuè ab auctore naturæ in hac vita demandatum, ſed ut virtutum moralium actionibus imbuamur, ab illo potiſſimum directos: quod propriè humanum, ac humani officij complementum: in quibus, iudicantes, de virtutis pulchritudine, ac vitiorū deformitate, errare non poſſumus.

12 Huic noſtræ intellectuali imbecillitati illi vel conſulere, vel potius cedere videntur, qui ſeorſim ac ſubtiliter nobis obiectas res diſquirentes, non multiplici conceptui, aut vocum diverſitati vnum idemque accommodant, ſed pro conceptuum ac vocum numero totidem res, formalitates, realitates, Modos ſe habendi aut virtualitates ſibi diſpertitas in ipſis rebus proponunt. Iſti, ut exempla inferam, naturam motus conſiderantes: in eo, primò diſtinguūt formam ipſius motus, nempe fluxum continuatū a priori ad poſterius: deinde terminum acquiſitum a motu, poſtea actionē, a qua motus, mox paſſionem; per quam ipſe cum forma in ſubiectum recipitur, poſtremo vnionem vel inhærētiam, quibus terminus, ac motus ipſemet, cum ſubiecto copulantur: quæ omnia ſuis imaginationibus intuentur ut totidem res aut virtualitates numero & exiſtentijs diſcretas. pariter in Deo ipſo attributa iuſtitiæ, miſericordiæ, etiam relationes perſonales collatas cum eſſentia diuina, virtualiter diſtincta contemplātur; adeoque numero virtuali ſeparata. idem definiunt de gradibus metaphyſicis entis, ſubſtantiæ, qui huic indiuiduo ſeriatim ineſſe dicuntur. De creatione, ac conſeruatione Philoſophantes, cū inter ſe, tum a terminis creatis conſeruatiſque, aut modaliter, aut virtualiter, etiam ſecundum proprietates indiuiduales, differentes ſtatuunt. Huius facilitatis ad declarandum ac concipiendum origo deſumitur ab imperfectione noſtri intellectus, qui a ſingularibus prorſus abſtrahere non poteſt, ac vniverſalium cognitionem experitur difficilem, ut ait *Ariſtoteles*: idcirco pro numero conceptuum formalium, ac vocū, numerum deſignare ſolent conceptuum obiectiuorum, vt pote numerum rerum ipſarum vel realem, vel formalem, vel modalem, vel virtualem. Quo in genere tradendi doctrinam multus ſane *Franciſcus Suarez, Societatis Ieſu* præſtantiſſimus Philoſophus, iuxta ac ſummus Theologus, & hoc ipſo nomine vulgò eius ſcripta plauſibiliora; hoc eſt propius ad ſenſum, intelligentiamque a ſenſu dependentem, accedentia.

Ariſt. l. 2. met. cap. 1.

13 Quod ad prudentiam attinet, vix a maleuolis illi vmbra aut dehoneſtamenta affinguntur: proinde ſolidè curſum ſuum tenet cum gratia ac decore, etiam quando aſtuta ex errore, fraudulenta ac vafra iudicatur. Verum quidem eſt, labilem ac mancam eſſe humanam prudentiam, quæ ex ſe ſola onera humanæ vitæ ſuſtineat, ac de omnibus negocijs ſtatuat. Multa enim noſtram prudentiam latent, & nōnunquam quæ prudenter digeſſerimus, ea occulta Dei prouidentia ſuſque deque feruntur. Suſtentanda ergo hæc noſtræ prudentiæ infirmitas Sapientia, fide in Deum, ac religione, ut poſtea oſtendemus.

14 In arte quidem, quam in multis *Stoici* Philoſophi, *Cynici*, ac *Adamitæ* Hæretici, inumbrarunt, moderationem eam requirimus, quæ neque faſtui, neque impuræ voluptati aliquando lenocinetur. artis autem nomine, hic non intelligimus illam liberalem circa operationes animæ, vel corporis, quatenus rationi obiectas, verſantem, ſed mechanicam ac ſeruilem, quam *Plato* Phantaſticam appellat: hoc eſt Phantaſiæ apprehenſionibus innixam. Cæterum de hac Arte poſtea.

15 Fidem quidem, intellectus virtutem, multi diuerſimodè traduxerunt, utpote *Iulianus Apoſtata*, *Celſus*, *Porphyrius*, ac *Manichæus* hæreticus ut ſcribunt *S. Cirylius*, *S. Gregorius Nazianſenus*, *Origenes*, ac *S. Hieronymus*: Nihilominus eam conuenientiſſimam eſſe humanæ vitæ regulam inferius oſtendemus.

Cir. l. 1. cont. Iul. naz. l. 2. cont. Iuli. orig. cont. ceil. Hier. præf. in l. de ſcriptor.

16 Theologiam priſci aliquot obſcuram, & quantum potuere, hominibus inamabilem reddidere: cauſam prætendētes, quod diuina nobis ignotiſſima. Hinc Dei ſubſtantiam, quod ſpiritualis, nobis imperuiam cauſati, eius prouidentiam, perfectioni, ſimplicitati, ac immutabilitati opponentes, eam inficiari præſumpſere. Denique omnia nobis nubiloſa, ac incerta eſſe, quæ de Deo affirmamus, opinati, inde eorum cura prorſus ſoluti, dixerunt cum *Simonide* apud *Ariſtotelem*. *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Certè ſi noſtra Theologia ſeorſim a fide verſaretur, dubio procul, varijs erroribus eſſet oportuna: proinde Deus ut huic in nobis defectui melius conſuleret, primò nos docuit, quis & qualis ipſe eſſet: ſubinde manum fidei noſtra Theologia apprehendens. ex eius ducatu in luce veritatis ſecura modo ſpaciatur, multaſque præclaras de Deo ſententias, alioquin ignorandas, profert. Arrogantiam quandam præ ſe tulit *Pythagoras*, ut notat *Gregorius Nazianſenus*, quando a ſuis efferri voluit; *Ipſe dixit*: quam ut vitemus, omnemque humanum faſtum reijciamus, Theologia noſtra dictis a Deo ad veritatem inſtruitur. In monte *Sina*, illo inquam monte legifero, non ſolum apparuit ſplendor ignis, ſed fumi pariter obſcuritas: quo intelligeremus, omnem noſtram de Deo ſcientiam clareſcere quidem luce, at aſſectantibus tenebris ſimul impediri. *Dei quippe poſteriora, quæ videmus*, ut inquit *Gregorius Nazianſenus*, *nihil aliud ſunt, quam ea poſt eum ſigna & argumenta, quæ eum nobis indicant: quemadmodum vmbra illa ſolis, & imagines, quæ in aquis cernuntur, infirmis oculis ſolem repræſentant: quandoquidem eum intentā oculo obtueri non poſſumus, vtpote incomparabili luce puritate ſenſum omnem ſuperantem.* Hoc modo a fide inſtructa Theologia, ſpeculis & ænigmatibus circumſcribitur, ut aſſeruit Apoſtolus: id eſt, exiguis veritatis ſimulacris definitur, ut idem *Gregorius* interpretatur. Neque hoc quicquam Theologiæ detrahit, quod ipſa infinitatē, nobis inacceſſibdem, Deo attribuat: de quo tunc dignè æſtimamus, quando inæſtimabilem reputamus, ut *Sanctus Cyprianus* rectè iudicauit. Argutam quoque hac de re ſententiam extulit *Sanctus Hilarius*. *Ita pulcherrimus Deus eſt confitendus, ut ne-*

Hil. l. 1. de Trin. — Ariſt. l. 1. Eth. cap. 9. — Grego naz. orat. 1. de Theo. — Exod. 24. — Greg. naz. orat. 2. de Theol. — 1. Cor. 13. — Cypri. de idolor. van. — Ariſt. lib. 2. met. cap. 1. — Hilar. lib. 1. de Trin.

ut neque intra ſententiam ſit intelligendi, neque extra intelligentiam ſentiendi. Intueamur ſi placet, ipſa mentium lumina, depulſis iam virtutum intellectualium vmbris.

CAPVT. IV.

De virtutis Intellectualis ſingulari præſtantia vera idoneaque notitia, apprime vtilis.

Greg. Niſſ. li. de hom. Natu.

Cum homo rationis lumine, liberoque arbitrio egregiam dei ipſius in ſe referat ſimilitudinem, ut obſeruauit *Gregorius Niſſenus*, eoque cæteris animantibus longè antecellat, tum genere ipſo præclarum, optimoque ciue dignum, rationem hanc tam practicarum quam ſpeculatiuarum ſcientiarum acceſſionibus, earumque luminibus comparatis ultra naturæ decus perpolire ac illuſtrare. Si enim corporis venuſtas digna res ſit, quæ veſtium ſplendoribus, gemmarum exquiſitis flammulis, colorum vel vitam ſpirantium varietatibus exornetur, quantò magis illa pura, illa diuina, illa micans intelligendi facultas, quam homo accepit, vt illam excoleret, virtutum Intellectualium radijs ac fulgoribus ab ipſo nobilitanda? Gemmarum poſſeſſores ea cura ſollicitè tangit, ut depulſis ſordibus ac pulueribus, earum facies perpetuò vibrent, ac ſcintillent. at certè multò accuratius contendere debet homo, ut in ipſo hæc vis ac ſcintilla intellectilis ab erroris & ignorantiæ coinquinationibus immunis ſeruetur. Quod cælum, ex qualitate corporis luminoſi, inter alia corpora ſit præſtantiſſimum. ideo in alto loco illud deus collocauit, ad cuius lumina, a terra elatæ exhalationes, aut

Rom 8.

vapores exſpirati non pertingerent. Cæterum hominis anima non ſolum cælum quoddam videtur, in quo deus ipſe reſideat, quinimo eiuſdem dei expreſſa imago; quod cælo deeſt, ac proinde, ne caro ac ſanguis inferius poſita, nebula aliqua praui ſenſus eius pulcritudinem ſuis emiſſis fumis commaculent, omni induſtria

Ierem. 2.

contra a nobis enitendum. Virginibus, eo ipſo quo virgines, ingenium adeſt, non ſolum ad formas vultuſque proprios ab externis, quæ dedecora inferant, oppidò muniendum, ſed inſuper, quibus poſſunt, modis ad illos perpoliendum, vnde alijs amabiles appareant. Facultas in homine intellectiua virgo eſt, nullo errore conſtupranda: geſtit plurimum ſe deo Angeliſque commendabilem exhibere rebus alijs ſublimior puriorq; facta: proinde ut eorum oculis ſui obiectu, tanquam grato ſpectaculo, ar-

Heſt. cap 2.

rideat, ſeſe varijs ſcientiarum pigmentis. *Heſteræ* inſtar, venuſtat, non eo contenta, quod natiuā elegantiam inuiolatam cuſtodierit. Delectatur mirificè anima, cum ſeipſam viderit lampadem criſtallinam; in qua cum oleo igneque charitatis, lumen ſcientiæ illuxerit. Enimuerò exiſtimandū, deo quoque illud opus in nobis charum, quo illam partem, vnde eius in nobis ſimilitudo maximę effulget, ſtudioſe inſignimus. Si vera extiterit veterum ſententia, opinantium floridas coronas, aut lapillos precioſos, deorum ſtatuis admotos, dijs in honorem ceſſiſſe, ac ipſis id ſummè gratiſſimum, ſanè multò potiori ratione iudicandum, ipſi deo periucundum videri, quando animam, eius veram expreſſamque in nobis imaginem, virtutum Intellectualium fulgoribus decorauerimus. Hoc *Ariſtoteles* ſuo æſtimatu eſt aſſequutus. *Qui vero muneribus fungitur menti conſentaneis, & cā percolit, eſtque optime animo affectus, eum, probabile eſt, deo chariſſimum eſſe.*

Ariſt li. 10. Ethic. cap. 8 12. Met. cap. 3.

2. Et quidem illud dominium, quo homo Idem apparet in terris, quod deus in cælo, teſte *Gregorio Nazianzeno*, quo que res concretas, beſtias, volucres ac piſces, demum omnia, ſibi in ſuos vſus ſubijcit, initium capit in eiuſdem intellectu. Cum enim corpore ſit alijs animantibus multo imbecillior, neque inſtructus ad comparanda tam facili operā, ſuo victui neceſſaria, vna ratione ſublimatur, ac ad id præſtandum eis præficitur: cuius induſtria cuncta ſibi accommodat, ac in ſuum famulatum etiam reluctantia compellit. atque ut iſte princeps intellectualis, mixtus dei adorator, ut loquitur *Gregorius Nazianzenus*, *vera dei progenies*. ut ait *Seneca*; ſcientiā intelligentiâque præſtans, alijs imperaret, eam corporis formam, nimirum erectam, non pronam, aut repentem, deus illi conceſſit, quæ rationis optimum inſtrumentum exiſteret. Nam ut obſeruant *Cicero* & *Philo*, in altum porrecto collo homo conſiſtit, ut oculos aureſque, diſciplinæ ſenſus, in omnem partem flectens, vndiquaque tam ex ſupernis, quam infernis, dei, omniumque aliorum multiplices ſcientias, qua videndo, qua audiendo, colligeret ac venaretur. Hinc armatus homo incedit in hoc rerum theatro; nimirum ea rationis luce colluſtratus, qua ſe a beſtijs omnibuſque nociuis tueatur, iuxta ac illis leges ac iura imponat, in ditionem ſuam cogat vniuerſa: potens ſimul & impotens, ſpiritualis ac corporalis, indigens ac diues, lucidus ac tenebroſus, terrenus & diuinus, animæ & corporis ſpectaris ingenijs comparet. Quod merito ſanè *Sophocles* demiratus.

Greg. Naz. orat. 2. de Theol. ora. de Hominis miſeria. Sen. lib. 2. quæſt. Nat. cap. 27.

Sen. cur bonis mala accidant.

Cic. lib. 2. de nat. deo. li. 1 de leg. Phil. lib. 1. de fab. Hom. Boet. lib. 1. de conſol.

Soph in Antig. Baſ. Hom. 8. in Hexam.

Plurima vbique ſtupenda videmus:
Sed nihil vſquam natura homine
Atque ſtupendum protulit.
Ille canas æquoris
Obruentibus ratem
Fluctibus tranſilire aquas
Non horret: ac deorum
Summum, Tellurem, celeberrimum
Incorruptum, ac indefeſſum
Obliquis proſcindit aratris,
Annoſque exercet per ſingulos
Equiſque validis verſat.
Volucrum pennigerum genus,
Ac belluarum gentes
Agreſtium, rigidoque
Editos piſces mari
Fune nexis retibus
Capit, atque vndique circumplectitur

M 2 *Induſtrius,*

Induſtrius,& homo vafer.
Ac montiuagus variis machinis
Vincit feras : hirſutum
Pendente per colla iuba
Subiugat equum ferocem,
Monteſque domat habitantem
Taurum.& eloquentiam
Conſiliaque ventoſa edidicit,
Rigidique iurgia fori.
Sub Ioue gelido nimium duras
Mutare didicit ſedes,
Aſperaque iacula imbrium.
Rerum omnium peritus,
Inſtructus,nihil eſt imperuium.

Sen. lib 4 de Ben. ca. 18.Epiſt.76.

Duas res inquit *Sen.homini natura dedit,quæ illum obnoxium cæteris,validiſsimum facerent, rationem & ſocietatem.* Incipit,ut dixi , hoc hominis imperium in ipſo rationis ſuæ dictamine:ut pote *diuino* , ut ait *Ariſtoteles* : peruadit ſubinde ad voluntatis motum,hinc verò ad munus potétiæ exequutiuæ progreditur : adeo ut hominis ad dei ſimilitudinem imperantis ſit,animo ſtatuere,velle,ac demum perficere.Vt autem hęc duo poſteriora rectè ab ipſo peragantur , mēs comprimis optimis iudicijs ac ſcientiarum informationibus ſedulò imbuenda : quò fiet, ut imperium inde dimanet rationale,non brutū aut ſolo ſenſu conſtitutum, eiuſque ſymbolum ſit ſceptrum erectum,ac in apice oculatū,quod expreſſiſſe viſa, Philoſophiæ ſpecies *Boëtio* occurrens,nempe mulier,*cuius dextra libellos, ſceptrum verò ſiniſtra gerebat.*

Ari metaph. cap.3.

Boet.de conſ.lib.1. prol.1.

3 Admirabilem autem iſtius imperij vim non ſolum deprehendimus in actionibus voluntatis , ac facultatis in corpore exequutiuæ , ſed etiam in ipſa ratione , quæ apertis , excuſſiſque altiſſimis repagulis & obicibus, ad veritates abſtuſiſſimas oculis ardentibus , ut ait *Boetius* , pertingit. Etenim rerum veritates , quas antiquitas *Iouis* filias nuncupauit, deliteſcunt prorſus , & renitū tur,quo minus in apertū humanis ſtudijs educantur.Idcirco qui hac ex parte imperat, *Hercules* eſt, Gigas eſt, ac ille, qui ex profundo obſcuroque puteo *Iacob*, ut id ſymbolicè *Philo* interpretatur , aquam limpidam veritatis exhauſerit.*Mihi videtur*,inquit,*hic puteus ſignificare ſcientiam,quæ ſæpe natura in profundo ſita eſt, non in ſuperficie , nec in propatulo ſolet eſſe , ſed in abdito : nec facile ſed vix multo labore inuenitur: id quod videmus non ſolum in magnas obſcuraſque contemplationes habentibus , verum etiam viliſſimas.* Appoſitè idcirco *Cicero* , ac etiam *Philo*, aſſerunt,hominem mentis luce præditum,inductum a deo in hunc mundum tanquam in theatrum , ac veluti ad conuiuium : ad Theatrum,cum eius ſit munus omnia ſedulò accuratèque circumſpicere,cuncta ſeriatim expendere ac mente comprehendere. ad conuiuiū, in quo,ne *Hercules Muſagetes* contemplationibus inſudans deficiat, aut deſiſtat , veritatibus inſpiciendis faui appenduntur,quibus viſis, ac deguſtatis, ſumma voluptas ipſum laborantē recrearet ac penitus perfunderet , etiam cum igneam faculam ad altiſſimi putei penetrale laborioſè demerſerit.

Boet de conſ lib. 1, prol.1.

Phil.lib. de ſomn.

Cic. in luc. Phi de fab. mund.

4 Qua in re videtur homo diuinam virtutem imitari , adeoque æmulari. vita Dei, teſte *Ariſtotile* , intellectiua : quam homo participat , dum res ab ipſo conditas quibuſdam cognitionis ſimulacris in ſua mente depingit ac continet , eiſque inſignitus , ac per omnia cogitabundus diffuſus , Deus quidam, intelligibiliter ſingula in ſe comprehendens , ac ambiens indicari poterit.imo aliquando artificiū ſcientiæ adiungens, admirabilium opifex, inſtar Dei, videatur. huiuſmodi extitere *Poſidonius*,& *Archimedes* ille celeberrimus Mathematicus, qui cæli ſphæras,ſtellas ac motus ludendo arte ſua ad viuum ex vitri materia effinxit. de quo Ouidius :

Ariſt. lib. 12 met. cap.8.

Cic.lib. 2 de nat. deo. pag.29.

Ouid. lib. 5 Faſtor.

Arte ſyracuſia ſuſpenſus in aëre clauſo
Stat globus, immenſi figula parua poli. de eodē *Claudianus*:

Clau Epig.

Iupiter in paruo cum cerneret æthera vitro
Riſit,& ad ſuperos talia dicta dedit :
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli,rerumque fidem,legeſque deorum
Ecce ſyracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus varijs ,famulatur ſpiritus aſtris,
Et viuum certis motibus vrget opus,
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.
Iamque ſuum voluens audax induſtria mundum,
Gaudet & humana ſydera mente regit.

Olim *Prometheus* , numen quoddam creditus, ac ad ideam ipſius dei, hominum conditor eſtimatus, quod ſuo igne doctrinæ, eos ad humanos mores erudierat, ut *Æſchylus* fabulatur. Verum,expreſſumque autem, quod ſacrę literæ de quibuſdam hominū diſciplinis pronūciant,affirmantes,eis conuenire vim quandam generandi,nouamque creaturam efferendi.Imò quidam in tantum alti inſurrexere,ut profeſſi fuerint,ſe ſuâ ſcientiâ vel deos quoſdam poſſe condere : nempe ſtatuas ita conceptis incantationibus afficere , vti vi quadam inde attractus Genius illas captiuus ineat, maneatque in eis ligatus , adeuntibus hominibus reſponſa daturus, vt *Triſmegiſtus* recenſuit, idque *S. Auguſtinus* adnotauit,

Æſchyl. in Prom.

Ad ſing. 1. Cor. 5.

Triſm. in Pym ng. lib 8.ciu. cap.23.

5 Non decet ergò ciuem , officium illud negligere , quod hominis proprium , quo illa in ipſo pars excolitur , qua cæteris animantibus præeſt, ut obſervat *S, Thomas* : cuiuſmodi eſt, intellectualis facultatis ſedula inſtitutio. Si enim abſonum,Regem aliquem omnino ignorare ſtatum ac condicionem populorum ei ſubditorum , profectò a ratione planè alienū, hominem , in hoc vniuerſo principem conſtitutum,minorem mundum , maioris compendium,neſcire penitus ea , quæ ipſius imperio ſubiecta , ſuaque natura complexa eſſe voluit Devs : denique nōn ut incolam , ſed prorſus tanquam peregrinū,in ſuo verſari , vel potius cæcutiendo non imperare , ſed dormitare. Enimuerò ut homini hoc imperiū quò ad vſum eripiatur,ac ut eis ipſe inſeruiat,quibus ratione dominari eum par erat,tot errores , tot ignorātiæ,tot iniqua deſideria, vndiq; eū infeſtār, ut vel Dracone aliquo opus,quo non aureū

S.Thom.li. 3 con.Gen. cap. 81. 1. part. q 96. art. 1.

vellus

vellus, ſed aurea humanæ dignitatis præſtantia contra tot inſidiatores in tuto conſeruetur.

Claud. in laud. Stilic.

Argum fama canit, centeno lumine cinctum,
Corporis excubijs vnam ſeruaſſe iuuencam.

Semper in admiratione aliorum fuere, qui literis clari celebritate innotuerant: ac in eo veritas ſe vino, mulieribus, ac ipſis Regibus ad attrahendum fortiorem præbuit. (3. Eſdræ 3.) imperat enim veritas vel Regibus: quod apud *Perſas*, ad collū Regis appenſus ſaphyrus, veritatis ſymbolum ex viriditate, ſignificauit. eadem ſacerdotum dignitati conſentiebat apud Iudæos: *Aaron* enim a *Moyſe Rationali* induebatur, *In quo erat doctrina & veritas*: (Luit. 8.) Vim literarum in ſe Græci ſenſere, qui earū cupiditate incitati, longiſſimis itineribus confectis ad *Phænices* ac *Ægyptios*, vt ab eis mathematicas diſciplinas addiſcerent, ſe peregrè contulerunt: quod recolunt *Plato*, *Cicero*, *Ioſephus*, ac *S. Hieronymus*. (Plato Dial. 10 Cicero 5 de fin. De legib. Ioſ. l. 1 cont. Appi. Hier. l. ad Paul.) ac teſte *S. Hieronymo*, *Apollonius* vel orbis vltima loca adiuit, vt mathematicum quemdam de ſtellis diſſerentem audiret. *Nunquamnè legiſti*, ait *Plinius*, *Gaditanum quendam Titi Liuij nomine gloriaque commotum, ad viſendum eum, ab vltimo terrarū orbe veniſſe, ſtatimque vt viderat, abyſſe?* (Plin. l. 2. ep. 3. Plut. in Alex.) *Alexander* inter Darii ſpolia inuētum *Homeri* poëma, humani generis bonū appellabat, & eo nomine amplexatus. ſtudium hoc *Ariſtoteli* patriam decreuit, vt *Plinius* narrat: cui quinto quoto anno, vt *Muretus* recenſuit, *Athenis* Encomion canebatur. (Plin. l. 7 cp. 29 Mur. in Var. cap. 6.)

6. Quemadmodum verò ſolis ſubſtantia non modò in ſe lucidiſſima, ſed ad alia ſuos radios longiſſimè diffundit, ita ſcientia non tantum ſedem ſuam, nempe intellectum, irradiat, verum in hominis appetitum illam vim tranſmittit, qua eius pars concupiſcibilis a fœda voluptate auocetur, itidemque Iraſcibilis quodam dulcedinis liquore emolliatur. Appoſitè *Boetius* (Boet. l. 1. conſ. Proſa. 1.) philoſophiam ſe conſolantem ſub forma mulieris induxit, quam narrat, toruis inflammatam luminibus, poëticas muſas uoluptati ancillantes, propè ipſum aſſidentes, reſpexiſſe, ac tanquam ſcenicas meretriculas illicò abigendas ſeuerè admonuiſſe. Eo ſi quidem vigore eſt Philoſophia, vt neutiquam patiatur acceſſum Satyrorum, vel choros ſyrenarum; neque oculis oblimis, ſeu ſtrabis, tanquam *Venus*, ſcilicet doloſis, vt id *Epictetus* interpretatur, ſed toruis ac flammantibus, vitæ mollitiei infeſtiſſimis. (Ep. Dial.) Sanè nihil magis vel honeſtius libidines comprimit, quam rerum humanarum, diuinarumque contemplatio. quæ non ſolum illos feruidos ſpiritus depaſcitur, qui ad libidinem incitant, vt obſeruat *Doctor Angelicus*; (S. Thom. 2. 2. q. 118. art. 2.) verum ab impuris illecebris animorū aciem trāſfert ad cogitationem cupiditatemque rerum optimarum. Lenocinia quidem ſenſuum in rebus ſua particularitate concretis reperiuntur: ac idcirco eorum voluptates, a phantaſiæ apprehenſionibus depictæ, vim intelligendi aut ſecum trahunt defiguntque in ſingularia, aut eam ligant, ac quodammodo mandragoræ guſtu conſopiunt. Contemplationes verò mentis in vniuerſalia rerum principia excitantur, in abſtracta ab indiuiduis feruntur, (Ariſt. l. 12. met. cap. 3.) proinde non ſinunt illam, dum voluptati obſequendi cupido vrget, rebus ſenſum ferientibus cogitando inhærere. Rectiſſimè ſanè *Eccleſiaſticus* ſententiam protulit: *vigilia honeſta tabeſcent carnes*. (Eccleſ. 3.) quod vel maximè conſtat in ſtudio ſacrarum literarum. *Ama*, inquit *S. Hieronymus ſtudia ſcripturarum, & carnis voluptates non amabis*. (Hieron. ad Nepotian.) Vt enim ſolis radius in ſubiectum ignem, teſte *Ariſtotele*, deuibratus, illum extinguit, ſic claritudo ſcientiæ flammam concupiſcentiæ debilitat. (Ariſt. l. 2. Meteor.)

7. Veruntamen licet in vniuerſum ſcientia iraſcendi acrimoniam debilitet, nihilominus quod ad vim concupiſcibilem, omnes illius ſpecies non eodem modo ſe habent. quæ autem puræ ſpeculatiuæ, illæ animæ facultatem incenſam in libidinem plurimum ſedant & comprimunt, liliaque plerumque proferunt caſtitatis: quandoquidem circa ſenſuum pulcra & amœna illicia minimè verſentur, ſed altiora contemplentur. Enimvero Metaphyſica hac ex parte caſtiſſima, puriſſima, diuiniſſima. aliæ vero, quæ artes ingenuæ habentur, vtpote *Poëſis* ac *Muſica*, interdum ardoribus concupiſcentiæ fomenta ſubminiſtrant. vnde vulgò notatur, Poëtas & Muſicos eſſe laſciuos. Huius autem cauſam eam reputo, quod iſtæ artes tametſi corporeos ſpiritus, vt faciunt contemplatrices, delibent, nihilo tamem obſtante, quod occupentur circa obiecta ſenſibus plurimum grata, eorum formis ſæpius illuſtratis & ante oculos artificum poſitis, irritant in ipſis amores & flāmas petulantis voluptatis. Poëtis ſanè cum rebus tum verbis quodammodo luxuriatur. Poëtæ enim oculos mentis vndiquaque conijcientes, non alia quærunt quam rerum flores, gemmas ac mella, quibus tanquam apes floridis pratis, inſidant. ſub quibus formis ſurrepit *Cupido*, qui cum illis colludat. illi autem animis interim ſoluti, inde aptiſſimi, qui oblatas veneres minus aſpernentur.

Tibul. l. 2. eleg. 4.

Ite procul Muſæ, ſi non prodeſtis amanti.

Hoc verò in Muſica patentius, quæ picturis impudicorum aut vehementium motuum aures oblectat. Atque *Rhetorica* ipſa non omnino remota a blanda tractatione appetitus concupiſcibilis: partim quod in multis Poëtas & Muſicos imitetur, partim quod verborum luminibus, amplificationum coloribus, affectuum, præſertim amoris, motionibus, familiaris: ex quibus emolliri, & laxari poterit appetitus in cupediam impuræ voluptatis. Nihilominus, præclaræ iſtæ artes hiſce nominibus haud a quopiā deſerendæ; ſed potius adhibenda diſciplina diuini amoris; pietatis in lacteā *Deiparæ virginis* Sāctitatē, qui ab incendijs libidinū tanta Dei ac Naturæ dona in nobis defendantur. illi verò in maiori periculo huius deflagrationis collocari videntur, qui in iſtis artibus excellunt: præcipuè ſi delicatiori in ipſis complexioni iſtiuſmodi amæniores Muſæ affluxerint. Tunc prata, tunc flumina, tunc auium cantus eos blandius ad illecebram ſolicitabunt. ſed dico, iſtis omnibus præualebunt in Deum amor, in *Deiparam* deuotio.

8. Sì quis porrò appetitus iraſcibilis vigor, hinc quoque emoleſcit, pietate, beneuolentia, ac

conuictus ſuauitate in conſeſſu colliqueſcit. Crudum nihil, aut horridum pectus illud obtinebit, quod ingenuæ artes penitius altiusque informarunt.

Ouid l. 1 de Pont. ad Græcin.

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura,
Pectora molleſcunt, aſperitasque fugit.

Quem vero alium fructum, inquit *Plutarchus*, *homini benigna Muſarum conſuetudo affert, quam ſtudio & diſciplina manſueſactum, medium certa ratione ſuſcipere, & quod nimis eſt, abycere?* Huius autem rei cauſam enarrandam perſequar, tametſi auctorem præëuntem minimè ſequar. Duo ſunt in homine, quæ teneritudini cordis, eiuſque in alios dulcedini aduerſantur: amor illecebræ, ac furor expetitæ vindictæ. amor ad ſe iucunda compellit, alij eadem ſubtrahit, ad ſecreta loca, in quibus præda clam guſtetur, feſtinatò procurrit. furor vindictæ non reſilit aut fugit ab alijs, ſed eos potius aggreditur, vltumque inuadit: proinde vtrimque conſortij ſuauitas impugnatur, ac eiſdem ciues mutuo inhorreſcunt. Cæterum literarum ſtudia ſui amorem compeſcunt, eius obſectamenta profligant, excellentiam charitatis ac benouolentiæ optime norunt & aſſequuntur: crudiatem vindictæ non tam in homine, quam in lupo ſpectandam ſtatuunt: proinde ſenſum pectoris ductilem exhibent, & ad omnia denique officia humanitatis ac conuictus paratiſſimum. Ipſa porrò obiecta ſcientiarum, principijs, ſpeciebus, ac proprietatibus conſtantia, ſcientibus pulchrè orondinatèque concinnata apparent; nixu quippe decenti ſubalternata ac ſubalternantia. quæ quidem conſtructionū ſpecies in obiectis, venuſtatem quandam ac cohærentem ſeriem ipſis etiam ſcientijs impertitur: ex quo fit, vt Docti perquam amantes ſint ordinis, ad ſimilitudinem ſuæ ſcientiæ, ac mutuæ inter homines neceſſitudinis, amicabiliſque cuiuſdam in ſocietatem veluti contextus.

9. Verum nihil virtutis intellectualis vel præſtantiam, vel ad domandum appetitus iraſcibilis duritiem magis commendat, ac probat quam ei agnata dulcedo; adeo vt nulla perfectior imago eiuſmodi virtutis, quam lux, ſeu lucens gutta nectarica cogitari poterit: ſplendet enim vt lux, & tanquam nectar incredibilem in ſe continet iucunditatis ſuccum. *Ideo* inquit *Ariſtoteles vigilia, & ſenſus, & intellectus ſunt voluptuoſa.* Et quidem quæ intellectui iucunda, ea natura ſua talia ſunt, non ex reſpectu ad diſpoſitionē ſubiecti; qualia nō ſunt iucūda ſenſuum, quæ non ſemper eiuſmodi, ſed ſolum conſtituta certa quadam ſubiecti affectione. atque ex hoc probat idem *Ariſtoteles*, Deum vitam agere iucundiſſimam; quod vitam degat intellectualem. Atque cum in vniuerſum iucunda ſit cognitio, tum illa nobis iucundiſſima, quæ circa diuina occupatur, vt idem *Ariſtoteles* pronunciauit: vel probabili enim de diuinis in nobis expreſſa coniectura, perinde animis lætamur inquit, ac ſi in ingentem aliquem theſaurum incidiſſemus. eſt enim mens noſtra Deo adfinis, proinde plurimum geſtit, cum aliquid ſui conditoris, ac exemplaris, intelligendo vtcumque delibauerit. *Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* Refert ſententiam *Anaxagoræ Ariſtoteles*, dicentis, *vitæ philoſophicæ cupiditatem, non niſi ſcientiæ alicuius gratia laudabilem eſſe.* qua de cauſa *Plinius ſecundus* eos vocat delicatos, qui contemplatione motum animæ definientes, actioni ſuperſedent. *Delicatus, ac ſimilis ignoto eſt, qui amici bonum librum mauult audire quam facere.* Amabilis itaque ſcientia nomine ſuauitatis, eademque ad mores ciuiles facileſque efformandos potentiſſima. Hanc tanti fecere viri Sapientes, ærumnis iſtius vitæ afflicti, vti in ea contra omnes earū aculeos remedium conſtituerint. Hinc *Ciceroni* Tuſculum arriſit, *Catoni* ſui ſubductio, *Ouidio* carmen in Ponto inter difficillimos caſus ſubuenere.

Ariſt. mag. mor. cap. 1, 18. cap. 3. — *Ariſt. 12 meta. cap. 3.* — *Ariſt l. 2 de anim.* — *Sap. 8.* — *Ariſt l. 1. mor. cap. 2.* — *Plin. l. 8. epiſt. 24.* — *Cicer. l. 1 Nat. Deor.* — *Ouid. l. 4 Triſt.*

Illa nec exilium Scythici, nec littora Ponti,
Ille nec iratos ſenſit habere Deos.

Quod clariùs cōſtabit, cū de ſingulis virtutibus Intellectualibus, ac primo loco de Sapientia, ſeorſim tractauerimus.

CAPVT V.

Qualis vſus, quantaque neceſſitas, quo ad Ciuilitatem Sapientiæ: ſeu cognitionis Dei, vtpote omnium Principij, ac Finis.

QVod vita ciuilis, virtute licet ſtabilita, caduca ſit ac fluxa, aliòque vt medium paratiſſimum tendat, exiſtimandum, eius appetitu aut etiam poſſeſſione, humanam voluntatem haud plene ſatiari, ſed vlterius ad remotiorem terminum, extra omnia ſenſu perceptibilia collocatum, progredi ac feſtinare. abiecta quippe eſſet hominis condicio, ait *Seneca*, *Si is nihil ſupra hominē requireret. quid tam ærumnoſum, tam breue, quam hominis vita etiam longiſſima?* vt ait *Plinius Secundus*. Cuius rei conſcius animus Xerxis Regis, tandem moriturò ſuo quanquam florentiſſimo exercitui, etiam viuenti adhuc lacrymas impendit. Cæterum non tantum ciuilis hoc pacto ſapientia ſublimatus, ad Deum, vtpote vltimum finem, ſe erigit, in cuius cognitione & amore deniceps conquieſcat, verum etiam, vt ciuilia iuſtitutra eò confirmet in ſocietate, ipſumque ciuilem finē, virtute ac bonis externis conſtantē, felicius aſſequatur. Etenim perſpecto ſemel fine, rationes mediorum melius inde cognoſcuntur: deſignato centro, modus ducendi lineas ad circumferentiam facilè eodem percipitur: ita cū Sapientia ad Deum, rerum omnium ac morum finem, centrum ac vinculum peruenerit, ſubinde exploratè diſtinctèque perſpiciet vir Ciuilis omnes officij ſui partes ac momenta. *Finis* inquit *S. Thomas*, *eorum rationes in ſe continet, quæ ſunt ad finem.* Enimuero homine indignum, maximis ab ipſo aditis periculis, & ſummis laboribus exhauſtis, illum in hanc ciuilem ſcientiam incumbere, ſi nihil tantæ contentionis ad æternitatem peruaderet, ſi omnis eius inquiſitio, ac collectus fructus, mortis, quæ perpetuò, caſura tandem, imminet, tenebrarum, obliuionis,

Senec. l. de tranquil. — *Plin. l. 3. ep. 7.* — *S. Thom. 1. 2. q. 8 art. 3.*

uionis, ac nihili, periodis terminarentur, extinguerentur: ſic terra, poſt tot ſtudia, nihil oriretur funeri ſuperſtes, quod in Deum aſſurgeret: ſi neglectis polis nauticis, nauis ipſius curſus immanibus ac inſanis maris vorticibus duntaxat committeretur. Qui eunoſius exſculpunt lapides, ſuos habent ſaphyros, quorum adſpectu oculos ſibi recreent: qui in ſalo nauigant, anchoras ac portus retinent ad remittendum labores ac moleſtias. qui integris diebus terram verſantes deſudant, noctem excipiunt, in qua ſopor, cubituſque corpora refocillant. Cæterum iniquiſſimum foret, vitæ ciuilis actorem, ſaphyro, portu, anchora, requie, hoc eſt Deo deſtitui, ab vno ad aliud abſque omni ſaturitate, vel relaxatione, Siſyphici ſaxi inſtar continuo volutari. Quamobrem hinc factum, quod hactenus nullus Philoſophus, cum ſui nominis celebritate, de imperio ciuili ſcripſerit, qui operi ſuo hanc ipſam ſapientiam, Dei nempe cognitionem, tanquam Pharum ac lucem non prætulerit.

Cicer l. de Nat Deor. l. 1. de Legib.

2. Sapientia itaque iuxta ſententiam *Ariſtotelis*, circa prima principia, altiſſimaſque cauſas verſatur. quæ in ſeipſis ſicut maximè vera ita pariter præcipuè certa. at *Difficillima*, inquit, *hominibus cognitu ſunt ea, quæ maximè vniuerſalia ſunt: ſiquidem remotiſſima ſunt a ſenſibus.* Principia hæc in Phyſicis, cauſæ componentes, materia, forma, priuatio, efficiens, & finis. In metaphyſicis, gradus ſub ente vniuerſaliſſimo contenti: Deus, quoque & Intelligentiæ longiſſimè a condicionibus obiectorum ſenſibilium ſecreti, ad principia eiuſmodi reuocantur. Sapientiam, ſeu metaphyſicam, horum percepericem, *Ariſtoteles* aſſerit, ſui cauſa expetibilem, in quantum talis, ac perfectio intellectiua: *Ita & hæc ſola ſcientiarum libera eſt: ſiquidem ſola hæc ſuiipſius gratia eſt.* quam etiam poſſeſſionem diuinam appellat. Cæterum iam vſus obtinuit, vt ſapientiæ nomine Dei cognitio antonomaſticè ſignificetur, vt docuit *S. Thomas. Ille ſapiens dicitur in vnoquoque genere, qui conſiderat cauſam altiſſimam illius generis. vt in genere ædificii artifex, qui diſponit formam dicitur ſapiens Architector reſpectu inferiorum artificum. qui dolant ligna, vel parant lapides. vnde 1 ad Cor. 3. vt ſapiens architector fundamentum poſui; & rurſus in genere totius humanæ vitæ ſapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem. Vnde dicitur Prouerb. 10: Sapientia eſt viro prudentia. Ille ergo qui conſiderat altiſſimam cauſam totius vniuerſi, quæ Deus eſt, maximè ſapiens dicitur. Vnde & ſapientia dicitur eſſe diuinorum cognitio, vt patet per Auguſtinum 12 de Trinitate. Sacra autem Doctrina propriiſſimè determinat de Deo ſecundum quod eſt altiſſima cauſa: quia non ſolum quantum ad illud, quod eſt per creaturas cognoſcibile (quod Philoſophi cognouerunt, vt dicitur Rom. 1. quod notum eſt Dei manifeſtum eſt illis) ſed etiam quantum ad id, quod notum eſt ſibi ſoli de ſeipſo, & aliis per reuelationem communicatum. Vnde ſacra Doctrina maximè dicitur ſapientia.* Hac ſapientia in rerum vltimos terminos, & ipſam æternitatem proſpectante, eorumque apices ſuperante, animus imbutus, iudicium quaſi a montis apice profert de gradu, quo habenda iſtius vitæ bona vtpote inferius collocata, nempe voluptas, & Honor: ac conſtanter renunciat, non eſſe eo momento magna, quo ea æſtimat vulgus. *Ciceroni* proinde id diuturnum dici non poſſe innotuit, quod aliquando finem habiturum. Cum quidam ſignificaſſent *Petrarcha*, ſe ex ſcriptis in magnam famam deueniſſe, illis ita reſpondit: *Magna in exiguo qualiter explicentur, non inuenio:* Significans vitæ noſtræ incertam breuitatem, mundi bonis magnitudines penitus adimere. definit itaque Sapientia, ac ſententiam dicit de rerum valoribus, quo vitæ huius etiam maxima ad paruitates ſuas reducit. Animaduertit ſapientia, humanæ vitæ negocia ad duo tendere: ſcilicet ad æternum præmium, aut ad æternum ſupplicium. quibus perſpectis, veluti in humanis, duobus hinc inde polis, de aliorum ſubinde momentis exactè diiudicat.

Ariſt. 1 met. cap 2. l 6 Eth, cap. 7.

Ariſt in proh. meta S Thom. 3. cont Gent. cap 17.

S Thom. S. 1 q. 45. art. 1

1. part q. 1. prohem l. 1 cont. Gent. 1. Cor. 3.

Prou. 10.

Auguſt. 12. de Trini.

Rom.

Pett. De Remed.

3. Quod ad Dei in nobis cognitionem, triplex eius genus: primum, quo lumine naturali de Deo, tanquam omnium auctore, ac fine philoſophamur: alterum, quo fide ac reuelatione edocti, de diuinis ſtatuimus: poſtremum, ex vtriſque mixtum, quo ſemel creditis fidei articulis, de illis ad normam cuiuſdam philoſophiæ Theologicè diſputamus. Obiectum quoque iſtius Sapientiæ triplex: primum, Dei exiſtentia, quam *S. Gregorius Nazianſenus* affirmat oculos noſtros, propter rei euidentiam, ex rebus creatis exploratè cognoſcere: alterum, eiuſdem qualitas perfectiua: quam idem *Gregorius* aſſerit, nobis eſſe obſcuriſſimam: poſtremum, quod ipſi Deo liberè accidit, per varios reſpectus ad effectus, quos ipſe producit, conſeruat ac in ſuos fines deſtinat. Deinde dupliciter huius noſtræ ſapientiæ obiecta cum animis noſtris tractare poſſumus: primò vt nihil aliud præter ipſam cognitionem ſpectemus: deinde vt ex eo aliquid eliciamus ad mores ciuiles pertinens, quod noſtri inſtituti eſt penſum, & ad quod lectorem incitare nobis proponimus.

S Thom. l. 1. cont. Gent. cap. 3.

Greg. naz. orat. 2. de Theol

4. Tria autem ſunt præcipua argumenta, quibus noſtrorum hominum, & aliorum, Sapientia vtitur, ad probandum Dei exiſtentiam, iuxta ac ad eius perfectionem, ſeu qualitatem, demonſtrandam. Primum ducitur a definita eorum natura, quæ extra Deum ſunt: cum enim finitum non poſſit eſſe a ſe, ſeu eſſentialiter, conſequens, illud ab alio confectum, adeoque a Deo, quia a ſe, & eodem eſſentialiter exiſtit. ex quo etiam ſequitur, Deum horum auctorem, eſſe actum purum, illimitatum ac perfectione infinitum. Alterum conficitur ex ſingulari rerum creatarum ordine, concentu pulcherrimo, qualem in humano corpore *Cicero* & *Galenus* admirantur; quo inter ſe diſponuntur vniuerſæ. hinc enim probamus, cuncta hæc non eſſe fortunæ effecta, ſed mentis alicuius, excellentiſſimo more intelligentis & efficientis opera. Cæterum *Ariſtoteles*, *Epicurus*, ac maxima pars Philoſophorum has conſequentias de Deo penitus inficiantur; admittuntque res finitas ac certo ordine digeſtas, poſſe eſſe a ſeipſis. *Natura enim ait Ariſtoteles,*

Greg. nazi. orat. 2. de Theol.

Cicer. l. 2. de nat. deorum pag. 114.

Gal. de hom. Gen.

Luc. l. 2.

Anch. apud virgil 6. Ænead.

Ariſt. l. 8 Phyſ. Text. 15.

cauſa

cauſa eſt ordinis omnibus. etenim non cognouere iſti creationem, definientes cum *Ariſtotele*, ex nihilo nihil fieri. quocirca *Ariſt*.peculiarem viã ingreſſus, ex motu circulorum cæleſtium,intulit octo eſſe intelligentias: quarum prima ac principalis merus ſit actus ſine vlla potentia, ideoque ſubſtantia perfectiſſima. Cum enim, inquit, cæli moueantur perpetuo motu, neque illo aliquid acquirere ſibijpſis contendunt, mouentur,dubio procul,a ſubſtantijs immaterialibus in gratiam vniuerſi. quarum ſeries cum non ſit infinita, tot erunt, quod circuli cæleſtes. & ſicut inter circulos primum mobile ſua ſubſtantia eminentiſſimum, ita intelligentia ad illud ſpectans, Deus erit, intelligentia quippe abſolutiſſima; æterno nempe tempore degens vitam intellectualem,eaque vita neceſſariò primum mobile in gyrum circumagens.

Euſeb. l. 11 præp. cap. 15. Ariſt. l. 2 metaph cap 34. l. 12 cap. 4 S. Thom. l 3. cont. Gent cap. 23.

5. Enimuero obſcuriſſima, adeoque falſiſſima, quò ad multa, extitit hac ex parte antiquorum fucata ſapientia. atque inter omnia argumenta, humano captu excogitabilia, quæ veræ ſapientiæ inſeruiant, illa duo ſunt præcipua, quibus noſtri vtuntur, nempe deſumpta ex rerum finitionibus, ac earundem ordinata digeſtione: de quibus *Iuſtinus*. *Quod originem non habuit, ei quod originem non habuit ſimile eſt, par atque idem; nec alterutrum alteri vi & honore anteponi poteſt*. Meritò exiſtimauit *Iuſtinus*,illud omne infinitum, quod a ſe, nempe eodem ipſi Deo æquale. Vnde non ſolum probatur, res finitas eſſe a Deo creante, ſed etiam nihil creationi inſtar ſeminis aut materiæ, præfuiſſe, quod a ſe abſque creationis opere ſubſiſteret. Mirum tamen dictu, cum hoc veteres animis non conceperint, fermè totum humanum genus,exceptis *Platonicis*, *Græcos*,ac *Latinos*, Poetas, ac Philoſophos, conſpiraſſe in ſententiã *Epicuri* opinantis, ex rudi quadam materia, in qua omnia rerum diſparia ſemina continebantur,aliquid eius ſurſum euolaſſe, ex quo cælum ac ſtellæ; aliud deorſum ſubſidiſſe, vnde terra,ac terrena: aliquid medium occupaſſe, vnde aqua, aer, & ignis emanarunt.

Greg. naz orat. 2. Theol. S. Thom. l. 2. cont. Gent. Athan. cont Idol Ariſt 8 Phyſ. Text. 10. Iuſtin. Dial.

Ouid. l. 1 Faſt & l. 5.

Lucidus hic aër, & quæ tria corpora reſtant,
Ignis, aqua, & tellus, vnus aceruus erant.
Vt ſemel hæc rerum ſeceſſit lite ſuarum,
Inque nouas abijt maſſa ſoluta domos,
Altum flamma petit, propior locus aëra cepit,
Sederunt medio,terra,fretumque,loco.
Tunc ego qui fueram globus, & ſine imagine moles,
In faciem redij,dignaque membra Deo.

Claud. l. 1 de Rapt. Proſer.

Claudianus quoque cum alijs hoc in negocio claudicare voluit ac canere:

——quicquid leue fertur in altum,
In medium grauiora cadunt. Iſti quidem paruam, vel propè nullam, collectam ſapientiam habuere, licet Deum faſſi, ex qua idoneè de Dei exiſtentia, ac eius perfectione arbitrarentur. nam cum omnis acquiſita noſtra, de ipſo Deo, ſapientia, oriatur ex cognitione rerum a nobis aſpectabilium,atque ſit a poſteriori, vt loquuntur, vtpote intuitus vultus *Phidiæ* in ſcuto *Palladis*: iſti a Deo cunctorum creationem ordinationemque ignorantes, ad eam proferendam hominibus præcipua argumenta ſuo errore eripuerunt. Inter alia, exiſtimo, ſapientiam, ac Theologiam *Ariſtotelicã*,optimè duo confeciſſe: primum, eſſe intelligentias immateriales, ſubſtantias,illasque cælos mouere: alterum, octauæ ſpheræ motricem,eſſe nobiliſſimum. an verò hinc præciſè attributa, quę digna Deo, inferantur, non planè perſpicio. Deum, verò vnum ſolum quid extra ſe moliri, nempe motum primi mobilis, idque neceſſariò, vt ipſe æſtimat, maieſtati plane aduerſarium, ac veræ ſapientiæ noſtræ contrarium. Non enim tanti momenti eſt, res vlla extra Deum poſita, quæ ipſum quodammodo obſtrictum iure diuino teneat ad eius procurationem. cum enim Dei exiſtentia ſit ſummè neceſſaria,ac independẽs ab omni alio, non poteſt neceſſitate duci extra ſe ac aliunde quaſi compelli: veluti ſi alicuius rei tanta eſſet neceſſitas exiſtendi, aut operandi, quanta Deo competit, vt argutè probat Doctor Angelicus.

Ariſt. l. de mundo ad Alex Cicer. Tuſ. 1

S. Thom. l. 3. cont. Gẽt. cap. 23.

S. Thom. 1. par. q. 19. art. 10. l. 1. cont Gent, cap. 81.

6. Illa ſane pars ſapientiæ, quæ vnius Dei exiſtentiam aſſequitur, morum ciuilitati conuenientiſſima. ad quam vt mortales adſpirarent, tot rerum ab ipſo conditarum ſeries oculis eorum ipſe Deus obiecit: quæ inſpectæ, vnum auctorem, tametſi virtute & eminentiã omnia perfectionum genera in ſe complectentem, ipſis demonſtrarent: vnde nobis *Platonis* ſententia, teſte *Plutarcho*, penitus eſſet perſuaſa, ſcilicet Deum huius Vniuerſi eſſe non ſolum auctorem, ſed etiam parentem. Verum quidem eſt, horum adſpectus multiplices genuinæ apud multos ſapientiæ obſtetrile potius: cum enim non niſi præclaris indicijs manifeſtare ſe voluit Deus hominibus,quippe vt decuit, magnis, illuſtribus, ac ſplendentibus,poſteaquam in ea mortales ſuos ſenſus defixiſſent, rati nihil vlterius poſitum æquè magnum, illuſtre ac ſplendidum, non ſolum ad vnum ac ſupremũ Deum haud peruenere eorum cogitationes, ſed etiam in multitudinem deorum omnis ab illis profeſſa ſapientia miſerè impegit: ſigna pro ſignato, literas pro prototypo, famulos pro Domino, cælum pro Ione, fallaciter accipientes, vt doctè *S. Cyrillus Alexandrinus* animaduertit. *Illi in hanc peruenere imprudentiam, vt etiam ex eis, per quæ poterant veritatis cognitionem accipere, per ea ipſa paſſi ſint ſe capi, ita vt mendacio inhærerent*. Hunc errorem vt Deus in hominibus corrigeret, eoque exacto, veram ſapientiam eius loco eiſdem inderet, vt notauit *Theodoretus*, ſtatutis temporibus vim quandam in hæc ipſa,apud nos in admiratione poſita, exercuit, ea ad operandum neceſſitate adegit, ipſis nunc firmitatem, nunc ſplendorem, nunc magnitudinẽ detraxit: ad eius quippe nutum terra haud raro ex ipſo ſolido contremuit, ſtellæ ac planetæ obſcuratæ delituere, reliquaque elementa diuerſimodè aut cohibita, aut mutata, impetum ſuum amiſere. quinimo effecit vt cælum in homines quodammodo fremeret, ardenti ſidere viridem *Cereris* comam incenderet, animantia funeſto incendio deuaſtaret. Neque tantummodo ad nos inſtruendum, proponuntur nobis mundi partes numero plures, verum etiam omnes in vnum quid, illudque

Plu. l. 2. Phi. quæſt.

Bern. Serm. 6. in cant.

Soph. cap. 1. Deut. cap 4. Plat. in cratil.

Cicer. l. 2 de nat. Deor. Cyril. Alex. l. 2. cont. Iulian.

Theod. l. 3. de Proui. Lactan. l. 2 cap. 5.

pulcherrimum,

pulcherrimum, nempe vnius mundi fabricam,
vt in vnam lyram,in vnum palatium conſpirãt;
quo mortalibus ſignificaretur, Deum quoad
perfectionem,eminenter quodammodo variũ:
quoad rem ipſam,ſubſiſtentia ſolidam, vnum,
adeoque ſimpliciſſimum. Erudiuntur hinc ci-
ues,reducendam omnem ipſorum, iuxta pro-
prietatem Bonorum,multiplicitatem,ad vnitatẽ
quandam, quæ vt numeri principium,ita & e-
iuſdem finis, in quem ille reſoluatur: hoc eſt,
quod vnius boni communis participatione, ac
procuratione, vnum corpus charitate devin-
ctum deceret eos reperiri. Quod vt perfectius
abſoluatur, ſapientia dum vnum Deum nobis
indigitat,nos admonet ſurmę principatus mo-
narchicæ,quaſi diuino teſtimonio probatæ, ac
Sen ep. 90. nobis hinc commendatæ. Animaduertit *Seneca*,
inter volucres,vtpote Grues,& Apes,inſuper
inter Elephantes, monarchiæ quandam formã
obſeruari: hæc enim ad iuſtitiæ normam, ad
vitæ pacem multum momenti præ cæteris inter
homines confert, ac ad ideam cæleſtis imperij
hic in terris effingi videatur.

7 Veteres autem fucata ſua ſapientia deluſi,
in multos Deos, vnum interim naturæ inſtin-
ctu quærentes,incidère.quod enim inter natu-
ræ opera vel maximè præcellens,eorumque ſen-
ſus vehementius percellens, Deus id ab ipſis
Prud. lib. 1. cont. Sym. habebatur.

Quicquid humus, pelagus, cælum, mirabile gignunt,
Id duxere Deos, colles, flumina, flammas.

Cuius erroris vi ab vnitate eorum ſapientia re-
iecta,ſparſim ad plura Numina, quaſi per va-
rios ramos luxurians, ducebatur. quorum cre-
dita ab ipſis diuerſitas,eos impediuit,ac depulit
ab vnitate etiam regiminis, ab vno eodemque
omnium communi bono ciuium inueſtigando.
Neque ſolum hæc conficta ipſorum ſapientia
plures Deos ſuſpexit, verum etiam oppoſitos
cum Titanis ac Gigantibus inter ſe belligeran-
Cic.l.2 de nat. Deor. tes, vt refert *Cicero*,ac de ſummo imperio acri-
ter confligentes.

Ouid Eleg. ad Aug.
Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.
Mulciber in Troiam, pro Troia ſtabat Apollo,
Æqua venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Hinc factum,eorum vmbratili ſapientia ita cæ-
cutiente,illos feruidiſſimas inter ſe exercuiſſe i-
nimicitias,ad Deorũ ſuorum prorſus exempla-
ria mutuò rixantiũ ac debacchantium. Renu-
erunt concedere,ſub vnius Dei imperiũ omnes
mortales redactos:ex cuius opinione inter ciues
charitas oriretur: eſt enim id omne oportuna
cauſa amoris,in quo plures conueniunt:proin-
de diſcrimina, varietates,oppoſitioneſque con-
ſtituentes inter homines,quantum ad eorum re-
lationes in diuina,origines diſcordiarum, alie-
nationum ac in contraria diſceſſuũ ſua vel ſa-
pientia aſſeruere ac fouere.

8 Secundo in loco quoad Ciuilem ſapientiã,
proponendus ciuibus Deus, tanquam contem-
plationis ſuæ ſpeculum puriſſimum, amoriſque
Athan. con. Idol Plut, Ilid, & Oli ipſorum illicium vehementiſſimum. Sapientia
vere Philoſophica ſibi obiecit Deũ ſua vnitate
continentem id omne,quod Deus eſſe poterit:
adeo vt eiuſdem iudicio impoſſibile ſit, aliũ ab
eo eſſe Deũ. ſi enim vt ipſa diſſerit,plures Dij,in
ſingulis aliquid reperiretur, quod in altero non
eſſet ſiue formaliter,ſiue eminenter:ac ſic neu-
ter illorum Deus eſſet;cum illud vtriſque emi-
nẽtius,quod ſic omne infinitum in ſe ambit, vt
extra illud ſimile,vel æquale,exiſtere, vel a no-
bis cogitari,non valeat. Eadem Deum ſuſpicit,
quoad intellectum ac voluntatem,actum purũ
nullo modo a potentia ad actum mutabilem,
vt ſtatuit *Ariſtoteles*, illudque egregiè adſtruit Ar 12. met. c.7. S. Tho. 1.part. q.18. art.2 q.1. art.4.
Doctor Angelicus. Denique vltra omnẽ compre-
henſionem creaturæ.perfectũ,abſolutum, infi-
nitum admiratur. Huiuſmodi verò ſapientia re-
bus ciuilibus multipliciter ſane prodeſt. ſi enim
Deus cognitione,amoreque actus purus,conſe-
quenter officium ſuum eſſe percipient ciues,nõ
in otio,aut quiete reponi,ſed in ſedulo exercitio
tam intellectus, quam voluntatis ipſorum ver-
ſari. corpora cæleſtia præ oculis eorũ perpetuò
agũt, Angeli aſſidui in ſuis negocijs efficiendis
diſcurrunt, Elementa continuo aliquid produ-
cunt: idcirco ſapientia noſtra nos admonet, vt
ad has ideas ſimus vigiles,exciti,acres in operã-
do,neque vnqã ab actione vires remittamus.
Quantum autẽ ad ciuilia ſtudia conducat iſtiua
ſapientiæ contemplatio, ita declarat *Seneca*: *Quid* Sen. Ep. 102
tibi videbitur diuina lux, cum illam ſuo loco videris?
Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinet:
nihil humile, nihil crudele: Deos omniũ rerum eſſe te-
ſtes ait. Non enim ita ſuo contentus Deus, qua-
ſi in abſtruſo ſeipſũ collocaſſet, quinimo vt ſa-
pientiæ noſtræ ac charitati peruiua eſſet, ſeſe
quoad aſpectum noſtrum,qua hanc rerum ma-
chinã creando,qua miracula patrando,qua ve-
lum noſtræ naturæ ſibi appendẽdo, accommo-
dauit, ac in multis imitabilem ſe nobis exhi-
buit. quid in moribus lucidi,abſolutique, quod
ciues alacriter non prę ſtiterint, poſteaquam ſa-
pientia ſententiã ferente intellexerint, vitæ ſuæ
exemplar ſummum eſſe Deum, audiuerintque
filium ipſius admonentem: *Eſtote ergo vos perfe-* Math. 5.
cti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt? Sapientiã
excolendam hinc nouerint, cum vitam Dei, i-
pſam eſſe ſapientiam, Patris æternũ verbũ, cre-
diderint. Bonitatem in alios effundendã intelli-
gent, poſteaquam didicerint, Deum adeo immẽ-
ſo bonorum cumulo homines, reſque omnes a
ſe excitatas, locupletaſſe. *Ariſtoteles* viſus hoc Ariſt.l.7. pol.cap.3.
inſinuaſſe, dum Dei benificentiã in eius perfe-
ctionẽ reducit. *vix enim*, inquit, *Deus bene ſe habe-*
ret, & mundus totus, quibus non ſunt actiones exter-
na præter proprias ipſorum. Cum in hunc pyropũ
lucentem intelligentia, voluntate pariter flam-
mantem, intenderint ciues, ipſi eodem totidem
in ciuitate pyropi euadent, mente ſcilicet ſplẽ-
dentes, affectu autem exardentes.

9 Poſtremò, quod præcipuè ac proximè ad
ciuilem inſtitutionem accedit, in noſtra ſapien-
tia ſpectabile, Dei eſt in homines cura proui-
da, ac eorum cauſa de alijs ſuauis, ſimul ac for-
tis diſpoſitio. Cuius ſapientiæ cognitionem
Plato ciuibus neceſſariam reputauit, *vt Bene*, in- Plat. dial. 10. de leg.
quit, *viuamus*. efficit ergo hac ex parte iudicio
Platonis, ſapientia in Dei prouidentiam delata,
vt non ad impetium voluptatis, ſed ad normã Cic. lib. 2. de leg. pag. 347
rationis, vitæ mores componamus. *Cicero* ex
mente *Platonis*, hanc Sapientiam appellat legis

N *Præmium*

Præmium. Huiuſmodi in Deo prouidentia, ſimpliciſſima licet, a nobis tamen commodè explicari non poteſt, abſque actu multiplici, tam in intellectu ipſius, quam in voluntate: vtpote quod homine creato, neceſſarijs facultatibus ac medijs tam naturalibus, quam ſupernaturalibus eum inſtruxerit, quibus finem ſuum melius adſequeretur: quod illum conſeruet, quod cum illo ad agendum concurrat: denique quod eidem in præmium virtutis, coronam, in pœnam vitij, caſtigationem decernat. Principium quidem, ac primum veluti elementum, ex quo noſtra Sapientia deducit Dei erga nos prouidentiam, omnium eſt ab eo creatio: idcirco Philoſophi, qui hanc creationem ignorarunt, Dei prouidentiam uti decuit, falſi non ſunt. quorſum enim alienum opus Deus magnopere curaret? Hinc *Cyrillus Alexandrinus* contra *Iulianum* ex eo adſtruit Dei in homines prouidentiam, quod eos ex nihilo excitarit, ac dicit, nullam cauſam ſolidè ſubſiſtere adſcribendi ipſi prouidentiam, aut apud nos ſtabiliendi ſtudium eum religioſe placandi ſupereſſe, ſi hominem ſuis manibus ipſe non effinxiſſet. verum hoc ſemel ſuppoſito, affirmat noſtra Sapientia cum ſancto *Ambroſio*, contrarium eſſe Dei auctoris bonitati mundum hunc producere, ac deinde quaſi abortiuum fœtum, a ſe ad fatum, ad caſum abijcere, neu quicquam eius curam ſuſcipere. Imo, vt mihi videtur, dum noſtra Sapientia in Deo agnoſcit ſummam cognitionē, ac infinitam bonitatem, inde ſatis idoneè colligit, hanc ipſius cognitionem ac bonitatem, ad omnia vera cognoſcenda, omniaque bona diligenda, ac adminiſtranda extendi. Cumque cuncta vera, cuncta bona eius veritati ac bonitati, tanquam finibus, ſubordinentur, vt recte intulit *S. Thomas*, dum homines veritatem perſequuntur, ac bonitatem appetunt, in Deum tanquam vltimum finem, non quidem educendum, ſed ab ipſis comparandum, feliciſſimè feruntur.

Cic. lib. 1. cont. Iul.

Amb. l. 1. in exam. cap. 4

S. Thom. li. 3. con Gent. c. 17. & 18.

10 Sunt itaque in humanis quædam veluti adumbrationes diuini regiminis, ex quibus aliquadantenus noſtra Sapientia de eodem, ſimul ac de Dei prouidentia Philoſophatur: vtpote in Rege in ſuo imperio, in Parente in familia, in Duce in exercitu, in auriga in curru, in Præcentore in choro, in Nauta in naui, ac in ſimilibus. Credendum enim, auream catenam, a *Ioue*, iuxta *Homeri* poëſim, dimiſſam in terram, agnitam quoque a *Lucretio*, tametſi atheo, hanc habuiſſe ſententiam, quod cunctæ cauſæ efficientes, adeoque finales, reducantur ad Deum, ac cum illo connectantur vt primo efficiente, & fine earum vltimo: & quod omnes earum motus ſint quidam progreſſus totius naturæ in Deum, vt primum effectorem, vltimumque eorundem finem. Cæterum nulla cauſa tam intimè præſens, aut cauſans ſuum effectum vt Deus prima cauſa, qui omnibus adeſt per ipſam ſuæ ſubſtantiæ immenſitatem, quique omnium effectiones, incitationes, ac ipſa effecta ſimul cum cauſis ſecundis immediatè operatur: adeo vt, inter reliqua, homines, vt dixit *Minutius Fælix*, non ſolum viuant in Dei conſpectu, verum etiam in eius ſinu conſeruentur. *In ipſo enim mouemur, ac ſumus*, vt ait Apoſtolus ex *Arato* Poeta. Rectè viſus mihi *Cicero*, obſeruaſſe, penes homines Deorum opiniones ex ipſorum beneficijs ortum habuiſſe. etenim Egyptij belluam conſecrarunt *Ibin*, maximam vim ſerpentium conficientem: crocodilum, felem, Ichneumonem, & ſimiles Deos vtilitatem illis parientes. Græci quoque ac Romani non alios homines in Deorum numerū retulerunt, quam quos experti ſunt, præclara dona ipſis tribuiſſe. idem de ſtellis ac planetis affirmandum.

Hom. Iliad. 3 Lucret. l. 2. mac. de ſom. Scip.

Min. Fælix Oct. Act. 17. Cic. li. de nat. Deor.

11 Prouidentiæ iſtius, a noſtra Sapientia agnitæ, multiplex ſanè ciuilis vtilitas, vt iam ſummatim dicam. Inprimis hac ſententia eruditi, humiliamur ſub potenti manu ſupremi Domini, nullumque ſenſum aut motum faſtus admittimus, dum, nos formicarum inſtar, ſummo Deo ſubiectos animaduertimus. Deinde errata omnia in vita ciuili, omniaque flagitia hinc ſtudioſè defugimus, ſcientes Deo, tanquam Iudici, nos omnium factorum rationem quandoque reddituros. Miles eo ipſo in ſuo officio multum contineretur, quo exploratum haberet, totius belli Imperatorem, omnia ipſius geſta viſurum, etiam cum ſubdolè Ducis ſui præſentiam eius crimina declinarint. pari modo intelligentes, Deum non ſolum intueri quæ animis aut factis molimur, quinimo ea diſtrictè ad ſuum iudicium exacturum, tametſi interim aliorum vel ſuſpiciones noſtra facta effugerint, inde cauti euadimus, ne ullo tempore moribus noſtris damnoſas labes, ac Numini inuiſas notas, conſciſcamus. Baſim ac fundamentum ciuilitatis, in hac ſpecie Sapientiæ cum alijs collocat *Cicero*: *Sit igitur hoc iam a principio ſuaſum ciuibus, Dominos eſſe omnium rerum, ac moderatores Deos: eaque, quæ geruntur, eorum geri iudicio ac numine; eoſdemque optime de genere hominum mereri: & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem. his enim rebus imbutæ mentes, haud ſanè abhorrebunt ab vtili, & a vera ſententia.* Omnibus porro, principibus autem vel maxime, hinc præclarum ſubditur incitamentum ad virtutes, ad benignitatem, ac charitatem exercendam, quo Dei ſuauiſſimam prouidentiam imitentur. non enim quod in Deo bonum, ſic in eodem clauditur, vt copioſè ad alios haud emanet: ad cuius proinde ideam affluentiæ, informamur, nos non ſolum nobis ipſis natos, ſed vt alijs etiam ſimus benefici prouiſores, amici, ac parentes amantiſſimi: quod in ſequentibus adhuc explicatius perſequemur.

Cic. lib. 2. de leg.

CAPVT.

CAPVT. VI.

Quanta inter Deum & hominem neceſſitudo ratione Sapientia, ipſius prouidentiam agnoſcentis, intercedat: quantaque hinc vis ad ciuilem vitam agendam propagetur.

QVemadmodum terræ iſtius globum, ad Coſmographiæ præcepta doctè non deſcribimus, niſi circulos cæleſtes mente contemplati prius fuerimus: ad quorum imitationes, lineas, aſcenſiones, gradus, deuergentias, ac æquatorē ſubinde in ipſa terra effingimus, ita ciuilium rerū modos ac formas haud prius aptè conſtituimus, quam Dei ipſius, eiuſq; imperij rationes ſapiēter inuenerimus. Etenim apud nos de Dei prouidētia ſtabilita ſententia, propius ad Deū ipſum accedit, noſque viciſſim illi arctius adſtringit, quam veterū hac de re opiniones præſtare potuere. quo factū, ad ſtabiliendam rempublicam nos potiora quam illi documenta accepiſſe: quippe de cælis, adeoq; ab ipſo Numine, peculiari quadam via ad mores noſtros ciuiles deuocata. Illi quidem vel inficiati mundum a Deo creatum, aut ſi id faſſi, eius gubernationem immediatæ ipſius prouidentiæ ſubduxere, exiſtimantes, eius omnia fatali cauſarum cōtextu, aut a Genijs Præſidibus inſtitui dumtaxat ac diſponi. *Et ſi Iupiter*, inquit *Seneca, illa nunc non faciat, fecit, vt fierent. ſingulis nō adeſt, ſed ſignum ac vim & cauſam dedit omnibus. Ariſtoteles* quidem aliquoties ſupremam Intelligentiam appellat cauſam ac principium vniuerſale: quod ideo fecit, quia primi mobilis motū illi adſcribit, a quo reliqui motus, ac cæli in terras influxus, dependent: non verò quod putauerit, Deum omnia ex nihilo condidiſſe: quod vt ait *Cicero*, nullus Phyſicus vnquam conceſſit: aut ad effectus cauſarum ſecundarum educendos actione tranſeunte cū illis concurrere, vt de eo iudicium tulit *Gregorius Nazianſenus*. Quātum verò ad Genios, multa extitit *Plutarchi* ſapientia ad probandum, omniū concretorū ex materia & forma operationes, eorum curæ eſſe commiſſas. Pari modo *Iulianus* Apoſtata tantū conceſſit procurationibus iſtorum Geniorum, vti affirmauerit, Gentiū diuerſos mores, rituſq; colendi Deos admodum diſcrepantes, ab illorū informationibus primitus dimanaſſe, ut memoriæ noſtræ prodidit *Cyrillus Alexandrinus*.

Sen. lib. 4, de Benef. cap. 18.

Cic. l. de fato.

Greg. Naz. orat. 7.

Plut. de def. orac.

Cyril. Alex. l. 1. con. Iul.

Cic. l. 2. de leg. pag. 346 Lectio.

2 Sapientia autem noſtra, quæ veriſſima, definiuit, Deum immediato ſuo influxu conſilioque voluntatis, vel ſe ſolo, vel ſimul cum cauſa ſecunda, creando, concurrendoue, cuncta efficere ac digerere: adeo vt, ne capillus quidem de capite humano, aut folium de arbore cadat, ſine ipſius nixu ac diſpoſitione: non quidem ad cauſam alicuius rei ſolum extenſis, verum ad ipſum effectum, ac quamlibet a cauſa ſecunda impreſſionem, porrectis.

Boet. l. 1. de conſ. met. 5

Tu frondiflua frigore brumæ
Stringis lucem breuiore mora:
Tu cum feruida venerit æſtas,
Agiles noctis diuidis horas.
Tua vis varium temperat annum;
Vt quas Boreæ ſpiritus aufert,
Reuehat mitis Zephyrus frondes,
Quæque Arcturus ſemina vidit,
Seirius altas vrat ſegetes:
Nihil antiqua lege ſolutum,
Linquit propriæ ſtationis opus.

Si idcirco ſeries rerum naturalium aliquid eduxerit, vel impediuerit, ſi Genij quidpiam moliti fuerint, nihil horum merè ac ſolitariè pendebit vel a tali ſerie, occurſuue cauſarū, vel a Geniorū conatibus, ſed ſimul etiam, adeoque principaliter, ab ipſa Dei actione immediate effectum attingente, excitante: eiuſdem quoque prouidentia, effectum in finem ab ipſo intentū, ſiue aperte, ſiue ſub inuolucro myſterij id contingat, ordinante. quemadmodum enim ſol ſuo radio ad omnia peruadit, ut notauit *S. Ambroſius*, tam ad magna, quam ad parua, ad cedri apices, ſimulque hyſſopi humilitates, ad eminentes terræ fructus, iuxta ac ad abſtruſa in eius viſceribus metalla; ad Reges, & pauperes, ad mappalia, & palatia, ita Dei prouida cura, eius proſpectus, decreta ac concurſus, ad omnia plane, vno peccato excluſo, expanduntur ac deriuantur: *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*: vt egregie hoc *Minutius Felix*, ac *Cyrillus Hieroſolymitanus* elucidarunt.

Ambr. lib. 1. off. cap. 13. l. de Philoſ.

Min. Fel. in octau. Cyr. Hier. cat. 8.

3 Enimvero ciuilius, homini conſultius, ac melius, ipſum ſpe ſua atque expectatione ad Deū eleuari, quam ad cæli ſideralem dumtaxat faciem, ad fatalem cauſarum neceſſitatem referri: ne omnis eiuſdem pietas ac ſubiectio infra Deum ſubſidentes, illis definirentur. volunt, fatum ſimile eſſe horologio, ac Deum æquiparandum eius curatori contendunt, quaſi natura ſibi relicta per ſe ageret ſemel a Deo producta; ſicut horologium, libratis a curatore in altum ponderibus, ſuopte ingenio ſe deinceps mouet, tametſi curator ipſe abſceſſerit. vnde *Pacianus* narrat, veteres finxiſſe, fata cum tabulis, Dijs adfuiſſe, perinde ac ſi cenſuiſſent, nihil præter fata, immediate de omnibus conſtituiſſe. Cæterum exiſtimantes ciues, ſibi a Deo proxime prouidente, Bona omnia euenire, magis grati in eum inde euadent, quam ſi arbitrarentur, ab ineluctabili ac nihil ſciente fato ad ipſos læta in vniuerſum erupiſſe. pariter æquiori animo acerba perferent: imo flagellum ipſum, in gratiam diuinæ manus, in qua eſt, amabunt, poſteaquam intellexerint, ipſos Dei digitos abſynthij ſuccum in eos expreſſiſſe, non verò meram fati tyrannidem, vexationem crudelius intorſiſſe. ſi quid ergò inciderit, ſtatim ſapiens noſter ciuis, illo viſo, ſeſe in Deum recolliget ut auctorem ac moderatorem; atque ſic amabilem eius prouidentiam omnia ipſi ſpirabunt ac referent: perpetuò multiplici cauſa exiſtente, vnde in ſuum principium doctior, purior, meliorque recurrat.

Pac. Paræn. Theo. Lact. de opif. ca. 19.

4 Neque ſane e re ciuili fuerit exiſtimare, omnium rerum veluti dominos ac adminiſtratores eſſe Genios, præſertim illos turpes ac moroſos, vt loquitur *Plutarchus*, de quibus poſtea diſſerendum. Diuinius quidē, ſimul ac ciuilius,

Plut. lib. de ſuperſti.

excitari ciues ſua ſapientia ad cauſam altiſſimã, ad Deum nempe, neque dæmonum cogitatione inferius detineri. Hac de cauſa voluit Deus, vt ipſius virtus ex ipſis ab eo effectis adeo clarè hominibus conſtaret, vt ea conſiderantes, prætergredi, aut illam ignorare non poſſent. Scribit *Ariſtoteles*, *Phidiam* in *Palladis* ſcuto Philoſophico adeo affabrè ac incitum nomen ſuum inſculpſiſſe, vt inde nullo modo expungi aut deleri potuerit, abſque totius operis diſſolutione. Hoc ſanè iuxta quandam proportionis rationem in mundi iſtius fabrica viſus præſtitiſſe Deus: etenim ita ſui imagines ac veſtigia illi impreſſit, adeo, dico, viuas præſentis Numinis notas in ea extulit, vt nulla ferme ignoratione, vel malitia obliterari queant, aut nõ patenter ſupereſſe, quæ homines inſpectores egregiè ad ſapientiam erudirent.

Ariſto l. de mund ad Alex.

5. Hac inſtructi ciues, ſibi ingenitam nobilitatem agnoſcent, ac ſubinde ad illius ingenuã vitæ actiones idoneè inſtituent. Vt enim a nobilibus parentibus propagati, dum ſuã animis proſapiam recolunt, rectè iudicant, nihil a ſua dignitate magis quam actionum ſordes abhorrere, nihilque prius illam decere, quam illuſtres ac ſplendidas virtutum formas exprimere, ita percipientes ſe a Deo, vtpote parente optimo, in lucem eductos, requiſitis ad præclarè agendum facultatibus ab eodem inſtructos, ac ad ſuum finem acquirendum eiuſdem beneficio pleniſſimè comparatos, apud ſe, dubio procul, ſtatuent, non niſi diuinum quid, quod eiuſmodi parentis ſimulachrum in ipſis exhibeat, ſuis vitæ actionibus exprimendum. illas verò appetitiones, quæ ipſis cum brutis communes, tanquam ſtemmatis ſui extrema dedecora debere ſe plurimum auerſari; quod præclarè admonet *S. Bernardus*. aliter enim agentes, tantum abeſt, vt ſui progenitoris excellentem imaginem in ſe oſtendant, quod probe intelligant, ſe potius in miluorum, luporum vel equorum naturas, vt eos docuit *Boëtius*, turpiter degeneraturos. Inſignis certe hac in re *Epicteti* Philoſophi ſententia. *Si quis*, inquit, *illud infigere poſſet animo, vt decet, nos omnes a Deo præcipue eſſe factos, Deum patrem eſſe hominum, ac Deorum, eum nihil abiectum, aut humile de ſeipſo cogitaturum arbitror. atqui ſi te Cæſar adoptaſſet, quis ſupercilium tuum ferret? vbi autem cognoueris, te Iouis eſſe filium, non efferetis?* ſapienter *Iamblicus* humanam animam comparat ferro a magnete tacto: vtpote quod vt eiuſmodi ferrum ſe ad polos in tabula nautica perpetuò conuertit, ita hominis anima, indita quadam a Deo creante vi, cognitionis & amoris cupiditate ad Deum, ſuum principium, perpetuò contendat.

Bern l. dig. Amor diui. cap. 2.
Boët. l. 1. met. 5. l. 3. met 6.
Ep. l. 1. cap. 3.
Iamb. l. de Myſter.

Hic clauſit membris animos
Celſâ ſede petitos.
Si primordia veſtra
Auctoremque Deum ſpectes,
Nullus degener extat,
Ni vitijs peiora fouens,
Proprium deſerat ortum.

Boet l. 3. Conſ. met. 6.

Hac ex parte noſtra ſapientia ſanctior, ciuiliorque, illâ ab *Homero* excogitatâ, quã ipſe omnia ad oceanum, tanquam altiſſi num, etiam ipſorum Deorum, principium retulit, vt narrat *Plato*. Similiter eminentior *Epicuri* phantaſticâ ſapientiâ, in atomos, vtpote rerum beneficatrices origines, cuncta reſoluente, vt *S. Auguſtinus* obſeruauit.

Plat. orat. 2. Homer. Ili. 14. Aug. l de. ſtoic. & ep.

6. Cumque in rebus ciuilibus ea æqualitas laudanda, quæ maximè ad charitatem inter ciues confert, hæc noſtra ſapientia in hunc ritum definiens, præconium palmãque omnino hac ex parte meretur. Licet enim ciues quò ad pecunias, poteſtates, ductique à parentibus ſanguinis claritudinem, inter ſe diſcrepent, in hoc tamen quod principale, nempe in propagatione ſua a Deo, omnes conueniunt. quo agnito nullus in contemptum apud alios veniet, nullus iniuriã ab alio afficietur, ne contemptus, iniuriaque, a læſis conciuibus, in ipſum Deum, communem omnium parentem pelliciè inſurgant.

7. Quod ergo Deum parentis loco habeamus, exiſtimandum, ipſum, tanquam in hoc genere parẽtis priuũ analogatũ, nobis hæreditã conſtituiſſe, curam modò gerere noſtræ diſciplinæ, quo nihil nobis deſit, quod ad finem noſtrum, ab ipſo præſignatum, conſequẽdum, conducat. quo ad res noſtras, parentes aliquando, vt videmus, a ſe ablegant filios ſuos, eos a ſua præſentia in externas nationes amandant, pædagogis erudiendos tradunt, ne domi lenteſcant, ac de parentum fauoribus nimium exultantes, proterui ac refractarij in tota vita euadant. Cæterum parens noſter Deus, ſemper nobis præſens, continuuſque inſpector eorum omnium, quæ agimus, aut prætermus: in quibus excellentiſſimis ipſius donis, vtpote in vltimo fine, educatione, ſui præſentia ac cura, omnes, tametſi alioqui diſpares, inter ſe æqualitate gaudent, vnâ eâdemque nobilitate prælucent. *Seneca* prudenter exiſtimauit, plurimum noſtris moribus efformandis prodeſſe, ſi vnuſquiſque ſecum animo reputaret, ſemper adeſſe virum, quem ob virtutis opinionem reuereatur: hinc enim iudicauit, a malefactis nos cohibendos, horrentes ſcilicet facinorum turpes notas, in oculos ingerere tam probi hominis, & vitæ a nobis cogniti exemplaris. Ad quem ipſum effectum multò magis vrgebit cogitata Dei, vt optimi parentis, præſentia, quam *Thales* Philoſophus agnouit teſte *Valerio*, in cuius conſpectu fœdum aliquid dicere, aut agere, quam immane crimen in eius puritatem, quam ingratum facinus in eius bonitatem ac paternam pietatem? *Craſſus* Conſulatum ambiens, fortè fortuna deambulando, incidit in ſocietatem *Muti* optimi ciuis, vt narrat *Mammertinus*. qui obuios tunc quoſdam habens, quorum ſuffragia prenſans deſiderabat, cupienſque eos arte pentoria oportunè tentare, *Muto* dixit: *Quæſo paulisper diſcedas, nec conſuetu tuo honeſtari me pateris; impedis honorem meũ; te ſpectante ineptus eſſe non poſſum.* Si *Craſſus* corã *Muto* ineptire non potuit, vnde animus nobis, Deo ipſo præſente, ſcelera grauiora perpetrare? 8. Hæc ipſa ſapientia, ſicut frequentiorem cogitationem mortalibus de Deo ingerit, ita amore

Senec. ep. 1. 90.
Val. l 7. cap 2. Laert. in Thale.
Mammert. in Paneg. Iulian.

mors

more ardentiore eoſdem in illum inflammat,
atque ad illum tanquam vltimum finem effi-
cacius reducit. quis enim nõ amabit ſui princi-
pium & auctorem, obſtetricantem illam manũ
quæ ipſum in lucem primum eduxit, vigilem
eiuſmodi curam, qua ipſius omnia futura cæli-
tus diſponuntur? *In manibus tuis tempora mea.* hæc
Pſal. 101. ſapientiæ ſententia ſancto *Iobo* grauiſſimè affli-
cto, auram refrigerij adflauit, & melleũ liquo-
rem charitatis, abſynthio aduerſitatis, quã pre-
Iob. 16. mebatur, immiſcuit. *Ecce enim in cælo*, inquit, *te-
ſtis meus, & conſcius meus in excelſis.* deinde pluri-
mum conſolatus intulit, *Manus tuæ fecerunt me,
& plaſmauerunt me totũ in circuitu.* ſimiliter ma-
ter Eccleſia, dum pro defunctis filijs ſupplex ad
Deum accedit, opere creationis recenſito, ex-
iſtimat faciliorem Deum, qui eorum culpis ve-
Rit. Rom. in niam concedat. *Agnoſce inquit domine creaturam
ord. Com. tuam, non a diis alienis creatam, ſed a te ſolo Deo,
Anim. viuo & vero.* Cæterum de charitatis in Deum
ciuilitate poſtea diſſeremus.

9 Verum enimuerò, neque exile argumentũ
ad probandum veritatem noſtræ ſapientiæ, ſi-
mulque ad ſtabiliendum ex eo vitæ ciuilitatem
deducitur ex ſuauitate, quam omnes deguſtant,
dum de Deo prouidente cogitant, & ſub eius
patrocinio, tanquam pulli ſub alas gallinæ, pla-
cidè conquieſcunt. etenim experientiam in-
Ariſt. lib. 1. culcans *Ariſtoteles* adſeruit, magis lætari homi-
Met. cap. 1. nes, vel leues aliquas de Deo coniecturas aſſe-
quutos, quam ſi de alijs quibuſcumque, euiden-
tes demonſtrationes exprimerent. hæc autem
ſuauitas non poteſt oriri ex nihilo, vel ex phan-
taſtico, cum ingens ſit, omnibuſque Deum con-
cipientibus communis. potius, quod naturæ hu-
iuſmodi perſuaſio conſentiens, & conſequen-
ter ipſi veritati, idcirco iucundiſſima. Decipi ve-
rò hac in re vniuerſam naturam noſtram, & i-
nani quodã obiecto deludi, impoſſibile. Quod
ſi Deus quaſi longè a nobis poſitus, mediante
tamen noſtræ ſapientiæ tubo, tã ſuauis a nobis
percipiatur, quanta precor ſuauitas in illo redũ-
dabit, & quantã copiam eius, in eos ipſe tranſ-
fundet, qui viſione beatificâ ipſum quam pro-
ximè poſſederint? Quod ſi ciues multis diffi-
cultatibus implicati, plurimis laboribus delaſſa-
ti, varijs ærumnis afflicti, indigeant aliquo iu-
uamine iucundæ conſolationis, nihil profectò
ad hoc tam oportunum, quam Deus ab ipſis
inſpectus: in quo vberrima nectaria contem-
Pſalm. 76. plentur ac delibent. *Memor fui Dei*, dicebat Re-
gius Propheta, *& delectatus ſum.* Deo verò abla-
to, quid ſupereſt in republica, præter mare ma-
gnum, importuoſum, cæcum, ac ſpatioſum in-
finitæ amaritudinis? Hoc experiuntur impij,
ſapientiæ huius expertes, extorres cum *Cain* a
Deo facti, quantumuis poteſtatis magnitudine
diuitiarumque copiâ florere in oculis vulgi vi-
Tob. cap. 5. deantur. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris
ſedeo, & lumen cæli non video?* Deus itaque lumẽ
& fautus vitæ noſtræ, ſemper nobis inuigilat, ne-
que tempus eſt, in quo non illuminat, in quo
non delectat, etiam in quo a criminibus non
deterreat. Sapienter finxit *Homerus*, quæſiuiſſe
Venerem, Dei *Soporis* opem, ut vel aliquantiſper
ſomno opprimeret palpebras *Iouis*, quo minus
ſecreta ſua ac deſtinata ſcelera perſpiceret. at il-
li reſpondet *Sopor*: Hom. Iliad. 14.

Quemuis diuorum facile eſt mihi fune Soporis
Deuincire alium, licet ipſum ad ſtrata citares
Oceanum, Diuis a quo genus omnibus vnum.
At Saturnigenæ Iouis inſopita grauare
Lumina, nec fas eſt, nec, ſi non iuſſerit, auſim.

Verum hæc acris ac territans Dei vigilia, plena
etiam amore, ſuauiſſimo ſucco pleniſſima. ideo
enim vigilat, ideo acri aſpectu territat, ne pec-
cemus, ne in pœnas incidamus, ac ut ſolidis bo-
nis, eiſque iucundiſſimis, perpetuò inde excipe-
remur.

10 Iſtis accedit altera pars diuinæ prouiden-
tiæ, nempe iuſtitia vindicatiua, quam noſtra
ſapientia quoque contemplatur. huius notione
eruditi ciues, timent in naturam, in conciues,
contra Dei leges delinquere. nullus principum
comminando ſic animorum ſecretis imperare
poterit, vt Deus flagellum ſuum iuſtè aman-
terque in oculis mortalium quatiens. Proprium
Dei, allicere ad bonum, bonos præmiare, malos
verò, diris modis caſtigare. quas duas diuinæ
prouidentiæ partes, cæli facies nobis repræſen-
tat: quæ non ſolum ſerena, verum etiam quan-
doque nubiloſa, ignea, fulmineaque. *Quis enim*
inquit *Cicero, cum exiſtimet, ſe curari a Deo, non &* Cic. in Luc.
*dies & noctes diuinum Numen horreret? & ſi quid
aduerſi acciderit: quod cui non accidit? extimeſce-
cere, ne id iure euenerit?*

Nil ita ſublime eſt, ſupraque pericula tendit, Ouid. lib. 4. Triſt.
Non ſit ut inferius, ſuppoſitumque Deo.

11 Cæterum quod aliqui de hoc ipſo mune-
re diuinæ prouidentiæ dubitauerint, affirmaue-
rintque id inſuper ciuilis vitæ tranquillitati ad-
uerſari, de illo in particulari paucis ſaltem in-
quirendum.

CAPVT. VII.

*Vtrum ſapientia proſpectans in pœnas a Deo malè a-
gentibus infligendas, aut in vniuerſum in acer-
ba, quæ hominibus diuinitus accidunt, ex
quibus Deus meritò timendus, ſit
vera ac ciuilis*

NOnnulli dum Dei naturam in-
ſpicerent, ſimulque hominum
ciuilem ſortem contemplati fuiſ-
ſent, abſolutè pronunciarunt,
neque ipſo Deo dignum, neque
hominibus idoneum, ut Numen aliquod ci-
ues magnopere extimeſcerent. ac quod nobis
ingenitum, Numen agnoſcere, & ab ipſo pœ-
nas nonnunquam in ſontes infligi exiſtimare,
præſertim hac vita exacta, animiſque e ſuis cor-
poribus euolutis idem ſuſpicari, vnde vehemẽ-
tius nonnunquam ſolemus angi ac perturbari,
idcirco magnam partem veræ Philoſophiæ in
eo poſitam autumarunt, ut homines ſuperſtitio-
ne hac, ut ipſi loquuti, ſolueret: hoc eſt, ut ab
eis cauſas omnes Deum timendi diſcuteret &
amoliretur. Hoc primo in loco oſtendere co-
nati ex bonâ placidâque Dei ipſius qualitate,
ad gratificandum ſolum, vt videatur, compara-
ta; ſicut ſol iſte, eius imago, nemini nociuus,

ſed omnibus ſalutaris exoritur. ac ideo intulerunt, Deum nullius odij poſſe eſſe obiectum, cum nihil aliud ab ipſo ad homines dimanet, quam beneficium, quam auxilium, quam meHier. ap. ad Theophil. tum mel, quam gratiæ ornamentum. *Antiqua* Ouid. ſent. *ſententia eſt*, ait *S. Hieronymus*, *Quem metuit quiſque, odit: quem odit, periſſe cupit.* Si ergo aliquid aduerſi in homines deciderit, id Genijs, fato, aut fortunæ, a Deo penitus tranſcriptum, attribuere. In aliam quidem ſententiam abiuerat ſapientia *Homeri*: quippe qui bina dolia finxerat vtrinque collocata in limine ædis ipſius *Iouis*, ex quibus ipſe euentus bonos pariter ac malos educens, in homines pro ſui arbitrij Plat. Dial. 2. ſecreta voluntate ſparſim dimitteret. Quod Ariſt. apud Auct. in paraph. Pol. tract. 2. quidem ſymbolum, tanquam inciuile, *Plato*, & *Ariſtoteles* ſæpe impugnarunt, ac a ſuis ciuitatibus reiecerunt. A ſummè bono Deo, inquit *Plato*, nihil niſi bonum ac ſuaue quò ad actionem ipſi propriam prouenire poterit. Neque *Radamantus* vel *Minos* aliquis eſt Deus, qui hoSenec. l. 4. De Ben. cap. 25. minum plagis ac miſerijs delectetur. Ex hac ipſa Dei bonitate ab hominibus fatenda, *Seneca* ita philoſophatur: *Deos nemo ſanus timet. furor eſt enim metaere ſalutaria. nec quiſquam amat, quos timet.* Stoici ſicut bina illa *Homeri* dolia pariter cum alijs reprobarunt, ita fulmen ab antiquis ſtatuarijs in manu *Iouis* poſitum, vt inciuile figmentum damnarunt, exiſtimantes, haud decere diuinam naturã fulmina vibrare, aut in quempiam iacere. Propoſitum idcirco aliquando *Iouem* hominibus ad colendum, prorſus inermem dixere, ac ſubinde hominum errorem, nomine tenus politicum, fulmine arClaud. l. 3. de Rapt. Proſ. matam dexteram ei affinxiſſe.

——nec enim luceſcere fas eſt,

Cicer. Tuſculan. 1. *Vel nocuiſſe Deos.* *Cicero* quoque rotam *Ixionis*, & inferni in vniuerſum tormenta, tanquam fabuloſa deridet, exploditque.

Plin. l. 2. nat. hiſt. cap. 7. 2. Deinde ab hominum ipſorum commodo, ad hoc ipſum probandum argumentari, aſſirmantes, neminem quietam vitam hic in ciuitate degere poſſe, aut tranquillo animo, vel libenti, mortem etiam pro patriæ ſalute oppetere, ſi modò perſuaſum ſemel habeat, velle Deum ad vindicatiuæ iuſtitiæ ſuæ normam facta cogitatàque mortalium exigere: ſi latentes omnes eorum ſenſus executere, ſeueriuſque caſtigare. Propter quam cauſam *Plato*, non ſatis reſolutus, ad bina illa dolia, ab *Homero* excogitata, abſolutè inficiandum, intulit, ea, veritate licet ipſa ſubſiſtentia, haud tamen eſſe ciuilibus vſibus oportuna: quippe quod animos ciuium credulitate horum nimium commoueri ac lancinari inde neceſſe: quò etiam fieret, vt nihil tam in vita horrerent aut defugerent quam mortem, ſuſpicati, ab illa adeundum ſtatim Iudicem Deum, cui reſiſtere non valentes, ab illo in æternum, aut ſaltem diriſſimè, puniendi. De factis ſuis ſecuri in hac vita qui ſunt? Deum ea videre, illis conſtat, etiam quorum conſcij ipſi non manent. quid ergo ſupereſt præter angores in vita, & a morte, tanquam ab omnium malorum ianua, fuga perplexa, receſſuſque trepidatione pleniſſimus? Hoc *Lucretius* contra ſententiam prouidentiæ acriter vtſit. adiunxit porro, timorem hunc vindicantis Dei, non ſolum effecturum, vt ſimus incapaces alicuius in vita ſuauitatis, ſed inſuper, ad lucem aliquam a Deo, aut deforis præclariores ſapientiæ notas excipiendas, inepti.

Nec delubra Deum placido cum pectore adibis, Luc. l. 6.
Nec de corpore, quæ ſacta ſimulachra feruntur, Cic. l. 7. ep. Fam. ep.
In mentes hominum diuinæ nuncia formæ,
Suſcipere hæc, animi tranquilla pace valebis.

Hoc ipſo nomine Poëtas, vtpote Stygis, ac in ea rotarum, flammarum, ac flagellorum inuẽtores, *Plato* a ſua republica contumelioſè repellendos cenſuit: quod hinc omnis ciuilis vitæ dulcedo extingueretur, timor mortis, cum animi abiectione, plus æquo apud ciues inualeſceret. Vnde *M. Aurelius* pœnam in eos decre- Vlp. Dig. l. 1. Tert. Ap. nit, qui inuentis terroribus, populi animos exulcerarent, maxime ſi ſuperſtitione aliqua inducticia illos percellerent.

3. Cæterum Sapientia vera, atque cælitus in animos hominum immiſſa, vtramque prouidentiæ partem, præmio ac pœna conſtantem, in ſummo Deo, vtpote omnium Domino, vt Tert. l. 1. cont. Marc. ait *Tertullianus*, agnoſcit ac fatetur. Cuius rei ſymbolum quo ad pœnam, virga vigilans, a Hier. 1. *Hieremia* propheta diuinitus inſpecta: quod ſcilicet vigilet Deus, & accuratè apud ſe ſtatuat eas pœnas reis quandoque infligere, quas ipſe comminatus, quaſque demeriti, modò in ſceleribus patrandis vltra terminos perſtiterint. Malum verò in vniuerſum, quod in ſe pœnæ generalem notionem comprehendit, dupliciter intelligi poterit. primò, quatenus id malum abſolutè dicitur, quod acerbum, quod damnoſum, nempe aptum ad detrimentum inferendum vel contra naturæ perfectionem, vel humanæ cupiditatis appetentiam: veluti paupertas, diminutio rei familiaris, morbus, inimicitia, mors ac ſimilia. Deinde mali nomen vſurpatur ad id tantum omne aduerſariũ ſignificandum, quod cum reſpectu ad præteritam culpam incutitur, ſiue a Deo ſolo, ſiue ab Angelo, ſiue ab homine: & quidem vtroque modo ſumptum malum a Deo prouenire, noſtra Sapientia perpetuo exiſtimauit. Quod vt melius percipiamus, cum Doctore Angelico animaduertendum, Dei voluntatem dupliciter S. Thom. 1. 2. q. 17. art. 4. poſſe conſiderari. Primò, cum reſpectu quodam ad id, ad quod efferendum ſuopte ingenio & ex ſe idonea eſt: deinde ſub relatione ad id, ad quod producendum, occaſione a nobis deſumpta, comparatur. primo modo accepta, nullum in ſe complectitur argumentum timoris, cum ad benefaciendum ſolum ſit inſtituta: ſecundo autem modo intellecta, in ſe complectitur plurima motiua noſtri timoris: nam cum ſit voluntas Parentis in filios, Domini in ſeruos, Iudicis in reos, iure optimo timeri a nobis poteſt ac debet. at detrimenti malum infert Deus hominibus, non tantum quòd ſuo peccato id demeriti, ſed etiam vt cohibeantur a flagitijs, vt exercitati in virtutibus inde probētur ac commendentur. quæ quidem vniuerſa ratio diuinæ prouidentiæ quò ad malũ, ſupponit quidem peccatũ, ſaltem originale, ob cuius infecto-

infectionem, indiget homo hoc pharmaco di-
uinæ acerbitatis. Neque exiſtimatio noſtræ ſa-
pientiæ hac in re aliena eſt prorſus a veterum
Hom. Ili. 1. ipſorum coniecturis. *Homerus* furiarum ac liſſa-
rum ſæpius mentionem intulit; quarum tædis
malefactores adusti ac flagris cæli, conſcientiæ
Plato in in ipſis afflictæ dolores perſentirent. *Plato* quo-
Gorg. que faſſus, quorumdam grauiſſimorum ſcele-
rum; exactâ hac vitâ, nullam planè inueniri
poſſe expiationem: proinde arbitratur, futu-
ros æternos eorum cruciatus, qui talibus cor-
rupti ex hac vita exceſſerint. aliorum verò le-
uium, certam defunctis dari a ſuperſtitibus ex
Virg. Æne. piationem, aſſerit. *Virgilius* pariter hoc teſta-
6. Plin. l. 7. tur, canens inferias *Palinuri*; & *Plinius* ſecun-
cp. 27. dus recolit, ipſo vidente, quietas euaſiſſe ma-
nes cuiuſdam defuncti, cum pro illis iuſta per-
acta fuiſſent. *Collecta oſſa publicè ſepeliuntur: Do-*
Ariſt. l. 2. *mus poſtea ritè conditis manibus caruit.* *Ariſtoteles*
mag. moral. quoque hoc ipſum viſus agnouiſſe. *Talem ſi-*
cap. 2. *quidem Dominum Deum præficimus, vt bona mala-*
que meritis diſtribuat. *Dante Deo*, inquit *Sopho-*
Soph. in *cles, ridet quis, aut dolet.*
Aiac. Virg. ——— *ò qui res hominumque Deumque,*
Aenead. 1. *Æternis regis imperijs, & fulmine terres!*
Cal. in
Hym. 4 Hac admiſſa ſapientia, ferme omnes Gen-
tes inde ſuos mores inſtituere. *Tulius* vt narrat
Dionyſius Halicarnaſſeus, pœnam homicidij uni
ex *Horatijs* inferendam cenſuit, quod ſororem,
deflentem mortē ſponſi, ab ipſo occiſi in duello,
terfeciſſet: tametſi a pugna victor reuerſus,
Dion Hal. magnam gloriam Romano nomim adiũxerat:
l. 3. Antiq. *Ne piaculum, ſceleriſque vltrices diras, a facinoris*
patratore, in ſuam familiam conuerteret. Adeo
quidem vltrix hæc poteſtas agnata eſt Numinis
alicuius diuinitati, vt natura auctrice omnes
mortales cum colenda ab ipſis Numina, tum
pariter timenda exiſtimarint. Huc enim reli-
gionum libamina ac ſacrificia ab illis inſtituta,
vt placatis inde Numinibus, nihil mali ab illis
incutiendi meritò extimeſcerent.
Lucret. l. 1. *Primus in orbe Deos fecit timor*, vt canit *Lucretius*.
pariter *Silius Italicus* hæc habet:
Tanta adeo, cum res trepida, reuerentia Diuum
Naſcitur. Quod vt altius eorum animis inſide-
ret, multiplici euentu ac clade declarauit ſæ-
pius Deus, ſe vltorem in impios ſceleſtoſque;
non ſolùm benignum parentem, verum etiam
iuſtum iudicem factis ipſis ſe comprobauit.
Hom. Ili. 1. *Homerus* recenſuit, diuturno tempore ſuperſti-
tes haud extitiſſe, qui cum *Diomede* in Deos re-
bellarant. *Plutarchus* retulit, diu apud Roma-
Plut. in mar. nos neminem imperium tenuiſſe, qui diuinos
honores impiè affectarat.
Fecunda culpa ſecula nuptias
Hor. l. 3. od. *Primum inquinauere, & genus, & domos.*
6. *Hoc fonte deriuata clades*
In patriam, populumque fluxit.
——— *candemque fatebere latus,*
Iuue. ſat. 13. *Nec ſurdum, nec Tireſiam quenquam eſſe Deorum.*
Cuius prouidentiæ vltricis, adminiſtras virtutes
veteres agnouere, quas *Celeripedes*, & *Memores*
nuncuparunt: *Celeripedes*, quod plerumque
concito & inexſpectato gradu accedunt ad
noxios, vt eos feriant: *Memores*, quod hanc di-
uinæ iuſtitiæ partem nunquam obliuioni tra-
dant, tametſi intermiſſum longius tempus pœ-
nam diſtuliſſe videatur.

5. Et quidem hæc ipſa, de qua loquimur, ſa-
pientia, propagari videtur a conditione ipſius
Dei, vt omnium Conditoris ac finis. Si enim
conditor, omnino conſequens, cuncta eius
dominio ſubeſſe. ad Dominum autem in homi-
nes & Angelos ſpectat, eis, qui rectè ſe gerunt
præmia decernere, eis verò qui malè agunt,
pœnas infligere. enimuerò aut neutrum horum
ad illum pertinebit, aut vtraque. Rationes ſi-
quidem omnium factorum illi reddendæ, qui
vitæ Dominus præſidet, & cuius imperio cun-
cta dimittuntur. Quòd porrò homines & An-
geli in eundem Deum, vt in vltimum finem
ſeſe mouere debeant, ſi id non præſtiterint vti
conuenit, criminis omnino eo rei tenentur; at-
que a ſuo fine, vnde felicitas prouenit, defici-
entes, in extremas miſerias ſe ab eo deuolui, eſt
quod patiantur, cuius fuerit ſententiam ferre,
an ad finem conſequendum idoneè, vel ſecus,
ſeſe parauerint.

6. Prodeſt quidem plurimum hæc ſapientia
rebus ac moribus ciuilibus: præſertim bona in-
dole ad optima conſilia in nobis ex peccato
originali iam valdè debilitata, inclinatione au-
tem ad impuras voluptates, nec non ad faſtum
ſuperbiæ, multum aucta ac propagata. Etenim
ſi fortè apud ciues ad honeſta inſtituta non fa-
ceret ſatis ipſius virtutis ac boni publici amor,
accedens timor flagelli* in manu Dei, eorum
ſpiritus, in nequitiá alioquin feroces, compe-
ſcet, & in virtutis ſtudium inducet. Mala verò
duplicia, quæ facultate mentis apprehenda-
mus: ea nimirum, quæ aut ſenſitiua, & quaſi
modò ſenſibus ſubiecta: vel alia, a ſenſu eleua-
tiora. ob quam cauſam totidem malorum gene
ribus nos diuina prouidentia hic pauidos facit:
primo, ab ipſo ſenſu percipiendo, vtpote mor-
te, paupertate, infamia ac morbo comminatis:
altero; gratiæ ſubtractione, æternis in inferno,
vel in purgatorario temporarijs perpeſſionibus
interminatis: vt ſi in quopiam contra rationem
ſenſus nimium inualuerit, ille ſenſibilibus ma-
lis, familiariter ſenſibus ipſius obuerſanti-
bus, aptè deterritus, ſubſiſteret, & ſe retra-
heret: contra, ſi in alio ob mentis vires ra-
tio eſſet potentior, cum facile tranſeun-
tium malorum in eodem deſpectus oriretur,
æquum, ſupereſſe mala æterna, atque ſpiritua-
lia, fide ac iudicio duntaxat perceptibilia: vt-
pote in inferno toleranda, quæ ipſi proponá-
tur. Cuius prouidentiæ apud Deum ſpectatus
finis, non eſt hominum merus terror, aut eorum
cruda exanimatio, ſed vt perterrefacti, a vitijs re-
cedant, & in virtutum delicijs ſuauientur: ſū-
matim, vt iucundè ac feliciter degant, morian-
turque. Atque inter ipſos ciues, nullius ſapien-
tia iuſtiorem cauſam incutit timoris, ac ipſa Exod 18,
Principis atque magiſtratus ſapientia. nam cum
in eis naturæ ac legis iure eximia virtus tam in-
tellectualis, quam moralis requiratur: quorum-
que oppoſita vitia tam coram Deo, quam ho-
minibus ſint turpiora, deteſtabilioraque, ac
grauiori ſupplicio digna, conſequens, eos ma-
iore Dei timore coërcendos; quibus noxijs Dei
tribunal

tribunal ardentius, ad ſimilitudinem fnrnacis Chaldaici ſeptuplum plus ſolitn incenſi, ipſorum oculis nbiectatur. *Potentes potenter tormenta*
Sap. 11. *patientur.*

Quicumque regno fidit, & magna potens
Senec. Troad. *Dominatur in aula, nec leues metuit Deos,*
Animumque rebus credulum latis dedit,
Me videat, & te, Troia.

Soph. Tro. *Omne regnum* inquit *Sophocles, ſub grauiori regno eſt.* Enimuerò crediderim, paucns, vel potius nullos, velle ſponte ſua, ac non inuitos, quod
Ariſt. l. 4. Pol. ſuadet *Ariſtoteles,* imperia capeſcere, multorum curam gerere, ac pro eorum ſalnte Deo rationem exigenti reſpondere, ſi omnes canſas iuſti timoris principantes ſecum ſeriò diſcuterent ac trutinarent. quis obſecro, ſubdolum ignem libenter in ſuum ſinum, quantumnis thure &
Greg. Naz. orat. de ſua Fuga. aromatibus fragrantem, admitteret? quis cum ipſis roſis, ſpinarum complicatos globos, vel in cornnam contextns, capiti ſuo ſtrictius impnneret? quis mnmentaneum, paruumque lucrum, imo fallacem vmbram arriperet, cuius comprehenſione, vera, ſolida, magna, æternaque bona illi exciderent? quis ſupra lubricam anguſtamque vel aureæ tabulæ faciem ludibundus ſaltitaret, vtrimque, ſi caſus obuenerit, immani voragine eum expectante? quis pro tot millibus Den iudicanti rationẽ reddere, nõ horreret, qui pnpriæ vitæ, ac priuatorum morum momenta vix apud ſe potens qui rectè conſtituat, aut prn eis ſecurus Dei examen perferat? Sanè iſte timnr Dei, quò ad Perſonam Principis, vt iuſtiſſimus, ita valde ciuilis exiſtimandus: nam cum ipſe ſit aliorum in ſe impetin nmnino ſnlutus, verſeturque in maximo periculn ac nportunitate malè agendi, æquum, vt ſuperius Nomen intueatur, horrendam vindictam ſibi minitans, ſi peſſimæ vitæ exemplo alios ad ſcelera prouocauerit, ſi vectigales dira tyrannide vexauerit ac confecerit.

Iuuenal Sat. 10 *Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens*
Tac. l. 3. & 4. Anal. *Seianus,*
——nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſa turris tabulata, vnde altior eſſet
Caſus, & impulſa praceps immane ruina. Quod ſi horrendi euentus, in quos hic in terris nonnulli magnatum peſſimè gubernantes, Dei iudicio ita adigente, incidere, timnris argumenta ſuppeditant, quid ad hnc faciet directus in Dei trubunal aſpectus, a qun æterni in Styge ſupplicij plnſquam adamantinum decretum in ſõtes dimanat? conferat ſe princeps cum Den, & planè nihil ſe, eius reſpectu, comperiet: omneque illud, quod in ipſo maximum, ſerui ac mãcipij nnn excedere condicionem perſpicier.
Pſal. 2. *Nunc ergò Reges intelligite, & erudimini: ſeruite ei cum timore, & exultate ei cum tremore.*

Lucret. l. 5. *Et tamen è ſummo quaſi fulmen deijcit ictos*
Inuidia interdum, contemptim in tartara tetra:
Vt ſatius iam multò ſit parere quietum,
Quam regere imperio res velle, & regna tenere.

7. Quod verò Philnſophi ac Poetæ hac de re ſunt commentati, aſſerentes, inamabilem fore Deum hominibus, ſi mndò exiſtimarent, ab illo huiuſmodi horrendas pœnas deuenire, potius contra concludi pnterit, quandoquidem ex amore & cupiditate noſtræ felicitatis, triſtia nmnia ipſe Deus nobis comminetnr. Ciuis, inquit *Ariſtoteles,* vel humanitus inſtitu- Ariſt. l. 4. Pol.
tus, magiſtratum, ac legem diligit, etiam cum ab eis caſtigatur: quippe noſcens, pænam ipſi illatam, ad bnni communis rationem conducere. Sane maiori veritatis ratione amandus Deus, etiam dum ferit, affligitque, cum ex puriſſimæ iuſtitiæ lege, idque in gratiam vniuerſi, id prouide faciat. quoties obſecro, immani fragore, reboante cœln, fulmen cælitus deuibratur, & tamen nullus mnrtalium eo læditur, ipſo fulmine ab eis in montes, in ſolitudines, in oceanum delatn? quo percipiamus, Deum frequentius territare, vnde ad bonos mores a prauis receptum habeamus, quam nnxios, vt merentur, punire.

Claud. pan. 3. in laud. Stilicon. *——— qui cuncta ſonoro*
Concutiens tonitru, Cyclopum ſpicula differt
In ſcopulos, & monſtra maris, noſtrique cruoris
Parcus, in Oetæis exercet fulmina ſiluis:

vt cecinit *Claudianus. Ouidius* quoque parem intulit ſententiam:

Ouid. l. 2. Triſt. *Nunc vbi detonuit, ſtrepituque exterruit orbem,*
Purum diſcuſſis aëra reddit aquis.

Propterea inquit *S. Baſilius tonitrua, propterea fulminum terrores, vt ne bonitas eius contemnatur. qui* Baſil in proœ. Reg. Fuſ. diſp.
ſolem oriri facit, is cacitate etiam mulctat: qui imbrem dat, etiam ignem pluit: illa clementia, hac ſeueritatis. Certe flagellum hoc, manu Dei nobilitatum, ſiue miſericordiæ, ſiue iuſtitiæ inſtrumentum fuerit, acceptabile, imo amabile nobis eſſe debet, omnibus vel *Cleopatra* floribus pręferendum. Cæterum dices, nobis infernus intentatus. at a quo? an non a Den nmni dulcedine in nos affluente, in qno mirabiliter ipſe fauus abſynthium comitatur? a Deo parente optımn, nedum ſolo Principe, qui ſui commndum a nobis, quod Parentes & Principes faciunt, nnn expectat, ſed vt ad eum refugas appellamus, vt ei ſimiles tandem euadamus, ac de ipſius bonitate ſummn quodam gradu, quá virtute, quá iuſtitiá, quá merito, quá fe- Cryſ. in pſalm. 140.
licitate participemus: a Den cupiente, vt nns pænam defugientes, ad materna ipſius vbera quantocius prnperemus? Nnn abijcimur hic, veluti in ſilua partus proiectićij a feris deuorandi, a Dæmonibus ad tartara rapiendi, ſed medij inter bona ac mala cnnſtituimur: bona, vt ad ea accedamus, mala, vt ad bona etiam reluctantes per pænas compellamur. Si ergo Deus tam dextera ſua propitia, quam ſiniſtra vindicatrici, nobis faueat, nobis bene conſulat, quamobrem de hac eius ſiniſtra, in dexteram aui- Eccleſ. 21.
di, lamentaremur? *Qui timent Dominum, conuer-* Greg. l. 3.
tentur ad cor ſuum. qui nihil timent, & volupta- dial. cap. 36.
tibus interim inhærent, illi a cnrde ratinnis, a corde virtutis prorſus recedunt, in vngues, in pilos, in fæces prauitatum, ipſn corde miſere interim tabeſcente, vitæque principio derelictn, expirant. illico vero ac timor ingruerit, per anguſtum foramen, vt loquitur Caſſianus.
Climachus, lumen veritatis accipimus, viamque redeundi ad cnr endem reperimus. & quot a Deo percuſſi, denuo floruerunt!

Sæpius

Sæpe leuis telo quercus adulta viret. Neque ſolum diuinitus incuſſis timoribus homines a ſuis vitijs fugiunt, verum etiam pertinacius bonis moribus inhærent, poſtquam intellexerint, adeſſe furias ac tormenta, ſi eiuſmodi officia deſeruerint. quo pacto, vt aduertit *S. Baſilius*, iuxta

Baſ. ſer. de iudicio Pſalm. 118. deſiderium *Dauidis*, quibuſdam clauibus carnes confixas habemus, nempe ſenſibilium detrimentorum timoribus detenti, impotentes reddimur, quo minus ad laſciuiam pro libidine noſtra excurramus.

8 Illa verò, quam ſuſpicatus *Epicurus* animi inquietudo, & ad omnia cum vitæ diſcrimine periculoſa facinora trepidatio ex opinione inferni, & aliarum cladium enata, leuem ſanè cauſam in ſe habet: etenim vitaur quis ſolum hoc compendio: ſcilicet, rectè viuat vt ratio præſcribit: ſit homo ſibi perpetuo ſimilis, & non beſtiæ, ac ſubinde noſtra ſapientia de diuina iuſtitia ſuſcepta iucundiſſima ei apparebit. Vnica virtus eſt, quæ dulcem vitam conſtituit, quæ cælum reſpicit, vt ab exilio patriam, vt a labore præmium, vt a miſeria hæreditatem. Vitium ſolum amarum eſt, quod interius exteriuſque hominem corrodit, ac deuaſtat: quod repugnantem taurum ad carnificinam pertrahit. Cæterum dices, in humanam condicionem non cadere immunitatem ab omni peccato: porro, quod vnuſquiſque ſtatum ſuum referens ad exactum Dei ſeruitium, quem nihil planè in vita geſtum latere poterit, inueniet, iuſtiſſimam eſſe cauſam timoris, quæ animum ipſius reddat continuò perturbatum, exulceratum, & ad mortis cogitationem trepidantem. Dico itaque, Deum in facili, & expedito hac ipſa de cauſa momentum noſtræ ſalutis collocaſſe, quo hac ex parte infirmitati noſtræ benignus parens indulgeret. illud facile & expeditum appello, quod nedũ naturæ in nobis tantum conueniens, ſed diuinæ gratiæ etiam, quæ ſufficiens ſemper adeſt, opportunum. *Plato* quidem tria hominum genera, quantum

Plat dial. 3. de Repub. ad opinionem de Sapientia, refutauit: ſcilicet atheos, impios, volenteſque Deum facili opera poſt ſua patrata crimina placari. Cæterum hanc facilitatẽ in eo ponere videtur, quod nuda cæremonia externæ expiationis, voti, aut ſacrificij, abſque omni interna voluntatis mutatione, imo cum defixo propoſito malè agendi, quidã exiſtimarint ipſis regreſſum parari a facinoribus ſuis in Dei fauores. at quicquid ſit de hoc

Math. 16. æſtimato errore a *Platone*, an non reipſa paruo contẽtus Deus, qui dono vel aquæ frigidæ homini conciliatur? qui ex vera contritione ingemiſcenti ignoſcit? qui ipſum charitate amãti, iuſtitiæ donum infundit? quod ſi neque dolere, neque amare volueris, ex quibus animus tranquillatur, & aliquid hic in terris ex illo fauo inſugit, qui ipſum manet in cælis, dignus omnino cui ira Dei excandeſcens horrores vndiq; incutiat, prægusteſque modo aliquid illius acerbitatis æternæ, quæ exacta hac vita, ſceleratos expectat.

Prudent. in Hamart.

O Dee cunctiparens animæ dator, o Dee Chriſte,
Cuius ab ore Deus ſubſiſtit ſpiritus vnus,
Te moderante regor, te vitam principe duco,
Iudice te paueo, trepido te iudice eodem
Spem capio, fore, quicquid ago, veniabile apud te.
Quamlibet indignum venia, faciamque, loquarque
Confiteor, dimitte libens, & parce fatenti.
Omne malum merui, ſed tu bonus arbiter aufer
Quod merui, meliora fauens, largire precanti.

CAPVT. VII.

Quænam ſint rerum genera, a Deo ex genuina Sapientia expectanda, ac in eius ſanctam Prouidentiam a ciue referenda.

VT homo diuinam prouidentiam circa ſe occupatam diſtinctè expendat, quatuor in eius mentem venire debẽt: rerum nimirũ exiſtens ſubſtantia, earundem accidentia, deinde operationes, poſtremò effectus. hæc quidem eo pondere ac menſura definiuntur, ſic ritè afficiunt ſubiecta, ac fiunt a Deo, vt opificem arguant nõ ſolum ſumma ratione fabricantem, ſed ſingulis & omnibus eadem ratione oculatiſſimè prouidentem. *Quid ergo abſurdius*, inquit *S. Auguſtinus*, *quid inſulſius ſentiri poteſt,*

Aug. de Gen. ad lit. l. 5. cap. 22. *quam totum hoc eſſe vacuum nutu, & regimine prouidentiæ, cuius extrema & exigua videmus tanta diſpoſitione formari, vt aliquando attentius cogitata, ineffabilem incutiant admirationis horrorem?* Hominẽ verò, omnium a Deo profecta diſpoſitio dupli-ci modo reſpicit, vt idẽ *Auguſtinus* animaduertit,

Aug. l. 8. de Gen. ad lit. cap. 9. atque inde duplicem is ſtatuit Dei prouidentiã; Naturalẽ nempe, ac voluntariam. *Naturalis quidem per occultam Dei adminiſtrationem, qua etiam lignis & herbis dat nutrimentum: Voluntaria vero per Angelorum opera & hominum.* Naturalis itaque dicitur prouidentia, quæ curſum rerum, earũ ſcilicet operationes, ab æterno conſtituit, ac in tẽporibus debitis exequitur independẽter ab Angelorum hominumque voluntatibus, quæ ad naturam non ſpectant. Vtpote quod ſolis acceſſu ac receſſu dies & noctes, hyems & æſtas ſint: quod terra herbis arboribuſq; veſtiatur, quod homines ſeneſcant, ac iſtis ſimilia exiſtant. Voluntaria illa appellatur, quæ a Dei quidem prouidentia ordinatur, ſed adminiſtris Angelorum hominumque voluntatibus, aut a ſua ſolum voluntate: quod quidem quantum ad homines & Angelos, dupliciter contingit: primo, interuenientibus eorũ liberis actionibus, vt cauſis phyſicis certorũ naturalium effectuũ per cauſarum applicationẽ ab ipſis peractam: veluti quando hominũ cohabitationibus aër ſalubrior, terra fertilior eorundẽ agricultura euadit: vnde fruges, incolumitates, inundationes, ariditates ſoli & huiuſmodi propagantur: quãdo etiã Angelorũ miniſterijs, naturalibus iſtis partibus mundi aliquid detrahitur, aut alijs adiungitur: ſiue quãdo Dei tantũmodo voluntate contra naturæ impetũ & vim, miracula patrãtur. Deinde reſpectu quorundã naturalium effectuũ hominis volũtas ſe habet moraliter: ſicuti dũ in præmiũ virtutũ terra fertilior diuinitus redditur, ſeu in pœnam malefactorum ſteriliſcit. Et quidem vtrumque ordinem euentuum naturalium, Deus ſuo æterno conſtituit decreto futurum, præuidendo etiam hominum vel Angelorum actiones, aut ſe-

O cundum

cundũ ordinem prioris, & poſterioris, vel ſimul cum illis, & ab illis dependenter: ac eodẽ modo ſuis temporibus ſeorſim ſingula educit. non eſt ergò Dei omnis prouidentia ſiue æterna, ſiue temporalis, quò ad naturam, merè naturalis, vt volunt *Stoici*, ſed aliqua volũtaria, vt explicauimus.

Cic. l. 2. de Nat. Deor.

Multos præterea, & noſtra Ciuitas, ait Cicero, & Græcia tulit ſingulares viros, quorum neminem niſi iuuante Deo talem fuiſſe credendum eſt.

2 Quomodocumque verò diſponantur, in hominem, tanquam finem, deſinunt vniverſa. finis autem eorum homo, quatenus eius imperio ſubijciuntur, ac eius vſibus, nempe vitæ ſuſtentãdæ, Dei cognitioni cultuique, ſimul ac reliquarum virtutum actionibus ab ipſo defungendis, appoſitè inſeruiunt. neque ſolum hæc præſtãt, verũ inſuper rectè ab ipſo homine adminiſtrata, decus ac perfectionem propriam quandam nanciſcuntur: quemadmodum in imperio ciuili, ſubditi boni Principis regimine gubernati, non tantum ipſi Principi vtilitatem adferunt, ſed ipſimet etiam eodem plurimum nobilitantur. idcirco non modo perfecta rerũ naturaliũ curat Deus, ſed etiam ipſa errata ac deficientia, in gratiã licet decoris in vniuerſo, aut commoditatis in aliquo.

Chryſ. in Ep. ad Col. c. 1. Hom. 2.

Dignatus loqui Deus cum Caino, inquit *S. Chryſoſtomus, propter Abel, cũ Diabolo propter Iob, cum Pharaone propter Ioſeph, cũ Nabuchodonozor propter Danielem, cum Baltazare propter eundem.* Non eſt ergò quod ciuis ſecum reputet, ſe iſtis inſtar Dei in terris ditatum, cum *Salomone* in throno, cum aranea in centro ſui ſtaminis, vt ex ſuo arbitrio, voluptatum cupiditate luxuriãte, deinceps viuat, vt per deuia blandimentorũ erranti animo tenebras offundat, vt furenti appetitui irritamenta malorum conſciſcat, vt ſub tyrannide abuſus humani, creaturæ omnes, vt ait diuinus Apoſtolus, ingemiſcant: ſed vt ex ratione ac Dei amore vitam inſtituat.

Rom. 8.

Quemadmodum enim nullus parentum, hæredi ſua bona ex teſtamento legat, vt eis inſtructus ſe ac familiã perdat, ſed potius vt inde adiutus, ſuo ac ſuorum honoribus & emolumentis melius prouideat: ita optimus Parens Deus, qui nos vt ipſius prolẽ, intelligentiæ lumine a brutis diſcreuit, eidem concredita emolumẽta ac ornamenta omnia ancillari voluit. infeſta autem fore, aut nobis peſtifera, penitus recuſauit, interdixit.

S. Tho. l. 3. cont. Gent. cap. 92.

3. Tria autẽ in homine exterius afficienda a Deo expendit *S. Thomas.* corpus nempe cũ appetitu ſenſitiuo & facultatibus organicis, mentẽ, & voluntatẽ. corpus, ſicut appetitũ ſenſitiuũ, illiusque facultates moueri aſſerit ab ipſo cœlo, mentẽ ab Angelis, voluntatẽ a ſolo Deo. Cœlũ, cui elementa ſubijciuntur, agendo in humana corpora, illa permutãt, aliã & aliã in eiſdẽ primarũ qualitatem temperiem efficiunt: vnde ſanitates, aut morbi exoriri ſolent. quæ quidẽ a cœlo in corporibus impreſſiones, referuntur in Dei prouidentiã ſiue Naturalem, ſiue voluntariã, ſiue ex vtriſque mixtã, vt poſtea explicatius oſtendetur. Huius rei cogitatione ciuiũ animi humilitate quadã deprimi poſſunt, dum animaduertunt, ſuorũ corporũ ſtatus non pendere abſolutè a ſuis voluntatibus, ſed etiam a cœlo ac elementis, a quibus pro varia Dei ordinatione affligi, aut benignè tractari poſſunt. Ad imaginationem etiam hominis, boni Angeli, ac dæmones quoque operando pertingunt: quorũ vires in eiſdẽ multiplices informationes, veluti in cera, effingunt. qua imaginatione mota, ad mentẽ etiã pertingunt: quod liquidò conſtat in primis illis animi conceptionibus, quarũ cauſæ interdũ neque obiecta externa, neque corporum diſpoſitiones, neque aliquid relictũ a præcedentibus occupationibus. ſunt enim primæ quædam in nobis cogitationes, vel apprehenſiones, ex quibus aliæ ſubſequentes quaſi per filum deducuntur, quas, neque illas volentes, neque de illis præmeditantes, elicimus: ad quas proferendas, affirmat *Ariſtoteles*, homines ab inſito in ipſis Numine ſæpius excitari.

Ariſt. lib. 2. mag. moral. cap. 8.

Vnde enim aliter in mentẽ inciderent? in quibus inferendis Angelorum ac dæmonũ artes quãdoque verſantur: licet Dei prouidentiæ ſubſint ſiue Naturali, ſiue voluntariæ, ſiue mixtæ.

S. Thom. l. 3. cont. Gen. cap. 88. 1. part. q. 57. art. 4.

Voluntas autem hominis, veluti in quodam penetrali naturæ collocata, ea eſt immunitate, propter dignitatẽ libertatis ac receſſus a corpore, vt a ſolo Deo, per ſuam prouidentiam Naturalem & voluntariam agente, afficiatur. reliqua omnia veluti ad regiæ ipſius ianuã foras pulſant, clamores edunt, Deus ſolum interius penetrando eius actionem ſimul cũ illa exprimit: vel in eandẽ habitũ aliquẽ immittit, prouidentia ſua Naturali, aut Voluntaria, omnia ipſius conſilia procurante

4. Vt autem diſtinctius paulo qualitatẽ diuinæ prouidentiæ quò ac hominum corpora, mentes, ac voluntates, intelligamus, inprimis exiſtimandũ, omnem prouidentiã, tam ab æterno decernentẽ, quam in tempore exequentẽ, Dei reſpectu dici poſſe voluntariã. Deus enim ſiue aliquid moliatur ſe ſolo, ſiue cum cauſa ſecunda, ſua voluntate id præſtat, dum ſcilicet ſe ad operandum voluntariè determinat, dum cauſas ſecundas pariter voluntariè aptat ad agendum, deſtinatque. Nihilominus triplicem ſpeciem prouidentiæ diuinæ poſſumus recenſere: Naturalem nempe, voluntariã, & ex vtriſque compoſitam: licet nobis ſit difficile, vnũquemque euentum, hominem contingentem, certæ ſuæ ſpeciei adſcribere, vt mox apparebit. Naturalis prouidentia illa eſt, quæ hominẽ non quomodolibet reſpicit, ſed iuxta exigentiam naturæ, ac iuris naturalis poſtulatum, ita vt homini id debeatur lege naturę, quod Deus exterius operatur. Cuius prouidentiæ exempla in operationibus ſenſuum externorum, ac facultatis motiuæ elucent: fiunt enim mediante Dei prouidentia Naturali. Quando autem diuinitus aliquid in homine, vel ab homine productum non habet ius ſuæ exiſtentiæ in proximis aut remotis cauſis naturalibus, neque in aliquo communi principio naturali, tunc illud Dei prouidentiæ voluntariæ attribuendum, ſiue id ſe ſolo, ſiue Angelo, ſiue Dæmone, ſiue alia cauſa ſecunda interuenientibus, præſtiterit. hoc pacto mundi creatio effectus fuit prouidentiæ voluntariæ: ſimiliter omnia miracula curſui naturæ

re, ug-

repugnantia, vel illum ſuperantia, inſpirationes itidem ſupernaturales, qualitatum ac habituum pariter ſupernaturalium infuſiones, eidem voluntariæ prouidentiæ concedendæ. Prouidentia mixta illa cenſetur, in cuius effectu aliquid iuris naturalis, & aliquid merè voluntarij diuini ſeſe oſtendit: etiam, tametſi ille effectus iuxta ſuam formam res ſit planè naturalis. Huius exēplum eſſe poterit in aliquo homine ſanitas ex aëris puritate, quatenus enim Deus ei cogitationem voluntariè inijcit, qua mouetur ad inhabitandum ibi loci, vbi aër ſaluberrimus reperitur, ſanitas eiuſdem eſt effectus prouidētiæ volūtariæ: quatenus verò cauſata poſtea a bonitate ipſius aëris, in prouidentiā naturalē referenda.

5 Iam autem vt vnicuique iſtarum ſpecierū proprios ſuos in homine effectus aſſignemus, primò examinabimus, an omnis prima bona cogitatio ſit effectus diuinæ prouidentiæ volūtariæ, ſcilicet gratuitæ, vel an aliqua ſit effectus prouidentię naturalis, & communis, nec ne. Theologi, qui arbitrantur, hominem viribus ſolius naturæ fretum, & Dei concurſu generali adiutum, nihil boni moralis, iam poſt lapſum primorum parentum, poſſe operari; vt hoc ſtabiliant, definiunt, omnem primam bonam cogitationē, ex qua immediatè ſequitur opus bonum morale, vel in quam, vt primum principiū intellectuale, reſoluitur illa cogitatio, ex qua immediatè eiuſmodi opus bonum deſcendit, eſſe effectū prouidentiæ voluntariæ, adeoque gratiæ ſupernaturalis, quam pro nobis Chriſtus Dominus meritus eſt. Dicunt enim: illa prima cogitatio bona non eſt effectus voluntatis in homine, neque rei alicuius exiſtentis in eiuſdem corpore vel anima: ergò effluxit ſolū a Dei voluntate. Porro cū prima cogitatio potuerit eſſe mala, a Deo duntaxat prouenit, quod ea fuerit bona. Denique cū inter bonas, potuerit eſſe hęc, aut altera, quod hæc extiterit bona, & non alia, a beneplacito tantū diuino id manare potuit. Hac in re omnino certum, aliquam primā mētis conceptionem poſſe eſſe ſupernaturalem, gratioſæ nempe ac voluntariæ pluuiæ guttulā, adeoque gratiæ per Chriſtū, ac proinde effectū prouidentiæ in Deo prorſus voluntariæ ac gratioſæ. Deinde apud me exploratum, non omnē primam cogitationem, ſiue bonam, ſiue malam, pertinere ad prouidentiam Dei voluntariā ſiue gratuitam. nam ſi id verum, vel hoc contingit quia prima, uel quia cauſā ſui non habet in natura. illud dici non poteſt; nam cogitatio mala, ſiue a Dæmone inferatur, ſiue aliūde prouenerit, poteſt eſſe prima, vt liquet. Illa porro mala cauſā ſui habere poteſt in ſtatu corporis, in obiectis externis, in phantaſmatibus, in effectibus præcedētiū cogitationū, proinde nō eſt ſemper reducenda ad prouidētiā Dei merè volūtariā, ſed interdū ad naturalem: ergo prima cogitatio bona, quatenus prima, hoc eſt neque prius cogitata, neque volita, reduci poterit ad eandem prouidentiā. Neque dicit *Ariſtoteles*, omnem primam cogitationem proficiſci tantum a Dei voluntate, ſed aliquam: nam quaſdam primas adſcribit fato, quaſdam fortunæ. Quocirca ſicut prima cogitatio mala, poteſt habere cauſam ſui in natura, vtpote in corporis diſpoſitione, in phantaſmatibus, in obiectis externis; quare in eiſdem cauſam ſui nō poteſt habere prima cogitatio bona, quæ ſimiliter Dei prouidētiæ naturali attribuatur? Vlterius, ſi eſſemus omnes in ſtatu naturæ integræ, ſi argumēta prædicta ſpectemus, omnis in nobis prima cogitatio bona, etiā in materia morali, & naturali, tunc quoq; eſſet ſupernaturalis. nam licet tunc mala prima cogitatio practica nō potuit nobis inijci, tamē quod hæc prima bona ineſſet, non alia, debuiſſet id prouenire a ſola Dei voluntate. fuiſſet ergo eodē modo tunc ſupernaturalis, ac iam: ita vt neq; in illo perfecto ſtatu cōſtituti, naturaliter boni aliquid agere potuiſſent. Qui proinde, iuxta cōmunem Theologorū ſententiam, aſſerunt poſſe hominem, viribus naturæ innixū, opus bonū morale, in quo nulla ſingularis eminentia, aut difficultas comparent, perficere, negant omnē primam bonam cogitationē eſſe gratiam Chriſti, ſed aliquādo effectum diuinæ prouidentiæ naturalis eſſe contendunt: tametſi ijdē admittāt in eo ſenſu eſſe donū gratioſum, in quo, nullorū præcedentiū meritorū ſtipendiū. ceterum dupliciter reuocari poterit prima bona cogitatio ad prouidentiam naturalē: principiò, quatenus ſui cauſā habet in natura, modo explicato. Deinde quatenus generalis cuiuſdā iuris naturalis quædam eſt executio, ſeu determinatio. Enimuero, iure naturæ debetur homini exiſtenti in puris Naturalibus, a Deo aliqua prima cogitatio; eaq; de cauſa, iſtius bonæ expreſſio, eſt quædā veluti executio communis iuris naturalis, in quo, vt in quodā debito, hæc ſub membris diſtrubutionis continebatur. Debetur enim homini aliqua prima ſub diſtributione: nempe, vel hæc, vel altera: proinde hæc, deriuatio quædam potuerit eſſe a naturali iure, & eius veluti executio: obſeruatur enim practice ius naturale a Deo in particulari, nō in aliquo vniverſali, vt *S. Thom.* differit. quod ſanè ſufficiens, vt omnis prima cogitatio bona nō ſit perpetuo gratia per Chriſtū; imo vt ſit effectus quandoq; potius prouidētiæ naturalis, & non ſemper voluntariæ. Gratia vero, quę eſt per Chriſtū neq; eſt ſtipendiū meritorū ex viribus naturæ, neq; eſt determinatio, aut executio generalis alicuius debiti naturalis: qualis poteſt eſſe aliqua prima bona cogitatio, quando opus, ad quod mouet, eſt ſolū naturale ac morale facilioris notæ; ipſaque mētis informatio, naturæ lumini congrua, neq; illud excedens. Quocirca huiuſmodi prima bona cogitatio, tametſi in ſe ſeorſim ſpectata, homini minimè debeatur; quatenus tamen eius collatio debiti naturalis, in aliquo vniuerſali poſiti, eſt executio ac determinatio, in eodē, vt particulare membrū, diſtributiuè complexum, humano generi deberi affirmari poterit. Fruſtra enim eſſet ius naturale, quo aliqua prima cogitatio homini debeatur, ſi nulla prima in particulari, vel ſi nulla prima bona eſſet naturalis, ſed omnis gratuita, voluntaria ac ſupernaturalis: nec credendū, originale peccatum, totum ius naturale, quò ad cogitationem, penitus abſtuliſſe.

6 Vt verò intelligamus quid homo meris naturæ viribus, quantū ad actionis probitatē, ſeu ad

Greg. in 2. D. 28 q. 5. art 1, Vaſq. 1. 2. Diſp. 109, cap. 2,

S. Thom. li. 3 con. Gen. cap 75.

onem rectam eiuſdem conformitatem, præſtare valeat, non abfuerit, ſi ſupponamus doctrinæ cauſa, aliquem inſtar *Adami* conſtitui in quodã loco, omni rerum animatarum & inanimatarũ copia inſtructum, naturæ tamen ſolummodo facultatibus ad agendum comparatum. quo facto, eſt quod omnino ſtatuamus, eundem hominem, cunctarum earum rerum Dominum eſſe, ac in proprios fines directorem. non enim competit homini hoc ius titulo gratiæ, ſed naturæ: ſcilicet quatenus ratione & Dei imagine illuſtrato. Cæterum ſi in hoc ſtatu definiamus, illum nihil prorſus peragere poſſe, quod rationi conueniat, tunc hic homo, tametſi aliorum Dominus & gubernator vniuerſorum animantium, nihilo obſtante inter ea plànè erit animal dementiſſimum: cum non aliud peragere queat, præterquam quod ad inſaniam, ad ſui reliquorumque nocumenta, deſtructiones, ac a recto deflexiones, meritò referatur: adeo vt leo aliquis vel vulpecula æſtimentur potiori iure Domini illius hominis, quam ille eorum. Cui ſi nihil bonæ actionis permittatur, quid vetat eidem attribuere omnem in ſe & in alia turpitudinem, rabiemque contentionis? Cum itaque res aliæ vniuerſæ, tam animatæ, quam inanimes, certis iniectis põderibus ad id, quod ipſis conueniens, deſtinentur, non fuerit opus, naturæ humanæ condicionem inter eas ita extenuare, vt iudicemus, nihil probi & honeſti perficere poſſe hominem, naturæ ſolis viribus connixum. ſatis fuerit ad inducendum de Reparatore fidem, ſi definiamus, nihil ardui, aut ſuo genere magni, valere ipſum ſuo conſilio abſoluere abſque eiuſdem Repatatoris gratuito auxilio. quo in ſtatu ex oppoſita opinione homo ille non ſolum euaderet continuò moribus improbus, quinimo etiam ferus: non modò nequam, verum etiam terribilis, idque naturæ ductu: imo quod ad vtraque feris eſſet peior, nam vt doctè animaduerſum cepimus ab *Ariſtotele*, homo vitioſus & ferus agit contra inſitum ſibi a natura ad agendum Principium, nempe mẽtem ratione præditam, quod non faciunt feræ quantumuis in immanitatẽ erumpentes: potius namque operantur ex inſtinctu, ſeu principio ipſis a natura inſito & attributo: *Non enim in eis corruptum eſt id, quod optimum, quod, vt in homine, in ſe non habent.* Ariſt. lib. 7. Ethic. cap. 6

7 Iam verò quod ad opera naturæ, ad hominem relata, tria difficultatem faciunt quantum ad hoc, vt ſingula peculiari ſuæ prouidẽtiæ a nobis adijciantur: nempe præmium, pœna, ac ſigna futurorum. Et quidem quantum ad naturæ effectus, vtpote aëris ſalubritatem, vitæ diuturnitatem, morborum curationes, ac iſtis contraria, quæ interdum præmia ſint virtutũ, aut pœnæ vitiorũ, duplici modo cogitare poſſumus ea a Deo prædefiniri, ipſoque euentu contingere. primò quidem, vt ipſis virtutum actionibus, vitiorumque demeritis ſint omnino quoad diuinam prædefinitionẽ poſteriora, ita vt ne eſſent quidem, ſi virtutes non fuiſſent a Deo prius decretæ, & ſtatutum ab eodem, fore vitia permittend i. deinde vt virtutes ac vitia, earum præmia, & horũ pœnæ, illis rebus conſtantes, quoad exiſtentiam, comparentur ſolum incidenter ac concomitãter inter ſe. priori modo exiſtimandum, plurimos naturæ effectus contigiſſe, tam in præmijs quam in pœnis: ita vt naturæ curſui fuerint exempta, & eorũ exiſtentiæ ſuſpenſæ ad viſionem in Deo futurorũ morum, ſiue bonorum, ſiue malorum, in hominibus. hoc, quoad præmia conſtat ex miraculis diuinitus patratis in ſubſidium bonorum: ex eis quoque proſperis euentibus, etiam huius vitæ, pro quibus orat Deum Eccleſia. ac quantum ad pœnas, illa, quam experimur, elementorum degeneratio ac deterioratio non extitiſſent, ſi primi parentes non deliquiſſent. alia autẽ cernũtur præmia ac pænæ, quæ licet ſub iſtis reſpectibus præmij ac pęnę, non extitiſſent, niſi prius hominũ moribus a Deo decretis, quo ad id tamen, quod in ipſis materiale, ſine illis fortaſſis extitiſſent. Veluti ſi iam ex cauſis naturalibus ruiturâ domo, Deus huic homini ſcelerato, in vindictam ſuorum peccatorum, efficacem cogitationem inijceret ad ſubeundum eius tectũ, quo eius caſu cõmeritò opprimeretur: illa domus tunc lapſura fuiſſet, ſiue talis homo peccaſſet, vel ſecus: pœna tamen, ruina illa non fuiſſet a Deo conſtituta, niſi ante peccaſſet. Hoc ipſũ etiam cõtingeret, ſi modò aëris aliqua naturalis infectio, aut maris commotio, inciderent in illud tempus ac locum, in quibus homines grauiter delinquentes verſarentur ac nauigarent, ac inde meritò funeribus ac naufragio punirentur. Vnde non minus mirabilis Dei prouidẽtia quantum ad præmium ac pænam, in hac euentuum naturalium occurrentia, quam in ordinata vnius poſt alterum ab ipſo diſpoſitione quoad eorummet exiſtentias. Idem quoque videre eſt in ſignis futurorum lætis, ſimul ac infauſtis. aliquando. enim, quoad exiſtentiam, a Deo non decernuntur, niſi prius decretis hominum moribus: & aliquando cum illis quantũ ad exiſtentiam coincidunt; licet quantum ad rationem ſigni, ſtatutos mores perpetuò in Dei voluntate ſequantur. Exemplũ eſſe poterit cometa, quæ fortaſſis ſuppoſito peccato originali, ex cauſis naturalibus eſſet futura, tametſi homines non offendiſſent: incidit tamen nonnunquam in illud ipſum tempus, occulta Dei ordinatione id præſtante, in quo perditi homines puniri merentur, ac inde vi diuinæ prouidentiæ eadem euadit ſignum, ſimul etiam cauſa futuræ cladis. occurrunt itaque vi diuinæ prouidẽtiæ, hominum merita ac demerita, naturæ felicitati, & eiuſdem malignitati: ſicut virtus Patriarchæ *Iacobi* occurrebat fertilitati terræ in Ægypto. Gen. 46.

8 Horum quidem intuitu accuratos nos præſtat vera ſapientia Dei aſpectatores: quem præ oculis non tantum videmus in nobis, rebuſque omnibus intimè ineſſe per præſentiã, per potẽtiã, & per eſſentiam, verum etiam nos vndique ſuis actionibus, ac permiſſionibus quaſi inueſtientem, ſingulaque noſtra immediatè ac ſingillatim ſuiſmet manibus procurantem. neque ſolum illum intuemur nobis beneficum donis in nos conferendis poſt præuiſa noſtra merita, ſed etiam ita ordinantem rerum vices, vt noſtra

ſtra merita quandoque naturæ donis obuient. ſimiliter, quò ipſum magis timeamus non tantum mala præuidemus euentura ſi peccauerimus, ſed porro ipſū nouimus ſic vindictæ ſuæ inuigilare, vt ſecū ſtatuat, tunc peccata noſtra permittere, quādo natura ipſa quaſi in armis conſiſtit ex auerſo ad vlciſcendū ac recruciandum: ita vt ciuium praui mores ubiiam ſæpius cant eiuſmodi retibus ac vindictis diuinis. quis ad hunc euentuum conteſtum ſedulò animum adijciens, non horret, non contremiſcit?

9. Poſt effectus naturales, fortuita ac caſualia nobis contemplanda ſuccurrunt. Hæc quidem raro contingunt, idque nobis ac brutis minimè cogitantibus, aut intendentibus, perinde ac ſi multa ipſis, tanquam cæcis acciderent in via, quæ a Deo nihilominus præuiſa, ſtatuta ac in ſuos fines ſingillatim deſtinata. Habent quidem ſui cauſas fortuita & caſualia plerumque in alto, & veluti obſcuro receſſu ipſius naturæ: vtpote inuentio theſauri in fodicatione terræ: appulſus ad amicum, in deambulatione: idcirco Deus vires ac omnem progreſſum naturæ ſuo intellectu aſſequutus, ut oſtendit *S. Thomas*, vniuerſa fortuita & caſualia videt, ac determinat: imo nos in fortuita, tam grata quam acerba, vel occulto ſuo iudicio, vel noſtris actionibus id cauſantibus, certis impreſſis cogitationibus impellit. Vnde ſanè plurimum cauſæ ſuppetit, vt agnoſcentes multiplicem noſtram cum Deo neceſſitudinem, ſub eius altiſſima prouidentia humiliemur. ac cum in hoc itinere noſtro peragendo, ignorantes ſimus multorum, eſt quod cæcos imitemur, aliorum ducatui obſequentes: hoc eſt ab oculata Dei manu, qua dirigamur, nunquā recedamus, nunc a malis declinantes, tunc proſpera ac felicia tanti ducis monitu proſequentes. Quam multa in hoc rerū theatro naturæ viſceribus implexa, ac eiuſdē motu incidētia, neſcimus? In tenebris ergò palpitātes, ac futurorū inſcij, ſponte arripiamus paternam Dei manū, eiuſque lateri, infantum inſtar, ambulantes inhæreamus. Parens enim cū ſit Deus, nunquā nos ceſpitātes, in ſpinas, in rupes, in præcipitia, in voragines cōpellet. idēque, quod prouidētiſſimus, nullius fraudi aut violentię opportunus, haud nos in errorem præcipitabit. Ipſe fortunam, non noſtra ſolertia, ſed ſuo conſilio eſt fabricatus: eam quidem in naturæ arcanis, a noſtris aſpectibus abſtruſam eſſe voluit, vt in ipſo plenius ſpem omnem defigeremus, eandemque variè diſponit iudicio ſuo: quod licèt in noſtra luce non compareat, a veritatis tamen luce numquā recedit: *In manibus eius ſortes, & tempora noſtra.*

S. Tho. l. 3. cont Gent, cap 72. 74. 1 par. q 22. art. 2.

Pſalm. 118.

10. Neque tantummodo ſapientia noſtra in Dei prouidentiam reſpiciens, naturæ beneficia ab ea expectat, ſed etiam dona quædam ſupernaturalia, nullis noſtris præcedentibus meritis debita, aut a cauſarum naturalium viribus educibilia, vel ad illas iure naturæ conſequentia: quorum donorum collationes ac virtutes, non aliunde quā ex diuina reuelatione didicimus. Veteres quidem agnouere a Deo in genus humanum largita dona, eo ſenſu ſupernaturalia, quo gratuita ac ſupra totius naturæ efficaciam collocata, adeoque a ſolo Deo procuranda. *Pythagoras*, vt narrat *Plutarchus*, primo mane domo egrediens, Deum precabatur, vt interdiu bona idola, hoc eſt ſancta rerum ſimulacra, eius animo occurrerent. Oratores ac Poëtæ, olim a Dijs petere ſolebant egregios afflatus, impulſúſque ad canendum. affirmat *Ariſtoteles*, quoſdam diuinitus afflari furore quodam, ac Numinis inſtinctu corripi.

Plut. de Gē. Socrat.

Ariſt. l. 2. mor. cap. 1. l. 5. cap. 7. Claud l. 1 Rapt Proſ. Cice. l. 2. Nat. Deor

Iam furor humanos noſtro de pectore ſenſus
Expulit, & totum ſpirant præcordia Phœbum.

Cicero, ea opinione veterum Romanorum, agnoſcit Dei dona, *Fidem*, *Prudentiam*, quibus antiquitus in Capitolio dicata altaria, & conſtituti ſacerdotes. Cæterum nos a Chriſto domino, ac diuinarum reuelationum literis inſtructi, a Dei prouidentia, omnino voluntaria, expectamus vera gratiæ dona ſupernaturalia: vtpute mentis colluſtrationes, voluntatis impulſus, infuſos habitus, ac ſimilia, in finem ſupernaturalem nos inſtituentia.

11. Singularis autem a diuina ac fauorabili in nos Dei prouidentia, quod ad principiū ſpectat in nobis bonæ actionis, impreſſio quædam eſt in mente, notitia, ſuaſio, vocatio &, vt loquitur ſæpiſſimè *S. Auguſtinus*, bona *Cogitatio*. cæterum horum notionibus non intelligitur illa cognitio, qua duntaxat noſcamus, quid a nobis credendum, quid agendum: quam agnouit *Pelagius*, eſtque naturæ viribus parabilis: ſiquidem infidelis audiens catechiſtam chriſtianum exponentem articulos fidei, & merum, poteſt naturæ viribus percipere, quid credendum, quidue operandum, ſi velit fieri chriſtianus: ſed illà qua interius inſtruimur, ſuademur, prouocamur & allicimur ad credendum, ad operandum, ad abſtinendum: cuius quippe occulta vi luminis, voluntas non docetur modò, ſed etiam mouetur; ac cui, vt docet Concilium Tridentinum voluntas cooperatur, aut renititur illam abijciendo: quam *Pelagius* officio chriſtiani hominis eſſe neceſſariam obſtinatiſſimè contra eccleſiam pernegauit. *Docet ergo Deus*, ait *S. Auguſtinus*, *ſcientiam, inſinuando cognitionem.* atque Deum orans, ait: *Sis Doce me vt agam, non vt tantummodo ſciam quid agere debeam.* petijt ergò. *S. Auguſtinus* a Deo cognitionem incitantem ad rectè agendum, non contentus illa alia, quā faſſus *Pelagius*. In eādē etiā ſententiam *S. Gregorius* interpretatur illud Pſalmi: *Dominus illuminatio mea, & fortitudo mea.* Illuminatio autem cum ſit in intellectu, genus eſt quoddam cognitionis. quæ quidem ipſa eſt pariter fortitudo noſtra a Deo: quatenus contra impetum concupiſcentiæ ac tentationis nos illi cooperantes ſuo robore conſeruat in ſtatu iuſtitiæ, ac mouet ad bene operandum. Malè ergò & imperitè, meo quidem iudicio, aliqui Theologi, quo ſuam prædeterminationem phyſicam ſtabiliant, in intellectu, cognitionē, ab alijs aſſertam, traducunt falſo eo nomine, quaſi *Pelagius* eam admiſiſſet: neque ante conſenſum hominis, gratiam per chriſtum eam dicendam contendunt.

Aug. l. De Grat. & l. arb. cap 6.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5.

Auguſt. in Pſalm. 118.

Greg. l. 14. in Iob. cap. 19. Pſalm. 28.

Eſtius. 2 ſent. D 2. 6 N 17

12. S. autem *Auguſtinus* in bonis cogitationibus

bus deſignat ſpecialem Dei gratiam per Chriſtum & Euangelium, diſputans enim de bonis operibus præſtitis a S. *Paulo* ſic diſſerit: *Primo iſta bona opera, ſi non ea præceſſiſſent cogitationes bonæ, nulla eſſent.* Vult idcirco S. *Auguſtinus*, principium boni conſenſum per Chriſtum, eſſe in nobis cogitationem bonam: & proinde eſſe gratiam Chriſti ante conſenſus. Veteres quidem appellarunt haſce cogitationes, reſte *Ariſtotele*, *Apparentias*, & earum obiecta *Idola* ſeu formas obiectiuas. de quibus duo ſtatuebant. Primũ: earum dominos non eſſe homines: quandoquidem extrinſecus, haud conſulrantibus aut volentibus inijciantur, vel a naturali quadam indole, ante omne ſtudium voluntatis. quod quidem omnino falſum non eſt, ſi loquamur de quibusdam primis cogitationibus ſimplicibus & incomplexis, vel etiã affirmationibu & negationibus, quæ nobis adueniunt diuinitus, aut ab alijs cauſis externis, anteuertentibus omnem voluntariam deliberationem in intellectu, aut liberum in voluntate conſenſum. Alterum quod definiebant, in hoc erat poſitũ: quod iſtæ *apparentiæ* pro vna parte contradictionis, quod ad morum voluntatis magis efficaces, neceſſitatem ad conſentiendum aut diſſentiendum inducerent. ab indole, dicebant, apparentiæ, ab apparentijs intentiones finium & electiones mediorum neceſſario proueniunt. quod omnino reijciendum. Hoc enim poſito, omne decus virtutis periret, iuxta ac indę redderentur homines inertes: quorum quippe eſſet ſolum, illis *apparentijs* excipiendis ſubiacere. licet itaque ſint in nobis *apparentiæ* intellectuales in malum ſuadentes, nihilominus Dei prouidentia naturali vel ſupernaturali, pariter adſunt aliæ *apparentiæ*, ſatis validæ ad firmandum voluntatem in bono propoſito virtutis: ſimiliterque definiendum de *apparentijs* in bonum impellentibus; quarum vtique vis non eſt tanta, vt, primis impulſibus exceptis, neceſſario, quod ad exercitium, deferant perpetuo voluntatem in ſtudium aut conſenſum boni. Haud tamen me latet, quam difficilis, quamque obſcura ſit omnis illa diſputatio, quæ inter haſce *apparentias* & liberum in homine arbitrium, concordiæ modum præſcribit. de qua re adhuc inter tot Tomos, nullum legi aut inueni ſatis plene differentem.

Aug. De Grat. & lib. cap. 5. 6.

Ariſt l. 3. eth. cap. 5.

13. Cuius noſtræ ſapientiæ multiplex ſanè commoditas. Principio hinc maioribus donis a Deo affecti, in eum magis grati efficimur. deinde, horum beneficiorum qualitate ac numero ſæpius, adeoque feruentius, in Deum, tantorum beneficiorum auctorem, ea cogitantes, recolligimur. poſtremò, dum excellentiam noſtram, hac informati ſapientia didicerimus, quod nempe a Deo ad finem altiſſimum ac ſupernaturalem directi ſimus, ſubindè accuratius mores componimus, ne aliter facientes, vitæ turpitudine tantæ in nobis dignitati dedecus præpoſterè adferamus.

14. Quod ad res externas attinet, eas ita debemus in Dei prouidentiam referre, vt in hac vita minime exiſtimemus, eius vi, pura ac mera bona in hominum fortunas incidere; ſed potius bona malis caſtigata, & mala bonis mitigata, ab illius decretis mixtim deſcendere. ſæpius arridentis caſus felicitas, præludium quoddam futuræ aduerſitatis, & in eius malacia tempeſtates, fluctus, alliſiones inſtruuntur. Hanc ob cauſam *Paulus Aemilius* ſuſpectam habuit proſperitatem ſuam, etiam dum in Macedonia & alijs locis maximis victorijs eum nobilitaſſet: adeoque Romæ triumphans ſplendidiſſime, captiuum ducens *Perſeum* Regem, & eius prolem, adhuc ridentis munera exhorruit. cuius timori triſtes euentus ex filiorum funeribus illico reſpondere: adeo vt de hac mixtura vtriuſque fortunæ conqueſtus dixerit: *Perſeus ſiquidem etiam victus filios habet, Aemilius autem victor ſuos amiſit.* Viciſſim aduerſorum caſuum extrema ſæpius non modo præſagiunt lætos ſucceſſus euenturos, quinimo illorum cauſæ ſeu occaſiones paſſim reperiuntur.

Plut. in Æmil.

15. Alieni penitus ab hac ſapientia *Stoici*, & *Epicuræi* Philoſophi, ut ſcribit S. *Auguſtinus*: nihil a Deo quærentes, vel acceptum agnoſcentes, præterquam quod fatalis rerum contextus, occurſuſuè cauſarum, extulerint. Eiuſdem pariter expers *Pelagius* Hæreſiarcha, nullius gratiæ ſupernaturalis naturæ addendæ, vel in eam immittendæ neceſſitatem faſſus. Cuius hęreſim, Patres Eccleſiæ, contra eam diſputantes, ſuperbam meritò appellarunt: non ſolum generali quadã notione, quatenus omnis hæreſis doctrinæ Eccleſiæ aduerſaria, & vt priuati dogmaris electio, ſuperbiã ſpirat, ſed ob particularem condicionem materiæ & obiecti eiuſdem; quippe quæ Dei auxilium ac munera faſtuoſe aſpernata, id miſerum hominem facere contendebat, quod Deus, vt notauit S. *Hieronymus*. Hi ſuperbia inflati, animas ſuas reputabant tãquam arua Niliotica in Aegypto: perinde ac libertas arbitrij, ac eius poteſtas, inſtar Nili in ipſis eſſent, vnde abſque cæli rore & vltroneo Dei beneficio vberes omnium virtutum fructus proferrent. *Aegyptus* inquit *Plinius* ſecundus *alendis augendiſque ſeminibus, ita gloriata eſt, vt nihil imbribus caloque deberet: ſiquidem proprio ſemper amne perfuſa, nec alio genere aquarum pingueſcere, quam quas ipſe diuexerat.*

Aug. l. cont. Epic. & Stoi.

Hier. ep. ad Ctesiph.

Plin. ſec. in Paneg. Trai.

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Iouis, in ſolo tanta eſt fiducia Nilo.

Luc. l. 8. Cic. l. 3 de nat. Deor.

Quod *Nilus* ſtatis temporibus agros Ægypti oblimet, ob hanc cauſam fruges illius loci quodammodo ſuperbæ ac impiæ: quarum Hæc in re emblema, ab homine Chriſtiano defugiendũ.

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec Pluuio ſupplicat herba Ioui.

Tib. l. 1. Eleg. 7.

Quamplurimi ſane ex antiquis exiſtimarunt, virtutes non eſſe expectandas a peculiari Dei prouidentia, vtpote contentas in naturali poteſtate voluntatis.

Sed ſatis eſt orare Iouem, qui donat & aufert,
Det vitam, det opes, æquum mi animum ipſe parabo.

Hor. l. 1. E. ad Loll.

vnde animaduertit *Cicero*, veteres templa dicaſſe fortunæ, & alijs Numinibus, non autem aliquod virtuti. putarunt ſiquidem virtutem non potuiſſe eſſe effectum liberi arbitrij, ſimul etiam gratioſæ apud Deum prouidentiæ. *Iouemque maximum ob eas res appellant, non quod nos iuſtos,*

Cicer l. 3. de nat. Deor.

ſtos, temperatos, ſapientes efficiat, ſed quod ſaluos, incolumes, opulentos, copioſos.

16. Exacta porrò hac vita, defunctos ſumma felicitas in cælo, ſi tamen Purgatorias pœnas euaſerint, aut extrema manet in inferno miſeria. iſtis, veluti terminis, proſpectus noſtræ ſapientiæ clauditur: eorumque rationibus prudenter ac ſactè quid in hac vita fugiendum, quidue ſequendum pronunciatur. non enim Deus rerum noſtrarum metus inſpector, ſed moderator: illud eſt intelligentiæ, hoc dominij. interim tamen in vtriſque optimus, in vtriſque indulgentiſſimus. Cælum reſerando nos inuitat, allicit, imo oblato munere conſcribit ac conducit ad diteſcendum, ac florendum, ad rectè viuendum, ad fruendum immenſis illis, non in *Paleſtina*, ſed in cæleſti patria bonis. infernum comminando aperiendoque, abſterret a malefactis voluptatum, dulcedines earum, acore huc docto abſynthij inficit, ne appetentius a nobis ebibâtur, ingurgitêtur: ne a Deo noxij accuſati, cauſaremur, peccata inſtar pomi vetiti, nimis pulcra fuiſſe ad intuendum, ac ſuauia ad deguſtandum. *Propterea* inquit S. *Chryſoſtomus, gehennam minatus eſt, non vt eam infligeret, ſed ne infligeret.* Animaduertit idem *Chryſoſtomus* a vera ſapientia edoctus, Deum per ſeipſum beneficia ſuæ gratiæ conferre ſolere, vt ea, quæ maiora ſunt, qualia in cælo, præſtare: punire vero homines per miniſteria Angelorum aut Dæmonum, cum in hac vita, tum in inferno. *Deus non per ſeipſum punit, ſed per Angelos: lictores ſunt igitur Angeli. quando ſeruare oportet, per ſeipſum facit.*

Gen. 2.
Chryſoſt. in pſal. 144.
Chryſ. Ho. 43 in 2. cap Act. Apoſt.

17. Harum rerum intelligentia illuſtrati, percipimus, nullam planè eſſe conſequutionem, qua nonnulli inferunt, fore omnino aliquos a Deo damnandos, quicquid demum in vita egerint, ſi Deus eorum reprobationem decreuerit. nã vt rectè loquitur apud *Ciceronem Chryſippus*, quædam Dei legibus ſtatuta, *copulata ſunt & confatalia*, ac proinde quod ad Dei efficacem voluntatem, minime diſtrahenda. Huiuſmodi: Naſcetur tibi filius, ſed coniunctim ſi cum muliere fueris: ex morbo conualeſces, verum ſi tali pharmaco vſus fueris: Damnaberis, at ſi male te in vita geſſeris: Saluaberis ſi tamen Dei leges obſeruaueris: proinde hæc, relata ad Dei prouidentiam, connexa habenda, ac quæ inter ſe reciprocantur.

Cic. lib. de fato.

18. Hac imbuti ſapientia omnia in manu Dei poſita videmus, ac proinde placide eius voluntati in cunctis acquieſcimus. nec miramur, redarguta ac compreſſa humana prudentia, plurima a Deo fieri admiratione noſtra digniſſima.

Si fortuna volet, fiet de Rhetore Conſul:
Si volet hæc eadem, fiet de Conſule Rhetor.
Ventidius, quid enim? quid Tullius? anne aliud quã
Sydus, & occulti miranda potentia fati?

Iuuen. lib. 3. Satyr.

Non a fortuna inquit S. *Auguſtinus*, *vel fato, vel quolibet alio præter Deum in ſequentibus oſtendemus noſtrum bonum expectandum: iuxta verba Pſalmiſtæ: Itinera mea Domine dirige ſecundum verbum tuum.* An verò hoc a ſapientia noſtra difinitũ, rerum ipſarum etiam euentibus, hiſtoricè recolendis, comprobetur ac confirmetur, operæ precium fuerit id iam exquirere.

Aug. l. cont. Stoic. & Epic. li. 2. de pec. mer. Pſalm. 118.

CAPVT IX.

Ciuilis admodum ad confirmandam ſapientiam de Dei prouidentia inſtitutam, eorum conſideratio, quæ ab hiſtorijs recenſentur.

INfinitum propemodum eſſet, huc omnia in diuinæ prouidentiæ probationem adferre, quæ hiſtoriæ fide digniſſimæ nobis retulere. Satis idcircò pro noſtro inſtituto fuerit, præcipuis eorum capitibus recenſitis, quædam particularia intuliſſe. Primum idcirco genus hiſtorici argumenti hac in re illud eſt, quod Naturalis hiſtoria rerum formas, agendi vires, animalium ingenia, deſcribendo pertractat: de quo fuſe *Ariſtoteles, Cicero* ac *Plinius* diſſerunt: ac noſtra ætate *Ludouicus Granatenſis* quædam delibando, ad hoc ipſum conficiendum, quod nobis proponimus, doctè diſſeruit. Enimuerò non minus rerum facultates & occultæ qualitates, vel in paruis ſeminibus contentæ, planè admirandæ, intelligentem ac prouidentem mundi artificem arguunt, quam id faciunt earundem exiſtentiæ, collocationeſque, quæ ex nihilo emerſerunt. Cæterum ſi quis abductus in errorem cum omnibus fermè Philoſophis definiret, natura ſola auctrice conditũ hoc vniuerſum, aut illud ſeipſo coaluiſſe, is ſua praua opinione retenta, parum moueretur ad admittendũ ſapientiam noſtram circa Dei prouidentiam: ſiquidem exiſtimaret, rerum proprietates, & abſtruſas earum virtutes, ordineſque, non eſſe maioris præſtantiæ, quam ſint earundem exiſtentiæ: idcirco qui ſecum ſemel definiuiſſet, ſola natura cuncta extitiſſe, vel ea ſeipſis ſemper fuiſſe, idem ſtatueret, ab eadem natura ſingulas eorum admiratione proſequendas energias, ſeries, actiones, & indoles dimanaſſe. Hoc argumenti genus fuſius tractare non eſt noſtri inſtituti: neque tam remotum eſt ab intelligentia vel oculis vniuſcuiuſque, vt noſtra indigeat elucubratione: ipſi enim ſenſus indies eius præcipua mentibus noſtris ingerunt, ac renunciant nobis, quam imbecillis ſit humanæ mẽtis perſpicacia, ad naturę ipſius opera diſcutiendum: adeoque admonent, ad Deum recurrendum, tantorum mirabilium effectorem, moderatoremque.

Ariſt. l. de Hiſt. Anim. Cic. li. 2. de nat. Deor. Plin. l. nat. Hiſt. Grana. l. in Symb. Leſſ. lib. de Prou. Num. Bellar. ſcala Aſcention.

Cic. l. 2. de nat. Deor.

2. Alterum genus argumenti, Diuinarum literarum monumentis nobis innoteſcit, quibus ea hiſtoria continetur, quæ Dei opera, viciſſim hominum ad Deum recurſus, ac cum eo neceſſitudines varias enarrat. Hoc enim eſt diſcriminis inter hiſtoriam ſacram ac prophanam, quod ſacra Dei hominumque opera, ex peculiari ipſius Dei prouidentia expreſſa, propalat. prophana autem nihil ſibi obijcit enarrandum, quam quod in humanis magnum, aut, verum, humanis itidem finibus ac medijs definitum, incluſumque. Recolit itaque ſacra hiſtoria, mundi ac humani generis ab vno Deo creatore

toꝛe ortus, primorum parentum ab eodem inſtitutiones, eorummet parentum culpam, ac eiſdem, varias inflictas diuinitus calamitates: ſobolis ab illis propagatæ mores, eiuſdem diſceſſum in Aegyptum, ac ibi perpeſſas afflictiones; inde receſſum, cum interitu inſequentium Aegyptiorum, mare rubro vtrimque a fundo patefacto, per cuius ſiccam voraginem tutò tranſirent: Diuinamque legiſlationem in monte Sinay, cum ritibus Deum colendi illi populo a Deo traditis: Gentis illius Duces ac Reges peculiari Dei prouidentia in rebus gerendis adiutos: Propheras de futuro Meſſia, de quatuor monarchijs, de condicione Iudæorum propter eorum peccata futura, de die extremi iudicij, de Eccleſiæ Chriſtianæ amplitudine veraciter prædicentes. Et quòd ad Euangelium ſpectat, ea pars ſacræ hiſtoriæ deſcribit Chriſti filij dei conceptum in vtero virgineo, natiuitatem, doctrinam, virtutum exempla, miracula, mortem in cruce, Reſurrectionem, in cælum Aſcenſionem, Spiritus ſancti in Apoſtolos ſub ſpecie ignis deſcenſum, Apoſtolorũ vires diuinitus hauſtas ad propagandum Euangelium, Eccleſiæ tam præſentis, quam futuræ imagines Apocalypticas: in quibus omnibus admirabiles ſanè narrantur diuinæ prouidentiæ impreſſiones ac progreſſus. & quò ad hęc ſcripta, eorum integritates, atque in hunc diem ad noſtras manus deductiones, inimicis, nempe Iu- Tert. l. 1 cõt. Marcion. dæis, hæreticis, ac Paganis in ea deſæuientibus, qua adulterante ſtylo, qua graſſantibus flammis, miraculorum locis a Deo patratorum merito a nobis haberi poſſunt.

3. Tertio loco ab hiſtoria hac in re haud alienum, quod vnuſquiſque, quantum ad cognitionem diuinæ prouidẽtiæ, in ſeipſo ex curſu propriæ vitæ, ex contingentium in ea occurſu, ac vnius dependenter ab alio ſucceſſu, mẽte ſecum tacitus deprehendat. *S. Auguſtinus* hoc Aug. l. 1 Conf. cap. 2. penſiculatius recogitans, adeo plenam, accuratamque de ſe ac particularibus perſonis a deo inſtitutam eſſe prouidentiam commemorat, vti dicat, Deum perinde ſeſe in hoc habere, ac ſi hunc hominem ſolum in curam ſuam ſuſcepiſſet. Redigat ſibi quilibet in memoriam, quoties in hac ſuæ vitæ ſcena punitiones, tam quæ animam tantum exurunt, quam quæ corpus etiã honoremque perſtringunt, appoſitè incidentes, ipſum ſui ſpreti officij admonuere: ac viciſſim, quoties benè ſe gerens, dulci zephyro ſpiritualis lætitiæ, ac fælici negotiorum ſorte, exhileratus, & corde dilatatus fuerit ad per- Pſalm. 118. currendã viam mandatorũ Dei. ſecũ repetat, quos perſenſerit in ſeipſo, iuxta ac in alijs, planè ſtupendos impulſus, animorumque mutationes, haud minores ſanè, quam ſi præ oculis ſubito lupi in agnellos, Satyri in Muſas urticæ in roſas ac lilia mutarentur. Multi ſanè fuerunt a veritatis ſententia alieni, a noſtra ſcilicet fide auerſi, qui ſubito animis abſq; magiſtri voce illuſtrati, in rectã ſentẽtiã deuenere. Hoc, vtpote Orig. l. 1. cõt Celſum. oculatus teſtis, adſtruit *Origenes. Irrideat licet Celſus quod dicetur, aut introductus ab eo Iudæus, dicetur tamen, multos pene inuitos attractos eſſe ad Chriſtianam religionem, ſpiritu quodam repente mutante intellectum eorum: vt pro verbo exoſo ad id temporis, non cunctarentur mortem oppetere, poſt viſiones oblatas ipſis vel dormientibus vel vigilantibus. Multa enim talia vidimus: quæ ſi memorarentur duntaxat geſta in noſtra præſentia, cachinnum tollerent infideles, rati nos quoque, de quibus malè ſuſpicantur, fingere. Teſtis autem eſt Deus noſtra conſcientia, conari me non falſis narrationibus; ſed varijs exemplis commendare leſu doctrinam.* S. Ciprianus ſuſcepto baptiſmo, deprehendit ſe in alium virum a priſtino tranſijſſe, vt ipſe de ſe ſcribit. Ac quantum ad huiuſmodi animi mutationes, plurima audiui huc ſpectantia, mihi narrata a fide dignis, quæ orantibus Deum per Beatiſſimæ virginis cultum, in ipſius Eccleſia collis Aſperi in Belgio accidere. omnia periculorum effugia ſibi quis proponat, quibus ſe in tutum Deo dante recepit; oportunitates quoque recolat, quarũ adminiculis adiutus ad rectè viuendũ, præter omnem expectationem incidentibus, ac fatebitur, non fortunam cæcam, non rigidum fatum ſua adminiſtraſſe, ſed amãtem prouidamque Dei manum cuncta digeſſiſſe: dicetque cum Propheta *Dauid: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Vt enim particularis Pſalm. 138. aliquis homo totius mundi compendium, ita voluit Deus, vt vnuſquiſque ſuæ vniuerſalis prouidentiæ in ſeipſo compendium quoddam velut in libello illi proprio deſcriptum contẽplaretur. Nihil certe characterum in hoc libunculo deductorum, viſum impedire poterit, præter peccatum, extremamque inſcitiam. ſcelerati ſunt, qui ideo infitiantur Dei prouidentiam, quod expertis impuris, iniuſtiſque ſuis voluptatibus, deſtituantur. ſcelerati indẽ, qui ſapientiam hanc aſpernantur, vt abſque remorſu conſcientiæ ſuauius delinquant, nec Deum timeant, qui eorum quandoque crimina vlciſcatur. Inſipientes porro, qui vltra obiecta ſenſuum intelligentiã attollere non poſſunt: inſipientes reputandi, qui horularum momentis pleni, æternitatis ſpacia metiri, vel animis capere non valent.

4. Ad hunc locum reuocantur varij rerum mirabiles ſane occurſus quo aliquid fiat, quod Deus apud ſe futurum decreuit. cuius rei exemplum rarum ſane recolit ſacra Regum hiſtoria. Habebat omnipotens Deus ſibi propoſitum, excitare in animo Regis Iſrael magnã venerationem erga *Eliſæum* prophetam. ex quo factum, vt Rex famulo *Eliſæi* tunc præſenti dixerit: *Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliſæus.* qui cum illi dixiſſet, quod inter alia mortuum ſuſcitaſſet, in narrationis fidem, ſingulari Dei prouidentia, adfuit mulier ipſa cum filio quæ eo venerat tunc Regem oratum, hoc ipſum Regi conteſtatura. *Dixitque Giezi: Domine* 4. Reg. cap. 6. *mi Rex, hæc eſt mulier, & hic eſt filius eius quem ſuſcitauit Eliſæus.* ſimiliter inſtituens Deus remunerare pietatẽ illius mulieris erga ſe & *Eliſæum* ſtatuit, vt eodem tempore coram eſſet rogaturus regem poſt ſeptem annos exilij pro ſuis agris reſtituendis, quo famulus Eliſæi miranda illius opera Regi recenſeret. *Interrogauitque Rex mulierem, quæ narrauit ei. Deditque ei Rex Eunuchum vnum, dicens: Reſtitue ei omnia quæ ſua ſunt, &*

vniuerſos

vniuerſos reditus agrorum a die qua reliquit terram vſque ad præſens.

5 Quartum genus vniverſale ac Topicum, ex quo in ſententiam diuinæ prouidentiæ argumenta hiſtoricè ducuntur, comprehendit ſigna, prodigia, ac monſtra, quibus Deus hominibus præterita teſtatus, futura prædixit, ac denunciauit. a Iudæis, horum aliqua narrantes, incipiamus. Scribit *S. Auguſtinus*, in memoriam punitorū *Sodomorum*, igne cæliius in eos quondam decidente, inueniri in eis locis in quibus ipſorum deiectæ ciuitates conſtiterant, poma colore quidem etiamnum flagrantia ac viuida, intus verò plena cineribus, quos ſtatim ac parum manibus compreſſa, fatiſcente corio, emittunt. Similiter narrat *Oſorius*, in litore maris rubri, adeoque in eius fundo, adhuc conſpici impreſſas effigies curruum, quæ Ægyptios, curribus perſequentes Iſraelitas, illius maris fluctibus obrutos poſteris teſtarentur. Apud eoſdē Iudæos celebris memoria Rationalis, ad pectus ſummi ſacerdotis appenſi, in quo lapidum in eo inſertorum diuerſi fulgores, proſpera & aduerſa illi genti diu præſignabant, authoribus *Ioſepho*, *Philone* & alijs. Vaſtitatis excidiū, *Tito* vrbi Hieroſoloymitanæ inferente, vt narrat *Ioſephus*, militares formæ in aëre viſebantur, auditæ quoque voces quorundam in templo ſpirituū, quibus dicebant, *Migremus hinc*. Imperante *Iuliano* conati Iudæi templū reſtaurare, ſed è terra erumpentibus flammis repulſi, opus abſoluere nequiuerunt. idē quoque eiſdem antea contigit *Hadriano* regnante, dirutum templū reparare tentantibus, vt recenſent *S. Chryſoſtomus*, *S. Gregorius Nazianſenus*, ac *Ruffinus*.

Aug. lib. 21. ciu. cap. 4. Cl... de nat. deor.

Oroſ. lib. 1. hiſt.

Ioſ. lib. 10. Anti. Phil. de Hab. Sac.

Seb. l. 8. Æ-neid 9.

Chryſ. orat. 2. cont. Iud. Naz. orat. 2. cont. Iud. Ruf. lib. 1. cap. 37.

6 Nihil fermè magni alicuius momenti quod ad calamitatem Græcis accidit, quod, vt ſcribit *Pauſanias*, portento aliquo nō fuerit diuinitus prænunciatum. *Et ante quidem quoties labes huiuſmodi aliqua inſignior facta eſt, quæ terram longè lateque concuſſerit, præceſſerunt certa quædam diuinitus rerum miracula: perpetui imbres, diuturnæ ſiccitates, tepida hyemes, æſtate anni ſolis orbis vel caligine obductus, vel incenſus rutilo, vel ſubatro liuidus fuit colore: fontes exſiccati, ventorum turbines, quocunque vehementius irrupiſſent, prævalidas arbores radicitus conuulſerunt. Iamvero ignes longo flammarum tractu per cælum diſcurrere, ſiderum etiam non ante conſpecta forma, ſæpè homines pauorem incuſſere: denſiores præterea ab ima terra halitus erupere. Tā multis prodigijs, antequam terra tam violenti motus euenerint, homines præmonitos Dij voluere.* Cumani a Græcis in Italia conditi ac gubernati, dū in armis ab *Hetruſcis* inuadendi conſiſterēt, auctore *Dionyſio Halicarnaſſeo*, conſpexere *Vulturnum*, ac Glaniā flumina a mari inſolito & refluo recurſu fontes ſuos repetijſſe: quod fauſtum ſignum interpretati, feliciter in *Hetruſcos* ſubinde depugnarunt. Cum *Xerxes Athenas* obſideret, vt refert *Valerius Maximus*, in eius calice vinū in ſanguinem verſum præmonſtravit quod res erat, illam nempe victoriam non niſi multo effuſo ſanguine comparandam. *Dionyſio* tyranno imperiū ineunte, viſa in ſublimi aquila primum haſtam in altum vngue ſuſtollens, ſubinde eandem dimittens, vt narrat *Plutarchus*, quo ſignificatum, diuina ope ipſum ad imperium ſubleuandū mox ob tyrannidem ad infimam ſortem, quod accidit, deijciendum.

Pauſ. lib. 7. in Achaic.

Dion. l. 7.

Val. Luc. 6.

7 Romana quoque hiſtoria huiuſmodi ſignis diuinitus editis pleniſſima, quod *S. Auguſtinus* adnotauit. *Dionyſius Halicarnaſſeus* ſcripſit, in monte *Tarpeio Tarquinium* arcis fundamenta collocantem, inueniſſe hominis ſepultum caput calido ac recenti ſanguine, vt videbatur, reſperſum: quo declaratū, fore quidem vt euenit, Romam orbis caput, non niſi tamen multo ſanguine ad culmen poteſtatis euaſuram: imperiū certè Romanum cruentum ac ferreum. Illo ipſo tempore, quo *Cæſar* populo affectata Dictatura libertatē eripere moliebatur, cometæ, aliaque horrenda meteora apparuere, vt canit *Lucanus*.

Aug. l. 3. ciu. cap. 3.

——— *Superique minaces*
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum,
Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes:
Ardentemque polum flammis, cæloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris: Enimuerò rarò cometa exſtitit, quæ non indicium ingentis alicuius cladis, vt omittam illius vim ad eam inferendum.
Et nunquam cælo ſpectatum impune Cometen.
——— *Non illam vanitate tuto*
Non impunè vident populi: ſed crine minaci
Nunciat aut rabidos ventos, aut vrbibus hoſtes,
——— *Crinemque timendi*
Syderis, & terris mutantem regna cometem.
——— *Læuo contriſtat lumine cælum*

Luc. l. 1.

Soc. l. 6. hiſt. c. 6. Claud. de bel. Get. Clau. l. 1. de Rapt. Proſ. Luc. l. 1. vit. Æn. 10. 273. Plin. l. 2. cap. 23.

Ante bellum ſociale, vt *Plinius* aſſerit, prata & oliueta in alias ſedes delata, oſtendere futuram, quæ deinde inſequuta, illius inteſtinæ contentionis calamitatem. *Pompeio* in *Pharſalia* pugnaturo in *Cæſarē*, multa ominoſa cōtigere, quæ cū *Pompeii* infelicitate, Romani imperij caſum loquebantur.

Luc. lib. 7.

Excuſſit criſtas galeis, capuloſque ſolutis
Perfodit gladiis, ereptaque pila liquauit.
Æthereoque nocens fumauit ſulphure ferrum.
Admotus ſuperis diſcuſſa fugit ab ara
Taurus, & Emathios præceps ſe iecit in agros.
Nullaque funeſtis inuenta eſt victima ſacris.

Druſi mortem, & eius cauſa ciuitatis luctum, varia prodigia præſignarunt.

Ouid. ad Liuiam.

Iupiter ante dedit fati male ſigna cruenti
Flammiſera petiit cum tria templa manu,
Iunoniſque graui Minerua
Sanctaque & immenſi Cæſaris icta manus.
Sidera quin etiam cælo fugiſſe feruntur,
Lucifer & ſolitas deſtituiſſe vias.
Lucifer in toto nullo comparuit orbe,
Et venit ſtella non præeunte dies.
Syderis hoc obitus terris inſtare monebat
Et mergi Stygia nobile Numen aqua.

8 Numero propemodum infinita, quæ in argumentū Chriſtianæ fidei patrauit diuina virtus, ea autem ſolum afferam quorum gentiles ipſimet conſcij fuere. Chriſto in Cruce mortem patiente, ſol obſcuratus quodammodo delituit, quod portentum, veluti mundi caſum, reputabant inſpectores: & vt ait *Tertullianus*, Romanos compellans, *Relatum in archiuis veſtris habetis.* Salutarem pluuiam e cælo deuocaſſe Chriſtianorum militum preces

Tert. Apol. cap. 21. Vopiſc. in Aure.

P cum

cũ ignea tempeſtate in hoſtes: Idq; teſtatus *M. Aurelius*. Huc accedant quæ in oculis Ethnicorum contra Dæmones egere Chriſtiani vel ſigno crucis, vel alijs exorciſmorum ritibus, de quibus *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Arnobius & Lactantius*.

Tert. Apol. ca 40. Cip. ad Demet. Arnob Ap Lact l.4 ca. 27.

9 Inhumanis mirandi propemodum nihil vnquam accidit, cuius indicium non prætulit aliquod portentum. Parum antequam Normanni Angliam inuaderent, *S. Edouardo* per viſum occurrere ſpecies duorum monachorum vt narrat *Mattheus VVeſtmonaſterienſis*, qui illi Angliæ excidium prædixerunt: ac non diu ante bellum Anglorũ cum Normannis geſtum, apparuit cometa, vt idem tradit, inſignis magnitudinis. *Henrico* Imperatore Dei Eccleſiam perſequente, vt refert *Siphridus*, de cælo igniti lapides cecidere. *Carolo* octauo Rege Galliæ cũ ſuis irruente in Italiam, quod recenſet *Sabellicus*, alpina flumina mirum in modũ exundantia, magnam Lombardiæ partẽ occuparunt. Nato *Luthero*, in cœlo viſa crux luciđiſſima, vt teſtatur *Florimundus Raimundus*, inſtar vexilli ad prælium in hæreticos conuocantis. Trium Regũ in Aphrica cędes noſtra memoria nobilis cometã, vt commemorat *Oſorius*, præceſſit. Anno proximè elapſo ſpectabilem vidimus cometam, quã ſubſequutũ primũ Imperatricis, deinde Archiducis *Maximiliani* fratris Imperatoris, poſtea ipſius Imperatoris *Matthiæ*, denique Reginæ Angliæ funus: maximique ab eo tempore diuturnioris belli apparatus ac magnorum principum funera in conſpectus noſtros prodiere.

Math vveſt. An. 1066.

Siph. Epit. Sab Encad. 10. lib 8.

Flor. Raim. lib. 1. de ort. hær.

Os. l. de Em. Rege.

10 Quintum in hoc genere argumenti hiſtorici locum ſibi vendicant futurorum ex libero hominum arbitrio veraces prædictiones. extremæ certè inſaniæ eſſet, omnia inficiari, quæ orbis teſtimonio ac voce hac in re confirmantur, euulgantur tanquam diuinitus prænunciata. quod autẽ iſtæ prædictiones pro ſuis obiectis habuerint euentus minime complexos in cauſis naturalibus, ad quos ſaltem angelicus viſus peruenire potuiſſet, ſed a libero hominum delectu deriuatos, cum neque in proprijs exiſtentijs, neque in cauſis determinatam veritatem ſortiti fuerint, nulla mens præter diuinam, quæ infinita, ad illos pertingere valuit. *Itaque dicebat Carneades*, ait *Cicero*, *ne Apollinem quidem futura poſſe dicere, niſi ea quorum cauſas natura ita contineret, vt ea fieri neceſſe eſſet*. Nam ſi vel ad cordium ſecreta, quæ exiſtunt, deuenire non poſſunt Angelorum, aut Dæmonum intellectiua acumina, multò minus ad futura ex libero hominum arbitrio penetrare poterunt. Sacras prædictiones de futuro Meſſia, de fidei Chriſtianæ propagatione, de hoſtium ac perſequutorum Eccleſiæ interitu, ipſamet effecta adprobãt, euidenterque noſtris ſenſibus, vtpote veritati conſentientes, renunciant. Siue ergo a Deo immediatè, ſiue ab hominibus, aut Angelis nobis prædictiones iſtæ denunciatæ fuerint, diuinum aliquem intellectum eſſe ſatis liquido demunſtrãt, a quo tanquã a principali auctore eas dimanaſſe, neceſſe fuerit. Varijs autẽ modis has Deus hominibus manifeſtat, aliquando monſtris & prodigijs id facit: veluti quando *Seruium Tullium* futurum Regem oſtendebat flamma circa eius caput apparens, vt ſcribit *Florus*: quando aquila volitãte circa caput *Martiani*, ſignificabatur, euaſurum, vt poſtea contigit, Romanorum Imperatorem. quandoque Deus quoſdam hominum, ſiue Angelorum afflando, docet, quid futurũ, euſq; poſtea deſtinat, qui alijs ſibi reuelata enarrẽt: vt de *Ioanne Monacho* victoriam *Theodoſio* prædicente narrat *S. Auguſtin*: & vtriuſque generis exemplis omnis hiſtoria pleniſſima. Quo tempore *M. Fuluius Flaccus* leges ferebat, vt narrat Sigonius, *Angues duo nigri in collẽ Mineruæ collapſi, ciuium cadẽ portenderũt. Antiocho contra Regẽ Siria dimicãte, hirundines in tabernaculo nidum fecerunt. quo prodigio neglecto, prælium cõmiſit, & a Parthis occiſus eſt.*

S. Thom. 1 part. q. 57. art. 3. & 4.

Cic. de Fat.

Flor. l. 1. cap. 6. Bar. Tom. 5 An. 451. Aug. l. 5 de ciuit. cap 2. Plin. l. 7. cap. 27. Cic. l. de fat. Sig. An. 102.

11 Numero ſextum iſtius generes caput, miraculorum, vel præter, vel contra naturæ curſum patratio, meritò æſtimari poterit. præter naturæ ordinẽ miraculoſum id eſt, quod a Deo ita fit, vti a ſecundis cauſis fieri non potuit: ſiue id naturale quò ad formæ entitatem, ſiue ſupernaturale fuerit: vtpote mortui reuocatio ad vitam, reſtitutio viſus homini cæco facta, noui alicuius luminis, ardoris, vel humoris in corporibus ſuperioribus, aut alibi creatio. quod ſi hæc cauſarum ſecundarum applicatione educi potuerint, mira extiterint, nõ miracula. cõtra naturæ curſum ea ſunt miracula, quæ repugnant cũ quadam violentia rebus ipſis: vtpote quod grauia aſcendant, ignis non comburat, ac ſimilia. nam tametſi Deo nihil violentum, vel etiam alteri rei vt Dei voluntati ſubiacet, quod oſtendit *S. Thomas*, nihilominus ſi cauſa conferatur cũ ſuo effectu, aut cũ alia cauſa fortiori occurrẽte, violentiam pati, dici nihil obſtat. hoc modo violentum nõ fuit igni fornacis Babilonicæ carere effectu cõbuſtionis, quatenus erat in manu Dei, & ei ſubiectus: verum quatenus talis cohibitio ab effectu erat contra naturæ inclinationem ac pondus, iure quodã naturæ talem potius effectũ poſtulantem, violenta & contra naturæ ordinẽ vel curſum iudicetur. Quod autem iſtiuſmodi admirandis Deus ſuam poteſtatem hominibus declaret, ita affirmat *S. Thom. Nullo enim modo melius manifeſtari poteſt, quod tota natura diuinæ ſubiecta eſt voluntati, quã ex hoc, quod quandoq; ipſe præter naturæ ordinẽ operatur. ex eo enim apparet, quod ordo rerũ proceſſit a Deo, nõ per neceſſitatẽ naturæ, ſed per liberam voluntatẽ.* Hiſce proximè elapſis annis, huius generis argumentũ in Eccleſia Montis acuti in Brabantia luculentiſſimũ corã ingenti numero populi conſtetit. dũ enim quidam a natiuitate claudus, cuius tibiæ pectori innatæ, carnis continuitate illi adhęrebant, pro corporis integritate obtinenda Beatiſſimam Virginem oraret, ſubito laxatis ac diruptis craſſioribus illis carnis vinculis, tibiæ a pectore, iuxta naturæ poſituram, ad ſuos ſitus extendebantur, ac tota modo ciuitas Bruxellenſis hunc ſuum ciuem ſanatum, erecto corpore, robuſtiſque tibijs conſiſtentem, gradientemque intuetur. Mirabilius vero, nuperrime inuentum corpus cuiuſdam Abbatis in monaſterio Dunenſi hic in Flandria, prorſus incorruptum, licet ab annis quadringentis & quinquaginta ſepultum.

Aug. ep ad cler. & Pop. Hip. l 22 de ciuit cap. 8. Ep. 12 vita Propb. Bal. Orat. in 40. Mar. Naz. orat in Cip. Amb. ſerm. de Geruaſ. Hier. cont. Vig. S. Thõ. l 3 con Gent. cap. 103.

S. Thom. l. cont Gẽ cap. 99.

Num

Num hinc omen, rediuiuam fore in iſtis partibus fidem orthodoxam?

12 In hac ſerie argumenti hiſtorici, divinæ poteſtatis in ſpiritus multiplicē oſtenſionē, ſeptimam ſedem obtinere convenit. Optime quidem Chriſtus Salvator noſter ſe Deum eſſe inde probauit, quod hoſce ſpiritus, humana corpora inſidentes, ſuo imperio torſerit, atque exire compulerit. Atque cū in vniverſum Græci Genijs addictiſſimi fuerint, exiſtimantes, omnia humana negocia eorū cura adminiſtrari, ad illos, aliosq; rectè inſtituēdos, exorciſmorū, ac reliquiarum virtute declarare Deus voluit, ſe omnibus illis quoad poteſtatem eminere. Adeo hoc argumentum olim potuit, vti *S. Cyprian.* ac *Tertull.* ad huiuſmodi oſtentum videndū, hoſtes noſtræ fidei prouocarint: promittentes, ipſos viſuros Dæmones hinc diris exagitari, & humanis corporibus expelli: in eis more lupōrū vlulare, leonū ritu rugire, cū ad thecas ac ſepultura martyrū ab illis poſſeſſi adducti fuerint. Et quidem priuſquam Chriſtus natus eſſet in Bethleē, cum Romę, tum alibi, idola Gentium de cælo deuibratis fulminibus Deus deijceret, colliquaret ac contereret, hos ipſos Genios admirabili ſua providentia eſt inſectatus. Rupis *Tarpeia*, vt ait *S. Hieron.* *Quæ de cælo ſæpius fulminata, oſtendit quod Deo diſplicæat.* Hic ipſe Chriſtus imperiū ſuū in oraculares Dæmonum ſedes exeruit, earum Præſidibus Genijs ſilentium cū orbis ſtupore, vt etiam *Plutarchus* fatetur, incutiendo: efficiendoque, vt vel ad præſentiam Chriſtiani, cui frons cruce ſignatus, vt loquitur *Lactantius*, impura ſacrificiorū exta nihil potuerint illis veteribus renūciare. Imo ſacra oſſa *Babila* martyris diuina virtute corroborata, vt noſtræ memoriæ prodidit *S. Chryſoſtom.* ita ora Delphici Apollinis compreſſere, ac quodammodo illū ſic ſtrangularunt, vt de illis inhumandis, ac proijciendis Dæmonis inſtinctu *Iulianus* apoſtata ſtatuerit, quo fandi poteſtatem impuriſſimo illi Genio reſtitueret.

Cip ad demet. Tertu. ad Scap. S. Hieron. ad euſtoc.

Hieron. Ep. ad marcel.

Plut de def. orac.

Lact. lib. 5. de ver. ſap. Chriſ. lib. quod Chri. ſit Deus. Orat. de S. Babila.

13 Octauo huc accerſandæ diuinitus editæ occultorum ſcelerū manifeſtationes. Ne innocētia aliquo modo crimine effecto oppreſſa inter ciues iaceret: ſimulque ne mortales iſtius vitæ ærumnas, clanculum delinquentes, ſe perpetuo euaſuros exiſtimarent, ſæpius Deus inſolito rerum occurſu, aut earum ſupernaturali quadā facultate, ſontes detexit, alioquin in humanæ ignorantionis tenebris, vel in ſuarum fraudum inuolucris, ſatis tuto deliteſcentes. Multa in hoc genere recenſeri ſolent. Scribit, *Solinus*, in *Sardinia* reperiri fontem, cuius aqua ſi de ſacrilegio peierantis oculis admoueatur, eis cæcitatē inferat. Teſtatur *S. Auguſt.* ad ſepulcrū *S. Falicis* Nolæ reuelari occulta crimina. Ad eandē Dei prouidentiam referendum videtur, quod ad præſentiam homicidæ interfecti cadauer recentē ſanguinem emittat: quod canes interdum ſuorum Dominorum funeribus adſtantes, dum facinus lamentarentur, cruenti ſceleris auctores pariter deſignarint: quod infoſſi corporis ab ipſa occiſione membrum aliquod tumulo extet, vti in quodam caſu infantuli a meretrice matre ſuffocati, & ab eadē ſepulti, ſemel contigiſſe memini, cuius iudicio crimen prodatur: quod aliqui coniuratorum, aut complicum, nunc dedita opera ad exonerandā conſcientiam, nunc in ius ob alia delicta vocari, aut quęſtionibus ſubiecti ſecretiſſima aliorum facinora: quod in Ducem Parmenſem perduellibus apparuit, exponant. quæ omnia, ac iſtis ſimilia, Dei prouidentiam noſtræ Sapientiæ plurimum commendant.

Solin de mira. ca. 4. Aug. Ep. ad cler. & pop Hippenen.

14 Nonum in locum ſuccedit bonorum ciuiū etiā in hac vita remuneratio, a Deo dubio procul prouidente deducta, vti *S. Auguſt.* obſeruauit. Vt enim oſtenderet Deus, ſibi charas hominum virtutes, haud raro eorum in hac vita condiciones, arridentis fortunæ bonis felicitauit, nobilitauit: cælo eodem tempore vberes ſuos fructus in eos effundente, quo ipſi inferius rectè geſtis magis inclaruerunt. Quemadmodū enim quod è terra pulcrum ac floridum, ſi pariter cæli lumine irradiatū fuerit, glorioſius renitet, ita ſanctorum hominum virtutes, quam primū eis diuini fauores applauſerint, & ad eas appulerint, diuiniorem quendam vultum præ ſe ferre videntur. Eſt quidē Dei amor erga mortales duplex: vnus ſimplicis affectus, alius remunerantis benevolentiæ. prior ortum & ſui cauſam in ſolo habet Deo, hominūque actiones anteuertit: vtpote quod quis naturæ munere ſit bona indole, quod tunc viuat, quando egregij morū ac doctrinæ magiſtri floreēt: denique quod prima gratia exornetur: hæc enim nullo modo dependent a noſtris conſilijs. poſterior occaſionē ſui ac cauſam meritoriam retinet in hominum ſtudijs, ob quæ ita Deus illos amet, vt eiſdē præmia tam temporalia, quā æterna, decernat. Nō tamen iſte diuinæ prouidentiæ curſus ſemper idem eſt ac perennis, cum optimi quique ſæpiſſimè duris acerbiſque caſibus aduerſæ vitæ vrgeantur: ne exiſtimaremus, nulla alia ſupereſſe virtutum pręmia præter has gloriolas, ac guttulas horariæ proſperitatis. vt verò perciperent mortales, præcioſas in Dei conſpectu apparere noſtras virtutes, ideo vt notat *S. Chriſoſtom.* aliquando earum cultores vitæ iſtius fauonijs recreat, ſplendoribuſque illuſtrat. Iudæi ſanè tunc maximè diuinitus iſtius ſortis donis ornabātur, quo tempore Dei leges accuratius ſeruabant. tunc quinque ex illis, quod ipſis cælitus prædictum, centum ex hoſtibus fugabant: tunc Paleſtinam, ab inimica gente poſſeſſam, in ſuū peculium redegerunt: tunc lacte & melle ſaturati, in Dei ſinu, tanquam filii eius, deliciabantur. *Ad vbera portabimini, & ſuper genua blandiētur vobis.*

Aug Ep. 5. ad volu.

Chri. conc. 3. in cap. 16. Lucæ.

Leuit. 26.

Iſa. 9.

Molli paulatim flaceſcet campus ariſta,
Incultiſque rubens pendebit ſentibus vua.

Virg. Æne. 4.

Ioſephus loquens de ſcopo ac vtilitate hiſtoriæ Iudaicæ, hæc habet: *Ex huius potiſſimum hiſtoriæ lectione cognoſcere licet, quod his, qui Dei voluntati obſequuntur, & leges bene latas tranſgredi verentur, omnia proſpere ſuccedant ſupra quā credi poſſit, & felicitatis illis præmium a Deo proponitur. quod ſi ab illius diligenti obſeruatione diſcedant, neque conſilia eorum exitum inveniunt, & boni, ipſorum opinione, conatus, in calamitates immedicabiles deſinunt.*

Ioſeph. in Proem. Hiſt Antiq.

15 Illa porro Romanorum magnitudo auguſtius tempeſtate ea effulſit, qua vt teſtatur *S. Auguſtinus*, leges religionum ac iuſtitiæ exactius ab eis colebantur. non enim ad

Aug. lib. 5. ciu. cap. 5.

alios, vitijs planè corruptos, caſtigandum, gentem hanc ferream deſtinaſſet Deus, ſi ea pariter eiſdem malis ex æquo cum eis contabuiſſet. Verebantur illi priſci impunè ſuorum ſcelera permittere, ne pœnæ eis debitæ in eorum capita diuinitus reciderent, vt ſcribit *Dionyſius Halicarnaſſeus*. Religionē ea contentione exercuere, extulere, vt hac in re omnem ciuitatem ſiue Græcam, ſiue barbaram, vt ſcribit *Saluſtius*, longè poſt ſe reliquerint. Horum mores, quoad victū, ac veſtitum, ſumma moderatione conſtituti, vel potius auſteritate quadā ab omni laſciuia compreſſi. ac quod ad bonum commune, nulla gens vſque adeo eius cauſa in vnum conſpirauit, aut ſeorſim ciuium priuatas fortunas, ſanguinemque eidem tam alacriter impendit.

Dion lib 1. Ant. Gr. g l. 5. in Iob cap 14. Sal. in Com.

Inuida fatorum series, ſummisque negatum
Stare diu, nimioque graues ſub pondere lapſus,
Nec ſe Roma ferens.

Luc. lib. 1.

Re enim vera ſæuitia in Chriſti ſeruos, etiam Romanos è felicitate deturbauit.

Aug lib de ciu. Oroſius in Hiſtor.

16 Quod ſi ad Chriſtianorum reſpublicas animos aduertamus, videbimus ſimiliter, eas virtute florente, quoad externa bona itidem floruiſſe. Cum ſacræ perſonæ vitæ præſtantia alijs erant faui, ac magnetes, tunc ſuis muneribus exequendis Eccleſiæ conſtructæ, reditibus ampliſſimis ditatæ, monaſteria, ac collegia tunc excitata, laicæ vitæ ſectatores accurrere rem ſacram amplificatum, vt narrat *Bozius*: ac fermè ſemper vitæ præſtantiam in Dei Eccleſia, temporale Dominium ſequutum. Quondam Anglia, religione orthodoxa exculta, amplitudinē ſui imperij ab oriente ad occidentem vſque extendit. *Gallia* pariter eiſdem virtutibus inclyta in immenſum ditionem ſuam propagauit. Iam verò Hiſpani ſuæ felicitatis magnitudine etiānum ſeſe orthodoxos ac catholicos orbis dominos ſtilo, opere, effectuque oſtendunt. Tempus aliquando fuit, in quo Chriſtiani principes in hoſtes dimicaturi, plus confidentiæ habuere in ſacrorum hominū orationibus, quam in ſuorum armis. Hac ſpe erectus *Theodoſius*, vt refert *S. Auguſtinus*, *Eugenium* tyrannum fudit, ac contra robuſtiſſimū exercitum magis orando, quā feriendo, pugnauit. Præſenti animo idem pallium *Ioannis Ægyptij* monachi indutus, eiuſque baculum manu tenens, nobiliſſimam obtinuit victoriam. *Noſti* ait *Ambroſius*, *fide magis Imperatores, quam virtute militum quærere ſolere victoriam.*

Boz. l. de ſig. Ecc. ſig. 97. Nabrige. in Ricardo 1. Aug. l. 5. ciu. cap. 26. Ambr. l. de de in prol.

17 Decimum caput hiſtoricum hac in re eas complectitur calamitates, quæ non alio tempore diuinitus in ciues incidere, quam in quo ſcelera eorum in immenſum excreuerāt. Mala verò, quæ hominum vitijs ex aduerſo obuiare facit Deus, duplicia: interni nimirum exulceratæ conſcientiæ angores, & externa afflictionum nocumenta. quibus preſſus ac conſtrictus peccator, adeoque operibus manuum ſuarum transfuga deprehenſus, vt loquitur *Pſalmiſta*, nullum effugij locum, in quo ſe impunè recipiat, habet. afflictus ſi in ſe recurrat veluti in anguli aſylū, imagines ibi horrendæ ſcelerum eū territabūt: ſi foras excurrat ad potentiam, ad delectationem, omnia hæc deflagrare ac perire ante oculos ipſius conſpiciet. in quam ſententiam hæc *S. Auguſtinus*: *Non eſt quo exeat, quia dura ſunt: non eſt quo intret, quia mala ſunt.* Inter nos hoſce cruciatus perſenſere ob tyrannidem *Nero*, *Alphonſus Neopolitanus* Rex, ac in Anglia *Ricardus* tertius, quibus conteſtati, Deū prouidentia ſua vltorem ac vindicem eſſe tyrannidis. Neque ſolum priuatarum perſonarum ſcelera ruinæ ſunt conſequutæ, verum etiam regniorum, gentium imperiorumque extremæ clades patefecere, quantum Deo diſpliceant mortalium vitia, quantiſque ſupplicijs meritò caſtiganda. Vnum ſolum exemplum, idque verbis *Macrobij* referam, perſonæ priuatæ. *Anno poſt Romam conditam quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto, Atronius quidam maximus ſeruum ſuum verberatum, patibuloque conſtrictum, ante ſpectaculi commiſſionem per circum egit. ob hanc cauſam indignatus Iupiter, Annio cuidam per quietem imperauit, vt Senatui nunciaret, non ſibi placuiſſe plenum crudelitatis admiſſum. quo diſſimulante, filiū ipſius mors repentina cōſumpſit, ac poſt ſecūdam denunciationem, ob eandem negligentiam, ipſe quoque in ſubitam corporis debilitatem ſolutus eſt.*

P ſal. 8. Aug. in pſal. 36. conc. 2. Sue. in Ner. Guic. li. 4. Mor. hiſt. Ricard. Mac. lib. 1. Sat. cap. 11.

Torrida ſacrilegum teſtantur lumina Brennum
Dum petis intonſi pythia regna Dei.
At mons laurigero concuſſus vertice, diras
Gallica, parnaſſi, ſparſit in arma niues.

Prop. lib 3. Eleg 12.

18 Vt iam diuinæ iuſtitiæ publica quædam trophæa recolamus primo loco ſe nobis obijcit excidium Hieroſolymæ, cum totius Hebrææ gentis exterminatione. Hæc verò mala in illa tempora cæco aliquo impetu non irrupere, ſed tunc diuinitus incuſſa, quando illius populi grauiſſima peccata Dei in ſe vindictam vehementiſſimè prouocarant. quæ ſi non incidiſſent, ob eorum tamen enormitates, putauit *Ioſephus*, hiatu terræ vrbem abſorbendam.

Quid ſolymos ritus, quid montibus æmula templa
Æquatamque iugis molem, longumque per æuum
Limina ſolemni late celeberrima cultu,
Antiquasque Dei ſedes cum mœnibus altis
Eruit, & pulchram ex imis radicibus vrbem?
Sacrifica gentis ſcelus & contagia paſſim
In patrias prolapſa Domos, mouere Tonantem,
Qui Romana vocans ad opes & regna ſuorum
Caſtra, ſecundabat curſus, claſſemque regebat
Auſoniam, ſtimuloſque animis addebat & ignes.

Mant. lib. 4. cat. de cal. Tempor. Ioſ l. 1. c. 16.

Subinde commeritò vniuerſa illa natio exulauit, externis omnibus odio & ludibrio habita, quod facinus, alia ipſorum delicta viſa quodammodo præluſiſſe, eorumque pœnæ a Chaldæis, ab Ægyptijs, a Macedonicis, a Romanis eis inflictæ, grauiſſimam hanc, quam modo ſuſtinent, adumbraſſe. *Cæli ac ſoli ſui extorres vagantur*, vt ait *Tertull.*

Exilio vagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, poſtquam patria de ſede reuulſus.
Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati,
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſoluit.

Tert. Apol. c. 20. Prud. Apoth.

Imperatores Romani, qui in Chriſti cultores ſæuiſſimè debacchati, impunè haud tulere tantam immanitatem. *Legamus Eccleſiaſticas hiſtorias* ait *S. Hieronymus*, *quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid ſæuiſſimus omnium Maximinus, & nuper Iulianus paſſi ſunt? & tunc rebus probabimus, etiam iuxta literam prophetia, Tabſcet caro vniuſcuiuſque*

Hier. in cap. 14. Zach.

uſcuiuſque

vſcuiuſque, veritatem eſſe completam, quod computruerint carnes eorum, & oculi contabuerint, & linguæ in pedorē & ſaniem diſſolutæ. quinimò ſepticollis Roma iam decidit, vbi enim in ſeptem montibus, fidei Chriſtianæ perſequutores olim habitabant, ibi præter ruinas palatiorū ſuorū, Eccleſias, & monaſteria antiquiſſima, aëreque haud ſanum in eis locis manentibus, nihil fermè videtur: noua veluti Roma, ſtudio humilitatis, ac veræ pietatis, dilapſa iam ab illis altis ſedibus ad vallem & ſancti *Petri* memoriā. [Tertull. ad ſcap.] *Dolemus* inquit *Tertullianus, quod nulla ciuitas impunè latura ſit ſanguinis noſtri effuſionem.* in cuius rei probationem narrat portentoſos imbres [Conſt. orat. ad orthod.] ſegetes corrupiſſe, meteora Carthaginenſibus ingentes terrores incuſſiſſe, *Vigellio Saturnio*, qui primus in noſtros gladium diſtinxerat, oculos excidiſſe: *Claudio Germanio* in Cappadocia in Chriſtianos furenti, præſertim in vxorem iam factam Chriſtianam, ex eius carne vermibus ebullientibus, horrendam mortem contigiſſe. qui eo odio in noſtros exarſit, vti morbum ſuum celare ſtuduerit, *Ne* dicebat *gaudeant Chriſtiani.* [Chryſ. orat. cont. Gent.] In hoc ipſum argumentum commemorat *S. Chriſoſtomus, Maximino* perſequutori diuinitus oculos excuſſos, *Diocletianum* adactum in inſaniam, quendam *Iulianum* a vermibus abſumptum. [Cedren. in Dioc.] *Diocletiano* ſub articulum mortis has voces adſcribit *Cedrenus*: *Va miſerabili mihi. & digno qui lugeor: quam iuſtas meorum in Chriſtianos conatuum pœnas pendo!* [Virg. Æne. 6 355.]

Pœnarum exhauſtum ſatis eſt, via ſacta per hoſtes [Aug. l. 5. Ciu. cap. 12. 14.]

19. Gentium porro deuaſtationes hiſtoriæ produnt a Deo illatas in vindictam flagitiorū. [Gildas. de exc. Britan] Britanni in noſtra inſula, vt ſcribit eorum Gentilis *Gildas*, vitijs ſuis corrupti: tametſi magna ex parte fide Chriſtiana imbuti, ſubinde lictores quaſi paſſi ſunt Pictos, & Scythicam ipſorum feritatem experti. non aliud toties Hiſpaniam Aphrorum incurſionibus oportunam reddidit, quam hæreſis Ariana, & alia peccata: vt id deplorat *Tudenſis*. [Tud de Reg Vua.] Gothi ac Vandali per totam Europam & oras Aphricæ graſſantes, ſe Dei vindices monſtrarunt in hominum crimina, vt *Saluianus*, & *Oroſius* teſtantur. [Sal. de Iud. orat. l. 1 Hiſt.] Angli etiam peſſimis ſuis moribus violati, quod *S. Eduardo* per viſum fuit oſtenſum, Normannis, tanquam dæmonibus, a Deo traditi: vt intelligamus, dæmones, etiam ductu diuini penicilli, datos fuiſſe illi *Sancto* tanquam Normanicæ gentis imagines: vt ſcribunt *Airedus*, & *Mathias vveſtmonaſterienſis.* [Alred. in vit S. Edouard. Math. vveſt. An. 166.] Interdum etiam permittit Deus Ethnicos ac feros eo tempore inualeſcere in orthodoxos, quo horum peccata maximè illum offendunt. [Cip. epiſt. 8.] *S. Ciprianus* loquens de dira Chriſtianorum perſequutione per *Decium & Diocletianum* Impp. hæc ſcripſit: *Hoc prius longe oſtenſum eſt, quam tempeſtas vaſtitatis huius oriretur, & videmus impletum, quod fuerat oſtenſum.* Cæterum quantum ad hoc, nihil illuſtrius, aut ſignatum magis apparuit vnquam, quam in rebus Iudæorum ac Romanorum, quorum ſceleribus appoſitè ſupplicia continuo reſpondere. Hinc Numen Dominum Ieſum agnoſcere recuſarunt, quinimo templo, vrbe, & orbe fugarunt. [Thil. leg. ad … Cato. cap. 10.] Cæterum paulo poſtea coacti fuere in penetrale templi admittere ſtatuam equeſtrem *Caii* crudeliſſimi Imperatoris: id agente *Petronio* ipſorum Præſide, vt *Philo* & Ioſephus narrant. Hi ſanguinem filij Dei effuderant, at ſubinde in Seleucia quinquaginta millia ex eis trucidati. pariter Hieroſolymis læſa & illuſa ipſorū religione, cū aliqualē vindictam expeterent, partim cæde, partim in arcta cōpreſſione viginti millia eorū trucidati. [Ioſep. l. 2. de bel. cap. 3. 4.] Chriſtum, Dominum ſibi in Regem præfici quod dedignati, non alium Regem quam *Cæſarem* proclamantes, vt adnotauit *Euſebius*, [Euſeb. l. 2. cap. 6.] *Non ita multo poſt in ipſorum capita vox recidit*, quandoquidem in eos eiuſmodi *Cæſar* multas tragædias exercuerit. Chriſtum Prophetam repudiarant. at mox credulas aures præbentes cuidam *Theudo*, promittenti ſe pedes tranſiturum cum ſuis per Iordanem flumen, cum ad eius verba ad ripam fluminis accurriſſent, immiſſo *Aſſado*, Romano milite, ad ingentem numerum occiſi periere. [Ciril, l. 4 in Ioan. cap. 3.] Demum vrbe deuaſtata, gente in exterminum abacta, ac modo dira paſſi, manifeſtè loquuntur, quam digna factis a Deo acceperint. Quibus olim Imperatoris lege interdictum vel pedem amplius inferre in agrum Hieroſolymitanum, aut illum ab excelſo loco aſpicere. Eodem referenda Romani imperij declinatio. Cum enim in Chriſti necem, ac Chriſtianorum interitum, Roma conſpiraſſet, omnia ipſius imperij conſilia cœpere infelicitari. [Euſeb. l. 4. hiſt. cap. 6. Oroſ. l. 7. cap. 13.] inter reliqua, horrenda paſſa eſt incendia, adeoque locorum ſacrorum deuaſtationes crebras. De eis, quæ imperante Tito accidere, hæc *Dio*: [Dio l. 8.] *A terra progrediens ignis agente in Campania Tito, vt igni & conflagratis ædificijs remedia daret, vrbem Romam populatus eſt. nam Serapis & Iſidis templum etiam ſepta, Neptuni ædes, Thermæ Agrippi, Balbi theatrum, Pompei porticum, Octauiæ domum cum bibliotheca, Templum Iouis Capitolini cum ædibus & ſacellis coniunctis conflagrarunt, vt non ab homine factum malum, ſed magis diuinitus immiſſum æſtimari debeat.* Teſte etiam, [Iuſtin. Apol] *Iuſtino Matyre*, incendium quoddam ita Romæ inualuit, vt trecentas quadraginta inſulas, ſeu domos, abſumpſit. Cum iam crudelitatem extremam in Chriſtianos exercerent Romani, eorum templa planè deſerta fuere, ſitu ac ſolitudine in eis ſigna deturpara, in obſcuro delituere, vt cecinit *Iuuenalis.* [Iuue. l. 1. ſat. 6.] Horrendi ignes vindictam ſumpſere de Roma, ſanctorum ſanguine ebria, dum *Nero* in eos deſæuiret. poſtea Conſulibus a Senatu diſſentientibus, ac ad Monarchiam contendentibus, in imperio Romano, nihil ferme adſpectabile, quam theatrum, imperantium ſanguine cruentatum, pugnantium armis, fœdeque remblicam lacerantium ſtudijs, horrendum. Demum Roma penitus confecta, Romano Pontifici ceſſit, abeunte *Conſtantino* magno in Bithyniam, cum prius plurimorum Pontificum cruores effudiſſet. ac modo in ſeptem collibus, vbi Romani habitabant quondam, præter eorum ruinas, noſtrorum Eccleſias, ac monaſteria, vt dixi, nihil ferme videndum. [Prud, Adot.]

Ipſa ſuis Chriſtum Capitolia Romula mœrent
Principibus lucere Deum, deſtructaque templa

Imperio

Imperio cecidiſſe ducum, iam purpura ſupplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Chriſti,
Vexillumque crucis ſummus Dominator adorat.

Vera itaque ſententia Callimachi.

Callim l.4. *At quibus eſt timido coniuncta ſuperbia cordi,*
Theog Lãſ. *Iupiter his calo pœnas immittit abalto.*
in An in *Sæpius & noxam populus luit vnius omnis*
Phoc *Qui temere peccat, res moliturque nefandas.*
Strab.l.4 *His Deus immenſas dimittit ab æthere clades,*
Geograph. *Peſtem, atramq́; famē: populi hinc moriuntur eqniq́;.*
Fœmina nulla parit, pereunt cum matre Penates:
Sic Rectore volente Deo.

Ouid.l.5. *Reſpice Teſliaden, flammis abſentibus arſit:*
Faſt. *Cauſa eſt, quod Phœbes ara ſine igne fuit.*
Reſpice Tantaliden, eadem Dea tela tenebat,
Virgo eſt, & ſpretos bis tamen vlta focos.

Cicer l.2.de leg.Pag 159. Sacrilegos Romæ diuinitus caſtigatos recenſet *Cicero*. Ad hoc genus reuocarem eorum infortunia in omniuoı fermè oculis diuinitus incuſſa, qui inſtitutum religioſæ vitæ, laxiorem appetentes, temere deſeruere. Egomet multorum in hoc genere teſtis oculatus: & de illo plurima audiui a fide digniſſimis. Referam id quod ſcribit *Plutarchus* de veſtalibus poſt tertium decennium clauſtro exeuntibus, & nubentibus. Plut. in numa *Dicunturq́; haud multa hanc licentiam libenter amplexa, neque eis qua eam amplexa fuerint, ſecundas res contigiſſe, ſed pænitentia & mærore reliquum vitæ tempus agentes, perhibentur alias in Deorum metum religionemque iniicere, vt ad ſenium & ad mortem vſque pudicitiam virginitatemque obſeruent.* Fortaſſis hoc divinitus frequenter accidit, quo Deus ſe amatorem virginitatis comprobaret. Cum eſſem ſemel Antvverpiæ, intellexi a quodam ſacerdote, curam gerente optimarum virginum, vulgo dictarum *Beguinarum*, earum negocia plerumque miris euentibus infelicitari, ſi modo nubentes, ſanctam illam vitæ formam relinquant: quibus tamen, nullo obſtante voto religionis, id facere integrum.

2n Vndecima hac in re animaduerſio, circa eos euentus occuparur, qui comparati cum antecedentibus circumſtantijs vel cauſis, quo ad humanum iudicium, impoſſibiles quodammodo, neque futuri omnino indicari potuerint. Hoc maximè in ſucceſſu bellorum apparuit: in quibus aliquando exilis manus ingentem hoſtium numerū diſſipauit. quid eſt, quod vel Polid. Vir. in Henr. 5. octo millia Anglorum ſelectos totius Galliæ cataphractos in prælio Agencortenſi profligarunt: ex hoſtibus captis vel occiſis vigenti millibus? quid eſt, quod ventus nunc hac nunc illac ſpirans, quod puluis, aut fumus, huc vel eo delatus, quod vel vnius militis clamor, aut falſus rumor, victoriæ aleam in diuerſa detulerint? *Sapore* Rege Niſibin obſidente, vis culi Hiſt Eccleſ. l 3. cap. 6. cum, immiſſa in equorum nares, obſidionem ſoluit, vt narrat hiſtoria Eccleſiaſtica. ob quā cauſam meritò *Homerus* Martem nuncupauit ἀλλοπρόσαλλον id eſt quaqua verſum mutabilem. Huius particularis in hoc genere diuinæ prouidentiæ, in ſententiam noſtræ fidei, argumentum, inter alia, ſatis luculentum, quod in victoria Sereniſſimi *Ducis Bauariæ*, contra rebellantem in Bohemia *Comitem Palatinum*, parta nuper eluxit. Enimverò mirum, Catholicos numero & loci commoditate inferiores, tot hereticos, adeo paucorū ex noſtris accepta clade, confeciſſe. Ad hoc recenſendum, operæ precium duxi, exemplar eiuſdem *Bauariæ Ducis* literarum, Sanctiſſimo *D. Paulo* Papæ quinto ſcriptarum, ſubiungere.

Beatiſsime in Chriſto Pater, ac Domine, Domine Clementiſsime,

POſt humillima Beatiſſimorum pedum oſcula. Reſpexit tandem Deus Opt. Max. Eccleſiam ſuam, eiuſque hoſtes debellavit ac fregit illuſtri ſanè victoria, quæ iure merito victoria Dei vocetur. Ego quidem & veni & vidi, pugnæque præſens fui, ſed vicit omnipotens Deus. Cui omnem victoris titulum gratiſſima mēte ex ſolido adſcribo. Verè namque manus Domini nobiſcum fuit, quę hoſtem tam potentem, & loco communito ſeſe opponentem, deuicit. Nec ſine ſingulari Dei prouidentia factū videtur, quod cum hoſte congreſſi ſumus ipſo Sanctorum omnium octauo die, qui idem fuit cum Dominica vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten, quo Euangelium ritu Romano prælegitur. Reddite ergo Cæſari quæ ſunt Cæſaris. Reddidit ſanè Palatinus Elector, quāuis inuitus, qui ibi cladē ſui exercitus accepit, vna cum coniuge Praga ceſſit, et vel hoc ipſo catholicum agmen viciſſe profeſſus eſt. In qua Dei victoria, quam ſic appellamus, quædam prorſus admiranda contigere. Hoſtis erat numeroſus, nec veterani militis robore carebat: hunc etiam locus ipſe fecit audacem. nam in monte vrbi Pragenſi contiguo inſtructiſſimam contra nos aciem direxit. & quamuis ego cum vniuerſo exercitu tota pene nocte iter fecerim, hoc ſolum fine vt hoſtem aſſequi, & cum eo confligere liceret, conflictus tamen iſte initio admodum videbatur iniquus & impar, cum hoſtes in oportuniſſimo ſibi loco, nec minus munito, facilem in nos pugnam ſint ſortiti. at vero demū præmiſſa deliberatione, ante omnia Deo fidendum, & ope diuina innitendum eſſe rati, ex iniquo & inferiori loco hoſtem cominus aggreſſi ſumus. Videbatur quidē noſter exercitus ſub initiū nonnihil nutare, ſed mox reſumptis animis & alacritate iuit in hoſtē & eos breui e mōte profligauit, tormēta ænea maiora occupauit, omnibus aduerſæ partis aut cæſis, aut in fugam actis. Ita diſperſi, fugati, fuſi, cæteri hoſtes ad internecionem, nec prius deſtiterunt noſtri, donec fuga diſſipatos ad ipſam vſque vrbem inſequuti, varia in eos cæde graſſarētur: cū a parte noſtra vix centum deſiderati, plures tamen læſi ſunt. Præter tot ex hoſtium numero caſus, aliquot cæteri capti: inter alios Principis Anaholini filius natu maximus, qui & grauiter læſus, & duo Comites, & plures Nobiles, & Capitanei in eadem pugna. præter centum vexilla, decē quoque maiora tormenta hoſtibus erepta ſint. Hungari, multis iam eorum profligatis, vt fuga ſe ſeruarent in Muldam flumen ſeſe præ-

cipitarunt

cipitarunt tranaturi, ſed mille circiter in aquis interijſſe dicuntur. Et quidem pugna ad horam tenuit, die vt dixeram, octauæ omnium Sanctorū, qui ſeſe de ſuis hoſtibus inſigniter ſunt vlti. Die ſequenti, quæ fuit Nonas Nouembris, & dedicatione Beatiſſimi Saluatoris, Ciuitas Pragæ deditas ad me miſit literas, ſe in Cæſaris poteſtate poſthac futuram. Altero ab hoc die tam vetus quam noua vrbs Pragæ (eſt enim tripartita ciuitas) obedientiam Imperatori ſine omni exceptione promiſerunt. Hodie quoque Regni Bohemiæ ſtatus, Comites, Barones, & Nobiles, crimen publicè deprecati, mihi nomine Cæſaris homagium nouum promiſerunt, & confœderationibus omnibus tam in Regno Hungariæ, quam alijs initis renunciarunt: ipſaque confœderationum inſtrumenta ad meas manus tradiderunt. Itaque in hoc anno, Deo ſoli laus, Auſtria ſuperior omnis Cæſari ſubiecta, inferior tranquillata, & ab hoſte liberata, complures Buhemiæ tam vrbes quam arces capræ, ante Pragam hoſtilis exercitus profligatus, Praga occupata, & ſtatus Regni Buhemiæ in Imperatoris fidem & obſequium reducti. Hæc Sanctitati veſtræ compendio narrare, ſimul & gratulari Eccleſiæ Romanæ par erat. Sanctitati Veſtræ ſubmiſſè ac plurimum me commēdo, ſimulque ad pedū oſculum reuerenter ſubmitto. 12 Nouembris. 1620.

Deuotiſſimus & obedientiſſimus Filius ac Seruus Maximilianus.

21. Nihil tam arroganter celſum, quod diuina manus non deiecit: nihil maieſtate ac poteſtate adeo ſuperbū, quod diuina iuſtitia non depreſſit: nihil formæ elegantia ac ſplendore vſque eo venereum, quod Dei vltio non deformauit. An non *Cæſar* hoſtium turmas prætervectus, ac in Senatn locatus, quaſi in tuto poſitus? at vel tunc ficas aut ſtilos pugillares parauerat Dei prouidentia, qui ei vitam funeſtarent.

Claud. l. 1. de Rapt.

Fulgidus vmbroſo miſcebitur axis Auerno.

Ouid. l. 4. Triſt. l. 4. de Ponto.

Hoc mihi ſi Delphos Dodonaque diceret ipſa,
Eſſe videretur vanus vterque locus.
Ludit in humanis diuina potentia rebus
Et certam præſens vix habet hora fidem.
Littus ad Euxinum, ſi quis mihi diceret, ibis,
Et metues arcu ne feriare Getæ,
I, bibe, dixiſſem, purgantes pectora ſuccos,
Quicquid & in tota naſcitur Anticyra.
Sum tamen hæc paſſus, nec ſi mortalia poſſem,
Et ſummi poteram tela cauere Dei.
Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur
Dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta.

Claudianus recolens Romani exercitus debellationem Geticam, ita cecinit.

Claudia. de bel. Getico.

O rerum fatique vices! qui fœda parabat
Romanas ad ſtupra nurus, ſua pignora vidit,
Coniugibus permiſſa trahi. qui mente profunda
Hauſerat vrbis opes, vltrò victoribus ipſe
Præda fuit. noſtri quidam, qui militis auro
Aggreſſus tentare fidem, deſertus ab omni
Gente ſua, manibusque redit truncatus & armis.

Huius generis a diuina prouidentia quam plurimas extitiſſe impreſſiones in rebus Eccleſiæ, varij euentus manifeſtum fecere. quod etiam præcinuit Beatiſſima Virgo, futurum dicens, vt humiles exaltandi forent, ſuperbi verò diſpergendi. Porro *Anna* hoc viſa prius præſignaſſe. [Luc. 1.] *Arcus fortium ſuperatus eſt*: nempe dolus & vires inſtructæ in Eccleſiæ perniciē, ab illa debellandæ. [1 Reg. 2.] *Infirmi accincti ſunt robore.* cōtra verò, in eadem, iudicio humano imbecilles, ad ſummam fortitudinem euaſere. *Repleti prius pro panibus ſe locauerunt.* Pagani nempe, animaduertentes Chriſtianæ fidei potentiam & ſplendorem, ſeſe Chriſtianis ſubdidere, vt ſub eorum præſidijs tuti, vitæ ſuſtentandæ neceſſaria ſibi procurarent: licet nun tā amore *Ieſu*, quā panūcius inducti, id præſtiterint. *Donec ſterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.* Eo namque huiuſmodi prouidentiæ curſus peruenit, vt Eccleſia ex ethnicis coalita, quę prius ſterilis prolium reſpectu, Deo gignendarum videbatur, innumera ſobole ſubinde extitit locupleratā: ſynagoga verò, quæ in hoc genere aliquando fœcunda, eiuſmodi virtuti penitus exciderit. Potentiſſimi Imperatores, vt diſſeruit *Conſtantinus Magnus* in argumentum [Conſt. orat. ad ... or. l. o d] fidei Chriſtianæ, veluti a petra Chriſto, in quã impegerant, contriti, non ſolum mortis genere horrendo vltimum diem clauſere, verum ipſa veritate diuicti, orthudoxis libertatem conceſſere, quos prius fugarant. De *Nerua, Domitiano* [Dio in] ſuccedente, hæc *Dio*: *Omnes, qui impietatis in* [Don. Suet. in Nerua. in] *Deos rei fuerant, abſolui iuſſit, & exules in patriam* [Domit.] *reduxit.* tunc temporis paſſim dicti Chriſtiani [Tert. apol.] *ἀδύνατοι inertes & cerdones: infructuoſi in negocijs,* [Cap. 6., 5.] vt ait *Tertullianus*. qui tamen de crudeliſſimis [40.] Imperatoribus, de *Domitiano*, vel *Palladis* filio, triumpharunt. Iinu inſtituta noſtra, quæ tunc contemptibilia videbantur, in nobiliſſimos Romanorum, etiam cum mundi admiratione, inualuere, vt teſtatur *Euſebius*. *Tantopere vero tem-* [Euſ. l. 3. hiſt. cap. 14.] *poribus illis, quæ ſupra demonſtrauimus, noſtræ fidei doctrina ſplendeſcebat, vt hi etiam ſcriptores, qui a ſermone & diſciplina religionis noſtræ videbantur prorſus alieni, hiſtoriarum ſuarum monumentis tum perſecutionem, tum martyria, quæ id temporis geſta erant, tradere minime grauati fuerint. qui etiam temporum ordinem accurate & tanquam ad amuſſim obſeruabant, narrabantque Flauiam Domitillam ex ſorore Flauii Clementis, qui vnus ex Conſulibus tum Romæ fuit, prognatam, cum aliis pleriſque ob teſtimonium, anno decimoquinto Domitiani, in inſulam Pontiam ſupplicii & mulctæ cauſa extruſam.*

22. Argumentandi in hanc ſententiam diuinæ prouidentiæ locus duodecimus eos ſignat euētus, magnos quidem, ac planè ſtupendos, qui a paruis principijs, ac medijs facilè in contemptum impingentibus, ortum ſuum prouexere. Quid *Remulo* ac *Remo* Tiberi hiberno tēpore cōmiſſis, in eius fluminis ripa a lupa exceptis & lacte eiuſdem poſtea ſuſtentatis, deinde in vili mapali educatis, in humanis deſpicabilius conſtetit?

Suſtinet impoſitos ſumma cauus alueus vnda.

Heu,

Heu, quantum fati parua tabella tulit!
Aſpice quæ nunc ſunt Capitolia, quæque fuerant,
Alterius dices illa fuiſſe Iouis.

Ouid. El. 20

Curia conſilij nunc eſt digniſſima tanti:
De ſtipula Tatio regna tenente fuit.
Quæ nunc ſub Phœbo, Ducibuſque palatia fulgent,
Quid niſi araturis paſcua bubus erant.

ab iſtis verò, tanquam exiguis ſeminibus, tota Romana gloria & poteſtas currente tempore
Iuſtin. lib. 1.
exſpirarunt. *Cyrus* quoque Rex Perſarum potentiſſimus, cani non tam nutriendus, quam deuorandus proijciebatur. *Oedipus* Thebanorum inclytus princeps, dum infans eſſet, paſſus ſibi pedes ligno tràſuerſo contundi, ac deformari, adeoque paterna domo excludi. *Marcianus* ad
Bar. Tom. 3. An 41?, Dom. 10
imperium Romanum euectus, prius in Aphrica captiuus factus miſere delituit. Cæterum hoc valde perſpicuum in principibus, qui Regnum Eccleſiaſticum, regnum cælorum fundarunt: nimirum in Chriſto Domino, eiuſque Apoſtolis. Quis exiſtimaſſet, ſi vidiſſet Chriſtum infantulum in fœno præſepij Bethlemitici iacentem, non Romanum militem manipularem, ſed manipularem deum, a manipulo, a brutorum ciborio, ad tantum culminis, in quantum modo deuenit, peruenturū?

Ouid. l. 3. Faſt.

In ſtipula placidi capiebat munera ſomni,
Et tamen ex illo venit in aſtra toro.

Subinde enim in Chriſto cruci affixo, ac in eo mortuo omnis ſplendor extinctus fuiſſet, omnis poteſtas extremo dedecore oppreſſa, ac pla-
Num. 17.
nè inſtar virgæ Aaronicæ exaruiſſet, quam ſtupendum exijt, ab huiuſmodi radice, a tot martyrijs, tantam copiam florum, ab hac infirmitate tot robora imperiorum, ab hac indigentia tot diuitiarum cumulos, ab iſtis tenebris, admirabiles hoſce fulgores Eccleſiæ dimanaſſe? Chriſtiani olim ab ethnicis vocari *Biothanati*: hoc eſt violenta morte ſupremū diem clauſuri ob leges latas & frequentia Martyria, vt ſcribit
Bar. An ch. 138. Iuſt. orat. ad Anton.
Baronius. Nihilominus ab iſto ſanguine quanta ſeges? *Et quanto magis* ait *Iuſtinus Martyr, eiuſmodi tormenta quædam in nos expediuntur, tanto alii plures fideles, & veræ religionis per nomen Ieſu fiunt cultores. quemadmodum enim, ſi quis vitis excidat fructificantes partes, vt palmites, qui alios floridi & frugiferi profundant ramos, illa proferat, facit, ita in nobis quoque accidit. plantata namque eſt a Deo & Saluatore vitis. & vinea populus eius.*

23. Poſtremum caput illos continet effectus, qui a contrarijs cauſis, ac contra agentium intentiones ſucceſſerunt: ſeu quos inopinatus ca-
Cic. l. 3. de Nat. Deor.
ſus diuinitus inſtitutus extulerit. *Multi enim*, ait *Cicero, etiam cum obeſſe vellent, profuerunt, & cum prodeſſe, obfuerunt*, quemadmodum obtigit *Pheræo Iaſoni*, cui vulnus gladio inflictum eius
Val. max. li. 1, cap. 8.
vomicam curauit. Multi, quibus in præſidijs abunde adfuere leo & draco, gladium & arcus, ſcilicet inſtrumenta virium & fraudum, in
Pſalm 43.
caſſum recidentes, dicere potuere: *Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me.* Hoc prouidentiæ genus maximè conſpicuum in euertendis impiorum conſilijs: ſiue in negocijs relligionis, ſiue ſtatus ciuilis illud apparuerit. Iudæi è re ſua arbitrati, Chriſtum Dominum è medio tollere. quod ipſorum factum, Romanam gentem ad illos debellandum, vtpote ad iuſtiſſimam vindictam inferendum, prouocauit; id veriti euenturum, ſi Chriſtum indemnem permitterent. Iidem ad ſeruandum templi cultum, adeoque Chriſtianam fidem extinguendum, neceſſarium duxere, Apoſtolos, ac Chriſti cultores Hieroſolyma exigere; cæte-
Act. 12.
rum inde expulſi, latè pietatem diſſeminarunt, Maſſiliam, Hiſpaniamque vſque delati. Hoc ipſum contigit ſæpius poſtea in noſtræ relligionis incrementum, quando Ariani, & Iconoclaſtæ hæretici, orthodoxæ fidei cultores in exilia abegere: hinc enim præclari illi viri varias longeque diſſitas nationes ad Chriſti cultum attraxerunt. quo etiam ſpectat *S. Athanaſii* ab oriente fuga: nam vbi Romam extorris appulit, monaſticæ vitæ inſtitutum, inter alia ab ipſo geſta, per partes occidentales, ad exem-
Hier. Ep. ad Princip.
plar orientis, ampliauit. *Hoc* inquit *S. Hieronymus ab Alexandriniis ſacerdotibus, Papaque Athanaſio. & poſtea Petro, qui perſequutionem Arianæ hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimam communionis ſuæ portum, Romam confugerunt, vitam beati Antonii adhuc tunc viuentis, monaſteriorumque in Thebaide Pachomii, & virginum ac viduarum didicit diſciplinam.* atque cum ex improperio otij, ac ſegnitiei, monachi nomen in occidente propemodū eſſet infame, vt ait idē *S. Hieronymus: quod prius ignauia fuerat, erat poſtea gloriæ.* Hoc ſanè in Eccleſiæ negocijs ac ſucceſſibus parentiſſimū. Permiſit Deus noſtris tēporibus vt inſurgerēt hæretici, mira doctrinæ & eloquentiæ ſpecie vulgo commendabiles. quæ quidem vel hoſtium excellentia tantum profuit Eccleſiæ, vti fortaſſis numquum prius ita doctrina & eloquentia effulſerit, ac modo ab hæreticorum procacitate. permiſit Deus exurgere gigantes, qui in ipſos Sanctos, in ſacroſanctam Euchariſtiam, & omnia Sacramēta, iuxta ac relligionis ſacra, vtpote vota, ſacrificia ac cæremonias, blaſphemias efferrent. Cæterum iam factum, vt Sancti illuſtrius colātur vt Sacrificia & Sacramēta auguſtius celebrentur: vt relligioſi ſuæ diſciplinæ rigidiores obſeruatores habeantur. omnia deniq; contra quā putarūt hæretici: ipſis etiā tantorū bonorū occaſionē dantibus, euenerunt. Colligit Deus, ſi homo ad id impotens, vel de ſpinis roſas, & de tribulis ficus. *In laqueo ſuo humiliabit eum: inclinabit ſe & cadet, cum Dominatus fuerit pauperum.* Hoſtes fidei in noſtra patria ſibi propoſuerūt efficere, vt nulli intra paucos annos, ſenioribus defunctis, qui regnante Regina *Maria* conſecrati, in tota Anglia Sacerdotes inuenirentur, qui falſam ipſorum fidem, ſuperſtitioſamque relligionem impugnarent. Verum prouidit Deus adhuc Eccleſiæ ſuæ Anglicanæ ſemen, quod non obſtante diuturna & cruentiſſima perſequutione etiamnum ſupereſt, copioſaque fidelium prole indies fructificat. porro multo potentius ad debellandum eorum hæreſim iam ſumus inſtructi, quam quo tempore noſtri hoſtes, præcedentium ſacerdotum funera exoptantes, omnia ſua in ſecuro tādem ponenda fore arbitrati. Hoc cum in procinctu & apparatu poſitum vidiſſet *Gulielmus Cicilius*, primis annis regni Elizabethiani Se-

cretarius

cretarius Reginæ, & verus Proteſtanticus *Sinō* omnis in Catholicos molitionis, aliquantulum animo attonitus ſuis tamen dixit: ſine, veniant ad nos e Seminarijs, nihil refert: ſtatim enim atque appulerint, illis formoſas femellas, & pinguia beneficia exhibebimus, quorum præda inſeſcari parum de reliquo contendent pro Papa, aut ſacramentis contra nos diſputare. at falſus ille *Belial*, auctore Deo: vtraque enim lenocinia pij reijcientes Sacerdotes noſtri, non ſolum pro Papa & Eccleſiæ ſacramentis diſputarunt, ſed etiam ex illis ferme ducenti, martyrio occubuerunt: iamque factum vt vel ſtatus ciuilis habita ratione, Catholicis libertas ſuæ pietatis a prudentioribus concedenda iudicetur. In noſtro Regno, fuere cauſa Reges diſceſſionis ab eccleſia Romana. at ecce, modo, parlamentarij ciues eorum iura fregere: in Gallia permiſſi hæretici, iam Regum peſtes, qui aliquando putati ſubſidia. Quod ad res ciuiles attinet, Romani Imperatores ferro aut veneno in omnes ſuos æmulos deſæuire ſolebant, quo ſecurius viuerent: at hinc potius factum, quod clauorum inſtar clauos pellentium, vt loquitur
Plut in Mar *Plutarchus*, annorum quindecim ſpacio triginta Imperatores, immani eorum cæde peracta, di-
Treb. pol. l. uerſis in locis renunciati fuerint, vt *Trebellius*
de Imp. *Pollio* animaduertit. *Rodericus* Hiſpaniæ Rex, vt
Luc. Tud. filiorum Regis *Vitizæ* in regno ſucceſſionem
An. 715. impediret, munitiones omnes in ſuo regno ſolo æquauit, ratus inde fore, vt nemo in ipſum ex
Vaſ. in Chr. ciuibus rebellaret. Verum Mauri poſtea in eius ditionem inuadentes, octo menſiū ſpacio eam omnem occuparunt, nullibi exiſtente præſidio, quod eorum irruptionibus obſiſteret. *Ricardus* Tertius Angliæ Rex, duorum ſuorum nepotum, quos prius in turrim Londinenſem coniecerat, procurando interitus, ſecum reputauit, vnicam ſibi ſupereſſe viam ad imperium: ſed perpetratum facinus, eum omnibus vſque adeo odioſū exhibuit, vt cum in eum *Henricus* Septimus parua manu pugnaret, a ſuis deſertus, miſere ab
Mor. in vit. hoſte fuerit interfectus, vt *Morus* noſter egregie
Ric. tertij. deſcripſit.

——— Neque enim lex iuſtior vlla eſt,
Quam necis artifices arte perire ſua.

Hungariæ Regina, quo *Ferdinando* Romanorum Regi melius aduerſaretur, qui ius ſucceſſionis in illud regnum prætendebat, *Solimanni* opem implorauit: Cęterum hinc effluxit ingens tam Reginæ ipſius, quam regni malum: nam ſubinde *Solimannus* regnum ſibi vectigale, & Reginam captiuam obtinuit. Omitto hic recenſere admirabiles caſus, bona malaque præpoſteris quaſi vultibus adducentes: vtpote quod *Rufus*
Val. l. 1. c. 8. Angliæ Rex animi ergo ſub opacitate ſpinæ
Cic. l. 1. de aut herbæ requieſcens, cuiuſdam ſagitta, qui
nat. Deor. feram arbitratus, occiſus, perijt: quod *Henricus*
Pollad. Virg. ſecundus Galliæ Rex haſta ludendo in ſumma
in Ruf. Ge- nuptiarum celebritate, tranſuerberatus cere-
neb. in brum, interieret,
Chron.
Theo. Sent. *Εἰσὶ δ', οἳ βουλῇ τ' ἀγαθῇ καὶ δαίμονι φαύλῳ*
Μοχθίζουσι, τέλος δ' ἔργμασιν οὐχ ἕπεται.

Sunt, ait *Theognis*, *qui bono vtuntur conſilio, numine nihilominus ſiniſtro res gerunt.* quemadmodum contra, vt idem obſeruat, proſpere eis interdū negocium ſuccedit, qui rationem fatuam ineptamque ſecum ineūt. Atque hæc mihi viſa generalia quædam capita hiſtorici argumenti ad probandum ſapientiam noſtram de Dei in nos prouidentia inſtitutā. Verumenimuero vt hoc clarius adhuc conſtet, abs re non fuerit ea diſcutere, quæ nonnulli Philoſophi, etiam expenſa Dei perfectione, in eam audacius definierūt.

CAPVT X.

Quibuſnam argumentis Epicuræi, & alii Philoſophi adducti, exiſtimarunt, Dei in nos prouidentiam, eiuſdem ſummæ perfectioni aduerſari.

NOſtri quidem Theologi ex ipſa Dei perfectione argumentati ſunt ad probandum eius in nos S.Thom. 1.
prouidentiam: ideoque ita diſ- part. q. 22. a. 1.
putarunt. Deus maximè perfectus quoad eſſentiam, quoad intelligentiam, ac quoad voluntatem: ergo omnium rerum pro- Sen. l. 4 de
uidus. Contra vero Epicuræi ſic ratiocinati: Ben. c. 19.
Deus ſumme perfectus: ergò prouidus eſſe non Cic. l. 1. de
poteſt. ex quo Deum, quod ſcribit de eis *Seneca*, Nat. Deor.
tanquam inermem & otioſum extra mundum ſuis ſententijs collocarunt. Philoſophi, qui mūdum ſui principium a Deo accepiſſe ſtatuebant vt Platonici, Academici, ac Stoici, prouidentiā quandam, mancam licet, & arcto quodam cōſtrictam admiſere. non enim aliter putarunt ad genus humanum pertingere Dei curam, quā interueniente fato, nimirum ſecundarum cauſarum contextu a Deo facto, ac in illud influente, adeo vt ipſimet Genij huius fati non auctores, ſed exequutores meri fuerint reputandi. Qui verò non a Deo, ſed a natura ipſa homines & alia omnia profluxiſſe cū *Ariſtotele* arbitrati, me prorſus latet, quibuſnam argumentis ſententiā diuinæ prouidentiæ ſtabilire aut adſtruere vlla ex parte potuerint: niſi ad eos effectus ſolum reſpexerunt, qui naturæ curſui exempti, vtpote ſupernaturales, aut qui præter naturæ modos incidentes, homines variè afficere valent. nam qui a natura exorſi ac propagati homines, ſicut natura primitus a ſeipſa extiterit, ita vltra naturam in nullam aliam cauſam prouidentem referendi. Supererit idcirco horum iudicijs ſolum prouidentia in Deo voluntaria, illa naturali penitus deleta. at neque hanc ipſam remanere oſtendere conati Epicuræi, idq; ex quatuor capitibus, Dei perfectionem continentibus, diſſerētes. Primo loco ex Dei ſimplicitate omni carente compoſitione, deinde ex eiuſdem ſumma ad exiſtendū neceſſitate, poſtea ex diuini ſtatus tranquillitate, poſtremo ex perfecta in Deo iuſtitia, ſi quæ ſit in illo, gubernatiua, cōtra aſſertā a nobis vtramq; prouidentiā argumentati ſunt.

2 Hæc Dei prouidentia, tam quoad ea, quæ ab æterno in diuina mente digeruntur, quam quoad ea, quæ ſuis temporibus exequutioni ab ipſo mandantur, multiplici actu, cum intellectus diuini, tum etiam voluntatis conſtare nobis videtur: quandoquidem pro numero vtriuſque obiectorum, qui propemodum infi-

nitus, actionum circa illa numerus in Deo, more noſtro concipiendi, decernendus. Cum enim omnis intellectio ſit imago quædam rei intellectæ, expreſſa ab ipſa mente, quemadmodum rerum obiectarum vultus ſunt alij, atque alij, ac planè diſſimiles, ita eodem modo ſeſe habebunt in Deo, ſiue quocunque alio intelligente, earum intellectiones, ſeu animaſticæ viſiones: fieri ergò non poteſt, vt vna omnium ſit in Deo communis intellectio. Simile argumentum confici poterit quoad actum voluntatis diuinæ, qui ſit amor, decretum, aut odium: hæc enim feruntur ea ratione circa ſua obiecta, qua in ſeipſis bona aut mala: quocirca ſicut omnia eadem bonitate non ſunt bona, aut eadem malignitate mala, ſed ſingula ſingulis, ita vno eodemque amore non attinguntur: vno eodemque odio non reijciuntur. Horum verò actuum multiplicitas, in qua vnuſquiſque eorum non ſit Deus identicè, diuinæ ſimplicitati aduerſari æſtimetur: quippe quod in Deo reperiretur aliquid, quod ſit Deus, & aliud, quod non ſit Deus. Hinc *Ariſtoteles* ex paucitate operationum colligi dicit agentis perfectionem: proinde aſſerit cœleſtes orbes perfectiores, vt primum mobile, paucioribus circuitionibus, vel vna tantũ, munera ſua perficere, imperfectiores pluribus. ex quo concludit, Deũ eſſe perfectiſſimum, quippe vnica operatione, eaq; ſubſtantiali, ſibique vitali & eſſentiali, agentem, & cuncta obeuntẽ: vel potius omni actione circa ea carentem. *Ei autem, quod quam optimè ſeſe habet, nihil actione eſt opus: eſt enim ipſum id, cuius gratia.* Quamobrem idem *Ariſtoteles* Deo vnam ſolum ad ſummum attribuit operationem, nimirum ſui intellectionem, quæ ſit ipſius vita & ſubſtantia intellectualis: in quo intellectio & intelligibile non diſtinguantur, ſed coincidunt in idem impartibile punctum actus puri & diuinitatis. Quod antè actiones, quibus conſtare dicimus Dei prouidentiam, non ſunt Deus identicè, ex eo id liquet, quod Deo exiſtente poſteriores inueniantur, ac proinde ipſi aduenticiæ, & non ipſe identicè. viſio enim futurorum præſupponit eorum a Deo decreta: itidem amor odium ac miſericordia in Deo vt præſupponunt ſua obiecta eſſe a parte rei, ita multo magis ſupponunt Deum ampliſſime ſua natura prius ſubſiſtentem. Cum ergo idem non poſſit eſſe ſeipſo prius, ac poſterius, vnum, & multiplex, aut iſtæ partes prouidentiæ accidentia erunt Dei, aut nihil erunt. Imo omnes fermè Philoſophi ita abierunt in eam ſententiam, quod Deus extra ſe nihil moliatur, vti, teſte *Plutarcho*, inuiſi eo nomine plebi, quo definiuerunt, Deum neceſſitatibus conſtringi, ac inde omnem prouidentiam ei ademerunt.

Ariſt. l. 2. de cæl. Text. 64 65.

S. Thom. 1. part. q. 14. art 4. lib 1. cont Gent. cap. 46.

Ariſt l. 12. Met. cap. 3.

S. Thom li. 1. cont Gẽt. cap. 16.

Plutarch in Hom.

3 Ea porro eſt ſumma in Deo ſubſiſtendi neceſſitas, vti ea videatur cohærere non poſſe cũ aliquo actu intellectus, aut voluntatis diuinæ, qui circa aliquid extra ipſum poſitum occupetur. Cæterum vero prouidentia, quam Deo attribuimus, reperitur in illis etiam muneribus intellectus ac voluntatis, quæ ad res a Deo diſcretiſſimas extenduntur: vtpote in intelligentia ſimplicis intelligentiæ, qua res poſſibiles intelliguntur: in æternis decretis, a voluntate profectis, ex quibus futura omnia ſuam trahunt originem: in ſcientia viſionis, qua futura præuidentur, præſentia ac præterita videntur: in ipſis rerum creationibus, in concurſibus cum cauſis ſecundis, ac earum præmotionibus, ſiue applicationibus ad agendum. Propter quam cauſam *Ariſtoteles*, vbi ex profeſſo de hac re pertractat, neque vt alibi, ex aliorum, aut vulgi opinione loquitur, ex maxima in Deo ſubſiſtendi neceſſitate intulit, Deum extra ſe nihil intelligere, ſed ſua eſſentia, vt obiecto adæquato, omnem in ipſo intelligentiam terminari. ſi enim ad aliquid perueniret, quod formaliter non eſſet in diuina eſſentia, ſed extra ipſam obiectiue ſeu intelligibiliter poſitum, latius pateret intelligibile diuinum quam diuina eſſentia, neque ſufficiens diuina eſſentia ad pleniſſimè terminandum intellectionem diuinam. Et quidem, vt diſſerit *Ariſtoteles*, obiectum intelligibile vim quandam habet ad perficiendum intellectum, dum eum a potentia ad actum transfert: at nihil poteſt intellectum diuinum perficere præter diuinam eſſentiam: idcirco nihil præter eam Deus intelligit. neque dici poterit, eatenus tantum obiectum perficere intellectum, quatenus ſui ſpeciem intelligibilem, mediante intellectu agente, ad intellectum poſsibilem tranſmiſerit, quod in Deo reſpectu creaturæ non reperitur: Etenim *Nominales*, qui has ſpecies intelligibiles inficiantur, admittunt tamen, quod obiecta perficiant intellectum, dum vt termini ad actum intellectus, ſuis rationibus, eum nempe ſpecificando, concurrunt. quomodo dicere poſſumus, obiecta perficere intellectum angelicum, quatenus nempe ſine illo non eſſet in Angelo actus intelligendi, licet ab eodem nullam ſpeciem ipſe mutuetur. ſaltem hoc ſenſu intellectio diuina, quæ Deo conſubſtantialis, adeo ab obiecto intelligibili dependeret, vt ſine illo eſſe non poſſet: neque intellectionis Deo eſſentialis maior inueniretur ſubſiſtendi neceſſitas, quam ipſius obiecti intelligibilis extra Deum manentis. cum enim implicet contradictionem, intellectionem eſſe abſque obiecto intelligibili, illius maior neceſſitas non erit, quam huius. quod ſi illius eſſet maior neceſsitas, tunc ſecundum gradum exceſſus intelligi poſset, illam exiſtere hac non exiſtente: quod ſi id concipi non valeat, conſequens, vtriuſque eandem eſse reciprocè neceſsitatem. Hoc verò poſito, cum omnis in Deo intellectio ſit ſubſtantialis, non accidentalis, ac ipſe Deus, tanta neceſsitate res erunt poſsibiles, reſpectu ſcientiæ in Deo ſimplicis intelligentiæ, res itidem futuræ, ac præſentes eadem neceſsitate tales reſpectu ſcientiæ viſionis, ac proinde reſpectu diuinæ eſsentiæ, quanta Deus ipſe ſubſiſtit. Statuit proinde *Ariſtoteles* hanc ſententiam: *Deus pro ſua excellentia nihil præter ſeipſum cogitat.* Verum enimuerò cum Deo competit prouidentia, qua ratione agit per intellectum, ac voluntatem, vt docet Doctor Angelicus, ſi non cognouit hunc mundum quò

S. Thom. 1. part. q. 25. art 1.

Ariſt. lib. 12. met. cap. 9.

Ariſt. lib 7. ad Eudem. ca. 15. Ariſt. 12. Met cã.

S. Thom. 1. par. qq. 18. art. 1.

ad

ad omnia in ea contenta poſſibilem antequam eum condere ſtatuerat: ſi haud videat iam ſingulas eius partes modo exiſtentes, ac fines, in quos deſtinentur, cum omni eorum motu ac progreſſu, quomodo creauit, quomodo cunctis prouidet? Maximè verò hoc argumentum vrget reſpectu voluntatis ac intellectus diuini, quatenus verſantur circa res exiſtentes. nam horum viſio, ac decreta, vel competunt Deo neceſſariò, vel contingenter: ſi neceſſariò, cum omnia quæ ſunt in Deo, Deus ſunt, futura Dei neceſſitatem adæquabunt, ſicut adæquant neceſſitatem ſcientiæ viſionis ac decretorum in illo, quod ſi contingenter Deo aduenerint, aliquid in Deo non erit Deus, proinde compoſitus, cum ſui mutatione, eorũ acceſſu euadet.

3 Hinc, vt tertio loco commemoraui, inferunt Epicuræi, ſtatui diuinæ quietis, dignitatis ac puritatis conſultius, Deum, aut nullo modò actum eſſe, vel ſolum actum eſſe purum reſpectu ſuæ eſſentiæ, neque alia obiecta reſpi-

Plini. lib. 2. hiſt. cap. 7.

cientem, *Anne* inquit *Plinius, tam triſti, atque multiplici miniſterio non pollui credamus, dubitemuſne?* Nam cum propemodum ſint infinita, quæ noſtra Sapientia aſſerit a Deo prouideri, nunc creante, nunc concurrente, nunc cauſas applicante, nunc actiones earum impediente: hæcque omnia peragat cum vario reſpectu ad ſeriem cauſarum naturalium aut moralium: vt aptè ſingula ſingulis reſpondeant, hæc abſolui non poſſe, ſuſpicari quis poterit, abſque cura & ſolicitudine, ſummam illam Dei tranquillitatem importunè interpellantibus. Præſertim verò affectus amoris, iræ, odij, miſericordiæ, atque ex vno in alium tranſitiones, quos Deo adijcimus, eius ſempiternæ æquabilitati repugnare videantur. Hinc veteres, ne ira videretur in Deum incidere, non ipſi, ſed Genijs infernalibus, attribuere eductiones morborum, famem, ac ſimilium malorum in noſtrum genus graſſationes. ob quam cauſam finxit *Virgilius*, ab *Ænea* in inferno viſas talium rerum ſpecies.

Virgil. Æneid. 6.

Primiſque in faucibus orci
Luctus & vltrices poſuere cubilia curæ:
Pallenteſque habitant morbi triſtiſque ſenectus,
Et metus, & maleſuada fames & turpis egeſtas,
Terribiles viſu formæ, letumque, laborque.
Tum conſanguineus leti ſopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumque aduerſo in limine bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, & diſcordia demens,

Lucret. li. 1.

Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
Omnis enim per ſe diuum natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,
Semota a noſtris rebus, ſeiunctaque longe.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri:
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Fieri, inquiunt non poteſt, quin remuneratio a Deo perficiatur cum motu gaudij: aut vt punitio haud peragatur cum motu iræ, ſeu vindictæ: quales motus diuinæ tranquillitati repugnant.

4 Poſtremò illam partem diuinæ prouidentiæ, quam gubernationem appellamus, aſſerunt iuſtitiæ, adeoque rectæ rationi, non eſſe ſatis conformem, ſiue res ſolo ſenſu præditas, ſiue homines reſpexerit. illæ quippe ſæpius monſtroſis formis depranatæ, a ſuis finibus turpiter deficiunt, ſimulque fortiorum viribus nonnunquam oppreſſæ, non in aliud creatæ videntur, quam in lanienam ac crudelitatis fomentum.

5 Quod ad homines attinet, dicunt, ſi res humanæ Deo curæ eſſent, cum propter eorum vſus alia omnia fuerint ab ipſo excitata, inde commodis ipſorum deberent inſeruire: ac quæ inter ea præcipue elegantia, iucunda, opima, pulcra, vtilia, in bonorum ſolummodo pecullia reducenda. non enim propter malos exiſtimandum, naturam, diuina prouidentia inſtitutam, flores ſuos ac gemmas extuliſſe. ſecus autem accidere ſolet: quandoquidem boni non ſolum iſtis paſſim deſtituuntur, verum inſuper mali eiſdem exhilarantur, ornanturque, quo fit, non tantum quod lugeant boni, cum interim mali lætentur, quinimo ipſæmet virtutes in angulos humani contemptus, vel ignorationis compellantur, interea loci vitijs in foris, in tribunalibus, in aulis, fulgentibus ac dominantibus. Quot iſtius argumentationis ſententia informati, virtutem ipſam nudum ac inane nomen ſecum reputarunt? ac de reliquo, Deo neglecto, fortunæ, aut fato ſua omnia conſilia tradiderunt adminiſtranda?

Cic. lib. 3 de Nat. Deor.

Luc. lib. 4.

——— *Seruatque malos fortuna nocentes,*
Et tantum miſeris iraſci Numina poſſunt.

Sen. Hip.

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, ſpargitque manu
Munera cæca, peiora fouens.
Vincit ſanctos dira libido,
Fraus ſublimi regnat in aula:
Tradere turpi faſces populus
Gaudet, eoſdem colit, atque odit.
Triſtis virtus peruerſa tulit
Præmia recti: caſtos ſequitur
Mala paupertas, vitioque potens
Regnat adulter. O vane pudor,
Falſumque decus:

Stat. lib. 1. Achil.

——— *Eunt tuſis teratum crimina velis,*
Ex quo iura freti, maieſtatemque repoſtam
Rupit Iaſonia puppis Pagaſæa rapina.
En aliud furto, ſcelus & ſpolia hoſpita portans,
Nauigat iniuſta temerarius arbiter Ida.

At profectò haud mirum, ſi Poëtarum hinc commoti ſenſus, cum ipſorum etiam ſapientum ac ſanctorum iudicia, horum inſpectu nonnunquam perturbata fuerint. *Nunquid* ait *S. Hieronimus*, dum Bleſillæ obitum deplorat, *& in meam mentem non hic ſæpius fluctus illiditur?* eodem modo, *Seuerinus Boëtius* improborum felicitatem contemplatus, ira Deum alloquutus, cecinit.

Hier. de ob. Bleſil.

Boet. lib. 1. conſ. met. 5

Hominum ſolos reſpuis actus
Meritò rector cohibere modo.

Imo homines hinc animis perculſi, vt diuinam fidem excutiant, haud raro, teſte S. Hieronimo, incitantur. *Difficile eſt, preſſam malis innocentiam non dolere, & hoc ipſo fide non*

Hier. ep. ad Iulian.

periclitari, quod ſe videat iniuſte ſuſtinere, quæ patitur. Atque ad malorum cumulum, cui genus humanum obnoxium, accedere quidam criminantur arctam Dei prouidentiam, ex qua æterna hominum ſalus fidei in Chriſtum adſtringi voluit: cum tamen illius notitia ac credibilitas multis rationibus, quantum ad moralem rerum curſum, ſint planè impoſſibiles. Quibus autem veritatibus perceptis, nebulæ iſtæ a ciuium oculis depellantur, iam videamus.

CAPVT. XI.

Prouidentia, quam Deo competere definit Sapientia, neutiquam contraria eius ſimplicitati, aut ſummæ in ipſo ſubſiſtendi neceſſitati.

Cum multa ſint, quæ curioſis præſertim & ſuperbis ingenijs hac in re ſcrupulos inijciant, tum nihil ad hoc inſolentius, vberiuſue, quam conſcientia ſceleribus contaminata, eiuſdemque ſtatus, pertinacia quadam obfirmatus ad delinquendum. Rectè ſanè pronunciauit *S. Ambroſius*, de flagitioſis ciuibus diſſerens. *Nolunt ſupra ſe eſſe iudicem, quem nihil fallat. nolunt ei dare occultorum ſcientiam, qui metuunt occulta ſua prodi.* Inter alia enim, quibus in animæ ſinum admiſſum crimen, eiuſdem vim intimam corrodit & exedit, illud eſt, quod ſontis cogitationem ad vindicantem Dei prouidentiam ſæpius reflectat. quo ſpectaculo ne animus vehementius percellatur, omnibus contendit eius terrificam ſpeciem aut penitus excutere, vel quibuſdam lenocinij velamentis boneſtate ac diſſimulare. quod ſanè perinde eſt, ac ſi quis dentium dolore afflictus, quò malum auerteret, ſeſe in altiſſimum puteum daret præcipitem. Verum enimverò peccatum intus complicatum, hoc non obſtante, dentes ſuos retinebit, quos & in altum animi infiget, tametſi blandientis erroris falſato ſucco tantæ pænæ quis operoſius obſtiterit. pura opus eſt conſcientia, ac ea, quæ offendere ſeu delinquere ſecum haud obſtinarit: non enim diuini ſolis iſtius radium perferet lippientis in conſcientia oculi ægritudo, vt nos etiam docet *S. Auguſtinus.*

Amb lib. 1. offi. c. 14.

Aug. l. 1. de Gene. cont. Manich. 2. & 3. cap.

2 Deinde, tametſi de diuinis nobis nõ aliter ſit conceſſum philoſophari, quam ad modũ quendam rerum humanarum noſtra mente perceptarum, illum tamen regulam omnino non debemus conſtituere, ad quem diuina adamuſſim exigamus: quaſi in diuinis nihil tam altum aut obſcurum eſſet, quod naturæ nobis cognitæ definitione ac luce ambiri, explicarique non poſſit. quod ſi *Epicurus* feciſſet, neutiquam diuinæ perfectioni prouidentiam Dei aduerſariam cogitaſſet. Vt enim ſol iſte maximè in ſe viſibilis, minimè tamen a noſtro viſu attingitur, ita Dei ſublimis prouidentia in ſe ſummè illuſtris, tenuiter nihilominus a noſtra intellectuali imbecillitate cognoſcitur. ob hanc cauſam, quidam veterum haud incongruè nigrum lapidem ſymbolum voluere eſſe diuinitatis: facie quidem aſpectabili politum, quò ad interiora tamen obſcurum: quia, *Tenebroſa aqua in nubibus aëris.*

Hom. apud Boet. l. 4. de conſ. proſ. 6 Arnob. l. 1. cont. Gent.

Pſalm. 17.

3 Suſpicatus quidem *Epicurus*, prouidentiam Dei, numerum quendam operationum, eumque infinitum, inuoluere, indiuiſibili ſimplicitati ipſius repugnantem. Verum operationibus notionalibus exceptis, quibus Filius in diuinis generatur, ac Spiritus Sanctus ſpiratur, vt poſt ſerie operationum eſſentialium diuinitati competentium, Dei prouidentiam ſaſſi, ſecundum rem ipſam multiplicitatem non ſtabilimus. Veruntamen ea eſt perfectione vna eademque cognitio, qua Deus ſeipſum cognoſcit, vt æquiualeat, quoad virtutem repræſentatiuã, infinitis ex noſtris, aut angelicis: adeoque eas in immenſum excedat. vt verò hæc aliquid repræſentet, illud quod repræſentatur habere debet in ſe aliquam intelligibilitatem vel poſſibilem, vel exiſtentem, vel in ſeipſo futuram, vel præteritam: aut ſaltem in diuina omnipotentia. Eſt ergo in ſe indiuiſa ac ſimpliciſſima illa ſui in Deo intellectio, expreſſa imago totius entis intelligibilis, cum ſit in repræſentando infinita. Proinde quando res nondum exiſtens, nec futura, ſubinde futura, ſeu exiſtens euadit, tunc de nouo poſt negationem viſionis, a Deo cognoſcitur ſcientia viſionis; non tamen eo accedit Deo nouus aliquis actus, aut aduentitia aliqua entitas, quæ cum præcedentibus numerum realem conſtituat: ſed illa prima, vna & eſſentialis recenter terminari incipit ad hoc futurum, exiſtens, vel præteritum. Cuius rei, ſaltem vmbratile exemplum, æſtimare poſſumus lucentem aliquam gemmam, quæ ſuo natiuo radio viſiua eſſet, ac colluſtratiua. ſicut enim emicans oculus iſtius gemmæ non alia videret, quam quæ illi obijciuntur, ac eis recedentibus, vel extinctis, nihil luminis ſui perderet, aut quicquam mutaretur: ita mens diuina, eſſentiæ diuinæ cognitione illuſtrata, ſine noui acceſſu ea percipit, quæ prius ideo non percepit, quod minimè eſſent intelligibilia. idemque dicendum eorum reſpectu, quæ iam non videntur a Deo tanquam exiſtentia cum prius viſa. Similiter amor in Deo qui primario in diuinam eſſentiam defertur, ſecundario ſine reali additamento poſſibilia, exiſtentia & futura bona complectitur: ad quæ ita ſucceſſiuè ac recenter terminatur, vt nihil recentis entitatis illi accreſcens ſuperaddatur: quod eodem etiam ſymbolo gemmæ declarari vtcumque poterit, ſi imaginemur, eius ſplendorem igneum eſſe, ac calorem, velut adfectus cuiuſdam ex ſe in alia emittentem. non ergo *Ariſtotelis* doctrinæ, ex paucitate operationum agentis perfectionem ſtatuenti, aduerſamur, cum omnem in Deo actum intelligentiæ, aut beneuolentiæ cum ipſa diuinitate identificari, ac in eius vnicum punctum redigi ſtatuamus.

4 Cæterum adhuc contendebat argumentum, actus in Deo prouidentiales ad intellectum ac voluntatem ipſius ſpectantes, ideo cum diuina eſſentia identificari non poſſe, quod Deo ſint poſteriores. prius eſt enim, Deum eſſe, quàm definiat mundi creationem eſſe futuram, quam illum Deus cognoſcat ſci-

entia

entia viſionis, aut illum amet: prius eſt, Deum exiſtere in ſe, quam concurrat cum cauſis ſecundis, quam creata in ſuos fines inſtituat: ex quibus videntur prouidentialia hæc numerum quendam accidentalem conficere, ac eſſentiæ diuinæ ſuperuenire, proinde, neque cum eadem identificari. At reſpondeo, haſce multiplicitates, acceſſiones ac in ordine poſterioritates, non deſignare in Deo actuum realium numerum, aut recentem eorum aduentum, ſed vnius eiuſdemque cognitionis, amorisque, pro rerum ſtatu, ad diuerſa terminationes: in rebus ipſis mutatione, ac numero factis, neutiquam in Deo. quæ quidem terminationes ac reſpectus multiplices ſeu acceſſorij, cohærere poſſunt cum ſumma reali in Deo vnitate, ipſique intrinſeca. Hoc pacto videt Deus ſcientia viſionis lapidem exiſtentem, aut futurum, quem prius non ita videbat, quando nempe lapis ille erat ſolum poſſibilis. Quod ad voluntatem, diligit hominem iuſtum, quem ante non iuſtum haud ſic diligebat: non quod noui actus a Deo cum ſui mutatione reali exprimantur, ſed quod actus ipſi eſſentiales de nouo ad hæc obiecta deferantur. Cuius veritatis prima ratio in hoc ponitur, quod Dei intellectus & amor eſſentiales, repræſentando, ac ſe effundendo ſint infiniti, aptique ſine ſui incremento, qui extendantur ad omnia vera, omniaque bona colluſtranda, ac diligenda: iuxta eas formas, quibus res ſunt in ſe intelligibiles, & amabiles. Proinde quod in Deo vna cognitio ſit ſimplicis intelligentiæ, alia viſionis, vnus actus voluntatis ſimplex amor, alius efficax beneuolentia, hæc prouemiunt non a diſcretione reali in Deo, ſed ab vnius in ipſo formæ alia atque alia ad diuerſa extrinſeca terminatione: qui termini quod ſint infiniti, proinde eminenter Dei cognitio, quodammodo eſt omnis cognitio: eiuſque amor, omnis amor, qui Deo attribui poterunt.

5 Ex quo vtcumque percipiatur, Deum non mutari poſteriorum actuum aduentu ſecundū aliquid reale & abſolutum in ipſo, quomodocunque mundo prouideat. atque vt inſiſtamus in ea parte prouidentiæ, quæ ad decreta diuinæ voluntatis, aut eius iudicia practica refertur, putandum, Deum ab æterno efficaciter voluiſſe mundum hunc creare, & ea omnia peragere, quæ iam ſtatutis temporibus per ſe, vel cum cauſis ſecundis educit. in qua prouidentia ordinatiua & exequutiua, duo quaſi inſtantia inſpicienda: vnum æternum, natura tamen poſterius deitate, ipſiuſq; ſubſiſtentia in tribus perſonis: nam prius eſt Deum eſſe in ſe quam velle extra ſe operari: alterum temporaneum, in quo de facto vult creare, vult concurrere, vult aliquid facere, ac deinde videt effectus exiſtentes, eoſque amat, quæ prius vt tales nec videbat, nec amabat. Prouidentia in illo poſterior, quo ad rem ipſam æterna, non adducit ſecum nouum aliquem actum realem ſiue intellectus ſiue voluntatis diuinæ, qui prius non erat: ſic enim mutationem, quo ad realem formam reſpectu p notis ſubiret: ſed tantum inuoluit in ſe poſteriorem terminationem illius actus ad creaturas, qui quo ad rem ipſam ſemper Deo erat eſſentialis, ac ipſe Deus identicè. Simili proportione obſeruata, in ipſo momento, in quo tempus incipit extrinſecè, ac in quo voluit Deus mundum ex nihilo creare, ac deinceps animas creare, & cū cauſis ſecundis concurrere, non admiſit Deus, aut iam in ſe admittit creando vel concurrendo actū recentē in illu formaliter ſecundū rem inhærentem aut ſubſiſtentem, quo aliquando ſecundum rem deſtituebatur, ſed tantummodo terminationem nouam & extenſionem liberam illius actus, qui in Deo ſimplex ac ſubſtantialis, ad extrinſecos effectus. Et quidem, neque in cauſis naturalibus, vt philoſophantur *Nominales*, inuenitur vlla mutatio per acceſſum formæ realis dum effectus ſuos producunt: ſed emanant ab eis, ac ab illis dependent, ſecundum quod de nouo ſunt, prorſus eis immutatis: adeo vt, nec actiones ipſæ ſint in agentibus, ſed in paſſis ſolum, ſi nomine actionis intelligatur forma realis ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua: quanquam hoc, vt verum fatear, quo ad agentem per intellectum ac voluntatem, qualis Deus, perceptu ſit difficilius. *Quemadmodum a lumine ſolis*, inquit Simplicius, *illuſtrantur omnia, & alia vident, & alia videntur, alia generantur, atque etiam alia candeſcunt, alia nigreſcunt, alia denſantur, alia liqueſcunt, & prout cuiuſque captus eſt, ita & vnius bonitatis eius abſque negocio fit particeps, nullo horum in ſolem agente, neque a ſua beatitate abſtrahente: ſic multo magis, diuina bonitate, quæ & ſolem mundo donauit, omnia fruuntur abſque negocio, & bona ſunt pro ratione ſui captus, nihil adhuc Deo patiente, neque diſtracto.* [Simp. in com. Epict. Scot. in 1. q. 1. D. 2. Ad prim.] In eandem quoque ſententiam S. *Auguſtinus*, loquens de ſcientia Dei viſionis, qua videntur a Deo facta: *Nec quia factum vidit, ſcientiam duplicauit, vel ex aliqua parte auxit, tanquam minoris ſcientiæ fuerit, priuſquam faceret quod videret: qui tam perfectè non operaretur, niſi tam perfecta ſcientia, cui nihil ex eius operibus adderetur.* [Aug. l. 11. de ciu. cap. 21.] ex quo affirmat, Deum vidiſſe mundum bonum antequam eum conderet, nempe in ea arte, in qua mundum condendum aſpiciebat, cui ex mundi creatione nihil rei aut ſolidæ formæ accreuit.

6. Verum enimuero nullus mortalium mente ſua clarè perſpicere poterit, quomodo in Deo omnes rationes prouidentiales, ipſius ſummæ ſimplicitati ac neceſſari ſubſiſtēdi minime ſint repugnantes. In primis obſcurum intelligere, Deum omnibus prouidere vnius cognitionis, vniuſq; amoris eſſentialis multiplici ad ſingulos effectus terminatione: quandoquidē terminationes iſtæ ſint extra naturas illorum actuum, illiſque poſteriores. Deinde procurationes in Deo prouidentiales non ſunt aut ſunt in Deo per modos entium rationis, aut reſpectuum extrinſecorum, quos noſtræ cogitationes illi affingunt. prius etiam eſt Deum creare, concurrere, ac prouidere, quam emanent de nouo fundamenta proxima reſpectuum, ſeu terminationum, quandoquidem hæc fundamenta totaliter vt loquuntur, non ſint in Deo: ſic enim terminationes iſtæ eſſent neceſſariæ & ipſi

 coæternæ:

coæternæ: ſed etiam in rebus creatis ac præuiſis vix videtur poſſe concipi, iſtis terminationibus Dei prouidentiam liberam contineri. Hinc *S. Auguſtinus*, vir tanti ingenij & doctrinæ, hoc diſcutiens, apertè fatetur in hac vita eius veritatem ab homine comprehendi non poſſe. *Proinde ſubſtantiam Dei ſine vlla ſua commutatione mutabilia facientem, & ſine vllo ſuo temporali motu temporalia creantem, intueri ac planè noſſe difficile eſt.* Myſterium hoc eo modo explicat, quo nos ſuperius: nempe per reſpectus ac terminationes Deo aduenientes. ac ad id vtitur exemplis Domini, ac Iudicis, qui tales de nouo euadunt relationibus nouis, abſque mutatione reali. Iſtis ingenium ſuum ſubmittere recuſans miſer *Vorſtius*, Dei ſimplicitatem negauit. Cuius inficiatio, quod ea ſit fundamentalis Dei perfectio, idem eſt, ac ipſum Deum e medio auferre & pernegare.

Auguſt. lib. 1. de Trin.

7. Sententiæ verò prouidentiæ non obſtat, quod Deus ſolum ſuam eſſentiam, & omnipotētiam videat aut amet, in qua omnia videat, ac amet: ita vt extra hanc nullam attingat finitam in rebus intelligibilitatem, vel amabilitatem, vt *Ariſtoteles* definiuit. Volunt enim ex noſtris præſtantiſſimi Theologi, *S. Auguſtinus*, ac *S. Thomas*, Deum non aliud ſuæ cognitionis obiectum habere, quam ſuam eſſentiam: in qua vt in ſpeculo naturali aut libero cuncta intueatur poſſibilia, futura, præſentia & præterita: ſua quoque videat decreta ac idæas, in quibus vniuerſa non confuſè, ſed diſtinctè illi repræſentantur, propter infinitam vim obiectiuè repræſentatiuā in eius eſſentia, omnipotentia, decretis ac idæis implicatam. Quod verò diuina mens a Deo inſpecta, dilucidè ac ſigillatim omnia illi repræſentet, iſtis docet *S. Auguſtinus: Singula igitur proprijs ſunt creata rationibus. Has autem rationes vbi arbitrandum eſt eſſe, niſi in mente creatoris? non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id conſtitueret: nam hac opinari, ſacrilegum eſt.* iudicio ergo *S. Auguſtini*, ſunt in Deo rationes omnium rerum manifeſtatiuæ, earumque ſimulacra obiectiua, in quibus a Deo videntur: quæ rationes in Deo ſunt æternæ, ei conſubſtantiales, ac immutabilis veritatis. Similiter idem aſſerit, res a Deo conditas ei placere, & ab eo diligi in ea arte, qua fecit. in hunc ſenſum interpretatur *Platonem*, qui dicebat Deum gaudio affectum mundo ab ipſo creato: *Sic oſtendere voluit artifici ſuo placuiſſe iam factum, quæ placuerat in arte faciendum.* non ergò aliter mundus a deo viſus aut illi placet, quam in arte diuina: nec aliter amatur quàm in arte diuina, in qua omnia habet, vt idem aſſerit. *S. Thomas* eatenus dicit Deum alia cognoſcere extra ſe, quatenus ſuam virtutem perfectè penetrat, ac comprehendit. *Alia autem a ſe, non videt in ſeipſis, ſed in ſeipſo, in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo.* nō eſt ergo aliqua finita aut determinata obiectiua intelligibilitas in illa re poſſibili, futura, exiſtente, aut præterita, quam Deus intelligendo immediatè attingit. alibi diſertè affirmat, haud aliter a deo, quæ extra ipſum, intelligi, quam in ſua eſſentia: & hoc probat ex eo, quod

Auguſt. 83. queſt. q. 46.

Aug. l. 11. ciuit. cap. 21.

Auguſt l. 5. in Gen. cap 16

S. Thom. 1. par. q. 14. art. 5.

S. Thom. l. 1 cont Gent. cap. 51.

cognitio Dei non poſſit eſſe Deo conſubſtantialis, ſi peruaderet ad plura obiectiuè & intelligibiliter extra Deum poſita, & non vna eſſentia Sua completè terminaretur. Qui ergo ex ſchola *S. Doctoris* Theologi arbitrantur, formalem rationem poſſibilitatis non eſſe aliquid complexum in principijs rerum ipſarum intrinſecis, ſed Dei eſſe omnipotentiam, conſequenter definiunt, non aliter a Deo intelligi, quam in ſua omnipotentia, vt in ratione eorum formali intelligibilitatis, & exemplaris ſimilitudinis.

Bonau in 1. l. d. 35 Ex. 39.

Aur. in 1. d. 35 art. 2.

8. Recentiores verò Theologi, agnoſcentes in rebus poſſibilibus propriam intelligibilitatem: quam exiſtentibus ineſſe certum; ortum ex intimis principijs earum, ex quibus ipſis non repugnat exiſtere, aut fieri, volunt diuinam, eſſentiam, reſpectu cognitionis in Deo, eſſe duntaxat obiectum primarium, ipſas verò ſecundarium: ita vt intellectio diuina delata in diuinam eſſentiam, inde reſultet in res poſſibiles, futuras, exiſtentes & præteritas: vtpote diuina eſſentia quodammodo egreſſa, ad alia obiecta denuo extendatur. etenim vel hoc dicendum, vel fatendum, Deum ſua intellectione non attingere omne verum omnemque intelligibilitatem. Quod autem roſæ poſſibilis, gratia exempli, alia ſit intelligibilitas, diuinæ eſſentiæ alia, inde liquet, quod diuinæ eſſentiæ intelligibilitas ſit infinita; illa autem roſæ finita, in quadam ſpecie ac limitata, vt benè aduertit noſter *Bachonius*. Vnde ſicut videns imaginem, eo præciſè non videt prototypon: qui videt cauſam, inde formaliter non videt effectum: ita ſi diuina intellectio clauderetur ſola ratione obiectiua, quæ eſt in diuina eſſentia, non perciperet ipſaſmet veritates poſſibiles, aut exiſtentes, quæ ſecundum eſſe intelligibile extra diuinam eſſentiam conſiſtunt, varietate quadam multiplicantur, ſuis terminis definiuntur.

Bac in 1. d. 4 Art. 2.

9. Qui priorem ſententiam ſequuntur, facilè ſe expediunt quantum ad Dei immutabilitatem: dicunt enim, Dei ſcientiam non aduenire ipſi vi alicuius obiecti extra Deum, ſed vi ſolius diuinæ eſſentiæ, ac decretorum ipſius, quæ vt identificantur cum diuina eſſentia, ita cum eadem omnis cognitio creaturarum in deo pariter identificabitur. *Neque enim*, inquit *S. Auguſtinus, ea faceret, niſi ea noſcat antequam faceret, neque noſceret, niſi videret, neque videret, niſi in ſe haberet.* Illi autem, qui ſecundam profitentur, inde declarant, cognitionem rerum non aduerſari dei ſimplicitati, quod earum ſimplex intelligentia contineatur in infinitate illius cognitionis, qua Deus ſuam virtutem comprehendit. quæ vt dicatur viſio, præexigit condicionem ſui obiecti: non qua illa viſio forma abſoluta, aut quid reale, ſed qua ſpeciali modo ad eiuſmodi obiecta terminatur.

Aug. l. 5 in Gen cap. 16.

10. Iam autem ſuppoſitione facta, quod diuina intellectio vltra diuinam eſſentiam ſpacietur ad res intelligibiles, vtpote poſſibiles, futuras, præſentes, ac præteritas, obſcurius, adſtruere ſummam diuinæ perfectionis atque ſubſiſtentiæ neceſſitatem. *Scotus*, vt hoc melius explicet, ſtatuit huiuſmodi obiecta eſſe quidem

Scot. quol. 8

terminos

terminos intellectionis & affectus diuini, non motiua. Terminos quidem, quod ad ea peruadant diuina intellectio & volitio: non motiua, quia ſic cauſæ eſſent alicuius perfectionis in Deo, quippe cognitionis amoriſque quod ſummæ ac primæ neceſſitati diuinæ perfectionis repugnat: non enim poteſt illud eſſe maximè neceſſariū ac ſubſiſtens, qnod ab aliquo motiuo extra ſe dependet ac cauſatur non æque neceſſatio. *Ioannes Bacbonius* ſic diuinam intellectionem ac creaturas extra Deum vult dilatati, vt eas attingat non *Terminatiuè*, ſed, vt ipſe loquitur *Conſecutiuè*. iudicat enim vnicum terminum diuinæ cognitionis eſſe diuinam eſſentiam: verum quod ea cognitio ſit infinita,

Bac. 1. 5. d. 35. q. vnic. d 39. ſ 3. Et 7. quod l. q 6.

omniaque intelligibilia complectatur, ad creaturas a Deo ſua plenitudine *Conſequutiue* reſultare affirmat. Cum enim omnipotentia Dei ſit cauſa extrinſeca rerū, nō intrinſeca, nempe neque materia neq; ſorma earū, cognitio Dei ſolū terminata ad eius eſſentiā, aut omnipotentiam, vt ipſe diſſerit, non eſt cognitio creaturæ ſecundum principia eius intrinſeca, ex quibus tamen eſt cognoſcibilis. imo neque videntur cognoſci in eis creaturæ, vt in imagine, ſicut videtur Cæſar in ſua imagine. nam Deus, propter ſuam infinitatem, vt in ratione formæ, ita in ratione imaginis, maximè eſt diſſimilis creaturæ. quocirca, vt Deus cognoſcat creaturas, quas ſua prouidentia ordinat ac regit, ſaltem *Conſequutiue* ad eas diuina ipſius intellectio deriuanda. nam quatenus ſunt in Deo, vt in cauſa,

Ioan. 1.

eatenus ſunt vita Dei, vt loquitur *S. Ioannes*: ſūt in illo vnitiue, nō diſtinctè: idcirco intellectio diuinitatis nō erit diſtincta intellectio creaturarū ſecūdū earū diſtinctas & finitas formas, ex quibus tamē homini vel Angelo ſunt intelligibiles.

11. Verumenimuero, agnita ea ſententia, quæ definit, Dei cognitionem peruadere ad creaturas, in ſeipſis ſpectatas, difficilius tunc explicatur ſumma in Deo, ſubſiſtendi neceſſitas.

Aur. in. d. 35 art. 2. & 3.

Nam vt diſputat *Aureolus*, ſi cognitio dei hoc pacto diuina eſſentia egreſſa, attingeret creaturas, dependeret illa, quæ tamen Deo ſubſtantialis, à creaturis: ſi non quantum ad ſpeciem intelligibilem ab illis emendicatam, ſaltem tamen quò ad conſequutionis dependentiam: ita vt ſi non eſſet creatura, non eſſet talis cognitio: ſi non eſſet talis cognitio, neque eſſet Dei eſſentia, cum qua illa identificatur.. Dico itaque, quemadmodum ſpeculum in ſe immutatum, variè tamen applicatum ac motum, diuerſa repreſentat, ita intellectio Dei ſubſtantialis propter ſuam infinitatem omnia colluſtrat. quod vero hæc ipſa terminetur ad poſſibilia, aut futura, vel exiſtentia non ſecundum formam realem & abſolutam, ſed ſecundum denominationem terminationis, ab illis non quò ad rem, ſed ſolum terminationem, dependet: nam ſi non eſſent res poſſibiles, futuræ, vel præſentes, illa eadem quo ad rem nihilominus dei cognitio ſupereſſet, licet ad illa haud extenderetur, idque quo ad omnem realitatem immutata. Proinde nullum intelligibile, extra Deum collocatum, vim habet ad inferendum diuino intellectui, vllam intrinſecā perfectionem cognitionis. Pari modo, quando dicimus, viſionem aliquam, aut amorem eſſe deo liberum, nō loquimur de reali & abſoluta vtriuſue forma, ſed ſolum de eorum terminatione extrinſeca, quæ pro condicione obiecti libera eſſe puteſt: Dei enim intellectus ac voluntas, pro ipſorum infinita perfectione, eminenter in ſe continent virtutem agendi liberam, ac neceſſariam. atque ſi terminatio actus, qui libere a deo ponitur, non poneretur, nihil entitatis deo inde excideret. Quando itaque quo ad neceſſitatem, obiecta extra Deum comparantur cum deò intrinſecis, comparatio ſolum valet cum actuum in ipſo Deo terminationibus, non cum ipſorum formis realibus & abſolutis. Imo Dei cognitionem, non ſolum ad futura, præſentia, & præterita, extendi nouere antiqui, naturæ luce imbuti, ſed etiam ad futura ex condicione. *Cicero* enim diſertè affirmat, Deum quibuſdam excellentes mentes dediſſe, quibus prænouerat, illos malè vſuros: *Niſi forte dicitis, eam neſciuiſſe. vtinam quidem! ſed non audebitis; non enim ignoro, quanti eius numen putetis.* Cic. l. 3 de nat. Deor.

12. Demum Epicuræi, nimium humana ad diuina transferentes, Deum ex multiplici ſolertique ſua prouidentia, anxiè diſtrahendum ac indignè polluendum inepte exiſtimarunt. Cum vero Dei intellectio, volitioque ſint infinitæ virtutis, facilius omnia adſequuntur, quam homo vel Angelus illud vnum, quod intelligunt aut curant. neque vile eſt, ad ea, quæ ipſius quidem reſpectu vilia, Deum intelligendo ac volendo digredi: ſatis enim quod in ſe intelligibilia, quod bona; non ergo Deo indignum intelligibilium, iuxta ac bonorum, prouidentiam in ſe ſuſcipere. neque hoc agit, quod eis indigeat, aut vt ex eis aliquid emolumenti lucretur, ſed vt id, quod Deum veluti optimum principem decet, bonitatem ſuam gratis communicando, exequatur. Quod ſi nunc bene meritos coronat, malos vero caſtiget, ea non obit motibus intrinſecis deforis aduenientibus, ſed ſolum effectibus a ſe eductis: ex quibus eadem bonitas denominatiue a nobis dicitur placata, aut irata. Non eſt ergo quod ſecum ciuis reputet, Dei perfectioni ſimplicitatis, aut neceſſitatis ad ſubſiſtendum, eius prouidentiā contrariari. an vero iure ſuſpicari quis poſſit, rerum, hominum præſertim, curam in Deo gubernatiuam, recto iudicio aduerſari, iam ſumus paucis explicaturi.

CAPVT. XII.

Rationes diuinæ prouidentiæ, quibus res humanæ adminiſtrantur, licet quo ad multa nobis ſint obſcura, quo ad ea tamen, ob quæ illa prouidentia a nonnullis Philoſophis aut negatur, aut iniqua æſtimatur, dilucida optimaque veritate conſpicua.

COgnoſci a nobis ſe voluit Deus, comprehendi aut videri recuſauit: illud, vt eum tenerius amemus, hoc vt magis admiremur, quod rectè *Gregorius Nazianſenus* adnotauit.

Greg. Naz. ora 2. de Theol. S Leo ſerm. 9. de Natiu.

adnotauit. Verum ſi vlterius penetrare noſtra præſumptio attentauerit, repercuſſi a tanto radio, aut inde puniemur, vel ab eodem repulſi, veritate prōtinus excidemus. *Qui vt intelligaris,* ait *Arnobius,* Deum alloquutus, *tacendum eſt: atque vt per vmbram te poſſis errans inueſtigare ſuſpicio, nihil eſt omnino muttiendum.* Cæterum vero, quod in curſu ipſius naturæ inſpectus defectus aliquis, ſapientiam hanc noſtram a Deo, vtpote eius auctore agnoſcendo, reijciat, ipſi ſenſui, nedum communi omnium fermè mortalium iudicijs, id repugnabit exiſtimate. Quid enim ordinatius, variabilius, conſtantius aut pulcrius hoc vniuerſo, aut eo aliqua cogitari poterit inſignior nota diuinitatis? Si quid in arte debito ſitu aſtabre contextum, ſi quid eiuſdem vi, colore viuidum, ſplendore fulgidum, valore precioſum, ſubſtantia ſolidum, admiratione dignum, id omne naturæ quædam imitatio, ac velut vmbratilis eiuſdem delineatio reperitur. Imo qui a ſententia prouidentiæ aliquo modo auerſi, humana negocia conſiderantes, illi nihilo obſtante, naturæ partes ac functiones intuiti, vtpote cæli lumina, elementorum loca & magnitudines, anni diſtincta tempora, rerum perennes propagationes, animalium penuaria, ac ſimilia, Deum omnium prouiſorem vltro agnouerunt.

Arn. l. 1. con. Gent.

Nam cum diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,
Præſcriptoſque maris fines, annique meatus,
Et lucis, noctiſque vices: tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno iuſſerit igne
Compleri, ſolemque ſuo: porrexerit vndis
Litora, tellurem medio librauerit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Reſpicerem, lætoſque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rurſus labefacta cadebat
Relligio.

Claud. in Ruf. Boet. l. 4. de conſ. met. 6 l. 3 met. 9. l. 1. Met. 5.

Certè ſi vel ad formam naturæ hominum mores in ciuitate exprimerentur, eximia pulcritudine inter ſe amantiſſime deuincirentur.

Arn. l. 2. cont. Gent. Miu. Fel. in Octauio.

2. Si vero particularia aliqua ſuos fines interdum non adſequantur: ſi monſtra aliquando edantur, hæc & huiuſmodi vel vniuerſi decori inſeruiunt, aut in alium finem, a diuino ſolum oculo ſpectabilem, referuntur. Quod ſi piſces, ac beſtię ſeſe deuorent, id nullum naturæ erratum oſtendit. Cur enim mortale, alterius mortalis conſeruationi non opem ferret? atque inter alia iſtius facti legitima, vnum mihi videtur, quod hinc nobis ſignificare voluerit Deus, piſces, volucres ac feras neutiquā ratione vel mente inſigniti, cum ita mutuo in cibos cedant: ne alioquin eximijs eorundem cognitis ingenijs, falſo iudicio cum *Plutarcho* illos anima rationali præditos ſuſpicaremur. Scio manichæos hæreticos, multos extitiſſe in criminando naturam, morbos, malorum origines, affectiones prauas, noxia & venenoſa animalia recenſentes, quaſi huiuſmodi ex ratione decoris ac dignitatis omnipotentiæ diuinæ, in lucem a Deo educi non potuerint. Cæterum horum inſaniam libro quarto commodius euincemus.

Plut. in Gryl.

3. Quæ autem a nonnullis ex humanis caſibus contra ſententiam prouidentiæ diuinæ proferuntur, ex duobus, vt mihi videtur, erroribus exorta, in patentiſſimam veritatis lucem impetum facere præſumpſerunt, vt *Arnobius* rectè diſſeruit. Principiò quidem falſo ſupponunt, virtutem rem parui eſſe momenti, ac non niſi inter exigua Dei beneficia cenſendam. Deinde humanas iſtius temporis felicitates vltra omnem modum ſolidas & appetendas hominibus proponunt. Ex quibus ſemel in animam admiſſis falſitatibus, prona ac decliuis ſubinde procurrit diuinæ prouidentiæ, apud eos, nimium animis concretos, inficiatio. Si enim virtutem rectè æſtimarent, vt docet *Cicero,* profecto eam vel in rebus ſordidis occupatam aut inuentam, vel ab indignis vexatam agnoſcentes, modo culpa vacantes ea potirentur, flocci facerent alia omnia: imo vt ea vna gauderent, vltro aduerſitates ipſas, ac moleſtias expeterent, ac prouocarent, in quibus admirabilem eius ſplendorem collucentem viderēt: eam verò negligentes, iſtius vitæ ærumnis ſe deformari & affligi ferunt acerbiſſime. pariter bona iſtius ſpacij æquo iudicio trutinantes, parum haberent eis ab iniqua fortuna, ac Dei prouidentia ſe ſpoliari, vel potius eorum onere leuari. quod non facientes, dum illis ſe interim deſtitui animaduertunt, perinde lugent & affligantur, ac ſi ab omnibus deſerti, mera eſſent miſeriarum omnium ludibria, ac metæ, in quas vniuerſa malignantium caſuum tela, abſque omni operæ precio, collimarent. Cæterum ad impietatem hanc refutandum ipſa Philophia ſemper abundè fecit: qua inſtructi *Cicero, Epictetus, Seneca, Plutarchus,* nulla diuinorum miſteriorum reuelatione colluſtrati, egregie tamen in eam diſputarunt.

Arn. li. 1. cont. Gent.

Cic. Tuſ. 5.

Cic. Tuſ. 1. Epict. Enchi. Sen. de tranq. Plut. de cis qui a Num. pu.

4. Enimero ſi recte homines de virtutis præſtantia ſentirent, quam calamitas educit, propagat, & illuſtriorem facit, illa vna contenti, iniquioris fortunæ aculeos omnes non incuſarent, neu de Dei in eos amoris ac benignioris prouidentiæ defectu lamentarentur. *Iratus eſt nobis* inquit Pſalmiſta, *& miſertus eſt noſtri. Tunc enim* ait *S. Auguſtinus eſt miſericordia ſanans, quando eſt ira puniens.* Vt enim fortunæ læta plerumque virtutum decora corrumpunt, fæces ac rerum monſtra hominibus tanquam idola commendant, ita cum aduerſitate dura & aſpera conflictatio, fortitudinis, patientiæ conſtantiæ atque temperantiæ firmamenta, ſuſtentant, conſolidantque. & quidem illud eſt virtutis robur ac ea dignitas vt minime indigeat ſuffulcro diuitiarum, ſplendore auctoritatis, aut fauonio honoris: quinimo ſua pte vi perpetuo erecta conſiſtit, ac natiuo ſucco vernat, floretque etiam vbi inſtar palmæ depreſſa, vbi omnia externa bona ab ea defluxerunt, aduerſaque cuncta in eam illiſa fuerint. Quamobrem *S. Hieronymus* comparationem inſtituens inter antiquam Chriſti Eccleſiam, & Romanum imperium, neuſquam eam huic inferiorem aſſerit, quod ad illius magnitudinem haud pertingat. *Ad Chriſtianos,* inquit *Principes venit Eccleſia, potentia quidem, & diuitijs minor, ſed*

Pſal. 59. Aug. in Pſal. 59.

Hier. in vit. Malchi.

virtutibus

virtutibus maior facta eſt. ſi ergo virtuti faueat, cũ materiam ſubijciendo, tum nervos eidem ſuppeditando iniquior rerũ ſors, quamobrẽ acerbam in nos cauſaremur prouidentiam, vel nullam eſſe putaremus, quamprimum cuticulam aſperior Septentrionis afflatus aliquis vel parũ

Arnob. l. 2. nobis perſtrinxerit? nũ, vt quærit *Arnobius*, quia tuas impediat delitias forſitan, & libidinum voluptates, pranciosam eſſe, & aſperam dicas Dei prouidentiam: perinde eſt ac ſi e portu ſoluturus, ſerenitatem in crimen vocares? liberatio noſtra eſt, non perſequutio.

Claud. in Conſ. Manl. Paneg. 2.
Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortuna ſecura nitet: nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuue petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Quot iam precor, celebritate claros recolit memoria noſtra, quos aduerſitates generoſis animis perpeſſæ ac deuictæ, tanquam concretas ex frigore gemmas, in immenſum famæ extulerunt, qui ſi in plumis ac delicijs marcidi remanſiſſent, nullus ſonus, theatrum nullum, cultos nullus a ſempiterna obliuione eorum nomina vindicaſſent? Certè virtutes tunc vel maxime in arenam proſiliunt depugnaturæ, quando iniqua fortuna illis hoſtem obijcit, ac

Minut. in Octau. ſpiritum eis excitat ad dimicandum. *Fortitudo*, ait *Minutius*, *infirmitatibus roboratur*, & *calamitas ſæpius diſciplina virtutu eſt.*

Ouid 5 Triſt. *Si nihil infeſti durum vidiſſet Vlyſſes,*
Penelope felix, ſed ſine laude foret.

Plin. in pan. Traia. *Secunda*, inquit *Plinius*, *felices*, *magnos aduerſa probant*. Parum itaque habuit *Didymus*, vt teſtatur *S. Hieronymus*, ſe externis bonis videndis

Hier. ep. ad caſt. priuari, cum interim eius animus virtutis pulcritudinem perpetuo duraturam contemplaretur. neque *Tireſias* cœcitate percuſſus, interim prophetiæ intelligentiæque lumine diuinitus illuſtratus, cauſam habuit de diuina prouiden-

Plut lib. de ſup. tia perperam ſentiendi, vt adnotauit *Plutarchus*. imo potius *Athamas*, & *Agamemnon* infelices, qui filios ſuos morum ratione in leones ac ceruos immutatos oculis ſuis adſpexere.

5 Dum porro quis duris vrgetur, maiori quodam impetu ac amore ſe ad Dei clientelam ac ſinum recipit: quod ſanè, vt contra ipſum malum ſaluberrimũ perfugium, ita guſtu, effectuque ſuauiſſimum. Pueri an non eo tempore ad parentum tutelam confugiunt alacrius, quo terriculamenta eos magis pauidos anxioſque reddunt exterius? Mihi hoc ingenioſe luſiſſe viſus *Ouidius* illa fabula, qua virginẽ tergo Iouis in taurum verſi inſidentem, ac per varia rerum diſcrimina deuectam, commemorat,

Ouid. lib. 5 Faſtor.
Illa iubam dextra, leuaque tenebat amictus,
Et timor ipſe noui cauſa timoris erat.
Sæpe puellares ſubduxit ab æquore plantas,
Et metuit tactum aſſilientis aquæ.
Sæpe Deus prudens tergum dimittit in vndas,
Hæreat vt collo fortius illa ſuo.

Enimuero quocunque delati fuerimus, ſiue in

Sap. 10. patriam, ſiue in exilium, ſiue ad roſeta, ſiue ad ſpineta, portat nos Deus, vel in lacu leonis ſimul cum ſuis commoraturus, ac in eum cũ illis ingreſſurus. Quod ſi ſubinde affligi nos velit, ſi incurrentiũ aduerſitatum fluctibus appeti, adeo tamen benignus, adeoque noſtri amans, vt hæc eo conſilio faciat, vnde nos fortius illi inhæreamus, dulciuſque in eius præſidio delicie-mur. an non tunc receptus iſte optimus, ac nobis vtiliſſimus, tametſi a reliquis omnibus deſertis, a Gorgonibus calamitoſæ fortunæ ad hoc aſylum fugerimus? *Eradimur*, inquit *Arnobius*, *dura perpeſſi*, *voluptatẽ nec timere*, *nec fugere*: Arn. l. 2 cont. Gent. Min. in octau. August. Ser. Hom. Hom. 46.
quo facilius exui corporalibus poſſimus vinculis, & tenebroſam euadere cæcitatem. Beneficia ſunt diuina ait S. Auguſtinus non verbera.

6 Sanè conuenit omnino, ciues malis vexatos, exiſtimare, ſe non a fato, aut fortuna acerbius tractari, ſed a Deo optimo parente, inſpe- Hier de ob. Blæſ.
ctore, ac principe gubernari. *Sanus ſum*, inquit *S. Hieronymus*. *gratias refero creatori: langueo, & in hoc laudo Domini voluntatem.* eſt enim illa benigna, illa iuſta, illaque melliflua Dei manus vniuerſis noſtris calamitatibus inſerta, quæ & earum modum rationemque benigniſſima lege definiuit. Boet. l. 1. met. 1.

Sic quæ permiſſis fluitare videtur habenis
Fors, patitur frænos, ipſaque lege meat.

Veteribus illis quondam aſperũ, aduerſa perpeſſis, cum tenaci fato, lubrica ac cæca Fortuna Cant. 5.
animis colluctare. nos verò hanc Dei manum, myrrham primã in nos diſtillantem cogitantes, ſubactis ac placidis animis, quæcunq; ipſa impreſſerit, perferimus. voluntas Dei eſt, nos in hunc ritum exacerbari, quid hoc vberius ad conſolationem, ac ciuilis pectoris tranquillitatem? Impij, ac Dei neſcij dum æſtuant ac torrentur impatientia, dum vndiquaque aduerſis adfliguntur, Zephyro iſto deſuper refrigerante carent: proinde non tam triſtium euentu, quã ſuis affectionibus torquentur, ac carnificinam planè eodem patiuntur: ex quo inepti pariter euadunt ad omnia ciuilis vitæ officia peragenda, quæ animum ſedatum, compoſitumque in ciuibus requirunt.

7 At, quod multos fallit, non in rebus ipſis, ſed potius in rationis imperio ac virtute humana cernitur perfectio: ne opinemur, illis priuatos, vel ab eis inuaſos, eodem de optimo ſtatu decidiſſe. Luc l. 2. Cic. l. 1. de Fin.

—— *Nonne videtis,*
Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi vt cum
Corpore ſeiunctis dolor abſit, mente fruatur,
Iucundo ſenſu, cura ſemota metuque?

Proinde ille fœlix, qui ex animi voto dicerẽ potuit, *Spes & fortuna valete*. & ſanè ciues nihil plenius ad miſeriam ſuſtinere valent, quam ſuorũ deſideriorum multiplicitates ac magnitudines. quorum impetus ſi eos accenderint, ſi laxarint, non erit, vt affictari tam de iniqua fortuna conquerantur, quam de ſtudiis, conſilijsq; Min. in oct.
ſuis. *Magno viatico* inquit *Minutius*, *breue vita iter* Boet. l. 1. cõſ. met. 4.
non inſtruitur, ſed oneratur.

Quiſquis compoſito, ait *Boëtius*, *ſerenus æuo,*
Fatum ſub pedibus egit ſuperbum,
Fortunamque tuens vtramque, rectus
Inuictum potuit tenere vultum.

Quid tantum miſeri ſeros tyrannos
Mirantur ſine viribus furentes?
Nec ſperes aliquid, nec extimeſcas,
Varro, de reb Rom. *Exarmaueris impotentis iram.*

Non ſit, vt conſulit *Varro*, *theſaurus, non auro pectus ſolui nim. non demunt animis curas, nec religiones, nec Perſarum mentes, non atria diuitis Craſſi. Toto* Aug. in Pſal. 1. *mundo*, ait S. *Auguſtinus. ſublimior mens inhærens Deo.* Cui vt vnicè inhæreamus, ſubtrahere ipſe ſolet nobis alia iſtius vitæ bonorum ſuffulcra, ne eis inhærentes, falſo innixi ac fallaci firmamento, illo ruente, in interitum pariter corruamus. Cic. l. 9. Ep. fam. Ep. 15. *Sedebamus in puppi*, dicebat *Cicero*, *clauumque tenebamus: nunc autem vix in ſentina locus.*

8 Quinimo fælicia ipſa, quæ nobis, id procurante diuina prouidentia, adimuntur, angorum potius, imo extremarum infælicitatum occaſiones, ſi apud nos ſteterint, eſſe ſolent. equidem exiſtimarem, grauiores miſerias in genus humanum intuliſſe rerum copiam, lætoſque ſucceſſus, quam penuriam, triſtemue fortunam. qui enim a magnis ceciderunt, eos caſus plerumque opinatus ſubitò apud ſe ſecuros oppreſſit, ac non niſi ad infimum ab excelſo præcipitauit. mediocribus vero potiti, agnoſcentes ſe fortunæ caſibus expoſitos, præmeditantur frequentius id omne, quod incidere quandoque poterit. quo etiam damni rigorem leniunt, neque ita a faſtigio ac culmine in barathra deuoluuntur, ſi deiecti fuerint. Huius rei cauſa, Stoici dignitatū culmina vltrò repudiarunt, vt ipſa fortunæ tenuitate ſuauius ac firmius reficerentur. Quemadmodū enim apes ex amariſſimo thymo dulciſſimum mel delibant, ita prudentes Plut. lib. de Tranq. viri, vt aduertit *Plutarchus*, ipſas vitæ huius iniurias ſibi reddunt dulcedinum thecas ac fauos, quorum ſuccum inſugentes, non viuant ſolum inter aduerſa, verum etiam delicientur. Quid in humanis boni, quod cum malis non contunditur? quid tam nectareum, quod acore omni deſtituitur? quid vſque eo magnū, quod anguſtis limitibus, æternitatis cogitatione a nobis expreſſa, non definitur? deniq; quid tam commodum, quod nullo veneno exitiali immixtum, vt Auſ. Ed. 15. argute cecinit *Auſonius*? illud ipſum ferrum, quod in manu *Bruti* inimicū *Cæſarem* occiderat, ſub- Plut. in Cæſ. inde in alterius manu, vt refert *Plutarchus*, ipſi Bruto læthiferum. *Aiax* eidem gladio incubuit, quem honoris cauſa ab *Hectore* victor acceperat. *Hector* ipſe illomet balteo per Iliacos muros tractus, quem ex ſpolijs *Achillis* ſibi comparārat. Quot magnos viros aliorum inuidentia deiecit, confecit, præſtititque, vt ipſis ſuis gloriolis, ritu ignobili, immorerentur!

Ouid li. 6. Faſt. *Iupiter exemplum veritus, direxit in ipſum*
Fulmina, qui nimia nouerat artis opem.

Euri. Med. Monet *Euripides*. *Quicunque vera præditus prudentia eſt,*
Ne diſciplinis liberos impenſius
Erudiat æquo, nec ſapere doceat nimis.
Nam nigra præter quæ ſequuntur alia,
Obliquus vrget liuor illos ciuium.

Argumentum hoc argutè ac doctè *Iuuenalis* perſequitur.

Iuuen. li. 4 Sat 10. ——— *Nocitura toga nocitura petuntur*
Militia, & torrens dicendi copia multis,
Et ſua mortifera eſt facundia. viribus ille
Confiſus periit, admirandiſque lacertis.
Sed plures nimia congeſta pecunia cura
Strangulat.

Pauci admodum ſunt, qui excellenti ratione bene vtuntur, vt ait *Cicero*, quique eam Cic. l. 3. de Nat. Deo. non peſtiferam, ſed ſibi reddūt ſalutarē. Quod ſi hæc præclara, quæ admiramur vitę ornamēta ſuis modo poſſeſſoribus non nocuerint, eis tamē, vel alijs poſtea fortaſſis nocebunt, cū certa lege ſtatui ū, ea non fore apud vllos ſempiterna ſed inquilinorum inſtar, in alijs ac alijs hominū iuribus & dominijs viciſſim hoſpitatura.

Sic male ſublimes fregit Spartanus Athenas, Claud. Pan. 3. Stil. Ouid l. 4 de Pon.
Atque idem Thebis cecidit. ſic Medus ademit
Aſſyrio, Medoque tulit moderamina Perſes.
Subiecit Perſem Macedo, ceſſurus & ipſe
Romanis.
Ludit in humanis diuina potentia rebus
Et certam præſens vix habet hora fidem.

Et quid tam floridū, vt expers ſit vmbræ, tam bonum, vt nihil mali implicet?

——— *Nunquam ſincera bonorum* Clau. Pang. Stil.
Sors vlli conceſſa viro. quos vultu honeſtat,
Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,
Corpus deſtituit. Bellis inſignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis: in publica fœlix,
Sed priuata minus.
——— *Æquior ille*
Patribus, inuiſus plebi: popularibus ille
Munitus ſtudiis, languebat gratia Patrum.

Naturæ ille flos, pulcritudo, raro cum pudicitia & humilitate conſociatur.

Rara eſt adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ.
Vultus ſequitur faſtus. Iuuen. Sat. 10.
Sic reus ille fere eſt, de quo victoria lucro Ouid lib. 4 Faſtor.
Eſſe poteſt, inopis vindice facta carent.
Sic timet inſidias, qui ſe ſcit ferre viator, Ouid. de Luc.
Quod timeat; tutum carpit inanis iter.

Quis merito dicet *Plautianum*, Romæ omnia tempore *Seueri* Imp. pro libito agentem, infinita bona honoris, diuitiarum ac poteſtatis obtinentem, felicem? Cui populus in circo occinebat: *Quid tremis? cur palles?* nam vt ſcribit *Dio*, Dio in Sen. *Pallebat & tremebat ſemper, cum propter rationem victus, quā inſtituerat; guloſiſſimus quippe erat, tum propter ſpē metumque futurarum rerum.* His itaque penſatis, leuius horum bonorum ſiue iacturam, ſiue defectum feremus, poſteaquam huiuſmodi eorum apendices, veluti nigros pauonis pedes, inſpexerimus. Rectè idcirco aliqui, vt in veſtibus, ita in fortunæ gradu, magis deſiderarunt concinnitatem, quam magnitudinem, ac quoad ea plus priuatum, quam publicum: quod eleganter *Claudianus* ſub perſona viri ruſtici, magnatis fortunam compellantis, explicauit.

Hæc mihi paupertas anguſtior, hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis, tibi quærit inanis Clau. l. 1. in Ruf.
Luxuries nocitura cibos, mihi donat inemptas
Terra dapes: rapiunt Tyrios tibi vellera ſuccos,
Et picturato ſaturantur murice veſtes.
Hic radiant flores, & prati viua voluptas,
Ingenio variata ſuo, fulgentibus illic Cic. li. 3. de ſenect. Cyp. Epiſt. 2.
Surgunt ſtrata thoris, hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura ſoporem.
Turba ſalutantum, lætas tibi perſtrepit ædes,

Hic

Hic auium cantus, labentis murmura riui.

9 Verum quidem eſt, in gratiam bonorum, Deum hunc mundũ vniverſum cum omnibus ſuis ornamentis creaſſe. Cæterum quantum ad eorum vſum, duo apud ſe conſtituit: primũ, vt virtutes in illis excitentur, quibus haud ſint impedimento: deinde, vt perpetrata eorum vitia expientur, dum vindicta diuina interueniente, iucundis rebus careant, qui delinquentes iucũdo Deo carere voluerunt, vt obſeruauit *Minutius felix.* *Animus bonus,* inquit *Seneca, tam in equitẽ Romanum, quam in ſeruũ poteſt cadere. Quid eques Romanus, aut libertinus, aut ſeruus? Nomina ex ambitione, aut ex iniuria nata. ſubſilire in cælum ex angulo licet.* Si virtus ſteterit, ſi ea floruerit, quid reliqui deeſt ad felicitatem aut tranquillitatẽ? niſi opinari velimus, perturbatum diuitem, cui conſcientia perpetuo nouis ſtudijs compuncta, ſpectriſque exterrita, beatiorem eſſe paupere omni virtutum genere ornato & exhilarato.

Min. in oct.

Sen. Ep. 60.

Claud in Ruf.

Nec recipit ſomnos, & ſæpe cubilibus amens
Excutitur, pœnamque luit formidine pœnæ.

Boni autem vltra modum, incommodo ab ipſis ferendo, diuinitus non pulſantur. non enim Deus fibram liræ extendit, vt eam rumpat, ſed vt ad concordiam adducat.

Ouid. 3. de Pont.

Crede mihi, miſeris cæleſtia Numina parcunt.
Nec ſemper læſos, & ſine fine premunt.

Agnoſcant itaque ciues, idque in ſui ingens bonum, prouidam ſupra ſe Dei manum, vtrique ipſorum fortunæ dominantem. quam neceſſitudinem ſi ſtabili ſententia ſemel admiſerint, de reliquo facilius humana iura inter ſe confirmare poterũt. *Cum diuinum hoc vinculum conſtet, extetque,* ait *Plato, facile cum inueniri, tum perfici, humana vincula poſſunt.* in quam ſententiam hæc S. *Ambroſius: Nihil eſt magis, quo homo cæteris animantibus præſtat, quam quod rationis eſt particeps, cauſas rerum requirat, generis ſui auctorem inueſtigandum putet: in cuius poteſtate vitæ neciſque noſtræ poteſtas ſit, qui mundum hunc ſuo motu regat, cum ſciamus ei rationem eſſe reddendam noſtrorum actuum. Nihil eſt enim, quod magis proficiat ad vitam honeſtam, quam vt credamus eum iudicem futurum, quem & occulta non fallunt, & honeſta delectant.*

Plat lib. de Regno.

Amb. l. 1. off. cap. 26.

10 Ex errore autem, vt inſinuavi, contra præſtantiam virtutis, ac æternæ beatitudinis dignitatem, ab hominibus ſuſceptã inficiationem, vel ex perturbationum tumultu, veluti intra appetitus furentis immania tonitrua, eam generari, nõ ex liquido vllo mentis ſenſu, aut malaciæ in eo ſtatu, hoc argumento mihi euinci plane videtur. ſit aliquis, qui ex rerum affluentia, ex nimio luxu, ex corporis florenti ac vegeta complexione, caſtitatem amittat, ſit alius, qui poteſtatis dominio fretus, illata vindicta, aut tyrannide charitatem, patientiam perdat, ſit denique, qui occaſione oblata ſeſe ad magiſtratum efferendi, illico cum damno humilitatis, ambitu turgeſcit. nullus horum reperietur, qui adducatur in ſuſpicionem illius impietatis, quaſi ſecum putaret, penes Deum non reperiri prouidentiam, eamque iuſtiſſimam: cum tamen ex iſtis damna, grauiora ſint omni alia, circa externa bona, caſus iniquitate, iuxta ac ad Dei prouidã curam ſimiliter referenda, eo pacto, quo peccatorum cauſæ, occaſiones, ac criminum ipſorum permiſſiones, ad eam pertinere reputandum. imo interdum propter dona proſperitatis accepta a Deo, in ipſum pij exiſtunt eo modo, quo *Ariſtoteles* affirmat, felices eſſe pios. Vnde diſcrimen hoc obſecro? niſi quod nimium teneri ſumus & calentes erga bona corporis ac fortunæ, eis vltra debitum modum tangimur, ac proinde ad omnem eorum cladem, in Deũ, pro nefas! ex commoti animi impotentia inſurgimus. paſſi autem virtutum, ſanctitatis detrimenta vi optimi ingenij, vi ſummæ ſanitatis, vi copiæ externarum commoditatum, neutiquam in hanc diffidentiam propendemus, propterea quod harum pondera non, vt debemus, nobiſcum æſtimamus, aut erga illas, vt par eſt, afficimur?

Ari. 2. Rhet.

11 Quod ſi Deus noſtri generis ſalutem in fide Redemptoris Chriſti poſuerit, id iuſtè ac merito fecit. Scribit *S. Auguſtinus,* quoſdam ſuo tempore ideo fidem Chriſtianam, vt improbabilem traduxiſſe, quod in Chriſtum credulitati recens exorte, tantum momentum adſtrinxerit, quærentes, quidnam diuinitus factum de genere noſtro, priuſquam Chriſtus naſceretur: vel an omnes damnationi tunc obnoxij vixerint & expirarint; quod etiam in noſtro dogmate *Symmachus* eſt criminatus. Cæterum reſpondit *S. Auguſtinus*, fidem in Chriſtum non fuiſſe natiuitatis illius tempori omnino reſtrictam, ſed perpetuo vel ab ipſo mundi ortu hominibus, qua veteri teſtamento, qua reuelationibus, notam ac diuulgatam. Verum nihilominus, quod affirmat Apoſtolus, ſcilicet permiſiſſe Deum, in vindictam peccatorum, Gentes ingredi vias ſuas cum ignorationis, tum infidelitatis voluntariæ. abiectæ tamen penitus haud fuere a ſalute, cum capaces eſſe potuerint reuelationis diuinæ, niſi ſibimet tenebras conſtituiſſent, in quibus errores ſuos inaniter cuderent, conderent ſtudioſius, colerentque pertinacius. Qua in re, ſicut in alis multis, opportune ſuccurrit, quod Sapiens admonet: *In pluribus operibus eius ne ſis curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Si iſte ſol curioſitatem noſtrorum oculorum non ferat, quanto minus eam, quæ noſtri animi, patietur Deus? Et quidem ſol non tantum ſuper ipſam terræ faciem multa profert, ſed etiam in ipſius terræ penetralibus, quo eius radius ſecreto pertingit, educit. quid ergo, quod nos noctuæ, veſpertiliones ac talpæ, metiri audemus diuinæ prouidentiæ amplitudinem, eiuſque progreſſus abſtruſiſſimos? Imo hinc erudimur, exerendum non eſſe curioſum aſpectum vel eorum, quæ Principes ac ſuperiores nobis mandant peragenda, aut omittenda. nimia enim eorũ inquiſitio ſeditioſa eſt, ac inquieta: neque nos decet, in multis eorum operibus eſſe plus iuſto curioſos. Cæterum an ea ſit noſtræ ſapientiæ infirmitas, vt diuino aliquo egeat reuelationis ſubſidio, ſtatim expendetur.

Aug. Epiſt. 49. queſt. 2.

Prud. l. 1. in Sym

Rom. 1. Aug. l. de præd. ſan. cap. 11.

Eccl. cap. 3.

CAPVT. XIII.

Ad veram ſapientiam a nobis conſequendam, non ſolum piè ſanctèque, verum etiam ciuiliter a Deo prouiſum, vt eius regula ac norma, humana non eſſet Philoſophia, aut priuata vniuſcuiuſq; exiſtimatio, ſed fides, a diuina reuelatione, ſimulq; Eccleſiæ auctoritate, deriuata.

CVm inter reliquas animi informationes, ad ciuilitatem conducentes, Dei ac diuinorũ cognitio, quæ & vera Sapientia ſit, vt iã explicatũ, requiſita, quæritur modo, nũ ad hãc mera Philoſophia, & priuata vniuſcuiuſque exiſtimatio ſufficiant, vel an fides, in obſcurè a nobis viſam Dei reuelationem delata, poſtuletur. ab iſtis enim tribus fermè omnis noſtra de Deo ac ſupernis intelligentia deducitur. *Nos definimus*, inquit
Tert. l. cont. Marc. *Tertullianus*, *Deum primum natura cognoſcendum, deinde doctrina recognoſcendum: natura ex operibus doctrina ex prædicationibus.*

2 Et quidem quod neceſſaria ſit fides aliqua ad hanc nobis ſapientiam comparandam, omnium gentium ſuadet ſententia, profitentium, ſe non aliter Deos ſuos agnouiſſe, ac coluiſſe, quam ipſimet Dij quibuſdã ſignis declararint. Iudicio itaque *Platonis* primus in vniuerſũ fidei
Plato in Gorg. huiuſmodi auctor, & a nobis exactor Deus ipſe, vel certe genius aliquis, aut homo diuinitus edoctus ac colluſtratus. imo primi illi legũ latores, vt apud Cretenſes *Minos*, teſte *Cicerone*,
Cic. Tuſ. 2. commenti ſunt, ſe a Dijs quibuſdam afflatos fuiſſe: quo apud alios eorum ciudia documenta inualeſcerẽt. ob quam cauſam Poëtæ olim Sacri habiti, quod diuinitus edocti, de Dijs a mortalibus concipiendas ſententias euulgarint. Verum quidem eſt, hominẽ varijs naturæ inſtrumentis comparari ad veritatem adſequendam, eamque alijs propalandam, vtpote intellectu apto nato circa omne intelligibile verſari, ſenſibus itidem exterioribus & interioribus. quibus etiam in hoc negocio plurimum prodeſt corporis ipſius erecta ſpecies, ac in omnem partem flexibilitas; eloquio pariter ad hoc paramur, quo animi conceptus alijs ſignificamus, & mutuo quoad veritatem addiſcendam ſumus
S. Tho. l. 3. cont. Gent. 147. adiumento: quod egregiè *S. Thomas* perſequitur. Cæterum quantum adhoc, quicquid intra diuinam reuelationem ſubſidet, ineptum, quod nos in veræ ſapientiæ firmam ſententiam inducat. *Si autem Dii*, inquit *Plato*, *curant humana,*
Plat. dial. 2 de Iuſt. *nos aliunde id non nouimus, vel audiuimus, quã ex multorum ſermonibus, & ex Poëtis, genealogias ipſorum ſcribentibus. idem perhibent, poſſe Deos precibus, ſacris, & muneribus flecti. quibus vel ad vtrumque credendum, vel neutrum.* Exiſtimauit itaq; *Plato*, veterum notitiam de Dijs, ac eorum religionibus fide fuiſſe primitus adeptam, idque mediante externa, nota, ac viſibili auctoritate Poëtarum ac conſenſus in multitudine. quam ipſorũ fidẽ duplici auctoritate ſtabilitam aſſerit: vna Deorum ipſorũ hæc vel alia de ſe, ſeu de myſterijs religionum, certis perſonis reuelantium: altera multitudinis ac Poëtarum, qua euulgabatur, huiuſmodi reuelationes a Dijs prodiiſſe, ſimulq; dicebatur ad humani generis ſapientiam eaſdẽ ſpectare. quo ciues non ſolum fidem adhibuere multitudini ac Poëtis, ſed etiã Dijs ipſis, myſticas veritates quibuſdam hominibus proloquẽtibus. qua auctoritate multitudinis ac Poëtarũ admiſſa, prudenter ſane intulit *Plato*, idoneè proponenti Deo per aliorum miniſteria reuelata, a viro prudente aut in omnibus credendũ, vel certè in nullis. nam ſi multitudo ac Poëtæ diuinam auctoritatem prætenſi, mendacium, ſiue falſum vel in vno aliquo edixerint, quare in alijs eis fides adhibenda, in quibus etiam errare, ac ſequaces ſuos velle decipere, merito homines ſuſpicari potuerint? quod ſi apud ſe dixerint, eos in hoc particulari a veritate defeciſſe, ſed non in alio: parati debebunt eſſe ad ſatisfaciendum inquiſitioni iſtius dilemmatis. aut enim hanc diſcrepantiam nouerunt, auctoritate ducti multitudinis, ſiue Poëtarum, vel aliunde moti: primum dici nequit, cum eadem auctoritas falſitatem inſtruxit, quæ veritatem enunciare ſimulauit; ac eadem, in ſeipſa ſpectata, in vno fallax, in alio verax æſtimari ab ipſis haud potuit. ſi alterũ adſtruxerint, tunc auctoritatis momentum ab actu fidei repulere, ac eo vel naturæ ac definitioni fidei aſſentiẽtes repugnarũt: perinde ac ſi illi veteres ſine adminiculo multitudinis, vel Poëtarũ phanaticè duntaxat de *Iouis* natura, de rebus ab ipſo geſtis, ac ſacris ipſius credentes, definiuiſſent. Veriſſimum idcirco *Platonis* iudicium. Rectè quoque apud Ci- Cic. l. 2. Ac. quæſt.
ceronem concluſit *Epicurus*: *Si vnus ſenſus ſemel in vita mentitus eſt, nulli vnquam eſt credendum.* Pro- Orig. lib. 4 cont. Celſ.
inde nulla iuſta ex cauſa *Celſus* ac *Iulianus* in nobis ſimplicitatem, ſeu vt ipſi loquebantur, fidei ruſticitatem, ſunt criminati, quandoquidẽ ipſi quoque Ethnici fidem quo ad Deos ſuos ac eorum ſacra, admiſerunt. Quorum etiam fides non erat æterna, vt contra eos oſtendit *S. Auguſtinus*, ſed certis temporibus initium cepit, ac conſtetit. Naz. orat. 3. cont. Iul. Hier. in pſal. de ſcript. Aug. Ep. 49. quæſt. 2. Ouid. lib. 5. Faſtor.

Exul ab Arcadia latios Euander in agros
Venerat, impoſitos attuleratque Deos.

3 Iam verò vt omnes cauſas extrinſecas fidei in Deum recenſeamus, quatuor ſunt diſtinguẽda. Primum, Dei æterna ſubſtantialis ac infallibilis veritas, tam quoad ipſum in eo exiſtere, quam quoad dicere ac alijs reuelare. in quã veritatem, quandoque clara a beatis videndam, tãquam extremũ beatitudinis intellectualis obiectum, nos etiamnũ reducere conatur Deus, vt rectè obſeruauit *S. Doctor*. Cui proinde tanquã S. Thom. l. 3. con. Gen. cap. 147.
mediũ in hac vita inſeruit fides, obſcura & ænigmatica tam primæ veritatis, quam ab ipſa dictorum cognitio. nam cum illa beatitudo attingat obiectum, quod vt videatur in ſe, naturæ vires ſuperat, in hac vita ad illud progredimur fide, cuius, ſaltem per diuinam gratiam, ſumus capaces. Alterum eſt diuina reuelatio, qua Deus certis perſonis myſteria reuelauit: vtpote Patriarchis, Prophetis, Chriſto Domino, eiuſque Apoſtolis. Tertium, res eſt ipſa credenda, ſeu reuelata: nempe Scripturæ canon, myſterium

San-

Sanctiſſimę Trinitatis, lapſus generis humani, Chriſti incarnatio, prædicatio, paſſio, meritum, reſurrectio, aſcenſio in cœlum, & inde in Eccleſiam dimiſſio ſpiritus Sancti, ac inter res reuelatas numeratur, definitus quidem character ſacræ ſcripturæ, eiuſdemque ſenſus a Spiritu Sancto intentus, earumque ſcriptoribus a Deo inſpiratus. nam ſcriptoribus librorum ſacrorum diuinitus reuelabatur quid, ac quomodo ſcriberent, ac qualem ſenſum verbis exprimere deberent. Cæterum quod huiuſmodi reuelationes factæ Patriarchis Prophetis, Chriſto Domino, ac eius Apoſtolis, denique ſcriptoribus canonicis, ſint nobis non niſi obſcurè cognitæ ac manifeſtatæ, inde quarto loco accedit vox prædicantis ac docẽtis Eccleſiæ a nobis perceptibilis, quæ ex miraculis, morũ ſanctitate, rebus præclare geſtis, vnitate & ſimilibus, culmẽ auctoritatis apud nos obtinuit, vt ait *S. Auguſtinus*; ſimulque noſtra ſit norma ac regula, cuius virtute dirigamur ad rectè credendum a Deo reuelatis, ſiue traditis, ſiue calamo exaratis. *Quomodo enim credent, ſi non audiant?* etenim reuelationes ſeu illuſtrationes quæ fuere in mentibus Patriarcharum, Prophetarum, Chriſti Domini, & Apoſtolorum, auctorum pariter ſacræ ſcripturæ, ſeipſis ac immediatè nos etiamnum non mouent, vt conſtat; quod neque faciunt ipſa eiſdem expreſſa myſteria; neceſſarió idcirco quo ad fidem diuinam interuenit auctoritas prædicantis, infallibilis ac veracis: quod etiam ipſe *Plato* quo ad ſua, fateri haud recuſauit.

Aug. l. de vtil. cred. cap. 11

Rom. 10.

4. Verum quod ſpectat ad obiectum formale fidei, duo ſecernenda: nempe prima & increata dei veritas, iuxta ac reuelatio externa, a qua extrinſecè denominatur illa prima Dei veritas reuelans. deinde in obiecto fidei, ſicut in obiectis aliorum ſenſuum, diſtinguendæ *Ratio quæ* & *Ratio ſub qua*. *Ratio quæ* illa forma eſt in obiecto, quæ terminat & ſpecificiat actum, illumque prouocat vel influxu phyſico, vel morali. *Ratio ſub qua* id denotat in obiecto, quod ad alteram conſequens, ac neceſſario requiſitum ad accommodandum obiectum facultati operatrici. Huius exemplum in viſione aut ſcientia patet, in quibus *Ratio quæ* eſt in obiecto viſibili aut ſcibili, entitas aliqua abſoluta, quæ per reſpectum *rationis* dicitur viſibilis, aut ſcibilis. *Ratio ſub qua* in illis complectitur ipſoſmet reſpectus, per quos dicuntur viſibiles, aut ſcibiles. Iam vero quod ad actum fidei, omnino definiendum, Rationẽ formalẽ *Quę*, eſſe ſolummodo primam veritatem. etenim Reuelatio nihil aliud eſt, quam in mente auctoris Scripturæ, aut Traditionis, quædam actualis notio, ei per internum lumen diuinitus impreſſa. Impoſſibile autem Huius veritatem, limitatam, coaleſcere cum illa prima increata & infinita, in vnam Rationem obiecti formalem *Quę*. nam cum vnumquodque moueat, terminet, & ſpecificet, ſecundum quod eſt in ſeipſo, tum duæ veritates iſtæ, quæ plus quam genere diſcrepant, in vna formalitate mouendi, terminandi, ac ſpecificandi conuenire nequeunt. porro ſũma certitudo, quæ ineſt actui fidei, propagatur ab influxu primæ & increatæ veritatis. at quis dicet creatam veritatem eadem formalitate tribuere actui fidei illam ipſam certitudinem, quam eidem largitur increata? prima itaque veritas ſola eſt ratio formalis obiectiua *Quę*, reſpectu actus fidei: reuelatio autem vel *Ratio ſub qua*, vel neceſſaria ſolum conditio, vt prima veritas excitet in aliquo actum fidei. Cum porro fides exiſtat virtus Theologica, nihil extra Deum reſpicit, quod ſit ſui regula aut ratio formalis ſui obiecti. & quantum ad hoc a Morali virtute diſtinguitur: Cuius obiectum formale & regula, recta in homine Ratio extra Deum collocata.

5 Ex quibus antiqui noſtri Theologi appoſite fidem a ſcientia diſtinxerunt, adeoque quodammodo ex diametro ei oppoſitam exhibuerunt; cum illius primum elementum auctoritas, iſtius Ratio, vt diſſeruit *S. Auguſtinus*. nam auctoritas, rebus quibus aſſentimur extrinſeca eſt, neque cum eis connexionem habet, veluti cauſæ cum effectu, proprietatis cum ſubiecto: ſcientiæ autem medium, rebus ſcitis eſt penitus infixum, ac per modum cuiuſdam complexi, vi diſcurſus, concluſionis ipſius, vt loquuntur, illatiuum. ob hanc cauſam *Ariſtoteles* affirmat, fidem potius exhibere ſimilitudinem intellectus, quam ſcientiæ. Intellectus namque aſſentitur primis principijs, tam ſpeculatiuis, quam practicis abſque diſcurſu, aut ex notiori aliqua deductione; ſolum terminis ipſis apprehenſis id facit. ſimiliter fides, percepta ſemel auctoritate idonea applicata rei creditæ, illico ei aſſentitur ſine diſcurſu, ęque primè delata in ipſam auctoritatem, ac id quod eius vi credendum. Proinde quod vltra hæc duo non ſit progrediendum in opera fidei, ſed omnis animi contentio iſtis defigenda, *Clemens Alexandrinus*, fidẽ appellat animi *στάσιν* ſeu conſiſtentiã. *Tertullianus* ſcientię curioſitatẽ fidei ſimplicitatẽ opponit: *Nobis curioſitate nõ eſt opus poſt Chriſtum Ieſũ, nec inquiſitione poſt Euangelium. cum credimus, nihil deſideramus vltra credere*. *Fides*, inquit *Hilarius*, *habet obedientiæ meritum, non habet autem cognitæ veritatis fiduciam. Quod intelligimus*, inquit *Auguſtinus*, *debemus rationi, quod credimus, auctoritati, quod opinamur, errori.*

Aug. de vtil. cred. cap. 1.

Ariſt. l. 6 mor. cap. 6

Clem. Alex. l. 5. ſtrom.

Hil. in pſal. 98.

Aug. de vtil. cred. cap. 11 6 conſ. c. 5. Dam. l. 4. ca. 12.

6. Quod verò reſpectu ſapientiæ, ſimulque in nobis naturæ, conueniens ſit omnino, nos fidei in diuinam veritatem, myſteria reuelantem, directè inniti, plurimas rationes ſancti Patres, ac noſtri Theologi ad id adſtruendum adduxere. & quidem naſcente Eccleſia, ſolebant Ethnici, Chriſti cultoribus, probri loco obijcere, quod plus iuſto fidei ac credulitati animi vires dimitterent, certæ autem ſcientiæ adimerent. quibus Patres varijs argumentis ſatisfacere conati ſunt. *Arnobius, Hilarius, S. Damaſcenus*, ac *Minutius Felix* animaduertere, hinc homines ad primam ac generalem formam cognitionis reduci, ſcilicet ad fidem, quæ, vt ordine inter cognitionum ſpecies prior, ita per cuncta vitæ ciuilis officia diffuſior. Sciſcitatur ab Ethnicis *Arnobius*: *Eſt ne operis in vita negocioſum aliquod atque actuoſum genus, quod non fide præeuntes ſuſcipiunt, ſumunt, atque aggrediuntur?* ex initis

Orig. cont. Celſ. Hier. prol. l. 3. ſcript.

Arn. l. 2 cont. Gent.

matrimonijs hoc maximè apparere ait, in qui-
Dam. l. 4. c bus humana fides de ſingulis conſtituit. *Fide*
a Hil. c inquit *Damaſcenus*, *omnia & humana & ſpiritua-*
cont Ar. *lia conſtant. neque enim agricola ſine fide inci-*
Min. in Oct. *dit terra ſulcam. neque mercator paruo ligno ſuam*
ipſius animam inſano maris pelago committit: nec
nuptiæ fiunt, non aliud quodpiam in vita ſine fide. In
Hier in cap. quam ſententiam cum *S. Hieronymus* diſſeruiſſet
33 Iſa. rectè concluſit: *Quomodo non multò magis ad a-*
gnitionem Dei credendo venitur? pariter *S. Auguſti-*
nus partes humanæ fidei in negocijs ciuilibus
recenſendo, affirmat, eius quotidiano ac ne-
ceſſario vſu diſponi homines ad capeſcendam
Aug. l. 6. fidem diuinam. *Paulatim tu Domine, manu mi-*
conf. cap. 5. *tiſſima; ac miſericordiſſima retractans, ac compo-*
De vtil. cred *nens cor meum.* Laudatur hinc ſchola *Pythagoræ*,
cap. 11. Sen. in qua biennij ſpatio diſcipuli nuncupati ἀκου-
ep 52 ad luc. σμαῶι audientes, teſte *Gellio*: ac illo vulgato
αὐτὸς ἔφα *Ipſe dixit*, omnis eorum per quinquē-
nium inquiſitio terminabatur.

7. Sanè ſi modo ciues Sapientiæ ſuæ diuinæ
non aliam cauſam inuentricem ſtatuerent, quā
priuatam vniuſcuiuſque induſtriam ſpeculati-
uam, multa inde ſequerentur inconuenientia,
S. Thom l. 1. adeoque vitæ ciuili nociua, vt *S. Thomas* egre-
cont Gent gie oſtendit. Imprimis non niſi paucorum eſ-
cap 14. ibid. ſet vera Sapientia, cum maxima pars ciuium
Fer med l. 1. vitæ genere, mentis defectu, magiſtrorum pe-
de rect in nuria impediantur, quo minus eam plenius ad-
Deum fid. ſequantur. decet vero ſapientiam ab omnibus,
præſertim quibus voluntas ineſt bona, prom-
Aug. l de pte eſſe comparabilem, vt affirmat *S. Auguſtinus*.
vtil. cred. atque hi ipſi pauci, quod ſapientia in vniuer-
cap. 10. ſum circa altiſſima verſetur, non niſi poſt lon-
gius ſtudium ad eam peruaderent. Errores e-
tiam hinc ſub ſpecie ſapientiæ in ciuium animos
frequenter irreperent *propter debilitatem intelle-*
ctus noſtri in iudicando, & phantaſmatum permixti-
onem, vt loquitur *S. Thomas*. Duo porro ſunt,
quantum ad ſapientiam, plurimum conferentia
vitæ ciuili: dogmatis nempe inter ciues com-
munitas, ac in eodem conſtantia: quæ abſque
vera fide, ſapientiæ humanæ conuenire haud
valent. Dogmatis communitas, fons eſt pacis ac
concordiæ inter ciues, ſicut e contrario nihil
acrius ad tumultus ciendos inter eoſdem, quā
ſententiarū præſertim in diuinis pugnax quæ-
dam diſcrepantia. at quomodo conſpirabunt
ciues in vnum dogma, ſi proprium vnicuique
iudicium omnia apud eos fabricetur? quam
enim ſumus ab ingenio proni in varias opinio-
nes, vel ipſi ſenſus noſtri quotidie deprehen-
dunt atque experiuntur: adeō vt Philoſophi
non melius quam horologia olim inter ſe con-
Sen. in lud. uenerint, vt *Seneca* iocatus. Conſtantia verò a
priuatis inuentis oriri neutiquam poterit. Quis
enim lubenti animo mortem oppeteret in de-
fenſionem illius dogmatis, quod ipſemet ſolus
ſui ingenij marte excuderit, præſertim cum po-
tentes ac ſapientes viri in illud atrocius recla-
mauerint? at non eſt e re ciuili, ſapientiam ci-
uium eſſe variabilem, in omnem partem, Protei
inſtar, mutabilem: nam ſi id eſſet, nulla pla-
ne ſapientia ex ſententia animorum apud eos
ſuſciperetur: cum perinde ab ipſis æſtimetur,
hanc admittere, vel eam inficiari. Vniuerſæ
Philoſophiæ Romanæ vires, iſtis *Cicero* viſus
deſignaſſe: *Nos qui ſequimur probabilia, nec vltra* Cic. Tuſ. 2.
id quod veriſimile occurrerit, progredi poſſumus, &
refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia pa-
rati ſumus. Imo adfirmat, veterem Philoſo-
phiam propter ſuam ſententiæ abſurditatem
Omnino aditum habere non poſſe in vrbem, in forum, Cic. l. 4. de
in curiam. Neque quicquam veritus *Zeno* vt finib.
idem reſtatur, *Socratem* patentem philoſophiæ, Cic. l 1. de
ſcurram Atticum, *Chryſippum*, *Cheſipſum* riden- Nat. Deor.
do vocare.

8. Ex quibus inſuper liquet, neque ad ciui-
lem virtutem proferendam, ſatis validam eſſe
mere humanam Philoſophiam, proinde fidem
ad hoc poſtulari, diuinis effatis inhærentem, ſa-
tis manifeſtum. ideo enim mens ſapientia im-
buenda, vt termino in ea ſemel conſtituto, de-
reliquo voluntas operoſius probitati inſudat.
Huic vero contentiom voluntatis, plurimū ob-
ſtant vaga ac volatilis perpetua inquirentia
intellectus agitatio, curſitatioque. nam
dum voluntas in hanc conſentit, ac ducem ſe-
quitur omni alato *Mercurio* leuiorem, nihil in
ipſa inerit virium ad alias actiones exprimen-
das; in hoc duntaxat intenta, vt mutabilem
aleam ſequatur contemplationis. Cæterum ſi
negocium ſapientiæ permitteretur pure acu-
mini hominis intellectus, neceſſe fuerit, omnia
in ciuitate vacillare & identidem variari. nam
vt voluntas noſtra in hac vita, nullo bono ſa-
tiatur, ita intellectus nullo excogitato vero de-
finitur: proinde nimnibus ſtatutis terminis e-
greſſus, perpetuò vlterius anxie cuncta perlu-
ſtrat. vt ergo certa veritate animus confirme-
tur, quod notat *Clemens Alexandrinus*, opus eſt Cle. Alex. l.
fide diuina, non ſolum ex conditione obiecti, 5. ſtrom.
vehementis ad excitandam voluntatem, ſed e-
tiam ex firmitudine ac ſui termino idoneo, quæ
eandem voluntatem libere permittat circa
omnia decora virtutum ſedulo occupari. Hoc
argumento fretus *S. Auguſtinus*, probat, incer- Aug. l. 19.
tam de rebus philoſophicis ſententiam, idone- ciu. cap. 17.
am haud eſſe vitæ noſtræ regulam. In huiuſ-
modi mentis contentione hac illacque ſe defe-
rentis, non ſolum animus fluctuat in ambiguo,
hebeſcit in labore, verum etiam corpus ipſum Gell. l. 11. c.
plerumque confectum elanguit ac deflorat. 5.
quod Pyrronicis, & Academicis, qui σκεπτικοὶ Peri. ſat. 3.
dicti, accidit, vt narrat *Gellius*.

Atque exporrecto trutinantur verba labello
Ægroti veteris meditantes ſomnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.
Hoc eſt quod palles, cur quis non prandeat, hoc eſt.

9. Et quidem duo ſunt præcipua obiecta ci-
uilis ſapientiæ: Deus nempe omnia ſua proui-
dentia gubernans, & animæ immortalis digni-
tas. ad hoc autem vt hæc, ſicut vitæ ciuili expe-
dit, cognoſcantur, neceſſaria prorſus diuina Ariſt. l. 8.
reuelatio, ac in Deum delata ciuium creduli- Phyſ. Tex. 8
tas. quod enim nos vera ſapientia illuſtrati, ex Rom. 1. Eccl.
aſpectu creaturarū, cum vno *Platone* inter Phi- 11.
ſophos, de Deo pronunciamus, illud aſſum- Ariſt. l. 1 de
ptum alij cum *Ariſtotele* pernegarunt, arbitrati, cœl tex. 10.
æternum mundum a ſeipſo extitiſſe: quo pacto Cir Alex. l
Patres Græci contra Arianos ex eo probant 1 cont Iulu.
Filium in diuinis non eſſe creaturam, quod æ- Greg. Naz.
orat. 2.

ternus

ternus. Tempus vero incepiſſe, figmentum reputat *Ariſtoteles*. Itidem nos ma hinam hanc rerum videntes, inde Deum prouidum eſſe inferimus: cum doctiſſimi tamen ſecum putarunt Deum omnia peragere neceſſario, neque extra ſe aliquid poſſe accurare, ſumma ipſius perfectione illæſa, vt ſupra diximus.

Ariſt. 8 Phil. Text. 13

Ariſt. l. 12. Met. cap. 4.

Prud: l. 2. cont. Sym.

——— exigua eſt vis
Humani ingenij, tantoque anguſta labori,
Quippe minor natura, aciem ſi intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei ſecreta ſupremi.

Æne. Gaza queſt. 5 pae. Plut. queſt. Rom.

Plato apud *Æneam Gazam* corpus appellat animi carcerem. Sacerdotes veteres, capita velantes, rem ſacram obibant: quod teſte *Plutarcho*, corpus animam inuoluat, & obnubilet. *Cicero* cum de Deo Philoſophorum ſententias enarraſſet, aliquibus eorum dicentibus, Deum eſſe ſolem, alijs aërem, alijs cælum, alijs mundum hunc, eo, vti ſpiritu, animatum, intulit:

Cic in Luc.

Itaque cogimur diſſentione ſapientum Dominum noſtrum ignorare. Cui *Seneca* conſentit. *Tantus error mortalia tenet, vt hoc, quo neque formoſius quicquam, nec diſpoſitius, nec in propoſito conſtantius, exiſtimant homines fortuitum & caſu volubile: ideoque tumultuoſum inter fulmina, nubes, tempeſtates, & cætera, quibus terra, ac terrenis vicina pulſantur. Nec hæc inter vulgum dementia, ſed ſapientiam quoque profeſſos contigit. Sunt qui putant ſibi ipſis animum eſſe, & quidem prouidum, & diſpenſantem ſingula, & ſua, & aliena: hoc autem vniuerſum, in quo nos quoque ſumus, expers eſſe conſilij; & aut ferri temeritate quadam, aut natura neſciat quid faciat.*

Sen. in præf. ad queſt. Natural.

Plutarch. in Amator.

Refert *Plutarchus*, Græcos aliquando Philoſophos, legumlatores, atque Poëtas conſuluiſſe de Deorum naturis, numero & ordine: a quibus reſponſum, pro certo Deos eſſe, ſed de reliquis, non niſi perplexam inter homines verſari quæſtionem. Amorem vero eſſe Deum, extra omnem controuerſiam, vnanimi conſenſu ponebant. Scribit quoque *Plinius*, Roma, reliquis dijs fermè repudiatis, vnâ Fortunã vt Numen habitam, cultamque fuiſſe.

Plin. l. 2 Hiſt. Nat. cap. 8.

10 Qui Deũ vtcũq; agnouere philoſophi, illi contendere, ſpiritum eſſe igneum, ſeu animam mundi, eũ vndique continentẽ. alij ſpiritũ eius modi vnicuique rei proprium, vtpote corporibus cæleſtibus, ac elementis inſitum, putarunt numerum conficere Deorum. quo Dei dignitati detraxere, materiam ſeu ſubiectũ concretũ tanquã ſuſtentacul ei adijcientes. Stoici Deum faſſi, verum corporeum voluerunt, idque orbicularis figuræ: in quos *Varro* iocatus, teſte *Plutarcho*, quod Deum ſtatuerint ſine capite, ſine pede ac ſine præputio. Cæterum, vt auctor eſt *Cotta* apud *Ciceronem*, humanam formam attribuere Deo Epicuræi, arbitrati nullibi extra eam inueniri poſſe vſum rationis, *Cum vero Deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisq; humanis eſſe præditos, ſed eorum membrorum vſum nullum habere, ludere videtur*. proinde *Iuſtinus Martyr*, vt ipſemet ſcribit, quæſiuit ab omni genere Philoſophorum, quid de diuinis ſibi definirè, & cum animi quiete ſentiendum. *Stoici* illi retulere, parum referre, quid de eis quis ſtatuat. *Platonici* illi promiſere, ſe ex contemplatione ſubſtantiarum immaterialium & idearum, tandem viſurum Deum: quod ipſe, vt ſtultum quid, meritò contempſit. Quamobrem vt in Dei cognitione quieſceret, dixit, ſe nullam rationem aliam potuiſſe inuenire, præter eam, quæ a fide in Chriſtum propagatur.

Plut. l. De plac. ſtoic. Cic. l. 3 De Nat. Deor.

Iuſt. in Dial

11. Quod ad animam, certe mirum, quanta diſſentione Philoſophi inter ſe digladiati fuerint. *Plato*, inquit *Macrobius*, *dixit animam eſſe eſſentiam ſe mouentem: Xenocrates numerum mouentem: Ariſtoteles* ἐντελέχειαν *Pythagoras, & Philolaus, harmoniam: Poſſidonius ideam: Aſclepiades quinque ſenſuum exercitium ſibi conſonum: Hipocrates ſpiritum tenacem per corpus omne diſperſum: Heraclitus Phyſicus ſcintillam ſtellaris eſſentiæ: Zeno concretum corpori ſpiritum. Democritus ſpiritum inſertum atomis facilitate motus, vt omne corpus ſit peruium: Critolaus Peripateticus conſtare eam de quinta eſſentia: Hiparcus igneam: Anaximenes aëra: Empedocles & Critias ſanguinẽ: Parmenides ex terra & igne: Xenophanes ex terra & aqua. Boetes ex aëre & igne. Epicurus ſpeciẽ ex igne & aëre, & ſpiritui immixtum.* Et quidẽ, ſi de animæ immortalitate iudiciũ Philoſophiæ eſſet permittendum, maior pars Proteſtantum, *Lutherum* & *Caluinum* ſequuti, eam pernegarent. *Fateor Philoſophos*, inquit *Caluinus*, *de immortali animæ eſſentia multa diſſerere, ſed tam inutiliter garriunt, vt nihil habeant ponderis eorum commenta*. Vide leuiſſimi hominis ſententiam contra tot doctiſſimorum hominum præclariſſima ingenia! Quam cupiunt miſeri hi mortales, mortalia vnicè ſperantes, cadaueribus immori, & ſua demũ mortalitate expirare, ne Deũ immortalem, hic mortalibus ſceleribus corrupti, extimeſcant!

Mac. lib. in ſom. Scip. Mac. An ad ep 54 ſen. ad lucil.

Luth. an 10 Dam cal. in Harm ad c. 22 Math. Sen ep. 02 ad lucil.

12. Enimuero De Dei exiſtentia iuxta ac Prouidentia, pariter de Animę humanæ immortalitate, veræ ſuſceptæ opiniones, quod vitæ ciuilis ſint cardines ac præcipua momenta, ideo earum aſſenſus fixum quemdam animæ inquirentis ſtatum, ſimulque firmum eiuſdem contra vitia & inciuiles voluptates munimentum adferre debent. cæterum cum pluribus contra Dei exiſtentiam ac prouidentiam, apud *Ciceronem Cotta* diſputaſſet, & contra pro vtriſque ſtabiliendis *Lucilius* plurima in medium attuliſſet, vniuerſa eorum diſſertatio, non alium quam hu[illegible]xium ſortita: *vt Velleio Cotta diſputatio veri[illegible]bi Balbi ad veritatis ſimilitudinem videretur eſſe propenſior*. ſimiliter idem *Cicero*, ab ipſo multis tractatis argumentis in ſentẽtiam immortalitatis animæ; tandem iſtis concluſit: *Si ſupremus ille dies non extinctionem, ſed commutationem adfert loci quid optabilius? ſin autem perimit ac delet omnino, quid melius quam in medijs vitæ laboribus obdormiſcere, & ita conniuentem ſomno conſopiri ſempiterno?* in iſtis obſecro vbi cogitationis ac iudicij firmitudo? vbi in iſtis incertis, contra certas voluptates, propugnaculum?

Cic. l. 3 De Nat. Deor.

13. Quod ad naturam, varios, ac plane monſtroſos errores, Philoſophos mortalibus obtruſiſſe, exploratum; atque in hoc genere plurima recenſet *Arnobius*, *Ioannes Baptiſta Gallipolianus* pariter de hoc argumento librum edidit. Cogitemus vero interim quid de primis rerum cauſis ſtatuerint, ac inueniemus, non tantum eos in diuerſas, verum etiam abſurdas ſententias, impegiſſe,

Arn l 2. cont Gent. Gal. l de Phil. cantè legend. Aug. 19 ciu cap. 1.

impegiſſe, quod *Claudianus* recoluit.

Claud. in Pan. Theod. Ariſt. l. c. Phyſ. Tex. l. c.

Namque alijs princeps rerum diſponitur aër,
Hic confidit aquis, hic procreat omnia flammis.
Alter in Ætnæas caſurus ſponte fauillas
Diſpergit, reuocatque Deum, rurſuſque receptis
Nectat amicitiis quicquid Diſcordia ſoluit.
Corporis hic damnat ſenſus, verumque videri
Pernegat. hic ſemper lapſura pondera terræ
Conatur rapido cæli fulcire rotatu,
Accenditque diem præprupti turbine ſaxi.
Ille ferox, vnoque tegi non paſſus olympo,
Immenſum per inane volat, finemque peroſus,
Parturit innumeros anguſto pectore mundos.
Hi vaga collidunt cæcis primordia plagis,
Numina conſtituunt alii, caſuſque relegant.

Ariſt. l. 2. de cæl. Text. 77.

Quis non videt, vt in alijs multis, ita in eo turpiter erraſſe mortalium ſenſus, dum brutis animalibus, adeoque auiculis, immortales animas attribuere? Ipſe legi ſepulctale carmen de obitu philomelæ, inciſum in pulcherrima vrna marmorea, quo nobilis fœmina tale funus olim deplorauit; vrnam autem cum alijs antiquitatum monumentis, in ſuam villam ſuburbanam trãſtulit *Iacobus Boſius*, qui de Cruce copioſiſſimè ſcripſit, modo illius villæ poſſeſſor, quæ *Gregorii* decimi Tertij, ac *Sixti* Quinti Pontificum temporibus, ad Collegium Anglicanum in vrbe pertinebat.

Diis Auibus.

Luſciniæ Philomelæ ex Auiario Domitiano
Selectæ, verſicolori, pulcherrimæ cantrici,
Suauiſſimis omnibus gratiis ad digitum pipillanti,
In poculo Murrhino caput abluenti infæliciter
Submerſa. Heu miſella Auicella. hinc inde volitabat,
Modo inter Pullalepsinis loculamenta
Implumis, frigidula, clauſis ocellis.
Luſcinia Philomela deliciæ ſuæ, quam
In ſinu paſtillis alebat in proprio cubiculo,
Alumna chariſſima lacrimans poſuit.
Aue auis iucundiſſima, quæ mihi volans
Obuia blando perſonans roſtello, ſalue.
Toties cecinisti: caue Auis auiæ Auerna,
Vale, & vola per Elyſium.
In cauea picta ſaltans, quæ dulce canebat,
Muta tenebroſa nunc iacet in cauea

Sen. ep. 59. 82. Plato. Dial. 10 Luc. lib. 1 ep apud ſen. Plin. l. 2. Nat hiſt cap. 7. Cic Tuſ 4. Luc. in Men. Lucret. l. 3. Hier. de ob. Bleſ. Sen. ep. 24. ad luc. ep. 70. 71. Sen. ep. 106 113. Ariſt. 2 Pol. c. 2. 3. Cic. l. 1. de Nat. Deor. pag. 34 Plat. in Phædr. Iuuen. 1. Sat. 2. Sen ep 83. 123 ad lucil Lact. l. de ira, cap 1.

14. Iam vt ad mores accedamus: *Plato, Epicurus, Plinius, Cicero, Seneca* negarunt Deum hominibus debere timeri. *Epicurus* omnem pietatem noſtram eneruem reddidit, quæ deum ad aliquid donandum inflectat. *Democritus Cleombrotus, Cato, Pompeius* apud *Senecam* innoxium putarunt, quempiam ſeipſum interimere. Regibus, ac Medicis, mentiendi poteſtatem *Plato* conceſſit, Lacedęmonibus raptum, ac furta indulſit, & cum mulieribus promiſcuam conſuetudinem ſuis ciuibus licitam fecit. *Stoici* vt ſcribit *Seneca*, vitia & virtutes animalia eſſe affirmabant. *Ariſtoteles* pręgnantibus opportunum docuit, inſtante cauſa paupertatis, fœtum in vtero funeſtare. antiqui Philoſophi, teſte *Cicerone*, infame peccatum approbarunt. atque hæ fuere, etiam ſummorum ingeniorum maximæ ruinæ, ac caſus planè Phaetontici. Proinde eis haud tutius, quantum ad verum ſapientiam, creditur, quam pennis Dædaleis, quam in collis columbinis ficticijs coloribus. *Hoc differt*, inquit *Lactantius*, *ab humanitate diuinitas, quod humanitatis eſt ignoratio, diuinitatis ſcientia.*

Sen. ep 73 ad luc.

15. Hinc multoties accidit, vt Philoſophi, ac Poetæ, omnibus fermè inamabiles, vtpote in principes rebelles, ac iuuentutis corruptores, aut exularint, vel non niſi raros, etiam in maximis ciuitatibus, habuerint auditores: adeo vt vel nomen ipſum Philoſophiæ, teſte *Seneca*, odioſum inter mortales euaſerit. *Nomen* inquit *Philoſophia odioſum erit, licet vel modeſte pertractetur. Quis Philoſophiam, aut vllum liberale ſtudium reſpicit, niſi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluuius interuenit dies, quem perdere licet? Itaque tot familiæ Philoſophorum ſine ſucceſſore deficiunt. Academici & veteres & minores nullum antiſtitem reliquerunt. Quis eſt qui tradat præcepta Pirrhonis? Pythagorica illa inuidioſa turba ſchola præceptorem non inuenit. Sextiorum noua & Romani roboris ſecta in initio ſui, cum magno impetu cœpiſſet, extincta eſt.* Narrat *Gellius* ſub *Domitiano* Philoſophos Roma pulſos, vtpote ciuibus noxios, ac peſtiferos. *Neque illis ſolum temporibus nimis rudibus, ne dum Græca doctrina expolitis, Philoſophi ex vrbe Roma pulſi ſunt, verum etiam Domitiano imperante, Senatuſconſulto electi, atque vrbe & Italia interdicti ſunt. qua tempeſtate Epictetus quoque Philoſophus, propter id Senatus conſultum Neapolim Roma diſceſſit.*

Sen. ep. 5. 1 nat. quæſt. cap. 32. luc. Dial. 3. Gell. l. 15. cap. 11.

——— cum iam celebres notique Poëtæ
Balneolum, Gabijs Romæ conducere furnos
Tentarent.

Iuuen. Sat. 7

His populus ridet, multumque toroſa iuuentus
Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.

Perſ Sat. 1

16. Quamobrem quod ingenium humanum imbecillum ſit ad eam proferendum Philoſophiam, quæ diuinam ſapientiam ſuſtentet, imo vt ait *S. Irenæus*, ad ea cognoſcenda quæ ante pedes noſtros ſunt, recurrendum, vt admonet *S. Auguſtinus*, ad ipſum Deum, qui nos doceat qualis ipſe ſit, & quo ritu a nobis colendus. Neque Poëtis hac in re ſimpliciter habenda fides: Poëtis inquam, omnium fermè errorum parentibus, qui vniuerſam ſuam Theologiam, ac ſapientiam ad ſenſuum ludicra, ac fœdas libidines intemperantiſſime tranſtulerunt. Multo vero minus haurienda ſapientia a Genijs, vt poſtea libro quarto oſtendetur: quorum officinæ, omnibus ſceleribus, & ſpurcitijs refertiſſimæ. optimè ergo intulit *S. Auguſtinus*, homini Deum quærenti, ac in eum vera ſapientia aſſurgere cupienti, præſto eſſe fidem, cuius vi non ſolum ingenio, ac eruditione præditi ſed etiam ipſimet ſtulti, vt prædixit *Iſaias*, nempe literarum inſcij & idiotæ ad Sapientiam poterunt peruadere: *vt ſic omnes*, quod *S. Thomas* admonet, *de facili poſſent diuinæ cognitionis participes eſſe, & abſque dubitatione & errore. Hinc eſt quod dicitur: Iam non ambulabitis, ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum: & alibi: Ponam vniuerſos filios tuos doctos a Domino.* Hanc methodum porro vtilem aſſerit, vt homo a nimia præſumptione & temeritate liberetur.

Iren. l. 2. cit. Hær. cap. 47. Criſoſt. Hom. 4. in cap. Act. Apoſt. Auguſt. de vtil. cred. cap. 11. Iſa 35. S. Thom. l. 1. cont. Gent. cap. 4. Ephes. 4. Iſa. 54. S. Thom. l. 1. cont. Gent. cap. 5.

17. Imo non ſolum actiones ſacras, verum etiam ciuiles a fide ac reuelationibus diuinis

præſcribendas

præſcribendas veteres exiſtimarunt. ob hanc cauſam apud eos rerumpublicarum inſtitutores, quo magis ipſorum auctoritates ac decreta apud ciues inualeſcerent, finxere ſe commercia cum Dijs habẽtes, ab eis didiciſſe, quid Plut. in Lic. in numa. ciuitanbus tradendum; de *Lycurgo* hæc *Plutarchus*: *Primum omnium Delphos petijt, & accepta ſorte, actisque ſacrificiis rediit, celebratum illud oraculum ſecum ferens, quo & dilectus Diis, & Deus potius quam homo, a Pythia appellatus eſt.* Comparare ipſe ſoleo, animã in corpore humano, nobili in carcere ſub imperio ipſius carcerarij. Inprimis ſi quid ille nobilis foras peragere cupiat, id totum carcerarij opera perficiendum. Deinde carcerarius, certum modum agendi, nobili illi captiuo præſcribit, quem & eodem a ſua innata libertate conficiendi negotia reprimit, & coercet. Pari modo anima vt aliquid extra ſe intelligat vel amet, corporis opem adhibere cogitur. quod etiã ei talis adiutor, qualis ipſam limitibus circumſcribit, detinetque a volatu, quem alioquin naturæ pernicitate efficeret. eſt itaque corpus non ſolum pars hominis, verum magna eius pars: non quidem ſui præſtantia, multo minus peruerſitate, ſed imperio ac poteſtate. Prodeſt itaque animæ a corpore ſuo quodammodo recedere, & ad Deum accedere, quo illuminetur, quo ab erroribus muniatur: quod viri politici affectarunt, fingentes, ſe cũ Dijs congreſſos, & non carcerarij ſolius venia ciuilem ſcientiam excogitaſſe.

17 Nec ſolum fides diuinitus reuelata, animi eſt quies ac firmitudo, verum etiam peculiarem vim obtinet, ad corroborandum illum contra violentas, aliter ſentientium, impugnationes. Nã Clem. Alex. 6. ſtrom. quantum ad hoc, diſcrimen ſtatuit *Clemens Alexandrinus*, inter fidem Chriſtianam, & humanã Philoſophiam: *Græcam quidem Philoſophiam ſi quis magiſtratuum prohibeat, ea ſtatim perit. noſtrã autem doctrinam a prima vſque prædicatione prohibẽt ſimul Reges, & Tyranni, & ſinguli Duces & magiſtratus cum vniverſis ſatellitibus, & innumerabilibus etiam hominibus in nos belligerantes, & nos pro viribus exſcindere conantes, illa autem magis floret. non enim emoritur ut doctrina humana, neque flacceſſit vt donum imbecillum.* Fortior ergo fides, qua creditur, Deum aliquid reuelaſſe, quam ſit philoſophia proprio marte excogitata: in cuius aſſertionem, multis, adeoque ſapientibus refragantibus & perſequutionem intentantibus, vix pauci inuenirentur, qui ſanguinem ſuũ libenter profunderent, aut mortem alacri animo eius cauſa paterentur.

CAPVT. XIV.

Fides diuina a ciuibus capeſſendã, iuxta Prudentiæ normam credibilis eſſe debet.

VT rerũ fidei credibilitates melius intelligantur, ſciendũ triplicem veritatem ad eas ſpectare. Prima illa eſt, quæ eiſdẽ intrinſeca: vtpote qua verum, Deum trinum eſſe & vnum, filium Dei incarnatum, Eccleſiam gubernari a Spiritu Sancto, ſeptem eſſe ſacramenta, ac ſimilia myſteria. Sicut enim hæc exiſtũt a parte rei, ita tranſcendẽtali quadã ratione in ſeipſis vera, neque aliunde formaliter talia. Altera veritas eiſdem rebus eſt extrin- Rom. 1. ſeca: nempe Dei ſumma ac prima veritas re- Heb. 11. uelans, cuius inſpectu nos mortales inducimur in obſcuram & ænigmaticam illius prioris veritatis cognitionem. nam cum illa ſit ſupernaturalis, immediatè animos noſtros nõ mouet: neque noſtri ſenſus, proprias illius ſpecies intelligibiles ſuppeditare poſſunt in nobis intellectui: ac proinde neceſſaria prima Dei veritas, quæ per reuelationem, a nobis obſcurè etiã cognitam, illi applicatã, nos extrinſecus inducat in eiuſdem firmiſſimum aſſenſum. Poſtrema veritas eſt credibilitatis, quæ certis argumentis nobis innoteſcens, licet non probet rem in ſe eſſe veram, probat tamen credibilem, ac iuxta prudentiæ legem ab homine credendã. quatenus, nempe euincit, quod prudenter exiſtimandum hoc vel aliud fuiſſe a Deo denunciatum, neque ex parte rei credendæ, neq; Dei, neq; Eccleſiæ proponentis, conſtare aliquod inconueniens, abſurdum vel indecens, ob quæ putaretur incredibile, a Deo fuiſſe hominibus reuelatum, aut credendum eſſe. Et quoniam oppoſitorũ ratio oppoſita, ea propter fidei credibilitatẽ apertius percipiemus, ſi eiuſdem incredibilitatem paucis diſcuſſerimus. Supra recenſuimus, triplicem eſſe hominum ſtatum, ſcilicet Diuinum, Rationalem, Iraſcibilem atque Concupiſcibilem. Fides, dubio procul, ad diuinum ſtatũ referenda. quæ vero diuina, licet rationem humanã excedat, nõ ſunt tamẽ ei cõtraria, vt docet S. Thom. 1. cont. Gent. c. 7. 1. part. q. 1. art. 8. Rom. 2. *S. Thomas*: proinde rationabilia quoad formam credibilitatis, dici poſſunt: nempe rectæ rationi congruentia. quorum fides, animi inde *Obſequium rationabile*. Pariter quæ diuina, ea eſſe non poſſunt nimium concupiſcibilia, aut iraſcibilia: ſic enim rectis moribus, ac Dei ipſius perfectioni, aduerſarentur, quod planè impoſſibile. quocirca quando fides aliqua, tanquã diuina, hominibus ea proponit, quæ ſui abſurditate rectæ rationi opponuntur, ſimulque ad concupiſcentiã ac iram ſententijs ſuis eos credentes extimulant, illorũ fides non eſt credibilis: quandoquidem incredibile, a Deo eam fidem prodiiſſe, quæ irrationalis, quæ cõcupiſcentiæ & iræ fomenta ſuppeditat, & eo omnibus vitijs, in perniciem virtutum, fœdè patrocinatur. Contrà, quæ vera fides, ea ex dogmatis ſeu materiæ ingenio quodammodo rationalis, auerſaque ab omni libidine ac furore; indeque iuxta prudentiæ iudicium digna, quæ credibilis atque a Deo reuelata ab hominibus æſtimetur. Ex quibus autem hæc fidei credibilitas oriatur poſtea dicemus.

2 Adhuc vero triplex fidei credibilitas cogitanda. Prima fidei aſſenſum anteuertit, qua fides ipſa ſuadetur; ſiue hæc deducatur ex rebus ipſis creditis, ſiue ab auctoritate Eccleſiæ, ſeu docentis fidem, deriuetur. Altera ea eſt, quæ fructus & effectus fidei ſuſceptæ: de qua Propheta. *Si non credideritis, non intelligetis.* Fideles enim iucundiſſimo quodam conuiuio a Deo excipiuntur, dũ diuinitus colluſtrat, ipulcherri-

mas quaſdam imagines rerum creditarum cōtemplantur, ut animaduertit *S. Thomas*. Tertia ea, quam proferūt charitas, optimi ac conſummati mores: etenim exiſtimandū, vita ſanctiores, apertius ac clarius in fidei credibilitatem intendere. quomodo charitas non ſolum ipſius fidei filia, ſed inſuper eiuſdem altrix & nutrix. Quamobrem poſt ſuſceptam fidem, eam deinde excutientes ſuis delictis, primo plerumque amittunt aſpectum tertiæ credibilitatis: deinde cum progreſſi vlterius fuerint in ſceleribus, eis intercipitur viſus ſecundæ: poſtremo nullum modum delinquendi ſibi conſtituentes, illam primam tandem perdunt; ac ſic in infidelitatis baratrum prolabuntur: cum a ſtatu acceptæ iuſtitiæ, hæreſis aut infidelitas, nunquam fermè ſint prima peccata, ſed aliorum ponus fructus

Cypr. Ep. 2.

exituſque mortiferus. Nos autem iam ſolum de prima credibilitate inquirimus, vtpote notiori, cum aliæ latentiores ſint ac diuiniores.

3 Quod itaque ad primam ſpeciem attinet,

Ioſ. lib. de vit. Moyſis.

nulla vnquam extitit Natio fidem religionemque profeſſa, quæ non conata fuit earum credibilitates aliquas oſtendere, vnde non tantum alios in ſuam ſectam pellicerent, verum ſeipſos homines probarent, ratione nempe iudi-

Symm. pro ſuis ſacris retinend.

cioque, non temeritate vel ſtultitia in aliquam credulitatē coactos. Duo autem præcipua exiſtunt capita, ex quibus petūtur argumenta ad adſtruendam fidei diuinæ credibilitatem. Primum rebus ipſis in fidem adhibendis inſitum: alterum, illi auctoritati agnatum, quæ reuelata ac dicta diuina alijs credenda proponit. quo pacto, ut ait *Ariſtoteles*, fides opinionem ſequitur, fidem perſuaſio.

Ariſt. lib. de ani. text. 157

4 Quamobrem ut fides aliqua credibilis appareat, hoc eſt quæ prudenter iudicetur a Deo reuelata, eius obiecta conformia eſſe poſſunt cum naturæ Dei reuelantis, tum hominis credentis condicioni idonea: ſaltem ab eis nihil a-

S. Thom. 3. part. q. 1. art. 1.

uerſum continere debent. Hoc modo Sancti Patres inde fidem noſtram, incarnationem filij Dei credentem, exhibent credibilem, quod Chriſtus Dominus donum ſit Dei bonitate dignum, iuxta ac hominum moribus rectè componendis forma valde oportuna. *Iuſtinus Mar-*

Iuſt. mart. Apol. Tert. ad Scapul. Cyp. lib. de mart. Lact. li. 1. Inſtit. Auguſt. de Epic. cap. viii Epiſt. ad Nect.

tyr, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Auguſti., ex eo, quod Chriſti fides præ alijs omnibus dogmatibus ad amorē Dei, ad pietatem, reliquaſque virtutes maxima in ſe complectatur incitamenta, rectè concludunt, eam præcipua quadā ratione eſſe credibilem. Et quidem præter myſteriū Incarnationis, alij articuli hoc modo ſuā pariter obtinent credibilitatem. credimus, tanquam diuinitus reuelato, quod Eccleſia propter aſſiſtentiam Spiritus Sancti, errare nō poſſit: hoc dico eo credibile, quod aptum, vt a Deo

Aug. de vti cre. c. 15. 16.

reueletur: nam vt diſſerit *S. Auguſtinus*, diuinæ prouidentiæ munus fuit, tribunal aliquod conſtituere in terris, ex quo, ſententia infallibilis veritatis prodiret: tū etiam, quod neceſſitati humanę fragilitatis hinc ſalubriter ſuccuratur: nā diſſidentes partes, huiuſmodi auctoritate ſemel interpoſita, ad pacem ac concordiā facile cōponuntur. Similiter credimus, ſeptem Eccleſiæ eſſe Sacramenta: quorum numerum &

Cate. Roma. de Sacr. 2. part.

efficaciam, noſtri Theologi varijs rationibus credibilem eſſe conficiunt. Ex hoc capite argumentamur contra fidē antiquorū, tanquam ſuo genere incredibilem, dū aſſerimus, ineptū atque diuinæ perfectioni contrarium credere plures eſſe Deos, maſculos ac fœminas, eaq́; in vita geſſiſſe, vtpote adulteria ac furta perpetrātes, quæ a diuinitate alieniſſima, & mortalium moribus nocentiſſima, vt rectè *Ioſephus* obſer-

Ioſ. in præ. ad Hiſtor.

uauit. Dum probamus, rationi prorſus oppoſitum, quod genios coluerint, quod eorū ſententias ſciſcitati fuerint, cum omnium interim criminū incentores apud illos extiterint, vt oſtē-

S. Thom. l. 1. cont. Gent. cap. 106.

dit *S. Thomas*. Pari modi Hæreticorum proteſtantium, prætenſam fidem, incredibilem eſſe ducemus, quum eis credant, quæ tam reſpectu Dei, quam hominum, a ratione communi abhorrēt. Credunt illi, Scripturam ſolam priuato vniuſcuiuſque ſpiritu interpretatam, fidei eſſe regulam: quod eo incredibile, quo ad controuerſias ac diſſidia excitanda callentiſſimū, quò diuinitatis prouidentiæ, & hominū tranquillitati infeſtum. Credunt illi, nullum flagitium vna infidelitate excepta, iuſtitiæ ex fide detrimentum inferre: vt incredibile execramur, nam hinc mortaliū infirmitates, tanquam aridæ ſtipulæ, ad omnia peccata committenda vehemētius inflammarentur. Pondus nullū meriti, aut decus aliquod probitatis, virtutum actionibus ineſſe, ipſi credunt, liberum arbitrium eliminātes, ac naturę corruptionem ſtabilientes. Dogmatis vero incredibilitatē deteſtamur, quippe quod omnia diuina, iuxta ac humana cōfūdat, vitæq́; turpitudini petulantiſſime lenocinetur.

5 Secundo in loco fidem aliquam credibilē conſtituit eorū auctoritas, quæ a Deo reuelata, alijs in fidem adhibenda, voce, ſcriptoue commendat. etenim credibile, id a Deo reuelatū, quod eo nomine prędicant, ac illi credunt inſignis ac magnus aliquis hominum numerus, pietate, diuinæ gloriæ cupiditate, rebus geſtis ac perpeſſis valdè ſpectabilis. Hoc argumēto vſus *S. Auguſtinus* rectè adſeruit, Dei Eccleſiam Catholicam ad culmen auctoritatis perueniſſe: miraculorum nempe in ea patratione, Epiſcoporū ſucceſſione, hæreſum profligatione, ſententiarū vnitate, vitæ ſanctimonia: adeoq́; æquū iuxta prudētiæ & exactæ credibilitatis normā, id, tanquam a Deo reuelatum, acceptari ab alijs debere, quod tāta auctoritate conſpicuū, quod nempe hæc Eccleſia diuinitus reuelatū ſuo teſtimonio adſtruxerit. Hac ſpecie credibilitatis informatus ac euictus *S. Auguſtinus*, dixit. *Tenet*

Aug. de vtil. cred. c. 14. 16. cont. Epiſt. Fund. ca. 4.

me in Eccleſia, conſenſus populorū, atque gentiū. tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Hāc pronunciauit ſententiam contra *Manichæos*, vtpote hæreticos, qui Eccleſiæ auctoritate contēpta, de veritate fidei priuatis ſuis ſcientijs diuinabant. Enimuero nō videtur diuinæ prouidentiæ conſentaneū, permittere tantam auctoritatem, ea reuelata fuiſſe diuinitus affirmare, quæ eiuſmodi non fuerint. Idem *S. Auguſtinus* expendens ingentē illam vim ſanguinis, quam in defenſionem fidei Chriſtianæ martyres noſtri effuderāt, eiuſdem fidei

credi-

credibilitatem inde rectè ſtabiliuit. *Incomparabiliter pulcrior eſt veritas Chriſtianorum, quam Helena Græcorum: pro iſta enim fortius noſtri martyres aduerſus hanc Sodomam, quam pro illa illi Heroes aduerſus Troiam dimicarunt.*

Aug. Epiſt. ad Hieron. Hir. Epiſt. ; edletam.

Aurelius Prudentius animo ſecũ reuoluens, admirabilem illam Chriſtianæ fidei potentiam, quæ Romam, idolatriæ arcem, debellauit, ac in ea deuicta, orbem terrarum obtinuit, eandem maximè, vtpote credibilem cum admiratus, tum falſus diſcretiſſimè.

Pru. in car. Laurent.

Hoc deſtinatum. quo magis
Ius Chriſtiani nominis
Quodcumque terrarum iacet,
Vno illigaret vinculo.

Origenes ſimiliter ad probandam noſtræ fidei credulitatẽ, argumentatur a ſapientia, a modeſtia, a charitate, innocentia Chriſtianorũ, comparatis cum moribus ethnicorum tam Athenis quam Corinthi & Alexãdriæ. *Cæterum Eccleſiæ Dei pereruditæ, collatæ ad vulgares cætus hominum plane mundi ſunt lumina.*

Orig. lib. 3. Cont. Celſ.

Eodem modo diſſerit, quoque *Tertullianus*, affirmans, Chriſtianos quietè viuere, & obſequenter in republica: ad opera charitatis & manſuetudinis eſſe paratiſſimos: quorum contraria, in ſtudijs Gentilium vigere, diſertè pronunciavit.

Tert. in Apol.

6 Credibilitatem hanc, quæ ex auctoritate profitentium fidem conſurgeret, veriſſimè affirmat *S. Auguſtinus*, partibus hæreticorum deeſſe; definiens proinde iniquum, & a ratione alienum, quempiam, Catholica fide deſerta, ſe ad hæreticos recipere. *Vobis* inquit *tam paucis, tam tumultuoſis credere non libet.*

Aug. de vtil. cred. cap. 4.

Quod ſi quis contendere velit, auctoritatem ex numero ac virtute oriundam in factione aliqua hæretica cum auctoritate Eccleſiæ Catholicæ, ait, illum percepturum, eam, huius reſpectu, abiectiſſimè ſuperatam iacere: quod & nos libro quinto euidentiſſimè contra Proteſtantes omnes oſtendemus. Hinc etiam non ſolum aduerſus Hæreticos, ſed etiam Iudæos ac Mahumetanos, quantum ad fidei credibilitatem, præſcribimus. Iudæis credibilitatem hanc deficere eo oſtendimus, quod eorum Synagoga, quantum ad imperij ac virtutis magnitudinem, nullo modo ſit Eccleſiæ Chriſti comparabilis. Contra Mahumetanos ac Idololatras, ad obtinẽdã hanc ſupremam credibilitatem, non diſputamus quidem ex numero, noſtram fidem ſuſcipientium, ſed ex eorum qualitate, vtpote vitæ puritate, miraculis, charitate, gentium ab eis conuerſionibus, ac ſimilibus: ex quibus non modo probamus, noſtram fidem eſſe credibilem, ſed etiam horum aduerſarias ſectas incredibiles.

7 Et ſane huiuſmodi fidei credibilitas, tanti eſt momenti, ut ea ad optimam conditionem ſtatus ciuilis omnino etiam requiratur. Nam cum ſtatus iſte, baſi alicuius fidei innitatur, ſine qua ſapientia ciuilis eſſe non poterit, neceſſario fides iſthæc credibilis eſſe debet, alioquin vmbratilis apparens, nullam ſolidam ciuilem ſapiẽtiã proferre valebit. Admonet *Ariſtoteles*, Deos eſſe cũ agnoſcendos, tum colendos a ciuili viro; verumtamẽ, *Sine ſimulatione ſtultitia*: hoc eſt, non opinione aut ritu aliquo ficticijs, inſulſis,

Ariſt. lib. 5. pol.

a communi iudicio ſapientum abhorrentibus: nẽpe haud fide aut religione ſiue ex parte obiecti, ſiue auctoritatis, incredibilibus. ſi enim aliter fiat a magiſtratu, ciues animis illam fidem ac relligionem ſpernent, ac putabunt commodi ſolummodo alicuius cauſa, ac in fauorem iſtius vel alterius perſonæ, ab origine introductas. Tametſi enim Deus ſua infuſa luce ciuium mentes eleuet quodammodo, moneatque ad altiſſimas res percipiendas, id tamen facit comite in eis humana prudentia, non verò ea expugnata aut conculcata: hoc enim pacto hominem, iuxta ſuæ naturæ qualitatem idoneè afficit, incitatque ſuauiſſimè. Propterea *S. Auguſtinus* aſſerit, rationem fidem non deſerere; cum quæritur, quid ſit credendum: hoc eſt, ratio in homine, licet non euincat, quod obiecta fidei ſint vera, aut poſſibilia ſi fuerint ſupernaturalia, nihilominus optimè demonſtrat ea eſſe credibilia, adeoque credenda, quando ſub debitis ſuis motiuis credibilitatis proponuntur, ſine quibus qui credit, is citò credit: ac citò credens leuis eſt corde, vt *Sapiens* iudicauit.

Aug. li. de vtil. cred. cap. 14.

Eccl. 19.

8 Ex fide autem, ſine credibilitatis pondere, alicui genti obtruſã, exteriuſq; ab ea quaſi per vim profeſſa, tria præcipuè incommoda ciuilia ſequuntur. primum, declinatio nobiliorum ingeniorum in atheiſmum, omnibus ſceleribus grauidum. Nam ſtatim ac dogmata abſurdam ipſis referunt ſententiam, rationi quippe ac honeſtis moribus oppoſitam; ſimul ac ritus relligionis deformis aut ieiunus illis videtur, illico definient, quod talis fides falſa, quod ritus eiuſmodi ficticius: atque hoc pacto a ſagacioribus ſpiritibus abijcientur. Vnde *Symmachus* pro ſua veteri ſuperſtitione, Romę retinenda diſſerens, eam omni modo, quo potuit, laborauit credibilẽ exhibere. hinc aſſeruit, priſcis temporibus a Romanis cultam veterem illam relligionem, ſub eiuſdẽ præſidijs auſpicato incepiſſe, creuiſſe, atque ad admirandã magnitudinẽ, mundo quaſi domito, Imperiũ Romanum perueniſſe. Vnde concludit, *Sera & contumelioſa emendatio ſenectutis*: ſcilicet, vituperabilem eſſe rem, ab ea ad aliam fidem tranſitũ, poſt tantũ tranſacti temporis, adeptæque gloriæ momentum. quocirca ut fides circa diuina, animi iudicio ab aliqua gente ſuſcipiatur, neceſſariæ rationes, quæ ſuadeant credibiliter eam a Deo reuelatam: quam vel Græcis etiam myſterijs conueniſſe, multis conatur probare *Pauſanias*.

Symmach. pro Dijs patrijs.

Pauſan. in Atticis.

9 Aliud detrimentum conſequens, ad aliquã fidem minus credibiliter profeſſam, honoris & æſtimationis dãnũ in ſe cõtinet. etenim ſignũ leuis animi, ac debilis iudicij, gentẽ aliquã cõſenſiſſe in aſſenſum fidei non ſatis credibilis: eoque euidẽtius, quo inter alia fides res eſt maioris momenti, circũſpectiorique animaduertentia ab vnoquoq; conſideranda. Proinde, hac re a prudẽtis credibilitatis lege & argumentis declinaſſe, quoad opinionem ingenij, turpiſſimũ. Propter hoc Romani, Ægyptiorũ ſenſus plurimum damnare ſolebant, quod credulitates quaſdam prorſus ridiculas, a ſuis Dijs reuelatas exiſtimaſſent; vtpote colendum *Apim*, crocodilum, oluſcula, felem, canemque ac ſimilia

inſanæ ſuperſtitionis portenta definientes,

Iuuen. lib. 5. Satyr. 15. *O ſanctas Gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina!*

Atque ex hoc opprobrio Ægyptijs illato, animare ſolebant Romani ſuos milites ad bellum ipſis inferendum: rectè opinantes, adeo ſtultum ac inſanum in diuinis populum, facili martis opere fore ab ipſis debellandum. Vnde ex defectu credibilitatis, quantum ad credenda, ſancti Patres ſuis Apologijs pro fide Chriſtiana, egregie contra antiquorum relligiones diſputarũt, ac inde Chriſtianã fidem prouexere. Perniciosũ itaq; regno alicui, in delectu relligionis alicuius aut fidei a prudentia ac credibilitatis motiuis aberraſſe, ac in eis inepcire ſtatuiſſe: eſt enim hoc genus ſtultitiæ vel inſaniæ, inter omnia longe ignominioſiſſimum, abſurdiſſimumque.

10 ProindeNoſtri Theologi in primitiua eccleſia diſputantes contra Gentiles, incredibiles docuere relligiones Græcorum ac Romanorũ, eoque ex præſcripto prudentię, aut iuris diuini, a quopiam minimè credendas. Huic intulere, illorum Deos maribus ac fœminis ſatos, inter ſe pugnaces, varijs ſceleribus contaminatos, neu quicquam diuinitatis retinere potuiſſe. ac inter reliqua, incredibile conſecere, defunctos Imperatores & in cineres redactos, quaſi ardentes in cælũ euolare: vt diſſeruit *Iuſtinus Martyr*. Quo ſatis conſtitit, incredibile prorſus, ſceleſtum & impurum puerum *Hadriani, Antonoum*, colendum aris & ſacerdotibus tanquam numen, quod per orbem terrarum *Hadrianus* fieri curauerat.

Iuſt. Apo. in ora. ad Ant.

Dio. in Had.

Quo enim loco is oppetijt, vrbem conditam ab eo denominauit. eius ſtatuas per vniverſum orbem terrarum, atque effigies erexit. ſtellam demũ a ſe viſam aiebat, quæ Antonoi foret. Ægyptij proinde ignominiã contraxere imprudentiæ, colentes *Apim*, ſeu vitulum maculis violatum. ob quam cauſam cum *Cambyſes* Rex femur Apis vulnerando, inde ſanguinem elicuerat, cachinnans ſacerdotibus dixit, vt narrat *Herodotus*:

Her. in Thal.

O capita nequam! huiuſmodi Dij exiſtunt ſanguine atque carne præditi, & ferrum ſentientes? dignus nimirum Ægyptijs hic Deus. Et quod credibilitas myſterijs credendis ex duplici cauſa accreſcat, nempe ex qualitate rerum in fidem adhibendarum, ſimul ac ex valore auctoritatis in eis qui talibus credidere, inde progreſſi noſtri ex hac etiam parte oſtendere, quam incredibiles eſſent illæ priſtinæ Relligiones. Adnotauit *Ioſephus*, Iudæos deficientes ad ritus gentilium, peſſimos inde euaſiſſe. Noſtri oſtendere, in illis relligionibus magis Zeloſos, quod ad mores extitiſſe fœdiſſimos: atque qui magis fidẽ Chriſti expugnabant, vtpote *Nero, Hadrianus, Diocletianus*, eo, vt noſtri etiam probarunt, turpiores morum notas ſibi conſciuere. Quocirca ſicut illas antiquorum relligiones ex his duobus capitibus eſſe incredibiles oſtendimus, ita ad Theologum Chriſtianum ſpectat demonſtrare, fidem Chriſtianã, tam quod ad res ipſas, quã auctoritatem eam profitentium, apprimè eſſe credibilem.

Ioſ. in prol. Antiq.

11 Quamobrem cum ciuilis fides eam in ſe complecti debet vim & efficaciam, vt ab ea alienos, ſiue per obſtinationẽ erroris, ſiue negationem intelligentiæ hoc contigerit, reducere poſſit in eius ſententiam: ea certe fides inciuilis, quæ hoc præſtare nequit ob defectum certę cuiuſdam credibilitatis. quis enim, niſi animo motus, ea credet vnquam, quæ ipſi prius non conſtant credibiliter a Deo reuelata? multo vero minus id fecerit ſapiens, qui do ex ſententiæ abſurditate ac defectu auctoritatis liquet, credibiliter eam non fuiſſe a Deo vlli reuelatã? nam Ruſticus aliquis, ſi iudicio valeat, ex alterius relatu credere non poteſt, tali die futuram ſolis eeclipſim, niſi ecclipſis ei appareat credibiliter futura: hoc eſt, niſi iudicetur ab ipſo prædicta a tali viro, cui propter cognitam eius ſcientiam ac probitatem, fides omnino habenda: tametſi ipſam ecclipſim, quantum ad ſuas cauſas, ac in ſe ſpectatam, penitus ignoret: debet idcirco ei videri ecclipſis credibiliter futura, ac ab ipſo credenda, ad hoc vt prudenter & humano modo euenturã ſubinde credat. Similiter, tametſi fidei propoſitæ obiecta non perſpiciatur a nobis in ſeipſis vera, ſed ſemper ſint obſcura & ænigmatica, nihilominus vt a viro oculato ac ſapiente credantur, oportet omnino, ea ex quibuſdam argumẽtis credibilitatis ſpeciem, quam *S. Hieronymus* expendit, credibilium exhibere. idcirco fides, quæ hac deſtituitur, inepta ad ſui diffuſionem, aut perſuaſionem, ac proinde non tantum inanis, ſed inſuper inciuilis meritò æſtimanda. ea autem fides, quæ ciuilis, etiam inuiolabilis eſſe debet, vt iam ſtatim oſteudetur.

Pſalm. 34.

Hier. ep. ad Lætam.

CAPVT. XV.

Fides, quæ inſtituta ciuilibus commoda, inuiolabilis, ac immutabilis omnino in Republica ſeruanda, tam quoad ipſa quæ dogmatice credit, quam quoad relligionem, aliaq; cuncta, quæ peragenda, omittendaue præſcribit.

CVm ſapientia, vt iam declaratũ, neceſſaria ſit ad vitam ciuilem agendum, ac vt homines ciuilia iura obſeruantes, commune bonum rectè procurẽt, in quæſtionem modo venit, num hoc bonum commune, vel bonum ipſius principis, emolumentis humanis cunſtantia, its emineat, vt eorum cauſis fides, vnde ſapientia deducitur, mutari aut violari quandoq; poſſit? Et quidem ſi ſermo ſit de ficta ac fabuloſa Græcorum credulitate ſeu Theologia, eo ſolum fine in hominum mores inuecta, vt ciues metu Deorum exterriti, leges melius obſeruarent, quod notauit *Ariſtoteles*, ſatis manifeſtum, eam, modo illæſum maneat ius naturæ apud ciues, e re nata, & occaſione alicuius commodi oblata, mutationibus eſſe merito obnoxiam. Sunt vero qui vel in vniuerſum exiſtimantes, hac in re nihil certi diuinitus reuelatum, ſed cuncta varijs hominum exiſtimationibus definita, vel ſupremũ locum bono ciuili, quoad præſtantiam, attribuentes, ſtatuerunt tanquam licitum, ac genuine

Ariſt. li. 12. Meth. cap. 8. Text. 50.

nuinè politicam, non tantum ipſis dogmatibus fidei, oppoſito aſſerto aliquando contrauenire, ſed & morum præcepta, ab eadem fide præſcripta, tranſgredi, ſiue a natura ipſa fuerint mandata, ſine iure ſolum poſitiuo ſtabilita. Nihilominus hi ipſi, fidei relligioniſque momenta, quod ad mores ciuiles, interim deprehendentes, earum cultum profeſſionemque, quantum poſſunt, Principibus ſuadent, adeoque in eis ſuperſtitionem meræ præferunt impietati: volunt enim omnino, principes ac ciues potius debere eſſe ſuperſtitioſos, quam impios, vt dico præceptorum politicorum cōſiderata.

Mach. l. De Princip.

2. Multis autem argumentis probare conantur, ciuilem quandam eſſe prudentiam, quæ cognitioni ex fide, iuxta ac ſapientiæ ab ea præceptæ, aduerſetur, admittendam tamen interdum, & vſu adprobandam. Inter reliqua dicunt: Talis aliquando incidit rerum ſtatus, in quo inter populares ipſos, aut cum externis pax ſeruari nequit, niſi hæreſis, aut alia ſpecies infidelitatis impunè permittatur. Hinc vero fidem, ſapientiam, relligionem, ac charitatem ipſam paſſuras detrimenta, euidentiſſimum. non enim ſolum tunc nocumenta ſuſtinent hæ virtutes, quando eis contraria vitia inducuntur in ciuium animos, ſed etiam quando eorum feruor ac zelus quodammodo in eiſdem quomodolibet conſupiuntur. Si ergò fides aliqua erronea, ficticii cultus, verique abdicatio, ob rationem communis boni in republica, certis rerum condicionibus ad id vrgentibus requiratur, ex quibus veram fidem, ſapientiam, relligionemque lædi neceſſe fuerit, nihilominus tamen boni [illegible]unis ratio, fidei & ab ea ſancitis, ita præu[illegible] obtineat peculiarem quandam prud[illegible] ciuilem, cum ea minimè cohærentem, quæ ex imperio de fide & relligiune mutandis, detruncando, limitando, contraueniendoque conſtituat. Vnde ſi contingat, externum aliquod regnum hæreſi aliqua diuortium feciſſe ab Eccleſia Catholica, tunc cum illo vicinus Princeps Catholicus contractus connubiales, aliaque officia amicitiæ atque mercimoniæ ægre exercere valens, niſi fidem relligionemque huiuſmodi negocijs ſubiecerit, eaſque temporibus & rerum ſtatui præſenti accommodauerit, pro ſuo libito de eis politicè diſponere poterit.

3. In hoc quidem conſilio plurima noſtræ memoriæ referunt hiſtoriæ, ex quibus conſtituit, principes vt ſeipſos, ſimul ac rempublicam vel tuerentur, vel augerent, fidem relligionemque negocijs ciuilibus haud raro poſtpoſuiſſe. Romani Imperatores, ſi cum Græcis conferantur, non tam frequentes quidem videbuntur extitiſſe in huiuſmodi inſtituto exercendo, haud tamen omnino ſuis partibus in eo caruere. Etiam Romani Imperatores (quod *Hadrianus* præ cæteris *Pantheon*, omnium ſcilicet Deorum templum fabricando, præſtitit,) vt externorum gratiam inirent, omnium plane relligionum formas Romæ celebrari curarunt: quo, ſine dubio, illa genuina ac vetus Romana, quaſi multiplici ſorde polluta, ac varietate

Leo ſerm. 1. de S. Pet.

quadam a ſeipſa diuulſa, plurimum paſſa eſt detrimenti. Apud *Hebræos* inſignis in hoc facinore *Ieroboam* Rex Samariæ. nouerat is tanquam fidei dogma, nullibi locorum extra Hieruſalem ſacrificandum, nihiluminus ne Samaritani a ſe deficerent, lege cauit, eorum neminem *Hieroſolymam* aditurum ſacrificij cauſa, dicens: *Si aſcenderit populus iſte vt faciat ſacrificia in Domum Domini, in Hieruſalem, & conuertetur cor populi huius ad Dominum ſuum Roboam Regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum.* Apud noſtrates in hoc genere impietatis, ſua manifeſta impietate clarus *Henricus* octauus. is enim ſibi proponens diſceſſum ab Eccleſia Romana, ſubinde non tam ex animi ſententia, quam ad vitandam confuſionem, ſi Epiſcopis, aut multitudini in Eccleſiaſticis primatus committeretur, ad ſuam perſonam, vtpote monarcham, illum redegit. Similiter Filia eius naturalis *Elizabetha Boiena*, animaduertens, matris ſuæ nuptias danatas ac proſcriptas a Romano Pontifice, ſecum reputans, catholicos ſubditos neuuquam fore ſibi eo nomine fideles, non ſolum aduerſariam *Caluini* ſectam in regnum induxit, verum etiam fidem catholicam omni, vt potuit, arte & violentia expugnauit. neque hoc egit, ac ſi zelo illius hæreſeos eſſet multum incenſa, ſed præcipue, vti ſtatum ſuum ciuilē, quod ipſa ſibi perſuaſit, tutiorē certioremq; exhiberet. Narrauit mihi quidam vir catholicus, adeoque Sacerdos, cum coram eſſet occaſione quadam ei oblata, ſe a Regina illa hæc verba excepiſſe. *Scio, quod me communiter veſtri tanquam crudelem fœminam traducunt. at teſtor Deum, multum hic ſanguinis effundi, cuius ipſa conſcia non ſum. Regnante Sorore Maria, bene recordor, me hic in Anglia graues, eruditos ac egregios Epiſcopos atque ſacerdotes vidiſſe. vtinam noſtra tempora modo eiuſmodi darent. profectò ſi res noſtra iam eſſent in eodem ſtatu, in quo eas reliquit Soror Maria, ne dum cogitarem quidem de mutatione. At quid vultis vt feciſſem? priuſquam nata, in ipſo vtero materno adhuc exiſtenti, Papa ſuam intulit maledictionem.* Hoc dixit ob improbatas nuptias inter *Henricum* octauum, & *Annam Bolenam*, eius parentes, a ſede Apoſtolica. Rectè idcirco notat *Sanderus*, noſtram gentem haud aliarum more ſua ſponte ad hæreſim ac ſciſma ſeſe recepiſſe, ſed id egiſſe tyrannide principum adactam, & a iure noui ſtatus ciuilis compulſam. Huc reuocari poterit magnus ille *Cham* Tartarorum Imperator, de quo ſcribit *Lipſius*. Iſte ad obtinendum coronam Poloniæ, pro qua prenſabat, ne relligio aliqua certa ei eſſet obnoxia, publicas dedit literas, in quibus Cancellario ſcripſit: *Quod ad relligionem, tuus Papa erit pariter meus Papa, aut ſi mauis, tuus Lutherus, meus Lutherus.* Hi quidem, vtpote Ianiculi incolæ, cum ſuo *Iano* bifronti, noua ac vetera, tranſacta & ne dum acta, ſimul perluſtrantes, præſenti tempori, eiuſque commodis cedentes, Deumque colentes, applaudunt. quorū ſapientia verſatilior certe vel omni lamina, ſeu Gallo in ſummitate turrium poſitis, ad vētos indicandos.

3. Reg. 12.

D. Bluetus.

Sand. de ſciſ. Anglic.

Lipſ. in Pol.

Iuſſum eſt Cæſaris ore Gallieni,

Quod

Quod Princeps colit, hoc colamus omnes.

Prud. in Periſt. D's Truct. Veterum proinde ideas ſibi proponunt, canuntque,

Ouid. in Trag. epiſt. *Saturnus periit, perierunt & ſua iura.*

Sub Ioue nunc mundus, iuſſa ſequare Iouis.

Pap. Theb. 10. *Experiar quid ſacra iuuant, an falſus Apollo.*

Hinc apud Athenienſes *Demetrius* huiuſmodi ingenio imbutus, religionem eluſit. Cum enim tempore inſolito, adeoque iure diuino vetito ſacra illius loci exercere ac noſſe cuperet, vt ſcribit *Plutarchus*, quidam *Stratocles* illi adulatus, *Tulit decretum, vt menſis Ianuarius, qualis tunc præſens erat, Nouember vocaretur.* Plut. in Dem.

4. Cæterum vero illam fidem ac ſapientiam inciuilem eſſe, quæ ad ſtatus politici nutum, ſeu lucri acquirendi cauſa, mutabiles, expugnabileſue, ex multis oſtendi potest. Inprimis hoc probat agnoſcenda a ciue dignitas vtriuſque. nam ſicut fidei obiectum, nempe myſterium a prima veritate reuelatum, eminentiſſimum, ſimulque propius accedens ad vltimum hominis finem, quam vllum aliud obiectum virtutis Intellectualis, inde conſequens, reliquas virtutes, ac inter eas prudentiam politicam, illi ſubordinari, ac eidem inſeruire debere, multo minus imperare vllo iure poſſe. Prima principia, teſte *Ariſtotele*, maximè vera. Quocirca quando hæc fucata carnis prudentia in negocijs ciuilibus imperium tenet, eique diuina fides miſere indigneque ancillatur, non ſolum eminentioris cernitur abuſus in ciuitate præpoſterus, verum inſuper, ſumma iniuria in ipſum ius diuinum, ac in Dei ipſius auctoritatem eodem infertur. nam fides iuri diuino, & Dei reuelationi innititur, vt *Plato* ipſe diſſeruit: eoque ad excelſum quendam gradum dignitatis ſublimatur; cum aliæ interea loci virtutes intellectuales, vel etiam morales, ſolum rectæ rationi commenſurari dicuntur. Proinde dum fides quæſtui, aſtutiæ, diſſimulationi, periurio, mendacioque poſtponitur, & ab eis violatur, ſummo quodam ſcelere ius diuinum, Deique auctoritas ab homine dedecorantur: quod vel ipſo cogitatu perquam horrendũ; nedum humanum aut ciuile. Ecquis ciuium obſecro, ad hoc perpetrandum animo fuerit præſenti, qui etiam ſui principis ius dignitatemque non audaciter contemnet, ſi modò vtilitate occurrente, id impune facere licuerit? Affirmat itaque *Cicero*, idem eſſe Dei notitiam penitus e medio tollere, ac pronunciare, eam quorundam arte, in gratiam ſtatus politici conſtitutam, aut eius cauſa violabilem.

Ariſt. l. 2. Met. cap. 1.

Plat. in Gorgya. Ariſt. 10 et cap. 7.

S Thom 1. 2 q 62. art. 2.

Cic l. 1. de nat. Deor. pag 50.

5. Porro fidei credulitas, eiuſque profeſſio, a Deo ipſo immediate decernuntur ac ſtabiliuntur, vt ex ſacris literis conſtat. ex quo ſequitur, illi nullum ius humanum vlla auctoritate poſſe præualere, ſemper enim iura inferiora maiorum obligationibus potius cedunt, quando vtraque ſeruari non poſſunt. Hoc pacto pronunciatur, parentibus haud eſſe a filijs ſuccurrendum, quando id pietati in patriam contrarium: quandoquidem huius, quam illius, grandior ſtrictiorque obligatio; ac licet fidei religionisque præcepta, non ſemper obſtrictos tenent ciues, ad ſui poſitiuam obſeruantiã ſed certis ac ſtatutis duntaxat temporibus, nihilo ſecius ea in ſe perpetuam quandam vim eorum præcepta affirmatiua implicant, ex cuius virtute, nullo vnquam tempore licitum, aliquid contra ea peragere: qua de cauſa, perpetuo criminoſum, eorum iura perfringere. nam iuris alicuius abrogatio in vniuerſum, aut in eo diſpenſatio, munus eſt iuriſdictionis, vt liquet, nulli autem mortalium competit iuriſdictio in ius diuinum, vt materiam ſuo imperio ſubiectam: proinde nunquam eiuſmodi iura diuina, qualia ſunt fidei ac religionis, princeps aut ciues abſque graui ſcelere in ipſam ciuilitatem violant aut tranſgrediuntur. Hoc enim non alia faciunt ſapientia, quam terrena, quam animali, quam diabolica, vt ex Apoſtolo S. Doctor elucidat. Iacob 3. S. Thom 2. 2. q. 45. art. ad 4.

6. Et ſane definire, quod iura fidei ac religionis, ſubdantur iuribus ſtatus ciuilis, idem eſt ac ritu, pluſquam barbarico, omnem fidem religionemque, decreta ſententia, e medio tollere. Nã fides ac religio, quæ mutationibus ac violationibus oportunæ, non ſunt diuinæ, a nullo ex animi iudicio, vt tales, aut vt veræ, admittuntur: ſed eo ipſo ficticiæ, inuenticiæ, falſæ, redarguuntur, quo ferulæ rerũ temporaliũ, monitiſque politicis caſtigandæ, innouandæ, detruncandæ, obijciuntur. Verum enim vero, quam neceſſaria ſit fides, ac ſapientia ciuili conuictui, iam diximus, ac id apertius libro ſequenti declarabimus: quas virtutes ſi animo, cordium, ſenſuumque penetralibus excluſerimus, earum latitis ſolum retentis, nihil immune aut ſacrum in ciuitate ſupererit. quamprimum enim ciues exiſtimauerint, fidei ac religionum iura boni communis, aut priuati, rationibus in[illegible]ico arbitrabuntur eiſdem ſubeſſe inte[illegible] legem naturæ pariter, nedum principum ſtatuta: adeo vt eis innoxium conſtabit, peierandu, furando, occidendo, defamando vniuerſum naturæ ius excindere, ſi iſtius vitæ emolumenta inde bruteſcentibus, ac immaniter furentibus, accreuerint. Docuit *Machiauellus* Principes, fidei ac religionis iura, occaſione ſtatus incidente, diuerſimode poſſe tractare, vtpote nunc attollere, poſtea deprimere, tanquã veterum ſtatuas, quæ modo in larario collocabantur, ſubinde Vulcano tradebantur, deuaſtandæ. at quam inepte, quam barbarice! Hinc enim ſignificauit, re ipſa ac ſolide nullam eſſe diuinam fidem, religionem nullam; imo ius naturæ nullum; ſed omnia hæc elaboratis quorundam artificijs, in terrorem, hominibus hactenus propoſita. Si hoc inciuile, ac barbarum non ſit, quid tale erit in media Scythia, vel in ipſo inferno ac regno Plutonis, omni genere confuſionis perturbatiſſimo? *Quomodo enim*, inquit *Ariſtoteles*, *id ciuile, aut lege ſanciendum, quod ne legitimum quidem eſt? neque enim legitimum, non ſolum iuſte, verum etiam iniuſte, dominari: ſubdere vero eſt non iuſtè.* Olim meritò *Demoſthenes* deriſit religionem Pythiã, quam dicebat, φιλιππίζειν *id eſt, quaſi cum Philippo facere. Hoc autem eo ſpectabat, vt eam a Philippo corruptam diceret.* Ariſt l. 7. pol. cap. 1. Cic l. 1 de Diu.

7. Quæ quidem vis diuinæ fidei non tantum

ſuprema

ſuprema ac inuiolabilis quod ad ipſa credita, ſed inſuper quod ad alia, quæ præſcribit, ſiue poſitiua, ſiue naturalia ea fuerint. Vt autẽ naturalia in hominum moribus plus ponderis retinerent, voluit Deus eorum obligationes, non ſolum lumine rationis nobis innoteſcere, verum inſuper ſuo Decalogo, Iudæis tradito, oſtendi ac confirmari: vt tam iure diuino, quã naturali, vnitis, magis in hominum moribus inualeſcerent. Pari modo diuina fides, quam per Chriſtum Reparatorem accepimus, non tantum ipſa myſteria nobis indigitat, quinimo multa lege ipſius naturæ prius ſtabilita, ſeruanda proponit: & quidem omnium reſpectu, ius fidei perpetuo ſupremum ac inuiolabile. ſupremum, cui alia iura humana ſubijciuntur: Sapientia, vt ait *Ariſtoteles*, libera eſt, non ſerua: eoque, ad Dei imitationem diuina. inuiolabile, quod nullus principum in illud auctoritatem obtineat, ſed adamantis inſtar, a nullo, imperio frangi aut inflecti vnquam poterit. *Amicus vſque ad aras*, olim dictum: quod nempe, eum vires amicitiæ fortiſſimæ, incitatiſſimæque, nihilominus vltra aras ad ſcelus impietatis, ad relligioſi ac diuini iuris violationem prorumpere, ſanctè aut ciuiliter nequeant. Quo autem hæc fidei inuiolabilitas, ſiue veritatem nobis traditam, ſiue ſcripti alicuius ſententiam reſpexerit, immunis ſeruetur, opus omnino, humana vel imbecillitate vel malitia expenſis, auctoritate aliqua ſpectabili, ob diuinam quandam aſſiſtentiam pariter inuiolabili, infallibilique, vt oſtendit S. *Auguſtinus*. quæ vſque adeo ciuitatibus neceſſaria, vt ſine illa ciues non tam vnanimi ſenſu crederent ac ſaperent in diuinis, quam ſectarum factionibus opinando ac delirando, tumultuarentur: quod accuratius liber quintus comprobabit.

Ariſt. l. 1. Met cap. 2.

Auguſt de vtil. cred. cap. 11.

8. Vt vero iam ad argumentorum ſolutiones accedamus: quantum ad hæreſim in aliqua republica ciuiliter permittendam, hanc ipſam eius permiſſionem, damnum animarum, & omnium virtutum inferentem, comparare poſſumus, aut cum vtilitate aliqua ciuili, ſiue principis, vt priuatæ perſonæ, ſiue communitatis ea fuerit: aut cum detrimento fidei ac morum apud ciues, ſi hæretici iuxta canones ſcripturæ ac Eccleſiæ, diſtrictius coercerentur. prioris ratione, ſeu ob vim meram ſtatus, hæreſis, eiuſmodi damnum certiſſimè illatura, nunquam impunè permittenda: eò quod damnum animarum ſpirituale non poterit compenſare quæuis commoditas temporalis; a quo proinde debent ciues magis abhorrere, quam in aliquod genus quæſtus propendere. eſtque intrinſecè malum id permittere, quod animis æternisque bonis ſimpliciter & abſolutè infeſtum. neque ſtatus ciuilis ab huiuſmodi medio illicito dependere debet. non enim ſtatus ratione æquum, Deum blaſphemare, mentiri, legi naturæ contrauenire, corporum ſalutem animæ felicitati anteferre: proinde non niſi licitis medijs, iuri vtpote diuino ac naturali conformibus, ſtatus ciuilis muniendus, vel propagãdus: alioquin vt dixi, atheiſmo, pyratica, latrocinijſque ex iuſto ac bono quãdoq; ſtabiliendus; quod immane prorſus ac barbar.

Et quos vna facis Rufino cauſa ſodales
Illicitum duxiſſe nihil. Delicta fuere
Nexus amicitiæ.

Claud. l. 2. in Rufin.

Quando vero is caſus incidit, in quo ſi modo ex tenore iuris diuini, ſimul ac canonici, hæretici punireutur, ipſa fides & boni mores ex bellicis tumultibus, aut aliuode, grauius damnum ſuſtinerent, tunc conſultum fuerit, immunes illos permittere. quod quidem non eſt fidei ipſi dominari, aut eius vim ſtatui ciuili ſubijcere, ſed tantum ius diuinum ſibi conforme reddere, ac maius detrimentum minoris admiſſione euitare; quod ius diuinum omnino ſtatuit: De qua rerum condicione, ac caſu ſententiam ferre, ſpectat ad illud tribunal, cuius eſt de fide ac relligione diiudicare. illud enim quod ex iuriſdictione de eis cognoſcit, leges pariter pœnales in ſontes condit; ac proinde quando eiuſmodi pœnarum irrogationes ceſſare debent, pro ſuo imperio ſolum definit. quod vero ſpectat ad neceſſitudines cum vicinis prouincijs, hæreſi infectis, exiſtimandum, ob nullum emolumentum temporale, fidem ac virtutes imminuendas, aut corrumpendas: ius enim naturæ, ac diuinum, talium virtutum momenta, alijs omnibus corporum merito præferunt vtilitatibus.

9. Ea itaque fides in ciuitate ſtabilienda, quæ tanquam cœlum firma, ac immutabilis, alijs in ciuitate continuo imperitet: eisque modum, reginæ inſtar, conſtituat. quo fiet, vt ſapientia ciuilis inde deducta, vera appareat ac ſolida, nec caſu aliquo illata, neque a fraude aut violentia ab origine ſui expreſſa. Vt enim cœli conſtantia, ac in motu definita regularitas, elemẽtorum perturbationibus quodammodo obuiat, ac benè conſulit, iuxta ac maris fluctibus, vſui exiſtit, ita fidei diuinæ inconcuſſa autoritas, rebus ciuilibus variè iactatis ſubſidio eſt & firmamento. non ergò ciuiles, qui docent Principes, temporali emolumento fidem ac relligionem ſubijcendas. credere enim faciunt ſubditos, principem atheum eſſe, ac eo nomine deteſtabilem, ſimulque licitum ducere, omnia iura naturæ infringere, ſi modo ipſi inde aliqua commoditas obuenerit. ob hanc cauſam Philoſophi, finis politici partem, in bonis externis ſitam æſtimantes, vtpote in pecunijs, in dominatu, in honoribus conſiſtentem, ſemper intulere, hæc bona non aliter ad finem politicum ſpectare, quam vt legitimè parta & acquiſita. nam ſi media inhoneſta ad hæc procuranda vſurpentur, potius deuaſtabunt finem politicum, quam proferent, tametſi particularis aliquis ciuis, ad modicum temporis, ex eis ad fortunæ magnitudinem aliquando adſpirauerit.

Luc. La.

10. Ex hoc conſtat, eandem, ac ſibi ſimilem faciem reipublicę, inter Chriſtianos ibi diu ſeruari non poſſe, vbi hæreticæ relligiones impunè graſſantur, vbi cancer, vt loquitur Apoſtolus, per corpus Chriſti myſticum ſerpit: vbi lupi rapaces in ouili degunt ac pernoctant. Verum quidem eſt, veteres Romanos Imperatores in vrbem admiſiſſe promiſcuas relligiones,

1. Timot. 2

eoque

eoque pietatis nomine commendari ſtuduiſſe. Cuius confuſionis ſimulacrum, lararium *Alexandri Mamineæ* vniuerſis Deorum ſignis referLamp. in Alex. tum, vt narrat *Lampridius*: templum itidem omnium Deorum ſeu *Pantheon* Romæ, in quod conſilium *M. Aurelius Antoninus* omnino tendeIul. cap. in M. Aurel. bat: qui, vt ſcribit *Iulius Capitolinus*, *vndique ſacerdotes acciuit & peregrinos ritus: Romam omni genere luſtrarunt*. *Iulianus* Apoſtata ad perdendum religionem Chriſtianam, medium paratiſſimum ducebat, hæreſes permittere impuGreg. Naz. Ap. in Iul. ne vagari per Imperium Romanum, vt narrat *S. Gregorius Nazianzenus*. Verumenimuero alia longe ratio eſt ciuitatis Chriſtianæ, aliæ Ethnicæ: eò quod vnuſquiſque in republica Chriſtiana ſecum reputet, adeoque firmiter credat, ſuam ſectam vnicè diuinitus adflari, eamque ad æternam ſalutem requiri: aduerſariam autem ex orco emiſſam, hominum damnationem perpetuam procurare. Ex quo, ea certa ciuilis temperies violanda, quæ ad ciuium quietem, vnum, eundemque reipublicæ ſtatum conſeruandum, neceſſaria. atque hæc de ſapientia in vniuerſum diſputaſſe ſatis videri poterit; quæ de ciuili Scientia diſſerenda mox perſequemur.

CAPVT. XVI.

De ciuili ſcientia in vniuerſum, ac de einſdem perfectionum gradibus.

EXplicauimus quanta ſit dignitas ſapientiæ, ſeu altiſſimorum principiorum intelligentiæ, quantaque hinc vtilitas ciuibus proueniat. Iam oſtendendum, non ſolum iſtorum principiorum, ſeu primorum intelligibilium, a ciuibus ſapientiam excolendā, verum etiam alias quoque ſcientias ſub illa collocatas, ab eiſdem diligenti ſtudio comparandas. Enimuero quantum plus operis in mentis ornatum ciues contulerint, tantumdem ſibiipſis adiment in appetitu ſenſitiuo, libidinis ac ferocitatis. etenim in ipſis ratio hoc pabulo ſcientiarum ſemel deſtituta, earumque laboribus ſoluta, aut ocio penitus torpebit, vel inſtar mancipij, tradita in imperium appetitus concupiſcibilis, acris, excitaque ad eius intemperiei inſeruiendum euadet, præſtabitque, vt ciues laxiſſime concupiſcant, efferatiſſimeque mutuo excandeſcant. Propter quam cauſam, ſemper exiſtimaui, præpoſterum & inciuile fuiſſe tyrannorum conſilium, quo inter alios conuentus, academias, ciuibus proſcripſere. tametſi enim hoc ipſorum artificium, animorum conſpirationes, ac mutuam ex aſpectu cognitionem inter ciues Ariſt. lib. 5. Pol. impediat, quas tyranni, teſte *Ariſtotele*, vehementer odio habere ſolent, nihilominus eos inde ciues habituri principes, qui natura ruditati relicti, omnem vim intelligentiæ, fœdæ voluptati, ſeuitiæque crudelitati vltro tradituri; quorum etiam impetus ad renitendum, ac ad rebellandum in ipſos principes, tandem fuerint incitatiſſimi: neque tam hominibus, quam brutis præeſſe videbuntur. Si ergo morigeros, ſi ſuaues ac mites, ſi homines cupiat princeps ciues, eſt quod ſummopere curet, eos ſcientiarum in vniuerſum luminibus illuſtrandos, earum delectationibus emolliendos, ac diſciplinis ſubigendos.

2. Et quidem quantum ad hoc, recte comparare poſſumus totum opus literarium ciuile cum ipſo bono communi ciuili, quod pecuniarum, diuitiarum ac reliquorum conſtat emolumentis. quemadmodum enim hoc bonum commune non effertur, niſi multorum ciuium multiplici contentione, licet vnuſquiſque illorum aliquid compendij ad illud conferat, ita opus literarium, vt aduertit *Ariſtoteles*, cum quo ad illud vel parum ſit, quod particularis aliquis ciuis proferre poterit, tum vt totum ipſum educatur, multorum ſtudia ſunt coniungenda. Hoc modo pronunciauit *Ariſtoteles*, ſcientiam facilem eſſe, ſimulque difficilem. facilem, quatenus vniuſcuiuſque opera aliquid eius acquiritur. difficilem, ex quo eiuſdem integra perfectio non niſi plurimorum vigilijs abſoluatur. Ariſt. l. 2. Met. cap. 1. *Speculatio de veritate, partim difficilis eſt, partim facilis eſt. ſignum autem, quod neque ſatis eam aliquis conſequitur, neque aberrant omnes ab eà, ſed quiſquis aliquid de natura dicit. & ſinguli quidem nihil, aut parum ei addunt, ex omnibus vero collectu aliqua magnitudo fit*. idcirco ſicut homines in vnum locum ciuitatis conuenere, vt bonum vtilitatis commodius procurarent, quod ſeorſim agentes non poterant, eoque amanter, amiceque viuunt, ita, vt bonum ſpeculatiuum perficeretur, plures veluti in communi paleAriſt. 3. Pol. cap. 11. ſtra coaluerunt ſtudioſi, ad id impotentes exiſtentes, quàmdiu ſparſim agebāt. proinde viciſſim hinc grati, quo ad hoc etiam conſiſtunt, eis fauorem referentes, qui vel tenuiter, ſeu ſuperficie tenus, maxime de re aliqua noua, obſcura, altiſſimeque a ſenſibus remota, inter ipſos fuerint philoſophati: hinc enim alijs oblata occaſio vlterius penetrandi, vberiuſque de eiſdem diſſerendi: quod etiam *Ariſtoteles* adnotauit. *Indicia multorum ſapè meliora ſunt, quam* Ariſt. l. 6. ad Nic. cap. 1. & 2. Eth. cap. 2. 3. Pol. cap. 11. *vniuſcuiuſque*.

3. Duo autem ſunt, quæ ciues, literis animos adijcientes, ſibi optime proponunt: veritas ſcilicet ipſa, & opus alicuius in ipſis facultatis: quod etiam docuit *Ariſtoteles*. Veritas auAriſt. l. 1. Met. cap. 1. & 1. Eth. cap. 1. tem, quatenus per cauſas ac principia cognoſcibilis, ita eſt ſui dignitate perfecta, vt propter ſe ciui ſit expetenda. illa vero cognitio ciuilis, quæ in opus aliquod dirigitur, pro fine reſpicit opus ipſum faciendum, non autem aliquam veritatem cognoſcendam. Cuius veritatis gradus, ac ſpecies, attenduntur penes maiorem minoremque abſtractionem a rebus ſingularibus, ac ſenſu perceptibilibus, ſpectandam in eiuſdem veritatis obiectis. ſunt enim aliquæ ſcientiæ etiam ſpeculatiuæ, quæ propius accedunt ad particularia, quam aliæ: viciſſim aliquæ immediatius attingentes Sapientiam, ſeu Metaphyſicā, longiuſque a particularibus recedentes. Opus vero, in quod intendit cognitio, duplex: vel enim eſt opus mentis, voluntatis, imaginationis in homine, aut eius externa

terna

ternæ alicuius in eodē potentiæ, vt veſtis, domus ac ſimilia. Circa prioris generis opus verſantur artes liberales, quas ſcientias aliquando nuncupamus, licet iuxta tenorem vigoris in notione ſcientiæ expendendum, ſcientiæ non ſint, ſed artes. qualis logica, cuius opus alicuius intellectualis actus directio, ordinataque eiuſdē effectio: item muſica circa vocum & inſtrumentorum certas modulationes occupata: Rhetorica, Grammatica quoque, ac Poeſis, dicendi quaſdā formas, tanquam opera ſibi pro finibus conſtituētes, Mathematica, etiā Arithmetica, & Geographia, huius qualitatis ſciētiæ habendæ: quarum fines opera: nempe linearum deductiones, computus, locorumque deſcriptiones. Alterius autē ſortis opera ac fines, artes mechanicas & illiberales conſtituunt. *Ariſtoteles* quidem ſcientiæ ſpeculatiuæ tres enumerat ſpecies: *Patet igitur tria genera ſcientiarum eſſe ſpeculatiuarum: Naturalem, Mathematicam, Theologiam.* quam poſtremam in hoc genere excellere affirmat, reliquis quoque priorem vniuerſalioremque eſſe definit.

Vaſquez 1. 2. diſp. 85. cap. 1.

Ariſt. lib. 11. Metaph. cap. 1. lib. 6. Ethic. cap. 4.

4 Iſtis perceptis, admonendi ciues, quonā in primis in honore habendi in ciuitate Theologi, ſapientes ac ſpeculationibus dediti. quod enim ad vitam actiuā, ſeu ad regimen ciuile non ſint vſque adeo neceſſariæ iſtæ primæ ſcientiæ, vt fatetur *Ariſtoteles*: tum etiam, quod haud ſint tā idonea media ad comparādas pecunias, nec ita in vulgi oculis auctoritate ſua, ob eorum inſcitiam, fulgeant earum functiones, vt aliarum ſcientiarum, vel artium opera, ideo earum profeſſores contemptui eſſe ſolent, aut non ita, vt decet, æſtimari. Cæterum hac in re non tam emolumenta externa, quam interiorem animi perfectionem ciues ſpectare omnino debent, etenim a primorum principiorum cognitione incepit ac propagata eſt tota philoſophia. nā illa admiratio, quæ poſtquam ipſorum ſenſus res percepiſſent, quoſdam compulit in ſtudium philoſophiæ, nō ad particularia, nō ad practica obiecta, quibus prius aſſueti, eorū contemplationes detulit, ſed ad prima principia, altiſſimaſque rerum cauſas inueſtigandas excitauit. quæ quidem principia in ſeipſis veriora, illuſtriora, ac intelligibiliora alijs obiectis ſub ipſis cōſtitutis: quandoquidem hæc per illa probentur, ac a nobis eis intellectis ſubinde cognoſcātur. eiſdē pariter reperiūtur ſublimiora ac diuiniora: hoc eſt magis abſtracta a caducis, a ſingularibus diuinamque eodem perfectionē expreſſius imitantia. Nam vt ſolus Deus liber, nulli rei inſeruiens, ſed omnibus imperans, ita metaphyſica, Theologia, ac ſapientia haud ſubijciuntur alijs ſcientijs, quinimo, quoad abſolutā ſuam intelligentiam, indigent aliquæ earum adminiculis. *Si enim tunc ſcimus, quando cauſas nouimus, conſequēs, primarum cauſarum notitiam diuinam eſſe, honoratiſſimamque.* Neque tantummodo ſublimis eſt natura harum primarū ſcientiarū, quinimo acceſſu difficilis, vtpote a ſenſibus remotior. proinde, vt notat *Ariſtoteles*, plus otij ac quietis earū ſtudia requirunt, quam aliæ ſcientiæ. ob quam cauſam concludit, apud Ægyptios aptiſſimos fuiſſe ſacerdotes ad capeſcēdas diſciplinas aſtronomicas, ſuo genere abſtruſiſſimas, propter otiū & feriationem, quibus fruebantur, ab alijs in ciuitate muneribus ſoluti: quamobrem ex altitudine, ex difficultate, ex imperio, ſapientia æſtimanda diuiniſſima. *Quæ enim ſcientia diuiniſſima, eadem etiam honorabiliſſima.* Quod ſi vel ipſius iucunditatem cogitemus, ſanè abſtractum hoc genus ſciendi, teſte eodem *Ariſtotele*, voluptate pleniſſimum. *Philoſophia ergo mirabiles habere & puritate & nobilitate voluptates videtur.*

Ar. ſt. lib 1. Metap. cap. 2.

Ariſt. lib. 1. Metap. ca. 2

Ariſt. lib. 1. Metap. ca. 2

Ariſt. lib. 10 Metaph. cap. 1. 7.

5 Corrigēdus itaque vulgi error, qui eū quoſdam ſtudijs abſtractioribus addictos, viderint ad honores, ad quæſtus cōparandos ineptos, ad fraudes concinnādas indoctos, denique vt *Anaxagoras*, & *Thales* retulerunt, ſibi vtilia ignorantes, inutilia, admiranda, ac difficilia animis vnicè interim inquirentes, illico parū ſupra ſtultos collocare illis nos, ac fermè deridendos proponere. Verum tametſi actiuam & practicam cognitionem hi ſapientes plerumque minime calleant, illam tamen retinent, quæ præſtantior, quæ diuinior ac honorabilior. *Nā vt ſint illa vendibiliora, hæc vberiora ſunt,* vt ait *Cicero*. Enimuero maius ingenium requiritur ad contemplandū animis hanc ſapientiam, metaphyſicam hanc, quam ad prudentiam, quam artem, quam legis peritiā, quam experientiam, hiſtoriamue addiſcendam. non enim niſi a diuino quodam ingenio, ab acuto, a ſolerti, forti, ac igneo illæ attinguntur: cū mediocria, ſenſibuſque ſtrictius illigata, aliarum capacia exiſtūt. quale enim obiectum, tale illud requirit ingeniū ad ſui notitiā. ſi obiectum eleuatum a cōcretis, a ſenſibilibus, ſimiliter ingeniū, quod ad illud feliciter penetrat, eleuatum eſſe oportet, & a craſſioribus ſegregatū. Cuius conatu, vt ſuadet *Ariſtoteles*, homines mortales mortalia tranſcendunt, ſeque a conditione vindicant mortalitatis. licet quidē rerū naturaliū cognitio, quæ Phyſica appellatur, ſit quædā etiam ſapientia quatenus ſpeculatiua, non tamē prima, de qua inquirimus, cuius obiecta prorſus immaterialia. Quocirca ſicut oculus acutior, melius in ſolem intendit, quam lippiens, ita cui ingenium præſtantius, is perfectius prima hæc obiecta contemplabitur. *Cicero* de hac re diſſerens, ita ſcribit: *Ac veteres quidem philoſophi in beatorum inſulis fingunt, qualis natura ſit vita ſapientium; quos cura omni liberatos, nullum neceſſarium vitæ cultum, aut paratum requirentes, nihil aliud eſſe acturos putant, niſi vt omne tempus in quærendo ac diſcendo in naturæ cognitione conſumant. & alibi: Magni autem eſt ingenij, reuocare mentem a ſenſibus, & cogitationem a conſuetudine abducere.*

Ariſt lib 6. Nicom. cap. 7.

Cicer lib. 1 de Fin.

Ariſt. lib. 1. Eth. cap. 7.

Cic. lib 5. de Fin.

6 In hac re duplex videtur exceſſus vitandus. ſunt enim aliquorum ſtudia prorſus metaphyſica: vtpote in rerum principijs ſolum occupata. cuiuſmodi ferme eſt tota philoſophia tradita ab *Ariſtotele*: ac hodierna die nos in ſcholis pauca prçter metaphyſicam hāc audimus. cuius rei præcipuæ cauſæ, ſummus in nobis ardor in ſcholaſticam Theologiam, iuxta ac incitatio in acres in ſcholis diſputationes. pariter ātiquitus extitere alij, qui rerum particularium penitus notionibus addicti, metaphyſicam omnino omiſere. Enimuero *Platonici, Stoici, Academici, Epicurei*, nulla veſtigia ſuæ metaphyſicæ nobis reliquere. Imperatores Romani, literis a iuuen-

prudentiæ,&ad nobiliora naturæ myſteria deducitur. etenim dependet ab vniuerſa naturæ, tam cœleſtis, quam elementaris, accurata inſpectione. Cæterum iuris prudentiæ obiectũ, ferme experientia, prudentia, aſpectuque quandã morum humanorum ambitur: neque ita ſpeculatiuum, vt obiectũ medicinæ, vel tam prope accedẽs ad obiecta primæ philoſophiæ, ſeu metaphyſicæ, vt illud. De vtriuſq; verò fine extrinſeco hic nihil ſtatuimus. ſolũ enim ea cõſideramus, quæ vi obiecti vnicuiq; ſeorſim cõueniũt.

10 Quocirca, quod multiplex retinenda ſit in ciuitate vniuerſæ veritatis intelligentia, contemplatiua nempe, & actiua, phyſica & metaphyſica, ſcire debent ciues, ſedes conſtituendas ſtudioſis, qui in ſingulas ſcientiarum ſpecies ingenij ſui vires conferunt. qui autẽ illis altiſſimis ſeſe impendunt, illi aliorum beneficijs, ritu ſacerdotum Ægyptiorũ, a negocijs forenſibus ad quietem vocari, eiuſmodi inſtituto ſuo perficiendo idoneis ſolitudinis medijs inſtruendi. nunquam enim fiet, vt populariter viuentes, curiſue rei familiaris diſtricti, ad illum apicem metaphyſicæ, quem in ciuitate deſideramus, ac ſapientiæ, adſpirent. Quod ſi vel ad vnam ciuilem prudentiã cogitationes noſtras deſtinemus videbimus, eam quoque principia ſua retinere vniuerſalia, nempe in morali philoſophia tractata & a vera ſcientia aſſequenda, vt *Ariſtoteles* in ſuis politicis ſatis euidenter oſtendit. ex qua cauſa, eius perfecta ac docta cognitio, non tãtum a prudentia, experientiaue oritur, ſed ab vniuerſalibus etiam principijs tam actiuis quã contemplatiuis elicitur: ſua enim aſſerta probat ex proximis cauſis, quas ſubinde reſoluit vſque ad prima principia metaphyſicè moralia, etiam in practica, ſynderiſi animi percipienda.

11 Proinde quæſtio exoritur, quiſnam maximè idoneus in ciuitate qui de rebus politicis ſcribat; num in ea Princeps ipſe, vel Philoſophus, ſeu Theologus. *Ariſteteles* quæſtionẽ hanc
Ariſt li. 10. expendens, duplicem ſtatuit cognitionem ci-
Eth. ca. vlt. uilem: experimentalem ſcilicet, ac ſcientificã. illa quidem multiplici rerum obſeruatione colligitur, hæc ex ipſis principijs ciuilis vitæ demõſtratur. Priorem Principes & magiſtratum gerentes ſibi poſſunt aſſumere: hi enim rebus particularibus incumbentes, eam ſibi parant. otium autem non habent, in quo de altiſſimis cauſis ciuilis inſtituti doctius commentẽtur. ex altera idcirco parte *Homerus Vlyſſem* ſuum, vtpote ciuilem virum, plurimum celebrat: nouerat enim diuerſarum nationum vrbes, moreſque, vt etiã *Strabo* notauit. Speculatiuum autem munus in
Strab. lib. 1. hac re olim Sophiſtæ explicabant. Academico-
Pag. 11. rum certè proprium in eo tractando deſudare. Vtilis autem in eundem finem ciuilis peritiæ, cognitio: quando enim intelligentia, vnde ſcientia, ſenſuſque, ex quo experiẽtia, coniunctim in eandem veritatem illuſtrandũ neruos intendunt, tunc maior quædam perfectiorque notitia exprimitur, quam ſi ex eis facultatibus vna ſola in illum ſcopum collimaret. Rectè idcirco
Aue. in par. aduertit *Auerroes*, ſcientias practicas & experi-
Platon. de mentales, ſpeculatiuis in ciuitate ſubordinari, ac
Repub. illis conuenienter inhærere: vtraſque a principibus fouendas, vt bini iſti *Hercules*, quemlibet *Cerberum*, cuiuſcunque ſcilicet naturæ abſtruſæ myſteriũ, in apertam lucẽ ſuis laboribus educãt. non eſt ergo, quod ciuilis ſpeculatiuus, practici conciuis in vniuerſalioribus ignorantiã contemnat; vel iſte alterius in ſingularibus inſcitiam derideat: inſeruiunt enim vtrique vtilitari literariæ reipublicæ, ac mutuo cohærentes, admirabiles quoſdam mentium ſplendores proferre poterũt. qui idcirco maximè reipublicæ in hoc genere proſunt, ij quaſi ſenes medici inter ciues apparent; ſcilicet, qui contemplationi experiẽtiam adiunxerint. Attingit verò quam maxime
Principes, quod diuina ſapientia admonet: *Si* Sapien. 6.
ergo delectamini ſedibus ac ſceptris, o Reges populi, diligite ſapientiã, vt in perpetuum regnetis, diligite lumen ſapientiæ omnes, qui præeſtis populis. Accedamus modo ad certas ac definitas ſcientiarum ſpecies, quæ ciuilibus moribus adiumento, ſimul ac ornamento eſſe ſolent.

CAPVT. XVII.

Quantum momenti ad ciuilia inſtituta conferant ſpeculationes Phyſicæ.

CVm multa in hoc genere a ciue conſideranda; tum quiſque ſibi proximus; ac a ſeipſo maxima momenta tam ad felicitatẽ, quã ad miſeriam dependeant, initiũ phyſicæ contemplationis ſumere debet a ſui exactiori cognitione diſcuſſioneque: in qua re ignorare, ipſi turpe, errare verò periculoſum. Quatuor ſũt in hoc ſtudio officia ciuilia, ſeipſũ nempe penitus cognoſcere, ſcire, praua in ſe vincere, recta noſſe dirigere, capacia demum
perpolire. *Non eſt enim,* ait *Plutarchus*, *quod ſperes* Plut. cont.
aliarum rerum ſcientiam te adepturum, ſi te fugit e- Colot.
ius quod tuorum eſt potiſſimum, cognitio. quid iuuabit vel totius naturæ peretralia ciuẽ animo excuſſiſſe, elucubraſſe, ſeipſum verò, tanquã denſo ac nigro velo obductum, adeoque a ſe in profundũ ſpecum interim proiectum, non intueri, non intelligere? qualis etiã illa victoria in externum hoſtem, quando inteſtinæ affectiones ſua rabie & impotentia, quadã cæcitate ignorantiæ rationẽ debellarint, fœdiſſimeque tantam illius ſpeciem deformarint? quorſum pecuniæ, & eæ qui in præcipuos vſus deſtinãdi, ædes omni genere precioſæ ſupellectilis, exornandæ, interea loci nemine vi cogitationis ſedẽte ad clauũ ſuæ animæ, vnde opportune inſtituatur: nullo illi afferẽte precioſas merces ſapiẽtiæ, quibus excolatur? Veriſſime idcirco iudicauit *Ariſtoteles*, animæ cognitionem ad morũ ciuilitatẽ multũ condu-
cere. *Perſpicuum eſt, ciuilem, quæ ad animam ſpectãt* Ariſt lib. 1.
quodammodo cognoſcere oportere: quemadmodum o- Eth. cap. 13.
culum, & totum corpus, eum, qui curaturus eſt. Cum ergo pars ſit functionis ciuilis animam curare, eiuſdem fuerit, eo fine naturam condicionemq; illius explorare, vt ſciat ciuis, quid eius ſanitati conueniat, quidue ab ea diſcordet. Enimuero, vt alias adnotauimus, optimæ, ſimul ac peſſimæ ciuitatis notionem concipit vir ciuilis ex animi in vniuerſum actionibus. Si enim in ea ratio cupiditati, ac iræ imperet, tunc pulcherrima imago bene conſtitutæ

ciuitatis in eadem apparebit: ſin vero ira, ac cupiditas rationi dominentur, in earum perturbationibus, confuſionibuſque ſpectrum quoddā tyrannicæ ac deformatæ reipublicæ conſtabit. Vt ergo intelligat ciuis, quid ipſe reipublicæ debet, prius oportet eum perſentiſcere, quid animæ ſuæ debet, & quibus officijs ei ſuccurrendum. *Nam cæteris animantibus*, inquit *Boetius*, *ſeſe ignorare, natura eſt, hominibus vero vitio venit.*

Boet. lib. 2 Proſa, 5.

2 Multiplex eſt ſanè de anima cogitatio, quæ ad mores ciuiles egregiè conducit: In primis eius qualitate perſpecta, intelligūt ciues, omnes in ciuitate quoad naturam eſſe æquales; quod etiam *Ariſtoteles* affirmauit: quo etiam diſcant nullum dari in ciuitate locum ſuperbiæ, aliorumue contemptui. Eodem ſuam dignitatem ciues certa notitia adſequuntur: nempe Deo & Angelis ſe ſolum inferiores, inanimatis verò, ac rationis expertibus, multo magis voluptatibus, ſuperiores: vnde ad præclaras actiones, měti rationique conſentientes, extimulentur. Hinc quoque animi ſpiritualem qualitatem agnoſcentes, ſpiritus bona in ſocietate educenda, augenda, conſeruandaque percipiunt; ne dū corporum tantum decora vel iucunditates vita ciuili procuranda animadvertunt. Cum porro notione æternitatis æuum ſuæ immortalitatis dimenſi fuerint, illico definient, ita viuendum in ciuitate, ſic in foro verſandum, ut diuini iudicij hac vita exacta ſententiam quandoque ſalui & incolumes perferant, vt muniti ac locupletati virtutibus, hinc ad cœlum fœliciter emigrent. Hac intelligentia imbuti, alijs prodeſſe vehementer cupient, nocere verò quam maximè horrebunt. iuxta ac animis percipientes, ſe alio quandoque tranſituros, hic, veluti hoſpitij breui mora ab exitu itineris detentos, ſeu potius in carceres compactos, vel per deuia inambulantes, aliquantulum ſpatiari, ſtudijs terrenis tenacius haud inhærebunt, ac in eiſdem tractandis, ne ab eis violentur, cautiores inuenientur. Expendentes vlterius cum numerum facultatum, tum earum vim incredibilem, quibus natura ad operandum animam inſtruxit, ſtatuent nihil temporis inertiæ aut otio ab ipſis attribuendum, ſed potius vniuerſum vitæ ſpatium ſedulæ occupationi ac variæ contentioni omni nixu concedendum. Vituperabilius ſane, flagrante bello ociari armatum quam inermem militem, viribus valentem, quam morbo debilitatum. Pari modo, ſi hominis ad agendum poteſtas cum aliarum rerum virtutibus conferatur, tanto inde turpius liquebit, ipſum ſupinum eſſe ac dormitabundum, quanto luculentius conſtat, præ cæteris ad laborandum ipſum plenius quibuſdam inſtrumentis eſſe a natura comparatum. In hac tamen conſideratione ciuilis modus conſtituendus, vt nouerimus, quid poſſumus, & quid non poſſumus, aliorum ope indigentes, ne plus conantes, ad exemplum *Milonis*, vel *Herculis*, noſtris viribus pereamus. Aqua nimium ſtagnans concreſcit, viciſſim turbulentius illiſa, in ſpumam diſſipatur.

Ari. l. 2 pol. cap. 1.

Cic. l. 2. de nat. deor. l. 5. de Fin.

Boet. lib. 3. conſ. met. 1.

Tu quoque falſa tuens bona, prius
Incipe bella iugo retrahere:
Vera de hinc animum ſubibunt.

3 Et quemadmodum parentum vultus ac lineamenta corporum, filij repræſentant, ita anima, Dei flatu in corpus inſpirata, eius quandam effigiem exhibet. hoc autē in duobus maximè ſpectandum. Primo in ſtatu animæ, quē retinet in corpore, deinde ex natura ſuæ ſubſtantiæ ac facultatum. Priorē rationem ita expendit apud *Galatinum* quidam Rabinus. *Vt anima replet corpus, ſic Deus ſanctus & benedictus replet mundum ſuum. Vt anima regit corpus, ſic Deus ſanctus & benedictus regit mundum. Vt anima eſt vna in corpore, ſic Deus ſanctus & benedictus eſt vnus in mundo ſuo. Vt anima non manducat neque bibit, ſic Deus ſanctus & benedictus nec manducat nec bibit. Vt anima habitat in corpore, ſic Deus ſanctus & benedictus habitat in ſuperiori mundo. Vt anima videt, & non videtur, ſic Deus ſanctus & benedictus videt, & non videtur.* Deinde animæ ſubſtantia immortalis, delibatio quædam immortalitatis Dei. Sicut enim Deus ſpiritus a nullo contrario violabilis, ſic & anima: quæ, vt ait *Seneca, tenuior eſt igne, cui per omne corpus fuga eſt.* Vnde congruenter ad ſubſtantiam ſuam ſpiritualem & immortalem, facultatibus diuerſis ad agendum comparatur, adeoque ad Dei ſimilitudinem ſemper aliquid eiſdem agit & molitur. *Ex illo cœleſti ſpiritu* ait idem *Seneca deſcendit. cœleſtium autem natura ſemper in motu eſt.* Operationes autem intellectus, ac liberi arbitrij, maximè Dei perfectionem adumbrant. *Libertas*, inquit *Gregorius Nyſſenus*, *eſt aſſimulatio cum eo, quod Dominum non habet, & ſui iuris, & in ſua poteſtate eſt.* In eandem ſententiam *Æneas Gaza*: *Quod homines ſint ſui iuris ac vere liberi, id ipſum acceperunt a creatore, maximum immortalitatis ſignum.*

Gala. l. 2. de arc. c. 8.

Sen. Epi. 75.

Clem. Alex. 6. ſtrom.

Greg. Naz. orat. 1 de Theol.

Sen. Ep. 58.

Sen. conſo. ad Helu. c. 6

Greg. Nyſſ. l. de Reſur. & anim.

Æneas Gaza. Tom. 9 Bib. s. pat.

4 Sed neque corporis viro ciuili negligenda inſpectio, ne locum, in quo diuerſatur, ignorare videatur. Hoc idcirco contrarij cuiuſdam officij, animæ reſpectu, auctorem, ciuilis vir, ad id animaduertens, agnoſcit. etenim tenebras intelligentiæ offundit, animæ diuinam vim eneruat ac deijcit: nihilominus ſine ipſius adminiculo nihil prorſus intelligendo agendoue præſtare poterit. improba ſanè nutrix, quæ infantē ſimul paſcit, maceratque. Percipere itaque debet noſter ciuilis, quænam temperies corporis animæ ſapientiæ ac ſcientiæ vtilior, quænam ſanitati accommodatior: qui cibi eius optimo ſtatui noceant, non tantum in morbos, ſed etiā in animi inſcitiam affectuſque immoderantiam redundantes. Vnde ſalubritas, vnde color, vnde ſpiritus, vnde vires corporibus accedant, eſt quod penſiculatè nouerit & explorarit. plus quam puerile ac brutū, homines hæc neſcientes, ſuorum corporum libidinibus inſeruire, ac in ipſis rationis apicem, inſanis eorum appetitionibus dimittere. Tria præcipuè in corpore vir ciuilis animo ſuo complectitur: mortalitatem eius, vim inimicam, ac imbecillitatem. Nō errarem profectò, ſi corpus *Charontis* quandam cimbam affirmarem, quod vectorem animam perpetuo ad funus deportat, ne vel tantillum quidem temporis ab itinere, triſtique progreſſu, remittendo. vadit, natat, ruitque perpetuo ad interitum.

Conſt. 45.

Conſtat æterna poſitumque lege eſt,
Boet. l. 3. *Vt conſtet genitum nihil.*

conſ. met. 3. Cum itaque corpus ſemper oſtendat ciui feralem ac funeſtum ſuum cupreſſum, mortis offundat in ſomno vmbram, mortis citationem perpetuò clamet, reputabit ſecum iuane, diuitijs, honoribus aut voluptatibus vnicè hic loci incumbere, quorum naufragium continuò ante oculos verſatur, & aliquid ſingulis momentis præluditur, quod breui omnium cladem futuram ominatur. at ne corpus fatali hoc ſpiculo animam continuò territet, non me latet, apud quoſdam ſecuram eſſe quodammodo animam, nullo aſpectu interminatæ mortis vexatam: interiacent enim ſæpius inter ſpiculum & mortem viuidus color corporis, eiuſdem ætas florens, rerum læta abundantia, medicorum præparata pharmaca, fortunæ felicitas, quibus illius triſtis fati viſus animæ intercipitur. Cæterum mors maceriam hanc deridet, metam vitæ, in quam ipſa tendit, ſemper oculis luſtrat paulatim eius præludijs vel diſſipatis vel ſuperatis, iugulum acerbo ictu tandem petitura. Deinde, quod ſecundo loco recenſui, minimè erit accurati ciuis, haud reputare ſecum corporis ſui nociuum ingenium, quo in animæ labem peſtemque exitialiter cum mundi fulgoribus, dæmonumq; fraudibus conſpirauit. nihil ferme eſt ſeu monaſticæ ſeu ciuili vitæ infeſtum, quod ex ipſo corpore in mores ciuium non irrumpit. flammas idcirco eius cito opere vir ciuilis extinguet, luxuriamque eius acri diſciplina tempeſtiuè coercebit. Denique quod in eodem corpore fragile ac languidum, id pariter prudenti animi conſilio idem ſuſtentabit ac fouebit. Proinde non compellet mortale illud cum immortali anima pari paſſu actionis incedere, ſed eius ratione habita, ſic ab eo penſum ſerui exiget, vt illud commode, & non cadaueris inſtar, præſtare poterit. Innoteſcet ei, in corpore humidum, poſtquam ætas ad ſtatum perfectum aduenerit, in momenta abſumi, & a calore paulatim elambi, facultatem nutritiuam quotidie diminui, cerebri medullam exſiccari, ac deperdi: ac propterea cibi potuſque ingeſtiones, labores, commentationes huic naturæ deuergentiæ ac defectui, idonee accommodandas, omninò iudicabit: ſic enim ſibi melius, alijſque in ciuitate vtilius, conſulere poterit.

5. Poſtea verò, cum ciuis ſui cognitione ſatis informatus fuerit, tunc naturæ in vniuerſũ contemplatio, in eundem ciuilitatis finem ipſi aderit opportuna: quod dictum ſit contra *Cyrenaicos* & *Ariſtocbium*, qui vt ſcribit *Seneca*, Lo-
Sen. ep. 9. gicam ac Phyſicam ciuili Philoſophiæ adimendas cenſuerunt, affirmantes, earum ſcientijs homines, non bonos, ſed doctos duntaxat euadere. Cuius generis æſtimata *Pythagora* vniuerſa Philoſophia, quam *Numa* literis exprimẽdam Romæ curauit: perinde ac ſi hæc arida robuſtaque eſſet ſtirps, quæ ad mores nullo modo inflecti poſſet. Multoties ſum demiratus cauſam, ob quam tam in Græcia, quam Romæ, populus Philoſophos, naturæ contemplationi intentos, contemptibiles, adeoque ſuperabiles duxerint. Quid in hac re ibi euenit, iſtis narrat *Plutarchus*. *Neque enim facile de* Plut. in Nic.
rerum naturæ ſermones populus admittebat, ſed eiuſmodi ſtudiis deditos homines inani labore tempus conterere arbitrabantur, cum in his rebus perquirendis laborarent, quas nihil in ſe rationis habere, ac nullatenus ab hominibus præuideri poſſe putabant: tum vero talia quærentes impietatis crimine ſuſpectos habebant, quaſi diuinum Numen quibuſdam neceſſitatibus ac terminis circumſcribere volentes. Itaque & Protagoram Athenis pulſum fuiſſe conſtat: & Anaxagoras in carcerem ductus, vix a Pericle quamuis maxima contentione laboraſſet, ſeruari potuit. Socrates licet harũ rerum ſcientiã non propterea, tamen propter Philoſophiam damnatus interiit.

6. Veteres, quod Numinum ſuorum naturas certis terminis definiri arbitrati, inde eis notas appoſuere ſimiliter certas ac definitas, quæ ea mortalibus præſentarent. Inde *Ioui* a theologis attributa aquila, quæ ipſius in omnia dominatum ſignificaret. *Apollini* cygnus datus, quod animal muſica delectatum, quodque ad muſica ſtudia cantuum, poëſeos, ac Rhetoricæ, multum conferat radius ſolis, borealibus incognitus. *Marti* pica conſecrata, cuius roſtri ferunt tantum eſſe robur, vt eo vel quercum findat: *Iunoni* pauo addictus, propter lumina quæ dat poteſtatis ac diuitiarum. *Veneri* columba aſſignata, propter fæcunditatem. *Palladi* adiecta noctua, animal peruigil, quod illa ſolers. *Dianæ* luna adpoſita, quod hæc ſuis borealibus familiarior. *Mercurio* ſerpens adſcriptus ob prudentem aſtutiam in ſermone. Auguſtius vero ſentientes de *Dea Natura*, eius emblema eſſe voluere mulierem a pube ſuperius conſertis vberibus cinctam, quod nempe natura omnia proferat, eaque nutriat ac ſuſtentet. Verum Athenienſes adhuc dignius de Deo ſentientes, ei vniuerſaliorem characterem conceſſere, nempe hominem (quod ſcilicet homo mundi compendium, Dominus ac finis eiuſdem, vt ſcribit *Tyrius Maximus*. noſtri autem Theologi adhuc de perfectione Dei vberius definientes Tyr. Max.
ei emblema generalius, nempe mundum vni- Serm. de
uerſum cum omnibus in eodem ſubſtantijs cor- Sign.
poralibus atque ſpiritualibus detulere; idque vltra Deum *Naturã*, non enim Deus ſolum vt illa omnia profert & ſuſtentat, ſed & ipſam naturam condidit, eique vocem indidit, qua proclamat, *Ipſe fecit me, non ipſa me*. Etiam vltra hominem, extenſum: extra quem multa exiſtunt, quæ formaliter in eo non reperiuntur. Cuius rei diuinum plane conſilium ſic explicat card. *Bellarminus*. *Et quia non poterat Deus vna creatura infinitam creatoris perfectionem apte re-* Bell. in Scal.
præſentare, creaturas multiplicauit, & ſingulis bo- Aſcen. Grad.
nitatem & perfectionem aliquam tribuit, vt inde 2.
iudicium fieret de bonitate & perfectione Creatoris: qui infinitas perfectiones ſub vnius ſimplicisſima eſſentiæ perfectione complectitur, ad eum fere modum, quo nummus aureus continet valorem multorum nummorum æreorum. Noſtra itaque Philoſophia Phyſica, dum exactius omnia in hoc mundo expendit, eo Deum, eiſdem copioſius deſcriptum, perſpicit, & diſtinctius explicatum intuetur. Cæterum iſtius mundi fabrica, poſtea-

quam inſpecta fuerit, non ſolum ad ſapientiam, Dei ſcilicet cognitionem, multum confert; verum etiam quam proximè ad morum ciuilium compoſitionem plurimum conducit. etenim omnes ſui partes tam animo quam oculis noſtris ſpectabiles, eo ſitu ac ordine decenter inter ſe diſpoſitas atque collocatas nobis refert, vt in illis harmonicā quandam reipublicæ formam imaginemque affabrè inſculptam poterimus ſatis perſpicuè contemplari. imo cœlum, ſubſtantia illa nobiliſſima, egreſſum quodammodo omni ambitu propriæ vtilitatis, vt inferiora ipſius opera conſeruentur ac propagentur, perpetuo motu in gyrum voluitur. quo ſpectaculo informamur, numero quidem multorū hominum ciuitatem cōſtare, ea tamē membrorum digeſtione diſponi, quæ ordinata pulcherrimeque ſuis membris concinnata. pariter intelligimus, amore quodam ciues inter ſe deuinctos, non tam ſibi peculiaria ſectari debere commoda, quam quæ totius communitatis perfectionem complectantur. abſonum ſanè, homines, naturæ luce præditos, amorem hunc ciuilem expugnate, ac mutuò iniurias inferre, cum eo naturali, a rationis expertibus retento, cuncta amica ac beneuola inter ſe reperiuntur.

Ariſt. l. 1. de cæl. & met. 12.

Claud. in 4. conſ. Hon. Panegyr.
Boet. l. 3. conſ. met. 6 de muſica. l

Nonne vides operum qui ſe pulcherrimus ipſe
Mundus amore ligat, nec vi conuexa per anum
Conſpirant elementa ſibi? qui limite Phoebus
Contentus medio. contentus littore pontus,!
Et qui perpetuo terras ambitque, vehitque,
Nec premat incumbens oneri, nec ceſſerit aër.

Imo *Boetius* fælices reputauit homines, ſi ad idæam amoris, ſuos mores amanter compoſuerint.

Boet. l. 2. conſ. met. 8.

O fælix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo cælum regitur, regat!

Vniuerſum hoc naturæ opus ciues animis metientes, ſua, adeo parua eſſe cernunt, vt ea vix vlla contentione digna meritò arbitrentur. Erigimur *Hinc*, inquit *Cicero*, *latiores fieri videmur, humana deſpicimus, cogitanteſque ſupera atque cæleſtia, hæc noſtra vt exigua, & minima contemnimus*, & alibi: *Quid enim ei videatur magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiuſque mundi nota ſit magnitudo?* quod *Boetius* quoq; admonuit. exiſtimandum omnino, vel illam *Pythagoræ* ſapientiam, ſtellis ſolummodo ac cœlo impenſam, puri aliquid ac cœleſtis in ſui cultorum mores refudiſſe. quis enim inter flores in horto ſe immanem oſtendit, vel ſi muſica oblectatus fuerit? ita certe cœleſtibus ſtudijs addictus, parum vel nihil, niſi a ſeipſo deſciuerit, a cœli ſymbolo in ſuis actionibus diſcrepabit. *Credo Deos immortales* inquit *Cicero*, *ſparſiſſe animos in corpora humana, vt eſſent qui terras tuerētur, quique cæleſtium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo atque conſtantia.* Etenim cœli obiectu non ſolum inſigniores notas ſui Deus ante oculos noſtros deſcripſit, quinimo eodem quid a nobis peragendum cum lumine intelligentiæ, tum actionis conſonante charitate, demonſtrauit.

Cic. in Luc. l. de Legib. pag. 337.
Cic. Tuſ. 4.
Boet. l. 2 proſ. 7.
Cic. de ſen.

Ouid. l. l.

Fælices animi, quibus hæc cognoſcere primum,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt, illos pariter vitiiſque, iociſque
Altius humanis exeruiſſe caput.
Non Venus, & vinum, ſublimia pectora fregit,
Officiumque fori, militiæque labor.
Nec leuis ambitio, perfuſaque gloria fuco,
Magnarumue fames ſollicitauit opum.
Admouere oculis diſtantia ſydera noſtris,
Ætheraque ingenio ſuppoſuere ſuo.

8. *Seneca*, poſteaquam propoſuiſſet quæſtiones quaſdam contemplationis Phyſicæ diſcutiendas, amicum, cui proponebantur, inquirentem inducit, *Hæc quid ad mores?* Reſpondet verò ex *Poſſidonio* & *Archidemo*: *Non quicquid morale eſt bonos facit. aliud ad hominem alendum pertinet, aliud ad veſtiendum, aliud ad docendum, aliud ad delectandum: omnia tamen ad hominem pertinent, etiamſi non omnia meliorem faciunt. Mores alia aliter attingunt. quædam illos corrigunt, & ordinant, quædam naturam eorum & originem ſcrutantur. cum quæritur quare hominem natura produxerit, quare prætulerit animalibus cæteris, longè me iudicas mores reliquiſſe? falſum eſt. quando enim ſcies, qui habendi ſunt, niſi quod homini ſit optimum, inueneris? tunc demum intelliges, quid faciendum tibi, quid natura tua debeas.* Sen. ep. 111.

Dubio procul, nullum eſt vniuerſæ naturæ momentum, quod a nobis cogitatum, ad Dei amorē, ad pietatē nos non prouocat. adeoque ipſe in nobis inſpectus intelligentiæ defectus, ob quem vel ad minimarum rerum notitiam peruenire haud valemus, ad animi dimiſſionem, diuinorumque magnitudinem agnoſcendum egregiè inſtruit, vt *S. Baſilius* ſcribens contra *Eunomium* nos informat. *Quis dubitare, mi Lucili poterit*, inquit *Seneca*, *quin deorum immortalium munus ſit, quod viuimus: Philoſophia, quod bene viuimus?* Videor mihi in *Iulio Cæſare* intueri humanum ingenium immenſa cupiditate ſciendi incenſum, eiuſque dulcedine mirificè ineſcatum. ille, deuicto *Pompeio*, orbisque imperio quodammodo potitus, ſimulque *Cleopatræ* delicijs ac totius Ægypti diuitijs affluens, omnibus prætulit ſenis cuiuſdam de fontibus *Nili* diſſerentis Philoſophiam.

Baſi. cont. Eun. ta
Sen. ep. 90.

Luc. lib. 10.

Tantus amor veri, nihil eſt quod noſcere malim,
Quam fluuij cauſas per ſæcula tanta latentes,
Ignotumque caput. *Archimedes* haud aliter quam muſca mellis liquori ſponte immoriens, mathematicarum ſuarum diſciplinarum ſtudijs tenebatur: qui vt ſcribunt *Cicero* & *Florus*, in eo tumultu, in quo vrbs capta, intentus formis, quas in puluere deſcripſerat, interfectus eſt. Cic. l. 5 de fin. Flor. l. 35. epitom.

9. Enimuero vel vnius cœli contemplatio, morum ciuilitati conuenientiſſima. redarguit hæc inprimis hominis ex quouis imperio faſtum, oſtenditque reges terræ vix formicarum moles obtinere. *Ariſtoteles* hoc ſæpius variis argumentis probauit. noſter *Ioannes* de *Sacro boſco* idipſum demonſtrauit ex eo, quod ſtellæ nobis in quocumque terræ ſitu poſitis inſpectæ, ob ſui miram quantitatem, ſemper eiuſdem apparent eſſe magnitudinis.

Ariſt. l. de mundo. l. 1. de cæl. Sac. Boſc. in tract. 1. cap. 1.

Petrarch in Dei Aphr.

Anguſtis arctatus finibus orbis
Inſula parua ſita eſt, curuis quam flexibus ambit
Oceanus. vide en vt paruus cognomine magno!

Iam-

Cic. l.6. de Rep. l.1. Tuſ. Boet. l.2. conſ. proſ.7.

Iam verò inquit *Cicero*, *ipſa terra, ita parua mihi viſa eſt, vt nomen imperii noſtri, quo partem eius attigimus, vix punctum æſtimetur. At quid amplum,* inquit *Boetius, magnificumque, gloria, tam anguſtis finibus, exiguiſque limitibus arctata?* Siderum pariter aſpectu notio capienda ſerendi, plantandi; medicamenta adhibendi, nauigandi ac ſimilium: adeo hæc inferiora ſumma quadam neceſſitudine connecti voluit Deus cum ſupernis, ac vtraque in noſtros vſus ciuiliter conſpirare.

Luc. lib. 8.

Rectoremque ratis de cunctis conſulit aſtris,
Vnde notet terras, quæ ſit menſura ſecundi
Æquoris, in cælo, Syriam quo ſidere ſeruet,
Aut quotus in Plauſtro Lybiam benè dirigat ignis.

An verò Ægyptii, qui hac in arte excelluere, eam ab Hebræis didicerint, vel potius natiuam apud ſe ab initio habuerint, docti viri inter ſe altercantur. ex ſacris literis conſtat, *Moyſen* eruditum fuiſſe in diſciplinis Ægyptiorum ac Chaldæorum. *Numa* propter harum rerum excellentem ſcientiam, vt ſcribit *Cicero*, habitus *Pythagoreus*.

Cic. Tuſ. 4.

10. Geographicas conſiderationes, naturæ etiam eſſe contemplatrices, omnino patet. quãta autem ex eis commoditas ciuilis ad extruendos aggeres, aliaque belli propugnacula perficienda, opus non eſt vt explicetur. ac inter reliqua, ex ea conſtat, qui prouentus ex hac aliaue prouincia expectandi, quenam pacto, vt recenſet *Cicero*, *Nilus* Ægyptum limando fæcundet, Meſopotamiam *Euphrates*, *Indus* Indiam vbertate nobilitet. quinimo ex ipſo terræ ſitu humanæ indolis ratio quoque exquirenda, quã ciuilem virũ exploratã habere prorſus idoneũ.

Cic. l.2. de Nat. Deor.

Hier. præf. in 1. Paralip.

Quo modo inquit *S. Hieronymus, Græcorum hiſtorias magis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucatem & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad oſtia Tiberis nauigarunt.*

Claud. in 4. conſ. Hon.

Quæ nota nimborum, quæ fraus infida sereni.
Quid ſol occiduus prodat, quæ ſaucia venti
Decolor iratos attollat Cynthia vultus.

Hæc quidem tametſi a cœlo denuncientur, eorum tamen impreſſiones & effectus dependent a ſubiectæ terræ qualitate, & ex vtriſque hominum inclinationes variò proueniunt.

11. Neque Philoſophiæ naturalis ſimulque ciuilis ambitu excludenda eſculentorum ac poculentorum exacta diſquiſitio. Si enim illum penitus noſſe volumus, quem in contubernium inducimus, ac vitæ ſocium delegimus, multo ſanè æquius, nos cibum ac potum in vitæ arcem admittendos, ac in noſtræ vitæ ſubſtantiam conuertendos, omnino explorare vires eorum & naturas diſtinctè perſentiſcere. in qua re expendendum, quæ eorum qualitas ad reſiſtendum natiuo ſtomachi calori, quæ facilitas ad tranſeundum in coloniam noſtræ carnis: quis illorum ſuccus, ac qualis, terreſtris ne an aquaticus, concretus vel aëreus: vtrum naturalis, vel artificialis, an hac, vel illa conſtent quantitate. hac quippe notitia, vita, ingenium, memoria, ſpiritus in nobis decernuntur. Enimuero exiſtimarem, inter eos, qui hæc certa ſcientia tenuerint, perpaucos reperiandos, niſi voluptate imutanes fuerint, qui helluãdo ſe vino & eſculentis nimiũ ingurgitarent, vel crapula naturæ vim in ſeipſis vltro peſſundarent. Si rectè hæc perciperent ciues, perquam cauti potius euaderent, ac parci dum alimenta ac potum capiunt, dum aliena hæc ſubſidia in ſui penetrale ſuſcipiunt. Quantum autem moralia præcepta in hunc ipſum finem ciuilitatis faciant, elucidandum modò ſupereſſe videatur.

CAPVT XVIII.

Quale ad ciuiles mores adiumentum adſerat moralis Philoſophiæ intelligentia.

QVam proximè ad officium ciuile inſtituendum morales diſciplinas accedere ſatis manifeſtum: quas, vt ſcribit *Cicero*, *Socrates* primus docuiſſe inter Græcos viſus, indeque de cœlo ad terras philoſophiam deuocaſſe exiſtimabatur. obquam cauſam rerum ciuilium inſtructores, *Ariſtoteles* comparat medicis, in corporum ſanitates intentis. *Si medici, qui ſunt potiores, multum ſtudii atque operæ in cognitione corporis ponere conſueuerunt, ergo ſi quoque, qui ciuitatis regendæ peritus futurus eſt, in animi cognitionem cura, atque opera multa conferenda eſt. Conferenda inquam harum rerum gratia, & quantum ſatis ſit ad ea, quæ quærimus.* Et quidem ipſæ leges, quæ magnam partem ciuilitatis abſoluunt, a moralis Philoſophiæ ſcientia dimanãt: ac proinde appoſitè eam legum nutricem appellat *Cicero*. Hæc ipſa eſt in ciuitate nobilis quæ togam adminiſtram habet, eamque potentiſſimam exhibet ad imperandum. *Etenim tua toga* inquit *Brutus*, *Ciceronem* compellans, *omnium armis felicior, quæ nunc quoque nobis pene vitam reipublicæ ex manibus hoſtium eripuit, ac reddidit.* Ac *Cicero* de ſeipſo: *Nos ipſi quodcumque ad rempublicam attulimus; ſi modo aliquid attulimus a doctoribus atque doctrina inſtructi, ad eam ornati acceſſimus.* Quid enim aliud in ciuitate ſpectandum, prætérquam mores? de moribus autem inquirit & definit moralis diſciplina: eorum quippe principia recolit, proprietates recenſet, differentias enumerat, decora probat, dedecora vitupérat. Vt autem recti mores ad ciuiles cætus idoneè transferantur, ac eis a regina ſcientiarum, Politica ſapientia, multorum vtilitas procuretur, prius opus in vniuerſum de moribus, ſaltem quod ad eorum generales cauſas, quædam intelligere, animiſque delibare. Lectus aliquando a *S. Auguſtino Hortenſius Ciceronianus* eius animum, vt ipſe teſtatur, admirabili ſapientiæ cupiditate accendit.

Cic. l.1. queſt. Aca. Tuſcul. 5. Ariſt. l.1. Eth cap. 13. lib. 5. Pol. cap. 11.

Cic. l.1. de legis. Caſt. l.1. cap. 14. Cic. l.1 fam epiſt. ep 18.

Cic. l.2. de Leg.

Finib. Ariſt. l.3 ſol cap. 6. Plat. Dial. 7 de legibus. Auguſt. l. 3. conf. cap. 4.

2. Binas autem methodos de rebus moralibus diſſerendi, in vſu poni animaduerti. prima Diuina, altera Philoſophica. Diuina, dicta quædam generalia, magno ſenſu grauida, proponere ſolet, quæ filo diſcurſus haud inter ſe perpetuo connectuntur: qualia nobis paſſim occurrunt in moralibus ſacræ ſcripturæ partibus. quo in genere exiſtimarem excelluiſſe *Thomam Kempenſem*, qui modò in æſtimationa ſpiri-

cando ab opere, illud intrinſecum principium, quoad promptitudinem, eleuet. quantum autem ad libertatem, eadem vtriuſque ratio. Ex iſtis exploratis, ſcire poterit magiſtratus ciuilis, quibus reis, & quas ob cauſas, ignoſcendum, quibuſque vehementius ſuccenſendum.

6 Actiones porro morales, ſua obiecta ſeu fines habent, in quos deferuntur: quorum ſpecies ac particulares formæ a ciuili viro diligentiſſime expendendæ. Finis etenim ſtudijs hominũ imperat, ac tanquam in cælo Cynoſura, omnẽ eorum motum dirigit, nunc excitando, nunc ſiſtendo, nuc ad contraria tranſeundo, nunc aperte agendo, nunc vafertime diſſimulando. adeo vt talis quiſque ſit, qualem finem ſibi præſtituerit. Finium vero duo membra, iucunditas ſcilicet, & honeſtas. iucunditas quidem per omnium facultatum animi, ſimul ac corporis motus, vagatur, ac eis ineſt: quocirca aliqua craſſior, vtpote quæ ab externis quinque ſenſibus percipitur, alia eleuatior ac purior, veluti illa, quam intellectus, memoria, voluntas, & imaginatio parturiunt. Honeſtatem continent virtutes intellectuales, morales, atque Theologicæ: eaque omnia actionum decora virtutes iſtæ reſpiciunt, quæ rectæ rationi, ac Deo iubẽtibus, apte reſpondent. Solus homo eſt inter animantia, qui finem ſub ratione finis percipit: hoc eſt, ſub eo reſpectu, quo per certa media comparabilis: mutuã enim dependentiam & proportionẽ inter finem ac media perſentiſcere, librare, rationis duntaxat opus: licet animantia rationis expertia in id, quod reipſa ipſis finis moueantur, vt docte tradit *S. Thomas*. Cumque quoad vitam humanam plures ſint fines, tam honeſti, quam iucundi, diligenti indagine peruestigãdũ, quis ſit ordo inter hos fines, qui primi, qui medij, qui vltimi vel an omnino diſtracte ſeſe habeant, ac ſeorſim experibiles proponantur: quis autem finis ſit apud alterum ſecreto conſtitutus, ex ipſa qualitate operis externi, ſermonis, aut alterius ſigni colligere ſolemus. quẽ ipſius finem poſteaquã explorate nouerimus, facilius ſubinde quid de toto negocio a nobis definiendum, aſſequi poterimus.

Boet. lib. 3. Conſol. cap. 1. Cicer. Tuſcul. 5.

S. Thom. 1. 2. q. 13. art. 4. q. art. 2.

7 Intentionem finis ſequitur electio mediorũ, quæ, ab intellectus opere, iuxta ac voluntatis motu, deducitur. Principio enim, poſtquã fines ſibi ſtatuerint, conſultationem ineunt homines de medijs, inueſtigando nempe quidnã aptius ad finem educendum, ſiue phyſice, ſiue moraliter conducat. mox, poſteaquam iudicauerint, illud eligũt præ alio, quod fini acquirendo magis opportunũ: atque in hoc poſteriori cõſiſtit ſubſtantia electionis, quæ etiã actus voluntatis, vt affirmat *S. Thomas* Vt vero hæc medij maior conducibilitas ad finẽ cognoſcatur, id a diuerſis notionibus prouenit. aliquando enim hoc conſtat experientia, aliquando prudentia, aliquando ſpeculatione, aliquando hiſtoriarũ, vel aliorum relatu; in quibus perſcrutandis diligẽtem & accuratum ſe præbere debet ciuilis animus. Animaduertit egregiè *S. Thomas*, opus cõſilij, quod electionẽ antecedit, aliquando difficilius eſſe, aliquando facilius: aliquando vnius ſtudio perfici, aliquando non niſi multorum collatis iudicijs comparari, quando inquit id, de quo conſilium capitur, dependet a pluribus particularibus, ac varijs circumſtantijs, tunc conſilium eſt implicatius, & plurimorum iudicia poſtulat: *Dum quod vnus conſiderat, alii non occurrit*. quando vero id, de quo conſultatur, eſt vniuerſalius, ſimplicius, & ad pauciora redactum, tunc conſultatio expeditior euadit, & ab vno ſatis commode abſolui poterit. actio autem moralis, de qua loquimur, plerumque illo priori genere conſultationis continetur. ad hanc autem ſolertiſſimi & ſagaciſſimi, qui ab ingenio circa particularia fælicius circumſpectiuſque deſtinentur: quorum imaginatio, ac vis ſenſitiua, vehemens, acuta, & defixa, neque metaphyſica ſpeculatione, vel volatili apprehenſione, ab aſpectu particularium multum, aut frequentius, auocata.

S. Thom. 1. 2. q. 13. art. 1.

S. Thom. 1. 2. q. 14. art. 3.

8 Iam vero vt de bonitate ac malitia humanorum actuum recte vir ciuilis philoſophetur, intendere debet in eorum fines ac circumſtantias. ſi enim finis, ſeu obiectum ſit rectæ rationi conforme, tunc actio illi commenſurata, honeſta pariter fuerit. ſin a ratione diſſentiat, actionem conſtituet vituperabilem. huiuſmodi autem obiecta aut fines aliquando tales ſunt iure naturæ & intrinſece, aliquando duntaxat vi legis poſitiuæ, ſiue diuinæ, ſiue humanæ, ſiue mixtæ. nam cum actiones humanæ non ſint ſimpliciter formæ abſolutæ ac independentes, ſed ad alia, nempe ad obiecta & fines referãtur, ab eiſdem ſpeciem boni maliuè mutuantur, vt optime obſeruauit *S. Thomas*.

9 Succedit iſtis, circumſtantiarum perſpicua lata diſquiſitio. iſtæ in ipſo obiecto actus, in perſona agentis, in tempore ac loco operandi plerumque ſpectandæ. quarum ſi aliqua defuerit, quæ ſecundum prudentiã adeſſe debuit, non reſtabit vlla ex reliquis honeſtas, quæ ex fine, ſeu obiecto deriuetur, cum bonum ex integra cauſa oriatur, ſicut contra malum a quouis defectu propagatur. In moralibus enim non ſolum id ſpectandum, quod ſubſtantiam actioni impertitur, ſed etiam quæ hanc ſubſtantiã veluti accidentia diuerſimode afficiunt. circũſtantiæ autem relatæ ad rationem rectam, nunc vim augendi turpitudinem alicuius actus habent intra ſpeciem ſubſtantialem, nunc dando illi peculiarem ſpeciem malitiæ; quo pacto vltra furtum, conſtituit ſacrilegij crimen circumſtantia rei ſacræ, ac loci ſacri: & nonnunquam circumſtãtia mala non remanet amplius quaſi accidens ipſius actus mali, ſed illi ſpeciem abſolute tribuendo, tranſit in peculiarem rationem, obiecti, vt docet *S. Thomas*.

S. Thom. 1. 2. q. 18. art. 4. q. 13. art. 1.

S. Thom. 1. 2. q. 18, art. 3, art. 10, 11, ad 2.

10 Cæterum in hoc inſtituto ea quoque animo ſpectanda, quæ virium aliquid habent ad commouendam voluntatem: vtpote Deus, ratio, appetitus ſenſitiuus, ac ipſum cœlũ. inter hæc enim collocatur hominis voluntas multifariam impellenda. Deus quidem, vt iam dictũ colluſtrationibus ac impulſibus quibuſdam diuinis voluntatem gratuito præuenit, excitat, adiuuat, ac cum illa cooperatur, vt noſtri Theologi fuſe declarant. nec mirum ſi Deo ſummæ curæ ipſius imago, nẽpe ratio in nobis,

fuerit, quæ proinde lumine irradiet, puramque ſeruet a fuligine erroris: & hoc faciendo, voluntatem quoque incitet ad virtutem, auocetque a vitiorum turpitudine. Ratio quidem, cũ ſit quædam lucis diuinæ in nobis participatio, non ſolũ ei ſubiectam voluntatem illuſtrat veri notionibus, ſed etiam eandẽ impellit in probitatem, ac pulchritudinem actionis. Appetitus quoque ſenſitiuus, tam concupiſcibilis, quam iraſcibilis, multipliciter voluntatem inflectit.

S. Thom. 1. 2. q. 19 art. 2

Cuius incitatores affectus, ut docet S. *Thomas*, impreſſionem faciunt in intellectu, apprehenſionem vel iudicium aliquod ei inferendo, ex quibus voluntas ad agendum quoque prouocatur. Duo autem ſunt in appetitu, quæ moribus legibuſque moderanda: amor, & dolor. amor, ne voluptate deliniti, turpia conſectemur, dolor, ne eo afflicti, honeſti conſtantiam deſeramus. horum inſtitutio tam priuatis ſtudijs, quam ciuilibus præponenda. Eſt quidem homo ratione iſtorum partim mollis ac placidus, partim durus & acerbus. dum appetit, totus ſuauis videtur, dum vero iraſcitur, & concupiſcentiæ ſuis armis adſtipulatur, ferreus ac durus apparet. quo ad illud, in medioeritatem virtutis dirigendus, quoad hoc, vel mitigandus plerumque, vel coercendus. Hoc ritu, non ſolum quo ad phyſica ſui principia homo minor mundus, in ſe vniuſcuiuſque generis aliquid complectens: verum etiam quo ad morales ipſius motus, eiuſdem quandam ſpeciem referre videtur. Cœlum, elementa ſuas habent dulcedines ſimul ac aſperitates. apertas facies oſtendunt, ſimulque inuiſa viſcera in ſe complectũtur. Bruta animantia nunc placide ſubacta, homini inſeruiunt, nunc feritate exaſperata, eidem malum incutiunt. habet terra ſua virentia prata & hortos: itidem retinet aſperrimos montes. ſimili forma horum omnium imagines in ſe diuerſimode exprimit homo ratione colluſtratus, & paſſione commotus. ſerenatur iam, & mira quadam tam corporis quã animi malacia tranquillatur, poſtea totus horridus, in tenebris quaſi furere videntur penes illum vtriuſque appetitus deformitates. motuum iam formas vultu, ore, manu, totius corporis geſtu loquitur. Deinde totus abſtruſus, ac in ſe reuolutus, quodammodo in penetrali ſui deliteſcit. modo rationi accurrunt in eodem affectus, ei omnem ſuam operam pollicentur. mox acti in rabiem, in eam plane impetum funeſtum exercent. Quo autem modo cœlum moueat hominis voluntatem ad agendum, vel actioni ſuperſedendum, ſupra explicatum.

Ariſt. lib. 2. Moral. ad Eudem. cap. 3.

11 Porro cum magnum adferat momentum ad regendum alios, ac ad feliciter viuendum, ſi nosipſi ſubacti, quieti ac iucundi fuerimus, ea de cauſa ſubſidio venit Philoſophia moralis, certam opinionem nobis inijciendo, quod vna virtute ſatis ſimus ad optimum ſtatum comparati, quæ ſe ſola ſufficiat ad omnem miſeriam depellendum: quod ſane pulcherrime oſtendit *Cicero*. Cum enim hoc ſemel ciuibus conſtiterit, tunc non ſolum boni & optimi ſunt futuri, ſed quaſi in lautiſſimo conuiuio excepti, vniuerſo deſiderandæ voluptatis genere affluentiſſimi. neque hoc continget ipſo acceſſu virtutis, & incipatæ conſcientiæ ſenſu, verum eorum firma ac ſecura poſſeſſione abſoluetur: nullus enim hoſtium eſt, quantumuis potens at immanis, nullus fortunæ caſus, licet atrociſſimus, qui nobis poterunt hanc felicitatem ex virtute eripere: imo eam expugnantes, eius magnitudinem augebunt potius, eiuſque delicias amplificabunt. *O vitæ Philoſophia dux*, inquit *Cicero*, *o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti, tu eos inter ſe primo domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum ac vocum communione iunxiſti: tu inuentrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti. ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos, vt antea magna ex parte, ſic nunc penitus totoſque tradimus.*

Cicer. Tuſcul. 5.

12 Quinimo ipſa ciuilis prudentia ad cognoſcendas, virtutes atque vitia, ad recta iudicia ferenda, ad omnem iuſtitiæ & iniuſtitiæ modum exactius intelligendum ordinata, indiget omnino ſcientiæ moralis principijs, enimuero methodo reſolutorio ſcire aliquid in ſua arte non poteſt iuriſperitus, niſi id reſoluerit in concluſiones ac principia moralis ſcientiæ. Multa etiam, quantum ad veritatem agnoſcendam a conſcientia, in morali Philoſophia vel Theologia diſputantur, quæ in legum ſchola haud attinguntur: quandoquidem in ea præcipue tractantur, quæ ad externum forum ſpectant cognoſcenda, ac illi accommodantur. Vt ergo tribunal aliquod in ciuitate conſtituatur; quale apud nos *Cancellariatus*, ex æquo ac bono definiens, neceſſe eſt morales diſciplinas exacte ibi intelligi. Propter quam cauſam, laudabili conſuetudine olim factum, vt non alij iudices *Cancellariatui* in Anglia præficerentur, quam Academici, vtpote Epiſcopi, aut alij doctiſſimi: hi enim ſunt, qui de moralium principijs, ac ab eis deductis concluſionibus, ſolide ac iuſte poterũt ad normam conſcientiæ arbitrari. Docet hæc ipſa Philoſophia, bona omnia naturæ, ac fortunæ, tanquam media, referri ad virtutis actionem: eatenus in bonis habenda, quatenus ad eam conducunt. imo oſtendet, ipſa bona virtutum intellectualium, ſapientiam, & fidem huic ſtudio virtutis inſeruire, & in hoc præcipuè incumbere, vnde virtutum moralium, & Theologicarum pabula animo continuo ſubminiſtrent, augeantque. Continet enim moralitas actionis humanæ, vitæ totius perfectionem. Præclarum itaque huius ſtudium, eiuſque intelligentia præſtantiſſimum mẽtis humanæ munus, adeoque ei vtiliſſimum.

S. Thom. 1. 2. q. 14. art. 5 Scal. 19 lit. de caul. lin. guæ lat. cap. 2.

Cicer. lib. 1. de ſin.

13 Quin proxime etiam ad hoc ſtudium ciuile accedunt legum, hiſtoriarum, externorum morum, ſtatuum cognitiones: ex quibus optime decernuntur, quæ ad alicuius reipublicæ commune bonum referuntur. leges ſanè, ipſos neruos continent actionum ciuilium, proinde a ciuili viro exacte cum primis percipiendæ. Tria autem, iuxta *Platonem*, leges ſpectant, virtutem, corpora, ac pecunias. Ab hiſtorijs duplex notitia. vna, qua ipſa iura,

quæ

quæ modo vigent, aut vigere deberent, quoad eorum ortus, progreſſus, legitimaſque rationes noſcuntur. altera, qua ex euentuū ſimilitudine, de præſentibus, iuxta analogiā cum elapſis, æſtimatur. Externorum pariter mores explorandi, imo eorum linguæ, ſi fieri poterit, addiſcendæ, vt cum illis commodius inſtituatur commerciū. Quantū ad ſtatus principum ac ciuitatum, inquirendū de eorū diuitijs, de potentia, de pace, aut bello, de concordia, & diſcordia, de prouinciarum locis ac ſitu, de religione incolarum, de amicitia, ſeu abalienatione, de matrimonijs, ac ſimilibus: de quibus plus ſatis noſtris tēporibus non tam curioſa, quā otioſa, vel ambitioſa quorumdam ingenia geſtiunt intelligere, effuſeque ne dicam petulanter, ſermocinari, adeoque nihil ferme præter domeſticos parietes vnquam videntes, ſtatuunt nihiluminus de illis audacius ſcriptuntre.

14 Quod vero Chriſtiana fides ad actiones virtutū, vtpote ad amorem Dei, ad odiū peccati, ad contemptum terrenæ voluptatis, ad cultum Dei, ac deſiderium æternæ beatitudinis inſtituatur, inde eam partem philoſophiæ, quæ moralis, ad eiuſdem fidei doctrinam præcipue ſpectare plurimi veterum Theologorū merito exiſtimarunt. ſi enim libros canonicos, & in eos ſanctorum Patrū commentaria, cogitemus, in eis duo tractari primario inſtituto comperiemus: ſcilicet articulorum fidei aptas elucidationes, iuxta ac ad ſanctè viuendum inuitamenta & idonea argumenta. quod autem ad logica, Phyſica, aut Metaphyſica, eorū diſputationes nō eſſe valde copioſas aut ſpiſſas animaduertimus. Excellunt itaque noſtri Doctores in tradenda eruditione hac morali: illa autem maxime, quæ practica ac proxime ad actionem, ad puritatem vitæ, ad charitatis vim prouocandam comparata: quod ſacræ ſcripturæ, patrum commentaria, ac caſus, vt vocant conſcientiæ, quos noſtri ſedulo deſcribunt, euidenter oſtendunt. *Aqua ſapientiæ potabit eos.* Hinc *Lactantius* moralē Philoſophiam comparans cum Phyſica, ait: *In illa phyſica ſola oblectatio eſt: in hac etiam vtilitas.* Adiungit, quod ad vitam humanam, non ineſſe tantundem periculi erroribus in naturali philophia, quantum ineſt erroribus in morali. *Hic vt periculi plus, ita minus difficultatis.* Aquæ noſtræ Sapientiæ non inſpiciuntur tantū, vt illæ in *Parnaſſo*, ſed potantur: vnde vis ad agendum, ad æſtum concupiſcentiæ extinguendum refrigeratio propagantur. Verum tametſi philoſophia Chriſtianæ pietati multum conferat, nihilominus in principio Eccleſiæ, philoſophi vbique ſeſe Chriſti cultoribus oppoſuere: idque vel maxime *Epicurai* & *Stoici*, vti animaduertit *Card. Baronius. Epicurai* in voluptatem delati, iniquis animis audiebant, quæ Chriſtiani aſſerebant de carnis & animi mortificatione, de Dei indicio in fine mundi, & de æternis in inferno ſupplicijs: quod hæc voluptatem fortius expugnarent. *Stoici* cum ob has ipſas quoque rationes noſtris tunc infenſi, tum maxime ad id extimulabantur inuidiæ ſuæ æmulatione. Cum enim viderent, vitæ rigidiorem diſciplinam, quam ipſi in oculis vulgi profitebantur, fœlicius a noſtris abſolui, quam ab ipſis, ac quod maius, noſtrorum mores tam in ſecreto quam publico, vitæ innocentia, grauitate, parcimonia, illorum moribus præſtare, inde ad inuidentiam mirifice prouocabantur.

Eccleſiaſt. 2.
Lactan. lib. De Fal. Sap. cap. 7. 16.
Baron. Tom. 2. Anal.

15 Conſtat itaque, Philoſophiam in vniuerſum, commodam omnino eſſe conſilijs ciuilibus. hoc autem neque parum ex eo liquet, quod Philoſophia alias ſcientias & artes, quaſi ex ſuu gremio, in ſocietates ciuiles effuderit: atque vt a Grammatica exordium ſumamus, videre eſt, eam magna ex parte verſari circa voces conceptibus, ac rebus ipſis congruentes, de quibus omnino inquirit Philoſophia. Dialectica, argumentationum formas inueſtigans, earumque ſegetem recolligens, ex rerum ipſarum notitia, quam tradit Philoſophia, emerſit. Rhetoricæ ſcemata, adeoque Muſicæ ſonus harmonici, aut ſimplices, decernuntur prorſus iuxta rerum & affectionum ſcientias, quæ in Philoſophia pertractantur. ea enim primum docuit ſic loqui, ſic canere, adeoque ſic fingere. De diſciplinis autem Mathematicis, & Geographicis, hoc clarius apparet, quam vt a nobis vllo argumento id demonſtretur. Quocirca fieri non poterit, quin in aliqua ciuitate neglecta Philoſophia, vna pereant reliquæ omnes ſcientiæ, & conſequenter ciuium mentes, ſeu facultates in eis intellectiuæ, ea parte ciuilitatis careant, quæ virtutibus intellectualibus continetur. Rhetorem ſine Philoſophia diſſerere, garrire eſt: poetam abſque eiuſdem præſidiis canere, grunnire, inepture, docti lectoris nauſeam, riſumque appetere. Ad eloquentiam modo adeamus, videamuſque, quaſnam partes in ciuitate iure obtineat.

Cicer. Tuſcul. 1. & 4. in Lucull.

CAPVT. XIX.

Quis ciuilis vſus Rhetoricæ.

TRia, vt mihi videtur, quantum ad ciuilitatem Rhetoricæ, in ea ſpectanda: vnum ab alijs ſcientijs mutuatum, duo altera ipſi propria. Primum argumentum eſt, ſeu materia pertractanda: alterum ſtyli puritas, proprietaſque, in certo quodam verborum contextu elucentes: poſtremum, modus ac character, ſiue ſimplex ſiue figuratiuus dicendi, ac res ipſas expicandi. Iſtis omnibus, qui Rhetoricæ definitionem tradidere, adiungere mos fuit, prudentiam, cuius cura ac diligentia per vniuerſas haſce partes orationis commeant; nempe vt de illa materia tractemus, quæ nos deceat, & alijs accommodam: ita filum orationis componamus, lumina ac colores tam verborum quam ſententiarum ſic interſeramus, ſicut temporis, locorum ac perſonarum rationes a nobis expetierint. Certe materia, tractationi Rhetoricæ expoſita, adeo illi neceſſaria quantum ad eius veritatem, ſoliditatem, ac momentum, quemadmodum fundamentum ædificio, tabella lineis, corpus animæ, ſubiectum accidenti. imo quo illuſtrior & elaboratior Rhetorica adhibetur, eo curádū

rem ipſam fore pariter ad concipiendum grandiorem, ad mentem in aliquam partem commouendam ex ſe magis imperioſam. Hinc *Cicero* de ſpeciebus differens amplificationũ, in quibus efformandis omnes nerui eloquentiæ intẽduntur ac deſudant, dicit, *Grandium eſt hic locus*: hoc eſt amplificationis ſuſtentaculum, quo ad ſui intelligibilitatem ac magnitudinem ſententiæ, grande eſſe debet. Proinde quando dictio vltra hanc rerum granditatem, & oſſa diſtenditur, ſilueſcit quodammodo, luxuriatur illepide, & in, loquentiam ſeu garrulitatem omnis affectata eloquẽtia ſua vbertate degenerat. Hinc ſæpius mecum repetens cauſam, ob quam in hominũ opinione, admiratione & amore etiãnum perennent antiquorũ opera, vtpote *Homeri, Virgilii, Ouidii, Ciceronis, Demoſthenis, Saluſtii*, ac *Cæſaris*; adeoque poſt tot centenaria annorum etiamnũ placeant, lecta ac relecta millies placeant: quantumuis ſumus in hoc genere delicati ac variabiles, verum me inuenisse exiſtimaui, definiendo, hoc euenisse, quod non ſolum ornate ac copioſe illi priſci ſcripſerint, ſed etiam quod optimos ſenſus, intellectui humano aut in aperto, aut in reconditio, arridentes, expreſſerint, omnique inani, vt conſuluit *Plato*, puerili, faſtuoſaque affectatione ſepoſita, ſic commentati fuerint, quemadmodum rerũ ipſarum natiui vultus, intimaque, ab eis requiſiuerint. Experimur ſiquidẽ, ex noſtris aliquos, totam ſtyli operam collocantes in dilatatione periodorũ, in eorũ formis turgidis & ampullatis conglobandis, in peregrino & exotico more ſcribẽdi, domi ſuæ inſtar cicadarum cantitare, aliquantiſper a vicinis audiri, ob nouitatem incipere eſſe in aliqua iuuenum admiratione, parum poſtea in neglectum, & obliuionem æternam incidere. bi enim loquentes potius, vt ait *Plinius*, quam eloquentes eſſe voluere, ac ideo non mirum, ſi a crepitante ſtrepitu, omnis eorum gloriola penitus interciderit. non eſt enim humani ingenij tam abiectus ſenſus, neu recoctæ poſteritatis tam exile judicium, vt meris verborum tropis, nudis ac inſolitis dictionũ modulis, diu capiantur: maxime cum affectatio, quæ ſi parua ridicula, ſi ingens, odioſa, totam orationis ſeriẽ plerumque complectatur. Sit itaque ciuili Rhetorico maximum ſtudium argumenti ab alijs ſcientijs petendi, ac ſic e re nata dicat, vt verborum copia ac venuſtate, argumento inſeruijſſe, nõ vero argumentum ſtylo ſubiecisse videatur. hoc enim ingenui, magni ac diſerti oratoris fuerit. Equidem ſcio, vulgares animos, quorũ intelligentiæ non peruadunt ad rerum cauſas, ſed finiuntur ſolum ſenſibilium notis, interdũ mirifice oblectari verborum inſolentia, eorum antitheſi, conciſis ritu hiſtrionico ſententiarum membris: denique alicuius in appetitu ſenſitiuo affectionis verboſis ac coactis indiciis, commoueri. Cæterum noſter Rhetoricus vt maioribus ingenijs etiam selectus, ac poſteris placeret, cuperẽ. Sicut enim quædam muſica ruſticorum ac ſilueſtrium propria, alia nobilium, ac ciuilium, ita vna Rhetorica plebia, altera eruditorum. Neque tantum argumenti ſubſtantia, ac notabilitas, eloquentiæ neceſſariæ, quinimo ſecum quodammodo ducunt eloquentiam, eamque oratori reddunt parabilem. Hinc apud *Plutarchum Alexander*: *Profecto quiſquis (vt ait Euripides) perpulcram nactus eſt in dicendo materiam, ei haud immenſum eſt opus, bene ornateque dicere.* Argumenti ponderi accedunt affectus, intimis animi ſenſus in oratore, qui verbis vim mirabilem adferunt. Etenim gentes aliquæ, etiam ob eloquentiam inſignes, caruere interna hac animi diſpoſitione perorantes, qua rudiores prædiuæ. Hinc, vt refert *Plutarchus*, dici olim ſolitũ: *A Græcis, ſermonem ex labiis, Romanis ex corde proferri.* Cæterum Græci per contemptum λάλοι appellabant verboſos oratores.

Cicer. in partit.

Plat lib. 1. de legib.

Plini. lib 5. Epiſt ep. 20

Gellius. lib. 1, cap 5. Cicer. in partit

Plutarch. in Alex.

Plutarch in Cato Cenſor.

2 Nonnulli in hoc inſtituto errantes, ſe eloquentes fore exiſtimandos reputant, ſi certis formis mirabiles quaſdam animi paſſiones inſtar Sibyllarum in antris, re nondum euoluta, referãt: vtpote conciſe interrogatiunculas ingeminantes, frequentes exclamationes ſingultibus interpolatas efferentes, biliosa & irata verba certis clauſulis frendentes, præ doloris ficta magnitudine, aut contemptus ſimulatione, vix loqui dignantes: ita vt omnia apud eos perorantes, verborũ tempeſtatibus cõfragoſe admodum tranſigantur. Cæterum vt videmus, qui ſe amentes vel ebrios fingunt, ij admirabiles quoſdam pectorum æſtus corporum ac linguarum motibus exhalant, quos ſi infantes, aut pueri viderint, illico iudicant, tales a *Phœbo* aliquo diuinitus torreri, ac planè animorum ſtupendis fluctibus concitari: prudentiores autẽ eoſdem rident, & affectionum in eis inania ſimulachra aſpernãtur. hoc genus eloquentiæ re ipſa violentum, indoctum, & plane ruſticanum, ſimiliter qui nullo ſolido argumento innixi, non ad naturæ modum, ſed ad inanem tantummodo verborum ſonitum, veluti in ſcena perſonati, quaſdam paſſiones ſuas contorquent, vt eiſdem ingenue flammati alijs videantur: licet igne plane fatuo incaleſcãt, quibuſdam auditoribus, ſeu lectoribus, plurimum arrident; ſed de rebus ipſis æſtimare neſcientibus: cum interea loci, a doctioribus, ac magnis mentibus, vehementiſſime improbentur. Huius cauſa, quod leuiter animum rerum momentis & arcanis adjicientes, toti in verborum ſpuma excitanda, eorumque aëreis ac ſonoris fragoribus proferendis occupentur. Ex eodem pariter euenit, quod oculos, neruoſque in hoc vnum conferant, vnde verbis ludant, data opera opponant pari ferme ſyllabarum numero, & aliquando rhytmicè inter ſe ſentẽtiolas vtcumque colligatas ac concinnatas. in iſtis acuti, & in infimo quodam gradu ingenioſi eſſe poſſunt, non inficior, eloquentes vero nequaquam. hi vt dicit *Muſonius* potius ſunt tibicines canentes, quam philoſophi dicentes. Enimuero genuine eloquentes, non ſolum florem, & præcipuas ſui martis vires ipſi argumento attribuunt, verum inſuper recte cum *Cicerone* arbitrantur, meliori doctioriſque argumenti inuentionem ſecũ verborum elegantias, ſententiarumque amplificationes, & colores, adducturum, ac præſtiturum, vt vltro ſub acumẽ ſtyli ſubeant, ſponteq́; occurrant verborũ ornamenta, *Cum*, inquit, *res verba ra-*

Hell. lib. 6. cap 15.

Gell. lib. 5. cap. 1.

Cicer.lib.1. de orator, lib.3. de Fin,

ba rapuerint , tunc cum grauior , tam ſplendidior erit oratio. ex quo argumenti delectu , verè eloquentes , non modò vltra eius ſolidum ambitum, verborum nitorem non extendunt, quinimo quantum eloquentiæ vnicuique argumento inpendendum, optime ac prudenter intelligunt. Quemadmodum enim non idem [illegible] ornatus iumento concedendus, qui *Bucephalo*, vel *Seiani* equo: ita tam eximia & accurata forma amplificationis aut figuræ, tenui argumento haud adijcienda, quæ fortiori, & ipſam cauſæ arcem continenti. huius autem diſcrepantiæ tota ratio a docta argumenti cognitione deſumenda. nam elocutio per ſe ſumpta , res eſt, vt dicit *Ariſtoteles*, *leuiſsima* , leuioreſque animi illius compotes eſſe poſſunt. Teſte *Homero* , *vlyſſes* verbâ miſit non ex ore, ſed ex pectore.

Ariſt lib.2. Rhetor,

Gell.lib.1. Noct. Cap. 15 lib.2.ca 5

3. Itaque argumenti natura comprehenſa diſcuſſaque, intelligere debet ciuilis orator, finem ac ſcopum omnis ab ipſo adhibendæ eloquentiæ in hoc conſiſtere, vt ea veritati tam practicæ quam ſpeculatiuæ , præſertim verò practicæ, ad perſuadendum inſeruiat , ac vt potentius animos auditorum vel legentium eadem afficiat: qua de cauſa Rhetoricam appellat. *Nazianſenus* virtutis inſtrumentum. Duo itaque præſtat, ſuadet aut diſſuadet , & hæc cum aliquo animi motu, ſiue is partis rationalis, ſiue appetitus fuerit: ita vt ambo coniunctim procurentur , nec ſeorſim fiant. inanis certè motus, vtpote delectationis, odii, miſericordiæ, admirationis, expectationis, ſi nihil aliud ſpectent oratores quam merè vt animos concitent: quorſum. enim purus vllus motus efferendus ? ſimiliter ieiuna aridaque veritatis probatio, imo neque rhetorica dici poterit, quæ nullum aculeum exerit , calorem nullum oſtendit, nullum exprimit ſuccum iucunditatis, neu flammam euibrat ex ſe concitationis. Quod ergo motus in vniuerſum efficiat Rhetorica , vt ſuauius ipſa veritas in animos aliorũ illabatur, vt altius eos penetret, acriuſque commoneat vtile dulci immiſcendo, obſcurum lucido imbuendo, vitamque rei quodammodo mortuæ impertiendo , idcirco Rhetorica , ad hoc munus præſtandum, inter ciuiles artes meritò recenſetur : etenim ciuilitati commodum, vt veritates inſtructiores ad perſuadẽdum, valentioreſque ad ciues inflectendum euadant. Duobus autem vim addit veritati Rhetorica. primo dictione ornata & illuſtri, deinde animi motu & delectatione . grata ac potens ea veritas, quæ verbis idoneis elucidatur , iuxta ac animi motu & vita quadam imbuitur. Etenim ſi Angeli exiſterent homines, haud indigerent ad capiendam retinendamque veritatem, aut virtutem ſequendum , adminiculis affectuũ, quorũ quippe intelligẽtiæ proprijs viribus in eamdeferuntur. at noſtra natura retẽta, quicquid Stoici vel *Areopagitici* affectuum oſores, in contrarium dixerint, quod delectat, libentius illud animi ſenſu ac intellectu capitur a nobis, maiorique attentione arripitur. etenim natura non penitus diſtorſit vel alienauit motus appetitus ſenſitiui in nobis a mentis cognitione, quinimo vtraque colligauit, quo mens in affectus imperium obtineret , hi viciſſim illi ad acrius operandum ac cogitandum apte inſeruirent. Sunt itaque motus excitandi a Rhetorica, duplices. Rationales ſcilicet , & Senſuales. Rationales, admiratio, expectatio, & in quadam ſpecie delectatio , quatenus omne ſcibile, præſertim Theologicum, ac Metaphyſicum , maxime, teſte *Ariſtotele*, delectabile. Senſitiui , amor, odium, ira, compaſſio , ac ſimiles, qui in appetitu concupiſcibili & iraſcibili reperiuntur. quos omnes motus, ad vnam delectationem veteres reuocarunt : quandoquidem hæc reliquis immiſceatur, & ſui magnitudine immineat. delectabile eſt etiam admirari, expectare : ſimulac delectabile , appetitu amare , odio habere, condolere , quod cum quadam miſeratione delectat: itidem iraſci, alioue motu ferueſcere.

Gregor.Na. orat.1.in Iulian.

Ariſt.10 Metaph.cap.7.

Cicer.lib 5. Fam. Epiſt. cap.12. Ariſt. lib.2 Rhetor.

4. Vſui vero ciuili prodeſſe eloquentiam, ipſa natura , ex cuius principijs deducitur , communis deinde generis humani apud omnes gentes mos; quo adprobatur , luculentum ac manifeſtum faciunt. Quemadmodum enim tres ſunt partes animæ, rationalis, concupiſcibilis atque iraſcibilis, ita ad haſce partes idoneè ad veritatem ſpeculatiuam atque practicã afficiendas, tria dicendi genera a Rhetoribus omnino ad naturæ amuſſim cõſtituuntur. Deliberatiuum genus, præcipuè intendens ad fidem faciendum, ſolidis armatum argumentis, audientium vel legentium vires rationales ſibi proponit informandas, ac in partes veritatis inflectendas. Genus demonſtratiuum, a cura faciẽdi fidem ſolutior , totum in exornationibus, laudibuſque, vel etiam vituperijs conflandis, liberius floridiuſque verſatum, partem, in homine concupiſcibilem mirificè delinit ac capit. Demum genus iudiciale in iram, in vindictam, vel in horum contraria delatum , iraſcibilem partem aut commouet , aut ſedat , tranquillatque.

5. Hinc ſpecies eloquentiæ deſumuntur ex numero earum facultatum, quæ animæ hominis ineſſe dicuntur. eſt enim eloquentia Rationalis, eſt Concupiſcibilis, & Iraſcibilis. Rationalis illa, quæ optimũ modũ tenet ad perſuadẽdũ ac mouẽdũ doctorũ mẽtes & affectus. Cõcupiſcibilis latius ad oblectamenta troporum, ad comprehenſiones longiores periodorum, & vt ſic loquar, ad quandam luxuriem dictionis, ſpatiatur : qualem per Aſiam viguiſſe tempore quo in Græcia ſtudebat *Antonius*, affirmat *Plutarchus. Vtebatur autem genere dicendi quod appellant Aſianum, iis maxime temporibus florente, plurimamque cum Antonij moribus ſimilitudinem habente : erat enim turgens atque laſciuum , & inani quadam iactantia & exultantia plenum.* Eloquentia denique Iraſcibilis ſeu Laconica typho ampullata & ſententijs ad plenum ſenſum vix explicatis conſtans , intumeſcit. acerbitatem, indignationem, contumeliam, argumentationes conciſas, eaſque mordaces ſpectare videtur. Et quod ratio eloquentiæ ab ipſius hominis natura ac moribus ducatur, fit, vt ad horum mutationes in republica , ea pariter

Plutarch. in Anton.

Plutarch. in Lycurg.

varietur;nunc hæc eins forma ei placeat, ſubindò alia & planè diuerſa. Muſa hæc Rhetorica adeo naturæ adfinis, vt eius ductum ac incitationem perpetuò ſequatur. talis talem profert & ab illa hoc aut alio modo ſignificatur.

6. Quocirca ſicut expedit ciuilibus moribus haſce in homine partes, earumque officia ad veritatem, actionemque rectè componi, ita, eiſdem id requirentibus, ciuiliter Rhetorica adſciſcenda, quæ ad hæc munera optime conducit. Quod ſi gentium mores animis ab omni æuo repetamus, experiemur, apud earum Theologos, legumlatores, adeoque mercatores, ſuarum rerum landatorios artifices, ſtudium eloquentiæ perpetuo viguiſſe. Ad cuius vim ſignificandum finxerunt veteres, *Mercurium* Deorum conſilijs perpetuò intereſſe, tum quod diuinum ſit donum eloquentia, tum quod ad cælos, quæ digna laude fuerint, eadem efferat pariter eundem noxiorum ductorem ad infernnm conſtituere: quod nempe ſontium dedecora adeo vituperet, vt eos planè ad infernum etiam ſuperſtites perorando depreſſiſſe videatur.

Ouid lib 5. Faſtor.

Pleiade nate, mone virga venerande potenti:
Sæpe tibi eſt Stygis regia viſa Iouiſ.
Venis adoratus Caducifer, accipe cauſam
Nominis, ex ipſo cognita cauſa Deo.
Pacis & armorum ſuperis imiſque deorum
Arbiter alato, qui pede carpis iter.
Læte lira pulſu, nitida quoque læte paleſtra,
Quo didicit culte lingua docente loqui.
Te quicumque ſuas profitentur vendere merces
Thure dato, tribuas vt ſibi lucra, rogant.

Lucian. in προλαλ.

7. Ad vim eloquentiæ ſignificandum, vt ſcribit *Lucianus*, Galli eam non referebant in *Mercurium* Græcum, ſed in *Herculem Celticum*. *Orationem nos Galli nequaquam arbitramur eſſe Mercurium, quemadmodum vos Græci, verum Herculi illam tribuimus, propterea quod hic Mercurio longè robuſtior.* Exiſtimarem hos reſpexiſſe ad pondus argumenti tractandi, ac Laconicos modos eloquendi, Græcis materiæ gracilitatem, & fluentes atticiſmos relinquentes. *Omnia*, dicit *Plutarchus*, *conficit oratio. nam Pyrrhus ipſe dicere ſolebat a Ctiſea plures oratione, quam a ſe armis, vrbes eſſe captas.* Eſt quidem veritas ex ſe appetibilis ac fortis: cæterum quòd in nobis hebes animi vigor ad intelligendum & appetendnm, vbi nullum illicium apparet voluptatis, propterea accedit eloquentia quaſi melle delibnta, floribus ornata, ac ditata gemmis, quæ ingreſſum noſtrum ad diuinam hanc *Palladem* veritatis, iucundum ac luce quadam ſplendidum efficiat. quocirca ſenſu affecti non ſolum ad eam pergimus, ſed exultantes quodammodo feſtinamus, adeoque in eius complexum magno quodam impetu ruere ſolemus. Cui ſi in republica auctoritas acceſſerit, nihil illa potentius fingi poterit: non quidem quod corpora ſibi ritu martio ſubijciat, ſed quod animos, nulla alioquin externa vi domabiles, eos penetrando, in ditionem ſuam fortiſſime, ſuauiſſimeque compellat. Quod cum *Pompeio*, *Neroni*, *Caſari* innotuiſſet, quo auguſtius imperarent, vt ſcribit *Suetonius*, dicendi artem ad ſuos perorando, ſæpius exercuerunt.

Plutar. in in Pirrho.

Sueton. lib. de Gram.

Lucan. in Prohem.

——— tu quoque Piſo,
Iudicis affectum, poſſeſſaque pectora ducis
Victor, ſponte ſua ſequitur quocumque vocaſti.
Flet ſi flere iubes; gaudet gaudere coactus,
Et te dante capit Iudex, quam non habet, iram.
Sic auriga ſolet feruentia Theſſalus ora
Mobilibus frænis in aperto flectere campo.
Qui modo non ſolum rapido permittit habenas
Quadrupedi, ſed calce citat, modo torquet in aures
Flexibiles rictus, & nunc ceruice rotata
Incipit effuſos in gyrum carpere curſus.
Qui non attonitus Iudex tua reſpicit ora,
Quis regit ipſe ſuam, niſi per tua pondera, mentem?

Naturale eſt homini eloquentiæ acumine commoueri, eius radijs delectari, eò denique propendere, ac lubens concedere, quo ea, tanta vis animorum, præceperit. Veritati res grata, ab eius fulgoribus illuſtrari, tantis ſcientiæ emblematibus perpoliri, tantis eius diuitijs ditari, coloribuſque venuſtari. Si veritas, ac virtus hinc accipiant dignitatem, ſi vires & ſceptra, quæ ciuium animis imperitant, ab eloquentia confirmentur, quid ea vtilius, nempe qua ciues rectius ſentiunt, ſimulque honeſtius operantur?

8. Quo ergo digni vituperio, qui hæc eloquentiæ decora, veritati, ac virtuti ſacra, verborum ſono, vanitati ſuæ, in alios fraudi, hæreſi, actionis turpitudini, imperij tyrannidi, dicant vouentque? Iſtis haud ſatis impunè certe fuerit, aqua Mercuriana, portæ *Capena* próxima, caput cum vda lauro aſperſiſſe, ad tantum crimen eluendum: poſt tot dico ipſorum periuria, poſt tot mendacia, tot calumnias, poſt tot ſophiſmata, quibus eloquentiæ numen in peſſimos vſus ſuos conſpurcarunt.

Ouid. lib. 5. Faſtor.

Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos,
Incipit & ſolita fallere voce preces,
Ablue præteriti periuria temporis, inquit,
Ablue præterita perfida verba fide.
Siue ego te feci teſtem falſoue citaui,
Non audituri Numina vana Iouis,
Siue Deum prudens alium, Diuamue fefelli,
Abſtulerint celeres improba verba noti.
Et pereant veniente die periuria nobis,
Nec curent ſuperi, ſi qua locutus ero.
Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro,
Et face vt emptori verba dediſſe iuuet.
Talia Mercurius poſcentes ridet ab alto,
Se memor Ortygias ſurripuiſſe boues.

Huiuſmodi fuiſſe eloquentiam *Symmachi*, conſulis Romani, in fidem Chriſtianam non tam armatam *Palladem*, quam furentem *Megaram*, cecinit *Aurelius Prudentius*.

Prudent. lib in Symma.

Haud aliter quam ſi raſtris quis tentet eburnis
Cænoſum verſare ſolum, limoque madentes
Emolere aureolis ſi forte ligonibus vluas.

Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſtian. cap. 36 lib. 4 cap 2.
Plato in Cratil. Cicer. lib. offic

Teſte *S. Auguſtino*, eloquentia colorem quaſi ſui decoris viſa perdidiſſe, poſtquam nonnulli omnem illius leporem ac nerunm ad ſuas fraudes ac libidines tranſtuliſſent. Cæterum non genuinũ *Mercuriũ* ſequuti, vt ait *Plato*, ſed ſophiſticum. *Quid eſt tam inhumanum*, ait *Cicero*, *quam elegantiam, a natura ad ſalutem hominum & conſeruationem datam, ad bonorum peſtem perniciemque conuertere?* Imo notarunt aliqui, ſimul cum ci-

uium

uium ſceleribus rapinarum, ac deceptionum, creuiſſe apud eos ſtudium eloquentiæ, non aureí ſæculi ornamentum, ſed ferrei monimentum. [Tacit. de Orator.] *Cæterum* inquit *Tacitus, fælix illud ſæculum & oratorum, & criminum inops, poëtis & vatibus abundabat, qui benefacta canerent, non qui male admiſſa defenderent.*

Vtrum ex Sacrorum diuina maieſtate afferenda, Ciuilis eloquentiæ vſus admittendus.

CAPVT XX.

DVo ſunt in Chriſtiana doctrina præſertim ſpectabilia, ſententiæ ſpiritus ſeu vis admirabilis, ſimulque gloriolæ contemptus maximus. quorum notionibus imbuti noſtri Theologi, ea ad perſuadendum, ad deterrendum, ad incitandum ſatis idonea exiſtimantes, quæ veteres oratores operoſius venditarunt, nempe verborum floſculos, elaboratas periodos, vniuerſum denique Rhetoricæ apparatum fauoribus ac applauſui aliorum ad dictum, repudianda cenſuerunt. hanc quidē veritatem, caſtam ſiquidem ac cœleſtem *Mineruam*, vt diuinus ſermo conſequatur, artis fucis ac pigmentis eam haud indigere ſecum reputarunt. cuius quippe natiua forma adſcitijs omnibus coloribus pulchrior: cuiuſque tela ea virtute prædita, vt ad ictum impreſſionemque faciendam, nihil opis conferre potuerint Rhetoricorum hederæ, vel gemmata orationis acumina. diuinum quoddam rei iſtius exemplar, ſacræ Scripturæ contextus, in eorum oculis perpetuò effulſit: in quo nihil ex verbis molle aut fluidum, nihil ex ſtyli fluxu aut luxu ſplendidum, nihil ex conquiſito fragore tractum, nihil denique forenſi arte confectum deprehendentes, in eam adducebantur ſententiam, vt arbitrarentur, in ſacris, eloquio aut ſtylo tractandis, tantum eorum veritati, ſoliditati, maieſtati, diuinitati ac ſpiritui attribuendum, vt pro indigno haberi debeat, Græcam dicendi venerem eiuſmodi cæleſtibus copijs adiungere: perinde ac ſi cœlum admota terra quis conaretur nobilitare, aurum plumbo violando illud inſignitè vermiculare. [August. lib. 3. confeſſ. cap. 5. Ioſeph præfat. in lib. Antiquit. Ambroſ. lib. 4. offi.] Hoc etiam videtur Seruatoris noſtri crux adumbraſſe. Dū enim *Heraclius* Imperator, regio cultu veſtitus eam honoris cauſa humeris portaret, ſubſiſtere coactus a maieſtate oneris, didicit, humiliorem habitum, tam precioſi ponderis potius decere baiulum. [Theophan. in hiſtor. Miſcellan. & Suidas verb. Heraclius.] quo diuinitus præſignari viſum, modum idoneum in Chriſti Eccleſia tractandi diuina myſteria, ſtatutum ſimplicem, aureiſque venis eloquentiæ deſtitutum. a qua methodo quidam aberrantes, incidere in cenſuram *Phocionis* apud *Plutarchum*: quorum nempe ſtylus, quod hyſopi ſimilitudinem refugerit, ſpeciem exhibuit cupreſſorum: *Nam magni ſunt, & nullos fructus ferunt.* [Plutarch. in Phocion]

2. Hoc ſuo iudicio olim expendens *Iuſtinus Martyr*, rationem oſtendit, ob quam, veterum Theologia omni pompa verborum picturata prodierit in lucem: noſtra verò humiliori quaſi veſtita dictionis forma, in animos mortalium ſuapte virtute, tanquam pluuia in vellus latenter irrepſerit. Illi, inquit, humana ad diuinitatis apicem transferentes, de Dijs, tanquam de heroicis hominibus, poëticè commentari inſtituerunt. [Iuſtin orat. adhort. ad Gent.] proinde quicquid in hominum ſenſibus magnum, illuſtre, ſplendidum vel fingi poterat, id ad deos ſuos depingendos adduxere. Noſtri autem Prophetæ & Theologi potius diuina ad humana depreſſa perſpicientes, ideo rem imitati, humilius ſcripſere & loquuti. incidentes porro in aliquam dei notionem deſcendendam, præ magnitudine obiecti attoniti, deſperanteſque planè verbis dignitatem Numinis aſſequi, nihil reputarunt magis aptum ad illius maieſtatem ſignificandum, quam ſi vel tacerent, vel ſi loqui vellent, infirmitatem ſuam longe ſub materiæ amplitudinem ſubſidentem, leni mitique ſtylo faterentur. *Homerus, vt ait Cicero, humana ad Deos transferebat, mallem ad nos.* [Cicer. 1. Tuſculan.]

3. Sacrario itaque quaſi penitus excluſam Rhetoricam antiqui Patres animaduertentes, ab eius ſtudio viſi ſunt deſpicatum abhorruiſſe, renuentes, cœleſtem doctrinam abiudicatæ artis adulterino ſucco inficere. *Clemens Alexandrinus* ſibi Theologo ſatis eſſe duxit, relicto omni verborum lenocinio, nudè candideque id ſignificare, quod ab alijs intelligendum. [Clem Alex. lib. 1. Strom.] *S. Ciprianus* de illo argumento diſſerens, quo fidelium armanda pectora ad perferendum martyrium, nihil panopliæ requirit, quod a *Vulcano* ex ſententia *veneris*, ad *Æneam* aliquem muniendum extundatur, ſed illam neceſſariam dicit, quam Sanctus Spiritus fabricatus fuerit. [Cyprian. præfat. ad Fortun. de martyrio.] *Ambages ſermonis humani ſubtrahendæ. ponenda ſola illa, quæ Deus loquitur, quibus ſeruos ſuos ad martyrium hortatur. Eloquentiam,* inquit *S. Hieronymus, quam pro Chriſto in Cicerone contemnimus, in paruulis ne requiras. Eccleſiaſtica interpretatio, etiamſi habeat eloquij venuſtatem, diſſimulare eam debet, fugere, vt non otioſis Philoſophorum ſcholis, paucisque diſcipulis, ſed vniuerſo loquatur hominum generi* & alibi. [Hieron. epiſt. ad Pamach. ad Euſtoch.] *Nos leporem artis Rhetoricæ contemnentes, & purioris, ac plauſibilis eloquij venuſtatem, ad ſanctarum ſcripturarum grauitatem transfugimus.* [Hieron. Epi. ad magnum orat. Epiſt. ad Iulian.] Hunc *Aurelius Prudentius*, fidem cum falſitate congredituram ita deſcribit. [Pruden. in Psy.]

Prima petit campum dubia ſub ſorte duelli
Pugnatura fides, agreſti turbida vultu:
Nuda humeros, intonſa comas, exerta lacertos. [Nazianzen. in carmine. de vita ſua.]
Namque repentinus laudis calor ad noua feruens
Prælia nec telum meminit, nec tegmine cingi.
Pectore ſed fidens valido, membriſque reiectis,
Prouocat infamis frangenda pericula belli.

4. Cæterum nihilominus, definitam quandā formam eloquentiæ, ſcilicet grauitate ac maieſtate plenam, rerum etiam ſacrarum tractationi eſſe, conuenientem exiſtimandum: neque hinc aſſertæ Patrum ſententiæ quicquam repugnamus. [August. lib. 4. conf. Caelicol. etiam cap. 12. Nazian. orat. cont. Iul. Auguſtin. lib. 2. de doct. Chriſtian.] Etenim ſi vel natura inſtituente, eloquentia ſit inſtrumentum veritatis, ac virtutis, ſi iuuet ad perſuadendum, ad incitandum in actionem probitatis, ſi eam a dicente cupiditate quadam innata expectet ciuilis auditor, credibile non eſt, contendiſſe Patres

eam

eam omnino abdicandam, eoque naturam ipſam repellendam, imo quantum ad robur veritatis in fidei myſterijs, animaduertit *S. Chryſoſtomus*, eum miracula fieri iam deſitum, in eorum loca, ad probandum eandem fidem, eloquentiam tunc temporis ſuccenturiatam, in apertum proſilijſſe. Propterea ſancti Patres, qui in hæc tempora incidere, eloquentiſſimi omnes extitere, ſuiſque luminibus orationis vel Athænis ipſis, quo ad Chriſtum adirent, præluxere. Quod ſi ſacra iura ſpectemus, videbimus *Aaronem*, imo ſapientiam diuinam, eloquentiæ nomine commendari.

Chryſoſtom lib. de ſacerdo.

Exod. 4 Act. 19 Sap. 7.

5. Non ergo exiſtimarem, Patres ideo Rhetoricam reieciſſe, quòd gentiles illa malè vſi fuerint, peſſimis finibus eam applicantes; vel quod vllam veram ac genuinam Rhetoricam improbauerint in ſacris elucidandis: falſam tantummodo ac fucatam, neque prudentia, neque dicendi legibus conſtantem, a ſuis ſtudijs depulerunt. Nam cum Rhetorica virtus quædam ſit partis in homine intellectiuæ, neque circa finē ſub ratione finis verſetur, ſed circa dicendi modos, conſequens eſt, eam, ſicut & reliquas virtutes intellectuales, ad malum finem poſſe inſtitui. non ergo Rhetoricam ex abuſu, aut ratione praui finis abſolutè abiecerunt: ſic enim potuiſſent omnes virtutes intellectuales pariter ab officio pietatis arcuiſſe. etenim, vt diſſerit *S. Auguſtinus* iniqui finis propoſitio, non artem Rhetoricæ, ſed artificem vituperat. poſſe verò Rhetoricam, ſaltem quo ad externam ſpeciem, minus honeſto fini ſubijci, experientia conſtat: eam enim *Fauſtus manichæus*, ſuæ turpiſſimæ hæreſi fecit vaferrimè inſeruire: ac viſus iudicio *S. Auguſtini*, in ea *S. Ambroſium*, quò ad hilareſcentem, ac mulcentem eius cultum, ſuperaſſe. Huius artificio pronunciat *Plato*, fieri poſſe, vt falſa interdum appareant vera, noua vetera, commoda inutilia, quod etiam *S. Auguſtinus* aſſerit: *Imperitior multitudo quod ornate dicitur, etiā vere dici arbitratur.* An nō *Piſiſtratus* eloquētia valuit apud Athenienſes, qui illos eò inde adduxit, vt imperium ei decernerent, ſeruitutem libertati præferentes? quod *Valerius*, *Plutarchus*, *Iuſtinus* & alij recolunt. *Hegeſias*, Philoſophus Cirenaicus, eam vim exeruit eloquentiæ, de vitæ humanæ miſerijs declamãdo, qua, vt teſtantur *Cicero* & *Diogenes Laertius*, quamplurimos in ſui necem proprijs ipſorum manibus inferendam compulerit: adeo vt Rex *Ptolemæus* de illo argumento amplius non tractando legē ac mandatum ei impoſuerit. aliquando ob hanc ipſam cauſam, Rhetorica, litigioſa ac ſanguinaria appellata. Hoc certè Rhetoricæ cum alijs virtutibus intellectualibus commune, poſſe nempe in abuſum deferri. Lumen, color, ſplendor, venuſtás, lucenteſque ingenij in periodis conciſiones, ac gemmulæ, quæ, ab eloquentia ad circinum fiunt, transferri poſſunt ad res turpiſſimas non ſolum honeſtandas, ſed & illuſtrandas. Rhetoricam itaque adulterinam dumtaxat ſuis ſententijs a ſacris rebus enarrandis arcuerunt Patres, non *Penelopen*, ſed *Helenam* hac in re vituperantes. Vera namque, ac caſta eloquentia efflorеſcit cum conformis dicentis prudentiæ, tum etiam rerum dicendarum condicionibus. quorum alterutrum ſi defuerit, maxime illud poſterius, eloquentia nuſpiam apparebit, ſed eius quædam larua, reipſa incitamentum odij, riſus vel contemptus. *S. Paulus*, vt obſeruat *S. Hieronimus*, ſpreuit alienas opes forenſis eloquentiæ, qui in ſuis diues erat. Enimuero ingenij ſpecimen edere in textura verborum, quæ oratoris animū verbis principaliter addictū ſignificet, nec curam rei habuiſſe, cui verba concinnaret, leuiſſimæ intelligentiæ, vt notat *Ariſtoteles*, manifeſtiſſimum argumentum. *Cicero* loquens de artium principijs ac fundamentis, inquit: *Iſtiuſmodi res dicere ornate velle, puerile eſt.* omnem ergò ornatum, remotis iſtis a ſenſibus obiectis impenſum, eloquentiæ ambitu excludit prudentia, ac res ipſæ illum in ipſis eſſe non permittunt. ac quod orationis affectata ac compta venuſtas, modique dicendi curioſi, iuxta *Ariſtotelem* in ſe conſiderati, ſint res viles, appoſitè *Cicero* illas pueriles appellauit: *Seneca* animi indicium in modicis occupati nuncupat. Patres itaque contra eloquentiam in rebus ſacris vſurpandam declamitantes, leuem ac puerilem eiuſdem ſpeciem, vanumque eius ſimulacrum duntaxat expugnarunt. ſi enim prima illa ſcientiarum principia non admittunt huiuſmodi cerulas, tropos ac polituram orationis, multo minus altiſſima noſtræ fidei myſteria abſque nota puerilitatis a calamo ſcriptoris, aut dicentis lingua, ea excipient. atque de hac re præclara ac docta quædam præcepta *Carolus Regius* oratoribus ſacris ſatis accuratè tradidit. Nos rem ipſam in pauca conferemus.

S. Auguſt. lib. 4. de doct. Chriſtian. cap. 36

Auguſtin. lib. 5. confeſſ cap. 13.

Plato in Phæd.

S. Auguſt. lib. de dialect. Princip cap 7.

Valer. lib. 10. cap. 3. Plutarch. in Solon. Iuſtin. lib. 2.

Cicer. Tuſcul. 1 Diog. in Ariſtippo

Tacit. de orat.

Hieron. Ad pol. l. com. Ruff.

Ariſt. lib. 3 Rgetor.

Cicer. lib. 3. de fin.

Senec. Epiſt. 95.

Carol. Reg. orator C[hri]ſtian. lib. 4. cap 1 2 3. 4. 5. 6. 7 8 9 10. 11. 12.

6. Tria ſibi Chriſtianus orator proponit, quæ illi cum forenſi communia: fidem facere, mouere, ac flectere. animaduertere idcirco debet, quænam argumenta ſunt merè dogmatica ad fidem faciendam ſolum idonea, qualia pleraque in genere deliberatiuo ac iudiciali: ac quænam ita ſunt dogmatica, vt etiam oratorij ornatus, ſeu amplificationis ſunt capacia: qualia fermè omnia in genere demonſtratiuo. Si orator prioris generis argumentis, vltra puritatem, proprietatem ac claritatem ſtyli, aliquid artificij oratorij adhibuerit, non ſolum arte inepte eò vtetur, verum inſuper fine ipſo faciendi fidem omnino fruſtrabitur. illud ex eo conſtat quod quædam ita ſunt ſublimia & abſtracta, vt nihil exigant præter dilucidam ſui narrationem, quod ſupra diximus ex *Ariſtotele* & *Cicerone*. quæ eodem ſatis, vt ſobrie pulcra apparent, quo fortia: qualis in *Hercule* aliquo pulcritudo ſpectanda, quem magis decet in manu claua, quā lira. alterū ex multis cauſis prouenit. principio, acrius ſtudiū, quod ſermonis venuſtati cōceditur, dogmatis ſoliditati & efficaciæ ad concludendum plerumque detrahitur: proinde vis argumenti, remiſſior ac gracilior inde euadit ad alijs perſuadendum. Porro abuſus affectatæ & importunæ eloquentiæ, vituperabilem atque odioſum ipſum oratorem exhibet, vtpote oſtendo, quod in illo parum ſit iudicij & doctrinæ, quod ſenſus ſit leuioris, quod

S. Auguſt in lib. 4 de doct. Chriſtian. cap. 12

applau-

applauſum ex meris verbis cum faſtu cauponetur, quod cauſa ipſius neruis deſtituatur. ex quibus neceſſe fuerit, momenta omnia ad docendum ac perſuadendum ab illo inſtituta, languere, adeoque euaneſcere. Quæ vero argumenta verbis curioſius expolienda, numeroſius concinnanda, vberius effundenda, ea ad hoc inducũtur, vt cum ipſa perſuaſione ad exiſtimandum & agendum, pariter delectent ac moueant: quamobrem ab oratore tali titu efformanda, qualem rei dignitas, grauitas ac maieſtas, nec vltra, poſtulauerint. Quocirca is nunquam expreſſe mouebit ac delectabit, ſi modo ſeipſum dicendo ventitet, ſi nimiam curam verborum, ac vulgo placendi præ ſe tulerit: ſi non appoſite ad ingenium materiæ cuncta amplificauerit. Enimuero ita a natura cõparatum, vt nimius cultus orationis, in dicendo vel ſcribendo ſcrupuloſior verborum penſitatio, a communi vſu peritorum in hac arte ſtylus remotior, degenerent inſtar peregrini inceſſus in corpore, in quandam vanitatem, leuitatem ac puerilitatem; imo in id, quod in-

Hier. epiſt. ad Nepot.

doctorum nota, vt loquitur S. *Hieronymus*: atque iſtis nominibus vt a magnis ingenijs deſpiciantur, neceſſe. Quamobrem quod res diuinæ ac ſacræ, quæ verbis & ornamentis amplificationum ſubijciendæ, cum in ſe magnæ ſint, tum admirabili quadam maieſtate grauiſſimæ, ſi modo illo charactere eloquij tractentur, qui neque magnus eſt, neque vlla maieſtatis dignitate conſpicuus, abſque omni dubio quantumuis acutus, & floridus, quantumuis cura compoſitus fuerit, quantumuis plenitudine quadam intumuerit orator, non mouebit, non delectabit, niſi fortaſſis riſum aut nauſeam excitauerit,

Mur. in 40. epiſt. Sen. ad Lucil.

vt recte *Muretus* iudicauit. Porro vt orator, ſicut decet, alios moueat, debet ipſe prius motu expetendo concitari, vt omnes inſtar ideæ admoneat, quonam affectu ipſi qui audiunt impellendi. bono autem vel expetibili motu ille orator affici non poterit, qui ſtudio captandæ gloriolæ flagrat, qui in hoc animo inflato incumbit, vt ſe alijs admirabilem oſtendat, qui orationis lepidæ, exquiſitæ cupidus apparet. neque in hoc præſidio ſibi fidat, quod huiuſmodi conſilium abdatur in intimis ſuæ voluntatis receſſibus, ad quos ſenſus auditorum nequeunt pertingere; etenim mihi credat, ipſemet ipſius ſermo, certis ſpiritibus temperatus, ipſimet corporis geſtus ex induſtria conquiſiti & naturæ affixi, hoc ipſum ex ſe exſpirabunt, ad oculos, ad aures, animoſque audientium omnia deferent ac renunciabunt. *Oratio*, inquit

Sen. epiſt. 115. Mur. in epi. 40. Sen. ad Lucil.

Seneca, vultus animi eſt, ſi circamtonſa eſt, & fucata, & manufacta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti: non eſt ornamentum virile, concinnitas. Quocirca licet motus quoſdam concitet orator iſte factus quodammodo ad ſpeculum, huiuſmodi tamen motus ipſius perſonam reſpicient, non perſuaſionem veritatis, non actionem virtutis. Quid autem ſit in hoc genere mouere, optime explicat S. *Augusti-*

Aug lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 12

nus. Tunc auditor mouetur cum inflectitur voluntas, cum amet, quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas amplectatur, quod dolendum exaggeras doleat, cum quod lætandum prædicas gaudeat, miſereatur eorum, quos miſerandos ante oculos dicendo conſtituis, fugiat eos, quos cauendos proponis, & quicquid aliud graui eloquentia fieri poteſt ad commouendos animos auditorum, non vt ſciant quid ſit agendum, ſed agant, quod agendum ſciunt: ſi autem adhuc neſciunt, prius docendi ſunt, quam mouendi. at reuera nullus prudenter alterius ſermone inducitur ad aliquid agendum, aut ab aliquo recedendum, quantumuis vociferando ſudauerit, niſi rationem vtriuſque audiuerit. Proinde quoad hoc abundare debet orator eis argumentis, quæ ſolide probant hoc agendum, vel declinandum: qua in re, ſtudium Philoſophiæ plurimum ipſi adiumento eſſe pote-

Tac. de ora

rit. *Tacitus* diſſerens de honeſtate ac æquitate ab oratore tractandis, ait: *De quibus copioſe & varie & ornate nemo dicere poteſt, niſi qui cognouit naturam humanam, & vim virtutum, prauitatemque vitiorum. Ex his fontibus etiam illa profluũt, vt facilius iram iudicis vel intelligat, vel leniat, qui ſcit quid ira, promptius ad miſerationem impellat, qui ſcit quid ſit miſericordia, & quibus animi motibus concitetur.* Et ob hanc cauſam *Ariſtoteles* ſua præcepta

Ariſt. lib. de Rhetor.

Rhetoricæ ex naturæ ac morum viſceribus educit. Inducendus itaque ſtudioſus eloquentiæ in philoſophorum ſcholas, vt ait *Tacitus*, nõ ſolum in Rhetorum officinas. *Magna eloquentia* inquit, *ſicut flamma materia alitur, & motibus excitatur, & vrendo clareſcit.*

7 Denique quod ad delectationem attinet, illa præſertim ſpectanda, quæ ex rerum ipſarum ponderibus dilucide propoſitis deriuatur, quæ in honeſtis animi motibus reperitur: nam hæc vt ſupra admonuimus, delectationẽ quandam in ſe continent. Delectatio autem ex meris verbis, ex tropis, ex methodo dicendi capienda, non eſt per ſe expetenda, ſed quatenus delectationi perſuaſionis, motus, ac inflexus animorum inſeruit, exquirenda. Enimuero delectatio pure verbalis, valde exilis, neque vllam in ſe vim complectitur, quæ doctum aut ma-

Amb. lib. 1. offi.

gnum ingenium afficiat. *Enimuero*, inquit S. *Ambroſius, diſſoluti eſt pectoris in rebus feriis quærere voluptatem: & cum tibi ſatis ratio, tum male ſe habentibus atque ægris ſonos auribus infundere dulciores, non medicamen vulneribus adhibere.* Vt vero in cibis alia pueris delectabilia, alia adultis, ita & in verbis contingit, vt leuiores auditores iſtis delectentur, grauiores alijs: quod & clarius conſtiterit, cum de ſtylo aliquid conſtituerimus.

X CAPVT.

CAPVT. XXI.

Quodnam ſtyli genus ciuilibus inſtitutis congruentius. vbi differitur de quadruplici eius ſpecie, Dinina, Rationali, Concnpiſcibili, & Iraſcibili, babita ratione tam rerum ipſarum, quam ingeniorum.

CVm in mutua neceſſitudine inter ciues ipſa vitæ ciuilis forma repcriatur, tum æquum, ſermone & eloquin, ſicut & alijs tam naturæ, quam artis muneribus, illos ſnre reciprnce ſibi beneficos. imo nratione & ſcriptn maxime inuicem proſunt, quando iſtis tanquam externis ſignis latentes animi ſui ſenſus & affectus alijs viciſſim repræſentant. qua in re vt multæ præclaræ ſpecies cernuntur, ita varia quoque errata indies in ciuitate increbreſcunt. Primn loco dicendum nccurrit, quod tametſi ſtylus ad declarandas animi conceptiones a natura ipſa inſtituatur, nihilnminus, cum earum amplitudines vix exæquet, rarn ipſimet ſcribenti & opifici arridere ſolet. Hoc autem frequentius maioribus ingenijs accidit: Hæc enim, antequam ſtylum mnuere incipiant, ſibi videntur grandia, ampla, copinſa, ſpecioſa etiam animis excogitaſſe, quæ ſimul ac literis deſcripta, veluti paruo ingentes fœtus conceptuum definiri, paucis magna explicari, ac nnn tam vbertate effundi, quam vinculis conſtringi. quod cũ animaduertunt, dolent quodãmodo, ſtylum culpant, illumque iden auerſantur, quandoquidem ad plenum haud ſatis notionum ſuarum ambitus explicauerit. Minnribus autem ingenijs, quæ imaginatinne & memnria valent, facilius accidit ſun ſtylo delectari; nihil enim vltra id poſſunt mẽte depingere, quod obuius ſtylus nequeat ſpecioſe ſatis comprehendere. Quamuis enim intellectin omnis in vniuerſum dependeat ab imaginatione, ac inde aliquo mndo cohibeatur & impediatur a natiua, abſtracta que ſua amplitudine, nihilominus imaginatin, quæ ſcriptioni adminiculatur, circa plura ſingularia eſt occupatior, diſtractinr, adeoque anguſtinr: & proinde ſtylus ab eadeductus, adſequi non valet animi ſolutam quãdam dilatationem: aliud enim eſt volare mentem ſpeculando nullis verbis ligatam, aliud eius obiectum tabulis conſignari, verborumeque quaſi compedibus impediri. *S. Auguſtinus* reſpondens Diacono Carthaginenſi, qui illi ſignificarat, deſcriptos ab ipſn Catechiſmos haud placuiſſe proprio iudicio, ac proinde quæſierat a *S. Auguſtino*, vt ſuo ſtyln expreſſos ipſi alins mitteret, reſpondit: *Nam & mihi prope ſemper ſermo mem diſplicet.* rationem hanc reddit: *Contriſtor, ſermonem meum cordi meo non poſſe ſufficere.* In eandem ſententiam pariter *S. Hieronymus* hæc dicit: *Propriæ mentis cogitationem ſermo non explicat: Profundos enim & reconditos ſenſus lingna non explicat.*

Auguſt. lib. de catechiſ. Rudib. ca. 2.
Hieron. Ep. ad Pam.
Ad Algaſ. quæſt. 10.

2 Verum tamen in hoc negocio noſtra ſorte contenti, conandum, in finem, quo alijs vtiles eſſe pnſſimus, vt dilucide cum rem ipſam, tum noſtros conceptns verbis explicemus: ad hoc enim ſermones ac ſcripta penitus referuntur. *Camqne ipſa natura*, ait Cicero, *accuratum orationi hoc profiteatur, quod non apparet, & quo id facilius adſequatur, adhibiturum & ſenſus, & ea qua perſpicua ſunt, qualis eſt iſtorum oratio, qua omnia non tam eſſe, quam videri volunt?* Præpoſtere idcirco ij faciunt, qni cum deberent alijs rerum naturas verbis aperire, illas interpoſitis dictionis fumulis, verbiſque exoticis, vt notat *Gellius*, pntius velant celantque; adeo vt auditor ſen lector ſummis viribus debeat contendere, qun eiuſmodi verborum tegmine diſcuſſn, tandem ad eas ſuo marte percipiendas peruadat. Sanum omnino conſilium *Phauorini*: *Viue moribus præteritis, loquere verbis præſentibus.* Iſtius quidem nbſcuritatis variæ cauſæ. prima attingit imperitiam in illa lingua, cuius inſtat vſus. altera denotat crudum ac indigeſtum in animn rerum conceptum: nam a confuſis ac perturbaris notionibus in mente manare non poterit amœna, perſpicua ac inſignita facies loquutionis vel ſcriptionis. imo clara ac diſerta oratin, ſignum abſolutæ in animo ſcientiæ: prnpterea *Ariſtoteles* aſſerit, quempiam poſſe alios apposite docere, indicium eſſe in eodem ſapientiæ. Deinde aliqui ita cupiditate excellenter ſcribendi incenduntur, vt ſtudeant peregrinis verbis, adeoque contextu eorum naturæ haud conſentienti, ſed exntico prorſus, ſua nmnia deſcribere: qun nbſcuriſſimi euadunt. Denique ſunt, qui vehementer cupiunt, vt alij exiſtiment, ſe ſublimia ac rara quædam dogmata tradere: proinde quo hoc ſuccedat, omnes vmbras & inuolucra verborum ſibi conſciſcunt. vndiquaque autem proueniat hæc obſcuritas, certe res eſt cum naturæ ipſi, tum mnrum ciuilitati aduerſaria. Proinde ita verbis diſſerendum, ſic ea adhibenda, ac inter ſe filo compnnenda, vt res ipſæ videantur non ſnlum ea ſuppeditaſſe, ſed etiam proprio opere contexuiſſe: quo id rebus reſpectu ſtyli adueniat, quod vitibus, ad vinitoris induſtriam relatis, contingit. *Qua circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur, vt quo natura ferat, eo poſsit ire: vt ipſa vites, ſi loqui poſsint, ita ſe tractandas, tuendaſque fateantur.* Verum quidem eſt, ad hoc criſtallum latinæ elegantiæ, quo antiqui Romani ſcriptores fulſere, nos ægre admodum, a matris vberibus alijs ac diſſimilibus etiamnum linguis aſſuetos, poſſe peruenire: laborandum tamen, vt nihil in noſtro ſtylo ſit obſcurum præter materiæ ſubiectæ Metaphyſicam quandam altitudinem & ſubtilitatem: in quibus ingenin lectoris, non dictionis vllæ perſpicuitati fidendum. *Ineſt in rebus ipſis obſcuritas*, inquit Cicero. *Neque enim ignoro, quanto infeliciora ſint ingenia noſtra Romanis: ſi quidem latine & diſerte loqui illis ingeneratum, nobis elaboratum: & ſi quid forte commodum dicimus, ex illo fonte & capite facundia imitatio noſtra deriuat.* Terminos vero

Cicer. 1. Ac cadẽ quæſt.
Gellius lib. 1 Noct. cap. 10
Ariſt. lib. 1. Metap. ca. 1
Cicer. lib. 5. de Fin. de & acdua.
Cicer. lib. 4. de Fin.
Auctor. Panegyr. dict. Cõſtãt. Filio

Romanæ

Romanæ eloquentiæ iſtis *Cicero* deſcripſit: *Oratorum quidem laus ita ducta ab humili venit ad ſummum, vt iam, quod natura fert in omnibus fere rebus, ſeneſcat, breuique tempore ad nihilum ventura videatur.*

Cicer. Tuſcul. 2.

Quod idcirco venuſtas ſtyli omnino dependeat a naturis rerum ipſarum, eam ob cauſam rerum diſcrimina etiam ſtyli diuerſas formas ſeorſim requirunt: quibus cum conſenſerit, non tantum quo ad vim argumenti, ſed etiam verbi florem, dictu incredibile, quam iucundus, quam admirabilis: *Chryſippus, & Antipater* inquit S. *Hieronymus, inter ſpineta verſantur. Demoſthenes, & Æſchines contra ſe inuicem fulminant. Lyſias & Iſocrates dulciter fluunt. Mira in ſingulis diuerſitas, ſed omnes in ſuo perfecti ſunt. Intelligendum, aliter componi hiſtoriam, aliter orationes, aliter dialogos, aliter epiſtolas, aliter commentarios.* Protheum hunc Rhetoricum ſuis coloribus deſcribit *Lucanus* in perſona *Calpurnii Piſonis.*

Hieron. Epi. ad Pſam.

Lucan. in Poemat.

Nam tu, ſi libuit, pariter cum grandine nimbos,
Denſaque vibrata iacularis fulmina lingua.
Seu iuuet, adſtrictas in nodum cogere voces,
Et dare ſubtili vinacia verba catena,
Vim Laertiadæ, breuitatem vincis Atridæ,
Dulcia ſeu mauis liquido fluitantia curſu
Verba, nec incluſo, ſet aperto pingere flore,
Inclita Neſtorei cedat tibi gratia mellis.

Spartian. in Adrian.

Spartianus, ſtylum ab *Adriano*, docto Principe, cultum deſcribens, ait. *Amauit præterea genus dicendi vetuſtum. Controuerſias declamabat. Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Saluſtio Cæcilium prætulit.* *Phocionis* quoque ingenium teſte *Plutarcho*, huic adfine. *Phocion animaduertit, idem orationi conuenire quod nummis, qui eo ſunt præſtantiores, quo in minori materia plus valoris ac precij complectuntur. ſic optimum orationis genus illud, quo paucis multa ſunt grauiter, ſapienter, acute ſignificata.* Hoc ipſum genus ſtyli affectati olim Galli, teſte *Solino, Herculem Celticum* Græco Mercurio præferentes. Ferme autem ad quatuor formas, ex totidem vſibus ſtyli propagatas, omnem eiuſdem varietatem reducimus. aut enim homines familiariter ſermocinantur inter ſe, aut alios docent, aut tractant quædam laudando, vel vituperando, aut hiſtorias narrant. Confabulationes conciſæ ac breues eſſe debent, quod vtriſque, aut pluribus, loquendi vices alternatim concedendæ. Deinde modi explicandi negocia, breuitate quadam recolligi volunt, vt magis innoteſcant, & illud conſtet apertius, quod conficiendum: quocirca epiſtolæ, actus ſcenici, huiuſmodi ſtylo veſtiendi. Argumenta vero dogmatica, pura & deductiori ſerie orationis illuſtranda, vt omnibus excuſſis latebris, ac cauſæ viſceribus explicatis, imo nouis vocibus, ſeu terminis artis, vt ait *Seneca*, vſurpatis, rei natura in apertum prodeat conſpicienda. Cui ſi breuiores periodos adhibueris, nunquam rei magnitudini aut intellectus humana contemplantis cupiditati, ſemper ad aliquid penitius videndum vlterius exrentæ, ſatisfeceris. ac vt ſummarim dicam, illæ clauſularum decurtationes ac ſeramina, inepta ad fidem ex probatione faciendum. Quæ etiam argumenta amplificationum ſpeciebus exornanda, ea ſtyli quandam requirunt vbertatem ac redundantiam. proinde frequentia eiuſdem quaſi fragmenta ſeu conciſiones, huic exoptandæ plenitudini ac fluxui continuato inidoneæ. in quibus fieri poterit, vt quis aliquando ſuum ingenium commendet, vt cuiuſdam elegantiæ quoque ſpecimen edat, nunquam tamen euadet, vt eloquentiæ ſchemata amplificatoria, vt iudicium, vt eruditionem in doctorum animos ingerat. Enimuero improprium, impurum, inconcinnum quod aliqui a foro, a ſcena, ab epiſtolis, ad hoc genus dogmatici argumenti inepte tranſtulerunt. Hiſtorica autem eloquutio, ipſis rebus narrandis, tanquam idonea veſtis ſic accommodanda, vt neque deficiat, neque quicquam redundet. in quo, illa etiam affectata ſtyli diſſectio, ſi adhibita fuerit, præter obſcuritatem, quam rebus obtendet, defectum pariter adducet omnis leporis, maieſtatis, ac dignitatis. Vt enim in anguſtum colores ſuos non cogit pictor, ita nec orator ſua lumina in exigua ſcripti, quæ ſparguntur, membra, idonee compellet.

Plutar. in Phocion.

Solin. lib. 6.

Senec. Epiſt. 58. ad Lucil.

4 Et quidem ſicut in aliis ſignis exhibendis, quibus animi mores ac diſpoſitiones alijs pateſcunt, viro ciuili magna cura adhibenda, ita in genere ſtyli vſurpando cautiſſimus eſſe debet. Enimuero ſtylus animi morum ingeniumque redolet, ſicut pomum aut flos radicis ſaporem. Videmus enim animos molles, ſubactos, & nobilitate ſanguinis claros, dulcedine quadam ſermonis fluere, inſtar fluminis olieginei decurrentis, aut per diuitem herbam, ac frequentes flores, lapſantis caudæ pauonis mollitudine & ſuauitate ſonus demulcere.

Ouid. lib. 5. Faſtor.

Dum loquitur vernas efflat ab ore roſas.

Iratos contra, agreſtes, tumidos, martios & neſcio quos aſperos ſyllabarum concurſus conglomerare. *Plinius* ſecundus dicendi characterem altum ac tragicum, ſimulque humiliorem & comicum, duabus ſuis villis ſimiles dixit. quarum vnam, in alto extructam tragœdiam, alteram in valle poſitam, comœdiam haud illepide appellauit. Eodem modo *Lucullus*, vt narrat *Cicero*, dicebat ſe habere duas villas: quarum ſuperiorem, equitem, inferioriorem libertinum vocabat. Profecto ſtyli qualitas indicabit vt, recte diſſerit *Seneca*, cuius villæ incola fuerit orator; ac quid in illo exaggeratum, quid humile ſeu dimiſſum lateat: an eques Romanus, vel Romanum mancipium. ac in ſcriptis *Demoſthenis*, atque *Eſchinis*, vtraque genera, vt intulimus, exprimuntur. *Oratio vultus animi eſt*, ait *Seneca*.

Plini. lib. 6 Epi. ex. 7. 2 6

Cicer. lib. 3. de legibus.

Senec. Epiſt. 40. 95. 115. ad Lucil. 115

5 Atque vt eloquentia, a naturæ fonte fluens, triplex, *Rationalis*, *Concupiſcibilis* & *Iraſcibilis*, ita ad eius differentias triplex ſtylus, *Rationalis* nempe, *Concupiſcibilis*, *Iraſcibilis*. Rationalis quidem, quod a ſenſu alienus, & motu illius, inde non eſt multum notus hominibus vulga-

vulgaribus, neque ab illis plurimum expetitus. Proprius eſt idcirco ſcholæ, & veritati rerum omnino accommodatus. Elegantia autem ſtyli, quam omnes affectant, plerumque eſt *Concupiſcibilis*, aut *Iraſcibilis*. Concupiſcibilis quippe *Atticus*, & *Aſianus*, magnis & delicioſis ingenijs conuenit: ſcientiæ ambitu effuſus, verbis ſignarus, tropis illuſtratus, numero concinnatus: neque in dictionis flores tam exuberat quam ebullit. Qui huic oppoſitum ſtylum colunt *Iraſcibilem*, virilitatem ei adimunt, adſcribentes illi tantum petulantem quandam redundantiæ venerem. Stylus autem iraſcilis laconica breuitate conſtrictus, & horrore quodam rudis, neſcio quid latentis ſenſus contumelioſe ac ſuperbe intendit, intra anguſtiſſimos terminos & ſcabroſa membra abſque omni numeri concẽtu, abſtruſum ſenſum cum ſumma mordacitate abſcondit. *Sparta*, ſeu *Lacedæmones*, ab ingenijs & vitæ vſu, homines Martij, aſperè hoc ritu loquebantur ac ſucciſè. Eorum princeps *Lycurgus*, qui vt ſcribit *Plutarchus*, *Breuiloquus*. Hunc imitatus *Ageſilaus*: cuius epiſtolium *Plutarchus* ſic refert, *Niciam, ſi quidem nihil commiſit, dimitte: ſi commiſit, nobis dimitte: ſumma, dimitte.* at quis iſtis paucis verbulis deeſſe ſuam venerem iudicabit? hoc eſt ingenij affectatam oſtentationẽ: ne Aſiano ſtylo venerem tantummodo attribuant? Videmus ter repeti illud *dimitte*, & agnominatione, puerili quodam adhibito ſtudio, per totam periodum traduci. *Phocion* pariter Athenienſis, quem *Demoſthenes* a ſe dictorum ſecurim appellabat, contra ſuorum Gentilium ingeniũ ac Mineruã, quod moribus tetricus aut Stoicus, hoc dicendi genus intẽpeſtiue approbare ſuo delectu voluit. Etiam apud Romanos *Brutus*, ac ſi ſtatua fuiſſet ænea, rigorem hunc conciſi eloquij vſurpauit: de quo *Plutarchus*. *Facundiã militarem belliſque accommodatam exercuit, Græcum vero, graue, ac ſententioſum dicendi genus & Laconũ breuitatẽ quodammodo imitatus eſt.* In argumentũ laudis huic ſtylo debitæ, *Charilaus Lycurgi* nepos, dicere ſolebat, *Eos, qui non multis vtuntur verbis, neq. multis legibus indigere*, ſignificans Spartanũ ſtylũ in honeſtioribus ciuibus reperiri, quã Atticũ. Enimuero nõ abnuerẽ prorſus huic aſſerto veritatẽ ſuam ineſſe, certo tamen ſenſu ſæcundo: nempe ciues iraſcibiles, vt alias diximus, qui loquuntur Lacedæmonicè, non indigere tot legibus ad honeſtos mores, ac Aſianos affluentes iucunditatibus vitæ, & ad eius ingenium affluenter dicentes: hi enim vt difficilius vitijs reſiſtunt, ita pluribus legibus ab eis muniendi. Noſtra ætate *Iuſtus Lipſius* more laconico ac martio plurima, magna penes iuniores cum ſua laude, luſit. Duo ſibi arrogant iſtius ſtyli artifices: antiquitatem ſcilicet, & virilitatem. antiquitatem, quo demum titulo? num Sparta tota Aſia vetuſtior? an non homines ſtatim ac literis floruerint, Aſiatice diſputarint? quo ſæculo precor, enixus *Hercules* eorum barbaricus aut Gallicus, vti oſtendant, illum vel *Palladis* tempora anteuertiſſe? Cæterum ob virilitatem gloriantur. Ego ſane in nullo genere orationis tantam, aut tam puerilem affectationem, & tam frequens aucupium adeo leuiũ

Plutarch. in Lycurg. in Ageſil.

Plutarc. in Phocion. in demoſthenẽ

Plutar in Bruto.

Plutar. in Lycurgo.

agnominationum, atque ſimiliter cadentium verborũ deprehẽdere potui, ac in hoc ex priſco recenti laconiſmo. quid virilitati cum iſto ludo, & ſonora vanitate? In genere autem dicendi Italico, ſeu Romano, inſigniter innotuit contraria grauitas dicendi. ob quam cauſam *S. Hieronymus* dixit ſe Romam petiiſſe, prius edoctum in Gallia, *Vt vbertatem nitoremque Gallicani ſermonis, grauitas Romana condiret.*

Hieron. Epiſt. ad Ruſtic.

6 Diuinus ſtylus ad ideam ſacræ Scripturæ hominem inſtituit ad loquendum, maieſtate quadam verborum, & cum magna auctoritate loquentis, vel ſcribentis: hoc eſt abſque exquiſito ornatu, ſine operoſa nimis aut ſolicita dictorum probatione, aut de veritatis opinione apud alios futura diffidentia: quippe quod tanquam ab oraculo, ab iſto diuino genere, vera aſſerta, proprijs connixa viribus, dimanẽt. *Rupertus* eleganter ſatis comparat ſtylum ſacræ Scripturæ fiſcellæ, in qua *Moyſes* puer formoſiſſimus includebatur: *Vt eloquentia ſpiritus vilitate literæ temperaretur.* notat ergo *S. Thomas* in ſacris literis metaphoras a rebus humilioribus plerumque deſumi. Errant idcirco vehementer, qui barbariem & inſulſam dictionem criminantur in noſtris, qui Philoſophica, & Theologica ritu Metaphyſico pertractant. nam cum eis inſtitutum docere, idque in rebus obſcuris ac ſubtilibus, tum illud genus ſtyli ad rationem optime compoſitum, quod diſtinctius ſignificat animi conceptus in docente, ac eis mediantibus res ipſas. quomodocunque ergo receſſerint a Latino vſu aut nitore, ob penuriam illius linguæ, ſi modo res ipſas melius effingunt diſſerentes, ſatis elegantes & ornati iudicandi. quorum plerumque contemptus, ac delectus verborum ad latinum idioma exquiſitior, aut medullam fundumque rerum non attingunt, vel ea mira obſcuritate inuoluunt. ſunt porro certa iudicia hominis indocti, ac vltra verba nihil ſuo more exquirentis, vt *Seneca* recte admonuit. diſcipulus *Iuſtini Martyris*, *Tatianus*, dat rationem Græcis, ob quam ſacrarum literarum lectio ei arriſit. *His diis fidem adhibui, quod ſtylus non eſſet phaleratus, nec vlla ſcriptorum affectatio, & ſermo nuſquam obſcurus.* idem ſcribit de *Gregorio Thaumaturgo*, *Gregorius Nyſſenus*: nempe cum audiret Alexandriæ docentes Chriſtianos Doctores, fidem admiſiſſe, inde motum, quod ſine curioſitate verborum, & artificioſo nexu argumentorum, res diuinas tractari animaduertiſſet.

Iuper. in cap. 9 Exod.

S. Thom. 1. par. q. 1. art. 9.

Lactant. lib. 5. De Iuſtit. cap. 1.

Senec. epiſt. ad Lucil.

7. Rationalis ſtylus, confertim rebus ac probationibus addictus, in ornatu comparando paulò indiligentior.

Te tuus iſte rigor, poſitique ſine arte capilli,
Et leuis egregio puluis in ore decet.

Ouid. Fragm. ſelect.

8. Stylus concupiſcibilis, floridus, luxurians, ſuauiter ſonans, ad metaphoras ſenſibilium voluptatum ſpiſſius reſpectans: ſummatim tam in rebus melle reſperſus, ac Zephyro quodam vndique iucundus.

9. Iraſcibilis affectus ſtylum effert conciſum ab omni concinnitatis textu, amplificationis ornatu, abhorrentem, ſyllabarum ſtridore frẽdentem

dentem, faſtu ac indignatione in ampullis ſuis turgeſcentem. *Quidam* ait *Seneca*, *præfractum & aſperum probant, diſturbant de induſtria ſi quid placidius effluxit, nolunt ſine ſalebra eſſe iuncturam, virilem putant & fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat.* Stylus iſte græcus, ſtoicus olim, latinus poſtea *Gothicus* & Aphricanus. Proinde facilior, vtpote præceptis Rhetoricæ quo ad Numeros, & amplificationes, carens.

(Senec. ep. 114 ad Lucil.)

10. In genere concupiſcibili inſignes *Cicero Ouidius, Saluſtius, Liuius*; in iraſcibili conſpicui *Cæſar, Seneca, Martialis, Iuuenalis*. at in vtroque meo iudicio ad ſtuporem vſque admirabilis, apud Græcos *Homerus*, apud Latinos *Virgilius*: veriſſimi in ſtylo Prothei & Cameleontes, vt plane neſciam, in quo magis excelluerint. Et quidem *Virgilius* vbi de amore ac luxu, de dolore ac triſtitia poëtam agit, quam ibi fluidus ac politus, vt ne vix quidem R. in eius carmine aliquid rauci aut canini expreſſerit! *Didonem* amore captam ſic loquentem inducit:

Si mihi non animo fixum, immotumque ſederet
Ne cui me vinclo vellem ſociare iugali,
Poſtquam primus amor deceptam morte feſellit,
Si non pertæſum thalami tedæque fuiſſet:
Huic vni forſan potui ſuccumbere culpæ.

(Virgil. 4. Æneid.)

At Teucrorum iras, cum eos *Turnus* ciuitate incluſos obſederat, famelico lupo illos comparando, ſic refert:

———ille aſper & improbus ira
Sæuit in abſentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.
Haud aliter catulo, muros & caſtra tuenti
Igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet.
At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Increpuit: ſequitur clamor, cælumque remugit.

(Virgil. Æneid. 9.)

11. Hinc fit quod ratione affectus excitandi idque ex præſcripto philoſophiæ alius ſtylus hiſtoriæ vel tragœdiæ, alius elegiæ conſcribendæ adhibendus. qui enim tragœdiam vel hiſtoriam poëticè narrat, is ex magnitudine affectus verba ingenti quodam apparatu ac pompa extendit. qui vero elegias componit, is dolore vel amore ſuperatus, euentus deplorat: ac proinde poſteriori verſu vna ſyllaba quaſi claudicat, vtpote in argumentum animi mœrentis deficientis, ac ſeſe præ dolore quodammodo abijcientis. quamobrem tam carmen hexametron quam heroicum, indolem poetæ omnino produnt, illud quidem, vim rationalem, hoc autẽ concupiſcibilem. quo pacto, Satyra breuibus verſibus coalita, iram oſtendit: hæc quippe inſtantanea quadam impreſſione mordax, & quaſi ſpinoſa rubus, quæ in altum non inſurgit.

(Auguſt. lib. 4. de Muſica.)

Venit odoratos Elegëia nexa capillos,
Et puto pes illi longior alter erat.
Forma decens, veſtis tenuiſſima, vultus amantis,
In pedibus vitium cauſa decoris erat.
Venit & ingenti violenta tragœdia paſſu,
Fronte coma torua, palla iacebat humi.
Læua manus ſceptrum latè regale tenebat,
Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

(Ouid. in re. leg. ſelect.)

Socrates teſte *Cicerone*, ita diſſerebat: *Qualis cuiuſque animi affectus eſſet, talem eſſe hominem: qualis autem ipſe homo eſſet, talem eſſe orationem. orationi autem facta ſimilia, factis vitam.*

(Cicer. lib. 5. Tuſcul.)

12. Ex iſtis intelligi poterit, non ſolum animi indolem, ſtyli genere prodi ac repræſentari, verum etiam indolis vitium, ſi dicendo, ab argumenti natura, orator ſibi indulgendo, diſceſſerit. hoc pacto de rebus diuinis perorans, ineptè loqueretur ac ſcriberet, ſi ex pondere propenſionis concupiſcibilis, poëticas Phraſes inſpergeret, ac leuiora pigmenta affectaret. Pariter ex inſtituto partis rationalis dogma aliquod pertractans, tramite aberraret, ſi modo indolis vi adactus, ritu diſſereret panegyrico, tropis & figuris concupiſcibiles veneres in oratione oſtenderit. *Oratio ſolicita Philoſophum non decet*, inquit *Seneca*, *vbi tandem erit fortis & conſtans, vbi periculum ſui faciet, qui timet verba?* Denique iudicialem aliquam cauſam dicendo agens, a recto declinabit, ſit modo amori, ſi miſericordiæ, ſi lenitati, in quæ a natura inclinatus nimium, conceſſerit. Chriſtiana ſapientia argumentum plerumque continet diuinum, Rationale, & concupiſcibile. idcirco a prudentia & iudicio deuiant, qui lacteam hanc materiam ferreis ſuis verbis vibrant ac criſpant. dicant quid velint, ſe potius quam Chriſtum deſcribunt: neque tam ad inſtituti ingenium, quam ad inſolens animi ſui ac ſeptentrionis conſiliũ, diſſerunt, qui fragoſum obſcurumque ſtylum illi adhibent. Ergone pietas noſtra res adeo ſalebroſa & irata, vt indigeat horum typho, ſermone horrido, incultoque? & quidem præter abuſum thematis, fructu plerumque carent, nempe ſpirituali ſenſu ac guſtu in lectore. verum quidem, in rebus altioribus explicandis, ſeu metaphyſicis, vel etiam in eis tractandis, quæ ſanctiora, & æternæ fœlicitati maximè neceſſaria, vt ſuadet *Plato*, laudanda, quantum ad nomina ſiue voces, quædam negligentia: vnde appareat, rebus magis accommodari dicentis voces, quam iſtis eas.

(Senec. Epiſt. 100 li. 4 ad Lucil.)

(Plat. in Theæt. & in polit.)

13. Cæterum vt tria hæc genera ſtyli, deducta a facultate in homine rationali, concupiſcibili, atque iraſcibili, vt in ſe ſpectata, ad perfectum adduci poſſunt, ſciendum, ita certis vitijs eſſe agnata, vt facile ab eorum ingreſſu corrumpantur. Stylus, quem ratio ſola ac doctrina decernunt, ni cauerit orator, ſiccitate quadam citò marceſſet, colore ac ſucco deſtitutus, diu auditori delicatiori non placebit. Concupiſcibilis quoque ſtyli redũdantia ac mollities, niſi termini rigidiores interuenerint, languebunt, ingeniumque arguent ac redarguent effœminatum. *Noſti* inquit *Seneca*, *plures iuuenes barba & coma nitidos de capſula totos. nihil ab eis ſperaueris forte nihil ſolidum.* Etenimuero orationis molliori ac fuſiori fluxu, ita ſæpius argumenti neruus extenditur, vt penitus diſſoluatur, vt gracilis euaneſcat, vt nihil eius, ab impetu halitus, maneat ſuperſtitis, præter inanes phaleratæ orationis exuuias. Stylus quoque, qui iræ inſeruit ac ſua laconica breuitate intumeſcit in bullas, igneſcit in prunas, amareſcit in myrrham, extuberat in nodos, erumpit in quiſquilias, in reſegmina, ſi nullo lepore aut amœniori contextu exornetur, ſi omni melle deſtituatur, crudele quid horridumque ſpirabit. *Sed neque ille*, inquit *Auſonius*, *concinnius eloquetur, qui ſe laconica breuitate collegit: neque ille contortius, qui cum*

(Senec. Epiſt. 41)

Auſon. in Grat. Act. ad Gratian.

ſenſibus verba glomerauit: nec iſte dulcius, cuius breuis oratio mulcendo potius, quam extorquendo perſuaſit. Præclare quidem adnotauit *Cicero*, adhibendas haſce binas ſpecies ſtyli iuxta duplex genus orationis. vnum appellat *Contentionem*, alterum *Sermonem*. nomine contentionis comprehendit orationem dogmaticam, ſcilicet *demonſtratiuam, deliberatiuam*, & *Iudicialem*: ſermonis autem, familiare omne colloqoium in foro, in ſcena, ſeu alibi. Prius genus effuſum cupit eſſe, alterum ſuccinctum, vt tempeſtiuè colloquutori locus concedatur dicendi. in quibus diſparitatem ſtyli videmus, non ad arbitrium, aut ingenium dicentis, ſeu ſcribentis conſtitui, ſed ex qualitaribus rerum ipſarum, de quibus oratio profertur; idque iuxta normam vel exactiſſimæ philoſophiæ, in earum cognitionem etiam penitiorem intentæ. obquam cauſam numeri, ac flores, tam oratorij, quam poëtici, ortum habuere ab ipſa Philoſophia, quæ ſtatuit ſic ad rerum naturas ſolide, ſuauiterque de illis differendum. Nunquam idcirco bonus poëta, aut optimus orator quis fuerit, aut in ſtylo efformando commendabilis, niſi ex Philoſophia de rebus ipſis iudicare nouerit; adeoque intelligere, quo ſtyli genere ſingulæ depingendæ, iuxta ac quo animi affectu perſequēdæ, quiſque character ſtyli poetici ſiue oratorij, huic affectui cōmouēdo opportunior. Nō ſunt itaque, vt multi autumant, flores, ac formæ poëticæ, ſiue oratoriæ, res penitus vmbratiles ad modum vultus *Narciſſi* in aqua apparentis, ſed concretæ potius, deductæque ab intimis rerum elementis. Stoici quidem, ac inter eos *Cato*, vt ſcribit *Cicero*, rerum explicandarum naturis pleniorem orationem penitus excluſere. *Ea hæreſi* inquit *Cicero*, *fuit Cato*, *qua nullum ſequitur florem orationis, neque delectat argumentum: ſed minutis interrogatiunculis, & quaſi punctis, quod propoſuit, efficit.* eandem poſtea hæreſim ſequuti Lacedæmones, & in Areopago diſſerentes.

Cicer. lib. 1 offic.

Cicer. præf. paradox.

14. Reliquum iam videatur, vt comparationem aliquam ineamus, quantum ad ciuiles mores, inter ſtylum grandioribus periodis conſtantem, & alterum frequentioribus conciſum, ac ſtricturis interpolatum. Vtrumque genus *Cicero* luculenter quoque deſcripſit: prius hiſce verbis: *Grandiloqui, vt ita dicam, fuerunt, cum ampla & ſententiarum grauitate & maieſtate verborum vehementes, varii, copioſi, graues, ad permouendos, ac conuertendos animos inſtructi & parati.* poſterius ſic enarrat: *Alii aſpera, triſti, horrida oratione vtuntur, neq; perfecta atque cōcluſa.* Dico itaq; multis nominibus illud huic præcellere. Primo, illud genus ſtyli amplioribus animi cōprehēſionibus magis idoneū, quā alterū, vt conſtat ex prolixiori in eo verborū deductu. quod ſi ex inanitate quadam in hoc vitium fuerit, id non accidet ſtyli defectu, ſed oratoris culpa, qui non curauit maiorem ſui argumenti denſitatem. Hoc vero alterum genus breuitate incluſum, ac diſſectum in particulas, animi cogitantis in longum, aut porrecti, indicium nullo pacto eſt, ſed potius hac & illac fracte ſaltantis, anguſtiſque limitibus tortè conſtricti. propter hanc cauſam, quod ſecundo loco recenſendum, argumentis dogmaticis pertractandis concinne admodum reſpondet ſtylus ille deductior, eorum iſtas capiens magnitudines, confractus autem & abruptus, ſcenæ tantum, epiſtolis, aut familiari ſermoni, opportunè, dextreque ancillatur. Quod ſi quis Philoſophiæ explicādæ hoc genus ſtyli admouerit, vti *Seneca, Cæſar, Scaliger, Cardanus*, & alij viſi feciſſe, in eius opere ac ſtudio aduertemus non tam ſolidi ipſius excuſſiones, quam modulos dicendi argutulos, veluti ex ferro extuſos, ac quadam ſpecie ex ipſa ruditate & negligentia ingenioſos. Stylus porro amplior, quo ad ipſam ſtructuram difficilior, artificioſior, curioſior, elaboratior, ac ad delectandum inſtructior Eius namque contextus mira ac leni verborum collocatione decurrens, auribus ac menti ſimul arridet. De quo artificio loquitur *Eccleſiaſticus*: *Tibia & pſalterium ſuauem faciunt melodiam: & ſuper vtraque lingua ſuauis.* at vero ille orator ſcenicus, omnem curam abijcit verba aptè intexendi: imo quò concurſus ſyllabarum infractior, contortior, eo ſuam virilem eloquentiam, ferri ramentis conſtantem, magis commendari exiſtimat.

Cicer. orator ad Brutum.

Eccleſi. 40.

In breuibus nunquam ſeſe probat Æolus vndis,
Nec capit anguſtus Boreæ certamina collis.

Claud. Ep. ad [illegible]

Porro ſicut omne orationis decus amplificatione, ita huius cum ſolum capax ſit ſtylus affluentior, quantum ad vim oratoriam, ac ad vehementius animos permouendos, alteri ſquāmoſo, curto, & rugoſo longiſſime antiſtat. Vt autem amplificationis color in ſtylum inducatur, requiritur eius veluti ſedes ac locus parum laxior ampliorque, vt conſtat: omnis enim amplificatio grandeſcit. quod quidem ſpacium reperitur in ſtylo fuſiori, in ſtrictiori verò ac conciſo, inter membrorum cruſtulas nequaquam. Proinde nunquam fuerit iſte adeo potens ad perſuadendum, affectuſque mouendū atque alter. Hinc *Plinius Secundus*, cuius iudicium hac in re magni facio, ſtylum materiam excedentem, vtpote maioris ingenij effectum, præfert ſtylo ieiune ac parce eam vix explicanti. *Et ſi non limatioris, maioris tamen ingenij vitium eſt. Si tamen detur electio, orationem ſimilem niuibus hibernis, id eſt crebram, aſſiduam, & largam, poſtremò diuinam, & cæleſtem volo. Relinquere aculeum in audientium animis is demum poteſt, qui non pungit, ſed figit. non enim amputata oratio, & abſciſſa, ſed tota magnifica, & excelſa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat, & miſcet.* Nihil horū præſtat ſtylus ille laconicus. ſatyricè mordet mimice ſaltat illico flāmeſcēs in ipſis ruſticæ ſuperbiæ fragoribus, impudicis mataphoris, id manui quod capiti atribuentibus, deſinit, horrori ſuo immoritur, peritque. Poſtremo fluxus Styli amplioris, ingenii placidi & amantis nota expreſſiſſima. alterius autem abrupta & ſalebroſa membra, irati ac elati ſenſus, qualis in ſtoicis, certiſſima argumenta. Quid enim magis ſcabrum, quam oratio vi quadam inſtar grandinis excidendo fracta? quid magis faſtuuſū, quam ſenſus aliquis non dum plenè ſed oblique verbis

Cicer. pa[...]

[...] ep. 20. [...] mod. Tacit.

Cicer. præf. paradox.

verbis declaratus? indicio enim hoc, loquentem vel ſcribentem haud dignatum ioqui, vel ſcribere in gratiam audientium, legentiumve, copioſius aut enucleatius. Quamborem diſſerendo non tam oratorem refert iſte iſtilus quam militem eruginoſo ferro contectum. Vnde quando bella diutius ac pertinaciùs in aliquo loco inhorreſcunt, ibi, vt experientia demonſtrat, iratum ac frendens boc genus ſtyli in hominum vſus inuehitur. illo tempore, quo Romæ omnia armis fuere commota, eodem expulſa dictionis venuſtate, ſubintrauit illud raucum *Senecæ*, & *Cornelii Taciti*. ſimiliter Gotho, ſua barbarie in Europa inualeſcente, primum apparuit *latinus* ſtylus prorſus Gothicus, ab *Ammiano Marcellino*, a *Caſſiodoro*, & *Sidonio Apollinare* vſurpatus. Enimuero iratum ac ſuperbum ingenium, quale olim Stoicorum, requirit ſtylus iſte rudior ac infractior. & ob

Plato dial. de legib.

hanc cauſam narrat *Plato*, *Lacedæmonios*, ferreos planè, contumelioſos & martios homines, breuiloquos extitiſſe. Non ergo adprobo ſententiam *Senecæ*, amœnam ac flo-

Sen. ep. 40.

rentem noſtram muſam vituperantis. *Sic itaque habe, vt iſtam vim dicendi rapidam atque abundantem, aptiorem eſſe circulanti, indices.* at dico pleniorem periodum, plura rerum pondera admodum ſingulis verbis conglobantem, aptiorem eſſe ſententiæ Philoſophicæ exprimēdæ, illis velut in tecto ſcutulis clauſularum, vel reſegminibus inter ſe compaginatis: tum quod plus argumenti proferant, tum quod floridius illud venuſtent, tum quod explicatius etiam rem ipſam declarent. illa autem breuia & arcta, veluti in mari æſtuoſo, plerumque obſcuriſſima, ſenſum nō tam euoluentia, quam vorticibus implicantia, nihilque præter fragorem & affectatam antitheſim referentia. quod ſi vberius ac venuſtius diſſerētes illi, aliquid interdū fecerint ritu circulatorum, nulla exinde nota ſtylo ipſi inurenda, ſed eius artificibus, quorum ſenſus doctrina vacui, in verborum canoros ſtrepitus ac pura flumina dictionum proruperunt. Hi autem, cum uolint cum balenis, in vaſto mari eloquentiæ natare Rhetoricantes, ſimiles eſſe volunt conchis, quæ ſcopulis adhæreſcunt.

25. Imo ut in vniuerſum ſtylus certa ſignificatio ingenij, ac in animo latentis ſcientiæ, ita vt mihi videtur, ille conciſus, indicium defectus ſcientiæ & doctioris intelligentiæ. nam animi, ſolidè res percipientis cogitationes, exiſtunt quaſi deductiores: vtpote a primis principijs orſæ, aut ab vltimis ad ea reductæ: quæ vt exiſtunt multiplices, ingenti cōplexu amplæ, ita ordine quodam & ſerie inter ſe connectuntur. ſtilus autem fractior nihil tale ſignificat in animo ſcribentis latere: ſed potius turbas conceptuum, veluti cruditates demonſtrat. idcirco non ſcientis, ſed potius cum affectatione loquentis argumentum. hoc autem cum illuſtrari, tum probari poterit doctrina *Ariſtotelis* & exemplo harmoniæ, iucundo auditu afficientis animos plebeiorum & ruſticorum. quod enim iſti, vt ille differit, cogitationes animorum minimè retinent in longum porrectas, ſed fractas & deſultorias: ac eodem modo quod ad affectus, curtim & conciſè diſponantur, ideo arridet illis muſica diſtorta, vehemens & rigida. quo ergo pacto ex hoc genere muſicæ detegimus in eiuſmodi hominibus animas, cogitationes, & affectus, *A naturali habitudine diſtortos*, vt loquitur *Ariſtoteles*; ita ex ſtyli characte-

Ariſt. 8. l. pol. cap. 6.

re ſalebroſo, & interciſo, ſatis nobis innoteſcit, eos, qui illo capiuntur, magnos ſpiritus haud in ſe complecti, vel docta ſeu ſcientifica intelligentia præpollere, ſed potius anguſtis animi conceptionibus, eiſque identidem retractis, res ipſas non tam plene eſſequi quam carptim delibare.

26. Cum itaque quantum ad ciuiles mores, vſumque eloquij, plurimum conducat optimi ſtyli delectus, nihil meo iudicio ad hoc conducibilius, quam vt *M. Tullius Cicero*, quod ad materiam dogmaticam, omnibus more ac lege in ciuitate proinde proponatur. Enimuero vt hoc primo loco adſtruamus ab indole ingenij politioris, intelligendum, Athenienſes ac Romanos, medio terræ ſitu commendabiles, eodem charactere ac tenore dicendi notos, quā diu apud eos floruit eloquentia. contra vero Boreales, ruſtici, bellis exaſperati, vates oraculares, ac in eis cacodæmones, illo altero tortuoſo, horridoq; famoſi. quāta autē fama ex eloquētia Romæ, dū ibi Rhetorica rebus ciuilibus præfuerit, *Cicero* inclaruit, adeoque gloria coruſcauit, quis ignorat, qui veterum Romanorum de eo iudicia perſpecta habuerit, vtpote

Sen. ep. 40. ad lucil.

Bruti, *Trebonii*, *Pollionis*, *Varronis*, *Cornificii*, *Sulpitii*, *Catonis*, & aliorum? Cui ignotum, quanta vi diſerta eius lingua, *A quo ait Seneca, Romana eloquentia extitit*, in roſtris Romæ fuerit dominata, eam plus inimicis, *Antonio*, ac ſimilibus, quam armatas hoſtium copias, timentibus?

Iuuenal 14. Satyr. 10.

Eloquium ac famam Demoſthenis aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat.
Eloquio ſed vterque perit orator: vtrumque
Largus & exundans letho dedit ingenii fons.
Ingenio manus eſt, & ceruix caſa; nec vnquam
Sanguine Cauſidici maduerunt roſtra puſilli.

Et quidem Ciceroniani ſtyli laudem hoc effert, quod omni planè argumenti generi tractando optime conducat. Si Rationalis forma eloquij obſeruanda, quæ Philoſophiæ ac Theologiæ impendatur, quid ad eius colorem pulcrius? quid ad ipſam ſolidi ſententiam accommodatius? an non Philoſophia *Ciceronis* vbique docta, vbique expreſſa, iuxta ac ornatiſſima? ſic profectò ſcribit, vt res ipſæ ſe velle affirmarent, ſi loqui potuiſſent: nam quid aliud expeterent, quam vt earum veritates penitus exequerentur, pariter ornarentur? quorum amborum inter mortales ſtupendus artifex ac præceptor *Cicero*. Quod cum ſatis perſpectum eſſet ſacroſancto *Conſilio Tridentino*, diuino ſuo *Catechiſmo*, aliiſque ipſius ſcriptis euulgandis, ſtylum *Ciceronis*, ſacra ſua Theologia nobilitandum, accerſiuit. Neruos in quamplurimis *S. Thomas Aquinas* illius Concilij decretis, ſua eruditione ſubminiſtrauit: *Cicero* colorem dedit. ſin vero ad delectationem aliquid

ſcribendum,

ſcribendum, cui in hoc incumbenti gratus non fuerit aditus in mellarium, in roſetum, in gemmariam thecam *Ciceronis*, vnde mel flos, ac gemma depromantur, quibuſque ingens delectatio procuretur? Quod ſi aculeus ac robur iræ exerenda, nihil cum quadam maieſtate ferocius, aut leoni ſimilius, *Ciceroni* in *Philippicis* declamanti. non iraſcitur inſtar canis aut ſatyri: quod faciunt illi vorticum & anfractuum in verbis concitatores, ſed inſtar leonis, ac illius, in quo cultus inclareſcit, ac magnus ſpiritus ferueſcit. non pungit proinde, ſed vulnerat, non mordet, ſed lacerat, Haud recedit a victoria ferocia aliqua efferatus, haud rabidus furioſus, haud faſtuoſus, quod illi ſuis pugiunculis dimicantes faciunt: ſed totus compoſitus, magnanimus, ac quadam maieſtate plenus. Si mens mea infra ſacra ac diuina, humana contemplando, rerum magnitudine oppreſſa, ſtupeſcat, profectò id contingit, dum *Ciceronis* eloquentiam accuratius paulo mecũ recogito. Denique ſi modo purè, nitidè, perſpicuè magnificè, contexendi hiſtoriam cura quempiam tangat, is in ſcriptis Ciceronianis ingentes etiam copias ad hoc rectè præſtandum inuenerit. & vt vno verbo dicam: latinus erat, & cur latio excluſi quamobrem. *Quadi* & *Sarmatæ*, ei de latinitatis flore poſt tot triumphos iam litem intenderent? liceat *Caluo* dixiſſe, eneruem fuiſſe orationem *Ciceronis*, vt ſcribit *Tacitus*, id tamen omnibus haud licebit iure merito pronunciare. ſtylum eius mollem dixit *Seneca, ſed ſine infamia.*

[Senec. ep. 114 ad lucil.] [Tacit. de orator. Senec ep. 108.]

17. Ex eis, quæ hactenus diſputauimus, ſatis intelligi poterit, quanta vtilitas ſtudijs ciuilibus vera ac genuina eloquentia accreſcat: quantaque iuxta ac in ſacris eiuſdem opportunitas exiſtat. confert enim aliquid vigoris, vt retulimus, ad ipſã veritatẽ, ſimulq́; ad affectus idoneos ſeu cõmouẽdos, ſeu cõpeſcendos mirũ quoddã imperiũ. quamobrem *Plutarchus Menandrum*, ac alios merito refutat, qui docuere, ſatis bonæ vitæ exemplis, abſque oratione, ciuium mores ad probitatem ac bonum commune a magiſtratu inſtituendos. differens enim ex *Homero* de priſcis illis Regibus, qui cum Dijs ſe habere cõmercũ dicebãt, ita pronũciat: *Nec Iouem duntaxat conſilii præſidem obſeruabãt, bellicoſumque Martem, ſed Calliopẽ quoque venerabantur, quæ Regibus veneranda comes accedit, ferociam atque duritiem vulgi, ſuadela leniens atque pudore.* at de iſtis hactenus. an autem ciuiles virtutes, ad intellectum humanum relatæ, Poeſin quoque in chorum ſuum admittant, diſquirendum.

[Plutarc. lib. de ciuil. Inſtitut.]

CAPVT XXII.

Num in Ciuitate Poetis locus.

QVi poeſis naturam rectè animis comprehenſi, illi opus eius contemplantes, duobus id abſolui ſtatuerunt; veritate nempe ſolidiori, ac decore quodam amœniori. Propter quam cauſam *Ariſtoteles* poeſin appellat *Placentem Philoſophiam*, Materia enim, ſeu eius obiectum, non eſt aereum quid aut vmbratile, multo minus verboſum vt multi autumant; ſed ipſa Philoſophia, ſiue naturalis, ſiue moralis, quam proprijs formis ſuæ artis ſubinde reddit animo & auribus delectabilem. Non ergò nomine Poëtæ digni, qui reliquas ſcientias contemplatrices haud didicerunt, qui ex Philoſophiæ viſceribus ignorant argumenta deligere, quæ artis poëticæ pigmentis appoſite illuſtrẽtur. metri quidem cõpoſitores, ac verborum ventoſi artifices, *Æoli* progenies, qui imperitis ludificent, nuncupari poterunt, ſed minimè Poetæ. Quocirca ſicut Rhetorica, quæſtioni tractandæ peculiari ſuo munere ornamenta quædam cum dictionis, tũ amplificationis, adfert, ita poëſis, aſſumptu argumẽto, eoque penitus inſpecto, ſibi propriũ ſtylũ, & a ſe excogitatos colores in illud artificioſè aurificis inſtar, inducit. in quo ſtudio, ad ſe vtrique pertinente, ſcilicet fucos & affectuum incitamenta conquirente, latius aliquãquantum poeſis ſpaciatur, quam Rhetorica. hæc enim omnia ſua exornat ex eis, quæ expreſſè ſiunt, ac rebus ipſis concrete inſunt: illa verò fingendi licentiam ſibi vendicando, omnia vndiquaque poſita ſecum commentatur, quæ quoquo modo venuſtatem, magnitudinemque rei cantandæ adducere poſſunt: ſi tamẽ rerũ naturis abſurditate aut falſitate inuentũ nõ aduerſetur. Finis idẽ ferme poëſis, qui Rhetoricæ: nimirum docere, ac delectare: in hoc tamen poſterius, accuratius ac plenius ſe confert quam Rhetorica: proinde a rebus ipſis remotior, quam illa, altior, eleuatiorque: & propterea non niſi diuini ingenii, ſi illius excellentia ſpectetur, artificium.

[Ariſt. lib. 1. Rhetor.]

2. Cæterum contentio Poëticæ cum Rhetorica non hic ſit quantum ad vtriuſque præſtantiorem materiam, neque quantum ad vtriuſque vtilitatẽ quo ad mores ciuiles, ſed tantum quod ad amplificationes & colores vtriuſque. ac inprimis magis dependet Rhetorica a Poëſi, quam hæc ab illa. Stylus enim Rhetoricus idem ferme, vt ait *Cicero*, qui poëticus; *Exigitur* inquit *Tacitus, ab oratore etiam poëticus decor.* & quo ad deſcriptiones, plurimum iuuat poëſis Rhetoricam. Deinde nullum genus eſt amplificationis in Rhetorica, quod non ambit in ſe Poëſis. ideo eam nuncupat *Plato Rhetoricam fucatricem.* quò ad ornamenta verò & illicia animorum atque aurium, ſimul quò ad vim mouendi, poeſis illa omninò vt copioſior & laxior, ita vehementior, potentiorque. in qua re poëſis eſt adeo accurata, ſublimis & abſtracta, vt difficilius ſit, quempiam euadere in optimum poetam, quam in optimũ Rhetorem. Videtur hoc *Ariſtoteles* adſtruere, dũ comparationem init inter Poeſin & hiſtoriã. *Quo fit, vt ſapientius atque præſtãtius poëſis hiſtoria ſit.* rationem cuius aſſignat: *Siquidem illa circa ipſum vniuerſale plurimum verſatur, hæc vero ſingulare ſpectat.* nobilius vero illud obiectum, iuxta ac nobilioris ſcientiæ, quod adſtractius ac vniuerſalius. quo modo Sapientia inter virtutes intellectuales nobiliſſima, quæ elata ad primas & vniuerſales cauſas, quam longiſſime a particularibus recedit. Propter quam abſtra-

[Cicer. lib. de orat. Tacit. de orator.] [Plato in Gorgia.] [Ariſt. lib. de poet. cap. 14.]

ſtractionem in poeſi, dicit *Ariſtoteles*, eam propius quam hiſtoria ad ſapientiam accedere. Et quod abſtracta, ſcitu obſcuriſſima ac difficilis, inde euadit, artem poeticam eſſe difficilem, & non niſi a magno ingenio adeundam; quippe abſtractiſſimam, altiſſimamque. *Mediocres poetas nemo nouit*, inquit *Tacitus, bonos pauci*. Quamobrem notat *Ariſtoteles*, vi huius abſtractæ contemplationis, ac fictionis è longinquo conquiſitæ, reperiri poetas a mente ſæpius alienatos. idem etiam *Plato* recenſet, ac ad animaduertit, inter omnes animi affectus, qui ingenium acuant & vehementius excitent, amorem in poetis requiri, quo incaleſcant: cui ſpiritus aquei ac frigidiuſculi nihil adferunt adiumenti, impedimenti vero plurimum. quo euenit, quod cum poetæ admirabilia tam quo ad materiam, quam modum excogitarint, reputarunt quamplurimi, eoſdem non tantum a rebus depreſſis ac ſingularibus in altum quaſi ſublatos, & a ſenſibus abſtractos, ſed etiam a Numine afflatos ceciniſſe.

Ariſt. lib 1. Metap. cap. 1

Tacit. de orator.

Plato. in Phæd.

Ouid. el. de mort. Tib.

At ſacri vates, & Diuum chara vocamur,
Sunt etiam qui nos numina habere putent.

Affirmat quoque *Cicero*, neminem egregium Poetam poſſe fieri, niſi eius mentem diuinus aliquis impetus pulſauerit, extimularitque. Poſt *Ariſtotelem* idem obſeruauit, in genere poeſis, magis quam in vllo alio, auctores ſuorum ſcriptorum, veluti fœtuum inſpectu, delectari, ac ſibi perſuadere, quod in eis ſummum aliquid eluceat. Huius rei cauſa eſſe poterit, quod commentatio poetica non ſit leuior aut communior aliqua mentis exercitatio, ſed potius accuratiſſima, excitatiſſima, & veluti totius ingenii, iudicijque extrema quædam contentio. inde in huiuſmodi opus ab ipſis confectum reſpicientes Poetæ, illi excellentiæ extremos veluti fines attribuunt. nemo enim ferme aliorum reſpecto ſe iacere in eo exiſtimabit, in quo ſe totis viribus laboraſſe perſpexerit. Si in vniuerſum verum: *Suum cuique pulcrum*, id profecto in Poeſi veriſſimum. Ex quo deducitur ciuile præceptum, quod nullius carmen, maxime in præſentia auctoris, ſit facile ab aliquo improbandum, ne inde triſtitia magna, aut iniuria, illi incutiatur. Poetis & Regibus vita in auribus ineſt.

Ariſt. lib. 9. moral. cap 8. Cicer 2 de orat. Tuſcul. 5.

Hor. l 2. ep. ad Iul. Flor.

Ridentur mala qui componunt carmina: verum
Gaudent ſcribentes, & ſe venerantur, & vltro
Si taceas, laudant, quicquid ſcripſere, beati.

Ob hanc ipſam ſpiritus in Poetis vehementiã, quod etiam Muſicis ſolet contingere, viſi a rebus agendis, eiſque, quæ ſenſibus ſubſunt, alio auocati: ac proinde quadam inſaniæ ſpecie eos laboraſſe, ſoliti populares iudicare.

Ouid de Pont. lib 1.

An populus vere ſanos negat eſſe Poetas?
Sumque fides huius maxima vocis ego.

Paul. in ep. ad Auſon

3. Vt ergo quis bonus Poeta habeatur, non ſatis fuerit, cum verba exotica, vel poetica nomina ingeminare, prophano ritu, quod chriſtianis illicitum, vt canit *S. Paulinus*, fictos Deos Nymphas, fontes, ac montium iuga inuocare, num [illegible] ut [illegible] andi ſcribere [illegible] argumenti exquirenda ſubſtantia, magnitudo, quæ idonee ſuſtentent colores poeticos, omneſque ſuccos, ex nectare ac balſamo ingenij ſtillantes, pro dignitate combibant. alioqui cuncta aerea, mathematica, [illegible], ac [illegible] tis tandem in prædam danda expirabunt. Bacchicum aut bibulum iure vocabunt poetaſtrum, qui ſcientijs deſtitutus, poeſim edere præſumpſerit. quomodo enim is ex iudicio ad illuſtrandum ac nobilitandum aliquam materiam fictione ſua colores poterit recte adhiſcere, qui rerum ipſarum naturas, qui humanorum morum cauſas non prius inſpexerit, qui Philoſophiam, Phyſicam, Aſtronomiam, Coſmographiam, hiſtoriam, ac in Græca lingua peritiam, non adiunxerit? ſine iſtis fateor aliquando in carmine elucere poterunt elegantis cuiuſdam ſenſus acumen, numeri fœlicitas, ſtyli venuſtas, ſed non illud doctum & imperioſum quod in poeta deſideramus. *Cicero* de *Homeri* ſcientia diſſerens, hæc retulit. *Traditum eſt etiam Homerum cæcum fuiſſe. at eius picturam non poeſim videmus. quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ ſpecies forma, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus eſt, vt quæ ipſe non viderit, nos vt videremus effecerit?*

Cic. Tuſc. 5.

Plutar. de Homer.

4 Quod ſi hæc ipſa ars poetica, veritati ac virtuti ſuis illicijs ſit adiumento, præſtetque, vt in ciuium animis moribuſque magis inualeſcant, ſcilicet vt mites ſint, ac moderati: quod meo iudicio efficere poterit, ſi modo eius rectus vſus adhibeatur; non video quamobrem ciuitate penitus excluderetur tam præclarum naturæ inuentum, omniumque nationum moribus ſtudium ſtabilitum: quinimo potius induſtria excolendum, præmioque afficiendum in ea arbitrater. Verum, quod in vtramque partem, ſcilicet decoris, ac dedecoris, honeſti, atque petulantis, ſit potentiſſima, vel ipſa Rhetorica impetuoſior, maioribus quippe illectamentis inſtructa, inde magna cura magiſtratum attingit conſtituere, cui fini ac propoſito, quibuſque blandimenti ſpeciebus debeat hæc luſcinia operam ſuam impendere. In qua, vt in Rhetorica, tria pariter genera complexa vides: diuinum vtpote, rationale, concupiſcibile, & iraſcibile.

Auer. in par. Platon.

5 In ſacris tam veris, quam prophanis, vſus carminis extitit celeberrimus. apud Iudæos innotuere pſalmi, cantica; apud Græcos ac Romanos odæ, neniæ, cantuſque. *Dixit Cato*, inquit *Cicero*, *morem apud maiores hunc epularem fuiſſe, vt deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes.*

Cic. Tuſ. 4.

Quod verò attinet ad vſum carminum in ſacris, *Bardi & Druides* præcipui auctores habiti, vt canit *Lucanus*. a quibus deducta conſuetudo adhuc viget in *Vvallia Britanniæ* prouincia, iuxta ac in *Hibernia*.

Lucan. lib 1. Hor. l 2. ep. ad Auguſt.

Laudibus in longum vates dimittitis æuum,

Plurima ſecuri fudſtis carmina Bardi.

Imo ſic a poetis laudari Deos affirmauit *Ouidius*, vt inde ad diuinitatem adſpiraſſe viderentur.

DI quoque carminibus, ſi fas eſt dicere, fiunt:
Tantaque maieſtas ore canentis eget.

Ouid. l. 4. de Ponto.

Cic. Tuſ. 4. Neque veris ſacris penitus excluſi fuere Poëtæ, poſteaquam diuino quodam amore, illo prophano ac turpi exacto, incaluiſſent. nam

Rib. in pr. *Moyſes, Dauid, Salomon* multa poetice cecinere: & quod nonnulli animaduertere, ſtylus, quo Prophetæ Dei myſteria expreſſerunt, poëtico valde affinis. De qua re præclare ſcripſere

Riccob. in Poet. Scal. de art. poet. Peg. in poet. Ferell. Poſſ. in bib. ſel. cap. 17.

Antonius Riccobonus, Iulius Scaliger, Baptiſta Pigna, Nicolaus Ferellus, Antonius Poſſeuinus, aliique.

6 Secundo loco ſuccedit Poëſis rationalis: ea nempe, quæ in naturæ rebus enarrandis occupatur: ob hanc cauſam primam Philoſophiam Poëſi adſcripſere veteres, eamque primam philoſophiam nuncupatam, auctor

Strab. l. 1. Plat. in prot.

eſt *Strabo*. idcirco Theologi habiti *Muſæus, Orpheus, & Homerus*: quod etiam *Plato* confirmat. vnde intelligamus, Dei ac diuinorum cognitiones, cum quodam ſuauitatis ſenſu, eas cantantibus Poetis, in animos mortalium primitus influxiſſe: a quibus etiam deriuatos fuiſſe ciuiles mores comprobatum. Imo Poëtarum figmenta, quæ naturæ myſteria illuſtrabant, adeo inconcuſſæ ſententiæ exiſtimaruot antiqui Philoſophi, quod eos inde *Ariſtoteles* reprehenderit, vtpote rebus ipſis derelictis, ſuperſtitioſius Poëtarum fabulis inhærentes.

Ariſt. lib. 1. Metaph.

7 Genus Poeſis concupiſcibile illud, in quo Poetæ ſuos neruos vel maximè extendentes, conati ſunt, hominum affectus molliores, vtpote amorem, dolorem, odiumque excitare. Iſtis veluti totidem idolis ſpiritus ac labores ſuos deuouere Poetæ. imo huius cura eos torſit, etiam dum de natura commentarentur: nam ad eam explicandam, à Poetis excogitata figmenta, ab eis etiam rebus tranſlata, quæ ad mouendos humanos affectus paratiſſima. *Heroicum* carmen, ratione numeri idoneum, quod admirationem, ſpem & iram excitet. *Elegiacum*, dolori explicando, ac miſericordiæ mouendæ oppotunum, vtpote animi labentis indicium.

Ouid. 3. triſt. eleg. 1.

Clauda, quod alterno ſubſidant carmina verſu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.

Ex quo Poetæ non ſolum accommodant affectibus proprietates, numeroſque carminis *Heroici* ac *Pentametri*, verum etiam intra ſpacium vnius verſus ita pedes deſtinguunt, vt illi affectus ſeorſim poſtularint. Vnde in *Hexametris* nonnunquam vtuntur pedibus nothis, in quinto loco *Spondæum* collocant, ad repræſentandum mœrorem vel languorem, omnia, re deſperata, negligentem:

Tune ille Æneas, quem Dardonio Anchiſa?

Virg. Aen. 7. atque vbi impetus aliquis ſignificandus, ibi ſextumlocum occupat *Dactilus*.

At tuba ſterribilem ſonitum procul excitat horrida.

8 Genus demum iraſcibile, bellis ac tragœdijs decantandis conuenit, ac motus excitat terrificos illos & immanes: quos etiam ipſis pedibus ac ſyllabis apte metitur, & ſane appoſite ſignificat.

Virg. Aen. 7.

———— Tot Erynnis ſibilat hydris,
Tantaque ſe facies aperit: tum flammea torquens
Lumina, cunctantem, & quærentem dicere plura
Reppulit, & geminos erexit crinibus angues:
Verberaque inſonuit, rabidoque hac addidit ore.

Iræ repræſentandæ, quædam conciſio, cum amplitudine periodi, inſeruit, vt docet *Sulpicius*.

Sulp. de ſtatu Reip. temp. Dom.

———— Nec quiſpede fractus eodem
Fortiter iraſci didicit duce Clazomenio.

Cic. Tuſ. 4.

Hinc Spartiatæ, irati populi, vt narrat *Cicero*, ne ſuauitas, mollitieſque cantus, aliquid de feruore ſuæ bilis remitterent, ſine *Anapeſtis* vllam fieri carmine adhortationem vetuere. Contextum huiuſmodi poeſeos aſſerit *Horatius ſale nigro* inſpergi. Iambi quoque commotas ac feſtinantes ſenſus, iuxta rei vehementiam, indicant.

Hor. l. 2. ep. ad Flor.

Hor. l. 1. carm. ad

Feruor & in celeres Iambos
Miſit furentem.

Grauitatem ac robur ſonant *Spondæus & Sapho*:

Temperat Archilochi Muſam pede maſcula Sapho.

Quæ quidem vocum dimenſiones obſeruandæ pariter in oratione ſoluta, ſi modo ex illa animæ affectiones exſpectandæ.

9 Enimuero leges ac præcepta poeſeos a philoſophia morali, quemadmodum & Rhetoricæ, deſcendere: & ab ea vſque ad Metaphyſicam recurrunt. A Metaphyſica quidem philoſophia Naturalis profluxit, ſi rerum ipſarum ordinem ſpectemus: & ab hac Moralis manauit: ea enim ratione actiones inſtituendas docet Philoſophia Moralis, quæ agentium conditas naturas oſtendit Naturalis. illa autem Philoſophiæ pars, quæ proxime Rhetoricam & poëſin contingit, Moralis eſt. Hæc, ſi fictio aliqua componenda, inſtruit quonam ſchemate illa effigianda, & in quem finem. ſi certi numeri adhibendi, poſtquam ſubiectum argumentum, & ex eo oriundum animi motum expenderit, de illis quod factu conueniens definit. Sunt autem animi motus præcipue quatuor a poeta ſpectandi: magnamini ſpiritus in difficilia, in alta erectio, luctus ob rem grauem, ira mordax, & dolor. Primus ille, animi conatu conſtat productiori, quadam magnitudine extento, & veluti plenis velis animi excepto. proinde numeros requirit turgidos, in longum latumque deductos. Secundus ſimiliter, quod animi ſit affectus non remiſſi aut cadentis, ſed erecti, ac parati in mali narrationem amplificatoriam, ac ad lugendum omnino toto ſui impetu comparati, grandiores numeros poſtulat. Tertius, quod animi ignea concitatione perficiatur, nihil præter ſubitaneam vulneris impreſſionem intendens, numerorum aſpera & rauca gaudet conciſione. quartus omnino languens, vt numero pleniore ob ſui vim primum inſurgit, ita poſtea labaſcens, claudicante carmine decidit.

Ouid. lib. 1. de Rem.

Fortia Mæonio gaudent pede bella referri,

Deliciis

Deliciis illic quis locus eſſe poteſt?
Grande ſonant Tragici, Tragicos decet ira cothurnos.
Verſibus e mediis ſoccus habendus erit.
Liberius in aduerſos hoſtes ſtringatur Iambus,
Seu celer extremum, ſeu trahat ille pedem.
Blanda pharetratos Elegeia cantet amores:
Et leuis arbitrio luſitet illa ſuo.

Hæc quæ ex philoſophiæ ſententia ſtatuimus de poëtica, eadem Rhetoricæ & muſicæ accommodanda.

10 Atque dum Poëta in ciuitate animorum motibus imperat, partim melle dulcorando, partim flammis armando veritatem, ac frequentes laudes magnorum virorum grandibus numeris decantando, virtutes ipſas præmij quadam æternitate, iſtis modis ornat, ſimulque auditores ad eiuſmodi facinora mirificè excitat. decet enim debere aliquos domi reſidere, qui illum *Herculem Muſageten* præconijs afficerent, qui foras agens, ab excidio ciuitatem, illos vero in libertatem Academicam aſſeruit, ac præſtitit, vt *Liber Pater* Muſis opportunè adeſſet in earum ſubſidium. Narrat proinde *Pauſanias* appetentiores gloriæ principes, acceſiuiſſe ad ſe ſpectatos vndique Poëtas, qui eorum [illegible]nibus nobilitarentur.

Virg. Æne. 9.

Hor. lib. 4.

Pauſ. in At.

Ante Euripedem, cum Polycrate, Samiorum tyranno, vixit Anacreon, & ad Hieronem Syracuſas Æſchilus, & Simonides ſe contulere: Dionyſio poſteriori Philoxenes, Antigono Macedonum Regi Antagoras, Rhodius, & Aratus Solenſis familiares fuere. ſubinde Ennius Scipioni Aphricano, Lucullo Plotius, Pompeio Theophanes, Auguſto Cæſari Vergilius, & Horatius; Domitiano Iuuenalis, Baſsiano Statius, Arcadio, & Honorio Claudianus, grati ac familiares extitere. *Domitianus* in agonibus Capitolinis optimos Poëtas ſua manu coronabat.

Scalig. l. 1. lect. in Auſ. cap. 10.

Non ſine Piereis exercuit artibus arma,
Semper erat vatum maxima cura duci.
Gaudet enim virtus teſtes ſibi iungere Muſas,
Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.

Claudian. in præfat. 3. Paneg. in laud. Stilic.

Eadem inquit *Seneca, negligentius audiuntur, minuſque percutiunt, quando ſoluta oratione dicuntur. vbi acceſſere numeri, & egregium ſenſum adſtrinxere certi pedes eadem illa ſententia veluti lacerto excuſſa, torquetur.*

Sen. ep. 107 ad Lucil.

11 Cæterum vero abs re non fuerit expendere illa argumenta quibus probare voluit *Plato*, Poëticæ ſtudium, & operam omnem illius eſſe inciuilem, adeoque Poëtas in numero ciuium non eſſe cenſendos. Inprimis criminatur, Poëtas ſuis cantilenis procurare, vt in ciuitate appareat forma quædam tyrannidis; non qua ipſemet magiſtratus tantum ſe tyrannum reddit, ſed qua vnuſquiſque ciuium in pectore ſuo, quandam edit ac fouet ſpeciem tyrannidis. Comparat quippe *Plato* imperium ciuile priuato homini, in quo ratio dominatur, ſenſus vero gubernatur. Imperium autem tyrannicum ſimile aſſerit vitæ illius ciuis, qui permittit in ſeipſo ſenſus & affectus appetitus ſenſitiui imperare, eoſque rationem ipſis ſubjicere. Quod ergo Poeta ſua vi admirabili efficiat, vt ciues ardeant affectionibus amoris, odij, vt vehementer delectentur, triſtentur ac doleant, ſuppetias ac fomenta appetitui iſtis afferendo, tyrannidem quandam in ciuium mores inducit: quo enim in eis affectus incitatiores, eo ratio in eiſdem imbecillior, abiectiorque. Iſtis motibus concitandis, pro eorum diuerſa ratione, reſpondet aliud & aliud genus numeri in carminibus, vt teſtatur *Tacitus*: *Nec ſolum cothurnum veſtrum, aut heroici carminis ſonum, ſed lyricorum quoque iucunditatem, & elegorum laſciuias, & Iamborum amaritudinem, Epigrammatum luſus, & quamcumque aliam ſpeciem eloquentia habeat, antoponendam cæteris aliarum artium ſtudijs credo.*

Plat. dial 10 de legib.

Tacit. de orator.

12 Porro aſſerit, ea Poetas deflenda, ac commiſerationis ſenſu deploranda vulgo paſſim proponere, quæ aut non ſont lamentanda vel ſi ex eis aliqua triſtitia ciues afficiantur, eam omnino ipſis fore inutilem definit. Scribit *S. Auguſtinus*, legenti ſibi hiſtoriam *Didonis*, deſcriptam a *Virgilio*, genas lacrymis maduiſſe. at quorſum hæc commiſeratio, cauſa exiſtente fortaſſis ficta, & arte ſolum poetica *Dulciſsime vana*, vt loquitur ipſe *Auguſtinus*? Subiungit *Plato*, ad tragœdias poeticas non ſolum ciues triſtari ex conceptis aliorum malis, ſed inſuper impotentiores inde reddi ad ſua generoſis animis perferenda, ac in ſe concidere, reſoluere, vbi primum damnum aliquod affixerit: quod certe a ciuili conſtantia alienum. nam eadem paſſio, quæ fortis euaſit & aucta, illacrymando aliorum damnis, poſtea vim ſuam obtinebit, cum proprium inciderit, ac perſtrinxerit. *Cum alienis*, inquit *ærumnis flebile ingenium nutri[e]ris, vehementiusque reddideris, haud facile illud in proprijs coercebis.* idem, vel ſimile dicit accidere, quando Poetarum ridiculis narrationibus audiendis, vel legendis ciues aſſueſcunt: nam eo fieri, aſſerit, vt nimis, occaſione data, euadant ridiculi & ad riſum propenſi: quod cum virili ac ciuili grauitate non cohæret. Hoc ipſum incommodum, quo ad ciuiles mores, ſequitur ex alijs animi affectionibus, vt ex ira, indignatione, impatientia, quas Poetis ſuis incentiuis elicere mos eſt. reddit ergo Poeſis ciuis animum nimis turbulentum, tyrannicum, impotentem ac effœminatum: præſertim cum ſuas veneres cantare inſtituerit. Non aliter proinde *Plato* munera Poëtarum in ſuam rempublicam admiſit, niſi quatenus circa Deorum hymnos, & encomia præclarorum virorum decantanda, dumtaxat occupentur.

Cic. Tuſ. 2.

Aug. lib. 1. Conf. c. 13.

Plat. dial. 10. de Repub.

13 Enimuero inter alia mala, quæ a Poëtis deſcendere in rempublicam, ea in numero vel maxime ponenda cenſeo, quibus Theologiæ diuinam puritatem ſuis fictionibus contaminarunt, ac inde prauorum morum incentiuis, ab ipſo cœlo deductis, hominum mores corruperunt. Hoc recte animaduertit apud *Ciceronem Velleius*. *Non enim multo abſurdiora ſunt ea, quæ poetarum vocibus fuſa, ſuauitate nocuerunt, qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt Deos, feceruntq; vt eorum bella*

Cic l. 1. de Nat. Deor.

pagnas, prælia, vulnera videremus, odia præterea, diſsidia, diſcordias, ortas, interitus, querelas, lamentationes, effuſas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortaleſque ex immortali procreatos. Cum itaque populus olim a Poeris ſuam Theologiam ac credulitatem, vt fatetur *Plato*, acceperint, neceſſe fuit, ex eorumdem commentis, illos a ciuilitatis integritate ad vitiorum facinora traductos & animatos fuiſſe. neque huius rei aliam cauſam ſuſpicor, quam quod poetæ, vanitatis auidiſſimi, in ſui admirationem ac cultum hac ſua pellaci arte vulgus compellere impenſius ſtuduerint. In hac itaque te, Poetarum doctrina, perpetuo inaniter licet, tamē ſuauiter falſa. Eos prorſus inglorios voluit eſſe Imp. *Philippus*, neque inter bonarum artium profeſſores cenſeri, vt ſcribit *Victor*.

14 Vt in hac controuerſia aliquid meo iudicio definiam: quod Poeſis in vtramque partem ſit vehementiſſima, illoſque affectus ſæpius excitet, qui virum ciuilem haud decent: quam proinde *Socrates* iucundam peſtem appellauit, vt *Tyrius Maximus* ſcribit, ac ideo ipſum *Homerum* ſua republica indignum *Plato* iudicauit, idcirco magnam curam adhibendam a magiſtratu exiſtimo, ne caoatur in ciuitate argumentum aliquod natura ſua petulantius, ſed neque ferocius. Quis neſcit errores circa diuina, omnemque idololatriæ apparatum, Poetarum artibus olim inſtructum, fortius inualuiſſe, latiuſque ſe diffudiſſe? Cum enim Poeta ſtylum faſcinantibus illis coloribus imbuerit, iuxta ac numeroſa concinnitate carmen formarit, ac ſubinde Sirenis inſtar cantillare cœperit, vix dici poterit, quantam vim ad imbibendum falſitatem, ad amandum turpia, vel ipſi *Vlyſsi*, ne dum popularibus, inſerre ſoleat. Prudenter eapropter *Plato* admonuit, *Nemo Poeta præter ciuiles leges, iuſta, vel honeſta, vel bona fingere quicquam audeat: nec liceat, quæ compoſuerit, vlli priuatorum oſtendere, antequam conſtituti de hac re Iudices, legum Cuſtodes, & viderint, & adprobauerint.* Certe republica, ſemel otio ac delicijs corrupta, nonnulli male in ea feriati, ad poeſim ſcribendam ab illa inertia ac luxu ſeſe attollunt, habituros ſuæ ſcriptionis ſtudioſos, iuxta ac remuneratores, iudicantes: quippe expanſis eorum velis, ad capiendas voluptates, iucundiores zephyros adſpiraturos. Quinimo *Cicero* quo ad diuina, Poetas affirmat erroris, ſuperſtitionis ac perturbatæ vitæ auctores extitiſſe.

Tyr. lib. 1.

Plato dial. 7. de legib.

Cicer lib. 2. de Nat deor.

15 Quocirca vltra duo, haud arbitrarer extendendum poeticæ vſum: nimirum non vltra veritatis maiorem elucidationem, ſimul ac honeſti affectus molliorem quandam, quæ deceat tamen, tractationem. Quantum ad prius, ſi poetica, quemadmodum Rhetorica, ſuis coloribus ac numeris vim quandam veritati impertiatur, ſi illam dulcedinis ſucco afficiendo, præſtet, vt libentius & diuturnius ciues in eius cogitatione amoreque verſentur, quamobrem precor, non erit admittenda, ac inter veritatis pediſſequas numeranda? Quo ad aliud, modo *Stoicis* non cedamus, exiſtimandum, affectiones moderatas, vtpote amoris, doloris, ac commiſerationis, in motibus ciuilibus habendas, iuuant enim ad virtutes, & a vitiis reuocant. Fatetur etiam *Plato*, dulcedine aliqua imbuendum appetitum concupiſcibilem, eoque remittendum aliquid de rigore iraſcibilis, ac proinde Muſicam accerſendam: ſine quo illectamento, vt ipſe fatetur, nimis aſperi, immites & inhumani ciues euaderent. Quocirca Poeſis ideo non erit reiicienda, quod delectet, quodue emolliat, modo ratio gradus, menſuræ & obiecti habeatur. Notat *Cornelius Tacitus* apud homines vſum poeticæ viguiſſe ante exercitium oratoriæ. *Illa inquit florebat temporibus innocentibus, in quibus nihil dicendum fuit publice præter laudes Deorum, & præclarorum hominum encomia. poſtea autem inualeſcente iniuria cædium, ac direptionum, Rhetorica, quaſi ſanguine tincta, roſtra, fora, ac ſubſellia obtinuit; litibus incepit, ac eis creſcentibus progreſſa ad clamores, turbineſque.* At neque ſemper qui aliis infœlicitate oppreſſis plurimum commiſerentur, ij erga ſeipſos nimis teneri fiunt; alia enim & alia eſt vtriuſque cauſa ac origo. nam qui ſui nimium amātes non ſunt, in alios nihilominus eſſe poſſunt affectu ardentiſſimo: proinde ad euentum propriæ calamitatis, nobiliores ſpiritus nō tam ægro animo erunt, quam dum aliorum ærumnas intuentur. quibus humanitus commoti, magis eodem auerſi erunt ab inferenda iniuria, cum cauſas earum immerito extitiſſe animaduertunt. Quod ſi ob aliorum deſcripta mala, vltra modum affectiones aliqua ciues poeſis artificio concitentur, cuius vi prorſus effeminentur, ita vt nihil triſte æquis animis iam amplius perferre poſſint, exceſſus ille amputandus, ac Poetarum cantus ad meliorem finem referendus. *Lamentantes*, inquit *Cicero*, *inducunt fortiſsimos viros, molliunt animos noſtros: ita ſunt deinde dulces; vt non legantur modo, ſed etiam ediſcantur. ſic ad malam domeſticam diſciplinam, vitamque vmbratilem, & delicatam, cum acceſſerunt etiam Poetæ, neruos omnes virtutis elidunt.* Quod autem communi ratione numeri, ſuauitatis, & affectuum mouendorum, Muſica ſit valde adfinis Rhetoricæ atque Poeſi, de illa etiam pauca diſputanda.

Tacit. de orator.

Cicer. Tuſcul. 2.

CAPVT. XXIII.

Vtrum Muſica, in vniuerſa notione ciuilitatis, partem aliquam obtineat.

QVemadmodum in nobis ratio, vt ſuo munere fungatur, indiget ſenſuum adminiculis, ita inter ipſos ſenſus, vt obſeruat *S. Auguſtinus*, alij aliis magis rationabiles, ad rationem ſcilicet propius accedentes, in quibus rationis quædam ſimilitudo expreſſius eluceſcit. Propter hanc cauſam obiecta oculorum & aurium rationabilia paſſim vocamus: guſtus vero, olfactus ac tactus minimè, niſi ad alia referantur, aut cum aliis comparentur. Domum egregie ad decus & commoditatem conſtructam, quam

oculis

oculis luſtramus, itidem imaginem pulcre ac ſcitè depictam, opera rationabila nuncupamus: nemo autem dicit, roſam rationabiliter odoratam, fragrantem, cibos ratinnabiliter ſuaues, cum vna natura horum rationes omnes conſteterint. *Reſtat ergo*, inquit *S. Auguſtinus*, *vt in iſtorum ſenſu voluptatem ad rationem pertinere fateamur, vbi quadam dimenſio eſt, atque modulatio.* omnia autem recolligens, in quibus rationis aliquid ſpectatur, ſic diſſerit: *Tria ſunt genera rerum, in quibus illud rationabile apparet. Vnum eſt in factis ad aliquem finem relatis, alterum in dicendo, tertium in delectando.* ad hoc poſtremum concentus muſicus reuocatur, cuius voluptas animo eſt delectabilis, poſtquam aures ſonum ipſius exceperint: non ergo hæc voluptas meris auribus definitur, ſic enim bruta animantia eam conciperent, ſed animo ipſo guſtatur, eaque de cauſa rationalis iure appellatur.

Auguſt. lib. 2. de ordin. cap. 18.

2. Duo itaque ratione prædita reſpicit muſicæ ſuauitas. primũ animi vim, & motũ in illo, qui muſicã arte compoſuit: deinde eius animũ, affectumque, qui eam audiendo inde demulcetur. Qui muſicam concinnauit, is alijs prodit non ſolum habituale ſeu originale ſui animi ingenium, ſed inſuper proprium illius motum quem ſuo artificio alijs ſignificandum inſtituit. Similiter, qui, audiendo muſicam ex ea delinitur, indicat illam ipſam ingenii ſui indolem, ſimulque illius motus ſpeciem, quam in ſe excitatam perſentiſcit & agnoſcit: quocirca vterque qualis quiſque ſit, quá componendo, quá audiendo, oſtenderit. Quamobrem qui diuino quodam animi ſtatu fruuntur, ij illud demonſtrant expetita muſica quadam diuina, qualis apud nos Eccleſiaſtica: non ſolum harmonicè figurata, ſed illa ſimplici ac vniſona, cuius auditu fatetur *S. Auguſtinus*, ſe vehementius cœleſti quodam motu ad lacrymas uſque perculſum. In quibus, ſeu artificibus, ſeu auditoribus, præeſt vis ratinnalis. illi eam guſtãt, ac inſtruunt muſicam, quæ maieſtate quadam & amplitudine grauis, ſonora, qualiſque doctorum ſenſibus plena quadam mndulatione applaudit. quibus nnn arridet illa altera leuis, fracta, ſaltatnria, illa incitata, & vi quadam effectationis rabida. At concupiſcibili parte prædominante formati, delectantur blandiuſculis modis, ad affectus amatorios, ad eorum querelas ac ſuſpiria, apte compoſitis. Denique facultate iraſcendi in alijs flagrante, illi muſica capiuntur conciſa, varijs furorum ſignis diſtincta, clangore quodam rixoſa ac perturbata. Hinc tibia, cornu licet moderatior, vt dicit *Gellius*, cuius vſus olim in bellis, in Bacchanalibus, ac in deducendis domum maritis, olim dicta furiola: *Tibia non eſt moralis*, ait *Ariſtoteles* *ſed potius ad animoſitatem concitatiua.*

Auguſt. in. lib. 7. con. 6.

Gell. lib. cap. 11.

Ariſt. 8 pol. ca. 6.

Ouid. 4. Faſtor. Ariſt. lib. 6. pol. cap. 7.

Plutar. in præcep. coniugal.

Exultant comites, furioſaque tibia flatur.

Cuius quoq; generis tubæ, tympana, cornua: ac in vniuerſum vaſa bellica. & quod tympanorũ ſonitu, vt ſcribit *Plutarchus*, *Tigres in tantũ aguntur furorem, vt ſemetipſos dilanient.* ob hanc cauſam antiquitus Græci. vt puerorum indolem rectius noſcerent, ac quibus ſtudijs futuros magis idoneos diiudicarent, muſicam illis adhibuere: & ſubinde ex eorum motibus intelligebant, quodnam ipſis ingenium, ac quænam ipſis animæ vis, veluti elementum prædominans, efficacior. Animaduertimus ſiquidem, aliam muſicam placere vrbanis, aliam agreſtibus, hanc magnis ingenijs, alteram humilioribus. Vnde exiſtimarem, quod ſi ante annos quadragnita moduli muſici, qui nnne paſſim cantillantur, ac mirificè oblectant, perſpecti fuiſſent *Orlando Laſſo, Aloyſio Praneſtino, Franciſco Victoria, Luca Merenzio*, qui non ſolum plurimum ſpiritus, ſed etiam olei in accuratiſſimis ſuis cantibus conponendis inſumpſere, illos, quantum in hac re poſſum coniectare, omnino vt leues, vt inelaboratos, vt ſi: ruſticos ac ridiculos contempſiſſent. Enimuero poſt tot annos illorum cantus in magno vſu ac guſtu etiamnum vigent, cum recentium cantilenæ, die alicuius feſti primum natæ, vix octauæ ſuperuiuant, neque magna fama per orbem terrarum poſtea increbreſcant. qualis itaque quiſque eſt, talis in eodem de audita muſica ſenſus ineſt, & ad eius ſonum animo afficitur. quibus ſi ingratum, ab imo, & ſecreto ſui, alijs innoteſcere, caueant velim quid de percepta muſica pronuncient: non minus hoc caueant dico, quam ſermones ſuos, quam geſtus, actuſque ſuos. Hinc affirmat *Cicero*, vocis mutationes totidem eſſe, quot animorum, qui voce maxime commouentur: paſſiones nempe quatuor eis reſpondentes vt *Macrobius*, quoque recenſuit. magna idcirco affinitas inter vocem, & animi affectiones.

Cicer. lib. 3. de orat. Macrob. in ſom. Scip. lib. 2.

3. Ineſſe vero maximam vim muſicæ, ad excitandũ animorũ affectus, ipſi cõmunis noſtri generis ſenſus ac vſus oſtendunt. clamores, ploratus id probant. Scribit *Ariſtoteles*, Olympicas ac *Phrygias* modulationes audientium animos quodammodo abſtraxiſſe, & extra ſe rapuiſſe: contra *Lydias* & *Doricas*, ad temperiem quandam illos reduxiſſe. Bellica muſica nunc vociferatione barbarica conſtans, nnne aliorum inſtrumentorum clangoribus, metum audientibus adimit, & iram incendit. De qua re hæc *Prothagoras* apud *Platonem*: *Cithariſtæ quoque alij quibuſdam talibus, præſertim temperantiæ ſtudent, canentque ne quid perperam adoleſcentes agant. At vbi pulſare citharam didicerunt, poëtarum & aliorum cantus modulatione præſtantium, cantilenas docent, quas ad citharam concinant, Rhythmoſque & harmonias puerorum animis conformare conantur, vt mitiores, modeſtioreſque & concinniores effecti, ad agendum vtiles ſint, & ad dicendum. omnis enim hominis vita numeroſa quadam indiget conſonantia.* Hinc *Pythagoras*, vt recolit *Seneca*, lyræ ſono vtebatur ad reprimendam in ſeipſo feruidam illã iræ excandeſcentiam. Ac in vniuerſum hac de re hæc *Cicero*: *Aſſentior Platoni, nihil tam facilè in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi ſonos, quorum dici vix poteſt, quanta ſit vis in vtramque partem. nam & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit: ciuitatumque multarum in Græcia hoc interfuit, antiquum vocum ſeruare modum: quarum mores lapſi ad mollitiem, pariter ſunt immutati*

Ariſt. lib. 8. pol.

Plato in Protag.

Senec. lib. de ira.

Cicer. lib. 2. de legib.

cum cantibus; aut hac dulcedine corruptelaque deprauati, vt quidam putant: aut cum ſeueritas eorum ob alia vitia cecidiſſet, tum fuit in auribus animiſque mutatio, et ... mutationi locus. Quamobrem ille quidem ſapientiſsimus Græciæ vir, longeque doctiſſimus, valde hanc labem veretur: negat enim mutari poſſe muſicas leges, ſine mutatione legum publicarum. Praeterea vt ciues quo ad partem in ipſis rationalem, concupiſcibilem, iraſcibilem, ac diuinam componuntur, ſic agunt, vt autem agunt, ſic loquuntur, fingunt, cantantque.

4. Quo autem pacto concentus muſicus moueat exciteque affectus hominum, aut eoſdem tranquillet, optime *Ariſtoteles* viſus explicaſſe. (Ariſt. de Muſica 8. pol. cap. 5.) affirmat itaque, muſicam non ſolum indicium & effectum eſſe alicuius paſſionis, in eius artifice, ſed eiuſdem viuam quandam expreſſamque imaginem: adeo vt muſica impellens, accendenſque ad amorem, ſit ipſa pictura quædam amoris: ad iram prouocans ſimiliter iræ ſimulacrū, ac ſic de reliquis. quamobrem totum huius rei artificium in eo conſiſtit, quo proprius, ac quodammodo ſpirans vultus alicuius affectus, in ipſo ſono, quaſi in coloribus & lineamentis, appareat. Hoc enim recte præſtare, peculiaris opera magni ingenij ac iudicij. ad quod ruſtici, & paruo ingenio præditi inepti, quippe quod magnitudinem, ingenuitatem, maieſtatemque alicuius paſſionis nequeant animis concipere, aut in ſe proferre: quemadmodū neque eſt cuiuſlibet, imagines illas illuſtres ac conſpicuas affectionum verbis ex arte Rhetorica perficere, & exprimere. Quis neſcit, diuerſos eſſe affectus nobilium ſpirituum, quippe grandiores, conſtantiores, decentioreſque, ab eis, qui in vulgari hominum ſorte inueniuntur? mouet itaque muſica, quando ad certam animi paſſionem repræſentandam, apta eius effigies concentu aut ſono expreſſa tanquam obiectum, per aures & imaginationem, menti proponitur. Quamobrem ſicut ad voluptatem aut dolorem vehementius incitat imago a pictore in tabella delineata, ſi fuerit luculenta & rei repræſentandæ maxime congrua, ſimiliter muſica eo vehementior ad commouendum, quæ motui ex naturæ præſcripto, per modum imaginis ſimilior. Imo aſſerit *Ariſtoteles*, ſonos muſicos vim colorum in tabella in hoc ſuperare, quod hi non ſint imagines affectuum tam acres, vt illi. idcirco animaduertit, ſenſuum obiecta, vtpote guſtus, tactus & olfactus non eſſe morum aut affectionum formas. agnoſcit verò viſus obiecta, vtpote imagines ridentium & iratorum, eſſe morum affecti numque repræſentationes, ſed non in eo gradu, quo muſica, quæ obiectum auditus. etenim inquit modulationes harmonicæ (Ariſt. l. 8. Pol. cap. 5.) *Similitudines ſunt iræ, manſuetudinis, fortitudinis, temperantiæ & contrariorum, & aliorum omnium, quæ ad mores pertinent.* Rhetorica effigiando rerum ſeu conceptuum imagines, illis excuſis, mouet in appetitu affectus. Cæterum verò muſica immediate componit ipſaſmet imagines affectuum: proinde ad eos eliciendos potentiſſima. Verum ex duobus videtur tamen Rhetorica efficacior muſica ad commouendum. primò ex rationis motu: cum enim Rhetorica rationi dominetur, iuxta ac ratio imperet maximè affectibus appetitus, conſequenter Rhetorica euadit quamdam ad affectus imperatrix fortiſſima. Deinde eloquutio ad Rhetoricam ſpectans, quæ ... comprehendit vocem & geſtus, aliquid muſicæ participat. Voces enim in oratoribus, picturæ ſunt affectionum, & eo nomine illas excitant: quarū vocū ſpecies quatuor, iuxta numerū quatuor principalium affectuum, nempe amoris, doloris, timoris &, odij: quis autem tonus ſit propria nota alicuius ex iſtis, natura docet, prudentia autem & ars, naturalem notitiam perficiunt.

5. Hinc ratio conſtat, ob quam vocum harmonicæ modulationes fortius afficiant hominum animos, ſi non quo ad iram ac furorem, quo ad alios tamen affectus, præſertim magis rationales, quam ſonus muſicorum inſtrumentorum. Etenim voces retinent quendam vitalem animæ ſpiritum, eoq; ad eiuſdē affectus vicinius accedunt, proinde motuum, ſiue in ratione, ſiue in appetitu, ſignificationes exiſtunt ſpectabiliores ac perfectiores. neque enim pictura, neque oratio, adeoque ad vitam affectus iſtos declarant, ac voces, a viua earundum imaginatione, natura auctrice, profectæ. quocirca cæteris paribus, illæ voces plus commouent quæ manant a maiori quodam affectu cantantis, ſimulque ab eius imaginatione intenſiori: horum namque vi certis ſpiritibus voces imbuuntur, adeoque formis eliciuntur, quę paratiſſimæ, natura duce ad permouendū. Proinde fœminarum voces ab ipſo quaſi fonte blandimentorum in ipſis exeuntes, ad afficiendum valentiſſimæ. Cum autem muſicus ſonus mediante imaginatione deueniat ad animi rationem & appetitū, quod eadem imaginatio principium quoque motus localis in corpore, (Macrob. 2. in ſom. Scip.) proinde ad eam varie concitandum, idē ingentem etiam vim obtinet. ex quo notat *Gellius*, in curandis morbis a medicis muſicæ aliquando rationem haberi; (Gell. l. 4. cap. 13.) illamque ipſius *Apollinis* pharmacum, veteres ſuperſtitioſè exiſtimarunt.

6. Muſica autem ciuile eſſe inſtitutum, natura, mores, doctorumque teſtimonia perpetuò comprobarunt. *Plato* unam vitæ ciuilis partem huic, vtpote numeris arte quadam concinnatis, attribuit. qua gymnaſtica ac ſeria ſtudia, quæ alteram partem obtinent, impediuntur, ne homines nimis feroces, triſtes & aſperos exhibeant.

Fertur & abducta Lyrneſſide triſtis Achilles, (Ouid. l. 4. Triſt.)
Æmonia curas attenuaſſe lira.

Præſtat enim Muſica ſua dulcedine non ſolum vt vis concupiſcibilis quodammodo delectetur, medicinam contra laborum moleſtias admittens, vt ait *Ariſtoteles*, ſed etiam vt iraſcibilis vigor relaxetur: ac vt vno uerbo dicam vt (Ariſt. 8 pol. cap. 5.) homines ſuaues efficiantur, adeoque concordiæ appetentes. Sicut enim eis arridet concentus muſicus, ex diuerſis quibuſdam diaſtemis interuallorum diſcretis coalitus, ita eiſdem

placebit

placebit harmonica illa diſſimilium ciuium in vnum bonum commune ac formam ciuitatis conſpiratio. Quocirca *Tyrius Maximus* pronunciat, haud idoneos eſſe ad rempublicam adminiſtrandam, qui muſicæ ſenſum non habent. *Auerroes* quoque aſſerit, ad introducendum in animos ciuium reliquas ſcientias ciuiles, veluti quædam præambula, Poëſim eſſe ac Muſicam. Finis idem omnino Muſicæ, Rhetoricæ, atque Poëſis: nempe pro rerum, quæ cantantur, qualitate, animi affectiones excitare, vt *Plutarchus* quoque commemorat: vnde veritas, ac virtus in ciuitate maiores etiam vires ad imperandū humanis moribus acquirant. Hoc luſiſſe videntur etiam veteres in *Orpheo* auctore ciuilitatis, à Muſica ipſius ortum Ciuitatis deducentes. *Orpheus* enim quaſi ὀρεία φωνὴ, optima vox, quod obſeruauit *Fulgentius*: etenim voce primùm omnes ſocietates conueuere tam ſacræ, quam politicæ. *Quæcumque enim iucunda ſunt*, inquit *Ariſtoteles*, *atque eadem innocua, non ſolum congregant ad finem, verum etiam ad quietem.*

Tyr. max. ſerm. 7.
Auer. in par Platon.
Plut. l. 3p muſica.
Fulg. l. myth. in orpheo.
Ariſt. lib 8. pol. cap. 5.

7. Vt verò aliquid modò de Muſicæ ciuilitate ſiue definiamus, ſiue admoneamus, quatuor illæ ſpecies ipſius ſuperius recenſitæ animo recogitandæ. Enimuero antiqui vix loquuntur de alia ciuili Muſica, quàm de diuina, laudes Deorum cantante: ac eo nomine Religionem ciuilem virtutem adſtruunt, nō ſolum quod ea ciues à negotijs ad quoddam otium feriati reducantur, ſed quod in hoc otio Muſicam exerceant, qua ipſorum animi emolliuntur, humanioreſque fiunt. *Plato* quidem, vt refert *Auerroes*, non admittit ad Muſicam hanc ſacram ſonos muliebres, aut lugubres: vtpote ciuium virilitati, vt ipſe putauit, aduerſantes, ſed graues ac ſonoros. & ſine dubio hæc Muſica Religioni adſcripta, peculiari quodam conſtat ſui charactere. De cuius vi apud veros Dei cultores hæc *S. Auguſtinus*: *Quantum fleui in hymnis, & canticis tuis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus? acriter voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* De qua re etiam alibi ſic loquitur. *Ipſis ſanctis dictis, religioſius, & ardentius ſentio moueri animos noſtros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam ſi non ita cantarentur: & omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſui diuerſitate habere proprias modos in voce, atque cantu, quorum neſcio qua occulta familiaritate excitantur.* Quamobrem, ſicut indecorum, oratorem ſtylum diuinum profeſſum, diuertere ad lepores ac veneres ſtyli concupiſcibilis: ita alienum à diuina Muſica, ad ſonos ſiluestres, aut montuoſos, ad fractas voces Syrenarum, ad ludentium in pratis puellarum cantilenas reſpicere, & ex eis ſuo inſtituto diuino Corollas quaſi & Emblemata leuiora comparare. Quid ergo Echo in ſacris? an non per iuga montium ac vallium cōcaua eliſus ſonus, ac multoties reciprocatus, qui Satyribus, Faunis ac Paſtoribus ibi agentibus olim ludus?

Auer in paraph plat de Repub.
Auguſt l. 9. conf. cap. 6.
Aug lib. 10. conf. cap. 27.

Et vox aſſenſu nemorum ingeminata remugit.
Arenteſq; ſonant ripæ, colleſq; ſupini.

Virg. Geo. b. 3.

Enimuerò agreſtis ac pannica iſta vocis ſonora repetitio, maieſtatem ſacræ Muſicæ, quantum ipſe exiſtimo, non decet. nam precor, cui affectui ſacro excitando aut repræſentando inſeruit? idem profecto iudicium, quando ſaltatorij & amatorij moduli eidem cantui inſeruntur. illum laſciuum ac petulantem, licet floridum reddunt, quem auditores vt diuinū ſuis auribus præſtolabantur. Ruſticorum Muſica in Cantionibus Saltatorijs, tota vehemens diſtorta, fr[acta]q[ue] ,vt ait *Ariſtoteles*.

Ariſt l 8. pol. cap. vlt.

8. R[a]tionalis ſeu *Dorica* harmonia illa, quæ ad numerum plenior, ſimulque ad rationem repræſentandi, ac ad docendum, auguſtior. quantum ad prius, ſicut pauciores voces in exile quid extenuantur, ita propius accedunt ad ſenſum excitandum: proinde concupiſcentia, & ira acrius illis incitantur. nam apud Græcos ſimul ac Romanos, qui petulantius in theatro canebant, quod & *Nero* fecit, ij vna voce ſolum ad liram vel citharam carmen modulabantur. Stylum iam vocant *Recitatiuum*, in quo ars ipſa Muſicæ non comparet, ſed totum impenditur popularium aurium, vtpote in ſcena, voluptati. Ruſtici hoc genere magis deliniuntur, quam docti. Q[uoad] alterum, intelligendum gradum paſſionis in ali[q]uo, in quo ratio viget, pendere à gradu magnitudinis in obiecto, à quo deriuatur. [Quem]ad[mod]ò vt docti non mouentur niſi ſpecta[to o]biecti momento, ita non quæuis in Muſica pictura, paſſionis multum mouet eos aut delectat, ſed tantum illuſtris, grandis, præclara quadam ad naturam obiecti dignitate præſtans, veluti ad circinum formata, extiterit. indocti, vt plebs, mulierculæ, ſicut leui obiecto afficiuntur, ita quoque tali imagine Muſicali capiuntur, ridentque ea audita, inſtar ſpinarum in fornace crepitantium, ex paruis rebus exhilarati, imo incompoſitus, quemadmodum ipſi animis parui, incompoſitique. grandioribus ſpiritibus diſplicet infracta, acris ac diſtorta Muſica.

Suet. in Ner.
Ariſt. l. 8. pol. cap. 7.

Vt quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis
Incaſſum furit.

Virg. 3 Georg.

Muſica autem illa plenior, doctrinæ capeſcendæ eatenus prodeſt, quatenus abſtractiua & affectiua, vt obſeruat *Ariſtoteles*. floridum iſtius artificium non percipiunt niſi docti in arte Muſicæ: quemadmodum neque amplificationis Rhetoricæ proprium colorem alij intuentur quam docti & in literis verſati. *Quam multa, quæ nos fugiunt*, inquit *Cicero*, *in cātu, exaudiunt in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis Antiopam eſſe aiunt, aut Andromacham: cum id nos ne ſuſpicemur quidem?*

Ariſt. l. 8. pol. cap. 7.
Cic. l. 4. acad. queſt.

9. Muſica, quæ concupiſcibilis dicitur, plus afficit paruis ingeniis præditos, quam maioribus: ac inde præter apparatum ad ciendum dolorem vel triſtitiam, nihil grauis ferme repræſentat. Vulgares in hac Muſica percipiuntur imagines hilaritudinis, libidinis, quales in tripudio, in phantaſticis cantibus, in abruptis modis, leuiſſimæ ſanè & contemptibiles audiūtur. Sunt aliqui in hoc genere artifices, qui vt ſe oſtendant ſua inuentione varios ac deſultorios, omnis planè ſpeciei repræſentationes in vno cantu conglomerant, conſuuntque: vtpote triſtitiæ,

triſtitiæ, iræ, admirationis, tarditatis, feſtinationis, ac, ſimilium cõtrariorum motuum. Exiſtimarem hoc artificium non debere vſurpari à nobili ali[illegible]uo compoſitore, nec poſſe audiri ab v[illegible] auditore cum ſenſu iudicij, aut ex eo delectati[illegible]nis. ſicut enim eſt contra grauitatem magni ingenij, c[illegible]gitationes ſuas & affectus abrumpere particulatim intercidere, ab vno extremo affecti[illegible]nis ad aliud ex abrupto mutari: quod in de[illegible] & phreneticis videmus vſque ad [illegible]ſum accidere: ita indecòrum, fractum, & demens quid, tam diuerſas imagines repugnantium affectuum continuo imaginari, ab vnius ad alterius oppoſi[illegible]i ſenſum conciſè delabi. moleſtum quoque appentus iactatione huc illucque ſubitanea & non expectata impreſſione, contorqueri: magno idcirco & conſtanti animo, picturæ iſtæ ſonoræ adeo diſpares ac diſſimiles, catenatim connexæ, vel ipſa natura eis repugnante & refugiente, iucundæ eſſe non poſſunt, in quibus curſim, ac ſtrictim ſonorum mutationes, quaſi ſtromaticæ, obijciuntur: *Vt enim*, inquit *Ariſtoteles*, *animæ diſtortæ ſunt à naturali habitudine, ſit harmoniarum ac melodiarum diſtorſiones ſunt quædam illa, quæ ſunt vehementes, & infractæ.* Quod ad vſum Muſicæ in hoc genere, quam etiamnum maximè vigere exiſtimo, cauendum, ne eius mollitie & conciſis membris ciuium robur ac conſtantia effæminentur. Laudatur idcirco *Lycurgus*, quod ex nouem chordis in cithara *Thronidis*, duas abſciderit: quippe, nimium voluptati blandientes, vt ſcribit *Plutarchus*. *Ne ab huiuſmodi cantibus deliniti ciuium animi, ad eos mores vitamque prolaberentur, quæ diſſonant ſibiipſi, atque diſcordem ciuitatem efficerent.*

Ariſt. l. 8. pol, cap. 7.

Plut. in] Ag.

Ouid. l. a de Art.

Eneruant animos cithara, cantuſq; lira.

10. Accedit demum Muſica iraſcibilis, quæ ſonoris, fractis, raucíſque modis conſtat: qualis in tubis, & in cornibus, ac etiam in tibiis ſeu fiſtulis, ſpectabilis. *Non abſurde*, inquit *Plutarchus*, *& Terpandrum & Pindarum Muſica fortitudinem coniunxiſſe, cenſendum.*

Plut. in Lic.

Serpſit & in ferrum cithara ſonus ipſe canora.

Belli autem nomine complectimur etiam venationes, & alia belli præludia. Conſentit omnino hæc Muſica iraſcibilis cum ſtylo iraſcibili. eius ratio deſumenda à qualitate affectus in militari animo excitandi, vt apta ſit ad aures animumque ipſius pictura ac repræſentatio. Duæ præcipuæ animi compoſitiones in milite optandæ: vna quæ eum audacem & commotum oſtendat: altera, quæ maieſtatem quãdam ac grauitatem in eodem arguat: quales indicari ſolent Ducum inceſſu, quando præeuntes, aliquo ſuos pompaticè deducunt. Militaris proinde Muſica hæc debet repræſentare: & vtriuſque, vt mihi videtur, ſignificatio, ex elato ſono, rapido, ac conciſo, quo membra infracta ipſius modulationis quoadmmodo turgere videantur, ciuico languori prorſus contraria. Habenda enim ratio campi, in quo confligitur, non ſpatij academici in quo ociatur; ſimulque animi ex ſpiritu inflati, non modeſtè amantis, ſeu in foro ſibi lenocinantis, vel ſua infortunia deplangentis, vt concinnè ſtudijs militaribus Muſica hæc accommodetur. Verum, vt eſt in milite illaudabilis thraſonica ſui oſtentatio, ita neque illa militaris Muſica adprobanda, quæ nimium quodammodo inflata inſoleſcit. Virilis idcirco debet eſſe, ſeu grauis, & ex quadam lentitudine, dignitate plena, vt admonet *Thucydides* apud *Gellium*. Scio quidem auctores Muſicæ, Philoſophiam hanc paſſim ignorare vel negligere: quippe famam aut lucrum tantummodo expectantes, ſi vulgarium ſenſibus placuerint. Componunt idcirco, quo placeant ætatis ingenio, non vt alijs proſint ciuili commodo. Cur autem ad hoſce modos iſti incitentur non alii, iſtæque modulationes aliquibus egregiæ videntur affectuũ effigies, haud alijs, cauſa occulta deliteſcit in ipſis eorum naturis ac ingenijs abſtruſa. Quod autem, quantum ad hanc diſcrepantiam, maior ſit varietas in hominibus, audientibus, quã in eiſdem aliquid videntibus, ideo, licet omnes, in vnam ſententiam de excellentia alicuius depictæ imaginis eam intuiti conſpirent, non tamen in iudicio ac guſtu eiuſdem repræſentationis in cantu propter diuerſitates affectuum, ita conuenire aſſueuerunt. *Delectat*, *vero ſingulos* inquit *Ariſtoteles*, *id quod ſua natura ſit aptum. quamobrem licentia permittenda eſt hu, qui de arte muſica tertãt in theatro, vt ad huiuſmodi ſpectatorem tali genere vtantur muſica.* Cretẽnſes, vt ſcribit *Heraclides*, dum pueri eorũ pugnã exercerent, citharã pulſabant. Lacedæmones, auctore *Gellio*, in acie tibias inflabant.

Gellius l. Noct. cap.

Ariſt. l. 8 pol. cap vlt.

Her. in polit.

11. Atque iſtis partim naturam muſicæ vtcumque diſcuſſimus, partim eius ciuilem vſum indicauimus. idcirco vt in hac re ſummatim aliquid definiam, ea ſpecies Muſicæ in ciuitate excolenda, quæ eis imaginibus affectuum refertur, quibus commoueri ciues deceat, eamque vero arcendam, quæ perturbatos ac infames motus effigiendo, ad voluptatem, & vitia illos inflectit. Specioſam hanc muſam, ac cantatricem animorum venerem, ex noſtris etiam ſanctiſſimi ac doctiſſimi, vel expellendam, vel certè caſtigandam cenſuere.

Gell. l. i, cap 11.

——— nunc maior ſitis, & bibendus
Caſtior amnis.

Pap. ſit. ad max. lun.

Atque hactenus de ſcientiis ciuiles quaſdam conſiderationes attuliſſe, ſufficiat: iam de Arte, quam tertio loco inter virtutes intellectuales ponendam cenſuimus, diſputandum.

CAPVT XXIIII.

Quomodo Artes ad vitæ ſimilitatem ſpectant.

CVm ciuitas, vt iam explicatum, opus ſit in homine rationis, tum quod eadem ratio vno aliquo ſuo effectu, quo ad vim efficiendi, haud ſit definita, quin potius vſu & exemplis indies aucta & exercitata, inde varias artes excogitare, earumque opera producere incredibili quodam perpetuo ſata-

git ſelettia ac ſeduliuate. eo vero in hoc viribus ſuis innixa contendit, vt ciuilis vita cum facilior, perfectior, tum etiam ſuauiur artium adminiculis reddatur. Ars quidem in vniuerſum a natura primum progreſſa, eam mox imitatur, adeoque perficit, multiſque actibus illius facultatis, cui ipſa ineſt, comparatur. *Ars vero,* Cicer. lib. 3. de Natur. Deor. inquit *Cicero, quæ poteſt eſſe, niſi quæ non ex vna, aut ex duabus, ſed ex multis animi perceptionibus, cõſtat?* Illæ autem de quibus diſputamus, vt propria ciuitatũ ornamenta, ita earundẽ ſingularia inuenta ac partus quodammodo: adeo vt ipſis, nempe ciuilibus hominũ congreſſionibus, ac in eis menti, ſumma quadam ratione præpollenti, eas debeamus. qua de cauſa, veteres, vt recolit *Stobæus*, non naturæ, ſed *Mineruæ* artium edu- Stob. lib. 1. Eclog. Ethi. ctiones adſcribebant. Haud enim in deſertis locis, ſed neque in familijs, ne dum in pagis ac vicis, artes illæ repertæ & expreſſæ, quibus ciuitates abundare ac florere etiamnum perſpicimus. Nam ſicut in ciuitatibus exiſtunt vitæ ſocialis neceſſitudines, negociorum quoque varietates plures, acuendique ingenij occaſiones frequentiores, quã in priuatis ac diſtractis ſocietatibus, ita in eiſdem, partim neceſſitate perurgente, partim voluptate vlterius excitante, numeroſius artes excreſcunt, ſimulque perfectius ad ipſum ſummũ excitantur. Vt enim, teſte *Ariſtotele*, conuiuium lautius ſimplici menſa, Ariſt. lib. 3. pol. cap. 11. ita ciuitas ad excogitandum inſtructior priuato homine.

2 Tria autem in hac ipſa arte conſideranda: principio eius forma, deinde obiectum, poſtremo finis. Artis forma in hoc cõſiſtit, quod facultatis in homine intellectiuæ ſit habitus, ſeu virtus cum ratione effectiua, vt *Ariſtoteles* Ariſt. lib. 6. Ethic. cap. 4. S. Thom. 1. 2. quæſt. 57. art. 3. ac *S. Thomas* docent. inſtituit quidem ars partim collectis præceptis, partim directione ideali in animo artificis, partim externo exemplari, quonam modo opus aliquod efficiendum. animaduertunt nonnulli, Deum mundũ hunc creando, eiuſque partes diſponendo, ſpeciem quandam artis exhibuiſſe; adeoque in ipſa natura, vt ait *Cicero*, artis quandam ſimili- Cicer. lib. 2. de Natur. Deor. tudinem apparere. non enim natura ductus hoc præſtitit Deus, ſed peritia ac bonitate informatus, tam nobile opus dicto ſuo practico extulit: ipſeque mundus hoc pacto conditus, tam naturæ, quam artis rationes videtur in ſe comprehendere. quamobrem humana ars, intellectus in homine practici qualitas quædam eſt: non enim ordinatur ad veritatem ex cauſis cognoſcendam, ſed ad opus, idque extra artificem poſitum, vtpote domum, vas, imaginem ac ſimilia recte conficienda. *Quæ, quod ſint, aut non ſint,* vt ait *S. Thomas, hoc, aut alio modo* S. Thom. 1. 2. quæſt. 57 art. 3. *ſint, pendet ex ipſo artifice, iuxta quod obiectum practicum diſtinguitur ab obiecto ſpeculatiuo, quod tale aut tale neceſſario exiſtit.* Ex quo idem doctor appoſite diſcrepantiam aſſignat, inter artẽ & virtutem moralem: quod virtus moralis honeſtatẽ ac bonitatem voluntatis, vel appetitus in homine reſpiciat, ars vero ſolũmodo bonitatem operis poſitam in quadã eiuſdẽ congruentia cũ artis præceptis & artificis ipſius idæis. proinde ſi artifex opus ſuum refert ad bonum commune ciuitatis, id non facit vt artifex, ſed vt bonus vir, ac bonus ciuis.

3 Obiectum artis id eſt, quod fit ab arte, ac pro eius diuerſitate, artes plures numerantur, ſordidæ etiam, vel ingenuæ nuncupantur, obuiæ, ſeu parabiles, aut a natura remotiores, iudicantur. ſordidæ appellari ſolent, quæ opificẽ contaminant; ingenuæ, quæ id non faciunt. ac *Seneca* in vniuerſum artes diſtribuit in vulgares, in ſordidas, in pueriles, & liberales. Artes ob- Senec. epiſt. 78. uiæ, ſeu faciles illæ cenſentur, quæ naturæ vici- Ariſt. lib 7. pol. cap. 10. niores, ac illi admodum parum, idque per pauca præcepta, ſuperaddunt: contra curioſæ & remotæ, quæ longius a naturæ ſimplicitate amouentur, multis præceptis, diuturniori experientiæ, & acriori induſtriæ innituntur. hoc pacto naturæ vicinius, argentum inciſis formis ſignare, quam ſolidum aurum in eius exaratos ſulcos infundere. proinde ars contemplationem, a ſenſu ac rebus particularibus replicatis ſtudijs, aliquando longiſſimè ſeſe extendentem, ſæpius tractu ſuo producto imitatur.

4 Finis artis tria in ſe complectitur: neceſſitatem, vitæ facilitatem, ac voluptatem. quantum ad neceſſitatem: non ſumus tam Stoici, vt exiſtimemus, vnam naturam ex ſe eſſe ſufficientem ad omnia vitæ neceſſaria procurandum. propterea eadem natura, quæ manus ho- Galen. lib. de part. Cicer. lib. 2. de Nat. Deor. mini dedit, illum eo ad artificia egregie inſtituit, ac voluit ipſum non ſolum finem eſſe iſtius vniuerſi, & omnium aſpectabilium dominum, ſed etiam, ci iam ſuppeditata materia, artificem, partim quo vitam ſuam propagaret, partim quo bruta animantia, & alia ſenſu carentia, ſuo imperio ac vſui aptius ſubijceret. Neceſſitas multa quidẽ in noſtros mores inuexit, vtpote veſtium, ædium, medicamentorũ, ac nauiũ artificia, ſimulq; propugnaculorũ ſtructuras, vt homines ſeſe contra beſtias & hoſtes melius tuerentur. Vitæ facilitas duo deſignat: primũ, facilitatem aliquid ſciendi, deinde facilitatem aliquid agẽdi. Primũ genus in ſe claudit inſtrumenta Mathematica, Geographica, Muſica, impreſſiora, ac ſimilia, quibus adiuuamur ad cognoſcendum. quo ad hoc, clarũ fuit opus *Archimedis* ex vitro ſphærã ad imitationẽ cœleſtis aptiſſime componentis; itidẽ *Poſidonii*, de quo *Cicero: Quod ſi in Scythiã, aut in Britanniam* Cicer. lib. 2. de Natur. Deor. *ſphæram aliquis tulerit, hanc, quam nuper familiaris noſter effecit Poſſidonius, cuius ſingulæ conuerſiones idẽ efficiunt in ſole, & in luna, & in quinque ſtellis errãtibus, quod efficitur in cœlo ſingulis diebus, & noctibus, quis in illa barbarie dubitet, quin ea ſphæra ſit perfecta ratione?* quo ad alterum, multa ſunt ciuili vitæ accõmodanda, quæ quo ad naturæ ſimplicitatẽ difficilia, ac nõ niſi multu labore ſuperanda. Cui rei ars opportune ſuccurrit, dum eorum vſus facilitat: ex qua facilitate fit, quod minus etiam temporis vni alicui negocio a ciuibus impẽdatur: quomodo rotulis ac dentibus earum ſeriatim collocatis, ferri laminæ rigidiores cito opere arcuantur, ingentiaque põdera aut ſuſtolluntur, aut dimittuntur. Huius vero facilitatis, quo ad materiam, duplex ſpecies: aut enim hæc facilitas oritur ex aliarum artium

inſtrumentis, vel ex artium ipſarum effectibus, qui artium non ſunt inſtrumenta, ſed naturæ adiumenta. Poſtremo artes aliquæ ad meram voluptatem referuntur: quales plerǣque omnes eximiæ, curioſæ, præcioſæ, elaboratæ, & a natura ſeparatiſſimæ. Voluptatem appello, non eam ſolum, quæ ab externis ſenſibus percipitur, ſed etiam quæ ratione quoque, vtpote eius faſtu, ac ſuperbia deguſtatur: quales ſunt epulares apparatus, cubiculares ornatus, veſtes ſumptuoſæ, ac ædificia auguſtiora.

5. Iam verò ſi artes haſce ad ciuilitatem conferamus, videbimus, omnium gentium ſententijs, vt ait *Herodotus*, eas infimum locum inter munia ciuilia obtinere: imo *Ariſtoteles* abſolute artifices in nulla ciuium claſſe reponendos cenſuit. Etenim artifices plerumque non tam amore reipublicæ ad laborandū incitantur, quā amore ſui; in hoc dumtaxat intenti, vt opus ſuum bonum reddant, iuxta vim ac præcepta ipſius artis. quæ quidem bonitas, quo ad multa artificiata, vt poſtea dicemus, potius obſunt reipublicæ, quam proſunt, irritando nempe hominum ſenſus voluptate, ac tumores animorum inter ciues excitando. Quod ſi artifices donandi ciuitate, controuerti tunc poterit, quinam ciuiliores, ſordidine, an ingenui. in vniuerſum videatur, illos artifices ciuiliores, quorum opera plus vtilitatis reipublicæ adducunt, circa quamcumque demū materiam occupentur. Nihilominus, tametſi artes ſordidæ, hoc pacto, interdum fuerint ingenuis, ciuitati vtiliores, earum tamen pręſtantiæ obeſſe videtur ipſa ſordiditas: efficit enim hæc, vt harum artifices, ex animi vilitate, quam proxime accedant ad condicionem ac ſtatum ſeruorum: in quibus, teſte *Ariſtotele*, minima virtus requiritur. nobilitas autem ciuilis plurimum ſpectanda ex gradu virtutis, ei naturæ præſcripto debitæ, vt alias diximus, & id poſtea fuſius oſtendemus. Hoc dictum ſit, ne carnifices ac lanios, aurificibus & gemmarijs prætuliſſe videamur.

Herod. Eut. Ariſt. l. 3 pol Iſud. ibid cap. 3. Trac. 1

Ariſt. l. 1 pol cap. 4.

6. Artium autem inuentiones, ſpecies, numeri & æſtimationes, omnino dependent a triplici hominum ſtatu, nimirum Rationali, Concupiſcibili, & Iraſcibili, ac ab eis deducuntur. Gentes ſumma vi rationis imbutæ, multum operæ impendunt artificiatis, quæ cognitioni inſeruiunt, in alijs parum. nomine rationis eam intelligo, quæ pura & ex ſe conſtans, non vero corruptam, aut alioſum abductam a concupiſcentia vel ira. Proinde ſapientum reſpublica paucos requirit mæchanicos artifices: vt vero multa ordinate fiant exigui temporis diſpendio, & abſque magnis ſumptibus. in ea ratio ſtudere ſolet & ſolertiſſime conſtituere. Ciues autem alibi, rationem hanc meram ac rectam haud exercentes, ſed ocio ac luxu tabeſcentes, præſtant, vt in ipſis ab appetitu ratio ſuperata, conatum ſuum omnem, illi mancipata, adhibeat ad educendas artes mæchanicas, quæ voluptatibus obſecundent. & quidem in hoc ſtatu ſcaturigines artium mæchanicarum & infinita earum ſeges reperiri ſolent. Iraſcibilis ciuium condicio vltra belli munimenta & arma, nihil fermè a mæchanicis artificibus poſtulat. ob quam cauſam *Lacedæmones*, gens bellicoſa, vt ſcribunt *Herodotus*, & *Plutarchus*, artes ſordidas omnes ac voluptuarias, præſertim quæ fucos componerent, ciuitate ſua tanquam illuuiem quandam expulere. Non eſt ergo, quod eo nomine veluti barbaras gentes vllas, vtpote Indos prope Caucaſum habitantes, traducamus, quod mæchanicarum artium curioſas delicias non admittant, neque ſciant: nam hoc apud illas prouenire poterit non a naturæ aliqua ſtupiditate, ſed potius ex animi ac rationis in ipſis altitudine, recuſante apud ſe ciues fore eiuſmudi artibus inutiliter detinendos, vel noxiè effæminandos. Certè Romani, vt obſeruat *Plinius*, antequam a Græcis, enim ſuo ingenti damno, haſce artes didicerant, tam ratione ipſa, quam virtute extitere clariſſimi. *Rex apud Romanos ætate ſenex, ſuis manibus agrum colebat, ac lætificabatur*. In quæ etiàm tempora, aurea illa ſæcula incidebant *Saturni*: vacua quidem minutis iſtis mæchanicarum artium crepundijs.

Herod. Eut. Plut Apoph Lacon.

Plin. in proh l. 17. & l. 17 cap. 9

Iura dabat populo poſito modo prætor aratro,
Et leue argenti lamina crimen erat.
Nondum tradiderat victas victoribus artes
Græcia, facundum, ſed male forte genus.
Qui bene pugnabat, Romanam nouerat artem:
Mittere qui poterat pila, diſertus erat.

Ouid. l. 1. Faſt et 3.

7. Cynici ac Stoici feruentiſſimè olim contra vſum artium diſputarunt, quarum inuentores, non ſapientes vocandos contendebant, ſed libidinum ocioſos fautores, ac vitæ ciuilis plane corruptores. *Mihi crede*, inquit *Seneca*, *felix illud ſæculum, ante architectonos fuit. Sagacitas hominum, non ſapientia has artes inuenit. non deſiderabis artifices, ſi ſequaris naturam*. In hac claſſe centuriati voluere etiam hęretici, dicti *Adamitæ* & alij, quorum votum fuit, genus humanum artibus excultum reuocare vel ad corporis nuditatem, ciboſque parabiles, quos campus, quantumuis vaſteſcens, ſua ſponte producit. *Trapezuntius* cum iſtis artiū ſtudia quoque impugnauit, quem Cardinalis *Beſſarion* pro illis differens, refutauit. Alij ex aduerſo in artium inuentiones incubuere, *Quod immortalitatem*, vt ait *Plinius*, *per illas propagari arbitrarentur*: idque *Cicero* ſæpius recoluit.

Sen. ep. 90.

Prat. verb. Adamit.

Beſſar cóm. Trapezun

Plin. in proœ l. 14. Cicer 2 de nat. Deor. ruſ 3

8. Cæterum quod in hac re admiremur, id in eo conſiſtit, quod hi ipſi Stoici & hæretici, artium neglectum profeſſi, cauſantes, illas voluptatibus lenocinari, eo tamen nihil præter libertatem & incuriæ vitæ voluptatem ſpectabant. cum enim labores refugerent ac ſedulitates, artes pariter reijciebant, quæ non aliter quam iſtis parari poterant. animaduertentes porrò, artium delicias & ornamenta, inuidia, contentione, ac bello, vitam humanam perturbare ſolere, quo ab huiuſmodi ærumnis ſolutiores eſſent, & otio fruerentur, expectantes vltroneum ac beneficum naturæ ſolius ad ipſos affluxū, ſua inertia interim iucundabātur. quæ enim natura ipſa ſua ſpōte nobis porrigit, vt ipſi loqui aſſueuere, ea nō ſolū copioſe inde

proueniunt,

proueniunt, verū inſuper abſque noſtro labore ac ſolicitudine nos veluti dormientes beant. at quæ ab arte ad nos manant, ea ingentes curas, maximoſq; ſumptus, tormentorū inſtar, a nobis exigunt: innumeras animorum & corporū anxietates eliciūt, paci ac ſuauitati vitæ repugnātes: adeo vt ſi aliquid conſequamur voluptatis artibus ſtudentes, id fuerit perinde, ac ſi paucas roſulas, confertis magno numero ſpinis implexas, manibus ſtringeremus, non tam demulcentes nos odore, aut viſu delectantes, quā aculeis affligentes. Enimuero reperiūtur aliqui populi, deligentes potius viuere ritu ferino ac libero, quā vt velint ſub artium diſciplinis eſſe vrbaniſſimi; quos exiſtimarem tamen nihil præter voluptatem, etiam in illa horrida barbarie, ſibi proponere conſequendam.

Ca. Chryſo. in l. 24. de prouid.

Nec pudor in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Nec fœnum capiti ſuppoſuiſſe fuit.

Ouid. l. 1 Faſtor.

Anacharſis philoſophus Scytha, nō aliunde recuſauit *Hannonis* dona, niſi quod voluptatē, victus tenuitate ac paucorum vſu, comparandam exiſtimaret. Hinc *Diogenes* dolium, *Democritus* contemptum, *Epictetus* caſulam, Indi vagam incultamque vitam deligere, nimirum quo liberius iucundiuſque nullarum rerum indigi, nulliſue compedibus præpedıri, apud ſe ſuauiarentur: quod & *Cicero* de eis affirmauit.

Cic. Tuſc. 5.

9 Ex quo videre licet, quonā modo vita humana vndiq; ſit circumuallata voluptate. agreſtis etenim illa barbaries non prorſus deſtituitur ſuo illicio voluptatis: pariter artibus exculta ciuilitas quaquauerſum ſpirat iucūditates. ac fortaſſis illæ iſtis puriores, vtpote carentes infinitis ſtudijs ac tumultibus, quibus ciuiles voluptates immiſcentur. Quot enim iſtis potiti, vtpote vel in pluma, vt loquitur *S. Cyprianus* iacentes, ac bibentes in gemmis, ſuſpirant, ac vix ſomnum capiunt? & quod huius artis inuentum poſſeſſoribus ipſis plenè non ſatiſfaciat, vlterius cum irritarī appetitus anxietate, vitæque moleſtia, ad alia contendunt: perinde ac ſi ad miſeriarum cumulum non ſufficeret afflicta noſtri generis ſors, naturæ corruptela, niſi accurrerent pariter artes, ſpecie quidem quaſi eius ærumnis ſubuenturæ, cum tamen reipſa æſtus, quos inuenerint animorum in nobis, aut vana ſpe diutius ſuſpendunt, vel opere caſſo vehementius irritant & perturbant. *Stoici* itaque, ac cū ipſis multi alij, qui liquida voluptate perfruerentur, conculcatis plane artium doloſis blandimentis, ad naturæ pura ac mera munera conuolarunt. Hanc ob cauſam male de hominibus promeritum *Prometheum* tradunt, quod eis artibus eos inſtruxerit, quibus ipſorū vita omnis generis aſperitatibus affligatur. Voluit enim haud naturæ bonis eos fore contentos, ſed artiū munimenta ſibi inſuper conſciſcere perſuaſit, quibus ad vberiores voluptates adſpirarent, quam quas natura ipſis poterat ſuapte vi ſuppeditare. Contra autem accidit: nam artes non ſolum primigenias illas naturæ delicias penitus corruperunt, verum inſuper infinitas in vitam mortalium, tam animorū, quā corporum ægritudines intulere: adeo vt multis hoc vnicum bonum ſuperfuerit, quo factum, vt non ſimpliciter a quotidiano rerum curſu, ſed artificioſe mœſti ac morbis confecti perierint.

Cip. epiſt. 1

Lucian. dial. cynic.

At quia ferula conceptum comprehendi ignis
Fontem furtiuum, qui magiſter artis
Omnis extitit hominibus, & magna eſt commoditas,
Tales pœnas pro hiſce delictis luo.

Æſchyl in Prometh. Cic. Tuſ. 2.

10 Cæterum artium vſus referentes ad diuina ac humana in vniuerſum, percipiemus, quis earum vſus ciuilitati idoneus, quis vero ab ea alienus. Imprimis ipſa relligio artes aliquas ſibi apud omnes gentes perpetuo vendicauit, vtpote ad extruenda templa, erigenda altaria, ad veſtitus ſacerdotales, reliquoſque ſacros apparatus conficiendos. Voluit enim merito Deus, vt homo ratione ab ipſo donatus, non ſolum res externas ei ex relligione conſecraret, ſed inſuper rationis opera & ſtudio naturæ limites excedendo, ipſi inſeruiret. ac inter reliqua, in omniū moribus in hunc finem ſemper viguit, ſtatuas imagineſque viris præclaris conſtituere, quibus exactiſſimè repræſentarentur: tum vt illis hoc pacto honores decernerentur, tum etiam vt inſpectores erudirentur excitarenturque ad imitationem earum virtutum, quibus ipſi excelluerunt. Cum templum & arca Hieroſolymis fabricanda, non ſolum artem Deus a ſuis cultoribus requiſiuit, ſed eam, quæ ad eximiam præſtantiam excitanda, & ab ipſo inſpiranda ſapientia, profectura. *Et in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, vt faciant cuncta quæ præcepi tibi.*

Ariſt. l. 7 pol cap 12.

Exod. 31.

11 Quantum ad humana, arte effecta, vt diximus, ſpectant ea aut ad vitæ neceſſitatem, aut ad facilitatem eius, aut ad voluptatem. Vitæ neceſſitas ea exigit, quę inſtrumenta ad cognoſcendum, quæ ad vitam propagandam media, ac eius apta ornamenta comparanda. quoad cognitionem: ſicut ad hanc homo maximè a natura inſtituitur, ita conuenit, ipſum ſumma induſtria fore ſolertem & induſtrium, quo certis inſtrumentis adiutus, ad rerum ſcientias opportunius peruadat. Quocirca artifices in hoc genere laudatiſſimi operā ferentes in nobis intelligentiæ, ſicut & illi, qui artium neceſſariarum inſtrumenta conficiunt. Inter illas autem artes, quæ ad vitæ facilitatem referuntur, aliæ alijs ſunt naturæ ipſi viciniores. quomodo naturæ proximius, veſtem conſuere, domum ædificare, agros arare, cibos coquere, quam fila auri ac argenti deducere, quam ex ſuccis herbarum & lapidum fucos exprimere, quam gemmas inſculpere, metalla terræ viſceribus excutere. atque vt ſunt diuitiæ duplicis qualitatis, nempe naturales ac artificiales, ſic & artes aliquæ, propter vicinitatem quam habent, cum natura, diuitijs naturalibus, vtpote agris colendis, beſtiarum gregibus tractandis, quodammodo naturales, famulantur. De quibus ita *Arnobius*: *Non ſunt iſta ſcientiæ munera, ſed pauperrimæ neceſſitatis inuenta*: idem *S. Baſilius* pronunciat de veſtibus, de ædificiis, de medicina ac ſimilibus. Neque adeo Stoici debent eſſe ciues, vt omnes plane artes reijciant, quæ vitæ facilitati opportune ſubueniunt. Natura enim, ratione imbuta, ſe paulatim magis

Arnob. l 2. cont Gent. Baſi' in Reg fuſ. diſp in. 15. Cic. l 2 de nat. Deor.

ac magis munit artium præſidijs contra victus difficultates. *Artes ſeruiunt vitæ*, ait *Seneca*, *Sapientia imperat.* [Senec. epiſt. 8. ad Lucil.]

[Ouid. lib. 4 Faſtor.]

Panis erant primis virides mortalibus herbæ,
Quas tellus nullo ſollicitante dabat.
Et modo carpebant viuax in ceſpite gramen,
Nunc epulæ teneræ fronde cacumen erant.
Poſt modo glans nota eſt, bene erat iam glande reperta,
Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato,
Mutauit glandes vtiliore cibo.

Arte itaque adiuti homines, ab arbutis ad pelles, a caſis & antris ad domos, ab herbis ad glãdes, a glandibus ad triticũ gradatim proceſſere. idcirco vt obſeruat *Arnobius*, artium in hunc ritum facilitantium vitam noſtram inuentores, illi priſci tanquam Deos coluere: vtpote *Liberum* pro vino inuento, *Æſculapium* ob detectas herbarum vires, *Mineruam*, quod oleum indicarit Athenienſibus, *Triptolemum*, quod aratri vtilitatem docuerit. Italos vero ſeu Latios plurima didiciſſe a *Saturno* homine Græculo, idem aſſerit, quos dictos *Oenotrios*, quidam appellatus *Italus*, quo ad agriculturam erudiuit, vt *Ariſtoteles* ſcribit, cum prius paſtores vagi palanteſque eſſent. ac de iſtis diſſerunt *S. Chryſoſtomus* & *Minutius Felix*. Atque cum natura homini manus dederit, propter illas omnium animantium ſapientiſſimum effecit, vt pronunciat *Hippocrates*; eoque viſa, illum ad artes ordinaſſe, quæ manuum propria ſunt officia, ac ſic ante artem ipſum artificem condidiſſe.

[Arn. lib. 2. cont. Gent.] [Chriſoſt. in cap 9. Gen. Homil. 28. Minut. Felix in Octau.] [Ariſt. lib. 7. pol. cap. 10.] [Hipocat. de Hom. fab. Cicer. l. 2 de Nat. Deor.]

12 Quod ad voluptatẽ attinet, non ſumus neque vſque adeo aridi, vt eam arte inuectam, vel inuentam, penitus reijciamus, ſi innocua ſit, ac contra labores iſtius vitæ conueniens remedium, vt loquitur *Ariſtoteles*. propter quam cauſam, Muſicam ac Poëſim haud aſpernamur, quarum iucunditates iure ciuili quotidie expetimus ac libenter delibamus. Hæc autem artificioſa voluptas, de qua diſſerimus, duplex eſt: vel enim a quinque externis ſenſibus, vel a ſola ratione perceptibilis: vtpote ea quæ in ambitu & honoribus placet: & vtrique ars exquiſitiſſime famulari ſolet. Quamobrem cum genere ipſo, aut gradu, rectam rationem expetitæ voluptates exceſſerint, tum eodem artes, quæ eas inducunt, perinde ſe gerunt, ac ſi totidẽ eſſent in noſtris pectoribus *Cupidines*, qui cũ matre *Venere* in noſtram perniciem colluderent. quinimo quando ciuitas ipſa accurata ſua induſtria vlterius deuenerit cum cogitando, tum agendo, quã oportuit, tunc in haſce ſuperfluas ac nociuas artes erumpit, ſicut nimius in humano corpore ſanguis in morborum cauſas copioſe exundat. Damna, quæ iſtiuſmodi artes voluptuariæ inferunt, cenſeri poſſunt, temporis diſpendium, ſumptuum dilapidatio, meliorum ſtudiorum priuatio, vitæ mollicies ac luxus, libidinum fomentatio, rixæ, odia, ſuſpiciones ac bella. quæ cum voluptatem inſtruxerint, eam reddunt ſubinde crudeliſſimam. *In quibus exquirendis* inquit *S. Baſilius*, *curioſa quadam & anxia ſolertia, curaque eſt opus, quæque magnas nobis moleſtias quaſdam concitant, & quaſi vitam noſtram in corporis curatione implicatam tenent, ea a Chriſtianis omnibus repudianda ſunt*: Quid iuuat voluptates e longinquo artis opera inuocare, quaſi corriuatos earum impetus in rationem accerſire? Cui fini vtile, artium magnificentia priuatis aut publicis honoribus ſtudere, & ſpectantium odia interim in nos concitare? Cum enim gemmis elaboratos calices, aurata domus tuæ laquearia, veſtes precioſas, ac mira ridentis fortunæ lenocinia, alijs oſtenderis, quis exitus præter eorum maleuolentiam inuidiamque, qui ægre laturi, ſe tuis artium delicijs & ornamentis ſuperari, viles abiectoſque declarari? Quomodo animus harum artium illecebris irretitus, pro bono communi, pro Dei honore aliquid aggredietur? iam enim iſtæ artes voluptuariæ ac faſtuoſæ effecere, vt totus ſis ad teipſum reflexus, tuoque definitus. Enimuero fieri non poteſt, vt is animo ingenti aliquid pro patriæ ſalute vel gloria meditetur, qui artium tricis occupari, earumque reticulis includi, ac bellarijs ineſcari conſtituerit. Quocirca ſicut praua exempla, turpium imagines ad voluptates prouocantes, ciuitatibus exigendæ, ita & illæ artes a ciuili magiſtratu proſcribendæ, quæ nihil aliud quam voluptatum lenones ac irritamenta. neque ſane illa ars quicquam ab ingenio commendabilis, quæ ingenioſe bonis moribus infeſta: hinc potius vituperio & expugnatione digna, quod non ſolum ingenium malè in opus contulerit, ſed etiam exitium ciuium præſtitit eſſe ingenioſum, ac diuina quadam mentis virtute, ciuiles vitæ hoſtes capitales armauerit.

[Baſ. in Reg. fuſ. Reſp. 55. Chriſoſt. Hom. quod nemo læd. niſi a ſeipſ.]

3. Quæ vero artes auribus & oculis blandiuntur, illæ non tam peſtiferæ, licet magis ocioſæ, quam aliæ, voluptatem tactus, guſtus atque odoratus procurantes. Oculorum oblectamenta, *Archita* volatilis columba, apud nos currus inſita vicurulis, Francidis formiculæ ex ebore, pulex aurea catenula collum deuincta, gemmarum ardentium intertextæ ſeries, quibus ornati, tanquam ſalamandræ in medijs ignibus flammeſcunt. Accedunt picturę viuæ ac ſpirantes, quæ rem deformem licet, oculis tamẽn gratiſſimam exhibent. *Therſitis*, inquit *Plutarchus*, *faciem videntes delectamur, miramurque, non pulchritudinis ſed ſimilitudinis cauſa.* In iſtis error in rem ludicram vel in faſtum declinat: proinde quoto gradu hæc nociua rebuſpublicis, eodem quoque horum artes exiſtimandæ eiſdem infectæ. Ad tactum vero, odoratum ac guſtum relatæ artes, craſſiores ſunt, ac plerumque ſanitati obſunt, cui tamen obblandiri ſimulant: cum enim parum voluptatis intulerint, ſubinde infinitos morbos efferũt, pœnaque prolixiori compenſant, quod prius breui dulcedine luſerunt. Atque inter reliquos effectus prauarum artium, meritò cenſenda naturæ impotentia. poſteaquam enim eis nimium aſſueuimus, ſine earum ſubſidijs de reliquo nihil planè poſſumus. Quemadmodum enim ſi viribus corporis validius ad incedendum perpetuo baculo inniteretur, is ſuffulcri ita indigens tandem euaderet, vt ſine illo non poterit propria virtute vel paſſum mouere: ſimiliter artibus continuo inhærentes, adeo demum earũ

[Plut. l. de aud. Poet.]

vſu

vſu flacceſcunt, vt niſi ſuccurrerint, earum defectus, cum pœna erit intollerabilis, tum ex illo impotentia orietur incredibilis. Erumnas, quas artes iſtæ in noſtram vitam effundunt, ita recenſet *Lucianus. Aurum ipſum tam optabile, ſi libet, argentumque conſidera: domos conſidera ſumptuoſas, veſtes operoſas conſidera: atque eius generis omnia, quanto negocio emuntur, quot laboribus, periculis, imo ſanguine ac cade, quantoque hominum interitu: non ideo ſolum, quod dum nauigant propter iſta pereunt complures, ac dum quærunt parantque grauia perferunt, ſed ob id quoque, quod digladiationes noſtras pariant, quodque ob ea inſidiantur inuicem, & amicu amici, & parentibus liberi, & maritis coniuges.* quomodo porro eædem artes naturæ imperfectionem prodant, ac redarguant ſic declarat. *Conſidera, quod pluribus egent primum pueri, quam adulti, deinde mulieres quam viri, tum ægroti quam valentes: atque omnino in ſumma, inferiora qualibet præſtantioribus pluribus indigēt. Proinde Dij omnino nullius rei egent. qui verò ad Deos proximè accedunt, quam minimè egent.* Duo autem præcipuè ſunt in Republica optāda, quibus inutiles ac noxiæ hæ artes cummodè reſecentur; ſicut ex eorum contrarijs gignuntur & augentur: primum, vt otium profligetur: alterum, vt ciues rebus magnis perficiendis ſtudeant ac inſueſcant. Cum enim otium expulſum fuerit, neutiquā in ſubſidium voluptatum, quæ otio innatant, tabificæ iſtæ artes accerſentur: ſimiliter grauioribus negotijs, ſcilicet emolumentis publicis, honore ac laude plenis, ciues diſtracti, nihil penſi habebunt hæc ludícra leuiorum hominum manufacta, quæ temporis, ſubſtantiæ, operiſque diſpendia.

Luc. in Cin.
S. Chryſoſt. Homil. 4 in Ioan.

14 Enimuero morum ciuilitati nihil infeſtius animorum perturbatione: ex qua non ſolum vitia propagantur, ſed etiam omnis vitæ dulcedo intercipitur, omniſque ex decore flos eius corrumpitur. quo ergo in loco habendæ iſtæ artes, quæ libidini, quæ futili gaudio, quæ crucianti timori fomenta ſuppeditant, illoſque ventos excitant, quibus noſtri maris malacia ac ſplendens facies, inquietantur, obſcuranturque? O præclaros ſanè artium fructus, animorum iactationes ac torturas! Quid iuuat earum vmbris, delicijs, otio, languore animum inficere, ac ita delinitum emollire, vt ex eis tener factus, qualibet impacta ſpinula, aut expirata frigidiori aura, cum incredibili doloris ſenſu, ſubinde traijciatur? At de Prudentia iam inquirendum.

CAPVT XXV.

Quodnam ſit munus Prudentiæ, quæque eiuſdem partes, ſeu ſpecies habendæ.

VIrtus hæc, quæ Prudētia dicitur, reliquarum virtutum nō tantum origo, ſed etiam ad clauum ſedens, earū magiſtra ac directrix. Haud enim cæco impetu in homine proruunt virtutes ad operandum, ſed certo quodam iudicio libratæ, ac in quadam cognitionis luce ad circinum compoſitę, deinceps munera ſua conſideratè exequuntur. Morale hoc viſus Deus præſignaſſe fabrica iſtius mundi: in qua lucis creatio antegreſſa nos docuit, officium noſtrum rationis luce ante omnia imbuendum ac colluſtrandum. *Prudentia,* inquit *S. Baſilius, nihil aliud eſt, quam rerum faciendarum, omittendarumque cognitio.* atque quod prudentia cognitio ſit, inde pronunciat *Ariſtoteles*, eam animæ oculum, mentem ſcilicet, afficere & irradiare. propterea varijs emblematibus hunc in nobis prudentiæ ſplendorem veteres deſcripſerunt; vtpote ſerpente igneo obſcura nocte flammante, oculato *Argo*, *Iunonis* pauone, in cœlo Phoſphoro, in capite humano, oculo. At non quælibet lux ſiue quæuis cognitio practica, eſt prudentia, ſed illa dumtaxat, quæ ad bonum & honeſtum, noſtrum conatum inſtituit: vt eam hoc pacto à calliditate ſecernamus. atque vt in vniuerſum, omnium virtutum prudentia auriga, ab eis non ſeparatur, ita neque à iuſtitia, res ciuiles peragente: ſine qua, vt inquit *Cicero*, rerum agendarum ſcientia, non tam ſapientia, quam calliditas nominaretur. Vt enim aduertit *S. Baſilius*, ſicut quæ nobis expetenda obijciuntur, duplicis ſunt conditionis, ſcilicet quædam rationi ac diuinis legibus conformia, alia in Deum ac rationem crimina, in homines iniurias continentia, ita duplex, vt vulgus loqui ſolet, prudentia: vna, vera, altera adulterina ſub ſplendore nominis tantæ virtutis, ad nocendum, ad concupiſcendum, ad iraſcendum deliteſcens, comparata. Illam autem genuinam *S. Ambroſius* Symbolo fluminis depingit. *Phiſon igitur Prudentia eſt, & idem habet aurum optimum, ſplendidum carbunculum, & praſinum lapidem.* Etenim prudentia, gemma in animi oculo, tanquam aurum ibi rutilat, inſtar carbunculi flāmeſcit, & vt praſius vireſcit. rutilat quidem & flammeſcit contra errorem, vireſcit autem contra impugnantem prauitatem.

Baſ. orat. 21.
Ariſt. l. 6. ethic cap. 12
Auguſt. de mor. Eccleſ. cap. 24. Amb. in cap. 27 1. ad Cor. caſi. col. 1. cap. 23
Cic. l. 1. offi. l. 1 De leg.
Ambroſ. in 2. cap. Gen.

2 Id, circa quod abſolute prudentia verſatur, vitę moralis ac ciuilis eſt in vniuerſum inſtitutio; ita vt omnem iſtius vitæ motum, tanquam magiſtra, ſuo imperio regat ac moderetur. ex quo liquet, eius munus non ſolum eſſe nobiliſſimum, quippe hominis omnes diuitias, ac ipſius expetibilem in ſe æternitatem continens, ſed etiam ampliſſimum, non ligno, non lapide efformandis definitum, ſed id totum ambiens ac perficiens, ad quod in homine ratio, appetitus, ac voluntas extenduntur. *Vt medicina*, inquit *Cicero, valetudinis, nauigationis gubernatio, ſic & viuendi ars eſt prudentia.* Quid amplius ad momentum, ad laudem quid vberius dici potuerit, quam cum aſſertum, prudentiam homini viuendi eſſe artem? Si quid mente, ſi quid voluntate, ſi quid corporis facultate multiplici à nobis peragendum, id omne prudentia dijudicat, trutinat, ordinatque. Cuius vigilantia & auctoritas haud deſtinantur in obiectum aliquod vniuerſale, quale contemplationi obuerſatur, ſed in ſingulare, hac illaue actione comprehenſum. in quo duo præcipuè, vt ait *Cicero*, reſpicit, εὐταξίαν & εὐκαιρίαν: ordinem nempe & occaſionem. Ad cuius rei ſimulacrum *Argos*,

Cicer. l. 5 de Fin.
Cic. l. 1. off.

& ignei

& ignei illi ſerpentes, qui aurei velleris cuſtodes, nullum vninerſale admirabantur, ſed illud ipſum vellus, & ad illud homines accedentes, oculis attentiſſimè luſtrahant. Proinde *Vlyſſem* circumſpectum, non Philoſophum, *Neſtorem* benè conſulentem, haud prima principia Metaphyſica cogitantem, prudentia effingit. *Eſt enim prudentia*, inquit *Ariſtoteles, actiua, & actio circa particularia verſatur*: quam definitionem enucleatè explicat *S. Thomas*. inde idem Philoſophus prudentiam nuncupat habitum electiuum; quod nempe diſtineatur circa media ad aliquem finem, ac eorum praxim. ad quem cum referatur omnis in vniuerſum virtutis actio, idcirco merito appellatur conſultatoria: prudentiæ enim officium, conſultare de ſingularibus, idoneamque demum electionem præſcrihere. Quæ quidem ſingularia aliquo modo duhia ac in lubrico, vel obſcuro collocantur, atqne talia, qualia alirer ſe babere poſſunt: nam de apertis ac manifeſtis nemo deliberat, vt idem Philoſophus adſtruit. Ex quo liquet, quanta ſit vis prudentiæ, quamque eius omnis acies acuta & oculata ad perſpiciendnm id, quod tam varium, multiplex, flexuoſum, abſtruſum, ambiguumque. Proinde ne error ſit in electione, ac poſtea operis quempiam pœniteat, requiritur omnino, vt ſolertẽ defixamque prudentiæ contentionem agens adhibear; quo, rei obſcuritate & ambage nihilo obſtantihus, recta ad ipſam ptacticam ac ſingularem veritatem demum ſtatuendo collineat. Quamobrem ſicur ille, qui in loco lapſili ac diuerſimode Mæãdri inſtar tortuoſo, ambulat, maiorem curam adbibet, quam alter, qui in ſicco & explicato graditur, ita vir prudens animo inprimis quodammodo robuſtus eſſe debet, deinde excitatus, cum circa ea oecupetur, quæ aliter ſe babere poſſunt, ac à multis ſeorſim conſiderandis, quo ad id, qnod fieri tandem debet, pendeat. Eſt proinde prudentiæ circnmſpectio non ſolum ſumma vi intenta, verum etiam quaquauerſum eiaculata, varia ac multiplex, vt *S. Ambroſius* rectè adnotauit. *Tanto autem*, inquit *S. Thomas*, *vnuſquiſque in prouidendo ſolertior babetur, quanto plura ſingularia præmeditari poteſt.*

Ariſt. l. 6. et cap 7. 5. Thom 2. 2. q 84. art 2 & 3.

Ariſt. l. 6. et. cap 4.

Amb. l. 7 de off cap 27. in 2. cap Gen. S. Thom. l. 3 cont Gen. cap 94.

3 Hæc vero ſingularia practica, ac quæ aliter ſe habere poſſunt, vel ipſis finibus, vel eorum medijs continentur. Et quidem quod fines honeſti ſint, aut iucundi, nec in aliquo dubio eorum rationes ponantur, *Ariſtoteles*, & *S. Thomas* pronunciant, de eis neminem ex prudentia conſultare: certum enim eſt bæc bona, ſi veri fines ſint, eſſe expetenda: ſicut & horum contratia fugienda. Proinde volunt, non ad prudentiam, ſed ad *Syneſin*, quo ad ſcibilia, *Intellectui* reſpondentem, eorum notiones referri: atque ita prudentiam tantummodo circa media ad fines verſari, inquirendo qnodnam medium aptius fuerit ad hunc vel alium finem conſequendum. At vero *Scotus* & alij contendunt, prudentiam verſari quoque circa ipſos fines, ne dum ſolum circa media ad illos occupari. nam obiecta animo re aliqua, vt fine honeſto, adhuc dubium oriri poterit, num illi ſolide & expreſſe competat bonitas veri finis nec ne: num eius appetitio, ſeu intentio, hic & nunc elicienda: num eius cupiditas impediat nec ne aliud melius animi propoſitum, cum qno eſt incompoſſihilis. Cum ergo de iſtis poſſunt bomines deliberare, ac conſultationem inire, de eiſdem pariter poterunt ex prudentia tandem conſtituere. Ego quidem exiſtimarem, omnem in hac controuerſia quæſtionem eſſe mere ac pure de nomine: & propterea ab vtraque parte, ſane intellecta, veritatem conſiſtere. vna enim opinio finẽ in ſenſu materiali, nempe pro re, quæ finis, accipit, altera in ſenſu formali, ſcilicet pro fine ſub ratione finis illum animo ſignat. nam conſultare vtrum buic rei inſit mediocritas, vel bonitas virtutis, num eius votum ſit impedimentum nec ne, præſtantioris actionis, conſultare eſt, nnm illa res ſit finis nec ne: nihil enim, quod practice & vere finis bonus, caret mediocritate virtutis, aut impedimentum eſt maioris honeſtatis. idcirco licet de fine prudentia conſultet ac definiat, ſub dictis reſpectihus, id tamen non præſtat de fine ſub ratione finis, vt *Ariſtoteles* ac *S. Thomas* veriſſime ſtatuerunt.

Ariſt. l. 6. ethic cap 7. S. Thom. 2. 2. q. 47. art, 6,

Scot. in 3. D 5 p. vnic, Vaſque 1. 2. 2. diſp. 84. cap 3.

4 Exiſtunt porro pro varietate actionum, ac rerum ad eas ſpectãtium, diuerſæ iſtius prudentiæ partes ſeu functiones, eius integram naturam abſoluentes. Cum enim hæc virtus de particularibus pronunciet, judiciumque ſuum à quibnſdam antecedentibus deducat, ac præſenti negotio accommodet, eam ob cauſam viro prudenti *memoria* ex rerum vſu, vt *Gellius*, ex *Afranio* Poëta ſtatuit, perficienda, excitandaque, ex qua velut ex theſauro depromat, inſtantibus conſiliis, idonea argumenta. Eidem alia ſubinde virtus, dicta *Intellectus*, de qua poſtea, adſtipulatur: nempe prompta in homine vis mentis ad concipiendum prima principia actionum. Quemadmodum enim is, qui legendo facili opere & expeditè ex ſyllabis verba componit, diſtinctè prius intueri debet ipſas literas, ſeu elementa, ex quibus ſyllabæ conficiuntur, ita vt quis dextrè de aliqua actione mente definiat, opus erit, vt ipſa principia ſeu elementa practica acutè perſpiciat. ac qnod prudentia occnpetur circa particularia, cum numero plura, tum ſuis naturis perplexa, ne in ipſa reſolutione animi error aliquis committatur, opportuna fuerit *Docilitas*, ſeu apta diſpoſitio animi ad capeſcendũ informationem ab aliorum ſententijs: nemo enim, quo ad omnia ciuilis prudentiæ officia, ſibi ſufficit, vt ait *Doctor Angelicus*.

Gell. 13. Noct. cap. 12.

S Thom 2. 2. q. 49. art. 3 ad 3.

Quid grauis Antenor, Priamus quid ſuadeat ipſe,
Conſule, queis ætas longa magiſtra fuit.

Mox eidem prudentiæ ſubſidium adfert *Ratio*, diligenter rerum cauſas perſpiciens, videnſque quid ex qnolibet ſequatur, aut minus cum illo cohæreat. poſtea ſuccurrit eidem prouidentia, ille nempe mentis in omnia proſpectus, quo fini adſequendo ac conſeruando meliora media diſcernuntur, & apud animum definiuntur. Atque ne ab incertis ad certa, ex falſis ad expreſſa conſilia progreſſus fiat, adſciſcenda *Circumſpectio*: cuius eſt, quaſi adhibita libra, trutinate

tinare rerum ad actionem ſpectantium momenta, & quid ſingula valeant accurate examinare & arbitrari. poſtremo. quod, ciuilis vita, vt dixi, io lubrico ac ſinuoſo verſetur, adeoque in repugnantium ſalebroſis locis, eam ob cauſam adhibenda *Cautio*, qoa innoteſcat, quid aduerſi, quid remoræ, quid obſtaculi poterit occurrere; quomodo difficultates ſuperandæ, vel an actioni alicui penitus ſuperſedendum, ob ingentem eorum vim, quæ noſtris propoſitis obuerſantur. quod quidem officium, eo ſolet excreſcere, quo ciues magis fraudibus ac maleuolentia alicubi vti aſſueuerunt.

5 Vt de ſpeciebus modo prudentiæ aliquid dicamus, intelligendum abſolute, nomine prudentiæ vocari, eam in vniuerſum prudeotiam, quæ appetitus affectionibos, quo ad temperantiam ac continentiam, moderandis diſtioetur, ac priuato bono ipſius operantis definitur. Prudentia vero, quæ ad boourn aliquod commune refertur, quatuor in ſe ſpecies complectitur. Prima in principe *Gubernatiua* dicitur. quæ vt priocipalis, ita perſpicaciſſima doctiſſimaque. exteoditur enim hæc ad cuncta particularium ciuium officia curaſque, & ad boourn in ciuitate, quod ex eis omnibus coaleſcit. Secunda *Politica* ſeu ciuilis nuncupatur, cuius munere ciues prudentér morem gerunt. ac tametſi ciuis ſeu ſubditus oon operetur ex prudentia, ſed ſolum ex opinione regulæ illis propoſitæ à Principe, vt affirmant *Ariſtoteles* ac S. *Thomas*, nihilominus multa peragunt Ciues priuatis rationibos inducti, pertinētia ad bonum commune, in quibus non operantur vt ſubditi, per mandatum Principis adacti ad præſtandum officium, ſed ex libero ſuo delectu: ac proinde prudentia ipſis concedenda: quod poſtea melius explicabitur. Tertio loco prudentia eſt *Oeconomica*, circa bonum familiæ inſtituta. Poſtremu *Militaris*, quæ cauſas belli ſuſcipiendi conſiderat, omniaque ad illud perficiendum, apte diſponit, vnde commune aliquod bonum comparetur, conſeruetur, augeaturue.

Ariſt. l. 6. ethic cap 6. S. Thom. 2. 2 q 50. art. 12.

6 Neque ſolum prudentiæ ſolers oculus, intendit in honeſta ac bona actionum obiecta, quinimo inſuper in mala, ac à voluntate humanom deprauata. in ea quidem, vt illa appetitus proſequatur, in hæc, vt eadem diffugiat. *Artes*, inquit *Plutarchus*, *cùm ſemper ſint rationi coniuncta, vt vtilia eligant, fugiantque aduerſa, primum ea accurate penſant, quæ ſibi congrua ſunt, deinde & quaſi longiori interuallo ea proſpiciunt, à quibus putant caueri oportere. Medicina enim ægritudinem, Muſica diſſonas voces, ea tantum ratione conſiderare videtur, vt melius efficere contrarium poßit. Temperantia quoque, tum iuſtitia, ac prudentia, omnium artium perfectiβima, cognitionem non modo vtilium ac honeſtarum rerum, ſed earum etiam, quæ turpes, & inutiles, & iniuſtæ ſunt, ad ſe pertinere procul dubio putant, atque eos qui vitiorum naturam ſe ignorare gloriantur, vehementer accuſant, quaſi rudes earum rerum, quas maximè decet viros ſtudioſos cognoſcere.* Hæc vero malitiæ & fraudum perceptio maximè ſpectat ad eos, qui aliis præſunt, illoſque munire ab aliorum iniuriis, habent in

Plut. In Demetri.

officio: maior vero aut minor in hoc genere prudentia requiritur, iuxta gradum malitiæ & corruptionis in aliqua Republica. & ſine dubio, fælicia illa ſæcula fuere, in quibus ob ciuium innocentiam ac bonitatem, tanta prudentia quanta modo, opus non fuit. Creſcente vero iniquitate, prudentis ingenium, ſerpentinum potius, quam columbinum pariter euaſit: ac *Pallas* moderna, non tam oliua, quam *Gorgone* iam innoteſcit.

7 Verumenimuero, cum ſæpius dictum, prudentiam in rebus ſingularibos verſatam, materiam reſpicere, quæ aliter, quam putatur, ſe habere poterit, merito ioquirendum, quomodo ea victus dicatur, ſi ad falſum, ſeu non faciendum, hominem aliquando ioclinet ac componat? Ex hoc enim *Ariſtoteles* inficiatur, opinioοem ac ſuſpicionem eſſe virtutes, quandoquidem io minus vera ſæpius bomiois conatum deferant. Cæterum omoino certum, contingere poſſe id aliquando peragendum prudeoter, qood, quoad rem ipſam, ab aliquo doctiori, vtpote Angelo, cognitam, non ſit peragendum: in quo caſu nihilominus non eſt error in ipſa prudentia, ac eius priocipiis, ſed in aliqua cognitione illi adiuncta, qua indiget, veluti conditione determinante ſuum principium ad inferendum practicam concluſionem. Hoc pacto Imperator belli, auditis multorum rumoribus, ac inſpectis quibuſdam indiciis, prudenter ſtatuit, inferendum bellum in hoſtem, nec eſſe fugiendum, cum tamen reipſa, propter latentem aliquam cauſam, non ſit inferendum, ſed potius ſtationi cedendum. In quo caſu non eſt falſitas in ipſa intrinſeca natura prudentiæ, quæ ex probabilibus arguit, ſed vel in ignoratione humana, aut in alia cognitione, ad eam acceſſoriis.

Ariſt. lib. 6. ethic. cap. 6

CAPVT XXVI.

De apta diſpoſitione animi ad capeſcendam, conſeruandam, augendamque Prudentiam.

A Deo reſtricta in nobis omnis ad agendum facultas, vt eius vel omnis muneribus exequendis, non ſolum praua ſtudia, verum etiam & bona aliqoando obeſſe videantur. Superius commemoratum, prudentiam circa ſingularia verſari, ex quo conſequens, illam ingenij indolem ac vſum, qui ſublimi quadam ala, in contemplationem cauſarum altiſſimarum eleuari ſolitus, impedimēto eſſe, quo minus vis animi ad particularia, prudentiæque humiliora obiecta, e tanto faſtigio deſceoderit. Vt enim accipiter natura ferox ac volatilis, moleſte fert, hominis pugno illigari, ita ſumma illa iogenia, ſublimioris cognitionis appetentiora, ægre patiuntur ſe rebus, humi quaſi repentibus, & oculo ſubiectis applicari, ac inuitos inferius ab eiſdem detineri. Hoc *Ariſtoteles* acute deprehendens, ait: *Hinc fit, vt nonnulli etiam neſcientibus ſcientes actuoſiores ſint. quia actio & prudentia verſantur circa ſingularia: ideo principium propinquum intelligere, has carnes eſſe leues,*

Ariſt. lib. 6. ethic. cap. 6

leues, & ſalutares, quam in vniuerſum ſcire, leues eſſe faciles concoctu. Scilicet ille melius ac proximius ad prudentem aliquam curationem præſtandam comparatur, qui nouerit has carnes eſſe leues ac commodas, quam qui ſolum ipſo genere intellexerit, leuiores faciliori naturæ opere digeri poſſe: pari modo ſingularium intelligentior, aptius ad prudentiam diſponitur, quam vniuerſalium contemplator. Atque propter hanc ipſam cauſam affirmat idem *Ariſtoteles*, Iuuenes doctos eſſe poſſe, non autem prudentes: quod nempe feruore ingenij ſatis idonei, qui rerum cauſas veluti in alto poſitas inueſtigent, deſtituti autem experientia ac rerum præteritarum collecta memoria, ad prudẽtiam humilius ſubſidentem peruenire haud valent. Hinc referunt aliqui, prima & originalia imperia commiſſa antiquitus, non niſi grandæuis, quorum quippe maior prudentia, & rerum ſingularium obſeruatio accuratiur, locupletiorque.

Ouid. lib. 5. Faſtor. *Iura dabat populo Senior, finitaque certis*
Legibus eſt ætas, vnde petatur honos.

2 Nihilominus exiſtimarem, etiã præclarum hoc ingenij ſpecimen non, prorſus ineptum prudentiæ ſuſcipiendæ vel excolendæ, ſi modo vim, quam in ſe complectitur, ſibi dimiſſam & obſequentem certa diſciplina præſtiterit. Quot obſecro, maximorum virorum abſtractiſſima ingenia, in rebus ad actionem, ad prudentiam pertinentibus, aliquando claruerunt? Sunt enim aliqui hominum veluti ſibiipſis *Promethei*, in ſtudiis ſuis tales, quales ipſi volũt. Poſteaquam enim in ſeipſis tractabilem ac flexibilem naturam reddiderint, illico ad omnia parati, neque aliquid ferme inuita Minerua ab ipſis excurret. *Phidias*, teſte *Rhodigino*, ſtatuæ *Palladis* adpoſuit draconem. nihil enim vetat, quo minus *Pallas* Metaphyſica, aut Poëtica, ſit etiam ad emblema draconis prudens. Quid enim eſt conſilij, quod nobile ingenium, modo à ſui compote artifice inſtituatur, feliciter perficere non poterit? totum vero hoc opus conſiſtere videtur in diligenti, diſtrictaque applicatione eiuſmodi mentis, ad practicam rerum particularium conſiderationem: quæ ſi in principio alicui moleſtior fuerit, reluctante quippe illa ſibi inſita indole, ea tamen ipſa, conſuetudine indies facilior expeditiorque euadet: & inſtar gladij ancipitis, in vtramque partem, contemplationis ſcilicet, ac prudentiæ, tandem vis illa mentis habilis ex æquo erit, valenſque. Ad quod præſtandum ex ſui dominio vt ciues idonee inducantur, eis laudes & vtilitates prudentiæ explicandæ ac proponendæ: quibus perceptis, quantumuis altis ingeniis erigantur, tamen ad vim quandam hac ex parte ſibi inferendam mouebuntur, ac vt velint eſſe, non ſcientes modo naturæ beneficio, ſed etiam ſua induſtria prudentes.

Rodigin. l. Antiq. 10, cap 3.

3 Enimuero prudentiæ poteſtas, ſi rectè inſpiciatur, quaſi in humanis quoddam miraculum, ac ſtuporis iuſta cauſa cuilibet apparebit. illa enim, quo ad externam ſpeciem ſæpius minima ac latentiſſima, nihilo obſtante, tanquam granulum quoddam pomi, immenſos effectus bonorum, prouentuum, mutationum, erectionum, deiectionũ in rebus humanis in ſe complectitur. Vt enim machinæ quibuſdã formis apparatæ, ſerra rigidiſſima è veſtigio arcnant, maximi ponderis libramenta in altum ſtatim attollunt, ita prudentia interdum vel in pauperis ignotique alicuius mente concepta, omnia Reipublicæ momenta hac illacue, opere expedito verſat, agitatque. Imo haud raro prudentia tutius vitæ præſidium contra vim ipſam, quam vires.

οὐδ' εὐρύνωτοι φῶτες ἀσφαλέστατοι, Sophoc. Aiax.
ἀλλ' οἱ φρονοῦντες εὖ, κρατοῦσι πανταχοῦ.

non enim qui viribus præſtant, illi perpetuo in tutiori loco collocantur, ſed potius qui prudentia pollent, ij vt ſua melius defendunt, ita alijs etiam latius ſaltem in occulto, dominari ſolent. Erenim vbi *Mars* loci alta pace ac delicijs eneruatus iacuerit, ibi prudentiæ *Pallas* in armis conſiſtens, propria ſibi bella aget, & ſine ſangnine victorias mirabiles acquiret.

——— licet exercere togata Lucan. pœm.
Munera militiæ, licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub iudice bella mouere.
Hinc quoque ſeruati contingit gloria ciuis,
Altaque victrices intexunt limina palmæ.
Sic etiam magno iam tunc Cicerone vigente
Laurea facundo ceſſerunt arma togato.

Rectè proinde diuina ſapientia pronunciauit: Sap. 6.
Melior eſt ſapientia, quam vires, & vir prudens, quam fortis. Animaduertere poſſunt ciues, quàm alijs ſalubre, eiſque quam plurimis, ad particularia mentem dimittere, & eo virtutes atque beatitudines ipſorum procurare, inſtar Chirurgi, eorum vulnera ac vlcera tractare, ac curare. quod cum ſit ipſo genere magnum, tum in ſummo pretio apud omnes merito eſſe debet, ac vehemens quoddam incitamentum, vt mẽtis impetum, quantumuis in altum directum, velimus ad inferiora libenter deijcere, atque in illis prudenter cum ſumma aliorum ſalute verſari. Quod ſi vel propria compendia ſtatuamus etiam animis meditari, videbimus iuxta antiquorum ſententiam, prudentiam ad ea, vtpote ad honores ac diuitias aſſequendas, medium paratiſſimum. Hinc *Plato* appellauit ab- Plat. in
undantiam πόρον, υἱὸν μήτιος filium Conſilij: atque conuiu.
Mercurio antiqui ideo crumenam attribuere, quod prudens ſermo pecunias & alias vtilitates ſoleat comparare. Hac virtute præditum & illuſtratum *M. Porcium* ita *Liuius* deſcripſit. *In* Liuius Dec.
hoc viro tanta vis animi, ingenijque fuit, vt quocun- 4 lib. 9.
que loco natus eſſet, fortunam ſibiipſi facturus fuiſſe videretur. nulla ars, neque priuata, neque publicæ rei gerendæ, ei defuit: vrbanas, ruſticas pariter callebat.

4 Inter hæc autem particularia, vigilanti oculo prudentiæ perluſtranda, varia recenſentur: vtpote genus ipſum euentus, locorum, perſonarum, ac temporum, circumſtantiæ, hominum qualitates, religio nempe, virtus ac malitia ipſorum, ſimulque eorum ætates, diuitiæ, amici: repetenda etiam ab hiſtoriis ac rebus tranſactis memoria, vt inde quo ad præſens negotium aliquod præiudicium eliciamus. admonerem tamen haud nimis ſuperſtitiosè inhærendum alicui obſeruationi hiſtoriæ: quod

dixerim

dixerim contra eos, qui ſtatim atque ex *Cornelio Tacito*, *Plutarcho*, aut alio ex antiquis hiſtoriographis aliquid inuenerint, illico præſenti negotio illud volunt accommodare, & ex eiuſdẽ ſententia de illo omnino definire. Enimuero non niſi rarum, ab hoc loco prudens argumentum. nam vt non inueniuntur duo lapides, aut duo humani vultus prorſus ſimiles, ita neque hiſtoria aliqua, quæ quo ad omnia conſentiat cum illo, quod modo inciderit. in iſtis autem moralibus vel minima diſſimilitudo integrum prudentiæ negotium inuertit, ac diuerſum omnino conſtituit. Philoſophia autem partim ſtudio, partim experientia collecta, quæ ſagacius hominum naturas, ingenia, mores, conſuetudines, inueſtigat & odoratur, quæ legitimas cauſas ſuſpicandi explorarit, regula quædam eſt agendi, ex prudentia ferme ſemper conſtans ac decreta. neque ſolum hæc ipſa mixta Philoſophia homines ipſos intuetur, abſolute ac in ſe conſiderandos, ſed vt variis reſpectibus ad alios relatos: vtpote ad amicos, ad affines & conſanguineos, ad conſiliarios, ad temporum ac locorum conditiones: eſt enim prudentiæ inſtitutum ferme totum collatiuũ ac comparatiuum. Proinde iſtius Philoſophicæ prudentiæ ſymbolum, apud veteres *Apollo* triceps; quod nempe prudentia, præſentia, præterita, ac futura expendat. Caput quoque illi affinxerunt Canis, lupi, ac leonis, vt refert *Pierius*. debet enim prudentia eſſe docta, quæ inſtar canis, olfaciat inquirendo rerum iudicia ac eorum veſtigia inſequatur: pariter tanquam lupus, acris ad eius ſimilitudinem, excubet ac ſolers exiſtat: demum ad exemplar leonis, quod valida ac impetuoſa, poſteaquam de exequutione ſententiam protulerit. nam vt ait *S. Gregorius*: *Ipſa operandi remiſſio contra hoc quod operatum eſt, pugnat.* Hoc ipſum ſerpentis natura dilucide expreſſit Chriſtus Dominus, quod etiam priſci, ſerpentibus in Caduceo Mercuriano complicatis, ſignificarunt.

[Pier. lib 15. veb. ſerpẽs.]

[Gregor. 3. part paſtor. cap. 1. admo. 35 Math. 10]

5 Huic porro virtuti ſubſidio ad iudicium efferendum cunctatio, ac caloris nimium ferocis ad ſtatuendum moderatio. nam cum prudentiæ obiectum ſit multiplex, diſperſum ac valde perplexum, inde venit, quod ei valde ſit neceſſaria cunctatio, ne ad pauca reſpicientes, ſubito pronunciemus, cum plura ſint diuturnius ac penſiculatius trutinanda. Calor autem iſte prudentiæ cunctationi infeſtus, duplex. vnus in perturbatione appetitus ſenſitiui reperitur: vtpote quando cupiditate aut odio alicuius rei ducti, ira, inuidia irritati, nimia ſpe aut gaudio elati, addicimus animum ad ſtudium prudentiæ. alter reſpicit tantum ipſam prudentiæ conſultationem, inueſtigationemque, ſicut reſpicere poteſt mẽtis occupationes, in vniuerſum circa alias ſcientias: veluti quando nimio deſiderio incẽdimur, ac nimis ſumus æſtuantes ad indagandum verum prudentiæ obiectum, & medium ad id excutiendũ, quod factu optimum. & ſane vterque calor plurimum obeſt prudentiæ. prior quidem, quod certo quodam affectu inquirentem oculum in vnam partem importune deferat, præſtetque, vt id ei arrideat, non quod vero iudicio conſentaneum, ſed quod perturbationi animi opportunum & congruum. poſterior non tam adigit animum ad prudenter deliberandum, quam omnino præcipitat, eoque vehementius delatus, multa inconſulta pertranſit, & inde nebulam quandam ſuæ intelligentiæ offuſam recipit. Dandum itaque prudentiæ conſultationi ſpacium aliquod, in quo vterque ille calor exhalet & deferueſcat. qua de cauſa *Ariſtoteles* virum magnanimũ, otioſum & cunctatorẽ appellat: nempe vt illud interpretatur *S. Thomas*, quod non ſit nimium ſolicitus, præceps, aut ex aliquo animi feruore plus æquo perturbatus.

[Ariſt. 4. et cap. 3.]

[S. Thom. 2. 2. q. 50. art. 9 ad 3.]

Nam puer impubes, & adhuc non vtilis armis
Vnus de Fabia gente relictus erat.
Scilicet vt poſſes olim tu maxime naſci,
Cui res cunctando reſtituenda foret.

[Ouid l. 2. Faſtor Liul. l. 8 Dec 1. Valer. l. 2. c. 2. Flor. l. 2. cap 8.]

Sunt vero, qui quo ad ipſam exequutionem hoc diſcriminis ponunt inter facinora, & probe facienda: quod cum facinora ſint odioſa, & variis impedimentis obuia, cito opere ſint perficienda: bene autẽ gerenda honeſtate ſua, commẽdabilia, etiamſi mora interceſſerit, perfici cõmode poterunt, ac indies eo magis euadũt ſi non plauſibiliora, ſaltem aliorum iudiciis æquiora. Helena hæc, nullorũ oculos ſubueretur.

6 Vt etiam prudentiæ robur ac perſpicientia confirmentur in nobis, & a contrariis muniatur, voluptas, dolor, atque triſtitia, ſi non abigendæ, ſaltem moderatione quadam coercendæ: etenim affectiones iſtæ non tantum infeſtæ animi contemplationi & vniuerſalium ſciẽtiæ, ſed inſuper prudentiæ ac ſingularium notitiæ. quod autem voluptas contemplatrici ſcientiæ ſit aduerſaria, id ex eius obiecti pugnante conditione cum obiecto ſcientiæ, ſatis euidenter liquet. nam voluptas verſatur circa ſingularia, ad quæ compellit mentis ſpeculatiuæ omnem vim, proinde eam frequenti vſu emaſculando & excindendo, ineptam reddit ad vniuerſaliũ & abſtractorum, quorum eſt ſcientia, intelligentiam. Verum quod prudentia ipſa verſetur etiam circa particularia, inde noſtri aſſerti demonſtratio euadit impeditior. Nihilominus merito affirmat *Ariſtoteles*, corporũ voluptates impedire quoque *Æſtimationẽ prudentiæ*. quamobrem tametſi prudentia circa ſingularia occupetur, quemadmodum & voluptas, eſt tamẽ prudentia ſolertiſſime diſcurſiua ac collatiua. diſcurſui vero plurimum obeſt voluptas: quæ non ſolum mentem deſtinat ad particularia, ſed inſuper veluti quodam viſco eam ita adglutinat, vt ad diſcurrendum, ac ad vnum cum altero quaſi in ſyllogiſmo conferendum, fiat imbecillis: proinde hoc nomine voluptas prudentiæ, quæ maxime in ſuo genere diſcurſiua, valde contraria. ex quo inter alios effectus libidinoſi amoris, recenſeri ſolet contra prudẽtiam, ſtultiloquium.

[Ariſt. l. 2 Rhetor.]

7 Triſtitia quoque ac dolor, vti aſſerimus, prudentiæ nocent: quod cum multifariam præſtent, tum maxime memoriæ vim debilitando, cuius opera plurimum indiget prudentia. Cõqueritur *Seuerinus Boetius*, perpeſſas in carcere ærũnas, ſibi memoriã ferme profligaſſe.

[Boet. lib. 1. conſ. pro. 3]

Crede mihi, miſeros prudentia prima relinquit,
Et ſenſus cum re, conſiliumque fugit.

Ouid. l. 4 de ponto.

Hoc efficere triſtitiam ac dolorem quo ad prudentiam, ex duobus mihi perſuadeo: principio quod iſtæ animorum ægritudines deijciant ac frangant omnẽ eorum exilientẽ impetum, languidũ & eneruẽ eum reddendo. deinde multũ officiunt diſcurſui, ſicut & reliquæ affectiones importunæ: cum e contrario prudentia ſit acris virtus, & agiliſſimè diſcurſiua. Vnde animaduertunt *Ariſtoteles*, & *Cicero*, temperantiã, quæ ſenſuũ voluptates moderatur, dici σωφροσύνη, vtpote virtutẽ prudentiæ conſeruatricẽ: quæ ſi omnes plane iucunditates a ſe depulerit, & in nullis earũ mediocritatẽ, continuo afflicta, adprobauerit, prudentiã conſeruare nõ poterit, ſed potius eã ægritudinibus expugnabit, & quaſi inſperſo in oculos ipſius aceto, omnẽ eius aciẽ perſtringet ac debilitabit. hoc diſertè adſtruit *Socrates* apud *Platonem*. *Ea que parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec ſatietate affluenti: quorum vtrumque perſtringere aciẽ mentis ſolet, ſiue deeſt natura quidpiã, ſiue abundat atque effluit.* ob quã cauſã mendicos, ægrotos ac valde miſeros raro videmus prudentes. eſt itaque ex temperantia decernendum, inter has iucunditates quoddam medium, cuius adminiculo prudentia non opprimatur, ſed foueatur: de quo *S. Ambroſius*: *Non enim delectatio, ſed labor & doctrina, meditatio cum dei gratia dant perfectã prudentiam.* animus ſaltem, ſi non corpus, angoribus nimijs eximẽdus, vt prudẽtia exornetur.

Ariſt. l. 6 et. cap. 5. Cicer. Tuſcul. 3.
Plat. de Reg. Cic. l. 1 de diuinat.
Ambroſ. in 2 cap. Gen.

8. Atque inter reliqua iſtius prudentiæ cauenda impedimenta, vel maximum eſt animi faſtus & arrogantia. in quibus duo præſertim ſpectabilia: primũ, auſus quidam voluntatis in ingentes honores atque titulos, quibus excellentiæ ſummum appetitur. alterum, falſa quædam perſuaſio eſt, quod nempe in ſtatus, talibus rebus exiſtat digniſſimus. ac vtraque prudentiæ nocentiſſima. in vniuerſũ ſuperbi, neſcio quo modo in altũ elati, ferme nunquã ad particularia, quæ ſunt prudentiæ propria obiecta, deſcẽdunt; nihil aliud ſtudijs & cogitationibus ſuis verſantes, præter illos apices honorum aut dignitatũ, de quibus vel gloriantur adeptis, vel vt eos quandoq; conſcendãt, ſolicitè ſuſpenduntur. quatenus autẽ glorioſius de ſe quã oportet ſentiunt, eatenus plane omnes prudentiæ, imo & caliditatis neruos in ſeipſis exſcindunt. *Superbia* inquit *Baſilius*, *magna habetur, ſe nullius egere auxilio, ac ſibi ipſi penitus acquieſcere, quaſi vel ſolus ſapiat, vel quæ optima in medium conſulere valeat.* Cum itaque elati animi dedignentur ſerpentinos prudentiæ in imo greſſus, ad particularia accedendo, imitari, ſimulque externa eruditionis adiumenta faſtidiant, fieri neutiquam poterit, vt magna aliqua prudentia illuſtrentur.

Baſ. orat. 21.

9. Quocirca, quod hæc ipſa prudentia verſetur non circa aliquod vnũ, ſaltẽ vi ac contextu coordinationis, vt ſcientia, ſed circa plura, eaque diſtractiſſima: quæque aliter ac diuerſimode ſe habere poterunt, idcirco inter virtutes intellectuales, ne erremus, ne impingamus, ne repercuſſi deficiamus maxime hæc indiget diuinæ gratiæ adiumento ac vitæ ſanctioris præſidio. Tametſi quidem morum actiua principia ſint nobis notiora, ac homini, vt ex *Ariſtotele* affirmat *S. Thomas*, magis naturalia, quã ſcientiæ principia, nihilominus concluſiones practicæ, propter earum multitudines, incertitudines ac obſcuritates, ab illis principijs deducendæ difficiliores eſſe ſolent & perplexiores: proinde a diuino munere plus dependere videntur. quãobrem idem *Ariſtoteles* affirmat, prudentiam, quoad ſtatum perfectum, non reperiri niſi in bonis & optimis hominibus, omnibuſque virtutibus excultis. *Et ideo ad prudentiam requiritur*, ait *S. Thomas*, *moralis virtus, per quam fit appetitus rectus*. nam qui prauos fines ſibi proponit, is affectionibus turbatum appetitum retinet: turbatus vero ac barbaricus appetitus, vt loquitur *Plato*, cum prudentiæ egregie ciuili & excellenti lumine nequit conſiſtere. Ex quo, propter collectum lumen vitæ ſanctimonia, de ſe pronunciat *Dauid*: *Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui*. loquimur autem de vera prudentia, non de illa, quæ carnis dicitur, & eſt mera aſtutia, quæ omni actionis turpitudini fœde adſtipulatur.

Ariſt. 10 et. cap. 7. S. Thom. 2. 2. q. 47. art. 5.
Ariſt. l. 6. eth. cap. 12.
S. Thom. 1. 2. q. 57. art. 4. caiet. ibid.
Plat. in Gor.
Pſalm. 118

10. Quod cum ciues intellexerint, vt hoc lumine prudentiæ illuſtrẽtur, curabunt omnibus virtutibus enitere, animaſque a vitijs in vniuerſum purgatas ſeruare. Principes quoque hinc percipere poterũt, nullos tam idoneos in grauiſſimis ſuis negocijs conſultores ab ipſis poſſe adhiberi, ac pios ſanctoſque. Etenim in quo diuina gratia copioſior effulſerit, in eodẽ paſſiones animi ad quietẽ ac temperiẽ perfectius componuntur, & comparantur. quo factum, vt maximi principes, etiã quo ad negocia ciuilia ſæpius exquiſiuerint ſententias vel eorum, qui vitã ſolitariam degebant; vtpote *Simeonis Stylitæ* anachoretæ, *S. Bernardi*, *S. Patricij*, Sanctæ *Catharina Senenſis*: qui omnes præter acquiſitam prudentiam, infuſa etiam claruerunt. Præſertim vero cum iſtis oportunior erit conſultatio, ſi modo agatur & tractetur de debita conuenientia ſtatus aut negocij ciuilis, cum optimo ſtatu animarum, ac qualitatẽ genuinæ fœlicitatis: qui quidem caſus ſæpiſſime incidit in mores ciuium ac eorum deliberationes.

CAPVT. XXVII

Inquiritur de quibuſdam Prudentiæ munimentis

PRudentiæ columbinam ſimplicitatem, complicari abditique cõſilij inſtructione coercitam, veluti ex contrarijs perfectum aliquod reſultans, merito omnes ſuſpiciunt & admirantur. Si enim ea, ad columbæ ſpeciem, aperta, ſi explicata, tractabilis, quomodo inuolucro contracta, quomodo in ſpiras contorta, quomodo in aliquod pene-

penetrale abſtruſa, vt demum columbinus ille candor ac pluma cum ſerpentinis ſquammis ignibuſque cohæreant in eadem? Enimuero prudentia, armata *Pallas*, non diſſoluta *Venus*, quæ aut foras prodit, viribus propriis munita, vel arte ſua curioſiſſimo oculo imperuia, domi latet, ad quam nullum telum deſtinato perueniте poterit: adeo vt ſiue in acie conſpicua, ſiue in receſſu operta, fæliciter ſemper boni propoſiti effectum ac gloriam cõſequatur. pugnat in fulgore, pugnat in ſecreto, eloquio dimicat, ſilentio aduerſa confundit: cui neque gladius, aperti nempe martis inſtrumentum, neque arcus, deceptricis ingenii machinamẽtum, deeſſe poterunt. dum ſe in aciem effert, inſtar *Gorgonis*, inſpectores in ſtuporem adigit: dum deliteſcit, vel ipſarum turrium ex imis fundamentis ruinas apud ſe conſtituit, ac meditatur. Etenim omnem humani ingenii vim cum in ſe contineat, modo nihil contra virtutem ea decernat, haud mirum, ſi ad naturam illius ſit accuratiſſima, potentiſſima intus foraſque, loquens ac tacens, agens & otioſa, in radio & in vmbra, in ſpecu & in aprico, in aſſultu ac deſultu, bellatrix victrixque. vt enim ſcientia erroribus, ita prudentia malè factis dominatur.

2 Inprimis inter reliqua, hoc inuenitur prudentiæ ingenium, quod ad aliorum animos cum perſuadendos, tum conciliandos, mille formas modoſque ſubire, ſi id ei adlibuerit, in promptu ipſi fuerit. Cum enim ſimilitudo cauſa ſit amoris, amor vero totum robur exiſtat actionis dictioniſq; tum vir prudens ſeſe aliis accommodans, ſiue eorum imbecillitati eo ſe dimittat, ſiue viribus, furore armatis, leniendis ſe applicet, ſiue eorum mores verbaque, quantum ſine crimine fieri poterit, vſurpat: adeoque aliena tam accurate, tanquam iris, ad ſe transfert, ac ſi in ſeipſo, vti in propria matrice, omnes illi colores rerum primum excreuiſſent,
Virg. Æne. 2 cunctis dominatur. *Mille trahens varios aduerſo ſole colores.* In hunc ritum, veluti iris a ſole percuſſus, prudentiæ artificiis excultus *S. Paulus*, non huic aut alteri homini, non iſti vel alteri nationi, concinnitate quadam ſimilis redditus, egit ac diſputauit, ſed omnibus plane omnia factus, ſcilicet, veluti a ſeipſo in peregrinas formas totus trãsformatus, cum Græcis tanquam eorum gentilis, cum Hebræis veluti ab ipſis oriundus, felicitatis ac æternæ ſapientiæ mo-
a Cor. 3. menta vario pertractauit. Cum illis nutricis
Hebr. 5. partes exequutus, eis lac propinauit, cum aliis, parentis munus, ſolidiores cibos ſubminiſtrando, aptiſſime expleuit. Communis autem vtrobique illi finis: nempe vt veritatis lumen vniuerſis præferret, eoſque ad vitæ ſanctimoniam alto quodam gradu promoueret. Quod autem in pluribus hominibus, ingeniorũ diuerſi habitus, veluti totidem diſpoſitionum varietates, reperiantur, ideo prudentia optimarum formarum inductrix, eas penſiculate obſeruat, ac cõgruenter ad vniuſcuiuſque naturam ſubinde de illis diſſerit, ac definit. nouit, prono opere illi perſuadendam fortitudinem, quem natura altum, & humana deſpicientem genuit. proinde idoneam perpetuo complexa naturam, quod in ea ſtatuerit perficere, non ſolum ſumma cum vtilitate, ſed etiam iucunditate magna abſoluerit. Huiuſmodi prudentis conſilij artificia, viſi ſunt antiqui, ipſis etiam Diis, diuerſis formis effigiatis, quo commodius hominibus prodeſſent, attribuiſſe.

Iupiter aut in aues, aut ſe transformat in aurum, Ouid. Trag. Elegia.
Aut ſecat impoſita virgine taurus aquas.

quod enim iſti non arriſerit, alteri fortaſſis erit in deliciis. Imo Dei veram bonitatem, partim Veteris Teſtamenti typis adumbratam, partim noui donis expreſſam, hunc multiplicem ritum Prudentiæ exercuiſſe, comperimus: quippe quod aliquando ad ingenium Iudaici populi, nubes, columna, ignis, petra, ſerpens, agnus paſchalis, Patriarcha, Propheta, præſtitere, Dei in homines beneuolentiam loquentes, mutatis temporibus, aliaque vigente humana indole, Chriſtus Dominus, eius ſacra, & Apoſtoli, Deo quaſi ſtylum ac figuram mutante, plenius apertiuſque declararunt & effecerunt.

3 Varia quidem iſtius multiplicis, in maxima licet ſimplicitate, bonæ intentionis, prudentiæ exempla, hiſtoriæ tam ſacræ quam prophanæ commemorant. ac vt omittamus vſum ſtratagematum, de quo plurima narrantur à *Vegetio* ac aliis, inſignis Veg. de ſtratagem
quo ad hoc in animo Patriarchæ *Abrahami*, filium ſuum vnicum *Iſaacum* immolaturi, prudentia illuxit. ne enim filio, diuinum mandatum expleturus, intempeſtiue eſſet horrori, illi de hoſtia immolanda percontanti reſpondit, *Deus prouidebit ſibi victimam*. qui- Gen. 22
bus cum veram ſententiam protulit, tum quod ipſe intendebat, id filij intelligentiam celabat. prudentis erit proinde, interdum in animo conceptos ſenſus, non tantum abſcondere, ſed etiam aliquando contrariorum indiciis, maleuolorum conatus alio diuertere. *Maximo* in Gallia crudum tyrannum in ſuos agente, vt ſcribit *Pacianus*, ciues ac milites externa actionum ſacie ſignificabant, ſe potius ab illo, vtpote optimo Principe, benignius tractatos, ſaltem ſe a dolore & impatientia alieniſſimos, præ ſe ferebant: *Sere-* Pac. paneg.
nos ergo mobilibus mentibus vultus induebamus, Theodoſ.
ad illorum vicem, qui deguſtatato Sardiorum grauiori ſucco, feruntur in morte ridere, imitabamur læta mærentes. Hinc *Seneca* extat conſi- Sen. l. de
lium: *Potentiorum iniuria hilari vultu, non* ira. cap. 33.
patienter tantum patienda ſunt. In hac arte apud Græcos celebres *Alcybiades*, *Themiſtocles*, *Vlyſſes*, *Pharius Iaſon*, vt ſcribunt *Athe-* Athen. l. 12
næus, *Æmilius Probus* ac *Cicero*: apud *Afros Han-* Æmil. in
nibal, apud Romanos *Catilina*, *Quintus Fa-* Alcyb. Cic.
bius, *M. Porcius*. De *Alcybiade* hæc *Æmilius*: lib. 1. off.
Omnes admirabantur in vno homine tantam, tamque diuerſam naturam. De *Catilina* hæc *Cicero* Cic. in catil
recenſuit: *Quis in voluptatibus inquinatior, quis in laboribus patientior, quis in rapacitate auarior, quis in largitione profuſior?* *Titus Liuius* in hoc in- Liu. Dec. 4.
ſtituto *M. Porcij* ingenium expreſſit: *Vrba-* lib. 9.
nas ruſticaſque res pariter callebat. Ac inter

reliqna munera ſanctæ ſimul ac ciuilis prudentiæ, haud minimum, aliorum animos in mœrore deiectos erigere poſſe ac conſolari, deniq; omnium affectuum exceſſus eis excutere; quod neutiquam ſanè ille præſtiterit, qui eiuſmodi motus in ſeipſo non prius occultauerit, diſſimulauerit, vel expulerit. *Non eſt optimus conſolator*, inquit *S. Hieronymus*, *quem proprij vincunt gemitus, cuius viſceribus emollitis, fracta in lacrymas verba deſudant.* quam autem ſit hoc agenti operoſum ac difficile, alibi explicatum dedimus.

Hieron epiſt. de Obit. Bleſillæ

4 Inter alias autem ſecretioris conſilij ſpecies, quæ prudentiæ eſſe vſui ſolent, recenſetur ſilentium: quo imitari videtur hęc virtus intellectualis religionem, loci penetrali, aut ritus myſterio, quodammodo occluſam. In *Circo Maximo*, Deo *Conſilio* litantes ſacerdotes, vt ſcribit *Godolencus*, altare poſuere in terram defoſſum, & multo aggere vallatum, quo prudentiæ ſecreta ſignificarent. Rectè idcirco *Andromacha*, apud *Senecam*, appellat *Vlyſſem* nocturnum militem: quod nempe machinationes ſuas longè ab aliorum ſenſibus, veluti in noctis cōticinio, inſtruere ſoleret.

Godol. in 1 dec. Liu. lib. 1.

——— *Hoc eſt pectoris facinus tui,*
Nocturne miles.

Senec. Troad.

Hoc quidem quam ſit neceſſarium, ſatis intelligi poterit, ſi mala cogitemus, quæ ex apertis & paſſim euulgatis animi inſtitutis prouenire, rerum euentus oſtēdunt. Duo præſertim detrimenta, has faciendorum per ſigna aut verba, publicationes, plerumque ſequuntur. primum, quod finibus ac mediis ſemel manifeſtatis, arripiunt alij ſiue ex malitia, ſiue ex cupiditate, occaſiones impediendi progreſſus, exituſque optatos. alterum reperiri ſolet in quodam dedecore, quo ij afficiuntur, qui caſſis & irritis ſuis contentionibus, ante oculos aliorum, poſt ſudores & anhelitus, fruſtrantur. ac plerumque inde palam fit, aut viribus imparia ab aliquo in actionem fuiſſe ſuſcepta, aut minus apta media ab eodem vſurpata: vtraque autem vituperio digna merito cenſeantur. at ſi ſilentio propoſitum prematur, etiam effectu haud ad vota ſuccedente, nihil contra honorem tamen inde ſuſceptum apparebit. ac inter reliqua decreta, ab aliis euacuanda, expetita eſt vindicta: quam cum ira ſemel propalauerit, omnino carere ſolet optato propoſito, prorſus enim excidit eius opportunitas, poſteaquam iræ flammæ fumuſque conſilium intus digeſtum foras indicaverint. *Homines enim furenti*, inquit *Plutarchus*, *ingenio, facile ad omnes machinas atque inſidias hoſtium patent: ſæpeque ſalutaribus conſiliis ſpretis, ſummam rerum in diſcrimen obiiciunt.*

Plut. in Hom. bil.

——— *Vaneſcit inanis*
Impetus, & fracta redeunt in clauſtra procellæ.

Claud. l. 2 de rapt. Proſerpi.

Imo in hoc, naturæ noſtræ ſingularis quædam eminet dignitas, quam ſane vnuſquiſque debet in ſe, quantū poteſt, conſeruare: quo nempe præter diuinum oculum, nulla alia mens ad cordium noſtrorum ſecreta penetrare poterit. Scribunt antiqui, *Carolum Quintum*, ſolitum in cubiculo ſuo priuatim manere, vel ſe ægrotum fingere, quo tempore aliquid maioris momenti animo machinabatur, ne aliis palam eſſent eius inſtructa negotia. Vt ſummatim ergo hac in re definiam, tunc aliis noſtra vtiliter manifeſtanda, quando ab eis adiuuari poſſumus, neque inde grauius aliud incommodum ſequitur: ſimulque quando iure naturæ aut diuino, aliis, noſtris verbis prodeſſe obligamur: quorſum enim extra hos caſus, eis pectorum receſſus paſſim recluderemus? Aberrat idcirco à lege prudentiæ, quorundam indoles, qui vt ab aliis habeantur maximarum rerum in Republica intelligentes & tractatores, glorioſe eis renunciant, quid in ea percepeiint, quidue ipſis commiſſum ad peragēdum fuerit. ſimiliter prudentiæ non tam conſentiens illorum ingenium, quod ex quadam ingenuitate ac facilitate, nimium geſtit, aliis gratificari ſignificationibus ſuis; dum eo præditi, omnes æque bonos ac ſimplices, atque ipſi ſunt, ſecum iudicant.

Theat. vitæ hum. lib. 4.

5 Certè ſi cuncti ciues ea eſſent bonitate præditi, qua optandum, tantis ſecreti vmbris ac mæandris opus non eſſet in ciuitate: neque ratio ſubeſſet, ob quam, Deorum antiquorum inſtar, ad vitandum ſtrepitum, laneis alti ſilentij pedibus, per forum & platæas incederemus. natura idcirco, etiam naturæ defectui ſuccurrendo, quaſdam virtutes in contraria ac infeſta armauit: vtpote fortitudinem inſtituendo contra aliorum iniuſtas vires, & prudentiam contra aliorum inſidias, fraudeſque. Quamobrem huius ſecreti ac nebulæ maior ſolicitudo adhibenda apud eas gentes, quæ ingeniis altioribus vigent, eiuſque vim variis artibus quaſi ad ſummum iam adduxerunt: nam iſtæ magis aptæ ad fraudes, omnemque malitiæ qualitatem componendum. non enim æſtimare debemus, quæ in natura præſtantiſſima, ea prorſus vacua malis: imo maiora mala potiſſimorum decoribus pertinacius agnata, quam aliis humilioribus arbitrari debemus. Vt ergo creſcente apud homines iniquitate, conſeruetur lux prudentiæ, duo præſertim curanda: quorum vnum, corpus, alterum, appetitum ſpectat. quo ad corpus, non eſt illud opplendum humoribus fluidis, qui oriri ſolent à ciborum ac potus humiditate & eorumdem abundantia: nam humores iſti & fluores non, aliter extinguunt hoc lumen prudentiæ, quam aqua ignem. Gaudet prudentiæ flamma lampade ſicca & calida, corpore ſcilicet concreto, & ſpiritu calente. quantum ad animum, cum omnes in vniuerſum paſſiones, ſiue à voluptate, ſiue ex triſtitia & ægritudine manantes, prudentiæ dexteritati officiunt: eam ob cauſam non relinquunt locum prudentiæ in homine, niſi ex certa diſciplina adſit facultas eas ſedandi ac comprimendi. prudentes proinde non poterunt eſſe, qui animis æſtuant, qui ex impotentia ac rabie frequenter iurant, qui libidines ſuis verbis ſæpius ingeminant. fraudulenti interdum ac nebulones, prudentes neutiquam. neque ipſe certe intelligo, horum iratorum, impiorum, & libidinoſorum fraudes, quas ipſi prudentes reputant, quando diſſimulatio apud eos inſtructa tam craſſa eſt, tam aliunde a dictis ac factis ipſorum detecta, vel e-

iſdem

iſdem contraria. non enim patiuntur in eis libido, ira & impietas, vt eorum conſilia diuturniori iuſtitiæ, aut vllius virtutis ſpecie cooperta, vel re ipſa deliteſcant, vel aliorum oculis ac ſenſibus, quod ad ea, quæ ſotinſecus apparent, illudant. Secretum proinde hoc, in quo prudentia ſuam telam contexit, ad eos non ſpectat, qui mala fama perfidiæ, aut vllius ſceleris laborant: nam ſi quod velum iſti ſuis factis vel cogitatis induxerint, illud tam tenue eſt & rimoſum, vt per illud cuiuſuis leuior cogitatio, ad id quod velatur, penetrare poterit. & quidem hoc vnũ ſufficit ad ſecreti detectionem, quod cognita ipſorum mendacia, ac frequentes, quæ præceſſere fraudes, loquuntur & dicunt, nil aliud quam velum eſſe, quod exterius ab ipſis prætenditur. at vel nomen ipſum veli, tanquam equi Troiani, ſuſpicioſum, odioſum, ex toto ſui maculis & aperturis plenum. Quocirca vt prudentia, honeſta ſua inuolucra, eaque alte tegmine cõſtipata, in ſuis præſidijs retineat, opus eſt, eam reliquis omnibus virtutibus confirmari: alioquin, vt dixi, vitia ſecretum breui diſpellent, vel eiuſdem in vniuerſum affectatum artificium alijs manifeſtabunt, redarguentque.

Gell. lib. 13. cap. 8.

6 Cum vero, vt dici ſolet, res aliqua eiſdem medijs conſeruatur, quibus primum comparatur, tum conſequens, prudentiam, quam *Afranius, Vſus & memoriæ filiam* appellauit, eiſdem acquiri augeri ac confirmari. perit proinde hæc virtus ex otio ac deſuetudine: & quidem citius, quam aliæ ſcientiæ, quæ in ſpeculatione occupantur.

Vſus me genuit, mater me peperit memoria.

quemadmodum ergo, ſine generatione & partu, non fit proles, ita neque prudentia emergit, vbi vſus & memoria deficiunt. Eſt ſiquidem prudentia non ſolum verſuta, ſed etiam quodammodo callida. inter verſutiam autẽ & calliditatem hanc differentiam ponit *Cicero: Verſutos eos appello, quorum celeriter mens verſatur: callidos autem, quorum tanquam manus opere, ſic animus vſu, concalluit.* ſicut ergo manus operantium non prius callum contrahunt, quam multum temporis operæ impenderint, ita non prius homines callidi euadunt, quam longam & diuturnam experientiam ætas in eis protulerit.

Cic. l. 3 de Nat Deor.

7 Supereſt, inter virtutes intellectuales, quæ tam ſacræ, quam politicæ vitæ, inſtrumenta, pertractandas, *Intellectus*, ſeu cognitio principiorũ ad actionẽ referendorũ. ideo notiones omnes, ad virtutis ac vitij cõcipiẽdas animo formas pertinentes, ſub cõplexu iſtius diſputabuntur.

CAPVT. XXVIII

Intellectus, qui vnus ex quinque virtutibus intellectualibus, certarum vmbrarum, quibus præclara virtutum forma denigrari ſolent, notitiam concipere debet, vt in nihil obſtantibus, ad earundem pulchritudines intuendas & cognoſcendas perueniat.

S. Thom. 1. 2. q. 58. art. 8

INtellectus, qui & virtus humanæ mentis, in vniuerſum occupatur circa prima principia tam ſcientiarum, quam actionum, vt oſtendit *S. Doctor.* & quidem ſcientiarum, ſimpliciter appellatur *Intellectus*: reſpectu vero actionum aliquando *Intellectus*, vt conſtat ex *Ariſtotele*, aliquando *Syneſis*, ſeu *Synderiſis*. Inter alia autem principia actionum ex ſeipſis nobis nota, ac Intellectu ſeu ſynderiſi conſpecta, duo ſunt præcipua. Primum virtutẽ, vtpote ob ſuum innatũ decus intelligibile, rem pulcram eſſe, & ſequendam: alterum, vitiũ propter ſuã deformitatem & inimicam in naturã noſtrã qualitatẽ, ac turpitudinem fugiendum. In hos quidem aſſenſus, omnes gentes ſibi ingenita vi, abſque artium diſciplinis, feruntur, & ideo intellectus, ex ſe determinatus ad horum cognitionem, appellatur virtus; vt docet *S. Thomas. Quæ autem natio* inquit *Cicero, non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit? quæ ſuperbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aſpernatur, non odit?* & alibi. *Quis eſt tam diſſimilis homini, qui non moueatur & offenſione turpitudinis, & comprobatione honeſtatis? quis eſt, qui non oderit libidinoſam &, proteruã adoleſcentiam? quis contra in illa ætate pudorem, conſtantiam, etiamſi ſua nihil interſit, non diligat? quis Paullum Numitorem, Fregellanum proditorem, quanquam reipublicæ noſtræ profuit, non odit? quis vrbis conſeruatorem Codrum, quis Erichthei filias non maxime laudat? Cui Tubuli nomen odio non eſt? quis Ariſtidem mortuum non diligit?*

S. Thom. 1. 2. q. 55. art. 1.
Cic. l. 2. de legib.
Cic. l. 5. de Fin.

2 Nihilominus præmonendi ciues, interdum præclaras has formas virtutum multis, quaſi rerum turpiſſimarum laruis, non celari modo, verum etiam ſic dehoneſtari, vt ij, quorum ſenſus infirmi ad eas penetrandum, præter nuda nomina, nihil in illis contemplentur: adeoque ab eis tanquam totidem Gorgonibus reſiliant, indignaſque reputent, quibus iuuentutis florem, confirmatæ ætatis robora, aut ſenectutis grauem prudentiam attribuant. Superius explicauimus eas, quæ virtutes intellectuales afficiunt, vmbras; iam de moralium obſcuris, ac quoad aſpectum in nobis oculorum indecoris appendicibus, paucis diſſeremus. Videmus certe, & experientia probamus, in hoc humani animi cœlo, eius lumina, quæ claritate ipſas ſtellas ſuperãt, videlicet virtutes, euaporatis, neſcio quibus nebulis obſcurari; ac inde non ſua altitudine ſolum, verum interiectu, neſcio quarũ ſordium, a noſtræ intelligentiæ ambitu dimoueri. Vnde aliqui, ex [illegible]morum [illegible] iudiciũ de virtute exprimentes, ipſorum vitiorum deformitates transferunt [illegible] virtutes, & tanquam vitia eas traducunt, [illegible]tem turioſum, temperatum vecordem, [illegible]lum ſtupidum, grauem ſuperbum appellantes.

Deme ſupercilio nubem, plerumque modeſtus
Occupat obſcuri ſpeciem, taciturnus acerbi.

3 Et quidem ad virtutis vultum præclariſſimum deformandum, vel contẽ[illegible]dum, quatuor, vt ſummatim dicam, mihi videntur ſuas vires contuliſſe: dogmatum nempe falſitates, morum immaturitates, virtutis ipſius ingenium, denique diuinæ prouidentiæ rationes. Dogmatis inprimis fœditatem, ij virtutis dignitati adflare conati, qui teſte *Cicerone*, affirmarunt, nullam eſſe virtutem ſuapte natura ſolidè tal[...]

ſubſiſtentem, iure vllo diuino aut naturali ſtabilitam, ſed vna ſola hominum opinione, more vel iudicio, ſiue eorum legibus, vitæque vſibus vltro admiſſis, decretam atque conſtitutam: adeo vt, ſi eis placuiſſet aliter ſentire, aliterque decernere, ea ipſa actio, quæ iam virtutis nomine commendabilis, nequaquam talis reipſa extitiſſet. pariter quæ actio vitio contaminari etiamnum a nobis æſtimatur, ex eiſdem in contrarium mutatis, tanta prauitate caruiſſet. Enimuero ſi hoc dogma veritatem obtineret, omnis decor virtutis inde planè extingueretur: qualis enim illa pulcritudo, quæ expreſſè a natura ipſa, ac Deo auctore, nihil floridi ac concinni mutuatur, ſed vna mentis humanæ opera texitur & effloreſcit; qua vacillante, pariter vacillet, recedente in aduerſum, perit: nec minus ab hominum cōiecturis dependeat, quā colores in iride a locis, in quibus ſpectatores ſeſe collocarint? Cæterum depellendum hoc dedecus a virtute, ac ſciendum, eius venuſtatē honeſtatemque in multis, non exiſtere ſolum quatenus opinioni vel legi ſubijcitur, ſed naturæ ipſius effectu, ac ipſa veritate: proinde quam plurima quoad actionem pulcra, non quia ita flexibilis hominum ſenſus arbitratur, non quod lex ea in præceptis poſuerit, ſed potius, quia ex ſeipſis pulcra, quia decentia ac bona, quia a Deo ac natura deriuata, ideo in opinionem & amorem poſtea admiſſa, ac lege complexa fuere. amoueantur opiniones, ſileant leges, nihilominus pulcrum, honeſtum, pro patria extremum vitę diſcrimen ſubire, nemini iniuriam inferre, omnibus prodeſſe, temperanter viuere, Deum colere, fidem datam ſeruare. priuſquam enim hominum iudicia ad hæc officia acceſſerunt, antequam leges de eis ſcriberentur, extitit in eiſdem, virtutis præceptum, ipſi naturæ penitus infixum, ac a Deo ipſo propagatum: cui aliæ leges, characteribus conſignatæ, hominumque arbitria, ciuili more conſtituta, fuere acceſſoria, aduenticia: *Quæ non tam incipit lex eſſe cum ſcripta eſt, ſed tum, cum orta eſt,* vt ait *Cicero*. *orta autem eſt ſimul cum mente diuina. quamobrem lex vera, atque princeps apta ad iubendū, & ad vetandū ratio eſt recta ſummi Iouis.* ſtāt itaque vigor ac decus virtutis, a Deo fonte omnis ſplēdoris, a primis rerū ipſarū naturis deducta: quibus hominum iudicia, leges ac conſuetudines poſtea famulantur, venanturque id, quod in eis reipſa pulcrum, decens amœnumque. Iudicium quidem in nobis regula eſt immediata noſtræ actionis, ac eius principium, nō vero cauſa vel origo illius decoris, quod in virtutis obiecto reperitur: eius enim prima regula ac principium cernuntur in ipſo Deo, a quo omnia pulcra, omnia bona dimanant: cui, vtpote primo exemplari, cum reliqua conſenſerint, eo bona, eo pulcra, vtpote infinito bono ac pulcro ſimillima.

Cic. l. 2. de leg S. Thom l. 3. cont. Gent. cap 129.

4 Cæterum vero, vt ciuium incolumitates ſeruarentur, & eorum excreſcentes iniquitates probiberentur, quædam ſecundaria honeſta obiecta aduenere, lege diuina, ciuili, municipali & eccleſiaſtica, tantummodo definita & excitata: non ita tamen, quaſi eorum decora, lege adhuc permanente, ac circumſtantijs inuariatis, ab hominum iudicijs in ſolidum decernerentur: cum neceſſario honeſtum ſit, legi obtemperare, ſicut eidem reluctari, malum. Eiuſmodi eſſe quædam obiecta, demonſtrat natura actionum, quæ circa illa verſantur: ſunt enim iſtæ actiones ideo poſitæ in aliqua ſpecie virtutis, quia earum obiecta externo imperio iubentur vel prohibentur; quo non exiſtente nihil eiuſmodi virtutis in eis appareret. inde ſi Deus non præcepiſſet feſtiuitatem diei ſeptimæ Iudæis, illius diei cultus ad virtutem religionis peculiariter non ſpectaſſet, quaſi illa magis obnoxia ex ſe religioni quam alia. Cuiuſmodi ſunt etiam omnia purè a iure poſitiuo conſtituta. Cæterum alia officia vi etiam ipſius naturæ, bona: ex quibus oritur obligatio, vt homo certo modo ſe gerat erga Deum, erga ſeipſum, ac alios, quibuſcum viuit: quorum bonitates fundari dicuntur in rebus ipſis, idoneis, quæ ſub hac rectitudinis nota, ab anima, ratione prædita, concipiantur. Sicut ergo in quibuſdam actibus humanis reperitur quædam moralis plenitudo eſſendi, cui nihil deficit, idque decreto ipſius naturæ, ita in eorum obiectis, natura ipſa pronunciāte, pariter cernitur plenitudo quædam obiectiua honeſtatis: cuius egregia forma non excitatur hominum iudicijs, vel ab illis omnino dependet, ſed potius inuariabilis quædam eſt diſtinctio pulcritudinis ac probitatis, a diuino illo & inexhauſto fontę omnis perfectionis, profecta.

S. Thom. 1. 2. q 18 art.

5 Sicut ergo quarundam actionum honeſtas ab ipſa natura defixa, ita in homine facultas reperitur, quæ *Intellectus* dicitur, abſque præuia admonitione, anticipatione, aut diſcurſu, dum natura ipſi naturæ applaudit, eam intuens & agnoſcens. Hinc *S. Auguſtinus* ex Varrone, quatuor enumerat, quæ ſui mero obiectu, ſine alia inſtructione aut magiſtro, ab intellectu humano cognoſcuntur: inter quæ virtutem recenſet. ac propter hanc cauſam *Plutarchus* appellat virtutem *ἀγνὴν*. Voluit enim Deus, vt omnium optimum ac peſſimum, nempe virtus & vitium, humanæ intelligentiæ eſſet quodammodo vicina & explicata: quo vel inſpectis, etiām in quouis ſecreto loco, illius acre deſiderium in homine incenderetur, huius vero ſubitanea & expedita deteſtatio illico in eodem oriretur. ſi enim in abſtruſo vtraque latuiſſent, virtutis neglectus euaſiſſet excuſabilis, ſimul ac vitij delectus prope inculpabilis. *Quis oſtendet nobis bona?* quærit pſalmiſta: ac ſibi reſpondens, ait, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Auguſt. lib. de ciu. cap.

Pſal. 4.

6 Aliud in virtutis præſtantiam inciuile dogma inſurrexit, quo definitum, eam, effectum eſſe neceſſitatis, voluntatem, in illam incumbentem, neceſſario in opus deferentis, ac præcipitantis: vndecumque hæc neceſſitas prouenerit, ſiue ex cœlorum influentia, ſiue ex fatali cauſarum connexione, ſiue ab interna indole, aut aliqua vi animorum ſeu impulſu. Verum immanis iſte quoque error, qui hanc nebulam virtuti induxit, qui eo eiuſdem expetibile de-

cus

cus omne penitus extinxit. quamobrem precor, ciues amore virtutis inflammarentur, aut eius acquirendæ cauſa ſua omnia, adeoque vitam ipſam prodigerent, ſi nihilo melior eſſet eius forma, quam cuiuſlibet exiſtit naturæ effectus, quam cuiuſuis animantis, ratione deſtituti, operationis? Quocirca a virtutis præſtantia, ciuili doctrina depulſanda tanta mentis a veritate aberratio, & inde eidem allatum dedecus profligandum. Scire ideirco debent ciues, virtutis conſilium non eſſe ſolum in homine vitalem ipſius conatum ac ſpontaneum, ſed inſuper liberum, omni fatalitatis neceſſitate, vel coactionis impetu, ſolutum. Hinc ſane pulcra, hinc laude ac præmio digna tanta virtutis dignitas in oculis ciuium collucet, multo vero fœdior cenſeatur eorum imputatio, qui non tantum inficiantur virtutis actionem effectum eſſe liberi arbitrij, ſed ne dum vitalem eius contentionem eſſe admittunt; ſtatuentes, eam nihil aliud eſſe, quam impreſſionem forinſecam a Deo, aut obiectis prouenientem, ac receptam in hominis voluntatem ſeſe merè paſſiue habentem.

7. Iſtis deliriis, in virtutis vituperium comparatis, ſuccedunt hæreſes *Manichei*, *Lutheri* atque *Caluini*. quo enim mortales nulla demum cupiditate virtutis ducerentur, affirmauit *Manichæus*, omnia virtutum opera, quæ corporis miniſterio fiunt, vtpote caſtitatem, temperantiam, pænitentiam, ieiunium, vitia eſſe, teterrima labe violata ac polluta, nullo autem modo Deo placere, propterea quod ab illo manent principio, quod malum, quod contaminatum, quodque ortum habuit ab auctore mali, vt
Tertull. lib. de Reſur. ſcribit *Tertullianus*. vnde conſequens, internos animorum motus, circa externa corporum officia tanquam obiecta occupatos, bonos non poſſe eſſe, quandoquidem verſentur circa res malas, a quibus neceſſe eſt illos vitiari. *Lutherus* ac *Caluinus* quo virtutem pariter deformarent omnique natiuo ſplendore barbaricè ſpoliarent, auſi affirmare etiam cum *Manichæo*, virtutem haud eſſe liberæ voluntatis operam, ſed potius voluntatis ad agendum neceſſitate adactæ ſtudium: imo neque eſſe voluntatis conatum ſeu delectum, ſed in eam paſſiuè ſubiacentem, ab alio forinſecus inductam effigiem. Ad cumulum porro ignominiæ, in virtutis præſtantiam ab ipſis conſtitutæ, definire etiam voluerunt, omnem virtutis actum concupiſcentiæ fæce ita deturpari, vt diuinis oculis vehementiſſimè diſpliceat, tantumque abſit, vt præmium aliquod ab ipſo mereatur, quod potius iudicij ipſius æquitate æterno ſupplicio digna habeatur. quorum ſenſus ſi verus fuerit, nullibi conſtabit ratio, ob quam quis virtutem vllo decore inſigniri ſecum æſtimaret. at non ferenda hac inhumana ac planè barbara, horum gigantum ac Cyclopum, in virtutem excuſſæ contumeliæ: quinimo intelligere debent ciues, hos ex profeſſo hoſtes virtutis, non ſolum a veritatis luce blaterantes aberraſſe, ſed etiam a communi bono ciuilis ſocietatis, in extremam barbariem declinaſſe: quod poſtea fuſius a nobis oſtendetur.

8. Præter hæc praua dogmata, a dimentia ciuibus proſpectum in vultum ac decus virtutis, ſecundo iidem ciues admonendi, hoc ipſum coniunctim quoque præſtare, ſceleratorum hominum furores & immanes ipſorum curſus, quibus ad voluptates, brutorum ritu, contendunt. Et quidem in vitium aliquod primus ingreſſus, humani alicuius lapſus ſpeciem, ac venialibis, ſibi obtendit; cæterum vbi conſuetudo alteram quaſi naturam, totam ad delinquendum comparatam, induxerit, ibi cum ad malè agendum incitatior & appetentior cupiditas reperitur, tum ad eis hominibus reſiſtendum, qui vel contrariis factis eiuſmodi rabiem improbant, ſiſtunt, vel repellunt, erumpere ſolet mira in improbis quædam ferocia: adeo vt quoad malitiam vel parum tantummodo quidam hominum, vitiis aſſueti, a dæmonibus tandem diſtare videantur. duo autem ſunt inſtrumenta, quibus vtuntur homines contra aduerſa, quæ eis obſiſtunt. doctrina nempe, ac violentia. Et quidem ignorantia, falſitas, voluptas iniquitas, partes ſuas doctrinæ momentis agere non poſſunt, vel ſe inde ſtabilire, vt conſtat: quid ergo illis ſupereſt ad præſidium, præter violentiam, ſiue apertè graſſantem, ſiue clanculum inſidiantem? Hoc modo intellectu obcæcati, ac erroribus imbuti, ægris animis patiuntur prope ſe conſiſtere intellectualibus virtutibus illuſtratos: impotenter ferunt, ſe ab eis redargui, ſe vulgi applauſu & æſtimatione eorum cauſa priuari. eam ob cauſam in hæc lumina inſurgunt; quo vel in abdita demum loca ea cogant, vbi nihil lucis vibrent, vel quaſdam criminationis tenebras eiſdem maleuolè offundunt: adeo vt præclara hæc ipſa lumina nonnunquam in ciuitate, nullo gradu conſpicua, nulla admiratione excepta, quinimo deſpicabilia, ignota ac penè nulla, vulgo reputentur. Pari modo, qui in vita ſua, parti concupiſcibili imperium demandarunt, voluptatem, vt finem ſibi præſtituentes, hoſtiles euadunt in virtute præditos, quippe ab impuris illis vitiorum lacunis abborrentes, ac candidiori veſte inter eos ſplendentes: non enim vt in roſa, ſpina ac flos amicè ab vna radice nutriti, placide ſuccreſcunt, ita in vna ciuitate quiete morantur voluptatibus dediti, ac vitæ rigore coerciti; quinimo non ſinet ſecum verſari hæc voluptuoſorum *Venus*, caſtam *Dianam* virtute præditorum. ſimiliter ira ardentes, vindictæ expetentes, dignitatum ambientes, nunquam mites animos bonorum pacifice in ſocietatem admittent. Ex quo fit, vt ignorantia, error, voluptas, rabies ac ſuperbia perpetuo conſpirent, ad dedecus aliquod ex ipſis vitijs, inferendum virtuti, quo minus eius decor ab alijs videatur aut adprobetur. Quamobrem docendi ciues, ne fallantur, quod quando viderint optimos ex ſuis eſſe plane inglorios, nullo munere haberi dignos in ciuitate, ſed contra, infamia denigrari, bonis ſuis exui, in carceres compingi, adeoque interdum in crucem agi, inedia conflictari, adhuc inter hæc opprobria ac dedecora ſupereſſe, etiam emicare, in ipſis egregias virtutum formas, licet ad illas non ſenſus

aliorum,

aliorum, ſed ratio ſola peruenire poterit: hæc enim virtutum honeſtas, intelligibilis, non ſenſibilis; quippe omni obiecto ſenſuum elatior multo, ac diuinior. Scire illos conuenit, dicturos hoſtes eorum: Sapie. 2. *Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.* Neque vnquam in hoc genere tam ſpiſſas vmbras apud vllos virtus in ſe admiſit, ac apud nos Chriſtianos: quorum princeps Chriſtus, indigniſſimis modis ab iniquis obſcuratus, ac demum morte, Ioan. 6. ignominiæ pleniſſima extinctus. Vere in illo, tanquam in vite rugoſa, & tortuoſa, omnis virtutis plenitudo ac decus continebantur. Illum imitati eius Sancti, qui palabundi circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in montium cauernis delituerunt, qui ſecti, qui tormenta paſſi, qui omnium oculis infælices ac miſeri apparebant. S. Auguſt. l. 4. cont. Fauſ. cap. 3. & in Pſalm. 30. neque aliquid teſte *S. Auguſtino*, ſi externam ſpeciem attendamus, fœdius martyris alicuius forma & exuuijs, ſicut eiuſdem interna virtute nihil illuſtrius, aut ſplendidius.

9 Hoc pacto virtutum pulcritudini inſidiantes, ac *Suſannæ* caſtitatem criminantes, earum aduerſarij, eis per ſummum opprobrium, affingunt fœdiſſimorum vitiorum turpitudines. Fidem catholicam expugnantes, eam dicunt, meram eſſe ſuperſtitionem, a quibuſdam imperitæ plebeculæ ſubdole perſuaſam: nihil aliud quam indocti vulgi incautum animi aſſenſum, quam humanæ traditionis fabulam, quam cœcam erga carnem & ſanguinem obedientiam. Laborabant olim plurimi orthodoxi, quo Arianorum tempore mulieres inducerentur in ſtu- Victor. li. 1. Perſ. vand. dium, adeoque votum caſtitatis. Ariani autem teſte *Victore*, huic tam præclaro inſtituto infeſti, poſtquam mulieres illas, vi hoſtili cepiſſent, eas omnino minis vrgebant, vt dicerent, Epiſcopos ac Sacerdotes clanculum laſciuiam cum illis, a connubio auocatis, turpiter exercuiſſe. Hoc genus maleuolentiæ grauiter afflixit ſanctum Hier. ep. ad Heliod. *Hieronymum*, dum laboraret Romę nobiles puellas ac viduas caſtitati conſecrare, vt ipſemet teſtatur. Enimuero vel dæmon ipſe nihil efficeret ad expugnandum virtutum potentiſſimas pulcritudines, niſi eas ſub ſpecie vitiorum traduceret: proinde parum miri, ſi eum imitati perſequutores, non aliter quam hac ſpecie contumeliæ eiſdem aduerſentur. & quod iſtiuſmodi virtutum hoſtes, præditi interdum magnis ingenijs, ac Eloquentia inſtructi, extrema ſint in eas pariter malitia affecti, ideo vitiorũ ſimulatas formas, tanto artificio virtutibus adijciunt, vti plurimi inde ſuſpicentur, ſtellas in carbones, muſas in ſatyros, virtutes ſcilicet in Catul. el. 61 vitia degeneraſſe.

Egone Deum miniſtra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir ſterilis ero?
Ego viridis algida Idæ niue amicta loca colam?
Vbi cerua ſiluicultrix, vbi aper nemoriuagus?
Ego vitam agam ſub altis Phrygiæ columinibus?
Iam iam dolet, quod egi, iam iamque pœnitet.

Quot huiuſmodi *Atyas* ſub auſpicijs *Lutheri* dedit hoc ſæculum?

10 In hoc genere prauitatis quam potens humana malignitas? Quid ſanctius illa ſacroſanctæ Euchariſtiæ communione? nihilominus olim Chriſtianorum hoſtes, teſte *Minutio Felice*, illi ſuſpicionem adiecere, ac ſi ſymbolum eſſet nefandæ in principem coniurationis, ad ſimilitudinem poculi Catilinarij ſanguine redundantis: cuius libatione ſocij in ſcelus parricidij ſe obſtringebant. pariter quid nitidius ac innocentius ritu Confeſſionis ſacramentalis? verumtamen Angli fidei perſequutores, illum traducunt & interpretantur, a Principe ad Romanum pontificem eſſe defectionem, clanculum ipſa religione, deuotam. Colores iſti ac fuci odioſi non a natura, non ab ingenio virtutis, ſed ab arte malinæ rebus præſtantiſſimis inferuntur. Inter quos ille etiam cenſeatur, quo aliquando Romani vocabant Chriſtianos atheos, rebelles, quod ficticia Græciæ Numina, infameſque Imperatorum conſecrationes, a ſua credulitate & religione, in vnum Deum, animis corporibuſque, licet interim acerrimè delati, depulerint.

11 Cogitare quoque debent ciues, virtutis eam eſſe indolem & illud ſtudium, quo ſe ſua ſponte occultet, adeoque quo ignobili aliquo inuolucro momentum ſuum omne ac ſplendorem inuoluat. Ariſt. l. 2. Eth. cap. 1. Aug. l. 2. ad cauſ. cap. 2. Teſte *Ariſtotele*, virtus moralis cum vniuerſo ſuo decore verſatur circa voluptates ac dolores: circa illas quidem, quo eas abigat, diſpungat; hos, quo inuicta animi firmitate ac duritie toleret & ſuperet. Dum primũ munus virtus exequitur, rigore vitæ ſe auſteram, rudemque quodammodo exhibet; abſynthij hauſtu præmunita omnes deinceps nectareos ſenſuum ſuccos defugit & auerſatur. non enim poteſt virtus voluptatem ſuperbiæ ac intemperantiæ aſpernari, niſi ſuperbiæ fulgoribus ac fulminibus humilitatem, gloriæ & poteſtatis contemptum, intemperantiæ bellariis, victus ſeueritatem in ſe prius oppoſuerit. De hac re venerabilis *Beda*, ſub Sycomori, ſeu ficus fatuæ ſimilitudine, eleganter diſſerit. *Hæc eſt ſapiens illa ſtultitia, quam de ſycomoro Publicanus* Beda l. 5. in Luc. cap. 19 *quaſi fructum vitæ legerat: rapta videlicet reddere, propria relinquere, viſibilia cõtemnere, pro inuiſibilibus etiam mori deſiderare, ſeipſum abnegare, & eius, qui nec dũ videatur Domini veſtigia ſequi concupiſcere.* Fallunt plerumque hæc duo nimis profunda virtutis tegmina, humilitas ſcilicet animi, quadam corporis adiuncta ignobilitate expreſſa, & oblectamentorum vltro ſuſceptum repudium: dum popularis oculus abſque altiori iudicio ea duntaxat inſpexerit. Cæterum imitari cupit virtus eminentem illam regiæ virginis pulcritudinem, quæ ambitioſius optat ſub galero ſtramineo, quam ſub corona, ſui vultus verum decus oſtendere: quippe virtus ſeipſa contenta, proprijs viribus confiſa, omne genus vmbræ aduocat, deformium ſpecies vniuerſas ſibi conſciſcit, quo eis profligatis, penetratis, ac deuictis, eius radius per eorum vel complicatiſſimos receſſus, ad prudentum oculos tan- Pſalm. 44. quam victor lucifer erumpat. *Gloria filiæ regis abintus*, ac virtutes, quæ tali gloriæ ancillantur, ſunt veluti totidem grana, obſcura mali Puni- Cant. 4. ci cortice contecta. Dicit virtus, ac reuera ita eſt,

eſt, *Nigra ſum, ſed formoſa. Bonum tunc habebis*
tuum, inquit *Seneca* ad *Lucilium*, *cum intelliges in-*
felicißimos eſſe fælices.

Sen. ep. 124 ad lucil. 12 Hoc vero luculentius apparebit, ſi vniuſ-
cuiuſque virtutis proprias vmbras, quas ſibi-
met ipſis parant, conſiderauerimus. Superius re-
latum, virtutes morales vmbroſa velamina reti-
nere, & eo nomine ab imprudentibus vel con-
témni, vel earũ pulcritudines a pleriſq́; ignorari.
vt de actiuis aliquid in hanc ſententiam pro-
feramus, a Spe Theologica incipiendũ. Habet
hæc virtus ſuos fluctus, ſuas marium inundati-
ones, quibus mens, in Deum erigenda, penè o-
Gen. 7. bruatur: ſicut *Noacho*, & ſuis diluuium euaſu-
ris, contigit. Verſatur pariter hæc ipſa circa ef-
fœtos vteros, mortes ipſas, ac ſacrificia, circa
exilia & peregrinationes: quemadmodũ in *A-*
Gen. 22. *brahamo* videre licet, ſalutem ſuam, adeoque to-
tius mundi fælicitatem, ex ſemine ſuo occiduo
expectante. Eadem Spes fornaces Babilonicas,
morbos, ſterquilinia, lacus leonum, peripſema-
Dan. 3. ta, carceres ac vincula; vti tres pueri, *S. Iob*, *S.*
Daniel, & Apoſtoli probarunt, inſectatur, ac in
Iob. 2. eis occupatur. *Propter ſpem enim Iſrael catena hac*
Act. 28. *circumdatus ſum.* Spes non aliter in finem homi-
nis ab illo conſequendum ſe erigit, quam dum
media a diuina lege conſtituta amplectitur:
ſcilicet carnis mortificationem, fugam ſæculi,
& reliquas ſanctioris vitæ aſperitates: quibus
neceſſe fuerit, inumbrari eius ſpeciem ac veluti
decolorari. ſimiliter charitas, quæ vnius Dei
amore feruet, alijs amoribus, ac eorum obie-
ctis, deſtitui appetit: geſtit in abſcondito, deo
ſoli, vt theſauro abſcondito, placere, in eum v-
nice oculos defigere, omnem animæ vim coer-
cere, quæ foras erumpere, & per exteriores fu-
Math. 28 cos aliorum amorem quærere concupiſcit. In
hunc ritum Chriſtus Dominus charitatis fer-
uore liquefactus, ac tandem inſtar teſtæ inde
aridus, ſpinas, tenebras, omne demum genus
ignobilitatis deſiderauit. Fuit quidem pellis
Salomonis, in qua mortis ſymbolum, floris colo-
Bern. ſerm. 28 in cant. rem caſtigauit, vt *S. Bernardus* eleganter diſſer-
ſerm. 48. uit. Vmbroſa itidem Chriſtus Dominus malus,
cant. 2. ſimulque fructifera. Inflammatus charitate hac
2. cor. 11. *S. Paulus* exclamauit: *Quis infirmatur, & ego non*
infirmor? De quo hæc *S. Bernardus*: *Induit ſe com-*
paßionis neuum, vt morbum in altero paßionis leniat
vel ſanet. nigreſcit candoris zelo, lucro pulcritudinis.
Multos candidos facit vnius denigratio: non cum tan-
gitur culpa, ſed cum afficitur cura. quot fuere, qui
igne charitatis ſuccenſi, bona ſua omnia a ſe
abdicarunt, vt ignobili ſubinde ritu inter ho-
mines, vel potius extra eorum commercia, pau-
peres & incogniti, cum ſancto *Alexio* delite-
ſcerent? Indigere voluit *S. Hieronymus* pileolo ad
ſenile caput contegendum, *S. Paulinus* ſcutella
ad parandos cibos: & vtrique pro eis ab alijs
acceptis gratias officioſè reſcripſerunt. *Nolite*
Cant. 4. *me conſiderare quod fuſca ſim, quoniam decolorauit*
me ſol. Relligio pariter humilem & ſubactum
animum omnino poſtulat. ac inter reliqua fa-
cit, vt creaturis in Dei laudem ſanctificatis, ho-
mo ſe quodammodo ſubijciat, & ab eis, vtpote
diuinæ bonitatis inſtrumentis, ſalutem animæ
deuotè ſubmiſſeque requirat. Ea quoque iuſti-
tiæ pars, quæ Deo pro commiſſis peccatis ſatiſ-
facit, tota ferme poſita in officijs pietatis, in ie-
iunijs, in humicubationibus, in genuflexioni-
bus, in lacrymis, & in alijs pœnitentiæ ſordibus,
vt loquitur *Tertullianus*. Temperantia, quæ deli- Tert. l. de pœnit.
tias aſpernatur, indureſcit quodammodo, ac
interdum ne diffluat ad ardores popularis vi-
tæ, vel accedere ad eos tremiſcit. Fortitudo ad-
uerſis cincta, horrida videtur, ac ipſa meta, in
quam omnia infortunia interdum colliment.
Eximiã hanc fortitudinis partem, quæ in mar-
tyrijs ſuſtinendis verſatur, *M. Aurel.* Imp. & *Ga-*
lenus, in noſtris martyribus animoſitati ac iudi-
cij ſimplicitati adſcripſere. Cũ orthodoxi mar-
tyria ſæpius eſſent perpeſſi ab Arianis, adeo ex
calumnia traducebantur, ac ſi in imperatorem
eſſent rebelles, ac conſpiraſſent cũ externis ho-
ſtibus in patriæ ſalutem: vti martyres a popu-
lo vix haberi potuerint. quod genus cladis, vt- Ath. ep. ad
pote acerbiſſimum, meritò deplorat *S. Athana-* ſolit.
ſius. qua in re Angli perſequutores in decus for-
titudinis catholicæ verſutiſſimi. cũ enim catho-
licos ſpoliarint bonis, quod adire eorũ eccleſias
renuerint, ſacerdotum fautores morte mulcta-
uerint, eis confitentes peccata, ac ab eis eccleſiæ
hoc ritu reconsiliatos, ipſosq; ſacerdotes dira
laniena conſecerint, fucũ tamen faciunt, quaſi
neminem relligionis ergo affligerent. ... ndem
fortitudinis egregiam formam det... pare pa- Iren. l. 1 cap. 1.
riter conati *Baſilides & Carpocras* hæretici: defi-
nientes, ideo martyrium non eſſe ſubeundum,
quod Deus noſtro ſanguine non indigeat. qui-
bus in eundem ſcopum applaudunt Proteſtan-
tes. dum dicunt, fidei externam abnegationem
homini fideli non eſſe a Deo imputandam: pro-
inde fortitudinem hanc martyrij eſſe ſuperua-
caneã ſuadere inde contendũt. Deformat itaq;
ſe virtus, ſpeciẽ ſuã diſſimulat, vmbras, obſcuri-
lates, oculorum noſtrorum dedecora, vehemẽ-
tius cõcupiſcat, ac in iſtis ſuauiſſime ſecum de-
liciatur.

14. Deniq́, in hunc ipſũ finem virtutẽ obſcu- Heb. 12.
randi, cum præcedentibus conſpirat etiã quo-
dammodo Deus ipſe, omnem filium, quem in
honorem ſingularem admittit, corripiendo, ca-
ſtigando, affligendo, gemmamq́; virtutis in eo
ac theſaurũ eius abſcondendo. Nũ ergò è cœlo
decoloratio etiam aliqua & vmbra in virtutis
vultũ deuibrata? num ſol ipſe expandendo flo-
rẽ, illũ pariter deuenuſtat? ergone deus vnicam
gemmã, quã in terris adpreciat, virtutẽ, tetra
ſpecie turpat, in noſtros oculos triſtẽ eius for-
mã iniicit & contemptibilẽ? Enimuero diuinũ
numẽ optimos quoſque ex ſuis paſſim aduerſi-
tatibus premit, & quantũ ad vulgarem ocu-
lum, eoſdẽ dehoneſtare conſueuit. vult enim eos
in arenã inducere, in qua plane aridi contra
voluptates, omneque genus ærumnarum ge-
neroſe firmi decertent. Docere eu mor-
tales inſtituit, alia eſſe ab ipſis quærenda bo-
na, quam quæ populariter hic admiramur: pro-
inde horum vſus in eis immiſſa infelicitate
damnat, quos tamen præ alijs diligit, & quibus Can. 4.
optima cupit, Pelles *Salomonis* ſummis laudi-
bus dignæ, quotidiano ſoli, & frequenti-
bus pluuiarum ſoturijs, exponebantur.

Non ſunt ergo ſcandalizandi ſenſus ciuiũ, aut ab aſpectu pulcritudinis in virtute repellendi, quando intuentur Dei amicos veluti ſordidari iniuſtis preſſuris, diuitiarum & honorum ornamentis ſpoliati, paupertate in abiectam fortunæ ſortẽ adigi: nam illæ pelles *Salomonis* ideo [Bern ſer. 28. in cant.] ſole aduſtæ & pluuiis madidæ, *vt is qui intus repoſitus erat ornatus, nitidior ſeruaretur. Hoc exemplo ſponſa non negat nigredinem ſed excuſat, non probro ducis qualemcumque habitum, quem charitas formet, iudicium veritatis non improbet.* Imo hoc ingenium prouidentiæ expreſſit Deus in filio ſuo, a Iudæis ac Gentibus reprobato, & ab vtriſque demum cruci affixo. Si dedecus iſtud, diuinitus illatum, animam afficeret, aliud quidem id eſſet; quod quidem blandiendo, illuſtrando ac beando mundus præſtat, & nemo ad id ſpectaculum horret. Cæterum vero dum cutem ſolum nigredine intingit Deus, dum externam ſpeciem tantum corrumpit, vt inde animæ decus & diuitias ſeruet, augeat, quid detrimenti, quid præpoſteri, quid in virtutis dignitatem iniurioſi, tametſi id minus populares [Bern. ſerm. 28, in cant.] perceperint? *Agnoſco*, inquit *S. Bernardus*, *pellem Salomonis, imo ipſum in pelle. foris nigra Salomonem amplector. Habet Salomon nigredinem, ſed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intus. Alioquin omnis gloria eius filiæ regis, ab intus. Intus diuinitatis candor, decor virtutum ſplendor gloriæ. innocentiæ puritas.* Eleganter quidem idem aduertit, exuuium hunc ſplendorem in anima Chriſti, bonum latronem percepiſſe non ex eis, quæ oculis ipſe videat, ſed ex clamore Chriſti morientis, quem audiuerat: eſt autem auditus, fidei organum. quo ſignificare voluit, interdum virtutem ſic quibuſdam ſpiſſis ærumnarum nebulis opprimi, vt ad eius decus videndum, abſque fidei adminiculo, & auris obedientia, vix peruenire valeamus.

15 Saluator noſter differens de hominis perfectione, ipſius gratia comparanda, propoſuit virtutes ſuis proprijs coloribus veluti violaceis non tam decoras, quam obſcuras: adeo vt ad earum intelligentiam requiratur mens, incola montis, & illius, qui cogitatione terrena omnia tranſcenderit. [Math.] *Beati mites.* en facilitatem animi, voluntate aduerſis minime repugnante, obumbratam: *Beati pauperes ſpiritu.* En ſummam ſpiritualium bonorũ in deſpicabili paupertatis cortice incluſam: *Beati miſericordes.* En charitatis præſtantiam in compaſſione ac cordis miſeria abſtruſam. *Beati qui lugent.* En beatitudinem diuini amoris, veſtibus luctus contectam. *Beati, qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam.* En nobilem ac generoſam animi firmitudinem in vilioribus perpeſſionibus deliteſcentem. De iſtis Chriſtus Dominus in monte diſputauit: proinde qui eadem percipiat, montem conſcendat neceſſe, ſenſuum fallaces ſpecies excedendo. In monte conſtitutus inferius nebulam, ſuperius lumen adſpicit. at in terra manens, plerumque præter nebulam nihil videt. ita clariori vita gaudens, virtutis deprehendit dedecora, deprehendit ſimul decora. at limo ſordidæ vitæ infixus, nihil in virtute præter deformitatem oculis colluſtrat. Videamus modo, quæ ſit vera ac ſolida, quo ad animi intelligentiam, virtutis actiuæ pulcritudo.

CAPVT. XXIX.

De virtutis actiuæ in vniuerſum excellentia recte ſuſcepta æſtimatio, cum ſacra, tum ciuilis.

PRincipio animis comprehendendum videtur momentum eius iudicij, quo virtutis propria venuſtas ac ſplendor percipiũtur. illius itaque nomine non intelligimus mortuam aliquam in voluntatem aut appetitum humanum immiſſam qualitatem, quæ vel in dormientibus, adeoque in male agentibus, aliquando repetiri poterit, ſed motum actumque liberi arbitrij, qui ſolus, vt docet *Ariſtoteles*, laude ac præmio in homine dignus. ex quo pronunciat, nobilius eſſe, quempiã perditũ virtute euadere conatu ſuo, quam fato aut alterius beneficentia talẽ exiſtimari. *Laudes virtutum actionibus, earumque encomiis impenduntur, & coronantur non ii, qui quidem vincere poſſint, nec vincunt tamen, ſed victores.* [Ariſt. l. 3 eth. cap. 1. 2, cap. 7. item cap. 1, 2. 12.] Cum enim virtus ſit præcipuum quoddam medium ad procurandũ bonum commune, ac eiuſdem ſocietatem continendum, tum plurimum refert, de eius natura ſeu præſtantia veras & idoneas opiniones a ciuibus admitti, eiſque contrarias ab illis quã maxime caueri. Vnde quo ad rem ſacrã ac ciuilẽ ſatius praua de cœli ipſius, ac elementorũ qualitatibus dogmata ſuſcipi, vel illas ignorari a ciuibus, quã aliquid ab eis ſentiri contra decus ac dignitatẽ virtutis. Eſt enim virtus extrema naturæ perfectio, ſeu natura ad ſummũ adducta, vt loquitur *Cicero*. [Cic. l. de legib.] humanæ ſocietatis vinculũ, animarum pabulũ, vitæ corona, & omnis decentis actionis compendium. Cuius dignitas illos plane latuit, qui non aliter in eam ſtudiis ſuis ferebantur, quam quatenus ipſa ſuis cultoribus prœmia conſtitueret. [Ouid. l. 2. de Pont. ad maxim.]

Nec facile inuenies multis in millibus vnum,
Virtutem precium qui putet eſſe ſuum.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non mouet, & gratis pœnitet eſſe probum.
Nil niſi quod prodeſt charum eſt. en, detrahe menti
Spem fructus, auide nemo petendus erit.

Cæterum ea eſt genuina virtutis nobilitas, vt per ſe ſit expetibilis, ſui gratia nectar, finiſque. [Prud. Pſy.]

——— *Texit ſpectamine morum*
Ornamenta animæ, quibus oblectata decore,
Æternum ſolio diues ſapientia regnet.

2 Quod autem ipſa virtus ſingulari, eaque fortiſſima luce, inſtar concreti adamantis, ſuapte vi ſplendeat colligi poterit inprimis ex ipſis vmbris, ex ſcãdalis ac ſtultitia ipſa, ſub quibus deliteſcere ſua ſpõte frequẽtius affectat. Fæminarũ aliquæ, naturæ proprio decore deſtitutæ, fucos ac pigmenta adhibent, quibus venuſtatis opinione aliis cõmendentur. virtus autẽ tantũ abeſt ab hac arte conquirendi externas elegãtias, vt ſuis contenta, dedecora potius expetat, miſeriarũ nempe næuos, vlcera, indigentias, contemptus vltro proprijs manibus ſibi conſciſcat;

ſciſcat: de quibus ſe ita triumphaturam confidit, vt non ſolū ea, vtpote inimica, ſuis viribus diſpellat, verum ex eis incrementum formæ ac pulcritudinis ſuę colligat. Quemadmodū enim in pictura, vmbra vitā impertitur coloribus, ſic virtuti decus aduerſa adferunt, ſpiritumque illi quodammodo impertiuntur. Filia Dei inter ſpinas, ac virtus Dei inter ærumnas. Hoc ſibi virtus in nobis ominabatur ac pollicebatur, quando ingreſſum noſtrū in Dei Eccleſiam, adeoque futuram virtutem, Baptiſmus ſacrabat. tum enim ſepulturam cum Chriſto; locū ſcilicet cadaueri & obſcuritati conſtitutum, virtus lota delegit, in quo floreret. tum mundi pompis tanquā mortua, palā renunciauit: nihilominus radio vigoris, ſe ſepultam ac mortuā, ſepulcri, mortiſque deformitates ſuperaturam firmiter ſibi perſuaſit. an nō ingens pulcritudo, quæ vel in funere flagrat, in ſepulcro ſpirat, quæ in abſcondito viget; quæ tā ſepulcri mortiſque putredines, quā abſcōditi ſolitudines, vita, odore, luceq; deuincit? illis nō fœdatur, iſtis haud obſcuratur, ſed ex illis purior, ſuauior ſplēdidiorque effulget. Imbecillitas eſt naturæ noſtræ ad magnū quid perſpiciendū, quā *Cicero* recenſet: *Quę natura bona ſunt, quia dulcedine hac & ſcabie carent, non cernimus ſatis.* at, vt inquit *S. Bernardus*, *virtutis bona, nullis condita ſaporibus, prædulcia ſunt tamē. nullis eleuata culminibus, excelſa tamen. caſtitas, charitas, humilitas, nullius quidē coloris ſunt, ſed non nullius decoris.* Habet præſepii humilitas ſtellam ſuam, Chriſti nuditas columbā ſuam, eius mors in cruce miraculū & præconium ſuum. Cui conſentit *S. Hilarius*: *In hoc enim maxime ignorantia detinetur humana, quod deformitate crucis, æternæ gloria Dominum noluit accipere.* Rectè idcirco nos eos ſanctorum hominū mores plus diligimus, honoramus amplius, magis geminos reputamus, qui in vilioribus negocijs ac vituperijs, in acerbioribus perpeſſionibus dum viuerent, occupati.

Cant. 4. 2. col. 12.

Coloſſ. 3.

Cic. l. 1. de legib.

Bern. ep. 42.

Math. 2. Ioan. 1.

Hilar in 2. cap. math.

3 Porro hoc ipſū decus virtutis oſtentat voluptas ipſa, in quam depugnat. Voluptas autē robuſtiſſima, ampliſſima, licet fœdiſſima. robuſtiſſima, quod in eā ſummo nixu natura noſtra tota propēdeat: quod omnes mundi partes, & obiecta noſtrorū ſenſuū, ei ſubiecta, eandē ſpirent, ac nobis vehementer ſuadeant. ampliſſima, in cūctis nēpe vitæ periodis ac ſtationibus reperta: per vniuerſos affectus tā cōcupiſcibiles quā iraſcibiles: per moliriones ſingulas tam intellectuales, quā morales diffuſa. fœdiſſima, ſcilicet fæcibus lutulentæ operationis nobis cum brutis cōmunis immerſa. quocirca virtus, quæ hanc voluptatē profligat, robuſtiſſimo antagoniſta robuſtior, perpetuo manente hoſte viuacior, iucūdo malo defæcacior. An non tūc difficilis & obſcurus noſtri animi proſpectus in virtutē, multo magis implicatior delectus eius in nobis, ſenſibus voluptatis ardore interim & illicio irritatis, ſtrepitū eis facientibus, flammā fumumq; cupiditatū excitantibus? An nō quaſi miraculū, virtutem non permittere torrentis, & exundantiū voluptatū illuuie animā contaminari, deturpari, violari? Nihil proinde in virtute molle, lubricū vel ductile nihil: quinimo totā acris, tota adamātina, tota vētus vrens in fæces voluptatū, tota leonina & armata *Pallas* in omnes libidinū, cōtagiones. Nouit voluptas, vbi virtutis arma viderit expedita, vulpina fraude ſe in eius gratiā tantiſper inſinuare, eius flamantē oculū declinare in aliud tēpus aſſultū ꝓdilatura: cui nihil certè ingenij deeſt, quo minus omnes fallaciarū ſpecies habeat in apparatu. Quod ſi virtus ſui ſecura, vel oblita, aliquantulū, a prælio, pulueres ac ſudores contractos abſtergendo & reſpirādo, veluti poſito gorgone, quieuerit, illico in ferociam adacta voluptas eā adoritur, quo rationis, quodammodo exarmatæ, excitis præſidijs, ad imperij arcē victrix peruadat. Voluptatis autē nomine, nō eā modo intelligimus, quę bruta, e quinque ſenſuū lacunis hauſta, ſed eā etiā, quæ elatior, ſuperbiā ambitumque in ſe cōplectitur. De qua hæc *S. Auguſtinus*: *Licet iſta gloria, delicata mulier non ſit, inflata tamen eſt, & multum immanitatis habet. vnde non ei digne ſeruit ſoliditas quædam, firmitaſque virtutum, vt nihil prouideat prudentia, nihil diſtribuat iuſtitia, nihil toleret fortitudo, nihil temperantia moderetur, niſi vnde placeatur hominibus. & ventoſa gloria ſeruiatur.* Cū idcirco ingens ſit in rationē vis voluptatis, qua plures ſuperat Diabolus, quam timore, vt ait idem *S. Auguſtinus*: Cumque vt differit *Ariſtoteles*, *In omnibus nobis inoleuit, vt difficile ſit affectum eiuſmodi, vitæ noſtræ pene incorporatum ac imbibitū, extergere: cuique ægrius, quam iræ reſiſtitur*: proinde de ea a virtute reportata palma, ſpecioſior nobiliorque. Enimuero non tā laude celebrandus belli Imperator, quod in acie hoſtes proſtrauerit, quā quod in pectore ſuo probus vir feruentes voluptates domuerit. Animaduertit *S. Chryſoſtomus*, vt maius, ita certius eſſe imperiū virtutis in voluptates ac timores, quā imperiū cuiuſuis ducis belli in hoſtes ſuos. De illo ita cōfidenter pronūciauit Apoſtolus *Paulus*: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita neque angeli neque principatus, neq; e, virtutes neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neq; profundum neque creatura alia, poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Quis vero eſt principū, Regum, aut Imperatorum, cui, ſi ſapiat, adeſt animus dicendi, certus ſum, quod nihil in cœlo, aut ſuper terrā, nihil præſens, vel futurū, nihil ſupra, infra, vndiquaque, quod rēpublicā meā euertat, quod victoriæ meæ curſū illata clade intercipiet? Etenim hoc genus dominij ac victoriæ a pluribus, adeoque extra noſtrā poteſtatem collocatis, dependet, quam virtutis in voluptates ac dolores victoria. nā quod ad hoc, ſi tute teipſum non proderis, ſi tibi ipſi vires non reſcideris, ad triumphum omnino adſpirabis.

Aug. l. 5 ciu. cap 19.

Auguſt. l. 2 Symb. ad. catec. cap. 3.

Ariſt. l. 2 et. cap 3.

Chriſ. Hom. quod nem. læd. niſi a ſeip.

Rom. 8.

Chriſ. homi quod nem. læd.

4 Porro virtus, dū in voluptatem depugnat, oſtendit excellentiā quandā & mirā ſui altitudinem: ideo enim in eam aduerſo impetu fertur, quod dedignetur cedendo, illi ſubijci aut inſeruire. nam vt ait *S. Petrus*. *A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* propter quam cauſam *Ariſtoteles* tanti in nobis boni, omni, impura voluptate eminentiorē vim, bonum quoddā appellat *Honorabile ac diuinum*. Status iſte ciuilis, verè altus & exaggeratus cumulo, & apice

2 Pet 2

Ariſt. l 1 et. cap. 12

 ſuperbiæ

ſuperbiæ cuius vis erectior ſublimiorque. ſuperbia quidem ad ſpeciem confictam ſe erigit, cæterum eo a Deo decidendo, in imum reipſa delabitur: aſſurgendo cadit, & fabricando ſui ruinam, ſe attollit. Virtutis autem culmen omnino excelſum, ad Deum vſque pertingit, qualibet craſſa voluptate ſemper ſuperior, ac illi rei planè renuit ſubeſſe, cui ſuperbia turpiſſimè interim famulatur. Vt enim cæleſtia corpora, exſpiratæ omnis e terra labis immunia, quod in alto collocantur, ita virtus, quo altè eodem pura, lucens, flammea, criſtallina, cæleſtis, nitoris ipſius fons & origo. Non vult ad limum deſcendere, quo deturpetur, ſquamas & alas habet, quibus ad ſuprema continuo ſubleuetur. altitudo proinde eius quaſi cœli, munda, ſtelleaque, nullo ſcelere coinquinata. Quamobrem id quod altum ac ſplendidum, idem virtutis ſymbolum. Nec ſanè eſt, quod quis inamabilem, vel dedecoroſam reputet virtutem, quod voluptate ſenſuū deſtituatur. huiuſmodi enim voluptas, præterquam quod ſit nobis cū brutis communis, ipſam etiam acerbitatem in ſe continet, quæ ſenſus delicіantium ipſorū miſerimè affligat, vitamque interdū in eis extinguat. hoc egregie adnotaſſe mihi viſus *S. Augu-*

August. in pſal. 84.

ſtinus. Perſeuera in multum manducando, ipſe cibus te interficiet. perſeuera in multum ieiunando, inde morieris. ſede ſemper, vt nolis ſurgere, morieris inde. Ambula ſemper, vt nolis quieſcere, morieris inde. vigila ſemper, vt nolis dormire, morieris inde. dormi ſemper, vt nolis vigilare, morieris inde. Imo ſenſus voluptatis non longe diſtat a ſenſu doloris.

Ariſt. 3. eth. cap. 11.

Semper cum dolore cupiditas coniuncta eſt: dicit *Ariſtoteles*. In quam ſententiam fingit *Theocritus*, *Cupidinem* inſugentem ex fauo mel, apum aculeis punctum. Comparat idcirco *S. Ambroſius*, voluptati deditos cicadis, *Qui quæſtu corrumpuntur ſuo. Quicunque a pueritia*, idem ait, *ſe dederit delicijs, manebit in ſeruitute, vt viuens mortuus ſit.* Quamobrem quod voluptas ſenſuum certo temporis ſpatio coextendatur, neque vlterius maneat, *Ariſtophanes*, vt ſcribit *Rhodiginus*, eam appoſite nuncupauit Μονήμερον. Non eſt ergo virtuti dedecori quod craſſiori hac voluptate ea priuetur. Ac reuera virtute, potius quam voluptate, vita humana in longū propagatur, tametſi vitæ tuendæ cauſa voluptas plerumque appetatur. *Ochus* Rex, vt narrat *Athenæus*, interrogatus cauſam, ob quam tamdiu vixerat, Reſpondit: *Iuſta erga Deos hominesque egi.* Idem de *Gorgia Leontio* narrat *Clearchus. Nec illi falſi ſunt*, inquit *Saluſtius*, *qui diuerſiſſimas res pariter expectant voluptatem, & præmia virtutis.*

Amb. ep. 6. l. 1. ep 7.

Ath. l. 12. cap. 16.

Clear. l. 8. vitar.

Saluſt bell. Iugur.

5 At nō ſolum virtutē voluptatē ſibi proponit debellandū, ſed etiā dolorē, ac timorem ſuperandos conſtituit: ex quo etiam admirabilis eius dignitas ac pulcritudo collucent. *Duo ſunt genera armorum* inquit *S. Auguſtinus*, *contra quæ vigilanter & fortiter ſtare debet omnis miles Chriſti, qui triumphare cupit, & ſuperare virtutem diaboli. quæ ſunt iſta genera armorum? voluptas, & timor.* refertur timor a *S. Auguſtino* & alijs in alteram partem eorum, contra quæ decertat virtus: eo quod, vt ſtationē ſuā ſeruet, nolit, dolorē timendo aut fugiendo, retrocedere: idcirco ſubit timor, quantū ad hoc rationē quandam doloris: cū paſſim dicāt philoſophi, virtutes verſari circa voluptates atque dolores tāquā materiā remotā: proxima enim, paſſio eſt aliqua appetitus ſēſitiui: omnē vero in vniuerſū paſſionē, vt docet *Ariſtoteles*, ſequitur voluptas aut dolor.

Auguſt. de ſymbol ad catech cap. 2. in pſal 76.

Greg. mor. 12. Amb. l. 3. Hexam.

6 Dolorem autem ita intuetur virtus, vt illū euincat, moderetur, vel exterminet: ex quo ſanè egregia eius forma apparet, vt diſertiſſimè declarat *S. Thomas*. An non præclarum, quempiam virtute inſtructū, nolle ab vllo dolore dilaſſari, ſuperari, deijci, frangi, a finis ſui intēti dignitate excidere, ſed lubenti potius animo perferre velle omnem cladem, damnū, tormentū, vt ad rationis normam actio ab ipſo exprimatur, cōtinuetur, tamque inſigni periodo vitæ ipſius tēpus terminetur, orneturque? Quam vero dolor ac timor acres ac potentes ſint affectus ad inclinandum ac rapiendum voluntatem humanā in aliquod conſiliū, nullus ignorat. quis enim vehementius non expetit, benè ſe habere, ærūna & acerbitate carere, ſenſuum perfectionibus gaudere, & iucunda vita, aliquid illius pulcritudinis hic delibare, quæ in altera vita, vltra animæ noſtræ conceptū, exundabit? quā ergo diuina virtutis vis, quæ dolores hic captiuos ducit, eis debilitari recuſat, neque horret, cum eis manus, adeoque omnes tam animæ quam corporis facultates, pugnando obluctando que conſerere. ſanè fælix,

S. Thom. 2. 2. q. 25 art. 5 6. 18.

Qui ſpacium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcumque labores:
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, ſæuoſque labores
Et venere, & cænis, & plumis Sardanapali.

Iuuen. l. 4. Saty. 10.

Virtute huiuſmodi imbuti, has voces vſurparunt: *Multum repleti ſumus deſpectione.* at a quorum deſpectione? ab eorum, inquit *S. Auguſtinus*, qui opprobrijs commerito abundarunt, & pluſquam deſpicabiles reipſa extiterunt. *Virtutem* inquit *Seneca* *inuenies pro muris ſtantē, puluerulentā, coloratam, calloſas habentem manus.* Cæterum omnia hæc ad eius faciunt pulcritudinē: pulcrū, pro muris ſtare; pulcrū, ex pugna puluere conſpergi; pulcrum, florentem vultus ſpeciem debellaſſe: pulcrum, durorum contractu manuū callū contraxiſſe. *Summa eſt apud Deum nobilitas* ait *S. Hieronymus*, *clarum eſſe virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilius Petro, qui piſcator & pauper fuit? quid in feminis beata Maria illuſtrius quæ ſponſa fabri deſcribitur? Sed & illi piſcatori & pauperi & cæleſtis regni a Chriſto creduntur claues. Hæc ſponſa fabri, meruit eſſe mater illius, a quo ipſæ claues datæ ſunt.*

Pſalm. 36.

Auguſt in Pſalm. 36.

Senec. de vita Beat.

Hier. epiſt. ad celant.

7 At vero, præter hanc quam diximus materiæ condicionem, vnde virtus multum nobilitatur, accedit lumen rationis, cui eadem conformis, & ad eius circinum ſciſſimè compoſita. Duo ſunt, quæ in vultibus pulcritudinem efficiunt, coloris venuſtas, & proportionis conuenientia, vt obſeruat *S. Auguſtinus*. ac vtraque in virtute, a ratione deriuata, cōſpicuè reperiūtur: colore enim eſt viuido, proportione iuxta in ſingulis ſui partibus admodum continua. ob hanc cauſam *Plato* affirmat, virtutem pulcram rem eſſe, expreſſam quippe ad

Auguſt. de pulc. cap. 2. Plat. in con. Ariſt. l. mag. mor. cap.

ideam

idæam & exemplar primæ ac ſummæ pulcritudinis in ipſo Deo: ac dicit, *Virtus ipſa idea eſt omnis pulchritudinis.* Pulchri homines ideo tales, quia virtutem animi ſua corporis ſpecie oſtendunt, ac in tantum ea placet animis, in quantum indicium virtutis ab eiſdem reputatur. Inuenire porro aureum medium virtutis, eiuſque præſtantiam percipere ac perſequi in medijs ærumnis, ac quaſi fæcibus, diuinum certe opus ſolius rationis. proinde eius radio virtus colluſtrata, directa & inſtituta, pulcherrimam ſui ſpeciem oſtentat. etenim pleraque quæ vel ſenſu directore ab homine ac brutis fiunt, pulchra iudicantur: vtpote equorum curſus, motio ac ſimilia: vnde neceſſe ea pulchriora eſſe, quæ à ratione in nobis efformantur, diuinam inde quandam venuſtatem mutuantia.

8 Voluntatis quoque noſtræ peculiaris operandi modus, virtutis decus etiam commendat. voluntas enim dum in opus virtutis incumbit, decreto, aut defixo à natura vel fato conatu, non ſe mouet, ſed libero, ac in vtramque partem flexili: ſic enim bene agit, vt aliter ſe gerere potuerit: ita voluptatem declinat, vt in eius

S. Thom. 1. 2 q. 1. art. 1

ditionem concedere valuerit. Hoc quidē præſtare, ex quodam in ſe dominio eſt quid moliri, non ex abiectæ ſeruitutis qualitate. Proinde vt pomum radicem refert, proles parentem, ita virtus ſui principium, liberam nempe voluntatem repræſentat: quippe in qua, illuſtris dominij forma, inde deducta, eluceat: ac propterea ex virtute viuere, non tantum eo eſt regnare atque imperare, quod virtus voluptates ac dolores debellet, ſed inſuper ex eo, quod à voluntate dimanet, optimo vſu ſui dominij operationem inſtituente. Imo dominium hoc aliquando adeo altum eſt ac rarum, vt non externis modo impedimentis, quinimo inſitæ agentis indoli, & omni in ipſo cupiditatis fer-

Gen. 22.

uori obſiſtat: vti in *Abrahamo*, armatū brachium eleuante ad occidendum vnicum filiū *Iſaachū*, apparuit. Vero itaque, expreſſoque dominio hoc pacto virtus in nobis inclareſcit. Antiqui itaque ſapientes arbitrati, quietum ex virtute ac pacatum animum in ciue, propius accedere ad ſtatum beatitudinis, quam in eodem potentiam aut diuitias. ex quo, locupleti ac potenti *Cræſo* beatiorem dixit *Solon*, *Tellum* ciuem ſuum, optimorum filiorum parentem, & patriæ cauſa in bello occumbentem: itidem *Cleobem* & *Bitonem* in matrem piiſſimos, illo fœliciores

Plut. in Sol. Cic. Tuſ. 1.

pronunciauit, vt tradit *Plutarchus*. Habet quidem etiam vitium ſpeciem quandam humani dominii, quod nempe liberi arbitrii motio, nō ſeruilis aliqua coactio, vel impreſſio veluti ſtigmatica. nihilominus eius dominium conſiſtit in præſtantiſſimæ rei, nempe animæ, abiectione ad ſordes voluptatum. Sola idcirco virtus eſtus eſt imperii in homine, non tam quo ad modum agendi, quam actionis ipſius ſpeciem finemque. Illud vero dominium in vitio tale eſt, quale in Rege cum viliſſimis ſuis ſubditis colludente, aut ab eis ſponte ſuperato.

9 Neu quicquam hîc dominio in virtute, quod & adumbratio quædam liberi dominij in Deo, detrahit gratiæ auxilium, tunc enim ſolum è medio voluntati aufertur, quando in voluntate aliquid antecedenter cernitur, aut in externa cauſarum connexione aliquid reperitur, quod eam in aliquid deferat neceſſario: quod *Cicero* e media Philoſophia rectè diſſeruit. Affirmat itaque, ſi noſtra voluntas neceſſario ſequatur *Antecedentem* aliquam diſpoſitionem, vndecumque illa prouenerit, *Nihil*

Cic. l. de fato

fore in noſtra poteſtate. Qui introducunt inquit, *cauſarum ſeriem ſempiternam, ij mentem hominis voluntate libera ſpoliatam, neceſſitate fati deuinciunt.* Supponit ergo *Cicero*, *ſenſum compoſitum*, ſeu ſuppoſitionem cauſæ antecedentis actum, deſtruere libertatem ac fatum ponere. alioquin diceret quis, a talibus cauſis egreſſa, ſimpliciter & abſolute eſſe libera, neceſſaria dumtaxat in *ſenſu compoſito*, ſeu ex *ſuppoſitione*: & hoc modo lapidis motum, brutorum appetitiones ſimpliciter & abſolute liberas pronunciabimus ex *ſuppoſitione*, ſeu *ſenſu compoſito* neceſſarias. Hinc affirmat idem *Cicero*, voluntatem noſtram ſeſe mouere non omnino ſine cauſa, ſed *Sine cauſa antecedente*, eam in aliquem actum impellente neceſſario. Ecquis non animaduertit, materiam primam in lapide, quæ iam ſubeſt grauitati, capacem fuiſſe leuitatis: hanc appetitionem in bruto proficiſci ab ea imaginatione, quæ abeſſe valuit? hinc tamen definire, abſolute hæc libera eſſe, & ſolum neceſſaria ex ſuppoſitione, abſonum prorſus, & a vera Philoſophia alienum. qui vero res fidei, vbi vrgens cauſa non interuenit, repugnātes reddunt Philoſophiæ, de eiſdem peſſime mereri mihi omnino videntur.

10. Accurrit quoque Deus ipſe ad exornandum, ad probandum virtutem: idque duplici effectu. primo, vltra naturæ, vtpote tam intellectus quam voluntatis noſtræ vires, lumen in animum roburque immittendo, quibus virtus in nobis educatur. Deinde eidem præmia conſtituendo, vtpote bona temporalia, gratiæ ſubſidium, ac demum æternam in cælis beatitudinem. An non illud pretioſum, & illuſtre, quod diuinis oculis ſic arridet, quod eius manu effingitur, ac tandem ab ipſo vt iudice hoc pacto coronatur?

11 Denique hoc habet virtus, vt non ſolum ſit in ſe pulchra & amabilis, verum inſuper quod res ad eam quomodolibet ſpectantes, licet alioquin deſpicabiles, nec vllo amore dignas, reddat tamen cultu & admiratione digniſſimas. *Ne quidem*, inquit *Atticus*, *ipſa noſtra*

Cic. l. 2. de legib.

Athenæ, non tam operibus magnificis exquiſitiſque antiquorum artibus delectant, quam recordatione ſummorum virorum vbi quiſque habitare, vbi ſedere, vbi diſputare ſit ſolitus: ſtudioſeque eorum etiam ſepulchra contemplor. Hinc in pretio virga *Moyſis*,

Num. 17. 1 Reg 14 17. Athan. in vit. ſ. An. Aug. l. 4. cont Manich. c. 3 12. in pſal. 10 38. Iſid. l. 16. etym. cap. 7. Luc. dial. r

baculus *Eliæ*, *Dauidis* gladius, Chriſti Domini crux, *Antonij* tunica ex palma contexta, apud antiquos Romæ, *Epicteti* lucerna, quod virtutum inſtrumenta, quod virtute decorata, eiuſque odore quodammodo reſperſa. *Quid fœdius* inquit *S. Auguſtinus*, de martyrio loquens, *ſi oculos carnis interroges? quid pulchrius, ſi cordis oculos interroges?* *Nero*, vt ſcribit *Iſidorus*, per ſmaragdos

cruda aſpiciebat militum certamina, quorum lapidum interiecto ſplendore pulchræ videbantur cædes, quantumuis immanes: ita quoduis horridum, ac ſenſui ingratum, poſteaquam a virtutis ſmaragdo decus ad ſe deriuauerit, iucundum animo euadit ſpectaculum. ob hãc
Chryſ. hom. def. Paulo, Cipri. li. de Martyr. cauſam *S. Chryſoſtomus S. Pauli* vincula venerari & oſculari vehementer deſiderauit: *S. Cyprianus* martyrum ergaſtula ac compedes beatos proclamauit. *S. Vincentium* martyrem, totum proſcißum tormentis veritatis cauſa, ex limbo carceris iudicis iuſſu eductum in publicum, vt cecinit *Prudentius*, ita pij, virtutis opinione rapti excepere:

Prud. in carm. 5. vin.
Coire toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præſultum torum,
Siccare cruda vulnera.
Ille vngularum duplices
Sulcos pererrat oſculis:
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Plerique veſtem lineam
Stillante tingunt ſanguine,
Plutarch. in moral.
Tutamen vt ſacrum ſuis
Domi reſeruent poſteris. Egregie *Plutarchus*: *Vt qui vere amant, etiam balbutiem, nenes, & pallorem adamant in amatis: ſic admirator virtutis non horret Ariſtidis exilium, Socratis paupertatem, non Phocienis condemnationem.* S. quoque *Chryſoſtomus*
Chryſ. ho. 26. ad cap 11. heb in Pſalm. 12. animaduertit, regem Chaldæorum, captiuos tres pueros adoraſſe. *Ille ergo erat magis captiuus quam illi.* & alibi: *Nam licet virtus ad extremam redacta ſit inopiam, & ſit in ipſo carcere, eſt tamen regibus ſplendidior.* Quanto ſqualore ſorderent eorum membra, qui ad metalla damnabantur, neminem credo poſſe latere. etenim vix veſtiti, ac comis horridi, aut Semitonſi detrudebantur in illa foſſilium lapidum & metallorum ſubterranea ergaſtula. nihilominus oculi *S. Cypriani* ad pretioſos in eis fulgores, tantis tenebris occultatos, deuenere, quando per literas huiuſmodi Chriſti Confeſſoribus dixit:
Cip. ep. 77. ep 81. *Nunc metallorum natura conuerſa eſt, locaque quæ aurum & argentum dare ante conſueuerant, accipere cœperunt. O beatum carcerem qui homines Dei mittis ad cælum! O tenebras lucidiores ſole ipſo, & luce hac mundi clariores, vbi modo conſtituta ſunt Dei templa, & ſanctificata diuinis Confeßionibus membra veſtra!*

12 Verum, quemadmodum virtutum pulcherrimæ formæ ſuis inumbrantur obſcuritatibus, adeoque vt dictum, tetris quibuſdã ſpeciebus indutæ, ciuium oculis obiiciuntur: quibus inſpectis, nonnunquam eorum ſenſus in errorem, affectus autem in dedecora inducũtur, ita ipſa vitia, quod iam explicandum, fallaciis ſuis. gloriæ nempe, virilitatis, ac vtilitatis haud deſtituuntur: de quibus ciues admonendi, ne earum aſpectu in fraudes pellecti, ſub pulchro apparatu rerum omnium ſordidiſſima latentia, amore ac cupiditate ſua noxie proſequantur.

CAPVT XXX.

De ciuili ac ſacra intelligentia vultuum in ſpeciem illuſtrium, ſub quibus vitia blandiuntur & deliteſcunt.

IMitatur vitium Pantheræ ingenium, illa enim, teſte *Æliano*, vt ſuauitate a ſuo corpore emiſſa alia animalia ad ſe trahat, capitis ſui toruitatem abſcondit, ne illius viſu exterrita ab eius conſortio diffugiant. ſimili modo, vitium, quod ſuapte forma tortuoſum, obſcurum, maculoſum, in rem aut intelligibiliter aut ſenſibiliter, vel vtroque modo fœdam delatum, ad ſe honeſtandum, ac ad vires maiores ſibi acquirendas, quibus indoctos pelliceat, iſtis contrariorum formas ſe induens, in ſpeciem ac quoad oculum, adeoque vulgaris iudicij æſtimationem, quibuſdam decoribus fulgere interdum videtur. qua de cauſa ſpectat omnino ad munus virtutis intellectualis in ciuibus, hoſce vitiorum fucos poſſe agnoſcere, diſpellere, inanis pigmenta, & ementitos radios eorum penetrare, demum ad veras eorundem facies intuitu quodam expedito peruenire. Ælian. li. 1

2 Atque cum multa ſunt, quæ vitiis in ornamenta, vel ſaltem tegumenta cedant, tum illud haud minimum, quod a ſpiritibus vitalibus, præſertim in corporibus iuuenum, originem ſui deriuat. nam in eis, ſanguine calente & ſpiritibus ſuo feruore exilientibus, præclarum prorſus apparet, ac ipſis dignum, in voluptates totos incenſos deferri, alta expetere, furore quodam libidinis agitari. huc dicunt officium eſſe ac natiuum effectum eiuſmodi purorum ac feruidorum ſpirituum, adeo vt ille, qui eos comprimit, aut ſuo conſilio alíorſum trudit, ſit vel in naturam ipſam florentis ætatis contumelioſus, vel naturæ aliquo ſingulari defectu mancus, eneruis: quippe, frigidus, excors, ac plane emaſculatus.

Quiſquis ſecundis rebus exultat nimis Senec hip.
Fluitque luxu, ſemper inſolita appetens,
Hunc illa magna dira fortunæ comes,
Subdit libido. Idem æſtus naturæ in contentiones ardet, in opum incrementa feruet, in ſupremos honores anhelat.

Deſpicere vnde queas alios, paßimque videre Lucr. l. 2.
Errare, atque viam palantis quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti præſtante labore
Ad ſummas emergere opes, rerumque potiri.

Hæc quidem naturæ intemperies, ad mentem vſque tranſmittit æſtimationem quandam, ex qua virtutis decus obſcuratur, vitij autem deformitas honeſtatur. *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia.* Vitia, vt nugæ, mediante concupiſcentiæ fomite, faſcinant, nempe oculos mentis errore obcæcant, rectaque contendentem in obliquum compellunt. Sapien. 4.

3 Praua etiam dogmata aliquando extitere, ex quibus à pleriſque opinatum, innocuas, ac

plane

plane non turpes eſſe vitiorum voluptates. hinc ſecum definientes ex hæreſi *Samaritarum*, vt ſcribit *Origenes*, animam humanam morte extingui, vel non ſiſtendam ab exitu vitæ ante Dei tribunal, conſequenter, quod *Sapiens* refert, apud ſe dixere: *Nemo noſtrum exors ſit luxuria noſtra: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* qui quidem error, eis non ſolum aduenit, iudicium deformitatis in vitio aliquo concupiſcibili exprimentibus, ſed etiam de iraſcibili: proinde adiunxere: *Opprimamus pauperem iuſtum. & non parcamus viduæ, nec veterum reuereamur canos multi temporis.* pariter idem efficere, qui putarunt, vitia ac virtutes in nobis eſſe impreſſiones fatales: imo ideo eſſe a Deo, vt *Stoici* delirarunt teſte *Plutarcho*, & modo idem Proteſtantes hæretici blaſphemantes contendunt. Enimuero ſi vitium effectus in homine extremæ neceſſitatis, ſi a Deo factum, & diuina arte elaboratum, turpe, deforme, inhoneſtum eſſe nequit. Similiter Manichæi aſſerentes vitia eſſe res quaſdam ſolide concretas: quemadmodum & *Stoici* ſtatuentes, vt refert *Seneca*, vitia ſeu paſſiones immoderatas, eſſe animalia, eis omnem turpitudinem detraxerunt: non enim eo moraliter quid turpe, quo entitate bonum. multo magis in hac re errarunt, qui ipſa vitia Deos eſſe putarunt, ac illis ſacra inſtituerunt, vt ſcribit *Gregorius Nazianzenus.*

Orig. hom. 25. in Num. cap. 28.
Sap. 2.
Plut. cont. Stoic de ſtoi contrar.
Sen. ep. 106. 113.
Greg. ad Nemeſiu.

4 Error porro mentis eas vitiorum formas depingit, quæ virtutibus ſimillimæ. inde deſæuire, incrudeſcere, hominis fortis paſſim æſtimatur, deuorare, libidinari, valentis iudicatur: fraudes inſtruere, mentiri, diſſimulare, ſua aude retinere, cati & accurati cenſentur officia. ſuperbire, alios contemnere, magni ſpiritus indicia habentur. auctor vero epiſtolæ ad *Demetriadem* inter vitia hoc pacto deceptricia, præcipua eſſe dicit gulam & luxuriam: quippe quod maiorem naturæ neceſſitatem ſibi obtendant. Hinc *Gregorius Nazianzenus.*

Aug. ep. 17.

Sæpe mihi rurſus delectum callidus hoſtis
Virtutis vitiique adimens, mea lumina fallit:
Vt fera ſigna pedum, quæ ſignis callida delet.
Hac venatorem virtutis ludat vt arte.

Greg. nazi. carm de vita ſua.

Proxima enim, inquit *S. Baſilius*, *& veluti contiguis ianuis, gentiles quoque aiunt, vitia eſſe virtutibus.* refert etiam, tam virtutis quam vitij nõ ſolum vicinas, ſed etiam ſimillimas ianuas reperiri, *Vt qui ad virtutem ingredi nititur, eius primam ianuæ adſiſtens, dum hanc ſe pulſare arbitratur, aperta ſibi hinc, aut inde altera ex vitiorum ianuis deceptus maxima ſimilitudine, ingrediatur veluti virtutis domum.* Hoc verum eſſe probat *S. Chryſoſtomus* exemplis duorum vitiorum, nempe temeritatis, & facilitatis. *Sunt enim vitia cognata virtutibus illis: & iuxta dicendi libertatem pullulat temeritas, & iuxta æquitatem mollities.* ementiuntur itaque vitia virtutum habitus ac formas, quo ſuas proprias turpitudines aptius diſſimulent, dulciuſque homines ad ſe inuitent.

Baſil. de vera Virgin.
Baſil. de ver virg
Chriſ. hom. 49. in cap. 23. Act. Ap.

5 Ad poſtremum, obiecta vitiorum, vtpote voluptas, pecuniæ, poteſtates, honores, magni ſumptus, veſtitus ornatior, ſatellitum, ædium magnificentiæ, libertas, ac ſimilia, adeo fulgent in popularium oculis, vt eorum fulgoribus ipſa etiam vitia, quæ illis impenduntur, ſplendere videantur. Quemadmodum enim in vniuerſum operationes animi a ſenſuum perceptionibus dependent, ita vulgus hominum, quod haud nouit ſententiam ferendo a ſenſibus recedere, ac formis ſenſibilium rerum diſcuſſis, de veritate intelligibili pronunciare, procliuius abducitur a genuino aſpectu deformitatis in vitiis, & facilius externa ſpecie deluſum, lubentius in errorem compellitur improbitatis. Hinc vitium, voluptate delibutum, naturæ ſolatium, pecuniis ac poteſtate munitum, nobilioris indolis inſtrumentum: veſtitus ſplendidiori ornatum, aſſeclarum numero ſtipatum, palliatiorum magnitudine amplificatũ, libertate quiduis agendi expanſum, conditionis, illius eſſe, cui cœlum ac terra, Deus & homines applaudant, æſtimatur. imo quod animi ipſius qualitas, ac eius abſtruſa dignitas, ſub rebus aſpectabilibus lateant, ac eis, tanquam ſignis quibuſdam, ſe oſtendant, inde prouenit, quod proſapiæ nobilitas, vitæ luxus, in aliorum ſanguinem poteſtas, auri & argenti copia, quãtumuis libidini ac furori inſeruiant, reputentur tanquam diuinioris alicuius animi indicia, ac illius, qui communem naturæ ſortem plane beatus inter reliquos excelſerit. Hac ſpecie olim decepti antiqui Romani, qui ſuorũ Imperatorum turpitudines animis videre ac deteſtari non potuerint, faſcinati quodammodo illius Auguſti obiectu, quod forinſecus in ipſis ſplendendo apparebat.

6 Duo autem ſpecioſa ſibi obtendit voluptas, quorum oſtentu incautos rapiat in ſui cupiditatem. Primum ſpecie quadam artis & excellentis ingenij continetur. eſt enim voluptas, ni plane bruta fuerit, elaborata, ac miris coloribus decoris fucata meretrix, vt notat *S. Auguſtinus*. proinde allicit ad ſe hoc pacto induſtria ac ſtudiis mentium illuſtrata. alterum in eo ponitur, quod materia ſeu obiectum voluptatis ſit hominis naturæ, ſaltem imaginatione ſententiam ferente, valde congruum, ac plane bonum naturale, quod *Cicero* indicauit. *Habet quiddam ſimile naturalis boni, lenitatis eſt enim & ſuauitatis. id enim vt ſuauitate delectam, ſic ab errore mentis tanquam Salutare aliquid adſciſcitur.* Proinde appetitio voluptatis, naturæ appetitum imitatur.

Auguſt. 15. ciu cap. 22
Cic. l. 1 de legib.

7 Cæterum diuinæ prouidentiæ ex hoc culpa attribui nequit, quod vitiorum deformitates non ſolum abſtruſas, verum etiam inſtar venenorum, medicinalium pixidum, in officinis, quibuſdam coloribus illuſtratas eſſe voluerit. nam ſtatuit, vt animæ intelligentiam exercentes, eius omnem vim contenderemus, quo ad moralem hac in re veritatem excutiendam, ſcientes demum perueniremus: atque ad laudem noſtri generis perciperemus, non modo eſſe difficile bene agere, ſed etiam de eo rectè ſentire operoſum. Enimuero iniquum, cupiditatis cauſa, quoſdam hominum ita feruere, vt maris ipſius profunda inuiſere, ac vel intima terræ viſcera excutere voluerint, quo gemmas, aurum & argentum inueſtigarent, neminem

vero

vero eſſe, qui virtutis cum cognoſcendæ, tū potiundæ gratia, ſecreta fraudum rimari, omniaque inuolucra recludere enixe ſtuderet. Etenim cum omnis pugna, ex qua gloria propaganda, ſit inter contraria, eo fit, dum in nobis corruptus appetitus, vitiorum pulcris exuuijs delectatur, interim ratione renitente & aliorſum propendente, quod gliſcat in nobis fortius prælium, ac tandē eo euadat, vt non tantum ratione victoriam obtinente, vitiorum deformitates a nobis expugnentur, verum inſuper omnes eorundem fuci, bellaria, condimenta, quantumuis appetitus, & craſſius iudicium, id moleſte tulerint, abijciantur. obſeruant agreſtes, pinguiores euadere pecudes eo gramine paſtos, quod difficilius, & maiori cum ipſorum delectu ab ipſis carpitur: eodem planè modo robur animi ex eis ipſius operationibus fortius, & ſolidius colligitur, in quibus ſtudioſius, vigilantius & acrius ipſe deſudat. quem laborem impendit homo, non tantum dum reluctante appetitu, a vitiorum iucunditatibus recedit, verum etiam quando ſenſu deficiente, mens nihilominus in eo contra vitiorum deformitates veram ſententiam protulerit.

8. Quod primo loco inter partes fallaciarum a vitijs inſtructarum recenſebatur, nimirum ſpirituum vitalium in nobis vis & poteſtas, id ſi hæc expendantur, impeditam non retinebit ſui diſcuſſionem. inprimis feruores iſti exilientium ſpirituum, non hominum modò, ſed etiam belluarum inſunt corporibus: imo ipſis elementis, vt notat *Cicero*, ineſſe videmus. non ergo aliquid eo hominem decebit, quo ſpiritoſum, quo incenſum, quo per naturæ inanimatas etiam ſpecies diſperſum. *Abſurdum eſt igitur dicere* inquit *Cicero*, *cum homines beſtiaque hoc calore teneantur, & propterea moueantur, & ſentiant, mundum eſſe ſine ſenſu, qui integro, & puro, & libero, eodemque acerrimo, & nobiliſsimo ardore teneatur*. Attribuantur hi ſpiritus ignei contemplationi veritatis, fortitudini concedantur, nullo autem modo vanitati, turpitudini ac infamiæ proſtituantur. Quocirca hoſce calentes igniculos, iuuenum corporibus non ideo inſeuit natura, vt eis delati bruteſcerent, vt rapide, impotenter, ac indecorè in voluptates; eis aurigantibus, ferrentur, ſed vt illos tanquam in ipſis vernantis ætatis gemmulas, altiori muneri & officio rationis conſecrarent. neque is merito cenſendus abiectus & euiratus qui hoſce ſpiritus ſub imperio virtutis ſeuerè coercens, ad voluptates, ad luxus remiſſus ac plane frigidus ſubinde videtur: quinimo potius altus, exaggeratus, atque diuinus, qui fornacis ſuæ Dominus effectus, ac genuinus *Vulcanus*, in arma, in rationis inſtrumenta, in vnam virtutem eis æſtuare voluerit.

Cic. l. 2. de nat. deor.

9. Imo ex hoc manifeſtiſſimum potius argumentum elicitur ad probandum, obiectum vitij non eſſe reipſa neque delectabile: id enim ſua innata forma pulcrū ac delectabile, quod tale perpetuo, neque dependeat quo ad hæc a diſpoſitione appetentis, vt docet *Ariſtoteles*. vitiorum autem cupiditas non eſt eiuſmodi, neque eiuſdem obiecta talia, propterea quod a mutabilibus ſpiritibus vitalibus ſtatum ſuum ſortiuntur: quæ enim vitia in hac ætate placent ſpiritibus vitalibus ardentibus, ea ſubinde illis depaſtis, aut paululum ſedatis, minime arrident: adeoque pro horum ſpirituum alia atque alia conditione, nunc hæc vitia, mox diuerſa, pulchra ac iucunda a voluptatum appetitoribus æſtimantur. & quidem varios effectus educit terræ & aëri innatus calor, ex ſolis ipſius acceſſu, ac receſſu, diſcrepantes, vt obſeruat *S. Baſilius*: ſimili modo calore humanorum corporum identidem mutato, prorſus diſpares in appetitu mores excitantur. tantum itaque abeſt, vt ex ſpirituum vitalium ardoribus percipiamus vitia eſſe pulchra, quinimo ex eis intelligimus, expreſſe pulchra non eſſe, ſed apparenter ſolum, ac ſpecie omnino deluſoria. non ergo eis animæ vis ac poteſtas ſubiicienda, ſed adimenda, Deo ac virtuti, ſeu veris pulchris impendenda. *Animæ quoque partem*, ait *Gregorius Nazianzenus*, *da, non carni duntaxat: Deo quoque partem da, non mundo ſoli. ex ventre quadam ſubtrahe, & ſpiritui conſecra: ex igne quidpiam eripe, ac procul a depaſcente flamma recondे. a tyranno extorque, ac Domino committe. Da partem ſeptem, hoc eſt huic vitæ, atque adeo octo, id eſt, ei, quæ nos poſtea exceptura eſt.* Sunt enim hi ſpiritus appetitus ſenſitiui in homine, idem quod tyrannus in Republica, quod ſcorpiones & vincula, vt cum *Nazianzeno Plato* pronuntiat, in carcere. quam ob rem, ex eorum imperio vita inſtituta, tyrannica eſt ac ſeruilis, non pulchra; & iſtis nominibus fœdiſſima, ciueque omnino indigna. An non videmus quoſdam hominum erga certas perſonas libidinoſe affectos, illas primum omni genere muneris, vtpote diuitiis ac honoribus ornare, paulo poſt cum ſuis æſtibus fecerint ſatis, non poſſe vel eorum præſentiam perferre, ſed a ſe aliqua ſpecie odij eijcere, cum tamen ipſum obiectū & illicium idem ſit quod prius? an non hoc iudicium planè brutum, non modò ab alijs, ſed etiam ab ipſiſmet delinquentibus reprobatum, abiudicatum, damnatum? & cum iudicium hoc ipſorum ad reipublicæ dedecus ac detrimentum deuenerit, prorſus barbarum & intolerabile.

Ariſt. l. 1. et. cap. 8. l. 7. eud. cap. 2
Baſil. hom. de paradiſo

Baſ. hom. 3. in Hexam.

Grego. naz. orat. de Am. paup.

10 Porro illæ prauæ, quas recenſuimus, opiniones, in fauorem impuræ voluptatis à perditiſſimis mortalium excogitatæ, vera ſapientia profligandæ, abijciendæque. Immanis eorum error reſpuendus, exectandus, qui contra animæ noſtræ æternitatē aliquid definiuerunt: inciuilis quippe, & vel extremo gradu barbaricus. hic quidem vnius quaſi momenti morula, animam cum corpore coniunctam, inferius detinet, exutam verò corpore, immenſum durationis expectat. potior ergò virtus, & præſenti ſtatui conuenientior, quàm voluptas. illa enim in principio acerbitate aliqua cultores ſui excipit, ſubinde vero maximo gaudio exhilarat, demum in cœlis torrente iucunditatum inebriabit. Contra, voluptas in principio inſtar ciſternæ diſſipatæ apud *Hieremiam*, neſcio quas phantaſticas guttulas propinat delectationis,

Baſil. lib. de vera virgi.

Hier. cap. 2.

ctationis, exitu poſtea remordentis conſcientiæ ſceleratam animam funeſtat plane, ac tandem duriſſimis modis flagellabit, aduret, torquebit, nullo temporis ſpacio mali ſtatum terminaturo. Scire enim debent ciues, vitia neutiquam eſſe fatales aut neceſſarios voluntatis vel appetitus motus, Dei opificio eorũ maculas haud decorari, honeſtari, ſed potius liberi arbitrij fœtus in nobis, tanquam non entia, vt diſſerit
Origen. in cap. 1. Ioan. *Origines*, Dei operibus & idæis excludi. *Cum vero malum & prauum contrarium ſit bono, & contrarium exiſtenti, ſit non exiſtens, ſequitur, malum & prauum eſſe non exiſtens.* Admodum vero craſſum delirium antiquorum, nec magnam operam requirit, qua a nobis diſſoluatur, exiſtimantiũ, vitia eſſe Deos, & diuinos honores illis a mortalibus habendos. Vitium enim naturæ aduerſatur, eam expugnat, ſocietati ciuili infeſtum, Deo odioſum cum ſit, vnde precor, honeſtate deſtitutum, & omni bonitate caſſum, ad diuinitatem, hominibus non prorſus furentibus, vlla eorum coniectura, adſpirare potuerit?

11 Quod autem nonnulla vitia ſint virtutibus ſimillima, eo conſtat, non ſimpliciter omnia ac indiſcriminatim a nobis in vita accipiẽda, ſed rationis examine cuncta probanda & diiudicanda. Quid? num id in vitæ officiis facere recuſas, quod ſponte peragis adulterina metalla a veris diſtinguendo, ſalutares cibos, optima pharmaca & herbas a corruptis alimentis atque venenis ſecernendo? Si canes odoratu rerum ad ſe ſpectantium differentias ac proprietates diſcernant; ac eius munere ſibi recte conſulant, quam ob rem moleſte feras, te rationis ſolertia idem acturum quantum ad actionum munera, cum vitia virtutum formas ſibi adſciuerint, cum nepharius dæmon in optimi Angeli ſpeciem ſe transformarit? non vult Deus in te mentem, vt diuinum quendã impreſſum igniculum, indormire, nulla excitam induſtria, vniuerſa paſſim occurſantia vel irruentia, ſententia iudicioque illico complecti aut aſpernari, ſed potius quaquauerſum librata acie, ſedulo explorare, quid ſolidum & expreſſum, quidque ementitum ac doloſum, vt in rationis luce ſingula trutinando, hominis ritu, vitæ tuæ negocia tranſigeres.

12 Quod ſi poteſtate, libertate, iuxta ac diuitiis fulgeant aliquando vitioſi: nihiloſecius eſt quod intelligant ciues, hæc ornamenta vitij malo eſſe extrinſeca: proinde tantum abeſſe, vt illi gradum tetri adimant, vt contra augeant potius & accumulent. Quid ad latentioris morbi leuamen veſtitus excultior? quid ad venenati potus exitium remedij vel diminutionis, ab aureo calice, ex quo hauriendus? poteſtas vel dæmoni adeſt, omni tamen genere vitiorum corrupto. Libertas feris animantibus & indomitis conuenit, ac plerum-
Leuit. 9. que licentia, ſi nimia, inſtar hirci emiſſarii, ad perniciem, ad barbariem liberi excurſus comparata. diuitiæ, præcioſa ſuppellex, arcularum vel ſtatuarum poſſunt eſſe decora æque ac tui. interim autem ab iſtis magnatibus admiſſum in animum vitium, intus illos deformabit, polluet, & tanquam vipera corrodendo, cruciabit, conſumet. *Tale eſt enim vitium, vt ait S.*
Chryſoſtomus, etiamſi ad ſceptra aſcenderit, & iuxta eos ſteteris, quorum ſunt capita cincta diademate: Chryſoſt. in Pſalm. 111.
eſt enim omnium abiectiſſimum, & maxime formidoloſum, & ſimile eſt alicui ſtrepitui, ac tumultui maris inſani, etiamſi ſit maxima ſtipatum potentia. Hæc vero ſequentia magis declarabũt ac probabunt.

CAPVT XXXI.

Intellectus ſententia, quæ vitiorum dedecor. perſentiſcit, humanis conſilia vtiliſſima.

DVo ſunt animi motus, quibus vel naturæ incitatione ferimur in peccatum: vnus, quo illud, nobis obiectum, deteſtamur, alter, quo ex commiſſo exulceramur: ille intellectus, iſte conſcientiæ munus ac officium. Tria autem in peccato diſcernimus, ex quibus eius odium ac deteſtatio in nobis propagentur. primum, vis eſt iniuriæ in Deum, alterum, ratio detrimenti in alios, poſtremum, noxium virus in ipſum delinquentem. Sicut nouimus Deum noſtri generis eſſe auctorem ac Dominum, ita pariter exploratum habemus, ipſi diſplicere illos morum a recto in nobis deflexus, qui eius legi, & naturæ ab ipſo conditæ ingenio ac fini repugnant. Hoc pacto peccantes, a Deo aberramus, illi rebellionem inferimus, eius imperio nos ipſos ſubducimus, eius imaginem nobis impreſſam fœdamus, violamus, denique omni cum illo amicitiæ hoſtiliter aduerſamur. Quemadmodum enim ſi quis conari vellet ſitum elementorum a Deo inſtitutum inuertere, cunctas mundi partes pulchre ab ipſo diſpoſitas confuſe miſcere, contendendo, quo cœlum ad centrum deprimeretur, terra autem in locum ſublimium corporum ſubueheretur, pluſquam gigantæa immanitate Deo naturæ opifici ſeſe opponeret, ac in eius dignitatem auſu nephario inuolaret, ita prorſus qui delinquit, dum a Deo animam ſuam ad impuras voluptates tranſcribit, dum in ea rationem, quæ loco ſuperior, eiſdem cogit præpoſtero ordine inſeruire, ab eis pollui, dum res mundi iſtius a diuinis honoribus ſubtractas, aut ſibi idola facit, vel ab eo ad alios fines diuertit: dum ciuilem ſocietatem a Deo conditam perturbat, vel exſcindit, neceſſario illi eodem bellum indicit, illi iniuriam irrogat, & poteſtatem ei eripiendo, quantum poteſt, vt ne ſuperſit quidem, laborat. quale hòc ſceleris malum! *Ariſtoteles* Ariſt. lib. 10 Ethic.
cum aliis Philoſophis cognouit, virtute præditos ciues, Deo eſſe chariſſimos: Vnde conſequens, vitia, quæ virtutum expultricia, ipſi eſſe odioſa, dignaſque cauſas in ſe complecti, ob quas iratæ iuſtitiæ ſuæ fulmina in noxios deuibraret. amarũ profecto excidiſſe a Dei fauore:

horrendum autem in eius vindictam impegiſſe. Si ægre ferat Deus, in templo ſibi conſecrato collocari idola, quæ eius debitos honores furentur, neutiquam abſque indignatione ſinet, in anima peccante, quam ſibi dicauit, inſculpi imagines indecoras laſciuiæ, crapulæ, ſuperbiæ, crudelitatis, ac eis omnem in vita cultum ſtudiumque tanquam Numinibus ab homine impendi. Voluit Deus in animam humanam, veluti puram tabulam, expreſſas notas ſuarum perfectionum inſerere: proinde a vitiis ingeſta ſimulacra, aut illas diuinas notas penitus obliterant, aut cum illis promiſcua, indigne commorantur. quale ergo dedecus, diuinos illos characteres cum iſtis lutulentis ac infernalibus dæmonum formis, tanquam ar- 1. Reg. 5. cam & *Dagon*, pariter conſiſtere! Principio criminoſus, pro ſupremo Deo, ſibi in thronum collocat Deum, illud, quod contra Dei legem dilexit, ac ipſum dæmonem, qui eiuſmodi rem ipſi perſuaſit. Pro aliis Diis minoribus, vtpote ſanctis, ac poteſtate præditis, media, quæ ad vota perficienda delegit, ſibi aſſumpſit in Numina, voceque clamauit idololatra: *Hi* Exod. 20. *ſunt Dii tui Iſrael.* Quo factum, vt qui aliquando rationis ac diuinæ gratiæ lumine fulgebat, vel Dei filio quodammodo ſimilis, is iam peccati errore, obliuione beneficiorum Dei, totus caliginoſus, & vmbra mortis obſcuratus, ſqualleat. qui ſancto quondam, ad ſimilitudinem diuini ſpiritus, amore calebat, ille iam fumoſis & male olentibus flammis vitiorum ardeſcit. An hæc inultus patietur Deus?

2 Secundo in loco recenſuimus inter mala peccati, damnum, quod aliis, adeoque Reipublicæ ſolet incutere. Certe ſi omnes ciues eis ipſis ſtudiis diſtinerentur, quibus flagitioſus aliquis incenditur, abſque omni dubio Reſpublica cito ac penitus intercideret: nihil enim ſocietatem ciuilem deuaſtat præter peccati barbariem. Cæterum quod in omni bene conſtituta Republica reperiantur inſignes virtutes, tam intellectuales, quam morales: quippe ex multis partibus coalitæ, & temporis diuturnitate comparatæ: cum illæ et ſingulis ciuium egregium ſit munimentum ad comparandas virtutes, ac beatitudinē ipſam conſequendum, grande profecto ſcelus fuerit, hæc ornamenta peſſime agendo diſperdere, adminiculum hoc, adeo opportunum rebus humanis, adimere: denique alios vel iniuriis nocere, vel prauitatem, exemplis aut documētis, in peſtem Reipublicæ, armare. Propter hanc rite expenſam Reipublicæ dignitatem, vt Ariſt. lib. 5. Pol. animaduertit *Ariſtoteles*, etiam pœnis plectendi, ſi omnem naturæ vim in ſeipſis malefaciendo nondum extinxerint, magiſtratū diligunt, qui punit: conſcij nempe communis vtilitatis inde prouenturæ. *Nullum ornamentum*, inquit Senec. lib. 1. de Clem. cap. 26. *Seneca. Principis faſtigio dignius, pulchriuſque eſt, quam illa corona, ob ciues ſeruatos. Non hoſtilia arma detracta victis, non currus barbarorum ſanguine cruentati, non parta bello ſpolia. Hæc diuina potentia eſt gregatim ac publice ſeruare: multos autem occidere & indiſcretos, incendii, ac ruinæ potentia.* Furium *Camillus*, vt recenſet *Auguſtinus*, vel ingratam patriam à iugo hoſtili Veientium liberauit; & ab æmulis damnatus, è Gallorum manibus eripuit. Aug. l. … cap. 11. & cap. 19. *Decii* commune hoc bonum accurantes, vltro occubuere. Ciues Romani priuato publicum præferentes, præter aurea cingula & bullas: *Miſerabilis auctoritatis inſignia*, vt loquitur *Auguſtinus*, omnes ſuas pecunias, quibus militem conducerent, protulerunt, inſumpſerunt.

3 Poſtremo eam rationem malignitatis in peccato recenſuimus, quæ ſpectanda ex eiuſdem vi ad naturam humanam coinquinandā & violandam. Et quidem hac in re *Plato* mihi Plato in Gorgia. viſus præclare philoſophatus eſſe, animaduertit Auerroes in proœm. Tract. 4. eum eſſe in homine naturæ ſtatum, quo mens & ratio e ſuperiori quaſi ſpecula appetitui ac voluntati inferius poſitis dominentur. ex quo recte deducit, peccatum hominis naturam, vtpote ei contrarium, infringere, inuertere, mōſtroſam efficere, reſupinare: dum nempe præſtat, vt appetitus ſenſitiuus ab alto dominetur, ratio vero inde deiecta, illi obſequatur. quod quid aliud eſt, inquit, quam pedes ſupra caput, plebem ſupra principem attollere, ſummatim, quadam barbarie hominis naturam perturbare? ex quo appoſite peccatum nuncupat *Morbum animæ*. vt enim inquit, morbus in corpore, illud ipſum maculat, vel denigrat, ita peccatum, quod animæ contrarium, eam contaminat. imo vt morbus vitam corporis extinguit, ſic peccatum animæ vitam exterminat.

Eſt etiam in magnis Heliconis montibus arbos, Lucret. l. 6.
Floris odore hominem tetro conſueta necare.

Etenim ſicut vinum fieri non poteſt aqua, niſi intereat, ita neque anima in terram, aut in indolem alicuius beſtiæ delinquendo tranſire poterit, niſi quodammodo eſſe deſiuerit. Vt enim corporis vita, anima, ſic animæ, Deus, vt ait *S. Bernardus*. Bernard. de aman. Deo.

Hunc apri facies tegit, Boet. lib. 4. Met. 3.
Ille Marmaricus leo
Dente creſcit, & vnguibus.
Hic lupus ſuperadditus,
Flere dum parat, vlulat.
Ille tigris vt Indica
Tecta mitis obambulat.

Nec animam ſolum violat peccati labes, verum etiam inde irrumpens in corpus, eius omne decus confundit, & deformi membrorum eiuſdem qualitate, quam procurat, ſuam prodit & ſignat turpitudinem: adeo vt teſte *Cicerone*, Cicer. lib. 2. de Nat. Deor. *Vel oculi aſpicientium iratum, propitium, lætantem, dolentem, fortem, ignauum, audacem, timidumque cognoſcunt.*

4 Duo ſunt autē præcipui effectus in anima à peccato: illius nempe exulceratio quædam, ſimulac deturpatio. illa oritur ex contrarietate, qua peccatū depugnat in animam ratione præditā: hæc ex eiuſdem peccati abiecta conditione, comparata cū animæ dignitate. haud aliter ſanè acetum, in vulnus crudum infuſum, illud affligit & corrodit, quam macula peccati, in animæ penetrale ingreſſa, illam acerbitate perſtringit. quod vero hæc ipſa illuuies delicti, ſit multo infra animæ ſtatum conſtituta, inde

tanquam

tanquam labes in veſtem impreſſa, eam turpem exhibet & deteſtandam. Nemo ſane rationis vſu pollens, iacentes ante oculos vel gēmas & vniones *Cleopatra* colligeret, ſi modo ſciret, ex ipſarum contactu ſe peſte ac veneficio illico funeſtandum. ita ſane nullus, in quo rationis ſcintilla imperat, peccatrices voluptates peccando delibaret, præuidens fore, vt iis omnis animæ flos & venuſtas conſtupraren-tur. Homines plerumque indigne ferre ſolent ſuoi veſtes luto fœdari: præſertim virgines, faſciç pectoralis nunquam oblitæ, vt teſtatur *Hieremias* in boc ſtudio accuratiſſimæ. Certe haud minus conuenit ciuibus, animas ſuas putas ſeruare a flagitiis, quam veſtes a ſordibus liberas cuſtodire. Hoc ipſum olim veteres ſignificarunt, piacularia ſacra exquirentes, quibus animas ſuas ſceleribus ſemel temeratas emacularent. Imo aliqui adeo cauerunt, ne corpora ipſorum ſuis animis dedecora imbecillitatum inferrent, vti iam premente ſenio, in quo, vt ait *Seneca*, *Minimum, at peſſimum*, violentas manus ſibupſis intulerint, vt *Zeno, Cleombrotus*, *Cato*, & huiuſmodi, quos, vt loquuur *S. Hieronymus*, ſtultos martyrea mundus retinuit.

Hierem, 2. Hom odyſ. 20. Heſi. l. 1 oper. Senec. ep 1. Hier de ob. Beſil. laer. Plut. in Zen Catone.

Lucret. li 3.

Denique Democritum poſtquam matura vetuſtas
Admonuit memorem motus langueſcere mentis,
Sponte ſua lato caput obuius obculit ipſe.

Si iſte fatiſcente corpore, noluit pati animæ deliquium vel defectum, quomodo ſinemus nos, eius florem adhuc vernantem in corpore, a fœditate vitiorum corrumpi? Etiam præter ipſum næuum, quem in animam infert crimē, appetitus ſenſitiui miram quandam intemperiem etiam procurat, & inſtar furentis venti, mare illud in vortices criſpat complicatque. Hinc luxurioſi ac delicati, pauidi, ſuſpicionibus ſuſpenſi: intemperantes, iracundi ac furentes: auari, curis exeſi; inuidi, maleuolentia tabidi: curioſi, ſtudiis perplexi: hæretici, nunquam animis tranquilli, aut corporibus moderati.

5 Vtile porro ciuibus, animis expendere extrema illa mala, quæ etiam vitia in corpora reorum inſerre ſolent. Recte admonuit *Plato*, ita nobis in ciuitate viuendum, ac ſi eo contenderemus, in ea non reperiri Iudices, neque Medicos: ſcilicet in eam regulam componendos mores a ciuibus, vt iudici non adſit cauſa caſtigandi, neque medico exercitium curandi. Vitia autem paſſim hominum corpora trahunt ad tribunalia, eadem morbis confecta medicis etiam tradunt reparanda. Superbia corporeos artus neſcio quibus ſpiritibus inflat, intemperantia illos fæculentos ac paludoſos reddit, luxuria eorum ſuccos ebibendo omne in eis decus marceſcens depaſcitur. Atq; ſicut anima imperium ſuum negligendo, corpus detrudit in hæc mala, ita commerito ipſum corpus male ab anima affectum, languores ſuos, vapores ſuos exhalat in animæ oculum, ſeu illius intelligentiam.

Plato, apud Auer. in par Tract. 2.

Lucr. lib 3.

Eſt enim calor ille animo quem ſumit in ira
Cum ferueſcit, & ex oculis micat acrius ardor.
Eſt & frigida multa comes formidinis aura
Quæ ciet horrorem in membris & concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati ſtatus aëris illi,
Pectore tranquillo qui fit vultuque ſereno.
Quin etiam morbis in corporis auius errat,
Sæpe animus: dementit enim, deliraque fatur,
Interdumque graui letargo fertur in altum,
Æternumque ſoporem, oculis, nutuque cadenti:
Vnde neque exaudit voces, nec noſcere vultus
Illorum poteſt, ad vitam qui reuocantes
Circumſtant, lacrymis rorantes ora genaſque.

6. Neque ad vllos tam familiariter ac glomeratim appellunt praui dæmones, eorum corpora ingreſſuri, atque ad vitijs conſpurcatos. Prob nefanda crimina, quæ noxiorum corpora velutitotidem hoſtias & ergaſtula dæmonibus deuouent! Dictu incredibile, inter reliquos hominū a dæmonibus obſeſſos, quid olim tā quo ad animas, quā corpora, paſſi ſint ab eiſdē temulenti ac phanatici Corybantes, vt *Euripides*, *Iuuenalis*, *Titus Liuius*, *Iamblicus* recenſent, ob hanc a dæmonibus inſpiratam illis animi dementiam, & corporum humanorum ab eiſdem immanes horrendaſq; expreſſas formas, *Baccho* inſignia attributa a veteribus cornua taurina, vt narrat *Pierius*.

Porph. li de eſu carn. eu. l. 4 præp. c. ra. Chryſt. Iom 29 in math.

Eur. in Bac. Iuuen. l. 1. ſat. 15 liuius dec. 1 l. 7. Iambl. de miſter. Virg. Æn. 7. Pier. lib. 56.

Tum quorum attonitæ Baccho nemora auia matres
Inſultant Thyaſis. Quis hoc mente recogitans, ad notionem peccati non horrebit? ob hanc cauſam in Dei Eccleſia exorciſmi a Baptizandis ſuſcipiendi, quod vi peccati originalis dæmon magnam quandam poteſtatem exerceat etiam in corpora nondum expiatorum illo ſacro lauacro; vt contra *Donatiſtas* ac *Pelagianos* ſæpius inculcat *S. Auguſtinus*, idque experientia demonſtrat.

Aug l. 4. cont Don. l. de bapt. li de grat Chr

7 Ex hac triplici peccati malitia, triplex deriuatur conſcientiæ remorſus: adeo vt peccatū animam inſidens, ſit tanquam triceps *Cerberus*, qui rabiei totidem modis eam dente petat ac miſere dilaceret. hoc vero melius conſtiterit, poſtquam vim ac naturam conſcientiæ explicauerimus.

8 Eſt itaque conſcientia iudicium quoddam practicum intelligentiæ, deductū ex ſynderiſi, ſeu primorum principiorum in agibilibus cognitione; aut ex ipſo corde humano, vt ait *S. Bernardus*. Dum itaque generalia hæc principia mens applicat peculiari huic negocio, cōſcientia, veluti præmiſſis diſpoſitis, concludit, hoc faciendum, vel omittendum. *Quæ quidem applicatio*, vt docet *Doctor Angelicus fit tripliciter: vno modo ſecundum quod cognoſcimus nos aliquid feciſſe, vel non feciſſe: ſecundum illud Eccleſiaſtici: ſcit conſcientia tua te crebro maledixiſſe aliis, & ſecundum hoc conſcientia dicitur teſtificari. Alio modo applicatur ſecundum quod per noſtram conſcientiam indicamus aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum. & ſecundum hoc dicitur conſcientia ligare vel inſtigare. Tertio modo applicatur ſecundum quod per conſcientiam indicamus, quod aliquid quod eſt factum, ſit benefactum, vel male factum; & ſecundum hoc conſcientia dicitur excuſare, vel accuſare: ſeu remordere.* Quemadmodum vero conſcientia operetur, cuius vltima reſolutio lex eſt & regula agendi, quæ proxime hominem ad agendum, aut non agendum inſtituat, oſtendit Sanctus *Damaſcenus*.

S. Thom 1. part. qu 79. art 13. Ber. l de conſc. 8 Halen. 2. part. q. 74 m 1.

Eccleſiaſt. 7

Damaſ. lib. 4. cap 23.

Hinc ipſe conſcientiæ ſenſus accuſatorius, teſte *S. Ambroſio*, (Amb. in ca, luc. math, 8.) intus in anima ignis & vermis eſt perpetuo vrens, perpetuo corrodens: cui in inferno ſtridor dentium, ſeu rabida animi indignatio, ſi pœnitentia motum malum haud expiauerit, ſuccedet. (Chryſ. hom 4. de lazar.) *S. Chryſoſtomus* affirmat, in anima alicuius delinquentis reperiri ipſum reum, tribunal, teſtes, ac pœnam: licet hæc omnia vtilitatem eius reſpiciant. Animaduertit (Mac. lib. de ſom. ſcip.) *Macrobius*, veteres ſuis figmentis fluminum igneorum, rotarum, exulcerationũ, ad ſimilitudinem peccati deuaſtantis hic conſcientiæ animam, de pœnis inferni ſtatuiſſe: adeo vt infernalis mali primum apud eos analogatum, conſcientia afflicta exti͏terit. Flagitioſis itaque Deus vexatæ conſcientiæ vlceribus oſtendit, veluti in quodam typo, quam dira pœna in inferno eos manet, niſi reſipuerint.

9 Ciuilem autem eſſe duplicem hunc ſenſum peccati, quem explicuimus, ſcilicet animi cognoſcentis peccati turpitudinem, ſimulq́ue conſcientiæ accuſantis ac remordentis animã ob patratum ſcelus, ſatis manifeſtum. ijs enim ciues a vitiis abducuntur, ea longius diffugiunt, ac vehementius horrent: quo vt nihil ſanctius, ita ciuilius nihil. Hoc opportune expreſſit S. *Chryſoſtomus*, & inde laudat Dei in nos bonitatem, qui nobis hinc frænum quoddam ſenſus impoſuit, quo a prauis conſiliis, vel nemine (Cic. Tuſc. 4.) opem ferente, cohibeamur. imo *Cicero* hoc diſerte agnouit. *Ipſam ægritudinem, quam nos vt teteram, & immanem belluam fugiendam eſſe diximus, non ſine magna vtilitate a natura dicunt conſtitutam: vt homines caſtigationibus, reprehenſionibus, ignominiis affici ſe in delicto dolerent: impunitas enim peccatorum data videtur eis, qui & ignominiam & infamiam ferunt ſine dolore. morderi eſt melius conſcientia. Ex quo eſt illud dictum ab Afranio: nam cum diſſolutus filius, Heu me miſeram dixiſſet: tam ſeuerus pater, dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet.* Cæterum de dicto triplici morſu conſcientiæ modo diſſeramus.

CAPVT XXXII.

Quibus nominibus ſalutara, triplex anima, vitio contaminata, a conſcientia morſus.

NOluit Deus peccati illecebram merè ac purè eſſe delectabilem, quinimo vt tardius vel ne omnino quidem à nobis appeteretur, illi incredibilem quandam vim acerbitatis immiſcuit, quæ animæ intimũ ſenſũ iuxta ac corporis aliquãdo vehemẽtius cruciaret. quod genus tormenti animum pungens, eis omnino grauius, quam quæ corpora diuexant. nam ſicut animæ iucunditates maiores, quam quæ ad corpora affluunt, ita eiuſdem dolores, corporum doloribus acriores ac peiores. corpori enim laboranti ratio ſæpius ſuccurrit: at anima ægrè ſe habente, quid a corpore refocillationis ad eam accedere poterit? & quidem dum anima externa vi percellitur, renitendo quod optat bonum, vtcumque conſeruat: cæterum eadem ſeipſam affligente, nihil ſibi iam reſupinata relinquit ſubſidij ad depellendum acrimoniam: ſtatuit enim pati, vult omnino lancinari. Rectè idcirco comparauit *Hieremias* vitiorum voluptates ciſternis, (Hier. 2.) quæ aquas continere non poſſunt. uam vt omnis purior liquor ex iſtiuſmodi ciſternis excidit, limo ſolũmodo craſſiori à tergo relicto, in quo ſerpentes generantur ac viuunt: ita tranſacto peccato, non tantum iuſtitia perit, verum inſuper iucunditas ipſa defluit, ac ſolũ ſupereſt limus ſordium, in quibus illi ſerpentes naſcuntur, qui dentibus ſuis miſeram offendentis animam dilacerant. Ad tria verò, vti diximus, reſpicit conſcientia ſcelere contaminata: quibus ab ea viſis, perinde ac ſi ex talibus ſpectaculis ei dentes leonini ac ſerpentini exacuarentur, illos ſubinde diro mórſu in animæ viſcera admittit, adeoque infigit: Deum ſcilicet intuetur, aliorum damna, ac propriam animæ condicionem. *Lege hac, quaſi iudice*, inquit *Macrobius*, *nemo nocens abſoluitur, nec de ſe ſuam poteſt vitare ſententiam.* (Macrob lib. de ſom. ſcipi.)

2 Quod natura noſtra, ſcelere contaminata, atrociter exhorreat in Deum intendere, multò magis quam qui oculis lippis in ſolem, ideo referunt ſcripturæ, quoſdam noxiorum, vt *Adamum, Cainum*, atque *Ionam* à Deo fugiſſe: quo eius conſpectũ declinantes, ex hac parte conſcientiæ in ipſis morſum ſimul eluderent. *Timui eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.* (Gen. 3.) *A facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra.* (Gen. 4.) *Et ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis a facie domini.* (Ion. 1.) A Deo fugere, eſt de illo non cogitare, leges & iudicia ipſius negligere: quocirca, cum quis ſe à Deo extorrem, ab ipſo alienatum, virtutis ipſius ſpiritus hauſtu priuatum, a ſolis aſpectu ac radio ad baratrum vſque retruſum conſpicit, in illa ſua miſeria, in illis tenebris, in illa Dei obliuione, illo lacu deſolationis, qui fieri poterit, vt non horreſcens totus contremiſcat: videt porrò ille ſcelratus, ſe non tantum à iucundo ſpectaculo abreptum, à benefico fonte omnis boni auulſum, quinimo ab optimo parente, qui infinita in ipſum beneficia accumulauit, qui illum creando, conſeruando, redimendo ac iuſtificando, mira quadam affluentia & maxima cordis teneritudine ipſi indulſit, ſeparatum: adeoque ei capitalem hoſtem è regione conſtitutum; vnde rebellando deficiat, vel rebellans à Deo conficiatur. vident oculi noſtri, hyeme appetente, quãdo ſol receſſerit, faciem terræ quodammodo lugere, mare autem turbari & exaſperari. quid mirum ergo, ſi anima noſtra, diuinitatis helioropion, mœſtitudinem induat, ſi turbulentius horrore commoueatur, quando ſe à Deo diuortium quoddam vltro conſtituiſſe animaduertit, quando eò in ſtuporem ſe frigere ſentit & emori?

3 At non ſolum peccatis coinquinatus, ſe (Pſalm. 77.) conſpicit Deo deſtitutum, verum etiam in ſe vehementius incenſum, imo ira quodammodo ebrium, ac gladio carnium deuoratore armatum. neque hoc dumtaxat, ſed inſuper paratum ad ea omnia deuaſtanda, quæ ad ipſum quomodolibet pertineant: quomodo offenſus Deus, furorem exercuit ſæpius in famulos, in

clientes,

clientes, in ſubditos, in milites principum, ob eorum peccata. quinimo flagitioſorum ædes haud raro euertit, eorum agros ac vineas deuaſtauit, theſauros igne abſumpſit, omnia denique anathematis turbine diſperdidit: imo in res ſuo honori conſecratas, ac ſibi alioquin chariſſimas, odio peccatorum adactus, ſtrages, excidia, demolitiones intulit. quid inter inanimata, ipſis templis, ac eorum ſuppellectile, Deo acceptius? Nihilominus eis Angelos, loci præſides, eripuit, imo ruinis proſtrauit ac flammis exuſſit, poſteaquam hominum peccata ad certum quendam cumulum ante eius oculos excreuiſſent. *Si peccaueritis*, dixit, populum ſuum præmonendo, *Templum, quod ſanctificaui nomini meo, proijciam à conſpectu meo.* Cum quidam, tempore Sancti *Iſidori Peluſiotæ*, amaris animis ferentes, cuiuſdam apud illos templi, ab hoste ethnico euerſionem, acerbius de illa re conquererentur, *Iſidorus* eos conſolatus, vim peccati ipſis oſtendit, quæ neque templo Hieroſolymitano olim pepercit. In huius rei argumentum vidi ipſe in Anglia altarium lapideas tabulas ſubſtratas focis & aſſidentium pedibus. vidi templa, monaſteria, conuerſa in lupanaria, in haras porcorum, in ſcholas ſaltantium, in ſtabula equorum. vidi veſtes ſacras, caſulas, dalmaticas, pluuialia, ſcenicorum hominum ornamenta, puluinarium tegumenta, lectorum fornices, abiectiſſimis viribus, ac ſi à Deo ad ſterquilinium vſque eſſent proiectæ, inſeruiſſe. qualis obſecro, furia peccati, quod vel Eccleſias ingreſſum, ſacratiſſima illius in publicum proiecit, ſanctiſſima profanauit, & quaſi Deo derepta, ad dæmonis libidinem tranſtulit impietate: prudens idcirco conſilium *S. Chryſoſtomi* admonentis, cauenda peccata, quæ non modo in ipſos delinquentes, ſed adeo in alia quoque eorum cauſa immaniſſime deſæuiunt. qualis ac quantus ab hoc aſpectu morſus conſcientiæ; Erynnes diræ, ac furiæ teterrimæ, generis huius ſunt pœnæ, vexantes conſcientiam, dum ſontes animaduertunt, ſe in Deum deliquiſſe. Iſtis compunctus *Tiberij* animus, palam falſus, ſe animi ex pauore pendentem, omnino ignorare quæ ad ſenatum reſcriberet, vt narrat *Suetonius*. Similiter *Nero* ob matris & aliorum cædes, vt idem refert, vſque inhorruit à conſcientia perculſus, vti interfectorum ſpectris perpetuo eius animum exagitari fateretur. *Domitianus* quoque ob ſimilia facta, vt ſcribit *Xiphilinus*, eiuſmodi ſpectaculis exanimatus fuit. de *Gallo Marcellinus*: de quodam Præſide *Ioſephus* talia recenſent.

[Ioſuæ.6.] [Ioſ.lib.2.de bello.] [3.Reg.9.] [Iſid.lib 1. Epiſt.ep.73.] [Chryſhom. 25. in epiſt. ad Rom.] [Suet.in Tib. ca.67. Tac. lib.15. Ann.] [Xiphil.in Domit.] [Marc.lib.14] [Ioſ.lib. vlt. Antiq. cap. vlt. Luc.lib. 7.Cicer.pro Roſc.Am.]

At tu, quos ſcelerum ſuperos, quas rite vocaſti
Eumenides, Cæſar, Stygii quæ Numina regni
Infernumque nefas, & merſos nocte furores,
Impia tam ſæue geſturus bella litaſti?

Fieri non poteſt, vt in Deum ſuis criminibus pugnantes, cum ad id reſpexerint, non reſtent exterriti: præſertim ſi conditionem ſuam cum illa Dei vindicaturi recte contulerint.

[Luc.lib.5.]

Praeterea cui non animus formidine diuum
Contrahitur: cui non crepant membra pauore,
Fulminis horribili cum plaga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cælũ:
Nunc populi gentéſque tremunt, regéſque ſuperbi.
Concipiunt diuum perculſi membra timorem,
Ne quod ob admiſſum fœdè, dictumue ſuperbe,
Pœnarum graue ſit ſoluendi tempus adactum.

Quemadmodum, quod teſtatur *Plato*, quilibet in periculo conſtitutus, ad Deum, vel naturæ inſtinctu, ſe conuertit, & ab eo opem implorat, ita coinquinatus flagitio, ab eodem cum horrore diffugit: ſic tamen, vt per tranſennam, Deum intueatur, & ab eius viſu qualicumque contremiſcat. [Plat. Dial. 10 de leg b.]

4 Mox, vt diximus, mente in eodem ſcelerato, quaſi oculi coniectu, delata ad alios, maxime ad rempublicam, quibus oſſendendo nocuit, vſque eo inde irritari ſolet in eodẽ exulceratæ conſcientiæ rabies, vti ipſum vehementiſſime remordeat. Si nihil diuinius, teſte *Ariſtotele*, quam aliis prodeſſe, enimuero nihil deterius vel execrabilius, quam aliis obfuiſſe. præſertim quo ad mala animarum, vtpote ignorantiam, infidelitatem, impietatem, iniuſtitiam ac libidinem, quibus æterna in inferno pœna digne rependenda. quid ergo eo ſpectaculo horrendius poterit occurrere, quo repræſentantur aliorum a flagitioſo inuſta crimina, fœditates eis ab eodem impreſſæ, imo & æternæ eorum damnationes ab illo procuratæ? amicis, familiaribus, cognatis, innoxiis, imo benemeritis aliquando, hoc pacto clades ac ruinas ſempiternas quempiam incuſſiſſe? in hunc ritum ad inferos, dæmonum partes agẽdo, multos detruſiſſe? quam immane obiectum ad videndum, ad conſiderandum, ad expendendum quam intolerabile! [Ariſt. lib 1. Eth. cap. 2.]

5 Quod ſi a priuatis perſonis compendiis ad ipſam rempublicam ſuneſtandum, commiſſa crimina proceſſerint, quæ cauſa ſuberit conſcientiæ ad mordendum, ad laniandum vel animæ ipſius intima viſcera? In Deo tria maxime conſpicua, poteſtas ſcilicet, intelligentia, & amor. Hæc autem, ad eorum ideas in ipſo, eius munere Reipublicæ veluti delibata munera, conceduntur. Poteſt enim hęc plurima, ferme omnia intelligit, gratificandi, nutriendi, fouendi, præmiandi cupiditate mirifice ardeſcit. quibus freta non ſolum ampliſſimum emolumentorum emporium, ſed etiam optimarum virtutum exiſtit palladium. quempiam vero conari ſuis vitiis poteſtatem hanc abolere, intelligentiam iſtam erroribus aut ignorantia opprimere, curſum in ea charitatis impedire, quã inhumanum, quam criminoſum, quam vrgentem habet cauſam, ob quam, noxia conſcientia in furorem compulſa, animam, cui ineſt, in particulas remordendo atterreret? Notat S. *Auguſtinus*, proprium ingenium hæreticorum atque dæmonum, communi violato aut ſpreto bono, priuatis omnino ſtudere. *Alii vero ſua poteſtate potius delectati, velut bonum ſuum ſibiipſi eſſent, a Superiori communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt: & habentes elationis faſtum pro excelſiſſima æternitate, vanitatis aſtutiam, pro certiſſima veritate, ſtudia partium, pro indiuidua charitate, ſuperbi, fallaces, inuidi effecti ſunt.* [Auguſt. lib. 11 de ciu. cap. 1.]

6 Illos vero a conſcientia grauius manet ſupplicium, qui a Republica, vt benigna ma-

tre,ad ſummas diuitias, ad ſupremam poteſtatem adducti, nihilominus ſub ſpecie ſibi datæ libertatis ac dignitatis, nefanda in hanc ipſam matrem committunt, vtpote vitioſos, ac eo veram nobilitatem dedecorando: pauperes expilando, innoxios acerbe tractando, malos impune permittendo. Hi quidem, vt *Diogenes* dicebat ad *Alexandrum*, magni exiſtunt in rempublicam latrones ac piratæ: ingentia, vt ait *Ioſephus*, latrocinia perpetrant, cum *Caſsio* & *Bruto* amorem in *Cæſarem* ſeu patriam prætendentes, eam interimunt. Profecto cum tyrannus ac impius princeps hoc genus ingratitudinis, vim hanc extremæ iniquitatis cum animo ſuo trutinarit, totus, ſi hominis aliquid ab incendio vitiorum ſuperfuerit, animo ac corpore contremiſcet.

Laert. in vit. Diog

Ioſ in præf.

7. Poſtremo, dum conſcientia quodam intelligentiæ proſpectu vitij labem imprimendam, aut iam impreſſam animæ deſpicit, efferata quodammodo, ſuis dentibus in eam deſæuiet. Duobus autem modis ex iſtiuſmodi conſideratione affligere ſolet animam conſcientia. primo cum peccatum iam penitus ſuaſum, ſub inuolucro voluptatis ingreſſurum in animæ ſinum: deinde poſtquam expreſſo crimine eo admiſſum fuerit. quo ad prius, mirum mihi videtur, quo modo anima labem ſuſceptura, pariter progreditur & reſilit, horret & amat, vult & non vult. ad ſpeciem ſceleris committendi, admonente conſcientia, ſe contrahit, eandem tamen, commendante appetitu, in illam mox ſimul expanſa ruit. probat auream thecam, horret contentum ſerpentem; atque ſic dum vult & non vult piger, in biuio hæret, anxia conſiſtit, amore rubet, timore pallet, & vt loquitur *Cicero* de ſeipſo, *Vt in fabulis Amphiaraus, ſic prudens & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam proficiſcitur.*

prou. 13.

Cic lib. 6. fam. Epiſt. ep. 6.

Ouid, lib. 4. Triſt.

Sentit amans, ſua damna ferens, tamen hæret in illis,
Materiam culpæ proſequiturque ſuæ.

Mixtio hæc mellis & ſucci abſynthini in peccato, naturæ certè beneficium, Dei donum: ne melle ſolum permanente, vel ipſis brutis homines in obſcenas voluptates eſſent rabidiores. Cuius ſenſui nihil habent ſceleſti quod opponant præter diuturnam ſuam peccandi conſuetudinem, qua in ſaxa volunt indureſcere, ne ſalutari hoc conſcientiæ vulnere percellantur, ac perculſi reſipiſcant.

8. Alio vero acerbitatis effectu animam torquet eadem conſcientia, dum ſpecie ſui, iam à peccato cōtaminata, vtpote mortuæ, cadaueroſæ, putridæ, exterrita, refugere à ſeipſa videatur: ita tamen fugere, vt etiam auerſa, dentes diriſſime in ſeipſam infigat. animam autem, peccato inſidente, mortuam eſſe, præter noſtros Theologos, id affirmat *Macrobius*, qui duplicem dicit eſſe mortem: naturalem vnam, poſitam in ſeparatione animæ à corpore, animaſticam alteram, *Cum* inquit, *anima à ſimplici & indiuidua fonte naturæ, in membra corporea diſsipatur*: hoc eſt, dum anima Deo ac ſua propria ratione poſthabitis, corporeorum actuum voluptates effuſe perſequitur, ac eis, tanquam limo, ſuffocata, immoritur. *Quemadmodum, vt inquit, Plutarchus maleſici cum ad ſupplicium educuntur, quiſque ſuam effert crucem, ſic vitioſitas ad ſingula peccata ex ſeſe fabricatur ſingula tormenta.* Anima quidem Deo moritur, iuxta ac ſibi ex peccato. Deo, quod iuſtitiam ac diuinam gratiam delinquendo exterminet, & ſpiritu illo cœleſti exacto, Deo amplius nō viuat. ſibi, cum delinquendo ferarum ingenia ſubeat, ac in feras euadat male agendo, ſuamque naturam expugnando. *Dum* vt inquit *Cicero*, *ſuis moribus in ſimillimas figuras pecudum & ferarum transfertur.*

Macro lib. 1. in ſom. Scip.

Plut. lib. de vitioſitat.

Cic. de vni.

Ouid. epiſt. Hyperm.

Scilicet ex illo Iunonia permanet ira,
Quo bos ex homine eſt, ex boue facta dea.

Boet. lib. 4. met 4.

Anima illico ad ſui immutatæ formæ aſpectum pauefacta, veluti monſtro viſo, adeo commouetur, vt à ſeipſa reſiliat, vt doleat ſe eſſe quod ſit, vt horreat id eſſe, quod apparet; vt ſe a tergo relinquere libentiſſime velit, & in aliam naturam a ſe abire diſcupiat. at quid anima, tu teipſam fugis, cum tute id totum eris, quod auolaueris? quamobrem figuram, quam aliquando adamaſti, nunc tantopere execraris, & formam, quam tibi adſumere aliquando ſtatuiſti, à te, vt veterem ſerpentis pellem, modò excutere acriter contendis?

Ouid. epiſt. Hyperm.

Ah ſatis eſt pœna, teneram mugiſſe puellam,
Nec modo formoſam poſſe placere Ioui.
Adſtitit in ripa liquidi noua vacca parentis,
Cornuaque in patriis non ſua vidit aquis.
Et Conata loqui, mugitum edidit ore.
Territaque eſt forma, territa voce ſua.

9 Dum porro anima ſceleribus polluta, fæces ac ſordes ſuas deſpicit, non tantum illas deteſtatur, verum inſuper tanquam monſtrum quoddam ſe eis violatam reputans, pudore confuſa & dolore exulcerata, ad ſui conſpectum, quodammodo in quandam extaſim, horreſcit. *An corporis prauitates* inquit *Cicero*, *ſi erunt perinſignes, habebunt aliquid offenſionis, animi deformitas non habebit? Cuius turpitudo ex ipſis vitiis facile perſpici poterit. quid enim fœdius auaritia quid immanius libidine, quid contemptius timiditate, quid abiectius tarditate & ſtultitia dici poteſt?* leproſam hanc contagionem ac purulentiam, quam in anima videt conſcientia, ſic odio habet, ita deteſtatur, vti ſeipſam inde infectam, tanquam alteram a ſe perſonā, repellere omnī nixu quo poterit, allaboret.

Cic. lib 1. legib.

Quæ tibi cauſa fugæ? quid Io, freta longa pererras?
Non poteris vultus effugere ipſa tuos.

Si quid tamen deformis ac maculoſi in Dei pulcra illa imagine, oculos inſpicientis conſcientiæ reuerberet, illud totum ab anima ipſa expetitum, & ab illa effictum; nollet nihilominus conſcientia tam inquinatum vultum ſibi eſſe. Virgines, vt mos eſt, ad ſpeculum ſeſe expoliunt ac venuſtant: at ſcelerati dum in imaginationis ſpeculo ſuas voluptates contemplantur, dum depictos flores, conficta iucunda expetunt, ac in ea ſe immergunt, turpiter ex illis fœdantur: quod cum conſcientia non in ſpeculo, ſed reipſa perſpexerit, miratur ad aſpectū mutatæ animæ, dolet & vritur ad viſū tantæ contractæ deformitatis. Si virgo aliqua, modò excellētis ſuæ forma prius cōſcia, & amans, pu-

rum

rum aliquando notarit, vultum ſuum in ſpeculo, poſtea autem in eodem deprehenderet in rugas ſubito complicatum, exſanguem, decolorem, aruiſſe, collapſa ſupercilia, canos crines euaſiſſe, ac plane in ſpeciem *Megeræ* à priſtino decore deueniſſe, quàm inde doleret, quam palleret, quomodo ei cor palpitaret ac intus cruciaretur? Haud aliter anima, ſui pulcritudine ſemel agnita, ac delectata, in ea adhuc florente iuſtitia, ac luculenta Dei imagine ſuperſtite, ſubinde ſeipſam intuita, vmbra craſſiori, aut fumo infuſcatam, pluſquam Threicijs punctis notatam, Æthiopica nigredine, omni illuuie ſordium deformatam ac pollutam, ad id ſpectaculi horrens, à ſeipſa, tanquam a ſibilante hydra, in fugam ſe proripiet, extremum doloris ſenſum ſibi ex tam odioſo ſpectaculo incutet.
Senec ep. 97, ad Luc.
Atqui, ait. Seneca, ſcelerum ſupplicium in ipſis eſt. Erras inquam, ſi illa ad carnificem, aut ad carcerem differs. Statim puniuntur, dum facta ſunt: imo dum fiunt.

Inachi, quo properas? eadem ſequeriſque fugiſq;.
Tu tibi dux comiti, tu comes ipſa duci.

Atque hæc mihi præcipua viſa, quæ ciues decceret ſua intellectuali virtute comprehendere. vnum videtur adhuc ſupereſſe, definiremus ſcilicet, de intellectualis iſtius perfectionis gradu in publicis perſonis ſpectando.

CAPVT XXXIII.

Quanta perfectio intellectualis in Principibus, in ſanguine ac poteſtate claris, deſideratur.

SI Principis conditionem ſpectemus, certum videtur, iam iure naturali quam diuino ſtabilitū, eius officium, non in hoc cōſiſtere, quod alios conſtituat, qui eius nomine regant, ipſo interim otiante aut voluptates appetente: verum in eo potius, vt ipſe directiue ac coactiue, vt loquuntur, penſum regiminis abſoluat. Hoc egregie adſtruit *Ariſtoteles*, argumento ab ipſa natura petito. Cum enim, vt ipſe differit, bene gubernare alios, ſit actio nobiliſſimæ ac diuiniſſimæ virtutis; quæque ad diuinam perfectionem ac Dei exactiſſimam imitationem quam proxime accedat, abſurdum fuerit, iuxta ac ipſi naturæ contrarium, hoc optimum à ſe Principem ablegare, id ad vllos, nedum ad fratres, aut parentes à ſe tranſcribere, ſibi vero retinere viliſſima, nempe deſidiam ac impuras ſenſuum blandicias. quomodo enim is, qui Deo ſimilis, ſuo munere hanc vim ſimilitudinis expreſſerit, ſi ſecum ſtatuerit, contra Dei morem nihil agere, indormiſcere, delicijs incumbere, denique id vſu infitiari, quod poteſtate profitetur? ſi præclarum, ſi optimum, ſuorum ſaluti inuigilare, ſedulo in omne genus bonæ actionis incumbere, quo demum iure præclarum hoc & optimum à ſe remouebit, illud alijs committendo, ipſo, quod omnium peſſimum, ſibi in peculium deligente?
Ariſt. lib. 7. cap. 3.
Nam quod optimum eſt, inquit, *Ariſtoteles, id nobiſipſis adſciſcere debemus optimum autem bene agere.* Quamuis enim charitatis ratio hoc poſtulat, vt aliorum bona procuremus, atque vt noſtra etiam externa emolumenta, omnem itidem tam corporis quam animæ contentionem, illorum vtilitatibus interdum accommodemus: quibus nihilominus nobiſipſis etiam virtutes ipſas comparamus & augemus, vt tamen virtutes ac Dei fauorem à nobiſipſis in alios transferamus, nullum argumentum charitatis ſuadet aut compellit. Vt enim optime docet *S. Thomas*, obligatur quilibet vt prius ac magis ſe diligat, quo ad vera animi bona, quam proximum: nam grauius, quempiam eſſe quid bonum in ſe ſpectatum, vt à Deo deriuatum, quam habere cum alio conſociationem: proinde prioris vi emanat maior ratio diligendi ſe, quam alium vi poſterioris. Ex quo concludit:
S. Thom. 2, 2, q 26, art. 4.
Et huius ſignum eſt, quod homo non debet ſubire aliquod malum peccati, quod contrarium participationi beatitudinis, vt proximum liberet à peccato. Hoc nomine laudatur *Traianus* à *Plinio*:
Plin. in Panægyr. Traian.
Felices illi, quorum fides & induſtria non per internuncios, & interpretes, ſed ab ipſo te, nec auribus tuis, ſed oculis, probantur.

2 Quod cum verum fuerit, inde conſequens, virtutes intellectuales requiri in Principe, quarum officijs alios idoneè gubernet ac moderetur: non enim ipſum moliri quicquam oportet cœco quodam impetu, ſed decreta & deſtinata finis ac mediorum in ſe cognitione. Proinde in hoc genere non ſolum princeps iſtis virtutibus illuſtrandus, ſed etiam earum gradibus, vtpote architectonicis ac ſupremis, vltra vulgarem ſortem efferendus. qua de cauſa vult *Plato*, non alios ad imperia, adſumi, quam Philoſophos.
Plat. Dial. 3 de legib.
Sicut, inquit, in corpore humano membra cœca, oculos tamquam duces habent, ita in republica ciues, collati cum principibus, ſcientia deſtituti ac cœci, excellentem in principe lucem intelligentiæ ſequuntur.
Plat Dial. 7.
Comparat proinde vulgus hominum eis, qui ex aduerſo ac reflexa flamma ignem in ſpecu vident, principes vero alijs, qui in illum ſpecum ingreſſi, recta in illum intendunt, vt *Auerroes*, id quoque interpretatus.
Auer. in Parap. ista 2.
Hæc vero ſcientia principalis, vt ex verbis *Honoraldi* teſtatur *Clemens Alexandrinus*, olim dicta βασιλική, regia,
Clem. Alex. l. 2 ſtrom.
quod regum propria: *Quique eam poſsidet, ſiue princeps, ſiue priuatus fuerit, ex ea arte* βασιλικὸς *id eſt regalis, ſeu in regnandi arte peritus, nuncupatur.* ob quam cauſam *Vlyſſes* ex inſigni ſua ſapientia paſſim rex ab *Homero* appellatur, vt etiam teſtantur *Sophocles*, ac *Macrobius*.
Hom Iliad. 2 Sophoc. Aiax. flag. Macrob. l. 1. Satur. cap. 5
Ianus apud Romanos inde primæuo iure rex cognomento dictus: quippe bifrons habitus, id eſt rex. *Qui præterita noſceret, & futura proſpiceret. ſicut Anteuorta & Poſtuorta, diuiniſatis ſcilicet aptiſſima comites, apud Romanos coluntur.* Cuius rei elegantem ſimilitudinem protulit *Plato*, ductam ex vicinitate *Iouis* ac *Saturni* ſtellarum in cœlo:
Plat. epiſt. 12
Iupiter autem poteſtatis, *Saturnus* Philoſophiæ ſymbolum. quo ſignificauit, poteſtatem ac philoſophiam in principe coniungendas. apteque ad hoc elucidandum, vt obſeruat *Marcilius Ficinus*, *Pallas* Gorgone & haſta armabatur. idcirco non incongrue idem *Plato* aſſerit, Principem in republica loco eſſe communis canis,

cuius

cuius ingeninm noris obblandiri, ignotis, iraſ-
ci. quarum rerum diſcrimina noſſe haud po-
rent, niſi ſcientia ciuili imbutus fuerit. *Philoſo-
phus igitur & iracundus, & velox, & robuſtus natu-*
Plat. Dial. 1. de Regno, *ra erit*, ait *Plato*, *qui ciuitati optimus cuſtos futurus.*
Quod ſi princeps ſolum literis intenderit, aut
Plat. Dial 7. de Regno 3. actioni dumtaxat incubuerit, pro claudo repu-
tandus, vt idem aſſerit. Muſicus proinde eſſe
debet pariter & Gymnaſticus: hoc eſt doctus,
ab ocio auocatus, & talis ſimul canis, qualis
inſomnis, *Qui & acutiſsime videre, & audire, &
multas mutationes in exercitu, aquarum, ciborum,
æſtus & frigoris ita perpeti, vt ſeſe a morbis de-
fendat.* Imo vſque eo cognitio ad Principem
Dionyſ. Halicarn. lib 5. ſpectat, vt *Dionyſius Halicarnaſſeus* ciuitatem hu-
mano corpori ſimilem dicens, vim oculorum
magiſtratui, reliqua membra plebi in hac ciuili
ſtructura attribuat. idcirco princeps cœleſte
Gregor. in paſtor. hom. 51. quoddam animal, vt nutat *S. Gregorius*, oculis
ſcilicet, vndique plenum. *Tantum quippe ait Iu-*
Iuſtin. orat. ad Antonin. *ſtinus Martyr, principes opinionem veritati præferen-
tes valent, quantum in ſolitariis locis prædones.*

3 Hoc quidem ex obiecto ac fine, à Principe
mente comprehendendis, liquet. nam vt priua-
ti ciues peculiaria quædam obiecta ac fines a-
nimis intuentur, ita princeps non tantum ho-
rum obiecta ac fines ſua intelligentia luſtrat,
ſed etiam ex eis conflandum bonum commu-
ne conſiderat: idcirco principis ſcientia latior,
maior, adeoque excellentior. *Tanto regimen per-
fectius eſt*, inquit *S. Thomas*, *quanto vniuerſalius eſt*
S Thom. 2. 2. q. 49 art. 12. q. 50. art. 1. *ad plura ſe extendens, & vltimum finem attingens:
& ideo Regi. ad quem pertinet regere ciuitatem, vel
regnum, prudentia competit ſecundum ſpecialem &
perfectiſsimam ſui rationem.* In eandem ſenten-
Ioſeph. lib. de Ioſeph. l. de creat. Princip. tiam *Philo*: *Moderator debet eſſe multiformis, &
multiplex: alius in pace, alius in bello, aliter ſe paucis
aliter ſe multis opponens aduerſarijs.* Hinc vt ſcri-
Greg. Nazian. Apol 1 bit *Laertius*, *Antigonus* Rex Macedonum, dicere
ſolebat, ſuum præceptorem omnium Macedo-
Laert. lib. 7. num eſſe præceptorem: quod ab ipſo ad alios,
tanquam à ſole ac fonte documenta deriuaren-
tur. quam artem in principe *Socrates*, vt ſcribit
Xenoph, l. de dict. Socrat, *Xenophon*, appellabat [illegible] regiam, ac regibus peculiarem. Quod
cum difficile ſit bene imperare, tum maiori
doctrina opus ad id recte perficiendum. *Cum
difficile ſit* inquit *Gregorius Nazianſenus*, *ſcire pa-*
Gregor. Nazian. Apol. 1. *rere, tum multo difficilius eſſe videtur, ſcire hominibus
imperare.* *Demoſthenes* abiens in exilium, ſecum
reputans varias difficultates in regimine reipu-
Plutarch. in Demoſth. blicæ, vt ſcribit *Plutarchus*, dum fugeret, ad ar-
cem reſpiciens Athenienſem, exclamauit: *O
Pallas, vrbium cuſtos, cur tribus infeſtiſsimis beſtiis
delectaris? noctua, ſerpente, & populo.* Noctua ob
tenebras amatas infamis. draco ex veneno hor-
rendus. populus ob tumultus timendus. quo-
rum omnium perplexæ condiciones in vna ci-
uitate reperiuntur, in ea enim noctua, obſcura
facinora meditatur. draco in eadem *altra va-
fricie* ſua cælat aut adornat conſilia. Populus
quoque in priuata lucra intentus, in ea, quæ
communia, inſidioſus aut violentus. Et quidem
exilis cognitio ad parendum requiritur, cum
ſolum mente videndum ab eo, qui morem ge-
rit, id, quod iubetur ab alio, qui exactius, vtpote
eius artifex, nempe princeps, rem iuſſam per-
ſpexerit. *Si* qua ergo lux in illo, qui parit, repe-
riatur, lux eſt præcipientis ac legem dantis. Ne-
que princeps ſimpliciter vnũ ſibi proponit ex-
pendendum, ſed infinitas propemodum cir-
cumſtantias ac euentus diſcutiendas: ne im-
periti medici inſtar hunc morbum expellendo,
alium grauiorem ſua opera inducat: quod e-
gregie *S. Gregorius* elucidat exemplo educatio-
nis vnius animalis conflati ex multis. Quod
qui præſtat, ita accurate ſe gerit, vt in illo quod
belluinum haud ſic fuuet, *Quo hominem* in eodẽ, Plat. Dial. 9. de Republ.
vt dicit *Plato*, *perire fame permittat.* Quis ex iſtis
non videt, ſpectato vel iure naturali, à Princi-
pe ocium ac voluptates, quæ rerum cognitioni
obſunt, excutiendas, ac menti informandæ
multum ſtudij impendendum, quo ad exem- Exod. 14.
plar columnæ igneæ cum doctrina lucendo,
tum charitate ardendo, alijs ducatum præbeat
in curſu ciuilis inſtituti? quod ſi renuerit prin-
ceps hoc perficere mentem ſuam excolendo,
eo ſimilitudinis magnam partem cum Deo,
quam ſibi vendicat, longe à ſe ablegabit, eo
princeps eſſe deſinet, cum ei nihil inſit aptum
ad regendum. imperium enim non nudo vel
crudo iuſſu, ſed etiam ratione ac intelligentia
abſoluitur. Neque eo ſibi conſiliarios adhibet,
vt ipſe prorſus ſtudijs abſtineat, ſed vt ab eis in-
formatus, eius veritatis fiat capax, cuius ſe ſolo
notionem comparare non poterat; atque vt
Philippus Comminæus ait, vt ex conſiliariis aliquo Commin. com c. 27.
cæcutiente erranteque, alius veritatem inueſti-
get, & ad mentem principis inuentam defe-
rat. quod quidem optimo principi adeo agna-
tum, vt Tyranni ipſi, quod ſcribunt *Ariſtoteles* ac Ariſt, lib. 7. Pol cap. 11.
Plutarchus, quo boni principes videantur, lite-
ras affectent, ac nomine ſcientiæ commendari Plutarc. lib. de ſcient. ciu l.
valde appetant. *Hadrianus*, vt ſcribit *Marcellinus*,
quo excellenter doctus videretur, doctis infe- Marcell. lib. 30.
ſtus fuit. Nam principes, qui doctrinæ edunt
ſpecimina, nõ tantum aliis apparent factorum
ciuilium intelligentes, quinimo humani, mites
ac a voluptatibus auerſi: quæ pulchra ſane
principum ornamenta. *Ille ſeipſo*, inquit *Grego-* Gregor. 2. part. paſtor. cap. 6. 8.
*rius, amplius veritatem deſiderat amari, qui ſibi à
nullo vult contra veritatem parci.*

4 Vt autem hac in re ad magis particularia
iam deſcendamus, intelligendum, quemadmo-
dum virtutes actiuæ quædam exiſtunt mona-
ſticæ, ſcilicet deſtinatæ ad proprium bonum
ipſius operantis, vtpote ad moderationem in
ipſo affectuum, aliæ in bonum aliorum ordi-
natæ, quæ politicæ appellantur: vt poſtea elu-
cidabitur, ita iſtis propriis in mente inſeruiunt
lumina informationum, ita vt quædam mona-
ſtica, quædam politica: ac in vtriſque præpol-
lere oportet principem, ac præ aliis illuſtrari.
enimuero ſi ignorat Princeps, rationem ſe mo-
naſtice inſtituendi ad virtutem, alios nunquam
politice recte inſtruet aut gubernabit. atque
cum ex officio principi incumbat, ſuorum ani-
mos informare, tam notionibus monaſticis,
quam ciuilibus, vtriuſque perfectionem debet
ipſe in ſe eminenter complecti. *An idoneum*, in- Ambroſ. l. 2. offic. cap. 23.
quit *S. Ambroſius*, *putabo, qui mihi det conſilium, qui
non dat ſibi?*

5 Primo

5 Primo loco Principi curæ eſſe conuenit, ad veram ſapientiam, quæ diuinæ fidei innititur, adſpirare, ac eius radijs, veluti ſi inter ſuos ſol eſſet, exornari. Etenim præterquam quod ina naturæ hoc officinm Principi imponat, ius quoque diuinum ad id muneris ipſum quam arctiſſime adſtrinxit. Quis enim in Deum magis aſſurgere debet eius cognitione, quam Princeps, qui ſe Deo maxime ſimilem gloriatur? quique ad imperandum, eius fauore ac ſubſidijs copioſius atque multiplicius communitur? diuina ſapientia, ac S. Apoſtolus *Paulus*, Principes proinde ac iudices miniſtros regni Dei appellant. [Sap. 6, Rom. 13.] opus idcirco, vt Dei, ſupremi Domini ſui, voluntatem cognoſcant, & ex illa ſententiam in ſingulis ferant. hac de cauſa Deus Regem Iudæorum inſtituens, illi mandat, [Deut. 17.] *Vt ipſius legem deſcriptam apud ſe habeat, illamque legat omnibus diebus vitæ ſuæ: vt diſcat timere Dominum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt.* Hanc ipſam promptitudinem ad ſciendum Dei legem, ac ab ipſo traditam religionem, in principe requirendam, varijs verbis indicauit Dei ſapientia: dicens, debere Reges intelligere, debere diſcere, debere præbere aures, quibus percipiant, ſe Dei eſſe miniſtros, illi de omnibus rationem reddituros: ac quandoque inter eos potentes [Sap. 6.] *Potenter* tormenta paſſuros, ſi modo non iuxta Dei legem, ſed ſuam potius libidinem, alijs imperent,

6 Cæterum vero modus obſeruandus à Principe, quo ad hanc fidei ſapientiam perueniat, in hoc maxime verſatur, vt ad imitationem Regis apud Iudæos legem accipientis à ſacerdote, [Deut. 17.] is ab Eccleſia, quæ columna ac firmamentum veritatis iuxta Apoſtolum, [Epheſ. 4.] fidei dogmata: nempe ſcripturarum auctoritatem, ac earumdem veros ſenſus obſequenter ſuſcipiat: ob quam cauſam pronunciat S. *Auguſtinus*, [Aug. Epiſt. 166.] Deum Chriſto, in Eccleſia regnanti, ciuiles poteſtates ſubiecisſe. Verum quidem eſt, quod ait S. *Hieronymus*, [Hier. Epiſt. ad Paulin.] non intelligi ſcripturas niſi beneficio gratiæ à Spiritu ſancto, qui ſcripturas condidit, inſpiratæ: nihilominus hæc ipſa gratia illuminationis relationem habet ad Eccleſiam vt ſui organum atque inſtrumentum. Hinc ait, loquens de verſione veteris ac noui teſtamenti ad poſtulatum S. *Paulæ*: [Hier. epitaph. Paul.] *Propter crebras poſtulationes eius præſtiti, vt docerem quod didiceram, non a meipſo, id eſt a præſumptione, peſſimo præceptore, ſed ab illuſtribus Eccleſiæ viris.* Illa enim prætenſa fides, quam à priuato ſuo ſpiritu nonnulli deducunt, fides non eſt, impietas eſt, ſtultitia eſt, inciuilis ac barbara animi commentatio, vt ſuo loco oſtendetur. interim quod argute idem *S. Hieronymus* definit de hac re, comparans hæreticos ſuis priuatis ſpiritibus confiſos, *Lamecho* duabus vxoribus diuiſo, adnotare lubet. [Hier. epiſt. ad Geront.] *Sicut illum maledictus Lamech in duas vxores diuiſit, ſic hanc hæretici in plures Eccleſias lacerant, quæ iuxta Apocalypſin Ioannis, magis ſynagogæ diaboli appellandæ ſunt, quam Chriſti conciliabula.* Plures autem Eccleſiæ, ſi modo ſine ordine & vnitate externi regiminis reperiantur.

7 Quod ad ſcientiam, certum omnino, valde deſiderandum, vt Princeps vtriuſque Philoſophiæ ſententias animo calleat, non dico vſque ad minuta ac vltima metaphyſicæ in eis principia, ſed ad modum quendam ac rationem eius inſtitutis conuenientem. Hac de cauſa admonet *Ariſtoteles* ex *Euripide*, non eſſe [Ariſt. lib. 3. pol. cap. 3] principis ſcire alta vel ſpecioſa, ſed vtilia dumtaxat, ac regiminis ſui propria. Naturæ quidem inſpectio, quemadmodum ipſum ad ſapientiam, ſeu naturalem Theologiam, erudiet, ita pulcrè ſui officij in multis admonebit: inde enim videbit decori operis egregiam quandam formam in mundo ac multarum in eo rerum inter ſe mirabilem conſenſum, quem ipſe imperando imitetur. animaduertet pariter, quo in loco apud Deum ſint ipſius ciues, ac quantis beneficijs diuinitus acceptis exornentur: quo erga ipſos in illo flagrantior charitas exoriatur. Alterum Philoſophiæ membrum, ſcilicet morale, affectuum humanorum vires, virtutum ac vitiorum definitiones: iuxta ac rationis imperium illi demonſtrabit: quibus perſpectis, nuſcat quomodo ciues commouendi ac ſedandi. Cui peculiaris pars ineſt, quæ politica, ſeu ciuilis appellatur, ab antiquis nuncupata *Regia*, quod regum ſit eam apprimè intelligere. Exiſtimauit itaque *Plato*, [Plat. dial. 3. de legib.] principibus armatis ac opum præſidijs inſtructis nihil adeo exitiale extitiſſe, atque in iſtis cœcam ignorantiam. Etenim hoc lumine extincto, illico tyrannis inſurgit, & omne genus diritatis inter homines emanare ſolet. cum enim imperium ratione non adminiſtretur, nihil reliqui, quam vt viribus ac inſidijs negotium hoc ciuile totum tranſigatur *Craſſus* Princeps, vt ſcribit *Gueuara*, corpore licet deformis eſſet, tamen in nulla re ſe infœlicem reputauit, niſi in ea, quod ex conſiliarijs Philoſophum non habuerit. Indoluit *Carolus* quintus, vt refert *Paulus Iouius*, [Iouius, lib. 1] ſe quædam ab oratore dicta animo non potuiſſe percipere: quo ſe dignè pœnas tunc ſuſtinuiſſe negligentiæ in iuuentute, qua literas haud multum curaſſet, ingenuè affirmabat.

8 Comparata iam animi ſuppellectili ex philoſophia & hiſtorijs, conuenit omnino, principem eloquentiæ quoque eſſe ſcientem. Nam vt inquit *Ariſtoteles*, [Ariſt. de Rhet. ad Alex. cap. 1.] cum ſermo in homine ſit rationis inſtrumentum, abſurdum videatur, principem tam in illa quam iſta popularibus non excellere. imo eloquentia olim inter regias virtutes habita, vt apud *Stobæum* recoluit *Muſonius*. [Stob ſerm. 147. Luc. in Herc. Gall.] Cuius rei ſymbolum *Hercules*, ex ore habens fluentes catenulas ad aliorum aures. *Qui me audiebant* inquit S. *Iob* ac Rex, [Iob, 29.] *expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum.* Quod idcirco non ſua, ſed illa *Seneca* eloquentia *Nero* perorando vteretur, illi probri loco ceſſit, vt narrat *Tacitus*. [Tac. lib. 13.] Si namque eloquentiæ incredibilis vis inſit ad erudiendum ac commouendum, quod iſtis duobus principis munus conſtet, neceſſario exiſtimandum, illi vtilem fore eloquentiam, idque ad exem-

plar *Ariſtodemi*, apud Romanos, qui vt ſcribit Dion. lib. 1. *Dionyſius Halicarnaſſæus*, ſe in ciuili facundia exercens, concionibus plebem ductabat. inde Heſ. Theo. *Heſiodus* recenſens nomina Muſarum in Parnaſſo, *Calliopen* omnium excellentiſſimam dicit, quippe quæ *Reges venerandos comitetur*.

9 Cæterum proprius quidem character dicendi à principibus vſurpandus, partim ex conditione perſonæ, partim ex qualitate argumenti conſtituendus. quo ad prius, dictio ipſius grauis ac maieſtate plena, longe abeſſe debet à leuitate ac impuritate ſententiæ. quo ad alterum, ad ſimilitudinem corporis humani, non ſolum carne, oſſibus ac neruis eam conſtare oportet, ſed etiam viuido ac florenti colore; pulcro nempe & vtili argumento, & decore ſtyli. *Ego autem* inquit *Tacitus*, Tac. de ora. *oratorem ſicut locupletem ac lautum patremfamilias, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem, aut ventum arceat, ſed quod viſum & oculos delectet: non ea ſolum inſtrui ſupellectili, quæ neceſſariis vſibus, ſufficiat, ſed ſit in apparatu eius aurum, & gemmæ, vt ſumere in manus, vt aſpicere ſæpius liceat: quædam vero procul arceantur, vt iam obliterata & olentia: nullum ſit verbum velut rubigine infectum, nulli ſenſus tardi & inerti ſtructura in morem annalium componantur: fugiat fœdam & inſulſam ſcurrilitatem, variet compoſitionem, nec omnes clauſulas vno & eodem modo terminet.* In hac autem re ad eloquentiam ſpectante, valde ac ſæpius inculcandum, eius omnem ſplendorem pendere à magnitudine eruditionis in oratore. nam vt bene opinatur *Tacitus*, ſiue alter, eius inſcripto nomine, non eſt alia cauſa, ob quam nos etiamnum deficimus ab illo ſummo gradu eloquentiæ, qua *Ciceronis* ætas inclaruit, niſi quod res ipſas non ita penetremus, non tam exacte diſcuſſas habemus quam illi veteres. quaſi vero nobis verba, modo deeſſent, qui in ea pæne toti deferimur, vtpote in vſitata, in peregrina, in exotica, in tranſlata, in propria, in omnis denique generis eorum formas? vnde ergo ille color, lepos, duraturum decus in nobis deſiderantur, niſi quod non tam cum *Cicerone* in philoſophorum academiis, quam cum alijs in Rhetorculorum ſolis vmbris, eloquentiam volumus addiſcere? Vt ergo Princeps eloquens ſit, ſit Philoſophus, ſit hiſtoricus, ſit ſummatim doctus.

10 Prudentia autem, quæ leges, conſuetudines ciuium ac eorum ingenia adſequitur, principi valde opportuna. Si enim paſtores ac artifices ſua munera non addiſcunt abſque Amb. lib. 1. of. cap 1. accurato ſtudio, vt rectè notat *S. Ambroſius*, exiſtimandum non erit, excellentiſſimam artem imperandi ſine labore ac ſumma animi contentione comparandam. Inprimis eſt, quod populi ſui indolem princeps exacte calleat: ſic enim remedia contra vitia eorum, ſimul ac ad virtutem incitamenta, eis aptius accommodabit. Hinc cum *Pericles*, Rex Athenienſium, veſtem ſibi indueret, vt ſcribit *Plutarchus*, ei adeſſe Plut. lib. de Inſt. ciuil. ſolebat quidam magiſtratus hæc inculcans: *Attende Pericles, liberi ſunt, quos ipſe cogis, Græci ſunt, ciues Athenienſes.* Et quod docti principes poſſint eſſe in periculo pertinaciæ quod ad propriam opinionem, ideo prudentia in eo hoc malum cauebit, dum quid alij ſentiant inquirit, & doctos apud ſe in precio habet. illa etenim pertinacia, cui docti obnoxij, adeo in republica graue malum, vti *Apollonius Thianeus* iudicauit, expedire potius principem gubernari à doctis, quam eſſe doctum, vt narrat *Traianus* Imp. Trai. ep. ad Senat.

11 Demum vt de artibus nihil dicam, Intellectus lumine fulgere debet princeps, quo perſpiciat virtutum decora ac vitiorum dedecora. nam cum virtutes in ſuorum cœtus, ac in animam ſuam inducere oporteat, vitiorum vero turpitudines ab vtriſque arcere, eſt quod tam illarum, quam horum naturas argute intelligat. Corrigendi idcirco ac depulſandi ab illo adulatores, qui virtutum dignitates extenuant, & vitiorum fœditates diſſimulant: hi enim principem ſtudent corrumpere, ac in fœda nobilitatem eius naturæ præcipitare: neque hoc flocci faciunt, modo libidini principis applaudentes, ei diuitias & honores cum probitate, prædonum inſtar, eodem eripiant ac ſibi accumulent. atque inter alios laudabiles effectus ſcientiæ in Principe, ille vnus cenſeatur, quo doctus Princeps, intelligens ſui oneris qualitatem, exultantes animi motus in ſe compeſcit, ac ſobriam quamdam ex cura triſtitiam ſubit. Etenim is experitur id, quod *Traianus* Gueuar. l. 2. Imp. adepto imperio Romano probauit: ſcili- Diſc. Salut. cet imperium & mare eſſe ſimilia; vtique ad animi viſum turbida, & ad eiuſdem guſtum amara.

12 Natura itaque repugnarunt ij, qui principem ſolum martium ac vulpinum, literis autem penitus caſſum voluerunt: vtpote *Gothica* illa feritas, quæ non permiſit *Amalaſuinthæ* reginæ filium ſuum *Attalaricum* doctis magiſtris inſtituendum tradere. Hinc enim ſequitur, principem aut nihil prorſus acturum in regimine, aut cuncta decreturum ex ira, ex libidine vel fraudibus. prius inciuile prorſus. nam vel ociatur, quod non valet in ſtudium actionis incumbere, vel quia non poteſt. illud ad odium ſui, hoc ad contemptum fecerit. deriuabit autem in ſuam perſonam illud totum dedecus, quod ex vitijs ſuorum miniſtrorum oriri ſolet: ſemper enim ciues ſuæ cladis auctorem reputabunt principem, qui nefarios illos ad regimen reipublicæ euexit. Alterum vero ſequuturum omnino. quomodo enim ille princeps animo erit in ſuos manſueto, qui vel totus bello horridus, vel voluptatibus turpiter emollitus? Imo arbitrari licebit, clauem ac iuriſdictionem literariam, naturæ lege in eis pertinere ad principem, qui iure diuino vel Eccleſiaſtico non ei eximuntur. nam cum eius finis ſit reddere ciues intelligentes, tum in illum finem, tum etiam in media ad eumdem, obtinebit auctoritatem. proinde quod de doctrina & eruditione debeat arbitrari ac conſtituere, eſt quod ipſe doctrina polleat ac profeſſione ipſa ſit intellectualibus virtutibus principaliter imbutus. Vt enim ſupra dictum,

finis

finis imperii ciuilis eſt, in vniuerſum virtus, non voluptas, non emolumentum externum: idcirco princeps in virtutem abſolute, ſcilicet intellectualem iuxta ac moralem, ius habet & poteſtatem. Vnde ergo à literis, à virtutibus intellectualibus, nempe à ſcientia abſtrahendus, niſi in illo naturam ipſam violare contendamus? Verum quidem eſt, magnam partem ſapientiæ, ac ſcientiæ, iure diuino & Eccleſiaſtico ab eius tribunali eſſe abreptam, vtpote controuerſias ac ſententias fidei, Theologiam, & alia ad religionem ſpectantia: cæterum quo ad ea, quæ non adimuntur eius ſcholæ & tribunali, magiſter, profeſſor ac iudex, ad exemplar *Auguſti* eſt, literarum atque ſcientiarum: ſaluo ſemper ſupremo iure in Dei Eccleſia, quod iuri principis, per reſpectum ad bonum ſpirituale, hac in re præſidet perpetuo ac ſupereminet. Cum itaque intellectualia media tam ad finem ſacrum, quam ciuilem pertinentia, ſatis iam explicauerimus, ſequitur agamus de medijs actiuis ac moralibus: quod ſequenti libro præſtandum nobis conſtituimus. Sueton. in Auguſto.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERTIVS.

DE MORIBVS REIPVBLICAE CHRISTIANÆ COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Generalis quædam partitio virtutum moralium explicatur: qua earum definitionibus perceptis, pariter intelligatur, quanta ſit ab ipſis vita ciuilitas.

Plat. lib. de virtut, ciuil. Ficin. in Pol. Ariſt. lib. 6. Ethic c. 1 & 6. 7. pol ca. 14. 2. eiusdem cap. 2.

VIrtutum moralium, ſeu actiuarum, diuiſionem Philoſophi conſtituere ſolent ratione habita triplicis in anima facultatis: ſcilicet voluntatis, appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis: ita vt in tres ſpecies conſequenter ab illis partiantur. quo imprimis percipiatur, virtutem nihil aliud eſſe, quam ad naturæ debitum, idoneam eiuſdem perfectionem, moderationem, & habilitatem. ideo vero non vnam ſimplicem ſubſtantiam, ſed animam, tot facultatibus inſtructa nobis Deus cõmiſit, vt nos eas certis muneribus ad abſolutum quendã ſtatũ duceremus, atque pro earum facultatum diuerſitatibus, vnicuique propriũ quoddam decus ac firmamentum, ratione duce, conſtitueremus: adeo vt in ipſius animæ multiplici regimine, formam etiam quandam tractandi rempublicam, pariter ex variis conſtantem, contemplemur. Voluntas quidem dupliciter conſiderari poterit, ſi ad virtutem referatur. primo ſecundum ſe, vt eſt facultas animæ, ac ad partem eius ſuperiorem ſpectans, apta nata ad præſcriptum rationis operari, aut contra eiuſmodi regulam quidpiam libere ſtatuere. ſecundo, vt relata ad appetitum ſenſitiuum tam concupiſcibilem quam iraſcibilem; nempe quatenus potens perturbatis eius motibus conſentire, vel reſiſtere, ac eos compeſcere. quo liquet, omnem plane virtutem ad voluntatem, *Per quam homo omnibus bonis vtitur*, vt ait *S. Thomas*, attinere,

S. Tho. 1, 2 q. 104, ar. 3

ac eius cauſa homini competere, ſiue ea ipſam voluntatem immediate moderetur, ſiue appetitum ſenſitiuum recte inſtituat. Proinde non bruto, ſed homini virtus attribuitur dumtaxat. nam in brutis haud à voluntate aliqua libera petenda appetitus ſenſitiui in ipſis idonea directio ſeu compoſitio: cum ea naturæ inſtinctu perficiatur: in homine autem, quod libera voluntate prædito, ſpectabile eiuſdem voluntatis imperium, cum ad ſeipſam, tum appetitum ſenſitiuum, ſibi dimiſſum, recte gubernandum. Sunt iſti affectus appetitus, rationi ac voluntati ſubiecti ciuiliter: hoc eſt ita ab eis ordinandi, ac ad virtutem deſtinandi, vt aliquid ſui iuris ad reluctandum interim ſemper retineant. Ex qua ipſorum intemperie, & imbecillitate, à Philoſophia paſſim vocantur brutæ, irrationales, ſeruiles: vtpote inepti, qui ſuis viribus bene operentur, quique proinde à voluntate, illuſtrata tamen à ratione, tanquam à Domino, coercendi, idque ad ſimilitudinem beſtiarum in arca *Noe*, eius iuſſu tractandarum. vi cuius dependentiæ à voluntate, omnis virtus eſt habitus electiuus, vt docet *Ariſtoteles*. quod autem non ſtatim abſque renitentia, ſeu deſpotice pareant voluntati, id non ſolum à naturæ mera condicione, vt putarunt Philoſophi, & Pelagiani, deuenit, ſed à damno præcipue iuſtitiæ originalis primum emerſit: cuius defectu, affectiones in nobis rationis imperium ideo detrectant, quod in primis parentibus, ratio & voluntas diuinis legibus ſubeſſe recuſarint, vt *S. Auguſtinus* haud ſemel diſſeruit: nam ſi iuſtitia originalis in omnibus perſtetiſſet, in eiſdem floruiſſet imperium rationis in cunctos motus appetitus ſenſitiui plane deſpoticum: quale in Christo Domino viguit virtute mentis ac diuinitatis, ſub quarum moderaminibus, vt ait S. *Leo*, clauſas ac domitas habuit omnes appetitus ſui affectiones.

Ambr. præf. in Lucam.

Ariſt. lib. 2. Ethic ca. 6. S. Tho. 1, 2, q. 59, art. 1.

Auguſt. lib. de natur. & grat. c. 3. 19 20.

Leo epiſt. 11.

2 Voluntas itaque in homine, quædam munera exercet, quæ non cernuntur in moderatione affectuum in appetitu; & hæc certum quoddam genus ciuilis virtutis cõſtituunt. Quæ omnia generali notione iuſtitiæ comprehenduntur; ac verſantur circa aliquod bonum alteri dandum: ſiue id vnius aliquod bonum fuerit, ſiue multorum commune. quo modo, iuſtitia dici poterit virtus moralis, rationalis, vt obſeruat S. *Thomas*, quatenus diſtinguatur à virtute morali concupiſcibili, vel iraſcibili: quæ licet ſit etiam participatiue rationalis, non tamen tam immediate vt altera. hæc iuſtitia in

S. Tho. 1. 2, q. 61. ar. 2, q. 59. art. 5.

S. Tho. 2. 2. q. 47. art. 10 1. 2, q. 66. art. 4.

dando, in diſtribuendo, ac reſtuuendo, adeoque ad hominemverſus alterum bene ordiuando, tota occupatur. dat in commutatiooibus, in pactis, conuentis, emptione, venditione, locatione ac ſimilibus, æqualitatem ſeruando, vt tantum tanto reſpondeat. diſtribuit, dum proportione ſeruata præmiat aut caſtigat, abſoluit vel damnat. reſtituit, dum quod alteri debetur, ſiue emolumentum, ſiue honor, id

Cic. de Iuu.

eius dominio vel poteſtati ſubijcit. Cuius generis ſunt etiam religio in Deum, pietas in patriam, in parentes, in prolem, fidelitas erga omnes, amicitia verſus aliquos, clementia, liberalitas: denique omnis honeſtas, quæ decenter ciuem cum ciue effurmat ac componit. id enim in vniuerſum iuſtum, quod alteri quomodolibet debitum, vel illi iure aliquo concedendum.

S. Thom. 1. 2 q. 60 art 3

3 Reliquæ virtutes morales appetitum ſenſitiuum perficiunt, ac duplices exiſtunt, ad diuiſiunem eiuſdem appetitus in concupiſcibilem, atque iraſcibilem. Qua in re primo notandum naturæ ingeoium, & ex illo contextus, qui inter haſce duas partes appetitus inuenitur. Vt enim in corpore humano facultas eſt, quæ idonea alimenta ſibi attrahit, ac alia, quæ aduerſantia expellit & egerit; cum purum bonum extra Deum nullibi reperiatur: ita in hominis appetitu ſenſitiuo, qui vitæ morali inſeruit, duplex cernitur poteſtas, concupiſcibilis ſcilicet & iraſcibilis: illa vt in bona fiat ab homine commoda progreſſio, hæc vt mala, vtpote bonorum impedimenta, ab eodem ſuperentur. ac quod contingat, iuxta has binas ſpecies affectionum, hominem bene, ac male ſe gerere, idcirco ei neceſſariæ virtutes, quæ appetitum concupiſcibilem recte moderentur, ac aliæ, quæ iraſcibilem regant. vniuerſæ autem ad temperantiam atque fortitudinem reuocantur. hoc vero naturæ inſtitutum ita enucleate declarat S.

S Thom. 2. 2. q. 50. art 4

Doctor. *Natara autem ad duo tendit, primum quidem ad regendam vnamquamque rem in ſeipſa, ſecundum vero ad reſiſtendam extrinſecus impugnantibus & corruptiuis. & propter hoc non dedit ſolum animalibus vim concupiſcibilem, per quam moueatur ad ea, qua ſunt ſaluti eorum accommoda, ſed etiam vim iraſcibilem, per quam animal reſiſtit impugnantibus.* Sunt itaque virtutes aliquæ pertinentes ad moderationem appetitus concupiſcibilis, aliæ ad iraſcibilis. Concupiſcibili ineſt virtus generali nomine dicta temperantia, moderatrix guſtus atque tactus, quæ proinde in ſe complectitur vniuerſum vitæ laudabile decus, quod in moderatione harum facultatum requiratur: vt abſtinentiam, ſobrietatem, caſtitatem, virginitatem, modeſtiam. Iſtis enim virtutibus motus concupiſcibiles minus honeſti compeſcuntur, & amor, qui eis imperat, ad optima obiecta transfertur, qui non permittit alio igne in uobis hanc vim ſuccendi, quam rationali, quam diuino, fumi nempe experte, odore vero ſuauiſſimo. de

Pſalm. 15.

quo propheta, Deum orans, loquitur: *Vre renes meos, & cor meum Domine.*

4 At quod, vti diximus, virtutis curſus ſit in plurimis impeditus, leo, & vrſus in via obuiam dant, qui terrent, adeoque reſilire aduerſis viribus ſuis quamplurimos cogant, ea de cauſa virtutes comparandæ, quibus poteſtas iraſcibilis ſtabiliatur, ac vt ea ſtipatoris officio recte fungatur, vnde virtutibus in vniuerſum tranſitus ad optatos ſuos fines concedatur: atque omnibus impedimentis ſuperatis, non ſolum voti compotes, verum etiam victrices tandem virtutes maneant: fructu ſcilicet diuites, & palmis glorioſæ, efflorecant. quo pacto virtus eadem mollis, ſimulque duriſſima, *Iacobi* voce ſuauiter ſonora, iuxta ac manibus eiuſdē hirſutis aſpera: nempe mitis, placida, bellicoſa tamen ac ferrea. virtutes iſtæ numerantur conſtantia, patientia, humilitas, animi præſentia, & aliæ, quæ communi vocabulo fortitudinis recenſeri ſolent.

Gen. 27.

S. Thom. 1. 2. q. 90 art. 2 4. 5 q 61. art 2. 3 4.

5 Has virtutes quo ad tria inter ſe comparare poſſumus. primo quo ad ordinem originis, ſecundo quo ad rationem dignitatis, poſtremo quo ad gradum difficultatis. origine & vſu ab ipſa naturæ inſtitutia, priores videntur virtutes, quæ concupiſcibiles motus refrænant, ſi cum ijs, quæ ad iraſcibiles moderandos ſpectant, conferantur. nam cum facultatis iraſcibilis operatio præſupponat actum concupiſcibilis, vtpote quod illius ſit munimentum, & officium eidem præſtet militis præſidiarij, inde liquet, virtutes quoque concupiſcibiles eſſe priores. prius enim quempiam amare ac velle, quam iraſci, quam pugnare, amare, quam ſperare, quum hæc aliorum gratia ſuſcipiantur, vt declarat S. *Thomas.* quod itidem eædem priores ſint virtutibus in voluntate collocatis, alicui videri poterit, cum natura prius, quempiam bene quo ad ſe comparari, quod fit per virtutes concupiſcibiles, quam quo ad alios, erga quos virtutes rationales, in voluntate ſpectabiles, hominem recte inſtituunt; proinde illæ concupiſcibiles omnino priores iſtis iudicentur. Ex aduerſo autem ſuſpicari quis poterit, Dei amorem, & erga ipſum religionem, quæ functiones ſunt iuſtitiæ, ac pro obiectis bonum Dei intuentur, eſſe priores naturæ quidem ipſius intentione, cunctis virtutibus concupiſcibilibus. Vnde S. *Doctor* exiſtimauit, puerum, modo attingentem punctum adultæ ætatis, obligari illico, ante omnia vt ſe ad Deum conuertat aliquo motu affectionis in ſua voluntate. quod ſi verum fuerit, conſequens, non tantum dignitate, ſed etiam origine & exercitio priorem illam virtutem amoris Dei in voluntate alijs uirtutibus in parte concupiſcibili. virtutes autem facultatis iraſcibilia, vtriſque quo ad originem poſteriores eſſe conſtat. nam in vniuerſum harum proprium, omnium virtutum impedimenta amoliri: quibus oportunæ non tantum virtutes in concupiſcibili parte inuentæ, ſed inſuper in voluntate, adeoque in ratione; quot enim obſtacula hominea retardant à pietate erga Deum ac patriam, & ab aliis virtutibus iuſti-

S. Thom. 2. 2. q. 50. art. 4 1. 2. q. 40. art 7 q 62 art 7 vlum, ad. 3.

S. Thom. 2. 2 q. 89 art. ultim.

tiæ,

tiæ, quibus aliorum bona à nobis procuran-
tur?
S.Tho 1.2. q.66.art.4. 6 Quantum ad nobilitatem, palmam ob-
tinent rationales, ſeu quæ voluntatem, vt
rationi ſubiectam, adiiciunt. Cum enim
multorum Bonum nobilius ſit priuato ali-
qua paſſione ad mediocritatem reducta, ſe-
quitur, virtutem, quæ circa illud occupatur,
eſſe pariter nobiliorem. proinde vitia oppo-
ſita generali notioni iuſtitiæ, peiora eis, quæ
temperantiæ aut fortitudini aduerſantur. Pri-
mo quidem, quod maiorem referant mali-
tiam, ſicut minorem infirmitatem cauſari
poterunt. infirmitas vero propagatur ex pra-
ua diſpoſitione alicuius facultatis, qualis ma-
xima in appetitu ſenſitiuo reperitur, vt do-
S.Thom 1.2.q.75. art.4.q.77.art.3. cet S. *Thomas*: ob cuius infirmitatem appellat
Ariſtoteles incontinentem, *Paralyticum*. deinde
vitia ad voluntatem ſpectantia, magis lædunt
Amb.l.1 de off. cap. 28. aliorum bona, & humanam ſocietatem gra-
uius vulnerant. *Etenim* inquit S. *Ambroſius*, *dum
augere opes, aggerare pecunias, occupare terras poſ-
ſeſſionibus capimus, præſtare diuitiis, iuſtitiæ for-*
Plat lib. de Regno. *mam exuimus, beneficentiam communem amitti-
mus.* ob quam cauſam *Plato* non comparat
principem, in quo iſtæ virtutes excellere de-
bent, aratori, qui bouem agitat, vel famulo, qui
equo ſellam imponit, ſed illi. *Qui equos, aut boues
paſcit.* quibus virtutibus deſtitutus *Cleon*, ab
Plut. lib. de Inſt. Ciuil. omnibus culpatus, vt ſcribit *Plutarchus*: aculea-
tum enim in rempublicam principem indu-
xit. quamobrem virtutes iſtæ, quæ in alio-
rum bona intendunt, a Philoſophis appellan-
tur ciuiles ac politicæ, adeoque munera in
S.Thom 2.2 q.47. art.10. 1 2 q. 66 art.4. homine æſtimantur partis rationalis. *Quæ* in-
quit S. *Thomas*, *pertinent ad partem rationalem, ad
quam directe pertinent communia, ſicuti ad par-*
Mac.l 1 in ſom Scrip. *tem ſenſitiuam pertinent ſingularia. Boni viri* in-
Ariſt.l.5 et. cap 1. quit *Macrobius*, *reipublicæ conſulunt, vrbes tuentur,
parentes venerantur, liberos amant, proximos dili-
gunt, ciuium ſalutem quærunt, alios gubernant,
ſocios circumſpecta prouidentia protegunt, iuſta li-*
S.Tho.2.2. q.104.art.4 *beralitate deuinciunt, memores alios faciunt meren-
do.* Denique ipſa voluntas, vt oſtendit S. *Tho-
mas*, eſt facultas naturæ valde inſignis, ac pro-
xime ad rationem accedens, proinde ſedes eſt
Cicer. Tuſcul.4. virtutum præſtantiſſimarum: quam *Cicero* ex
hoc a libidine diſtinguit.
7 Iſtæ quidem, virtutes, quæ voluntatem
adficiunt, hominemque quo ad alterum, vti
vitæ ſocium, conciuem, aut clientem pro-
be inſtituunt, præcipue ciuiles appellantur,
ac reipublicæ dignitatem atque præſtantiam
maxime attingunt. ob quam cauſam *Cæcilius*
apud *Gellium*, affirmauit; Romani imperij
decus comparatum fuiſſe omnis generis virtu-
tibus, ſed præſertim fide & humanitatis ne-
Gel.l.cap.1. ceſſitudine. *Sed omnium maxime atque præcipue
fidem coluit Roma ſanctamque habuit, tam priua-
tim quam publice. Sic Conſules clariſſimos viros ho-
ſtibus confirmandæ fidei publicæ cauſa dedit. ſic clien-
tem in fidem acceptum chariorem haberi, quam pro-
pinquos, tuendumq; eſſe contra cognatos cenſuit: ne-
que prius vllum facinus æſtimatum eſt, quam ſi cui
probaretur, clientem deriſui habuiſſe. Hanc autem
fidem maiores noſtri, non modo in officiorum vicibus
ſed in negociorum quoque contractibus ſanxerunt,
maximeque in pecuniæ mutuæ vice vſu atque com-
mercio.*
8 Iſtis loco dignitatis ſuccedunt virtutes,
quæ affectus appetitus concupiſcibilis mo-
derantur, vtpote eis digniores, quæ verſan-
tur in inſtituendo appetitu iraſcibili. Huc pro-
bari poterit ex qualitate ipſarum pertur-
bationum concupiſcibilium. nam vt hi prio-
res ſint, ac veluti protopaſſiones earum re-
ſpectu, quæ inſurgunt in iraſcibili; ita non
ſolum priores, ſed etiam nobiliores requi-
runt virtutes, a quibus regantur. Hinc non
tantum motus iraſcibiles ſunt poſteriores
concupiſcibilibus, verum inſuper ad eum
gradum adſurgunt, ad quem illi antea per-
uenere, & quem ſuo imperio conſtitue-
rint. tantum etenim iraſcitur quis fun-
ctione partis iraſcibilis, aut timet, quan-
tum concupiſcibili amat, vel libidinatur. Vt
enim præſidiarii militis violentia pendet ex
momento inferendi damni, quod Dominus
plus minuſue odio habet, ita facultatis con-
cupiſcibilis motus legem præſcribunt moti-
bus in iraſcibili excitandis; & hi ſequuntur, eo
demum peruenientes, quo appetitus concupiſ-
cibilis motus quaſi præcedens ſtatuerit. Vnde
apparere alicui poterit, huius partis in homine
virtutes, ſcilicet temperantiam, nobiliorem eſſe Ariſt.l.1. Rhetor.9.
fortitudine. Nihilominus S. *Thomas* abſolu-
te pronunciat, fortitudinem, quæ refertur
ad appetitum iraſcibilem, omnino præſtare
temperantiæ in concupiſcibili ſpectandæ. quo
nomine etiam obedientiam, quæ officium par-
tis iraſcibilis, præfert reliquis omnibus virtu-
tibus moralibus. Idem *Ariſtoteles* viſus dixiſſe,
cum aſſerit, omnium pulcherrima ab homi-
ne facta ea eſſe, quæ fiunt à iuſtitia & fortitu-
dine: ſicut è contra, nihil in illo turpius,
quam contra iuſtitiam, & vi timoris con-
tra fortitudinem, ipſum quidpiam peragere.
Poſt fortitudinem inquit S. *Thomas*, *ordinatur tem-* S.Tho.1.2. q.66.art.4.
perantia.
9 Quod ad difficultatem exercendi vir-
tutes morales, liquidum, virtutes eas, quæ
circa appetitus ſenſitiui affectus verſantur,
difficiliores eis, quæ in voluntate poſitæ, a-
ctiones ſolum reſpiciunt. ſicut enim nihil for-
tius retinet voluntatem a ſtudio virtutis,
quam appetitus aliqua paſſio, ita nihil ſic au-
get talis operis difficultatem. cum ergo virtu-
tes, quæ alterius bonum curant, non collu-
ctantur cum iſtis paſſionibus, ſicut confli-
gunt aliæ, quæ ad eas caſtigandas omnem
ſuam vim conferunt, neceſſe eſt, haſce eſſe
difficiliores. quod ſi, quantum ad difficulta-
tem, contendere velimus temperantiam cum
fortitudine, inueniemus eam hac difficilio-
rem: quippe quod pugnet cum hoſte, nem-
pe ſenſus tactus atque guſtus voluptate, fer-
uentiſſimo. ideo dicit *Ariſtoteles*, homines Ariſt.l.2. Rhetor.
difficilius voluptati quam iræ reſiſtere. Imo
modus difficultatis in fortitudine, in ani-
mi conſtantia, pendet plurimum à qua-
litate affectuum in parte concupiſcibili:
nam cum quis ſemel hoſce perdomitos,

noui negocij vires ac ardores ſenſibus inſpirat, & iterum negocii turbatio commouet, inquietat, ac in omnem partem animam verſat contentioſiſſimè. Similiter bellum vniuerſo furoris genere feruidum ac tragicum, cum ad victoriæ bona, delitias nempe, imperia, copias, ſecuritates adpulicuerit, illis, tanquam muſca, ſucco ſuauiori immerſa, eliquatum & eneruè factum, immoritur. quod genus ſpectaculi, *Cæſaris* oculis, in Ægypto agentis, obuerſabatur; dum ibi maximorum negociorum ſuorum moles videret in otij dulcedine confectas, cumque inſtar ſalis in aquam inditi, ab omni Romano vigore ipſemet in mollitiem Niliacam eodem loci degeneraſſet.

——— *Stabatque ſibi non ſegnis achates,*
Luc. lib. 10. *Purpureuſque lapis, totaque effuſus in aula*
Calcabatur onix.
Inſudere epulas auro, quod terra, quod aër,
Quod pelagus, Niluſque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens, toto quæſiuit in orbe.

Cæterum hæc ipſa pax, quæ belli fœtus, poſteaquam eiuſdem belli fructus conſumpſerit, militem, nempe vim iraſcibilem, admonet ſibi penu deeſſe: ac tunc, veluti ſi *Mars* cum *Venere* congrederetur, recens bellum, vtriuſque filius, propagatur.

4 Ad prudentem itaque legiſlatorem ſpectat, lege ſua ac imperio modum præſcribere, quo ex virtute ac communi bono hæc quatuor ſeorſim inſtituantur: vnde diſcant ſubditi ritè bellum gerere, viciſſim ex pacis bonis benè poſſe lætari. quæ ſi in vniuerſum à malitia voluntatis, ab appetitus concupiſcibilis petulantia, vel iraſcibilis furore, definita fuerint, omnia in ciuitate euadent turbida ac planè barbarica. Quod ſi ab initio vitæ, functiones in homine cogitatione repetamus, videbimus primos naturæ in ipſo progreſſus, in iucunditatem pacis, ac voluptatis ſuccum, ferueſcere. quid enim aliud infantilis ætatula appetit, quam vt in delicijs conquieſcat? mox vero quando contraria inſurgunt, variaque voluptatum impedimenta occurſant, tunc ira incrudeſcit, tunc armata proſilit, quæ lenocinij appetentiam muniat. & quod plura infeſta ex aduerſo veniant in iuuenili ætate, quam in infantili, vel puerili, eaque oriantur ex generibus bonorum vtpote maiorum, quæ tunc appetuntur, idcirco paulatim creſcit belli cupiditas, denſior vſus iraſcendi ſtudijs ſeorſim famulari videntur, noſque admonere, mutuas eſſe horum alternationes, & vtriſque ex virtute opportune conſulendum. diuiditur annus in ver, æſtatem, autumnū & hyemem: inter quas partes ver & æſtas voluptatis paci obblandiri, autumnus & hyems iræ turbulentiæ fomenta ſubdere videntur. In neutro itaque ſeneſcit vel perennat tempus; ita neque noſtra ciuilis condicio, ſed viciſſim per vtraque diſcurrit: nunc in otio, nunc in negotio; modo in pace, poſtea in bello conſiſtens. Hinc Romanum eo floruit imperium, quo vtriuſque ſtatus artes & virtutes proprias diſtinctè nouerat & exercuerat.

Sulp. de ſtat. Reip. ſub. dom Amm. marcel. l. 20 ——— *Duo ſunt, quibus extulit ingens Roma caput: virtus belli, & ſapientia pacis.* Etenim non ſolū Romani venerāti *Martis* ancile, quod *Numa* orante, cœlo lapſum credebatur, ſed etiam *veſtæ* penetrale, quod in ſacris habuere: licet eis præcipua cura, ad ancilis illius monitum, fuerit virtutum bellicarum; relligionis autē, quatenus ad belli fælicitatem conducebat. Ouid. lib. 3. Faſt.

At virtutum pacificarum apud Iudæos excolendarum, ſingulare diuinitus ſymbolum apparuit; quando tabulas, vitæ leges continentes, à Dei ipſius manibus, non ancile Romanū, accipiebant. Nos vero de cœli monte ſine manibus exciſum lapillum in noſtro imperio retinentes, adeoque pacis auctorem, ac ipſam pacem in nobis habentes, diuinius tam ancile Romano, quam Iudæorum tabulis inde venditamus. ancile Chriſtus, quod nos defendat, exciſa tabula, quæ doceat. Dan. 2.

A patre dicta meo quondam Saturnia Roma eſt,
Hæc illi e cœlo proxima terra fuit. Ouid lib 6. Faſtor.

At poſt aurum *Saturni*, *Martis* ferrum.

Mars Latio venerandus erat, quia præſidet armis.
Arma feræ genti remque decuſque dabant.

Hinc *Ariſtoteles* iure redarguit legiſlatorem Lacedæmonum, quod præcepta virtutum, in pace exercendarum, ſuis non tradiderit, ſolum ſibi præſtituentem, eos informare virtutibus bello proprijs.

Quod eius culpa inquit *accidit, qui eos otij paciſque artes non docuit.* qua de cauſa iudicauit Athenienſes ciuiliores, quod & cenſuit *Plutarchus*, cum ad bellum, tum etiam pacem, commode inſtitutos. Lacedæmones autem vna, eaque principali ciuilitatis parte inde deſtitutos, optimo iure affirmarunt. Ariſt. lib 7. Pol. cap. 14. Plut. in Iſid. & Oſir. in phocid. Enimuero vel naturæ haud conſentiens, ciues perpetuo belli æſtu turbari, cum bellum alio fine non ſit gerendum, quam vt inde pax oriatur. Imo immites ac ferrei ſeu inhumani euaderent ciues, ſi nihil aliud præter bellorum horrores meditarentur. nam vt ait *Ariſtoteles*, non de ingenuis ac humanis ciuibus prouerbium inoleuit: *Nullum otium ſeruis*, ſed de abiectis & ſordidis. *Turpe eſt enim non poſſe frui bonis: ſed in negociis quidem & bello viros probos videri, in ocio autem & pace ſeruiles.* Ariſt. lib. 7. pol. cap. 15. Certe flagrante ſemper bello in exteros, ciues adeo horridi & immites fierent, vt inteſtinis etiam bellis ſint omnia demum confecturi, externo hoſte carentes: ac ſic tandem vniuerſa domi, foriſque viribus, ad ritum barbaricum, adminiſtrarentur. Cumque vnius reipublicæ ambitus genus humanum contineat, tum abſonum, perpetuis bellis illud affligere, & deuaſtare: ac ſi homines non ad benefaciendum alijs, ſed ad nocendum eſſent nati & educati. quod quam ſit à natura abhorrens, nullus eſt qui non videt.

6 Quamobrem tam pacis quam belli virtutes ſeorſim addiſcendæ à ciuibus ac comparandæ. *Quapropter* inquit *Ariſtoteles, temperatam eſſe ciuitatem oportet, fortem & patientem.* Quod in pace ac otio ad ciuium ſenſus voluptates vberius adfluere ſoleant, quæ rationis deprauatrices, virtutis corruptrices, inde pacis virtutem conſtituit *Ariſtoteles* temperantiam, ſeu victus quandam duritiem: quippe ne roſa illius ſtatus, ſine ſpinis creſcens, illico ſuo luxu marceſcat. Ariſt. 7. pol. cap 10.

ceſcat. Cum porro in bello ac negocijs variæ occurrant aduerſitates, ac vires ſint in eo cum perandæ, tum confirmandæ, fortitudo ac patientia, vtpote bellicæ virtutes ſtudio eſſe debent. Dubio procul, retinet ciuilis pax, vtpote armata *Pallas*, etiam galeas ſuas, thoraces, clypeos ac haſtas, quibus blandimenta voluptatum depellat ab arce mentis & imperio rationis. Et quemadmodum ſtatui bellicoſo infeſti timor & mollities, in quos in ſenſus, fortitudo & patientia depugnent, ita pacis amænitati ciuili, contraria libido, ſiue in illicium ſenſus erumpat, ſiue in vindictam ardeat: contra quam temperantia & cotinentia decertent: adeo vt ſemper in vita ciuili locus ſit conflictui, repugnantiæ & naturæ acerbitati.

7 Quod ad pacem attinet, plane abſurdum videatur, eius ſtatum præſtantiſſimum, ac maxime ab hominibus deſiderandum, virtutum præſidijs ſpoliari, nudum, inermem, omnibus patere voluptatibus veluti canibus *Actæonis* expugnandum. De cuius virtutibus vt ſeorſim aliquid dicamus, inter eas præcipui momenti charitas in Deum ac patriam. amor enim iſte cum cor humanum ſemel occupauerit, non permittet aliorum depranantium hominem amorum eò acceſſum. & quę iucunda bona, pacis tranquillitas ex ſe expirauerit, ea omnia tanquam terræ primas fruges, Deo in ſacrificium dicabit, ac in eiuſdem cultum conſumet. præterquam enim quod hæc virtus, animi pacem, & amulætum quoddam contra omnes alias veneficas cupiditates in ſe contineat, tū ipſam temperantiam firmat, & reliquas virtutes ſuſtentat, quæ paci prodeſſe poterūt. *Hæc eſt enim,* inquit *S. Ambroſius, quæ complectitur vnitatem: hæc eſt qua omnes vnum corpus facit: hæc eſt quæ veram habet pacem, quam corde puro cuſtodit.* Prudens itaque princeps, ne pacis beneficio ciues à voluptatibus corrumpantur, ſedulo ſtudere debet, vt hoc amore charitatis veluti thymiamate incendantur, vt temperantes, vt induſtrij ſint in actione virtutis, vt ſeruentur immunes à diſſolutione ac contagione voluptatum: quo tanquam ignes, in medijs aquis, criſtalla in pratis, nedum montium abditis, eniteſcant. Imo ſtatus iſte omnino exigit præcipuam curā illuſtrandi & excolendi intellectum, quo & temperantia plurimum adiuuatur. quam autem vim habet contemplatio ad debilitandam voluptatem, ſuperius explicamus. *Fortitudine igitur* ait *Ariſtoteles, & conſtantia opus eſt ad negocium, Philoſophia vero ad otium.* eſt ergo philoſophia virtus quædam pacifica, cuius notione præcipue ſignificatur ea cognitio, quæ ad finem, homini conſtitutum ad ſequendum maxime conducit. quando idcirco pax veluti in alto præcipue floret, tunc ſumma ſedulitate aperiendæ ſcholæ, tunc libri ſtudioſius euoluēdi, tunc conciones ſacræ frequentius habendæ, audiendæ. iſtis enim haud parum voluptates eius ſtatus, quæ ciuilitati infeſtæ, impediuntur, extenuanturque. Etenim non ſolum pax, actionis liberati ac voluptati opportuna, verum & iam proni ad excogitandam opiniones, quæ illis ſua falſitate lenocinantes, eam ſtabiliant: demum omnem mordentis conſcientiæ, ad eius hauſtum liquorem, aculeū animo eximant, vel retundent. Vnde, ſumma pace omnia habente, & interea loci philoſophia ac Theologia ſilentibus, dum nempe homines dormiunt, hæreſes vt plurimum exoriuntur, quæ voluptati turpiter ancillentur, fidei vero & rationi dominētur. voluptatis etenim titillatio, ſenſum appetitus & carnis obtinens, vlterius ſerpit, & ſe extendit ad mentem, ad animi lucentem aciem; quam in bona facit hebeſcere, in mala autem excogitanda exacuit. in qua malacia Proteſtantes dubio procul deliciati, nous dogmata excogitarunt, quæ voluptatibus prorſus velificarentur. Voluptuoſum enim cum illis definire, nullam eſſe ab Eccleſia regulam credendi diuinitus inſtitutam, ſed omnia fidei momenta priuato ſpiritui, ſcripturas vel acceptanti, vel interpretanti, commiſſa: nullam eſſe votorum, ieiunij, vel caſtitatis obligationem; vnam fidem aſtatim ſalutis peccantibus adferre, virtutum opera valore penitus caſſa, nihil prodeſſe, carnis duram tractationem plane inutilem, nihil nefandi credenti in Chriſtum à Deo vt crimen imputari. quam ob cauſam pacis flores muniendi ſepimento philoſophiæ, ſapientiæ, & occupationis intellectualis viribus continendi, idque denſiſſime, ne aliquo erumpat voluptatis in pace ardor ad errores, ad hæreſes vel ignorantiam. *Cito enim,* inquit *S. Ambroſius fides inexercitata langueſcit, & crebris ocioſa tentatur incommodis. Pax ergo fidei, corruptela materia eſt.* in hunc finem non ſatis validæ leuiores ac ſuauiores literulæ poëſeos, Rhetoricæ, muſicæ quæ potius à partibus voluptatum, vtpote illicientes ſyrenes, conſiſtūt, ſed grauiores ac pallidiores adhibendæ, quæ mentem recondant in intimis rerum medullis ac principijs. quibus imbutus *Cicero*, vt ipſe loquitur, etiam ocioſus, ſuis prodeſſe ſtuduit.

8 Iuſtitiam porro recenſet *Ariſtoteles* in numero virtutum pacificarum: quæ ſicut & temperantia, rebus etiam bellicis conuenit, magis tamen inſtitutis pacificis. Tria pacem affectantur, quæ iuſtitiæ contraria: primum emolumenti proprietas ad priuatos vſus redacta: ſecundum, ex ipſo vſu voluptatum, irritatio acrior appetitus concupiſcibilis: poſtremum, rei voluptuariæ per luxū ac diſſolutionem abſumptio effuſior. quæ omnia demum homines reddunt ad inuidiam, ad iniuriam, atque exundantem appetentiam, incitatos. Quo ad primum, ægre ferre ſolent ciues, ſe naturæ beneficio alijs æquales, peculij diuerſitate adeo in immenſum inæquales, & inferiores reddi: vnde odia, æmulationes ac conſpirationes plerumque inter eos gliſcunt ac vigent. quod ad alterum, cum eo creſcat cupiditas potandi, quo plus hydropici potarint, tum neceſſe eſt, ardentia deſideria, quum multis irritati, idem multi appetant, oriri: dimicationes, ac riualitates quoque inter eos propagari. quantum ad poſtremum, cum voluptatibus addicti, extremum malorum reputent illis carere, quibus immodice iam aſſueuerunt, deficiente earum materia, conſequens omnino, futuras inimicitias

ac

Amb. in 3. ad. Ep. ad Coloſ.

Ariſt. 7 Pol. cap. 14.

M.

Ambroſ. in Pſal. 118.

Cic. Tuſc. II

ac contentiones in damnum iuſtitiæ & æquitatis. Quamobrem ne hæc mala accidant, pacis amœnitatem defloratura, magna iuſtitiæ vigilantia adhibenda, timore pœnæ coërcendi nimium exultantes ciuium ſenſus, & ab iniuria inferenda ſeuerius reprimendi eorum auſus: quandoquidem pax tot cauſas turbarum & iniuriarum copioſe pariat & ex ſe effundat. à matre teneriſſima hoc pacto oriuntur fœtus horridi.

9 Statui rerum bellicoſo neceſſaria fortitudo & patientia: ac in quodam gradu pariter iuſtitia, licet non eodem momento, quo ſtatui pacifico, vt *Ariſtoteles* recte eſt philoſophatus. Bello quidem furente, ea quæ moleſta ſunt, ſentibus frequenter accidunt: quando nimirum rerum abundantia, quando artes, quæ voluptati ancillantur, non adſunt, ſed horum potius contraria, nempe penuria, & illa victus ſimplicitas, quæ in rebus extenuatis, aut earum defectu, reperiri aſſolet, inueniuntur. opus eſt idcirco fortitudine, quæ in dura hæc tunc inſurgat: opus patientia, quæ infracto animo illata mala perferat, neque aliquando vtriuſuis occurſu à propoſito virtutis quis præ mollitie reſiliat. Enimuero qui fortitudine & patientia indurati non fuerint, ij inter arma ac tela, inter hoſtes & ignes cito deficient, & partes agent refugarum. Vt enim lignum mollius, vermem, ita vitæ luxus, timorem facillime ingenerat. Hinc apud *Lacedæmones*, quorum condicio martia, vel ipſæ recreationes ac ludi erant bellicoſi: vtpote lucta, curſu, venationibus conſtantes.

Sunt illis celereſque pilæ, iaculumque trochique,
Armaque, & in gyros ire coactus equus.

Ariſt pol. 7. cap 14. Nam vt ait *Ariſtoteles*, *Qui non poſſunt pericula fortiter ſubire, ſerui ſunt inuadentium.* Et quidem duplici nomine ſerui, primo, quod brutis affectionibus ſuis priuatim ſeruiant, deinde quod aliorum imperijs ſeruiri ſubiaceant. Iuſtitia eſt huic eidem inſtituto requiſita. Romani milites, vt conqueſtus *M. Aurelius*, ſtatim ac ſub vexillis mereri incipiebant, omnia ſibi licere arbitrabantur: quique ciuiles leges in foro vigentes iam defugerant, cuncta ſibi in prædam committi exiſtimabant. (Aur ep. ad Fauſtin.)

Tunc data libertas odijs, reſolutaque legum
Luc. lib. 2. *Effrænis ruit ira.*

Quamobrem ne militaris licentia debacchetur, iure quodam martio ſtrictius comprimenda.

10 Romani Principes, qui ciuilis pacis ſeruandæ momenta cum optime nouere, tum ſuis diſtricte præſcripſere, nominantur *Numa Pompilius, Auguſtus*, & *Conſtantinus Magnus*. *Numa* ad firmandam ciuilitatem, pacis tempore, magnam vim poſuit in relligione Deorum exercenda & ſtabilienda. (Flor. Num.) *Auguſtus*, qui in alta pace *Iani* templum clauſit, in eundem finem ſeueras edidit in vrbe contra vitia ac libidinem leges: & operoſis artibus ciues aſſuetos omnino voluit.

Ianum Quirini clauſit, & ordinem
Hor. l. 4 od. 15. l. 2 epiſt. ad Auguſt. *Rectum, & vaganti fræna licentiæ*
Iniecit, amouitque culpas,
Et veteres reuocauit artes.

Conſtantinus Magnus, Chriſtianæ relligionis ſedulam pietatem adhibuit, quæ, pace durante, in hominibus ferociam compeſceret, humanitatemque induceret.

11 Binas haſce ciuilium virtutum ſpecies *Homerus*, clypeū *Achyllis* à *Vulcano* fabrefactum deſcribens, ingenioſe luſit. Hom. Ili. 18 Finxit illo duarum ciuitatum formas inſculptas fuiſſe: quarum vna ſuperius collocata, omnia in ſe læta ac proſpera: ad ſimilitudinem ac idæam paradiſi delineati à *Moyſe*, vt putauit *Iuſtinus* martyr, complectebatur. Iuſtin orat. exh. ad Gent. altera vero inferius poſita, bellis ac tumultibus deformabatur, laboribus frangebatur, motibuſque concutiebatur. priori ſignificari voluit ſtatum rerum pacificum ac philoſophicum in quo liquidę voluptates natiuo curſu affluunt; poſteriori, iraſcibilem vnæ turbulentiam ac contentionem. Quiſnam autem horum ſtatuū vel ciuitatum, facilius proprijs ſuis virtutibus à legiſlatore inſtitui poterit, iam diſquirendum.

CAPVT III.

An inſtitutio ciuilis per virtutes pacificas, tempore pacis ſit facilior, vel difficilior, inſtitutione ciuili per virtutes bellicas tempore belli.

VT hanc controuerſiam elucidemus, duo videntur expendenda; primum, vniuſcuiuſque virtutis tam intellectualis quam moralis natura in ſe ſpectata: deinde alia extrinſeca, quæ pacis ac belli temporibus illis ſuperueniunt. contingere enim poterit, vt aliqua virtus ſua vi, firmius animæ inhæreat, quam altera, quæ nihilominus ob vim foras accidentiū imbecillior ſit: vtpote quæ à pluribus, aut vehementioribus contrariis expugnabilis. & idem cernere licet in acquiſitione huius virtutis, ſi cū alterius adeptione comparetur. primo loco de virtutibus intellectualibus ad vtrumque ſtatum promiſcue pertinentibus, deinde de moralibus agemus.

2 Quod ad virtutes intellectuales, ſicut ſapientia, & diuina fides inter eas præcipuæ, ita ante reliquas, quantum ad hoc, diſcutiendæ. Fides in vniuerſum ſumpta, veram ac falſam complexa, diſtingui poterit in eam, quæ ex ſolido aliquo fundamento credibilitatis ſuſcipitur, & alteram, quæ leui aliquo iudicio innixa, abſque omni graui pōdere externæ auctoritatis docentis, ab aliquibus ex libidine contradicēdi admittitur. *Qui cito credit, leuis corde.* Prioris or- Ecclesi. 19. dinis fides, pace vigente, nō eſt tā oportuna defectui, aut aduerſis errorum viribus, vt hæc ſecunda. nam cum ſit ea bene munita, & veluti armata *Pallas* ſuæ credibilitatis argumentis, ſuſtinere poterit immota omnem vel in maximo pacis ocio animi aciem in eam inquirentis. quinimò hæc ipſa fides ſuorum neruorum conſcia, optat potius pacis malaciam, in qua libere oculo plane perſpicaci & acri aſpiciatur: neque vana eſt antiquorum *Minerua*, quæ vt canit *Propertius*, ægre ferens aliorum oculos, Prop. l. 4. diras pœnas in ſui inſpectores aliquando exercuit. Eleg. 10. Proinde, quod bellorum ſtrepitus ac pericula

Domina, vti conuenienter inter pacis amænitates ſe ſuſtentet & credentium mores contra vitia maniſſime eo tempore defendat. ex quo argumentum petitur credibilitatis, vnde probetur verax, ac à Deo hominum mentibus infuſa.

5 Verum quidem eſt, vtriuſque ſortis fidem tempore pacis obuiam eſſe cladi & detrimentu: at non eadem plane ratione vtramque. quod autem ſæpius noſtra ſancta fides à pacis commodis damnum acceperit, hiſtoriarum monumenta, ac Patrum ſententiæ, manifeſtum faciunt. *S. Cyprianus*, *Diocletiani*, grauiſſimam perſequutionem ideo incidiſſe ait, vt Chriſtiana fides, quæ ante in pace obtorpuerat, quaſi

Ambroſ. in Pſa.m.118. rediuiua excitaretur. *Quam pulcre* inquit *S. Ambroſius, nolu perſequutionis tempora proceſſere?* Cæterum quantum ad hoc intercedit diſcrimen inter veram ac falſam fidem: quod vera, ſi diſciplinis excolatur, ſi voluptates brutæ ab anima depellantur, conſiſtere, adeoque florere pace obblandiente poterit, falſa nequaquam. diſcrepantiæ ratio, quod vera fides ad rigorem optimi iudicij credibilis, indeque quo acrius inſpecta, eo ſolidior ac venuſtior videtur: adulterina fides contra, neruis ac fundamentis carens, examen huiuſmodi ſuſtinere nequit: ſed ſeuerius paulo expenſa, ſtatim diſplicet, & ſua deformitate oculos intelligentium odioſe à ſe reuerberat.

6 Reliquæ virtutes intellectuales, vtpote ſcientia, ars, & prudentia, modo conferendæ, quoad difficultatem, ac periculum, cum duplici pacis ac belli condicione. Certum omnino, bellicoſa tempora eis ſcientijs inepta, quæ in contemplatione conſiſtunt. Olim exiſtima-

Hor. lib. 2. tum, *Liberum Patrem* Muſis præſidiſſe: quod nempe timore exacto, quieto ac tranquillo animo præſente, literis eſſet à ciuibus incumbendum.

Ouid lib. 1. Triſt. *Carmina proueniunt animo deducta ſereno.*

Prudentia uero, quemadmodum Intellectus, haud raro, inſtar palmæ, in aduerſa inſurgunt, ac difficultatum caſibus cum melius exercentur, tum augentur vberius. eſt enim in multis vexatio tanquam lapis Chelidonius, qui oculis admotus recens natarum hirundinum, lumen

Iſa. 28. eis impertiatur. *Quem docebit ſcientiam* inquit *Iſaias, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.* pacis lenocinia, lac & vbera animæ intelligentiæ infeſta, ſiue rationi, ſiue fidei auditus præbeatur: *Omnis enim*

Rom. 10. Hebr. 5. Iſa. 2. 26. inquit Apoſtolus, *qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim eſt. Imbecilles facti eſtis ad audiendum.* Recte idcirco *Iſaias*: *Tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui.* Interdum itaque luxuriantem ac ludibundum intellectum tempore tranquillitatis, Deus incuſſa calamitate ad ſcholam tanquam puerorum claſſem, reuocat, & ibi acerbitate ſpectaculi, oculum mentis purgando, illuminat. *Cum feceris* ait idem *Iſaias*, Deum adloquutus, *iudicia*

Gen 42. *tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.* Hinc fratres *Ioſeph* aduerſitate accepti, ſtatim perceperunt atrocitatem ſui criminis: *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum.* Liniuntur itaque oculi amaro felle tribulationis, vt *Tobiæ* cæci viſum recipiant. Cæterum de hac re nos plurima admonuit *Benedictus Pererius*, quibus proinde ſuperſedendum videatur. Per. in cap. 42 Geneſ. Chryſ. in Pſal 40. Sen. Hip.

Nec me fugit, quam durum & veri inſolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.

Inter haſce virtutes, illa, quæ dicitur Ars, magnam ſuſtinere ſolet diminutionem exiſtente bello: nam vt tunc voluptatum diuerſæ formæ intercidunt, ſic artes, quæ illis inſeruiunt, deſuetudine intereunt.

7 Virtutum autem moralium condiciones, tam in bello quam in pace ſpectabiles, ita ſingillatim deſcribit *Ariſtoteles*. *Fortitudine igitur &* Ariſt 7. Pol. cap. 15. *conſtantia opus eſt ad negotium, Philoſophia vero ad otium, temperantia autem & iuſtitia in vtroque tempore, ſed magis in pace & otio. Nam bellum quidem ipſum cogit homines eſſe iuſtos ac temperantes: fortuna autem proſpera fruitio. & otium cum pace petulantes magis facit. Multa igitur iuſtitia multaque temperantia indigent hi, qui in optimo ſtatu conſtituti videntur. & fruitione omnium rerum, quæ beatos facere putantur, veluti ſi qui ſunt, vt Poëtæ tradunt, in Beatorum inſulis. Maxime enim hi Philoſophia & temperantia, & iuſtitia indigent, quanto magis otioſi ſunt in abundantia talium bonorum.* Exiſtimat itaque *Ariſtoteles*, difficilius eſſe, pace rerum ſtatus tranquillante, vitam inſtituere ex virtutibus pacificis, nempe Philoſophia, iuſtitia, ac temperantia, quam ex fortitudine & patientia mores componere furente bello. Cuius rei ea cauſa, quod pacis tempore, voluptates, contra quas virtutes dimicent, ſint fortiores, quam durante bello. nam cum bellum eas potius exterminet, facit, vt opus non ſit adeo impeditum, illo manente, ciues eſſe iuſtos & temperantes. Tempore pacis voluptas rationis hoſtis: belli, timor, & dolor. iſtis vero robuſtior voluptas: proinde in hanc victoria difficilior & rarior. *Rara eſt* ait *S. Hieronymus victoria caſtitatis.* Verumtamen obſeruatum, mi- Hier. ep. ad Nepot. lites valde etiam propenſos eſſe in venerem, & inde caſtitatem, quæ pars temperantiæ, illis reddi cum raram, tum etiam difficilem: quod *Ariſtoteles* quoque agnouit. *Id* inquit *accidit om-* Ariſt. Pol. 2. ca. 7. Hom. Iliad. 1. *nibus militaribus bellicoſiſque gentibus, preterquam Celtis. Videtur autem qui primus fabulatus eſt, non irrationabiliter Venerem Marti coniunxiſſe.* vnde *Claudianus*:

——— Cytheræa maritum Clau. Epig. de magn.
Sponte rapit, cœlique thoros imitata priores
Pectora laſciuo flatu Mauortia nectit.

In eandem ſententiam quoque *Lucretius venerem* alloquutus:

——— Quoniam bellifera munera Mauors Lucr. lib. 1.
Armipotens regit, in gremium qui ſæpe tuum ſe
Reijcit, æterno deuinctus vulnere amoris.

Duo quippe vitã, ingeniũque militare aſſectantur, quæ in libidinẽ propenſa: totius nempe corporis ardor, fortitudini neceſſarius: & ociũ; ex quibus laſciuiæ flammæ plerumque erumpunt. Cæterum huic malo ſuccurritur etiam belli ipſius medijs: nẽpe corporum laboribus, mẽtis

vigilia in euentum belli acri, & diſceſſu à conſortio fæminarum: quibus cultis, parabilius bellum, quam pax, contra libidines communitur.

Cyp lib. de vnit. Eccleſ. Amb. in Pſalm. 1

Plus inquit S. *Cyprianus*, *metuendus & cauendus inimicus cum latenter obrepit, cum per pacis imagines fallens, occultis inceſſibus ſerpit.* Cito ait S. *Ambroſius*, *fides inexercitata langueſcit, & crebris ocioſa tentatur incommodis. Remiſſius in extubias callidus inſidiator ierumpit: aſſuetum autem bello virum externa inſtruunt, & glorioſa prouehit palma victoria. Pax ergo, fidei corruptelæ materia eſt. quam pulcre nobis perſequutionis proceſſere tempora! Intentum erat ad Deum intimo mentis affectu, illi adhærebat, nec vllas cogitationes obſtrepentes ſibi precantis animus ſentiebat: totis viſceribus fundebatur oratio, & quidam miſcebatur ſermo cum Domino: quotidiana meditatio habebat iam contemptum periculi, & vſum calcanda mortis acceperat. quod quia amiſimus exercitium, tentant otia, quos bella non fregerunt. nullus erat tempore perſequutionis adulator, qui callida mentem adulatione tentaret. non vacabat animo, corporis delectatione diſſolui, & huiuſmodi, quæ ſecundis rebus excitari ſolent, admittere paſſiones.* de quo pulcre etiam diſſeruit S. *Leo*.

Leo ſerm. 9 de quadra. Virg Æne. 9.185.

——— *An ſua cuique Deus fit dira Cupido?*

8 In hoc autem negocio magna ratio habenda indolis ciuium: ſunt enim alij alijs, etiam pacis tempore, ad pietatem, ad iuſtitiam atque temperantiam inclinatiores. etenim in aliqua familia, copiis rerum abundanti, videmus, facilius gubernari pueros quam adultos, mulieres, quam viros. qui enim animo ſimplici & hebeti, quorumque corpora, ſpongiarum iſtar, laxabiliora ac ſpirabiliora, ij in pacis ſerenitate non adeo erunt ad voluptates atque iniurias importuni, ac alij animis corporibuſque plus ignis retinentes. Hinc Græcis, Romanis, Afris, Aſianis ferme ſemper pax extitit funeſta, bellum vero ſalubre.

Iuuen. lib. 2. ſat. 6.

Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parua ſinebat
Tecta labor, ſomnique breues, & vellere Tuſco
Vexatæ, duraque manus, ac proximus vrbi
Hannibal, & ſtantes Collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: ſæuior armis
Luxuria incubuit.

Ob hanc cauſam prudentes ac in patriam pij, interdum bellum ſuis optarunt potius, quam pacem, intelligentes, hanc, omnium malorum lernam eſſe ac nutricem. in quam deſpectantes, *Lucani* cantus vſurparunt:

Luc. lib. 2.

O miſeræ ſortis, quod non in Punica nati
Tempora Cannarum fuimus, Trebiaque iuuentus
Non pacem petimus ſuperi: date Gentibus iras
Nunc vrbes excite feras, coniuret in arma
Mundus, Achæmeniis decurrant Medica, Suſis
Agmina: Maſſagetas Scythicus non alliget Iſter:
Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos,
Albis & indomitum Rheni caput: omnibus hoſtes
Reddite nos populis, ciuile auertite bellum.
Hinc Dacus premat, inde Getes: occurrat Iberis
Alter, ad Eoas hic vertat ſigna pharetras.
Nulla vacet tibi Roma manus.

Ceterum vero, cum ad altam pacem Romanam, voluptuariæ artes Græciæ, tanquam ſpolia acceſſiſſent, tunc virtute, ad retinendum, iura ſua facta debili, omne genus vitiorum, robuſtam illam gentem corruptum adduxere.

Ouid. lib. 3 Faſt.

Nondum tradiderat victas victoribus artes
Græcia, facundum, ſed male forte genus.

Quis non videt, mare Syrenis infeſtum, nauigationem reddere periculoſam, adeoque magis, quam ſi vadoſum, ſi cæcum eſſet, aut turbulentum? ita ſane ille princeps, qui inter frequentes pacis Syrenes verſatur, opus habet, vt ad exemplum *Vlyſſis*, ſocios ad arborem nauticam alliget, aures eorum obturet: hoc eſt animos ipſorum tunc optimis notionibus informet, ac virtutum diſciplinis rigide componat. Recte enim iudicauit *Ariſtoteles*, tempore belli fore facilius ciues fortes & patientes, quam pacis condicione iuſtos & temperantes.

Ariſt pol. 7. cap. 8.

9 Enimuero ſolius fidei Chriſtianæ & Catholicæ proprium robur, in pace & proſperitatis ſucceſſu, poſſe, imperium aliquod contra blandientia vitia bene munire, & ex præſcriptis virtutum illud recte diu adminiſtrare. quod tribus præcipue eadem fides præſtare ſolet; ſcilicet Scripturarum ſacrarum ad populum diſcuſſis ſententiis, Sacramentorum effectibus eiſdem impertitis, & Chriſti Domini Crucifixi meditationibus illis perſuaſis. nulla etenim ſecta in ſe talium rerũ vires contra peccata continuit, aut talibus etiam iucunditatibus, contra impura illectamenta vitiorum inualuit. Cum ergo ſtatus proſperitatis reipublicæ adſpirant, tum horum vſus frequentior & accuratior eſſe debet: ne cum muſcis melli immoriamur, & relictis caſtioribus nymphis, à ſyrenibus pelliciamur ad rupes, aut à ſatyris ducamur ad brutorum libidines.

10 Quod autem ſtatus belli aut aduerſitatis, quantum ad virtutes, quæ ſolæ, vera animi bona, ſit ciuibus ſecurior ſtatu pacis & proſperitatis, inde hominis condicionẽ valde mirabilem eſſe ſæpius mecum reputaui. Satis manifeſtum, ſtatum amœnitatis, longe poſitum à timoribus, à doloribus, propius accedere *Ad perfectum modum naturæ*, vt loquitur *Ariſtoteles*, & magis eo eſſe ſecundum naturam, quam ſtatum timoribus & doloribus obnoxium. Hoc primo conficitur ex ſtatu naturæ integræ in primis parentibus, qui in paradiſo voluptatis omni genere iucunditatis honeſtæ redundabat. deinde idem ſatis oſtenditur ex optimo ſtatu generis humani in cœleſti beatitudine: in quo ciues non dicunt cum terræ incola *Sapiente*: *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuii*: ſed in præſtantiſſimo, eoque ſecuriſſimo ſtatu collocati, inebriantur ab vbertate domus Dei, & ibi, non alibi, ſua figi tabernacula deſiderant. demum omnia animantia rationis expertia, adeoque Elementa, & ex eis mixta, tunc ad optimum ſtatum perueniſſe cenſentur, quando ad quandam pacem appulerint, quando ab acerbis & contrarijs longiſſime receſſerint, eiſque bonis potiuntur, quorum in eis natura appetens, & ex quibus voluptas ſeu complementum naturæ dimanat. Nihilominus hominis potior & ſecurior ſtatus reperitur

Ariſt. lib. 7. Eth. cap. 12.

Gen. 2.

Eccl. 7.

Pſalm 35. Matth. 17.

in

in agro qui ſpinis & tribulis vaſteſcit: in æ- Gen, 3 Iàc, rumnis, in tentationibus, aliſque acerborum 5 1.Pet,1, perpeſſionibus. Ego ex huius rei conſideratione duo elicienda iudicaui. Primo hinc colligi argumentum ad probandum, aliqua culpa fractã & violatam fuiſſe naturam generis humani, vi cuius, eiuſmodi ſtatus triſtior, quaſi quodã cõtra morbum pharmaco, modo homini eſſet ex iuſto Dei iudicio ſalubrior, ſecurior & expetibilior. natura autem, dubio procul, ex ſe ſola, hoc non decreuit, vt liquet. neque diuina prouidentia curſum naturæ in homine impediret, niſi aliqua eius culpa interueniſſet. Deinde putaui, hinc oſtendi animæ humanæ immortalitatem, & eiuſdem progreſſum ad aliquem locum, in quo tandem ſtatus pacis & proſperitatis eſſet ei melior & vtilior. Cum enim anima hoc non conſequitur in hac vita, ne naturæ fine prorſus deſtituatur, ſemper ad pacem & ex ea iucunditatem contendentis, illum tandem obtinebit in ciuitate cœleſti Hieruſalem, veluti periodo & termino ſuæ appetitionis.

11 Cæterum adhuc quæri poterit, quænam præcipua cauſa, ob quam in hac vita ſtatus tribulationis ſit homini ſecurior, quod ad virtutes, ſtatu pacis, quietis, & mundanæ fælicitatis. Hoc etenim non videtur prouenire à natura humana per ſe ſumpta. nam ſtatus ærumnæ, nullo modo eſſet homini commodus, niſi Deus illi vexato & tentato peculiarem ſuam gratiam ſuppeditaret, quo corroboratus, illius ſtatus tentationes ſuperaret. verum hinc preciſe ſtatus aduerſitatis haud erit ſecurior ſtatu proſperitatis, quandoquidem ſi placuerit Deo ſimili fauore ſuæ gratiæ *Congrua, & ſecundum propoſitum*, rebus iucundis arridere, eiuſmodi ſtatus proſperitatis poſſet reddi æque homini ſecurus aut ſecurior, ſtatu aduerſitatis. etenim tentatur iſte miſerijs paupertatis, tentatur itidem alius diuitiarum abundantia: quarum neuter ſine gratia ſpeciali in officio virtutis permanebit. ſi ergo quod ad gratiæ collationem, ſe Deus oſtendat tam fauorabilem tentato ex diuitiarũ copijs, vt ſe oſtendit tentato, ex paupertatis moleſtijs, ſtatus diuitis tam ſecurus fuerit quod ad virtutem, ac ſtatus pauperis. Hoc ipſum fuit, quod olim grauiter offendit animum *Pelagii*, qui hinc, æſtimata ab ipſo bonitate diuinæ prouidentiæ, quæſiuit, quamobrem Deus æqualiter ſuæ gratiæ collatione vtrique ſtatui non conſuluerit cum poſſet? Nemini dubium, potuiſſe Deum, ex intuitu meriti in Chriſto effeciſſe, vt quod ad virtutes, ſtatus proſperitatis eſſet nobis tam vtilis & ſecurus ac eſt ſtatus aduerſitatis: potuiſſe etiam non ſolum nobis remiſiſſe peccatum originale intuitu talium meritorum in Chriſto, ſed etiam pœnalitates abegiſſe à noſtro genere famis, frigoris, morbi, ac mortis, licet aliter ex ſua ſecreta iuſtitia conſtituerit. Poteſt ergo Deus ex iuſto ſuo iudicio, quantum ad dona ſuæ gratiæ in vindictam illicitæ voluptatis ex eſu pomi vetiti, diſcrimen ponere inter ſtatum proſperitatis & aduerſitatis: vnde iſte eſſet altero, quod ad virtutes, ſpectato dico vniuerſo numero prædeſtinatorum, ſecurior & expetibilior. cæterum ſi à me huius rei altiorem rationem Pelagianus aliquis curioſius petierit, exclamando cum *S. Paulo*, illi reſpondebo: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Rom,11, certe mihi viſus Chriſtus Dominus miram quandam antitheſin ſeu oppoſitionem inter lætioris fortunæ ſtatum, & virtutem, æternámque beatitudinem, iuxta cum hac ipſa virtute & beatitudine, tribulationis conuenientiam, iſtis, in ſua parabola de *Lazari* & Luc,16, diuite *Epulone*, verbis declaraſſe: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.* at de his hactenus.

CAPVT IV.

Quam forte, quam incitatum & inexpugnabile virtutis Imperium

DE imperio virtutis diſputaturis duplex eiuſmodi imperij genus expendendum occurrit. Primũ illud cenſeatur, quod obtinet virtus in ipſum operantem, quatenus nempe veluti leo illius pectus inſidens, ad dura, ad aſpera, ad ſummis difficultatibus implicata, maximis periculis vallata, interea loci appetitus ſeuitiui ingenio in aduerſum eum perurgente, perficienda aut perferenda eum extimulat, rapitque. Alterum vero cernere licet in admirabili eiuſdem virtutis poteſtate, qua ſupra omnes adamantum vires attractiuas, aliorum, tametſi in ferra obriguerint, amores ac fauores ſibi conciliat. vnde ſicut prioris reſpectu virtutis imperium dici poterit adamantinum, ita huius melleum, odoratiſſimumque. Hoc pacto virtus, quod in ſe complectitur, id ad alios diffundit: quodque deſiderat, ad ſe compellit. hinc ſpargit, ſeminat, ac eodem momento vberes fructus colligit dulciſſimorum prouentuum, quorum ſucceſſu, euacuata ſatiatur, prodiga opuleſcit, laborans quieſcit, afflicta deliciatur, in arena *Cyprum* inueniens, duplici hoc imperio inualeſcit, inclareſcit. horum imperiorum expreſſis notionibus imbutus *S. Ignatij* animus, in hoc votum erupit: *Melius eſt mihi emori propter Chriſtum, quam imperare finibus terræ.* Ignat. Epiſt, ad, Rom. Cuius delectus applauſit. *S. Hieronymus*: *Obſecro, quicumque hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris. Cui ſi Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ſuis, quam Regum purpuram cum pœnis ſuis.* Hier. in vita Paul.

2 Ac licet virtus quouis temporis ſtatu, in quo natura humana viguit, admirabiles vires in errorem, in voluptatem, in aduerſitatem exeruit, nihilominus tẽpore legis Moyſaicæ, collato Gal,4. cũ plenitudine temporis, in qua refulſit Euangeliũ, videbimus huius comparatione, virtutẽ tunc veluti infantem extitiſſe, modo vero, è cœlo hauſto rore, non ſolum in gemmam, verum etiã in gigantem excreuiſſe. verumtamen mira ſane fuere, quæ tunc etiam virtus perfecit, ex quibus duplici ſuo imperio reſplenduit.

Hæc *Abrahamum* exilij amatorem, proprii & v-
Gen. 12, 22. nici filij immolatorē exhibuit. Eadem, *Moyſen*
compulit ad deſpectum æſtimatæ nobilitatis in
Heb 1. aula *Pharaonis* Regis Ægypti: ac præſtitit, vt in-
genue fateretur ſe ab Hebræis oriundum:
quod Ægyptijs enim uero deſpicabile. Hæc ipſa
Hier. 17. 2. *Hieremiam* ad nuditatem, ad catenam adegit.
Reg 4. hæc Prophetas ad cilicia ad martyria, Rheca-
bitas ad loca deſerta detulit. cæterum vt appe-
tente vere, ſolis beneficio vires & ſuccum ma-
iores excipiunt plantæ, ita aduentante Chriſto
Domino in orbem, virtutum nempe Principe,
virtus inter homines validior eſſe cœpit, & ve-
luti in quamdam ſanctam vim ſalutaris tyran-
nidis deuenit. Imprimis hoc imperium illuſtre
ſane, apparuit in perſona Chriſti Domini.
Gen 32. quod cum in eo velut in altero *Iacobo*, in Deum
inualuit, dum cum eius iuſtitia luctaret, haud
mirum, ſi poſtea genus humanum debellauit.
Idem deinde imperium ingens ſane in Apoſto-
lis apparuit, in quibus illius arma, vniuerſa car-
nalia decora deuaſtauit, & veluti mundi pe-
1. Cor. 4. ripſemata, quicquid in mundo magnum, con-
culcauit.

3 Vt autem magnitudinem alicuius imperii
animis metiamur, eſt quod difficultatem impe-
rio obluctantem conſideremus: facilius enim
eſt ouibus, quam leonibus imperare. Hæc au-
tem difficultas ſeu arduitas in imperio virtutis
ex duobus ſpectanda: primo ex impedimen-
to nato ex obiecto virtutis: deinde ex reniten-
tia, quæ oritur à praua diſpoſitione ſubiecti,
quod virtuti incumbit. In quem finem tria
Ariſt. lib. 1. recenſet *Ariſtoteles*, quæ inter ſe de orbis impe-
ad Eud. c. 2 rio confligunt: Philoſophiam ſcilicet, virtu-
tem, & voluptatem, ex quorum vario in homi-
nibus cultu, propagari dicit, tres ſpecies vitæ
humanæ; Philoſophicam, ciuilem, & Epicu-
ræam. Cæterum ſi velimus Philoſophicum
& Epicuræum contendere cum ciuili, ſeu ho-
neſto ex virtute, inueniemus in imperiis Phi-
loſophiæ & voluptatis non imbecillem difficul-
tatem, ſiue ex parte obiecti ſiue ex parte ſubie-
cti, quæ in imperio virtutis ſpectabilis. ſi enim
nobis ſtudium, cognitionem Philoſophicam &
voluptatem in ſeipſis expendere, ſiue relatas ad
diſpoſitionem agentis hominis, percipiemus,
humanam indolem, quaſi paſſis velis, vtriſque
applaudere, & ex earum guſtu actionis curſum
continuo filo procliuis operæ inſtituere. quis
ſcire non geſtit plurimum? & quis tam arido
ingenio, qui interdum in oblatam voluptatem
incitatius non efferuet? At virtus, qualis in S.
Hier. ep. 22. *Paulo & S. Antonio* Eremitis: in *Hieronymo* in ere-
mo in pellem Æthiopicam arenæ, oſſa vna cu-
1. Cor 4. te contecta ad terram collidente, in Apoſtolis,
pro mundi ad Deum conuerſione, omnia du-
ra patientibus, tam ex parte obiecti quam ſub-
iecti fortiores hoſtes profligauit, quam Epicu-
riſmus, quam ardor ſcientiæ in Philoſophis,
in academiarum vmbraculis, in receſſuum pe-
netralibus, ad veritatis cognitionem conten-
dens.

4 Quod ſi à condicione ſubiecti operantis
ad ipſamet obiecta perluſtranda tranſire veli-
mus, nobis conſtabit, maiora, impeditiora, ter-
ribiliora, pertinaciora agreſſa & ſuperata à vir-
tutis imperio, quam quæ Philoſophia aut vo-
luptas vnquam tentarunt. Apperitiones Philo-
ſophicæ & voluptuariæ ferme diutius minime
obſiſtunt difficultatibus, quam caleat ſanguis,
quam ſpiritus inſurgunt magis ignei, quam iu-
cundus fortunæ aſpectus ſuo ſpirante fauonio
arriſerit, quam nihil aliud, vt ſcribit *Seneca*, Sen. Ep 118,
quod quis agat, occurrerit. Hinc Romę adeó- ad Lucil.
que in ipſa Græcia, cum præmia deficerent,
cum lautus in eorum parnaſſis palleſceret, illi-
co Philoſophia & Eloquentia e publico di-
lapſæ, priuatim marceſſere inceperunt. Iuuen. lib. 2.
——— *Neque enim cantare ſub antro* Sat 7.
Pierio, thyrſumque poteſt contingere ſana
Paupertas, atque æris inops, quo nocte, dieque
Corpus eget.
Cum porro deſperarent Philoſophi, ſe ad cul-
men excellentiæ ſeu apicis literarij peruentu-
ros, ad ſtudia profeſſa refrixere. alii ſe ad ipſū
viuum veritatis attingere non potuiſſe iudican-
tes, inutilia, caſſaque commentaria abiecerunt.
ſimiliter haud pauci nullo prorſus vſui in mu-
nere ciuili defungendo, futuras altas ſuas ſpe-
culationes præuidentes, tali cogitatione reper-
cuſſi, amplius chartis aridioribus impalleſcere
deſtitere. Pariter in voluptatem rabidi, ſæpius,
adeoque facili opere, à dolore & dedecore re-
pelluntur: proniores enim homines ad vitan-
da incommoda, quam ad acquirendas iucun-
ditates; quod etiam in canibus, aliiſque beſtijs
vſu venire animaduertimus, qui ab eſcis aut
venere illico refugiunt, poſtquam nocumen-
tum inſtare perceperint. ac inter ipſos homi-
nes, pauciſſimi ita ad libidines ſolute proruunt,
vt infamia ac paupertate ſeſe obiectantibus,
non ſe recipiant illico ab illecebris. imo ipſa-
met voluptas identidem guſtata, eſt veluti in
melle apis cum aculeo, ſin ſenſum guſtanti adi-
mens, conſcientiam autem vulnerans, & qua-
dam nauſea delicatantem adfligens: vt ab eius
vſu mirentur paſſim homines, vndenam ali-
quando fuerint in eius ſubdolum complexum
adeo præcipites. At ſtudia, incitationeſque vir-
tutum tunc vel maxime exarſere, quando in
hac vita nulla emolumenta, nulla præmia ef-
fulſere: quando temporis diuturnitas earum
contentiones veluti ſeneſcentes, & à ſenectute Pſalm 102.
nouis pennis, inſtar aquilarum, renouatas, pro-
traxit, quando aduerſa in earum auctores ir-
ruere. Hoc vero apertius ſe oſtendet, poſtquam
ab imperio fidei exorſi, de reliquarum virtu-
tum imperijs aliqua intulerimus.

5 Magnitudo in imperio fidei ſpectanda tam
ex abſtruſa conditione obiecti in fidē admit-
tendi, quam ex qualitate hominis credentis:
hæc enim ex altera ſequitur; quandoquidem
ęgre humanus intellectus, eis aſſentitur, quæ eius
captum excedunt, aut eius conceptui contraue-
niunt: nam enim in homine intellectus naturæ
veluti apex, ita illibenter ſe dimittit veritatis
obſcuræ naturæ, aut reuelantis auctoritati.
Quocirca illuſtre extitit fidei imperium in
Abrahamo, in ſpem contra ſpem, vt ait Apo- Rom. 4.
ſtolus, credente: quoad Deum aliter is obe-
diendo nequiuit accedere, niſi eodem à ſeipſo
rece-

receederet. Credidit diuinitus edoctus *Iſachum* filium, immunrtabilium in orbe Chriſtianorum fure parentem, nihilhominus ab ipſomet occidendum putauit. Hunc, ex imperio eiuſdem fidei in nobis imitamur, credentes, Deum quod ad eſſentiam vnum, quod ad perſunas trinum; eundem Deum, vniuerſum hunc mundum ex nihilo condidiſſe: quod teſte *Cicerone*, nullus vnquam Phyſicus conceſſit: credentes Filium Dei, hominem eſſe vnione perſonali in ipſo humanæ naturæ: credentes eundem Dei filium nobis in conuiuium dediſſe vere & realiter ſuam carnem & ſanguinē: credentes hæc ipſa noſtra corpora in pulueres licet reſoluta, quandoque reſurrectione fore reparanda. verum quidem eſt hoc in nobis fidei imperiū ex duobus facilitari: nēpe ex euideoti myſteriorū credibilitate, de qua paſſim agit S. *Auguſtinus* contra Manichæos, ſimul ac ex ſuaui quodam guſtu amoris diuini, & reliquarum virtutum, quo nos affici experimur, dum myſteriis fidei Chriſtianæ aſſentimur. verumtamen ex quibuſcumque demum argumentis orta ſit fidei credibilitas, ea nō eſt plane mathematice euidēs: ſic enim omnes, qui ſana mente, impelleret ad credendum; ſolū proinde euidens eſt moraliter, & eo idonea, quæ pium affectum moueat ad credendū. ob quā cauſam, etiā ſuppoſita hac noſtræ fidei credibilitate, affirmat S. *Paulus*, officium eſſe fidei, capeiuare intellectum in obſequium Chriſti: quod efficimus, dum credimus ex fidei imperio & eo reluctaotem animi vim deprimimus. Vnde pronuntiauit S. *Bernardus*, ſe in tribus quaſi rerum quandam repugnanriam demirari: ſcilicet cum vno Deo tres perſonas cohærere, in vna fæmina, maternitatē & virginitatem reperiri, in vno homine cum corde humano diuinam fidem conſiſtere. Eſt enim in nobis intellectus, quæ ſedes fidei, facultas valde delicata, & ad modum criſtæ in equo, quaſi ſuperbula. Hine eadem fides ex impeno decernens, occurrentem Philoſophiam aut admittit tanquam ancillam in ſuam ſcholam, aot penitus renitentem frangit, conterit, diſſipatque. Cum enim ea Philoſophia quæ fidei placitis penitus aduerſatur, tametſi Philoſophorum auctoritate, & temporis diuturnitate commendata, nihilominos, vt ait Apoſtolus, ſit *Falſi nominis ſcientia*, propterea non veretur fides nouam Philoſophiam condere: multa enim hodierna die in noſtris ſcholis ſtatuontur de *Quantitate*, de *Situ*, de *Modis ſe habendi*. de *Creatione*, de *Conſeruatione*, de *Actione* & *Paſſione*, à *Platone* vel *Ariſtotele*, quantum ego iudicare potero, ignorata. Quid ſi eidem fidei ſe opponat perſequutoris gladius, adeo efficax ſe prodit fidei in nobis imperium, vti quod ait *S. Baſilius*, citius perferre nos faciat omnia tormenta, adeoque & ipſam mortem, quam velimus vel *vnam Syllabam* diuinorum inficiari. Videamus iam qualia ſint aliarum virtutum, ad agendum directarum, imperia. & quod omnia vitia vna voluptate in virtutem depugnent, idcirco imperiuoi virtutis tam in generali, quam in particulari cum imperio voluptatis conferemus.

Auguſt. lib. De vtil. de Doc. Chriſtian cont. Epiſt Fundam.

2. Cor. 10.

Bern. ſerm. de Aduent. & de pentecoſt.

2. Tim. 6.

Baſil. apud Theodoret. lib. 4 Hiſt. cap. 17.

6 Et quidem licet voluptas, quæ de imperio humanæ vitæ cum virtute contendit, magnam vim obtineat, nihilominus ea cōſtātia actionis aut temporis ſimili ſpacio non imperat, quibus virtus. Conatus enim voluptuarii ferme ſemper nū niſi ſubitanei ac momētanei: qui ad mutationē lubricæ apprehenſionis, tēperiei corporeæ, nunc extenuantur, nunc intercidunt, vt aduertit *Ariſtoteles*. quod quidem non cernitur in virtutis imperio. ex quo elicit idem *Ariſtoteles*, præſtantiſſimum eſſe in homine munus contemplationis. *Contemplari* loquit *magis continue, quam agere quoduis poſſumus*. Porro virtus dum aggreditur expugnare hominis pectus, in fortiorem inuadit hoſtem, quam ille hoſtis eſt, cui voluptas vim inteotat. ſicut enim quid maius, agoniſtam ſtreouum ſuæ natiuæ agilitati & viribus relictum, ad terram deijcere, quam onuſtum, quam inedia & fame debilitatum, ita eadem proportione, virtutis imperium fortius impetio voluptatis. Hoc enim inſilit in huminem quaſi altera ſui parte debilitatum, & onere grauatum: ſcilicet concupiſcentia emollitum, & languidum. Verum imperium virtutis inſurgit in alium ſtatum hominis, ſcilicet quatenos Dei ſimilitudine, & ratione inſigoitum, quatenus ſuperiori ſui parte dominantem, Deo & Angelis vicinum. fortius ergo & illuſtrius imperium virtutis imperio voluptatis. De quo Propheta *Iſaias* vaticinans, dicit, quod ab hoc imperio debellandos daturus ſit Deus Chriſto Domino *Quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius*. Nec eſt quod voluptatis imperiū auguſtius de ſe ſentiat, quod dulcedine, quod riſu, quod roſis ad victorii adſpirat: nō enim caret virtutis imperiū ſuis quoq; delicijs, ſua facilitate, ſua pace, quibus etiā præiter imperio voluptatis: *Quia induit me veſtimentu ſalutu; & indumento iuſtitia circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. ſicut enim terra profert germen ſuum & ſicut hortus ſemen ſuum germinat, ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam & laudem coram vniuerſis gentibus*. En ſponſi gloriam, en ſponſæ pulcritudinem, en terram ſine ſtrepitu floribus, & frugibus tanquam fœtu ornatam, en hortum peculiari ſpecie pulcrum: en terram communioris vitæ theatrum, en hortum religioſorum roſetum. Habet quidem hoc virtutis imperium gemmas, quas intelligentiæ oculo proponat: habet itidem bellaria, quæ libero arbitrio, Dei gratia confirmato, exhibeat. non enim ſua amœnitate ea parte hominem adoritur, qoa tener, qua flaccidus, ſed qua fortis, qua purus & diuinus. quemadmodum enim nullum eſt ſpecimen roboris, gladio debellare hoſtem, paruulum in gremio complectentem, ita robur voluptatis, quandoquidem animam, geſtantem appetitum ſenſitiuum, quem *Ariſtoteles*, appoſite puero, nunquam ætatem puerilem depoſituro, comparat, ſuis armis appetat, non eam prodit fortitudinem quam virtus, quæ dum *Abrahamum* induxit ad immolandum proprium filium, quæ *Ioſephum* ad fugam à meretrice parauit, de ſummo in homine, nempe de mente, &

Ariſt. l. 9. Ethic. ca. 8.

Iſai. 40.

Iſai. 61.

Ariſt. 1. Ethic ca. 5.

Gen. 22.

Gen. 39.

libero arbitrio debellatis,triumphauit.

7 Verum licet in omni virtute ſit imperium grande & conſpicuum, in virtute tamen forti-tudinis,illi proprium imperium admirabilius. Cum enim hæc virtus,quæ etiam ſpem in Deum complectitur, verſetur circa acerba, difficilia, ſimul ac terribilia, non eam ex ſe in animam fortiter agentis natura ſua exprimit dulcedinem, quam reliquæ virtutes, dum in oppoſita vitia pugnant, ex ſe emittunt.

Ariſt. l. 3. Ethic. c. 6. 7.

Cuius rei exemplum dat *Ariſtoteles* certantium in olympo. vbi athletæ ſi quam fortiter agentes dulcedinem capiunt, eam procurant ſolum timore futuri euentus caſtigatam. cuius rei experimentum in ſe ſenſit illuſtris quidam Chriſti Martyr in Anglia, Sacerdos, ac mihi familiariter notus, *Edmundus Duca*. Hic ad mortem & carnificinam damnatus, vbi ad locum ſupplicij peruenit, quod eſſet ab ingenio timidus, animaduertit ad adſpectum inſtrumentorum, ad diram lanienam perficiendam, ibidem præparatorum, ſibi artus tremuiſſe ex concepto pauore. quod cum in ſe deprehendiſſet, fortitudinis nihilominus imperio vtcumque animatus, ſeipſum iſtis adloquutus: *Quid? caro tremis? Moriere.* Quale ergo fuit iſtius generis imperium in tot millibus Chriſtianorum pro veritate fidei Chriſtianæ martyrio occumbentium: præſertim in fæminis, puellis, ac pueris, ad omnem ſtrepitum, vt fieri ſolet ab ingenio timentibus? Nunquid à voluptatis imperio huiuſmodi dira in genus humanum manarunt? Ex hoc ipſo imperio, Chriſtianæ fidei cultores non ſolum martyria generoſe pertulere, quinimo omnes occaſiones accurate quæſiuere, vnde martyres interirent, vt *Iuſtinus Martyr* & *Tertullianus* referunt. Cuius imperij illuſtre trophæum S. *Ignatius*, qui hoc vouit: *Omnia tormenta diaboli in me veniant, dummodo Chriſto fruar.*

Iuſtin. in Apol. Tert. ad Scap., Ignat. Epiſt. ad Rom.

8 Porro in ſtudio virginitatis ſeruandæ: quod virginitas quandam formam ac vim fortitudinis in ſe contineat, virtutis ſingulare imperium ſe extulit & oſtendit. ſi enim corpoream in nobis molem, libidinum caloribus æſtuantem intueamur, eam comperiemus totam auerſam à niuibus, à candoribus virginitatis. quamobrem dum imperium virtutis eius nitores in anima iuxta ac corpore ſeruat, quodam genere Martyrij ebur antiquum ſanguineis veluti maculis violatur.

Ambr. l. 2. De virgin.

ac quando de virginitate loquor, pariter loquor de omni eiuſdem ſeuerioris diſciplinæ apparatu, quo tanquam conſertis ſpinis puritatis hoc lilium munitur, iuxta ac quo roſea charitatis adſcita flagrantia, *Ebur confunditur oſtro.* cæterum vero iſtius imperij virginei robur melius intelligemus, ſi naturæ impetum in libidinem cogitatione noſtra diſcuſſerimus. Ita eſt à natura comparatum, vt ea, quæ in ſe rationes finium habent, ad quos alia tanquam media referuntur, acerrima ſint ad irritandum appetitum: in fine enim veluti in centro vires attractiuæ vegetiores comprehenduntur. verum ſi appetitum generandi in animali conferre velimus cum eiuſdem aliis facultatibus, facile videbimus, illum harum reſpectu notionem finis continere. etenim in animali nutritio, augmentatio, inſeruiunt & vires ſuppeditant potentiæ generatiuæ: oculorum quoque adſpectus & auditus eodem, quod ad multa, tendunt. vnde conſequens, appetitum generandi in eodem animali eſſe feruentiſſimum. illud ergo genus imperij, quod hunc appetitum refrænat, quod comprimit, ſua excellentia dubio procul maximum, iuxta ac plane diuinum.

9 Diuina ſapientia *Iobum* adloquuta, certis figuris, ſeu emblematibus, ſub perſona *Behemoth*, vim in nobis ad concupiſcendum ſenſuum delectabilia, iſtis deſcripſit. *Stringit caudam ſuam quaſi cedrum, nerui teſticulorum eius perplexi ſunt, oſſa eius velut fiſtulæ æris. Cartilago illius quaſi laminæ ferreæ. Reputabit quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir ſagittarius: in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ. Qui ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam. ſub ipſo erunt radij ſolis, & ſternet ſibi aurum quaſi lutum. Feruеſcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cum vnguenta bulliunt.* Quanta hic vis cedri, æris, ferri, maris inſtar ollæ vnguentariæ bullientis! ab iſtis neque ſuperius radii cœli, neque inferius aurum terræ in tuto collocantur. fraudes arcuum, vires malleorum in *Martiis*, potentias Regum, Sanctorum interdum decora, iſte *Behemoth* expugnauit. quam ergo forte virtutis imperium, quod eiuſmodi cedros comminuit, ferrum & æs contriuit, ebullientis rubri maris, nempe humani ſanguinis, æſtus extinxit! In hoc imperio ſpectabiles illi heroes virtutum, qui a tergo relictis patria, diuitiis, honoribus, vitæ iucunditatibus, ad paupertatem, ad obedientiam, ad caſtitatem, ad profectiones in feras nationes conuolarunt: qui tanquam radii ſolis, & aurum, virtuti ſubiacuere proſtrati. Quondam Ægyptus luxu & iratis moribus infamis: at ſubinde imperio virtutis illam obtinente, teſte S. *Chryſoſtomo*, tanquam paradiſus efflotuit. in qua fortius dominata virtus, quam in Cypro *Venus*, quam in Sicilia *Proſerpina*, quam in Italia *Mars*, quam in Colchide *Medea*, quam in Scythia *Diana*, quam in mari Syrenes, quam in hortis Heſperidum, aurea poma.

Iob. 15.

Iob 12.

Chryſoſt. hom. 8. in Math.

10 An non ad miraculum vſque in *Carolomannum* Imperatorem validum hoc imperium, quod ipſum ab auguſtiſſimo ſuo imperio auulſit, in monaſterii ſepta, imo & in culinam monaſterii abdidit? an non in S. *Ludouicum*, Galliæ Regem, hoc idem imperium potentiſſimum, à quo tantus Rex ſubactus in miniſterium ſeruiendi ægrotis in xenodochiis, idque præſtandi genibus flexis? an non hoc ipſum imperium plane triumphauit in S. *Odouardum*, Angliæ Regem, dum eo humilitatis & charitatis eum redegit, vt ſponte pauperem Hibernum, toto corpore lepra affectum, in regios humeros attolli voluit, eum ſanitatis recuperandæ cauſa, à ſua regia ad Eccleſiam *S. Petri* deportaturus? Illuſtres plane in hoc genere noſtri Angliæ Reges fuere: qui vt verbis vtar Sanctiſſimi Domini Papæ *Gregorij* Decimi Quinti, in aureis ſuis ſuauiſſimæ charitatis literis quas *Carolo* valliæ Principi dedit, *Exteris Natio-*

Eginhar. in vita Carolomann.

Allured in vit. S. Odouar.

nibus

nibus ac conſequentibus ætatibus præbentes Chriſtianæ pietatis exempla, crucem ſceptro, & Religionis diſciplinam dominationis cupiditati prætulerunt. Hic cum reliquis ſiſto à virtutis imperio *Theodoſium* Seniorem deuictum, in miſericordiam, in lacrymas eliquatum. Hic magnus Imperator, Antiochenſium cædes apud ſe ſtatuerat, ob iniurias ſatis graues ſibi ac ſuis ab illis illatas. quomodo vero imperio virtutis mandante, mutationem ſubiuit, verbis *Zoſomeni* referam.

Zoſo. l. 7. Hiſt. c. 27.

Flauianus Antiochenſium Epiſcopus, pro ciuibus ſuis intercedens, offenſo etiamnum Imperatore, perſuaſit adoleſcentibus, qui ad menſam Imperatoriam canere ſolebant, vt eas pronunciarent Cantilenas, quæ in Antiochenſium ſupplicationibus erant. quo facto, ferunt, Imperatorem humanitatis adfectu perfuſum, & miſericordia victum, confeſtim iram poſuiſſe, & vrbi reconſiliatum, lachrymis irrigaſſe phialam, quam tum forte manu tenebat. ac fuiſſent ſane cædes ingentes conſequuta, niſi iram ſuam Imperator, ſacræ Supplicationum reuerentia motus, remiſiſſet. Hunc imperio virtutis, quale Syrenes inſeruiunt, quam efficaces earum cantilenæ ad perſuadendum, ad remittendum, ad vincendum! Hunc etiam voco *Mauricium* Imperatorem, ferreum alioqui hominem, à virtutis eodem imperio ſuperatum, teſte S. *Gregorio*, iſte magnus Princeps, cum ex ira, in quam procliuis, pœnas grauiores ſontibus infligendas deſtinaſſet, ſimulque animaduertiſſet, ſe æſtu quodam indignationis commotum id ſtatuere, ex ritu Chriſtiano ſe crucis ſalutaris ſigno manu expreſſo, ſolebat Dei auxilium inuocare. quo peracto, vt dicit S. *Gregorius*, arboris balſamo quaſi delinitus, omnem rabiem furoris deponebat. quam forte hoc imperium virtutis, cui crux, morientis in ea leonis de Tribu *Iuda* robore confirmata, vires ſuppeditat!

Greg. l. 3. in Iob c. 3.

11 Ad ſtuporem quoque proponuntur hic Religioſæ virgines, quæ expreſſis effectibus virtutis imperium conteſtantur. Hæ quidem in hoc imperio tanquam niuoſa in Libano iuga, tanquam alba marmora in tecto templi Hyeroſolomitani, non ſolum virginitatis decore, ſed etiam diſciplinæ rigore oſtendunt, quam ſit imperium virtutis pluſquam Herculeum. in hunc finem, eis præcipiente hoc imperio, rudia & vilia pallia, trabeatis aut purpureis veſtibus prætulere: velamen, de quo *Tertullianus*, S. *Hieronimus* & S. *Ambroſius*, arripuere pro capitis tegmine, interim contemnentes vittas veſtales, aut flammeum nuptiale. quod quidem eo in fæminis mirabilius, quo ab ingenio φιλόκοσμον, in ornatum nempe, & venuſtates inclinatiſſimæ. *Nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoraliſ ſui?* noſtræ autem virgines, iubente imperio virtutis, horum oblitæ, adeoque domum paternarum. in quo genere hoc imperium mirum in modum præualuit in Anglia in S. *Ebbam* Abatiſſam, & eius Moniales. hæ enim ferro ſibi nares amputarunt, oraque cruore fœdarunt, quo minus ab irruentibus in monaſterium barbaris graſſatoribus, illata ſtupra paterentur! Hi omnes ſic ad mandatum iſtius imperij, habitu deformati, vt verbis; vtar S. *Paulini*, Monachi, ſunt *Ornatu pudicitiæ inornati, & decenter inculti ſunt, & honorabiliter deſpicabiles, cum ingenitam quoque ſpeciem corporis pro interiori cultu aſpernantes, etiam ſtudio deſeruantur, vt fiant prudenter inhoneſti vultibus, dum perficiantur ſalutariter honeſti mentibus.*

Tertul. l. de veland. virg. Hier. ad Euſtoch. Amb. l. 2. De virg.

Hier. 2.

Pſal 40.

Paulin. ep. ad Seue. 7 Hiero. in Sophon.

12 Huic imperio, curſum ſuum inſtituenti, obuia facta petulãtia ingenia, iuxta ac ſumma, ſubitanea quadam in illa ab hoc imperio facta impreſſione, veluti ſi ingens fornax, guttulas paucas aquæ in ſe admiſiſſet, tota in illius ditionem conceſſere. Mimi in publicis Theatris Sacroſanctam noſtram fidem ludibriis. defamantes, virtutis imperio ſceptrum exercente, facti derepente Chriſtiani, adeoque ſuo ſanguine martyres purpurati. Ipſimet carnifices, ferales ictus in Chriſti Martyres expedientes, eia legem imponente eodem virtutis imperio, illammet fidem ore & cruore ſuo poſtmodum profeſſi. quam paulo ante ſuis gladiis impetebant. Magnum illud in S. *Auguſtino* voluptuarium & ingenioſum robur, huius quoque imperii lacertos perſenſit; dandoque manus, illud ipſum ingenue faſſus. *O quam ſuaue mihi ſubito factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam amittere gaudium erat: eiiciebas enim eas à me tu vera & ſumma ſuauitas. & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore ſublimior.* Iſtius deuaſtationis Spiritualis aliud exemplum refert idemmet S. *Auguſtinus*, illi relatum ab amico *Potitiano*, Chriſtiano. dicebatur illi, Aliquot ex aulicis Imperatoris, tunc agentis in Gallia, recreationis ergo iuiſſe per campos ſpatiatum. contigit vero duos ex illis à ſociis digreſſos, incidiſſe in quamdam caſam, in qua Eremitæ agebant. in qua, dum curioſe aliqua perluſtrarent, inuenere librum, referentem vitam, & mores S. *Antonii* Eremitæ, ac quo modo à mundi rebus abreptus, contemplationi ac virtutibus tantum in ſolitudine incubuiſſet. quorum vnus illius libri argumento informatus ait alteri: *Dic quaſo te. omnibus iſtis laboribus noſtris quo ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei cauſa militamus? maiorne poterit eſſe ſpes noſtra in Palatio, quam vt amici Imperatoris ſimus? & ibi quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quamdiu iſtud erit? Amicus autem Dei ſi voluero, ecce nunc fio. dixit hoc & turbidus parturitione nouæ vitæ reddit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. namque dum legit & voluit fluctus cordis ſui, infremuit aliquando & diſcreuit, decreuitque meliora. Iam iamque tuus, ait amico: Ego iam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſeruire ſtatui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli aduerſari. Reſpondit ille, adhærere ſe ſocio tantæ mercedis tantæque militiæ: & ambo iam tui ædificabant turrim ſumptu idoneo relinquendi omnia & ſequendi te. Tum Potitianus, & qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quærentes eos, deuenerunt in eundem locum, & inuenientes admonuerunt vt redirent, quoniam declinaſſet dies. At illi narrato placito & propoſito ſuo, quo quo modo in eis talis voluntas orta eſſet, atque firmata, petiuerunt ne ſibi mole-*

Augu lib. 9. Confeſſ. c. 1

Auguſt. l. 8. Confeſſ. c. 6

moleſti eſſent ſi adiungi recuſarent. Illi autem nihilo mutati priſtinis, fleuerunt ſe tamen vt dicebant, atque illis pie gratulati ſunt, & commendauerunt ſe orationibus eorum, & trahentes cor in terra, abierunt in Palatium; illi autem affigentes cor cælo, manſerunt in cella. Et ambo habebant ſponſas, quæ poſtquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipſa virginitatem ibi. hæc ſunt nobilia ſacrificia, quibus hoc virtutis imperium Deum colit: hæ victimæ in
Act. 10. linteo Eccleſiæ, quas occidit & commedit idem imperium.

13 Ad hoc ipſum imperium amplificandum ſpectat admirabilis vis ad ea nobilitandum, quæ ad virtutem quomodolibet referuntur. hoc pacto magni Principes non ſolum in ſuis perſonis auguſta quadam ſpecie venerandi, verum in ſuis conſiliarijs, in ſuis Iudicibus, in Ducibus ſuis, in ſuis aſſeclis, honoris cauſas inesse faciunt. hos autem quantum ad hoc excedit imperium virtutis, quod non hominibus ſolum, verum etiam rebus abiectis, vtpote vulneribus, morticinis, carceribus, conpedibuſque ſingulare quoddam decus contulit. Ecquis Principum hoc præſtare poterit? ob hanc cauſam rudes & aſperi habitus Religioſorum:
Paul. Epiſt. 7 ad Seuer. quo, vt inquit S. *Paulinus, Decenter inculti, prudenter inhoneſti*, apud nos in honore, & oſculis.
Athan. in vit. Paul. olim tunica S. *Pauli* Eremitæ magno in pretio fuit apud animum S. *Antonij*: ſimiliter S. *Antonij* tritum pallium, S. *Athanaſio*, honorariæ memoriæ ergo charum. *Legatarius autem Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in donis amplectitur, & tanquam magna hereditate ditatus, lætatur: veſtimenti recordatur imaginem ſanctitatis.* Sanctorum tumuli, eorum oſſa continentes, inde euaſere, vt ſcribit S. *Chryſoſtomus* fontes & publici
Chryſoſt. Homil. De S. Ignat. theſauri diuinorum chariſmatum. A fide dignis accepi, *Philippum* Secundum, Catholicum & Sapientiſſimum Hiſpaniarum Regem, volentem filio ſuo *Philippo* Tertio, cum vltimis ferme verbis, ei ex teſtamento precioſiſſimum quid delegare, præſente filio aperuiſſe quamdam arculam, in qua Cilicium, & flagellum cruore tincta, maxima cum ipſius cura ſeruabantur: qua recluſa, iſtis filium alloquutum tradunt: *En fili, magnum theſaurum, quem vt in ſummo pretio, quo & ego, habeas, omnino à te cupio. En Cilicium, quo tum Auus Carolus & pater meus, Chriſtiana diſciplina ſuam carnem coercebat. En funiculos flagelli, ſuo ac meo etiam ſanguine rubentes. Hac tanquam gemmas habeas a me in memoriam Aui & mei.* En virtutis imperium, quod de tanto Rege triumphauit: memoria excidentibus enim, quaſi minus valentibus, vtriuſque Indiæ fodinis, alijſque vaſtiſſimis imperiis, vnius cilicij & flagelli dignitates, Regis moribundi animum penitus occuparunt.

14 Alteram huiuſce Imperii, ex virtute partem conſtituimus in illa vi plane admirabili, qua non externæ moles, non grauia lucra, non fucati honores, ſed quod operoſius, ipſi animorum intimi affectus & corda in aliis attrahuntur. eſt enim virtus inter cætera illectamenta, ad impellendum ad ineſcandum fortiſſima.
Iſa. 60. *Suges lac Gentium & mammilla lactaberis, & ſcies quia ego Dominus ſaluans te & Redemptor tuus fortis Iacob.* Fortitudo, quæ ineſt virtuti, effecit, vt Regum animis illius odore conciliatis, Eccleſia ad eorum lac & mammillas, eorum ſcilicet chariſſimos fauores, adſpirarit. *Abraham* vel in exilio degens, ac bonis exutus in *Geraris*, nihilominus quod virtutis imperio coloci inclytus, omnia amiſſa, etiam cum fœnore, à Rege *Abimilecho* denuo recepit. *Tulit igitur* Gen. 20.
Abimilech & boues & ſeruos & ancillas & dedit Abraham: reddiditq; illi Saram vxorem ſuam, & ait, Terra coram vobis eſt, vbicumq; tibi placuerit habita. ſimiliter *Ioſeph*, exilio & carcere infamis, Gen. 40.
virtutis viribus fretus, ad Dominatum in Ægypto euaſit. *Tu eris*, dicebat ei Rex *Pharao*, *ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctum populus obediet.* *Daniel* captiuitate depreſſus, adeo tamen opinione Sapientiæ & virtutis inualuit, vt Rex *Nabuchodonozor* illum adorarit: Dan. 2.
quod ſane admiratione dignū, more ſuo egregie expendit S. *Chryſoſtomus*. *Memoria Ioſiæ* in- Chryſoſt in Pſal. 111. in cap. 11. ad Hebr. orat. 26.
quit *Eccleſiaſticus*, *in compoſitione odoris facta, opus pigmentarij: in omni ore quaſi mel indulcorabitur eius memoria, et vt in Muſica in conuiuio.* Ea fragrantia ex virtute in *Dauide* fuit, vt inde illectus Eccl. 45.
Ionathas, eius amicitiam, Patris *Saulis* fauoribus prætulerit, adeoq; vel vitæ propriæ ante tulit. *Et* Cant. 4. 1. Reg. 20.
ait Ionathas ad Dauid, quodcumq; dixerit mihi anima tua, faciam tibi. Cum *Elizæus* vltimum diem eſſet clauſurus, Rex Iſrael tanta virtute ipſius commotus, ad eum accedens, *Fleuit coram eo, dicebatq; Pater mi, Currus Iſrael et auriga eius.* En 4. Reg. 13.
vim ſuauis odoris ex virtute, quæ vel toti genti currus & auriga!

15 Cæterum in Chriſti Eccleſia, Dei Regno, & eius imperio, ſilua plane aromatica omnium virtutum apparuit, cuius odores allectiuos, tam *Aquilo* perſecutionis, quam *Auſter* pa- Cant. 4.
cis, per vniuerſum orbem diſpergerent. Imprimis Chriſti perſona tota aromatica, tota arbor deſudans balſamum virtutum, populorum turmas, aliarum rerum, imo vel ciborum oblitas, ad ſe pellexit. *Si dimiſero eos ieiunos deficient in via.* Marc. 8.
poſtea in cruce pendens, eiuſmodi odore, iam rebus deſperatis, Matrem & Euangeliſtam ad inciſam ſtipitem Balſami adduxit. *Magdalena* adeo ineſcata fuit ſuaui hoc Ioan. 19.
vapore, vti vel mortuo & ſepulto tanquam Ioan. 12.
muſca melli inhæſerit.

Adſtare non timet Cruce
Sepulcro inhæret anxia,
Truces non horret milites,
Pellit timorem charitas.

Iſtius imperii odoriferi virtute ſuperatus S. Marc. 15.
Ioſeph, audacter introiuit ad præſidem, & petiit corpus *Ieſu*: quod ſubinde precioſo oleo delibutum, inuoluit in Syndone munda, ac depoſuit in nouo ſepulcro, in quo nullus vnquam conditus fuerat.

——— *Finitq; in odoribus æuum.*

Poſtea Apoſtoli huic balſamo proximi, ſeu Ouid. Metam. 15.
potius eodem copioſe inuncti, omnibus boni Lactant. Phœn.
odores extitere, & eo redditi quaſi totidem Ælian de Panther.
pantheræ, quæ odoris delicijs alios ad ſe ac Chriſtum attraherent. Inter quos eximius in hoc genere S. *Paulus*. Cum enim eſſet Epheſo

Hie-

Hieroſolymam profecturus, hæc de ſe retulit. Act. 20. *Ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum* Dei. & ſtatim, vt narrat S. *Lucas*, *Magnus fletus factus eſt omnibus, & procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum; dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non eſſent viſuri, & deducebant eum ad nauim.* Tanto pariter amore *Galatæ* hunc ipſum complexi, vti de illis affirmarit: Gal. 4. *Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.* S. *Ioannes Euangeliſta*, frequenti ideo diſcipulorum corona incinctus, quia ex virtute charitatis valde amabilis. S. *Stephanus Prothomartyr*, Act. 8. funus obtinuit ingenti fidelium planctu ſolemne, quia virtutum ſplendoribus illuſtratus, ritu Angeli cuiuſdam obierat.

16 Mox in Eccleſia Chriſti florentibus Sanctis, ij maximos honores à fidelibus conſequuti tam ſuperſtites, quam vita functi: de prioribus, nūc poſtea de alijs pauca recēſenda. *Conſtantinus* rerum geſtarum gloria cognomine *Magnus*, Sanctos ex Clero ſe maiores reputauit, quibus proinde coram honores detulit, ac ſeipſum plane demiſit. Cum enim Chriſti confeſſores *Nicæa* in vnum cœtum conueniſſent, tanquam in profligatam ab ipſis ethnicam perſequutionem triumphatores, ibi vulnerum cicatrices, effoſſorum oculorum vacua receptacula, vt ſcribit *Theodoretus*, Theod. l. 1. c. 11. vtpote totidem gemmas, melle delibutas, pie & amanter deoſculabatur, & admirabilium in eiſdem virtutum inſignia, omni cultu digniſſima agnoſcebat: proinde eorum fortes animos, præcedente perſequutionis tempore conſtantes, tantus Imperator in illis indiciis, venerabatur. qua in re nō ſuccinū feſtucam, ſed Sanctus traxit Imperatorem. Hunc imitata in cultu virtutis Imperatrix *Helena*, quæ vt narrat *Socrates*, Socrat. l. 1. cap. 12. 13. Sacris virginibus inſtar famulæ cuiuſdam in monaſterio ſeruiuit. Idem *Conſtantinus Magnus* S. *Antonii* fama & virtute incitatus, ad illum ſcripſit literas in Eremo agentem: & vt refert *Sozomenus*, Sozom. l. 1. cap. 12. 13. inde *Sibi amicum fecit*. Quod genus officij demiratus S. *Antonius*, dixit: *Reges ſæculi ad nos miſerunt literas: quæ hic Chriſtianis admiratio adhibenda eſt!*

17 Porro ipſemet S. *Antonius* in hoc imperio aromatico nobiliſſimus Princeps, quandoquidem in deſertis locis commoratus, è longinquis etiam regionibus ad ſe infinitam propemodum omnis generis multitudinem, ipſum videndi & ſalutandi cupiditate incenſam, ad ſe attraxit. Hæc enim S. *Athanaſius* retulit. Athan. in vit. Anton. *Nam & vicini Monachi, ad quos ſæpe veniebat, Antonium videntes, Deicolam nuncupabant, indultiq; natura vocabulo, quidam vt filium, alii vt Patrem diligebant. Hoc etiam fratres, quod per omnes prouincias amor eius fauorq; volitauit, quem nec librorum diſſeminatorum oratio luculenta, nec mundana Sapientia diſputatio, nec nobilitas generis, nec opum infinita congeſtio, commendauit, cui omnium oro. eſt adſcribendum, niſi Chriſto, cuius hoc donum eſt, qui deuotos eius animos erga ſuam maieſtatem prauidens, hominem pæne alio orbe celatum, & inter tantas poſitum ſolitudines, Aphricæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyri, ipſi etiam, quæ vrbium caput eſt, Romæ, vt in exordio promiſerat, demonſtrauit?* Magneticam virtutem in S. *Hilarione* iſtis teſtatur S. *Hieronymus*. Hier. in vit. Hilar. *Concurrebant Epiſcopi, Presbyteri, Clericorum & Monachorum greges: Matronæ quoque Chriſtianorum grandis tentatio: ſed & potentes viri & Iudices, vt benedictum ab eo panem & oleum acciperent.* De quodam Monacho *Aphraate* in conſpectu comparente *Valentis*, Imp. Ariani, hæc protulit quidam ex Imperatoris familiaribus, vt narrat *Theodoretus*: Theod. in Phyloch. Cant. 2. *Hic eſt ille Aphraates, ex cuius nutu pendet ciuitas vniuerſa.*

18 S. *Athanaſio* multis ærumnis, inſtar mali punici à rugoſo cortice obuallato, nihilominus ex illis obſtaculis erupit ſingularis vis ſuauiſſimi odoris, quo ipſe domum mentis ſuæ euaporarat. illum proinde hanc ipſam ob cauſam appellat *Gregorius Nazianzenus*, *Percutientium adamantem, diſſidentium magnetem.* Greg. Nazian. orat. De S. Athanaſ. Quid etiam S. *Chryſoſtomo*, quod ad hanc virtutem potentius? Hic *Gaiuum*, ſæuum tyrannum in ſui cultum redegit, adeoque vt vel ipſius genua oſcularetur, licet iam furibundus in Chriſtianorum ſanguinem deuotus hoſtis extiterat. Eiuſdem populus Antiochenus præſentiens exilium, ex ſententia iniqui iudicis futurum, in arma prorupit, iuxta ac ab exilio reuerſum incredibili lætitiæ triumpho excepit, S. *Epiphanius* cum occaſione ad conueniendum *Ioannem Hieroſolomitanum* Antiſtitem, *Cypro* veniſſet Hieroſolymam, adeo potentem ex ſumma virtute ſe ibi exhibuit ad alios eius opinione permouendum, vti de illo hæc ſcripſerit S. *Hieronymus*: Hier. ep. ad Pammach. *Ad eum omnis ætatis & ſexus turba confluebat, efferens paruulos, pedes deoſculans, fimbrias vellens: adeo vt non potuerit promouere gradum, ſed in vno loco vix fluctus vndantis populi ſuſtinebat*: licet hoc, eius æmulum illum *Ioannem*, extrema torſerit inuidia. S. *Paulinus* Epiſcopus *Nolæ* & pauper nobiliſſimus, cum eſſet in Aphrica captiuus, adeo ibi loci inualuit nota ſuæ virtutis, vti à tyranno ſuam & aliorum Chriſtianorum captiuorum libertates gratis obtinuerit. S. *Ambroſius* vnico quaſi verbulo *Theodoſium* ad publicam pœnitentiam agendum inflexit: in quem plus inualuit, quam omnium barbarorum vires potuere. Pari modo in noſtra Anglia S. *Dunſtanus* Regem *Edgarum* ob tentatam virginis pudicitiam, ad lacrymas, ad veniam humiliter petendam, ad ipſius pedes in ſuo regno abiecit. Quamplurimi ex noſtris, armatos & furentes hoſtes, ſua ſacra dignitate ad pacem ac receſſum compoſuere: quod *Leo* primus in perſonam *Gieſerici* graſſatoris plane ignei præſtitit. Neque hæc poteſtas odorifera ſolum viguit in ſacris hominibus, ſed etiā in ciuilibus: proinde ſcribit *Eginhardus*, *Aaronem*, Saracenorum Regem, virtutibus *Caroli Magni* in admirationem adductum, eidem in orientalibus partibus agenti plurima dona dediſſe, ac inter reliqua Domini Sepulcrum, Elephantem, & Horologium miro artificio elaboratum. Eginhar. in Carol. Mag.

 19 Imo

19 Imo virtus hæc odorifera ætatis humanæ ſpatiis haud fuit definita, quinimo a funere & de ipſo cœlo admirabiles odores in mortalium corda transfudit. Hinc in primitiua Eccleſia cucurrere fideles ad reliquias ſanctorum, tanquam ad fontes, & theſauros gratiarum diuinarum, vt teſtatur S. *Chryſoſtomus*; eorum nominibus ſeipſos ac prolem amoris cauſa nobilitarunt, vt refert *Theodoretus*. quid officij pij præſtiterint reliquiis S. *Polycarpi*, ſic recenſet *Euſebius ex fidelium verbis: Oſſa eius, potiora lapillis pretioſis, auroq; potiora, ex cineribus ſelecta, eo loco repoſuimus, qui illis erat decorus conſentaneuſque. Dominus præſtabit, vt celebrem eius Martyrij diem, inſtar natalis feſti, cum exultatione & gaudio quantum fieri poteſt maximo, recolamus.* Huiuſmodi odore animo perfuſi, qui ſumma celebritatis pompa S. *Lucæ* Euangeliſtæ oſſa, ex Achaia, teſte S. *Hieronymo*, Conſtantinopolim deferenda curarunt: infinito populorum examine circa fauum veluti circumuolitante. Ex hoc ipſo odore & imperio virtutis euaſit, Roma Apotheca odorifera, ſeu potius leo aromaticus, qui in totum orbem attrahendo imperium exercuit. & qui illi nerui ad attrahendum, qualia nectaria ad illiciendum, qoi cantus ad ſalubriter incantandum, ſi non Sanctorum corpora in viſceribus ſuis recondita? ſi non omnium virtutũ nobiliſſima trophæa in illa erecta. S. *Chryſoſtomus* huius veritatis diligens contemplator, Romæ ſummam dignitatem in eo poſitam animaduertit quod *Petri ac Pauli* corpora recondita in ſe teneret. qui cum illius loci decora quædam recenſuiſſet, hæc intulit. *Sed his omnibus omiſſis, ob id illam beatam prædico, quod erga illos Paulus dum viueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, & coram diſſeruit, poſtremo vitam apud eos finiuit. Cuius Sanctum corpus illi poſſident: & propterea ciuitas illa facta eſt maior, quam ab aliis rebus omnibus. Quis mihi nunc dabit circumuolui corpori Pauli, adfigi ſepulcro, videre puluerem corporis illius, qua adhuc in Christo deerant, adimplentis, ſtigmata illius geſtantis? Sit mihi gladius ille pro corona, & claui Petri pro gemmis infixis in diademate.* Imo huiuſce imperij tanta extitit poteſtas, vt teſte eodem S. *Chryſoſtomo* Conſtantinopoli Imperatores, ſummi honoris loco habuerint, ſi modo extra veſtibulum loci, in quo particulæ corporum S. *Petri* ac S. *Pauli* recondebantur, ipſi ſepeliri potuerint, & hoc ritu Imperatores euadere piſcatorum ſtipatores & ianitores. Hæc pars, quæ allectiua dicitur, inſignis ſane pars imperii ex virtute.

Chryſoſt. Homil. de S. Ignat. Theodor. lib. De Martyr. Euſeb. l. 4. Hiſt. c. 14. Hier. cont. Vigil. Chryſ. In ep. ad Rom. Serm. 32. quid Metaphraſt. in vit. Chryſoſt. Chryſoſt. Homil. De Pet. & Paul. lib. Quod Chriſt. ſit Deus.

20 Hoc autem in loco, quoniam id ſatis opportune incidere mihi videtur, expendendam duxi eorum conqueſtionem, qui etiam bene agentes, ſe paſſim indignis modis, tractari, ſe odio haberi ac defamari lamentantur, & ægre ferunt. Equidem quod prædixit Chriſtus Dominus, verum eſſe omnino admitto, nempe Apoſtolos omni genere virtutis licet eximios, mundi tamen odio, contemptui, & impugnationi fore opportunos. Pariter veriſſimum duco Apoſtoli *Pauli* præſagium: videlicet cunctos, qui pie viuere volunt in Chriſto perſequutionem paſſuros. Neque me latet, in primitiua Eccleſia à maleuolis impugnatum fuiſſe hac ex parte virtutis imperium: quippe quod, vt teſtatur *Lactantius*, dicere ſolebant Ethnici, Chriſtianos *Aliter quam Sapientibus conuenit, viuere, & vitia ſub oſtentu nominis celare.* Nihiloſecius vel natura ipſius inſtitutum, imperium virtutis, etiam quantum ad malorum animos ſibi conciliandos eſſe fortiſſimum. vnde ergo aliter euenit, nimirum quod boni infamiæ dicteriis paſſim perſtringantur, cum eis conſortia euitentur? Hoc enim prouenit aut à deprauatione intellectus in obloquutoribus, aut a voluntatis in illis ad turpia declinatione. hæc autem minime obſtare imperio virtutis, quis ſecum fortaſſis reputabit, quandoquidem etiam malis, & errantibus Apoſtoli bonus odor erant, experientiaque notum, vel fures diligere iuſtos, laſciuos admirari caſtos: tanta enim ineſt virtuti poteſtas, vt id pluries S. *Chryſoſtomus* affirmauit.

Ioan 15. 2. Tim. 3. Lactant. De opific. Dei, cap. 1. 2. Cor. 2. Chryſoſt. homil. ad Incarcer. Homil. quod nem. Lædi niſi a Se ip.

21 Vt hanc rem paucis elucidemus, bonos & orthodoxos comparare poſſumus cum duplici hominum genere: primo cum hæreticis & impiis; deinde cum orthodoxis & bonis. prioris generis optimos odio haberi ab hæreticis & impiis, nihil miri; laborant enim eiuſmodi vituperatores errore intellectus: quo laborabat ipſemet S. *Paulus* quo tempore, vt fallus, Dei eccleſiam perſequebatur. Quod ad genus poſterius attinet, vix crederem, vnquam accidere, quo ad maiorem orthodoxorum & bonorum partem, denigrari ab eis orthodoxos, & bonos, niſi interueniente rara quadam ignorantia eos minime nouerint. Verum tamen eſt, aliquando, Excellentes viros: nempe Religioſorum ordinum Patriarchas, incidere vel in bonorum offenſiones, propter raritatem, nouitatem & altitudinem ſui inſtituti, quod primo quoque tempore ab aliis videri, diiudicari & penitus inſpici, non potuerit: proinde in exordio ſolum, quando non cognoſcebantur, in huiuſmodi obloquia tales virtutum Heroes impegere. Enimuero quotquot ego mea experientia exiſtimaui, ſumma virtute præditos, eoſdem notaui pariter ab omnibus ferme orthodoxis valde amatos & honoratos. Et quod ad res noſtras, licet numerare poſſem multos huiuſmodi niueo lapillo ab imperio virtutis donatos, vnum tamen in præſentia nominabo optimæ memoriæ Cardinalem *Alanum*, parentem eorum noſtratium, qui ex ſeminariis Anglicanis prodiere: cuius nomen adeo apud omnes Anglos Catholicos erat amabile, & ſuaue dum ſuperſtes erat, vti in quouis negocio diſcrepantes, eius iudicio & arbitrio ſtare ac ſe penitus dimittere ſæpiſſime vltro conuenerint. conſulerem itaque, vti in hunc ritum ſuam cõdicionem deplorantes, diligenter potius apud ſe inquirant, ne loco alicuius myſterii, quod ipſi ſecum inaniter & faſtuoſe interdum commentantur, ſit ne ex parte ipſorum defectus aliquis, ab imperio virtutis alicuius: num contecta aliqua ſuperbia, num inuidentia ducti aliorum famam ex literis impedire

ſoleant,

ſoleant, quaſi vellent extra priuatum ſuum Panaſſum muſas nullibi debere ſpaciari: num apud eos vigeant auſus aliquis importunus in ea, quæ ad eorum munera non ſpectant: num Deus inflicto dedecore eos non admonet alicuius ſecretioris errati ac malefacti: certe hoc iuuius ipſis, & aliis coniecturam facientibus probabilius: quando dico à maiore parte bonorum, & doctorum aliquod genus hominum catholicam fidem profitentium vituperium patitur: neque vellem eos ſuis querimoniis virtutis imperium, contra naturæ ac Dei ipſius Scita, nimium extenuare, vel maiori parti Catholicorum, ac ſi ipſi ſoli Saperent, craſſium & terrenum iudicium affingere.

22 Cæterum non repugnat imperio virtutis, quatenus attractiuo, bonos à malis defamari: imo ſicut eſt argumentum talis imperii à bonis laudari & amari, & ita multoties ſimile eſt argumentum à malis proſcindi & vexari. Hoc ipſo nomine æquidem gratulor Patribus *Societatis Ieſu*, quandoquidem proteſtantes hæretici, qua calumniis, qua tormentis & iniuriis, in eos maxime efferuantur. dubio procul, eorum exorciſmis ineſt aliquid, quod impuros dæmones torqueat. vultiſne Proteſtatores, officere *Ieſuitis*? eos tunc laudate; vel de illis tacete: ne dicatis eos eſſe Regicidas: ſic enim nos definiemus, eorum mores mitiores & humaniores fore. ne aſſeratis, eos iuuenum eſſe corruptores, hinc omnino iudicabimus, eos nihil magis curare quam vt iuuenes moribus plane Angelicis illuſtrent, veſtri oris & ſtyli ſordes, mihi credite, illorum gemmæ & decora. Profecto ſic *Ephemeridem* in iſtis veſtræ prorſus contrariam inſtruxerim, veracior vobis in diuinando Aſtrologus renunciabor.

23 Binis iſtis partibus Imperii ex virtute freta Dei Eccleſia, orbem deuicit, Chriſto Deoque placide dimiſit. Romanæ Ciuitatis illud ingens & capitale robur, iſtis ceſſit: loca ſeptem collium, in quibus illius Principes olim ritu ſuperbo habitabant, iam nulla alia re ſpectabilia, quam noſtræ religionis templis, & vetuſtatis ſuæ ruinis, eoque comprobatum vaticinium *Iſaiæ*: *Quia incurnabit habitantes in excelſo, Ciuitatem humiliabit. humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad pulverem, conculcabit eam pes, pedes Pauperis, greſſus egenorum.* Et quod in hoc imperio, charitatis virtus tertius præcipuus, ideo in hac Eccleſia ea præcipue perpetuo viguit: hæc enim difficilia aggreſſa, ea ſuperauit; iuxta ac ſuo odore aduerſarios in filius irritauit Quæ autem arma præſtantiora Eccleſiæ adfuerint in adminiſtratione iſtius imperij diſcere poſſumus ex *Iuliano*: qui vt imperium Ethniciſmi poſtliminio in orbem reuocaret, ad innouationem imperij ex virtute, in Eccleſia Chriſti, quædam transferre voluit ad ſuum imperium. *At vero Sozomenus, cum exiſtimaret Religionem Chriſtianam, maximam ex vita & moribus eorum, qui eam ſequebantur, commendationem conſequutam, inſtituit animo, delubra Gentilium tum apparatu, tum ordine religionis Chriſtianæ adornare.* quæ vero maxime iſte ſubdolus Apoſtata æmulatus, fuere in Eccleſijs ornamenta, *Sedes, Doctores, lectores, Horariæ preces, Monaſteria, hoſpitalia, Pœnitentiæ ſatisfactiones, primatum Pontificum, cultum Deiparæ virginis*: cuius loco ſubſtituit cultum *Matris Deorum*. vniuerſum autem robur in hoc imperio Eccleſiaſtico arbitratur S. *Gregorius* adumbrari leone, Ariete, & Gallo, de quibus Sapiens: *Tria ſunt, quæ bene gradiuntur & quartum quod incedit feliciter: leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullum pauebit occurſum: Gallus ſuccinctus lumbos: & Aries: nec eſt Rex, qui reſiſtat ei.* quando enim inueniuntur in Eccleſia *Leones*, qui audent veritatem etiam bello adſtruere, itidem *Galli* ſuccincti lumbos: nimirum caſti ſacerdotes: deinum *Arietes*, qui ſua auctoritate & bonæ vitæ exemplo, alijs ducatum præbent, tunc nullus Regum, quantumuis immanis aut aſtutulus, imperio Eccleſiæ obſiſtere poterit: quando vero abſunt, tunc in certis locis labaſcit.

Iſa, 26.

Sozom li, 5. Anſt. ca. 15.

Greg. li. 10. Mor. cap. 9.

24 Ex iſtis percipere poterunt Principes, quãtum momenti eis adferat imperium virtutis: quod duntaxat in Eccleſia Catholica floret, ad res magnas ab ipſis tranſigendas. Si enim ciues ab hoc imperio obtenti fuerint, nihil deerit ipſis ad amandum Principem, ad ei obediendum, ad adducendum in medium ſuas vires, pecunias, conſilia, quibus bono publico conſulatur. præſertim vero hoc fiet, ſi Princeps in ſua perſona hoc imperium virtutis oſtenderit. vbi vero hoc imperium non comparet, ibi omnis politiæ ex fraude ex violentia inſtructus neruus breui langueſcet & conficietur. Hæretici autem huius imperij prorſus expertes, vti infra oſtendemus, & proinde ſine feritate & aſtu non imperant, & in voluptatem progreſſi ab eadem tanquam à voragine abſorbentur. Imo ſi Principes qui ſe Catholicos dicunt, faueant vel ſecreto hæreticis, ſi animarum eo clades procurent, illico carebunt amoribus, non tantum ciuium, verum etiam aliorum, adeoque eorum pariter odiis & imprecationibus conficiendi.

25 Eodem etiam principes admonendi, ipſis non fore conſultum, in ciues imperij virtutis arma intentare. Olim veteres, impuri amoris vires cogitantes, ineptum dixere, quempiam velle cum illo confligere: imo & Deos ipſos ſuperaſſe aliquando affirmarunt, καὶ Κύπρις τοὺς θεούς. vt cecinit *Euripides*. hoc vero manifeſtius in imperio virtutis plane inexpugnabili. Cuius domicilium & arx cum ſit Eccleſia Catholica & Romana, inde ſatis euidens, quanta improuidentia laborant principes, qui eam perſequuntur, neque ſolum hi impugnatores eam inueniunt omnium virtutum munimentis vndiquaque defenſam, à quibus eorum conatus repellantur, ipſorumque contorta tela in illoſmet reiiciantur, verum quo vita & moribus iniquiores, imbecillioreſque facti à ſuis vitijs, ſub imperio voluptatis mancipia cum ſint, eodem in huius Eccleſiæ fidem ac eiuſdem profeſſores atrociores hoſtes eſſe ſolent: quod ſuis vitijs fracti & inglorii effecti, citius tradunt

Senec. Hip. Eur. Troas.

ſub potenti manu Imperii ex virtute. non eſt ſane quod ſpem expeditæ victoriæ collocent in verbis, & verberibus: in verbis, dum variis calumniis noſtram fidem appetunt, dum eorum ſenſu vulgarium animis illudunt, dum ſua, ſcripturarum falſis pigmentis venuſtant: in verberibus autem, dum in orthodoxos crudelius deſæuiunt. enimuero virtutis imperium in Eccleſia Catholica contra eorum verba, ſapientia, contra eorum verbera, patientia communitur: de quibus hæc *S. Gregorius*: *Duobus namque modis Eccleſia tentari ab aduerſariis ſolet: vt videlicet perſequutionem aut verbis patiatur aut gladiis. Sancta vero Eccleſia ſummopere habere ſapientiam, & patientiam ſtudet. ſed exercetur eius Sapientia cum tentatur verbis, & exercetur eius patientia, cum tentatur gladiis.* Quid verba falſitatum ad hanc ſolidam ſapientiam? quid gladii tyrannidum, ad hanc inuictam patientiam?

Greg. l. 18. in Iob, c. 8.

CAPVT V.

Virtus inde plurimum commendabilis, quod mira ſuauitate animam recreet, corpus vero præſtanti quodam decore exornet.

Ariſt. l. 10. Ethic. c. 4. Cicer. l. 2. de Fin.

EA eſt ſumma Dei in noſtrum genus bonitas, vt omni bono etiam iucundo, nos penitus hac in vita ſpoliari haud permiſerit. quin imo illius guſtū, nempe ex virtute, nobis indulſit, qui vel teſte *Epicuro* apud *Ciceronem*, omnium ſuauiſſimus, cōſtantiſſimus, puriſſimuſque. non inuidit nobis diuina clemētia eſum iſtius pomi, ad videndū gratiſſimi, atque ad manducandum dulciſſimi, ſed fructum hunc in medio paradiſi collocauit, quo vniuerſis parabilis & aſpectabilis ſua agnita ſpecie appareret. Supra quem Dei eminet plus quam nectareus liquor, infra quem voluptatum concretarū turbidus ſuccus decurrit, ac inde virtutis pulcra iuxta ac delectabilis forma, quaſi in medio paradiſi effloreſcit. quo beneficio, ſtatum cœleſtis beatitudinis, animo recreati, & corpore illuſtrati, hic in terris repræſentamus, & illius aliquid tanto munere prælibamus. Etenim dum in cordibus noſtris lucifer iſte ſplendens, ſimul ac exhilarans, oritur, certe vnuſquiſque noſtrum cœlum quodammodo effectus, beatitudinis quendam typum in ſe exprimere videatur. nam vt beatitudinis vi ipſa veritas videtur, indeque pariter ſuprema bonitas amata videntem delectat; ita virtutis functione quod luminoſe verum, id mente cernitur, quodque expreſſe ac ſolide bonum, dum voluntate appetitur, mirifice ſua iucunditate intelligentē perfundit. Tria autem ſunt præcipue, ex quibus dulcedinis in virtute rationes deducuntur. primum, natura virtutis in vniuerſum ſumpta: alterum ordo quidam eiuſdem ad hominis mentem ac voluntatem, poſtremum, peculiaris ipſius dignitas, qua hominem Deo ſimilem conſtituit: de quibus ſeorſim aliqua diſſerenda.

Gen. 2.

2. Pet. 1.

S. Tho. 1. 2. q. 9. art. 1.

2 Quando autem adſtruitur, actum virtutis eſſe delectabilem, & reipſa delectare, quæri poſſunt duo. primum, vtrum ille actus, vtpote iuſtitiæ, ſeipſo immediate inferat ſenſum delectationis, tanquam eius principium, vel an aliquid aliud immediatius ſit eiuſmodi delectationis cauſa & origo. deinde inquiri poterit quātum ad ipſam formam delectationis, an nempe virtutis actus imprimat aliquem effectum in naturæ facultatem ſeſe paſſiue habentē, quo ea delectetur, vel an illa naturæ facultas peculiarem actum eliciat, diſtinctū ab actu virtutis, qui formaliter ſit talis facultatis delectatio, quæque virtutis delectatio appellari poterit. Circa primum, exiſtimant aliqui, nullum actū, ſenſum delectationis inferre immediate, ſed illo, vt conditione approximante obiectū naturæ conueniens, poſito, ipſum obiectum dūtaxat effectiue delectationem ſenſui inferre. quo pacto arbitratur *Scotus*, diuinam eſſentiam clare viſam à beatis eis impertiri delectationem, non vero eiuſdem eſſentiæ viſionem aut fruitionem. Alii arbitrantur ipſummet actū virtutis, ſeipſo, dum afficit potētiam, vel aliquo alio eius effectu, qui non ſit actus, delectationem efficere, ſicut mel proprio ſucco, ad palatum delato, eius delectatio exiſtit. denique nonnulli volunt, delectationem, neque eſſe immediate ab obiecto alicuius actus, neque ab ipſo actu aut habitu virtutis, ſed proprio actu voluntatis conſtare, qui formaliter ſit delectatio: ita vt delectari quempiā ex virtute, ſit ipſum agere, & velle actu voluntatis: in quam ſententiam *Vaſquez* totus abire voluit. Cæterum non eſt mei inſtituti minutatim de hac quæſtione modo diſſerere. Eſt porro tum quod ad mentem *Ariſtotelis* & *S. Thomæ*, tum quod ad rem ipſam, meo quidem iudicio hæc inquiſitio metaphyſica, obſcuriſſima, ſubtiliſſimaque. Certum omnino, actum virtutis, cunctorum delectabilium maxime delectabilem. Cuius theatrum, in quo cum ſua iucunditate verſatur, hominis eſt conſcientia, vt ait *Cicero*: in qua ludentia vitia vt eam vulnerant, ita exultantes in eadem virtutes, illum amœnitate ac iucunditate ſua oblectant: ab illis quod ibi commotum, id plane tragicum: ab iſtis quod peractum, id veluti comicum & exitu feſtiuum. *Nullum theatrum virtuti conſcientia maius eſt.*

Scot. in 3. ſent. Diſt. 25 q. vnic. 1. ſent. diſt. 1. q. 3 & diſt. 49 q. 7.

Vaſq. 1. 2. q. 4. art. 1. c. 2.

Cicer. Tuſcul. 2.

3 Eſt itaque imprimis virtus iucunda natura ſua: hoc eſt talis nō exiſtit opere adſcititio, ſubiecti ſola diſpoſitione, aut qualitate aliqua in aduerſam partem variabili, vt alia iucunda: ſed ſibi vi inſita: quippe quocumque tempore, in omni rerum euentu, ſuauis continuo ac mellea. Hinc *Ariſtoteles* duo de hac virtutis iucunditate definit. Primum, eam indiuiduam ac inſeparabilem eſſe virtutis comitem, ſeu potius impreſſionem. *Neque enim vel iuſtum quempiam dixeris, qui iuſte agendo non delectetur, vel liberalem, qui liberalibus actionibus non gaudet.* alterum quod ſtatuit eſt, hanc ipſam iucunditatem peculiari modo conuenire virtuti, eoque ſecerni illā ab alijs delectabilibus. *Quæ ſtudioſis honeſtatis iucunda, ea natura iucunda ſunt.* inde vero aſſerit, virtutem natura iucundam, *Quod iucunditatem in ſe habeat*: hoc eſt, quod diſpoſitioni ſubiecti, aut alicui extrinſeco ſuam acceptam vim delectandi non,

Ariſt. lib. 1. Ethic. c. 8. 7. ad Eudem. cap. 2.

di, non referat, ſed eam propria forma incluſam tanquam fauus αὐτόγλυκυς retineat. Reliqua ſenſuum iucunda, ita ſunt deficientia, vt egeant certa quadam affectione ſubiecti ad hoc vt delectationem adferant. vtpote, potus, cibi, bellaria non oblectant, niſi ſitis, fames ac certa temperies adfuerint, quæ corporis definita qualitate continentur. imo eadem hanc ob cauſam non ſunt ſimpliciter delectabilia, ſed ad modum ſolum medicinæ, refectionis, recreationis: quorum rationes quando defuerint, non tantum in eis omnis ſuccus voluptatis areſcit, verum etiam illud ipſum malum & acerbum incutiunt, contra quorum appulſus, vt munimenta adſumebantur. quo pacto qui ſedet, vt voluptatem à tædio ambulandi capiat, ſi pepetuo ſederet, in mortem incurreret. qui ambulando à moleſtia ſeſſionis leuamen quærit, ſi ſemper ambularet, inde itidem moreretur. qui cum delectatione à cibo abſtinet, vt exceptũ concoquat, ſi perſeueraret indeſinenter, in dolorem ac mortem eodem incideret. viciſſim manducatione remedium petens contra inediam, ſi nullo tempore intermiſſo manducaret, inde ſibi interitum quoque procuraret. non ſunt ergo hæc iucunda natura ſua, neque iucunditatem in intimis ſuis & ex ſe continent, ſicut officia virtutum. Eadem quippe quod ad ſenſus, modo ſuauia, vt obſeruat *Ariſtoteles*, quæ ſubinde inſuauia euadunt: eadem quæ nunc remedia, poſtea noxia fiunt: & vtraque, propter ſuam acerbitatem, aliorum ſuauium ac remediorum ſubſidia poſtulant, remedijs in remedia per viciſſitudines exeuntibus.

[Lact. lib. 7. de diu. præm. cap. 9. & 10.] [Auguſt. in Pſalm. 84.] [Ariſt. lib. 8. mor. cap. 4.]

4 Verum quidem eſt, quod aduertit *Ariſtoteles* apud *Gellium*, diſcrepantiam reperiri inter ſenſuum obiecta in homine, quod ad vim in ipſis delectationem inferendi. dicit itaque in homine ſenſus guſtus, & tactus eſſe inter ſenſus infimos: quippe maxime carni immerſos, & nobis cum brutis peculiari ratione communes: ac proinde horum ſenſuum obiecta, quod ad delectandum, non ſemper ſibi conſtare dicit, ſed tranſire potius, à delectatione procuranda, ad nauſeam aut pœnam incutiendum. alios vero tres ſenſus in homine, nempe viſum, auditum, & olfactum, aſſerit parere in homine proprie voluptates: quarum obiecta vel ſemper eidem homini dilectabilia, aut talia ſaltem longo tempore: *Roſæ autem odor ſemper ſuauis eſt.* Ob quam cauſam ſuauitates oculorum, odoratus, & auditus, vt ſunt in homine magis ſpirituales, ita melius repræſentant virtutum ſuauitates, quæ perennes, & veluti imagines æternarũ ſuauitatum in cœlis. in quibus dubio procul à reſurrectione corporum, ipſa beatorum corpora plurimum recreanda ſuauitatibus viſus, auditus, & odoratus: iſtæ enim quam proxime accedunt ad ſuauitates virtutum, adeoque homini propriæ: quandoquidem bruta eis non capiantur, niſi guſtus, & tactus gratia, ad quos conducunt, vtpote voluptatum in eis inſtrumenta. Idcirco à ſuauitatibus viſus, odoratus & auditus, nobis adeſt commodior ratio ad concipiendum animis aliquam notionem ſuauitatis ex virtute.

[Gell. lib. 19. cap. 2.]

5 Virtus porro non quamlibet hominis facultatem dulcedine adijcit, ſed in eo intellectũ ac voluntatem: quæ, vt omnium potentiarum perfectiſſimæ, ita perfectiſſimas requirunt iucunditates. quoad corpus, aliud oculum delectat, aliud cor ipſum; ita tamen vt delectationes, quæ ſunt præcipuarum partium in homine, illæ ſint maiores, vberiores, plenioreſque: quæ aliquando non aliter obruunt ac conſopiunt corporum inferiores voluptates, quam oceanus in alueum fluminis irrumpens, eius gurgitem penitus occupat. Hoc pacto quod ad animũ, qui in extaſim diuini amoris adacti inde delectantur, nullum plane ſenſum habent inferioris in corpore iucunditatis. Voluptates itaque corporeæ, in quibus, vt in limo, peccati ſerpens & aculeus implicantur, cum hac iucunditate virtutis conferri non poſſunt: primo, quod ſint illæ potentiarum minus nobilium, minus actium: deinde, quod exprimantur à ratione ac voluntate, non qua rationales, ſed qua libidines, vt notat *Cicero*: homine quoad præcipuas ſui partes in aduerſum ſe interim deferente. Vnde fit, peccatrices voluptates acceſſu virtutum diminui, ac propemodum extingui, neque tam veras ac ſolidas, quam imaginarias & conſictas eo probari. Et quidem licet voluntate in homine recte agente ex virtute, reluctante interea loci in eodem appetitu ſenſitiuo, aliqua triſtitia neceſſario ſuboriatur, quæ virtutis ſuauitatẽ in voluntate parum inumbret, nihilominus ſupereſt iucunditas in eis partibus hominis, quæ præcipuæ in illo, quæ maxime igneæ & incenſæ, quæ, ad naturæ rationalis ingenium, vt propria eius inſtrumenta, ſumma quadam vi operantur; & proinde non ita opprimitur voluptas virtutu à triſtitia & renitentia appetitus ſenſitiui, ſicut vitij inferior iucunditas à ratione ac voluntate conſopitur.

[Cic. Tuſc. 2]

6 Alterum fontem hauriendæ ſuauitatis ex conſcientia virtutis, aſſignauimus in illis decoribus, quibus virtutes animam exornant, Deo vicinam ac ſimilem quodammodo conſtituunt. Si virtute nihil pulcrius, ſpecioſius nihil, ſi nihil aliud, quam id, quo homo ſecundum eas partes, quibus brutis excellentior, ad perfectum adducitur, fieri non poteſt, quin plurimum delectetur ſtudioſus, dum ſe tam egregijs virtutum formis inſignitum, illuſtratumque perſpexerit. longe inferius ſubſidunt in eius proſpectu florum & animalium elegantes figuræ, quas Turcæ dedita opera ſuis brachijs & corporibus venuſtatis cauſa incidunt vel inurunt: colores itidem hortorum ac camporum ad mortalium veſtes tranſlati, ſcintillantes terræ gemmæ, auri & argenti ramenta eiſdem inſerta, plurimum quoque deficiunt, ſi cum virtutibus, animarum ipſarum decoribus, comparentur. qualis precor roſa, charitas, qualis viola, temperantia, quale lilium, continentia, quale topiarium ſepimentum, fortitudo! lætus occubuit *Epaminondas*, & ſibi telum lethale, quo tranſfixus, lubens extrahi voluit, vt *Cicero* recoluit, quando ſua martia in acie virilitate ſeruatum clypeum intellexit: adeo iucunda virtus vel in ipſo mortis horrore ac vitæ deliquio.

[Cic. lib. 2. de Fin.] [Cic. lib. 5. Fam. ep. 12.]

ſeruare poterimus. proinde hanc ſuauitatem viatici loco & amuleti ſecum tulit *Abrahamus* ad exilium, tres pueri ad fornacem, *Daniel* ad lacum leonis, *S. Petrus*, & *S. Andreas* ad crucem, *S. Paulus* ad gladium, omnes martyres Dei ad carnificinæ locum. hæc ſola ſupererit prædæ & furoribus perſequentium. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Inter vbera mea commorabitur*: ibi ſane campus vel apiarium iuſtiis fluentis voluptatis. ſpinæ, myrrha, acerbæ nempe fortunæ euentus, imo leonis ipſius cadauer, & mortificationis formæ, iſto melle redundant. nam non ſolum Chriſti mors, vt ait Apoſtolus, mortem noſtri ſenſus operatur in nobis, verum etiam ipſius vita à reſurrectione renouata, qua rediuiuus fauum mellis commēdit, vitæ noſtræ iucunditatem operatur & efficit. adeo vt vel ſpectata ratione iucunditatis, vt ſæpius notat *S. Chryſoſtomus*, virtus vitio etiam in hac vita præſtare ſoleat. *Secundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Præter hanc voluptatem, quam virtus ſua propria vi in animam eſtillat, accedunt alia iucunda bona, ab eadem procurata: vtpote ſanitas, animi vigor, applauſus, honores, optimi ſucceſſus, qui plurimum exhilarant: quibus teſte *Cicerone*, vel *Epicuri* animus nimis auide inhæſit.

Cant. 4.
Iud. 14.
2. Cor. 4.
Chryſ. hom quod nem, læd. niſi à ſeipſ. Pſalm 93.
Cic. li. 2. de Fin.

10 Quæ quidem dulcedo à virtute, ſi naturæ curſus ſpectetur, ciuili vitæ plane neceſſarius videtur. cum enim virtus verſetur circa dolores perferendos, ac craſſas voluptates abegendas: cumque ad hæc præſtanda vtatur medijs auſteræ vitæ, vtpote ſilentio, ieiunio, veſtiū rigore, ſolitudine, grauitate: quæ obiecta partis in homine *Concupiſcibilis* penitus fugant & expugnant, tum conſequens, concupiſcendi facultate veluti exciſa, inſurgere & creſcere in homine facultatem iraſcendi: vnde videmus Gentes concupiſcibiles non eſſe iraſcibiles, aut contra; proinde dum virtutis ac diuinarum conſolationum ſuauitates pabulum aliquod honeſtum facultati concupiſcendi ſubminiſtrant, impediunt moroſitatem cholericæ, vim iraſcibilem comprimendo ac dulcore temperando. naturaliter enim compreſſionem facultatis concupiſcibilis ſequitur iraſcibilis incitatio, & huius excandeſcentiam alterius debilitatio. Eorum ergo votum, qui cupiunt diuinitus in hac vita priuari omni prorſus dulcedine virtutis & conſolationis internæ, naturæ noſtræ qualitate expenſa, admiror potius quam intelligo. Quod ergo homines ſumus, vt vita ex virtute ſit etiam ciuilis, præter ipſius virtutis & ſupernorum motuum dulcedines, quod olim ſuaſit *Plato*, adhiberi inſuper vellem, Muſica oblectamenta: ſcilicet recreationes aliquas modeſtas ac moderatas, miſcendas Gymnaſticis ſtudijs virtutum & auſteritatum, ne auerſi penitus ab omni rei iucundæ appetitu & ſenſu, duri, acerbique ſubinde tam in nos ipſos, quam & in vitæ ſocios euadamus. Hæc qui non percipiunt populares ſtatim offendi ſolent, ſi viderint, eximiæ virtutis profeſſores, ſeſe parum aliquando ad recreationes ambulandi, ludendi, iocandi, confabulandi, conuiuandi, audiendi muſicam relaxare ac remittere. Verum ad rationis iudicium corrigendus potius in ipſis error huiuſmodi.

Ariſt. lib. 2. Eth cap. 3.
Plat. lib. 10. leg.

11 Cæterum virtus, optima nempe morum ac ciuilitatis magiſtra, non eo contenta, quo animam incredibili ſuauitate perfundat, quin imo etiam illi agnatum corpus, inſtar occidui ſolis in terram ſuo radio deuibrati, pulcherrima quadam ſpecie venuſtae, inaurat: ac veluti extremæ beatitudinis arrha, in eo futurā gloriam etiamnum præludit. Huius rei veritas ſatis intelligi poterit ex varijs ſpeciebus deformitatum, in corpore, quæ immoderatæ animæ paſſiones, & ex eis prognata peccata, educunt. affectiones laſciuæ, decentis compoſitionis neruos relaxāt, petulanti inceſſu, geſtuque infracto corporis partes lubrice agitant ac diſtorquent: ex quo ſi quid ſexui robur virile inſitum, id totum effæminant. Motus vero iraſcibiles, vtpote à ſuperbia, ab audacia, ab appetitu vindictæ excuſſi, corporeos artus accendunt, diſtendunt, ac quibuſdam ſpiritibus turgidis, vtpote igneis naribus, immoderatius inflant. Ipſimet equi affectu libidinis aut iræ perculſi, ardentibus oculis, laxatis naribus, erectis iubis, eiuſmodi affectionum in ipſis ſigna produnt ac teſtantur.

Poſcunt timidi prælia cerui
Et mugitu dant concepti
Signa furoris.

Sen. Hip.

An non vides, ait *Seneca*, *quantam oculis det vigorem fortitudo? quantam intentionem prudentia? quantam modeſtiam & quietem reuerentia? quantam ſerenitatem lætitia? quantum rigorem ſeueritas? quantam remiſſionem Hilaritas?* Concinne admodum *Plato* apud *Stobæum*, humanum corpus tabulæ ex cera comparauit, in quo nempe hoſpitans anima, ſuorum affectuum intus expreſſorum charactere adumbratim modo deducit, eſt quidem quod ad hoc, in omnem motum ductumque animæ, corpus obſequentiſſimum. Cum itaque virtus in anima perturbationes ſuas ad rationis modum placide compoſuerit, tunc corpus, tanquam malacia ſedatum mare, ſereneſcit, & mens ſibi ſubiectum illud reddit, quod ſapientiæ ſol pulcherrimo radio illuſtrat. Ex quo apparet, quod ait *Cicero*, aliud eſſe corporis membra, virtutis inſtrumenta fieri, aliud paſſionum ludibria reperiri. Imo in anima virtus exiſtens, tam ipſam animam quam corpus aliter componit, quam interdum ratio vitæ ex victu & alijs requirere videretur. Etenim ſatis notum, acerbam & perpetuam ſolitudinem cum maximo rigore diſciplinæ coniunctam, educere ex ſe poſſe tetricos mores, vultus, animique triſtitiā. Cæterum virtus, quæ in anima *S. Antonij* effloruit, vt narrat *S. Athanaſius*, contra eiuſmodi ſtatus vim, eum perpetuo hilarem & iucundum efficit. Sanctus quoque *Romualdus*, centum annos monachum cum ſumma vitæ duritie agens, ad ſe aduentantes, vt refert *Breuiarium Romanum*, exhilarare ſui iucunditate ſolebat. Quod cum multis modis præſtet in vniuerſum virtus, tum maxime, vt animaduertit *Cicero*, temperantia quoad cibum ac potum illud procurat: pariter ab eadem definitum corporis exercitium, ex quo eius ſanitas, robur cum coloris flagrantia, propagantur, ad id plurimum conducit: quocirca,

Sen. ep. 106 ad lucil.
Stob. ſer. 3.
Cic. lib. 2. de Fin.
Athe. in vit. S. Anton.
Breu. Rom. 6. Feb.
Cic. l. 1. off.

quocirca, quod corporis ipſius decus, effectus ſit virtutis, inde *Ariſtoteles* in principibus, in quibus non niſi excellens virtus requirenda, optat eam corporis formam, quæ Deorum ſtatuis ſit ſimillima: qua animæ in ipſis virtutes, tanquam proprii domicilii notis indicentur.

Ariſt.lib. 6. Pol.

12 Huc accedunt modeſtia, vrbanitas, continentia, pudor, & aliæ partes tẽperantiæ, quæ vt corporũ indecoros motus penitus diffugiunt, ita eorum ornamenta ſolicite exquirunt: *Vt ipſa corporis ſpecies*, quod ait *S. Ambroſius*, *ſimulacrum ſit mentis, figura probitatis*. Scribit idcirco *S. Athanaſius*, inter multos, qui ad viſendum *S. Antonium* ſolebant confluere, ipſum cognouiſſe *ex vultu quoſdam fuiſſe paganos*. Habet enim noſtra fides ſpecialem hac in re gratiam, vt *Euſebius* recolit ſcribens de Martyribus Lugdunenſibus, qua non ſolum Ethnici, ſed etiam hæretici deſtituuntur.

Amb.lib. 1. de virgin.

Atha.in vit. S. Anton.

13 Enimuero vel naturæ inſtinctu affligit eos conſcientia, qui vel animis ſolis crimen maius aliquod perpetrarunt: & illi ipſi in illis animi angores, proferunt ex ſe etiam in corporibus eorundem fœdas quaſdam notas, ac dedecorum turpitudines, ſicut contra virtutes animo complexæ, corpora mirum in modum ſolent exornare. Huius rei luculenta exempla recenſet *Euſebius*, diſſerens de eis, qui diſpari licet exitu *Viennæ* & *Lugduni* in Gallia, crudelia paſſi à fidei hoſtibus tempore M. Aurel. Imp. *Illos ſubleuabat lætitia ex martyrio percepta, ſpes promiſſorum, charitas in Chriſtum, ſacer patris ſpiritus. hos magnum & graue conſcientia pondus admodum vexabat, vſque adeo vt dum pro hominum frequentia palam gradiebantur, ipſo vultu ab omnibus alijs facile internoſcerentur: illi enim hilares in publicum progreſsi ſunt, in quorum vultu decor quidam, gratia & venuſtate multa adſperſus enituit, ſicut vincula etiam, quibus velut ſponſa aurearum fimbriarum varietate decorata, mire erant illuſtrati, egregium quemdam ornatum illis adieciſſe viderentur, tum ſuauem item & fragrantem ex ipſo Chriſto egredientem efflarunt odorem, vt nonnullis artificioſo quodam vnguento & manu compoſito delibuti putarentur: hi autem dimiſſi, abiecti, adſpectu horridi, turpi ignominia labe deformati.* Feruente bello inter Anglum & Hiſpanum, cum quidam ex Clero Hiſpanico Gadibus capti abductique in Angliam, ac ſubinde ſolutis obſidibus nauem ingreſſi in Hiſpaniam ſoluturi, aliquot Angli Catholici ſuſpicati eis commeatum, aut aliquid aliud eis deeſſe potuiſſe itineri opportunũ, eos adierunt, vt eorum neceſſitatibus, ſi quæ forte eſſent, proſpicerẽt. Salutatione hinc inde data, quidam ex Hiſpanis dixit: *Profecto quamprimum viderim vos in nauim intrantes, ex ipſis vultibus veſtris perſuaſum habui, vos fuiſſe Catholicos.* Hoc vnus ex illis Anglis mihi narrauit. & reuera in hac re in Anglia coniectura eſt ſatis facilis, & nonniſi raro in ea erratur. Hæretici enim ſua ſuperba credulitate toti exterius tumidi, libertate viuendi prorſus incompoſiti, aut ex odio malitioſi. Inprimis vocem inter reliqua ſolet virtus egregia quadam grauitate ac ſuauitate temperare & honeſtare: quod *S. Ambroſius* ſagaciter animaduertit. *Quid eſt vox*, inquit, *niſi animi & corporis motus?* nam virtus in animo imperans, cum vitalium ſpirituum, ad linguam peruenientium, modum conſtituit, quo conſtet, in ipſa voce virtutem reſonare: peculiarem recte ordinati animi venuſtatem eadem oſtendi. In ſtylo etiam ac charactere ſcribendi idem apparere ſolet: idque ex ſanctorum Patrum ſcriptis ſatis manifeſte liquet. Ea ſiquidem vis animæ ſapiẽtia irradiatæ & virtute excultæ, vt dicat *Eccleſiaſtes*: *Sapientia hominis lucet in vultu eius: Et ſermo illius poteſtate plenus eſt.* Duo ſunt in appetitu ſenſitiuo, quæ ſermonis dignitati & efficaciæ ad perſuadendum aduerſantur; nempe irata commotio, & abiecta dimiſſio. illa ſermo efficitur ex tabie odioſus, hac ex vilitate contemptibilis. qui ergo virtute domitrice hos motus in ſe recte compoſuere, cum quantum ad gratum ſonum ſermonis, tũ argumenti qualitatem, loquelam proferunt magna quadam poteſtate ad perſuadendum, ad honorem & amorem conciliandum, inſtructam. aliter ſane ſermonem exprimit lingua etiam quantum ad gratiam & decus ſoni, cum virtus eã obtinuerit, aliter cum appetitus ſenſitiuus vtpote inſtrumentum ſuum arripuerit. Hoc ſatis euidens in ſobrijs & phreneticis dũ loquuntur. Et quamuis amor libidinoſus ſermonis profert neſcio quos lepores, ſicut & in vniuerſum amor habendi & obtinendi aliquid, tamen huic non adeſt ea dignitas ex poteſtate, quæ cernitur in ſermone expreſſo à recta ratione & virtute. illi enim lepores quodammodo iacent & humi ſerpunt, cum huius grauitas ſuo robore & decore nixa, erecta ſubſiſtat. ob hanc cauſam ſermo Chriſti Domini non erat talis qualis ſcribarum & phariſæorum, ſed tanquam poteſtatem habentis. Quod dum virtus in hac vita præſtat, præſagire videtur, quid demum effectura in cœlis, vbi anima beata admirabiles & gratioſiſſimas dotes ornamentorum ad corpus trãſmittet. *Habitus mentis*, inquit *S. Ambroſius in corporis ſtatu cernitur. hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior: aut contra grauior, & conſtantior, & purior & maturior, æſtimatur.* vnde *Diana* formam quandam ciuilitatis hac ex parte viſa prætuliſſe, quæ dũ inflaret panicam fiſtulam, inferius aqua limpidiori ei vultus deformitatem referente, protinus eam abiecit, indignamque ſe iudicauit eiuſmodi cantu voluptatem.

Eus.lib. 5 Hiſt.cap 2.

Ambr.l. 1. off.cap.17.

Eccl. 8.

Vox placuit, faciem liquidis referentibus vndis
Vidi, & virgineas intumuiſſe genas.
Ars mihi non tanta eſt, valeas mea tibia dixi:
Excipit abiectam ceſpite ripa ſuo.

Marc. 11. Ouid.lib. 6. Faſtor.

Cæterum agreſtis & ſalax *Satyrus*, cui nulla iſtius decoris cura, hunc ipſam tibiam ſubinde inueniens, orique admouens, eius ſono ad diuinitatem quandam vel *Apollinis*, vel Muſarum ſe adſpiraſſe exiſtimabat.

Inuentam Satyris primum miratur, & vſum
Neſcit, & afflatam ſenſit habere ſonum.
Et modo dimittit digitos, modo concipit auras,
Iamque inter Nymphas arte ſuperbus erat.

Alia ſatyri, alia *Dianæ* exterior forma.

15 Ex hoc ipſo virtutis venuſto in corpus imperio, antiqui plurima narrarunt de ſolicitudine

dine ſumma quarundem virginum, ſub ipſum ictum lethalem, ſtudentium honeſte ac decenter occumbere: vtpote apud *Euripidem* de *Iphigenia*, apud *Sophoclem* de *Polyxena*, apud *Ouidium* & alios de *Lucretia*.

Eur. Iphig. Sen Troas. Soph Ant. Ouid. lib. 2 Faſt.

Tunc quoque iam moriens, ne non procumbat honeſte,
Reſpicit: hæc etiam cura cadentis erat.

Plin. lib. 4. Ep. 8.

Narrat *Plinius Secundus* iuſſu *Domitiani Maximillam* veſtalem ſubeuntem feralem ſpecum, in quo ruderibus obruenda, haud paſſam ſe carnificis manu vel attingi, tametſi in ſubſidium id ei eſſe poterat. at diuinum plane iſtius rei argumentum & exemplar, publice ſpectante Roma, illuxere in recens inuento corpore *S. Cæciliæ*, eius renouatum funus *Clemente* octauo pie perficiente: etenim poſt tot centenaria annorum, inueniebatur ſerico inuolutum, ac in dextrum latus modeſtiſſime iacendo compoſitum. Huc referuntur pariter virgineæ quædam depulſiones obiectorum, aliquo modo libidinem repræſentantium: qualis à *Rachaele* pallio fuit conſpicua, quo cito vultum cooperuit ad præſentiam *Iacobi* ſponſi. Denique in hunc finem antiquus veli & abſconſionis vſus viguit, quibus apud Romanos vtebantur virgines iam maritis tradendæ: Cuius rei egregiam vidi formam tabulæ marmoreæ inſculptam, Romæ in hortis *Peretinis*. An vero hi præclari effectus, morum ciuilitati tam commodi, proprij ſint veræ ac ſolidæ virtutis, vel an in ficticia inueniri poterunt, iam inueſtigabimus.

Gen. 24.

CAPVT VI.

Virtus, quæ ciuilis, eadem ſolide ſincera, expreſſaque, non ficticia aut vmbratilis.

EA demum virtus genuina quæ ex fine honeſto, ab ipſo agente intento, cum debitis circumſtantijs exprimitur. Cuius obiectum cum bonum ſit morale, omnibus videlicet conditionibus veſtitum, ac totius decori plenitudine vndiquaque locupletatum & abſolutum, tum idem rationem induit finis, quatenus ſui, non alterius cauſa expetibile. Finis autē, ſicut quodam termino actionis motum claudit, vltra quem progredi non poteſt, quandoquidem finis & vltimum coincidant; ita ſi honeſtus is finis fuerit, rationi nempe conformis: quo nomine non ſolum actiones, verum inſuper earum obiecta rationi congruentia, honeſta dicuntur: certæ virtutis probitatem talis finis ſeu obiectum actioni impertietur. Ex quo vulgaris illius dicti ſententia elucet, qua effatum à *S. Auguſtino*: *Virtus eſt, qua nemo male vtitur.* nam cum hæc finem honeſtum reſpiciat, vltra quem extendi nequit, conſequens, ad malum vllo abuſu eam deferri non poſſe. quo etiam modo inter ipſa vitia aliqua ſic intrinſece ac ineuitabiliter exiſtunt mala, vtpote mendacium, blaſphemia, odium Dei, ac ſimilia, vt eorum bonus vel indifferens vſus eſſe nequeat. quæ quidem in eis inuariabilitas ac definitio, ab eorum obiectis propagantur; vtpote bonorum ac malorum metus, humanos conatus ſiſtentibus.

S. Thom. 1. 2. q. 55. ac. 7 art. 2. ad. 1.

Non ergo iuxta mentem *Ariſtotelis* is ſolide iuſtus, qui iuſta vtcumque exterius peragit, vel ciuilis, qui ciuilia quoquo modo perficit, ſed is, qui vtraque præſtat ſponte & ex fine ab ipſo intento virtutis. Cuius rei tanta neceſſitas, vt veteres Deo *Termino* diuinitatem adſcripſerint, optantes, vt tam principio actionis *Ianus*, quàm periodo eius *Terminus*, auſpicato patrocinentur. talis enim quiſque, qualis finis ab eodem præſtitutus. *Iuſtus autem*, inquit *Ariſtoteles*, *& temperans, non eſt ille, qui hæc agit, ſed qui ſic agit, vt iuſti ac temperantes agunt. Neque enim* vt ait *S. Auguſtinus eſt vera virtus niſi quæ ad eum finem tendit, vbi eſt bonum hominis, quo melius non eſt.*

Ariſt. lib. 2. Eth. Cic. l. 1 de leg. Aug. lib. 5. ciu. cap. 12.

2 E contrario, vi eius ſolius, quod exterius geſtum apparet, virtus falſata dicitur: tametſi reipſa inde non magis ſit virtus, quam homo pictus, homo: quippe latenti mentis conſilio ad prauum finem ordinata. Cuius proinde pulcritudo forinſeca, tanquam vultus virgineus, ſerpentino corpori aptatus, fucum ſolum aut quæſitum virtutis exhibeat: & illud intendi ab operante perſuadeat, quod reuera honeſtum, cum tamen longe ab eo aliud, nempe deceptio, vana gloria, iniquum lucrum, tanquam finea comparandi eius votis proponuntur. qui fines, ſeu adulteratarum virtutum velamina, quando explorata fuerint, hominis naturæ ingenioque odioſa ac plane vitia eſſe reperiuntur. *Illis initijs inducti*, ait *Cicero*, *omnia vera diligimus, id eſt, fidelia, ſimplicia, conſtantia; tum vana, falſa, fallentia odimus, vt fraudem, periurium, malitiam, iniuriam.* Euertitur itaque virtutem fortitudinis, qui vitam periculo exponit ſpe lucri, aut popularis gloriæ appetitu inductus: tametſi eo rempublicam ſaluam fore præſtiterit. *Officium non fructum ſequitur bonus.* in vniuerſum virtutem falſat, qui nudis verbis eam profitetur, qui eius ſimulacrum in actione aliqua effert, nihilominus aut id non exequitur, quod pollicitus, aut ſi peregerit, id minime virtutis & honeſti naturalis ergo, ſed vt inde inſtructa fraude, vir probus habeatur, vel aliquo commodo oportunius potiatur, tali munere defungitur. Duplici itaque genere fucatæ virtutis vſurpatio diſtinguitur. primum eas continet actiones, quæ expreſſe optimum effectum ſortiuntur, latenti tamen animi propoſito corrumpuntur. quale in eis cernitur, qui temperanter viuunt, vt eſurientea iucūdius prādeant: in epicuræis pariter, externo ritu relligionem profitentibus, animo tamen atheo, & ad declinandum ſolum populi inuidiam: ac in ſimilibus idem perſpicuum. quod tamen interdum alijs innocuum iudicetur. Aliud vero in eis negocijs in ſpeciem honeſtis verſatur, quæ aliorum nocumenta & iniuſta damna ſtatuunt ac moliuntur: vtpote quando expreſſa virtutis forma fides aliorum concilia-tur, vt ſubinde fidentes, facilius incommodentur: & hoc genus maleuolum atque nociuum.

Cic. li. 2. de Fin.

Cic. li. 1. de Fin. li. 1. de leg.

3 Antiqui virtutis ſinceritate deſtituti, aut ex populari gloria, vt putauit S. *Auguſtinus*, aut ex alio ineundo emolumento, vniuerſam virtutis naturam viſi deprauaſſe, adeoque

Aug. l. 5. ciu cap. 14. 13.

eieciſſe, ac illius loco vanam, meretriciam, falſamque ſubſtituiſſe: quod ſane *Epicuri* dogma, ſi hac in re *Ciceroni* fides habenda, patentiſſime concluſit. Duo itaque quo ad hoc definiuit. Primum, intelligi non poſſe, aliunde virtutem eſſe ſuauem, niſi ex eo, quod aliorum fauores, laudes, applauſus, vel alia vitæ commoda aſſequatur. alterum, ipſam haud aliter expetendam quam vt huiuſmodi iucunditatum cauſam ac lenonem. in quibus turpiter ſane in virtutis dignitatem ac vim *Epicurus* delirauit. nam virtus, vt probatum, vel omni horum bonorum conſequentia ſpoliata, ſeipſa ac in ſecreto, quo nullus mortalium ſenſus peruenire poterit, reconditum apud ſe fauum habet ſuauiſſimũ. Eadem quoque ſui cauſa & naturalis honeſti reſpectu, appetenda; amplexanda, neque, vt voluit *Epicurus*, huiuſmodi appendicibus corrumpenda, vel extra fines proprios, in ditionem voluptatis incuſſa vi tanta Regina morum deducenda.

4 Quando itaque de virtutis ingenuitate ac puritate loquimur, illud conſideramos tantum quod foras apparet ac videtur. Hoc autem interdum carere poterit proprio fine, naturæ talis actionis conſtituto, & alium nihilo obſtante finem ſortiri, etiam bonum: veluti ſi miles in acie non ex propoſito difficultatis aut timoris ſuperandorum fortiter pugnaret, ſed vt relligio in republica ab hoſtium armis defenderetur. pariter ſi debitum creditori quis reſtitueret, non vt ſeruetur æqualitas iuſtitiæ, ſed vt alijs exemplum detur probitatis. Porro externus actus, virtuti aſſignatus; aliquando non ſolum deſtituitur illo ſuo peculiari fine, verum etiam ad malum finem præpoſtere deſtinatur. vtpote ſi quis ex motiuo ambitionis, frequens eſſet in adeundis ſacris locis, aut aliquam aliam virtutis formam induceret, quo opportunius ac impune dolos machinaretur & aliorum clades. Primo modo non dicitur virtus adulterari, aut in meram vmbram extenuari, cum ipſum ſolidum optimi finis attingat; ſecundo autem omnino. quamobrem ex voluntate, ex propoſito & animi oculo, virtutis omnis integritas iudicanda. *In amicis ait S. Hieronymus, non*
Math. 6. Hier. epiſt. ad Caſtruc
res quæritur, ſed voluntas: quia alterum ab inimicis ſæpe præbetur, alterum ſola charitas tribuit.

Halen. 2. p q. 166. m. 1
5 *Alexander Halenſis* de hac re diſputans, vniuerſum vim falſatæ & adulterinæ virtutis, ad hypocriſin reducit, *Cum & mala teguntur, & cum bona fraudulenter fiunt.* malis conſilijs virtutis exuuias ac decorum tegmen adſciſcit hypocriſis, quo minus quæ turpia, appareant: bonis prauum finem præſtituit, qui ſub inſtructa fraude lateat ac deliteſcat. ſummatim fraude hac duplici omnis eius motus continetur, qui per bona iuxta ac mala pariter commeat, illa vitando, hæc celando: neu quidpiam eſt adeo exterius honeſtum, quod eius artificium omnino excedat aut fugiat. Congrue proinde *S. Ma-*
Max. Tom. 5. Bib. cent.
ximus huiuſmodi falſarium in materia virtutis, appellat *hypocritam*, & *furem ſpiritualem*, quandoquidem gloriam, voluptatem, & alia bona, virtutis falſa propoſita imagine, contendat ſibi comparare.

6 Solam autem virtutem, quæ vera expreſſaque, ciuilitatis eſſe inſtrumentum, ipſa natura, philoſophia & experientia ſatis euidenter demonſtrant. *Plato* de virtutis ſubſidio ad regendum rempublicam loquens, dicit, Dei cultum Plat. in
ac virtutem ei prudeſſe, *Si non ſimulatione, ſed ve-* Epinom.
ritate virtutem colant ciues. nam cum virtus fucata, vitijs inſeruiat, eorumque progreſſus occultet, ne deprehenſi repellantur, ad eandem barbariem talis virtus referenda, ad quam ipſa vitia. imo reliqua vitia ita turpia ſuapte ſpecie ciuibus videntur ac deformia, vti ſæpius ad primum eorum adſpectum ab eis cum odio ſeſe in fugam recipiant. Quibus accedente virtute hac adulterina, eo pernicioſiora euadunt, quo in ſe latentiora, iuxta ac quo horrendæ ipſorum formæ obtento velamine honeſtatis accuratius exornantur: licet vel equi fuerint Troiani, quibus vrbs ipſa deuaſtanda. quo pacto ille prorſus nociuus reipublicæ, qui magiſtratu indignus, vel ei gerendo ineptus, ſe fingit virtute præditum, quo à ciuibus ad illum promoueatur: etenim non tantum alterum meliorem hinc excludit, ſed ſeipſum etiam, haud idoneum ingerit, ac vtriſque reipublicæ obeſt ſerpens iſte aurea theca incluſus, ſeu aureis ſquammis refulgens. An non *David* virtutem amicitiæ aſſimulando, *Vriam* occidendum inique 2. Reg. 11.
curauit? an non *Abſolon* iuſtitiæ adminiſtrandæ 2. Reg. 3.
ſpeciem prætexens, Iſraelitas ad defectionem à legitimo Principe, optimoque patre flagitioſe ſolicitauit? Ipſe *Iudas* proditor, ac in Chri- Mat. 15.
ſtum Dominum reliqui particidæ, pietatem in templum, in patriam & Imperatorem, quibus ſua horrenda conſilia inuoluerent, cauſabantur. *Vlyſſes* Hectoream prolem extinguendi cupidus, relligionum iura ſancte in propoſitum ſuæ crudelitatis vrgebat:

—— Vatem & inſontes Deos Sen. Troad.
Prætendis. Hoc eſt pectoris facinus tui,
Nocturne miles.

Nero, quantumuis crudus tyrannus, & ſanguinis humani ſitientiſſimus, nihilominus vt feralius deſæuiret, quod *Suetonius* ſcribit, vel iuſtis Sueton in Neron.
ſupplicijs illacrymabatur, & frequenter exclamabat ſententiæ iudicis ſubſcripturus, *Quam* Hal. part. 2.
vellem me literas neſcire! propter hanc vim ad q. 166. in 5.
nocendum, inſitam virtuti ſerpentinæ & ementitæ, ait noſter *Halenſis*: *Simulatorie peccare deterius eſt, quam peccare aperte.* Eſt enim in illo duplex quædam iniquitas. vna in forma ipſa doli ac ſimulationis, alterum in effectu damnum inferente. nam vel ipſe abuſus virtutis quod ad externam illius formam, quo fucos illos turpes admittere ac ſuſtinere tanta dignitas cogitur, vitio non caret.

7 Grauis certe iniuria, virtutis maieſtati ac ſanctimoniæ incutitur, dum eius color ac ſpecies præſtantiſſima, in res peſſimas arte quadam faſcinatoria inducuntur. Si enim Romani Imperatores ſibi illatum dedecus reputarunt, quando eorum imagines in fœda & inhoneſta loca deferebantur, quid ſentiendum de iniuria virtuti illata, quando eius

externa

externa decora, nomen ipſius Sanctum, Venerandum: omni generi ſordium ac libidinum applicantur, eiſque deturpantur? merito idcirco *S. Maximus* hypocriſim appellauit *Sacrilegium ſpirituale*: quod virtuti nempe, Deo & hominibus ſacræ, abuſum inijciat. neque ſolum virtus hinc indigne tractatur, dum eius decus compellitur ſubire has inhoneſtas fraudes, verum etiam dum peſſimis finibus ſcelerum, tanquam medium quoddam inſeruire & lenocinari cogitur. illam ipſam actionem, quã ſibi recta ratio vtpote materiam virtutis cunctis ſpectabilem & honorabilem delegit ac conſtituit, ars hæc veteratoria ac ſacrilega in eam inuolans, ad fraudes, ad odia, ad ambitus, ad omne genus fœdæ voloptatis, naturæ lege violata, hominum iudicijs & expectationibus ludificatis, indigniſſime traducit, omnique ſenſu honeſti caſſam, in contumeliam ſceleris rapit. Enimuero exiſtimandum, diuinam prouidentiam velle quandoque ſeuere hoſce virtutum illuſores ac conſtupratores caſtigare, eoque acerbius, quo eorum nephariæ artes ipſi ſoli interdum notæ, aliorum cognitionem latentes, impune progrediuntur. Hoc autem in genere ſane horrendum facinus extitit *in Atreo*, relligionem ad paricidium transferente: Cum enim fratris *Thieſtis* prolem igne torrere, ac patri epulas in menſa appetenti deuorandam proponere animo deſtinarat, coronamque fratris capiti impoſuiſſet in ſignum fœderis, relligionem tantæ immanitati obtendebat:

Ma in cen. cap. 26.

Ego deſtinatas victimas ſuperis dabo.

Sen. Thieſt.

8 Diſſoluit porro hæc virtus facticia ipſa iura ſocietatis ciuilis, amicitiæ leges violat, conuictus fœdera in vniuerſum perfringit: demum tanquam erinnis barbarica, cuncta ciuitatum ſiue ornamenta ſiue firmamenta conuellit, deuaſtat. imprimis virtus hæc ſimulatoria ipſimet artifici exitialis plerumque eſſe ſolet. Vt enim exciſus virens ramus diu ſpeciem nõ retinet, ita virtus, quæ radices in honeſtatis ſolido non egit, etiam in aliorum oculis paulo poſt, omne decus defloreſcendo amittet, adeoque odioſiſſimæ notæ condicionem ſubibit. quod citius euenerit, quo illi occulatiores, quibuscum ſimulator degit. *Nihil ſimulatum & fictum* inquit *S. Ambroſius, veræ virtutis eſſe certum eſt, quin etiam diuturnum eſſe non ſolet. In principio vernat, in progreſſu tanquam floſculus diſſipatur. quod autem verum ac ſincerum, alta radice fundatur.* Nunquid ciuile alicui commodum, quempiam ad breue ſpacium in hominum florere iudicijs, & non multum poſtea, diſcuſſa larua, defluente parietis dealbati colore, monſtrum, harpiam ac dæmonem in foro apparere? *Omnis ſocietas* inquit *S. Auguſtinus, fraudulentum ſocium naturaliter non vult.* vt enim virtutes ficticiæ animi affectus non ſedant, ſed intus æſtuare permittunt, ita impedire non poſſunt, quo minus aliquando ſua importunitate erumpant, ſuoſque cultores, tanquam moleſtos ergaſtularios, ſubinde palam accuſabunt ac redarguent. Virtus autem ciuilis ea demum, quæ vero imperio huiuſmodi affectus intus moderatur, ac ſub iugum mittit rationis. quod cum peractum fuerit, eodem ſuum imperium virtus reddet ſtabilius ac diuturnius. *Scopus vnicus hic eſt virtutis & Philoſophiæ*, inquit *S. Antiochus*, *citra fucum quiduis agat*: præſertim ſi cum prudentia coniungitur. proinde affirmat *S. Auguſtinus*, Dei Eccleſiam, quæ ciuitatis prototypos, ædificatam ſupra petrã, ſcilicet virtutẽ ſolidam, omni adamante firmiorem. Eorum vero merces recenſet diuina ſapientia, qui fucatis vtuntur virtutibus: *Fallax gratia, & vana pulcritudo*: quod vt id *Salonius* Viennenſis interpretatur, ſimulatores honeſti, tum in hac vita tum in alia, bono expreſſo deſtituuntur, gratia excidente, pulcritudine marreſcente, & ipſis vix dies ſuos dimidiantibus. *In dimidio dierum eius derelinquent eum, & in nouiſsimis ſuis erit inſipiens. Quæ eſt ſpes hypocritæ*, quærit *S. Iob*, *ſi auare rapiat?* eſt enim hæc hypocriſis, ſacrilega quædam auaritia, in emolumentum, falſato ſacro, & abuſu ſacri comparandum, inſtituta.

Amb. lib. 2. off. cap. 22.

Aug. lib. de Nupt. & conc. cap. 4

Ant. Thom 2. Bib. hom. 54.

Aug ſer. 2. de ver. dom

Prou. 31.

Sal. Tom 1. Bib 5. in par. Salom.

Pſal 54.

Hier. 17.

9 Tria vero ſunt præcipua detrimenta reipublicæ, quæ ſecum adducunt virtutes iſtæ ad artem picturatæ ac compoſitæ: honoris ſcilicet optimis debiti ad prauos delatio, confidentiæ ſimul ac beneuolentiæ inter ciues exterminatio, omnium denique virtutum oppreſſio. vitijs conſtupratus, qui aliquid ambit, is virtutibus adulterinis ad primos magiſtratus aſſurgere conatur, quo aliis honores eripiat, quibus debentur: nec illos tamen apud ſe diutius retinebit. Eſt enim propria ſedes honoris non aliud quam vera expreſſaque virtus. *Ficta omnia* inquit *Cicero celeriter, tanquam floſculi decidunt.* nec ſimulatum poteſt quidpiam eſſe diuturnum. Ex quo omnis honor ciuilis, qui & præmium virtutis, penitus intercidet. boni enim illum non habebunt, & mali eundem ſtabiliter apud ſe ſeruare non poſſunt. Confidentiam & amicitiam pariter hinc quoque perire manifeſtum. quis malis obſecro, fidet, & quis nepharios amicitia complecti poterit? Cogitemus itaque vniuerſos hominum ordines iſtis confictis virtutibus inſtructos, adulteratos, verſari inter ſe, vtpote maritos cum vxoribus, dominos cum famulis, medicos cum ægrotis, mercatores cum ruſticis, ducibus belli cum militibus, iudicibus cum reis, & tunc nihil præter tumultus barbaricos aſpiciemus, nullibi confidentia, nullibi amicitia in ciuitate comparentibus,

Cic. lib. 2. de. off.

9 Veras denique expreſſaſque virtutes iſtæ falſatæ omnino tandem profligabunt: quo & barbariem in vitæ ciuilitatem armabunt, victoriamque eidem demum conſtituent. Enimuero fucata virtus, conſcientiæ altum non inſidet, haud eius aliquid refert, ſed tanquam mus ſupra faciem campi leuiuſcule ſaltitans, in id duntaxat proſpectat, quod in aliorum oculos incurrit. Vnde lucri cauſa, voluptati aut dolori cedendum docebit, vbi teſtes,

vbi ſuſpiciones, vbi lux abierint, ac in tuto flagitia ſpaciabuntur. *Nam quid faciet homo* inquit *Cicero, in tenebris, qui nihil timet niſi teſtem & vindicem? quid deſerto loco natus, quum multo auro ſpoliare poſſet imbecillem atque ſolum? Noſter quidem ſic natura iuſtus vir ac bonus, etenim colloquetur, iuuabit, in viam deducet. is vero nihil alterius cauſa facit, & metitur ſuis commodis omnia: videtis credo quid ſit acturus.* Non alium itaque quam inter homines pantheram decet hæc virtutis ſimulatio. Vt enim panthera ſuauem odorem ſpirando beſtias alias ad ſe pellicit, quas ſubinde deuoret, ita virtute falſata ciuis compoſitus, ſui opinione ad ſe deluſos trahet, quos commodi cauſa tractos diſperdat. Duplici etenim clade eos conficit; prima, quæ damnum ipſum eis illatum continet: vtpote infamiam, paupertatẽ, ac ſimilia: altera, quæ dolũ prodit, læti ingenio moleſtiſſimum. illa externum aliquod bonum euincit, hæc vero rationem ipſam, qua omnes cupiunt præcellere, ac homines ſunt, ſuperat, ac in errorem compellit. Damnum pati, ac ſimul decipi, duplici eſt certe malo adfligi, ac duplici bono pariter ſpoliari. Quod ſi præualuerit hæc hypocriſis, omnis guſtus veræ virtutis amittetur inter ciues, ac neruus eiuſdem penitus ſuccidetur.

(Cic li. 1, de legib.)

11 Verum tametſi arte ita elaborari poterit ebur in vuarum botros, vt deceptis auium oculis, ad illos ſuccum petitura illa animalcula aduolent, nihilominus ab illorum roſtris contuſi, nihil liquoris ex ſe ad ea emittent: ita ſubdoli, poſtquam virtutum adulteratas formas expreſſerint, nihil ex eis iucunditatis in vita elicient, qua reficiantur, aut qua alicuius aduerſæ fortunæ acerbitas in ipſis mitigetur; vt nempe cum *Rutilio* exilium iniuſta damnatione decretum, patienti animo ferant, cum *Metello* carcerem, filiorumque iugulationem, mortem cum *Socrate*, dexteræ aduſtionem cum *Mutio*, quiete & moderate ſuſtineant.

Mart. li. 10. *In matutina nuper ſpectatus arena*
Mutius impoſuit qui ſua membra focis.

Vir. 8. Æne. *Viſceribus fruſtra caſtum Lucretia ferrum*
Merſit, & attonitum tranauit Clœlia Tybrim.

Sicut enim virtus ſuapte natura dulcis, ita vbi hæc natura defuerit, eius dulcedo inueniri non poterit. Boni itaque viri dupliciter lætantur ex virtute, iuxta doctrinam *S. Auguſtini.* principio quatenus non ſolum operantur ex motiuo huius aut alterius virtutis proprio, ſed etiam ex amore Dei, eius cauſa virtuti incumbentes. nam cum talis amor ſit iucundiſſimus, ſui dulciſſimo ſenſu inſpergit ſingulos conatus aliarum virtutum quibus imperat. Deinde iidem lætantur, dum incitati probitate obiectiua particularis virtutis, eius gratia, & propter illam, recte agunt: in quibus inhabitans Spiritus ſanctus, vt diſſerit *S. Auguſtinus, ſuauem facit iuſtitiam, vt homo bene faciat amore recti, non timore ſupplicij.* vtraque autem hac iucunditate fictæ virtutis depriuantur. Quid ergo ſupereſt præter duo inquietudinis & afflictionis elementa, voluptatẽ & dolorẽ? voluptate expirante in dolorem, ac dolore recurrente in voluptatem? *In præcipiti,* ait *Seneca eſt voluptas, ad dolorem vergit, niſi modum teneat.* Vt enim ferox ac laſciuiens equus depicto fræno, vel iridis radio, non coërcetur, ita neque appetitus efferati & acerbi motus ficticia virtute domantur, leniunturue. Quod itaque tanta mala reipublicæ inferat hypocriſis, Deus, vt flagitioſis ciuibus pœnas maiores merito incutiat, vt ait *S. Iob*, propter eorum peccata, facit, vt regnet homo hypocrita. Etenim talis non ſolum eſt tyrannus, verum ita contectus ſua hypocriſi, vt nulla tyranni feritas in illo appareat, ſed contra potius quoad ſpeciem optimus princeps videatur, atque ita tutus, furiatur in populum, longius protrahit curſum ſuæ crudelitatis, fortius & audacius ferit, acerbiuſque vulnerat & occidit vectigales: ſanctus latro, ſanctus carnifex, ſanctus ac ſapiens Diabolus, pius & religioſus hæreticus celebratur.

(Aug de lib. fid, & op, cap. 15.) (Sen, ep. 23.) (Iob. 34.)

12 Imo exercitio fictarum virtutum euadit quilibet ſibiipſi tyrannus: idque dupliciter. primo quod dum virtutes aſſimulat, operetur contra internum principium agendi, velut in corde ipſo complexum: corde enim & animo nihil minus curat quam ſolidam expreſſamque virtutem; ac proinde quando externæ virtutis ſpeciem effert, animo & corde reſilit à virtute, fingens ſe illud colere, quod contemnit. dum vero ita diuellitur à ſeipſo, tyrannidem quandam patitur. Deinde cum auctores iſtarum falſarum virtutum non ſemper ſibi conſtant, tum ſub aliorum oculis ſæpius ea agunt, quæ argumento ſunt, eos flocci virtutem reipſa facere, neu quidpiam illius expetere præter ementitam eiuſdem formam, in gratiam comparandæ voluptatis expreſſam. vbi autem voluptas tantum eſt in animi & cordis votis, ibi fieri non poteſt, quin talis diſpoſitio erumpat ſæpius in libidines & facinora, veræ virtuti contraria. ex quo oritur illud genus tyrannidis, quo quis in ciuitate proprium honorem & æſtimationem violat, ac præſtat demum, vti nullus illum habeat pro bono viro, quantumuis bona operetur, ſed potius hypocritam ducant omnes & virtutum aſſimulatorem. quo pacto in Anglia & alibi Miniſtri, hypocriſim in concionibus exercentes, paulo poſt meretricio, periurio, intemperantia, ſeſe nebulones eſſe probant. Quod precor tyrannidis genus, in ipſum auctorem tyrãnidis nocẽtius? *Congregatio hypocritæ ſterilis,* ait *S. Iob*: nempe quod Deo, cui *Abominatio eſt omnis illuſor*, vindicante, & ipſomet hypocrita procurante, etiam bona iſtius vitæ, hypocritis haud proſpere ſuccedunt. *Liquet igitur,* ait *S. Ambroſius, ea eſſe perpetua ac ſolida quæ vera ſunt, & quæ ſincere potius quam dolo congregantur. ea vero quæ ſimulatione atque aſſentatione parta ſunt, non poſſe diu perſeuerare.* hoc egregie probat S. *Ambroſius* hiſtoria *Abſolonis*: qui fingens in patriam pietatem, & maximam curam iuſtitiæ præ ſe ferens, poſtea in patrem rebellis, & ad ramum arboris crinibus ſuſpenſus, miſerrime periit. *Cato* apud S. *Auguſtinum*, has cauſas recenſet florentis imperii apud Romanos: quod nempe haberent: *Domi induſtriam, iuſtum imperium, animum in conſulendo liberum, neque libidini, neque delicto obnoxium,*

(Iob. 20.) (Prou, 3.) (Amb. lib. 2. off. cap. 21.) (2. Reg. 15.) (Aug. lib. 5. ciu. cap. 12.)

nexium. At fortaſſis ſuſpicabitur quis, ad officium boni ciuis haud neceſſario ſpectare virtutem: de quo iam inquirendum.

CAPVT VII.

An eadem ſit virtus boni viri, & boni ciuis.

SAtis, vt nobis videtur, demonſtratum, virtutes tam intellectuales quam morales, ciuilis vitæ eſſe inſtrumenta, eas præſertim, quæ ad alterius bonum ordinantur. Sed neque monaſticas ac contemplatriceas eidem fini eſſe prorſus inutiles oſtendimus. Modo autem inquiritur de condicione & amplitudine virtutis in bono ciue deſiderandis: num ſcilicet quoad omnes virtutes, bonus ciuis ſit animo plene informandus, ita vt nullum grauius vitium in eo poſſit reperiri, vel an ei ſufficiat ad peculiare ſuum munus à principe definitum obeundum, illum idonee eſſe comparatum, tametſi, quo ad alia, quæ eiuſmodi muneri non aduerſantur, ſit affectu & opere corruptus ac deprauatus.

2 *Ariſtoteles* abſolute definit, ciuem bonum carere poſſe virtutibus in viro bono requirendis, adeoque eis vitijs interdum deturpari, quæ virum malum conſtituunt. Expendens etenim officium ciuis, quo ad virtutem, valde ieiune ac parce de illo pronunciat: dicit enim, ciuem poſſe munus ſuum imperatum exequi ſine prudentia, ac conſequenter abſque virtute. nam quatenus id mere peragit, quod ipſi à principe iubetur, non indiget, inquit, prudentia, quæ ipſum ad opus dirigat; quandoquidem principis mandatum, rem faciendam, & omnes eius circumſtantias præcipiens, abunde ei ſit ad directionem, ac veluti loco prudentiæ; ſolum idcirco exigitur, vt opinione ductus, ad modũ inſtrumẽti animari, & ab artifice directi, morem gerendo operetur. neque multum de fine ab illo intento laborandũ, cum ſufficiat, ſi id ſimpliciter perfecerit, quod ei à principe mandatum fuerit. vnde conſequens, quempiam bonum ciuem euadere poſſe abſque virtute, quæ ad bonum virum efficiendum poſtulatur. Ex quo concludit, *Perſpicuum eſt, fieri poſſe, vt is, qui bonus ſit ciuis, virtutem, ex qua bonus vir nominetur, non conſequatur.*

Ariſt. lib. 3. Pol. cap. 3. 3 Ad hoc probandum iſto argumento vtitur. Ciuis officium, ait, in ſua notione complectitur quid commune procurandum, & aliud particulare, quod in hoc vel illo ſingulari conſilio præſtando reperitur. illud vtpote in Principe, prudentiam, ac virtutem cupit, poſterius hoc minime. Ergo ciuis, licet, vt idoneus ſit ad gubernandum, opus habeat multiplici virtute, non tamen at hoc vt illud mere obediendo, quod ipſius eſt duntaxat, exequatur. nam ea differentia eſt inter principem ac ſubditum, quod princeps ſuo munere non defungatur abſque prudentia ac virtute, qua fit ipſe bonus vir, ſubditus autem vt obtemperet, & ſuum particulare officium perficiat, neutra indigeat. *Subditi autem, inquit, Ariſtoteles, non eſt virtus prudentia, ſed opinio vera.* Porro adiungit, expectandum ab omnibus, vt ſint boni ciues, quod & ſummæ curæ eſſe debet legiſlatori: vt vero omnes ſint æqui boni viri, haud ſperandum, cum id moraliter impoſſibile. Ariſt. Pol. 3. cap. 3.

4 Vt autem ſententiam *Ariſtotelis* plenius interpretemur, iuxta diuiſionem virtutis in tres claſſes, quam ſupra fecimus, cogitare poſſumus, bonum ciuem tripliciter eſſe virum malum. Principio quidem, vt in eodem genere ſit malus vir, quo bonus ciuis. etenim virtutes proprie ciuiles ſunt illæ, quæ ſpectant ad voluntatis opus, ac verſantur circa id, quod alijs tribuendum. Poterit itaque contingere, vt miles, exempli cauſa, vigilias & excubias ſuas diligenter ſeruans, eoque bonus ciuis, aliunde tamen quod ad vitia voluntatis, ſit impius in Deum, in patriam & parentes, iniuſtus in alios, vtpote fur, falſarius, adulter. Deinde hæc ipſa iſtius militis ciuilis bonitas comparari poterit cum vitijs, quæ appetitui concupiſcibili inſunt, ac eius virtutibus monaſticis contrariantur: quaſi miles, qui ciuis bonus, eſſet interea laſciuus, impudicus, helluo. Poſtremo eadem eiuſdem militis bonitas ciuilis referri poterit ad vitia inſita peculiariter parti iraſcibili, quæ virtutibus illius partis opponuntur. vtpote ſi huiuſmodi miles quo ad obedientiam quidem ciuis bonus, furioſus tamen exiſteret, crudelis, inhumanus, ac vulneribus delectatus. Ego quidem hac in re non intendam litem *Ariſtoteli*, ne tota quæſtio de nomine inter nos tandem reſoluatur: contendam tamen, tam ex principiis Philoſophiæ, quam Theologiæ, iuxta ſenſum legitimum, abſolute bonum ciuem non eſſe appellandum, qui bonus vir non fuerit.

5 Quantum ad primum genus probitatis, intelligere non poſſum, quonam pacto is bonus ciuis, qui in iuſtitiam particularem ſimul ac legalem delinquit, qui ciuitatem, & eius ciuilitatem diſperdit: quorum ambo ciuis Ariſtotelicus procurare poterit ſua iniquitate, modo exacte exterius pauca obierit, quæ ipſi à principe mandata. nam vel ipſa notio ciuis tota referri videtur ad id, quod iuſtum, ad id quod ciuile; quibus ſi aliquis aduerſarium ſe præbuerit, nomen & vim boni ciuis illico amittet. vtpote ſi miles id omne exequens, quod ei à duce præceptum, nihilominus clam paciſceretur cum hoſte de prodenda ciuitate, quam etiam ipſe expilando debiliorem indies redderet ad reſiſtendum: ſi diſcordias ſereret inter commilitones, ſi eis rem familiarem eriperet, omni denique vi contra bonum legale, ſeu commune, contra neruos ciuilitatis pugnaret, is ſicut hominis nequam partes ageret, ita boni ciuis munus neutiquam meo iudicio expleret. & quod de milite intulimus, idem applicari poterit mercatori, agricolæ, artifici præciſe ſua deſtinata officia perficientibus, aliunde tamen iniuſtis, rapacibus, ſubdolis, timidiſque.

Summum crede nefas, animam præferre pudori, Iuuen. l. 3. ſat. 8.
Et propter vitam viuendi perdere cauſas.

Iuſtitia quidem legalis, vt in ſe ſpectata, virtus eſt eximia, ita ſuo imperio omnes alias virtu-

tes morales continet, quas excitare poterit, earumque opera referre in finem ſuum, nempe bonum ciuile ſeu commune. quarum etiam ſingula ſtudia ac motus hoc reſpectu vocari poſſunt iuſtitia, vt docet S. *Thomas. Secundum hoc, actus omnium virtutum poſſunt ad iuſtitiam pertinere, ſecundum quod ordinant hominem ad bonum commune.* Quocirca infeſtus aliquis huic bono communi contra iuſtitiam, ac inde ciuilitati inimicus, bonus ciuis non videtur æſtimandus. Hinc idem *Ariſtoteles* affirmat, ciuem non eſſe ſui iuris, ſed reipublicæ iuri ſubiectum: quod nempe ciuis fuerit, bonum reipublicæ præferre priuato ſuo commodo. ac recte concludit: *Ciuis origo ad viuendum, & inſtitutio ad bene viuendum refertur.* Si ergo non bene viuat ciuis, præcipue habita ratione iuſtitiæ, boni communis, ac ipſius ciuilitatis, vnde bonus ciuis habendus, quantumuis ſuo munere particulari recte defunctus fuerit?

S. Tho. 2. 2. q. 61. art. 5. ad 4. q. 58. art. 5.

6 Quod ad alias virtutes attinet, quæ non ſunt voluntatis, aut ad alterum relatæ, ſed appetitus ſenſitiui concupiſcibilis vel iraſcibilis propriæ, tametſi immediate non ſint ciuiles, nihilominus ita ciuilibus virtutibus conducunt, vt etiam ad ipſam formam ambiuumque boni ciuis pertineant. Quis enim non animaduertit, omnes virtutes, quo ad earum ſtatum perfectum, ac vſum ſtabilem inter ſe copulari, vt *Ariſtoteles*, & noſtri docent; ita vt ſi ademptæ vel expugnatæ fuerint virtutes appetitus ſenſitiui, nempe temperantia, continentia ac fortitudo, non ſolum euenturum, vt virtutes voluntatis, quæ iuſtitia comprehenduntur, languidius inde operentur, verum etiam vt breui exacto ſpacio, à contrariis vitiis expugnentur ac ſuperentur? is ſane diu iuſtus non fuerit, qui voluptatis, gloriæ ac lucri nimium cupidus. Fortis non manebit longo tempore, qui libidine diſſolutus inceuſuſque. Vt ergo quis reipſa ac ſolide exiſtat bonus ciuis: hoc eſt, bene ſit comparatus ad bonum commune, ad ipſam ciuilitatem, adeoque ad particulare ſuum munus diu ac firmiter obeundum, omnibus virtutibus inſtruendus, & ex eis pariter, bonus ciuis, ex quibus bonus vir diiudicandus.

Ariſtot. 2. Ethic. c. 4. 5 6 Ethic. c. 16. 5. Amb. l. 5. in Luc. Hier. in ca. 16. Iſa. Auguſt. Epiſt. 29.

Proinde de virtute deſideranda in Ciuitate, proponit alibi hoc dubium *Ariſtoteles*: *Dubitari etiam poteſt, ſi potentia ad ſit reipublica & amicitia, quid opus eſt virtute?* Ratione ē qnid potentiæ ciues reipublicæ ſtatum conſeruabunt & augebunt, quandoquidem id poterunt: ratione vero amicitiæ ſeu charitatis, nulli iniuriam inferent, & commune bonum amabunt; vnde ergo præter hæc duo, quæ virtutes ciuiles in ſe complectuntur, ciuitati neceſſariæ continentia & temperantia, quæ virtutes monaſticæ? Huius dubij reſolutionem videtur idem *Ariſtoteles* tradere, dum inquirendo inſinuat, incontinentiam & intemperantiam eodem modo, quod ſui amorem nutriant, hominem erga bonum publicum, perturbatum & inuerſum præbituras, quo quis earum vi erga ſeipſum perturbatus & inuerſus efficitur. præſertim vero in ciue quantumuis potente, & erga alios amico, deficiet virtus in iraſcibili requirenda, quæ in pericula & damna ſe reipublicæ cauſa attollat, poſtquam incontinentia & intemperantia facultatem in eo concupiſcibilem effœminarint. quamobrem ſupponere virtutes ciuiles reperiri in ciue abſque monaſticis, cogitare eſt, ramos florere ſine radice, tectum ſubſiſtere abſque fundamento, flumen decurrere amoto fonte.

Ariſt. 5. lib. Pol. c. 9.

8 Contra vero illa ab *Ariſtotele* ſupra tradita definitio boni ciuis, nimis arida, reſtricta, adeoque homine indigna mihi videtur. Cum enim officium boni ciuis ſit officium rationis, non imaginationis illi cum bruto communis, non lacertorum ſeu corporis; quale obſecro, id muneris erit, quod veluti inſtrumenti ſolum ab artifice agitatio, quod ſine prudentia, imo ex malo fine interdum abſoluitur? aliter prorſus Philoſophatus idem *Ariſtoteles* videtur, qui tam in principe, quam in ſubdito virtutes deſiderat, vt boni ciues ſint ac reputentur. *Si is qui præeſt, non ſit moderatus ac iuſtus, quomodo bene imperabit? Si is qui paret, quo pacto modeſte parebit? nam intemperans & ignauus ſi ſit, nullum officium ſequetur.* Ex quibus liquet, *Ariſtotelem* ad ſtatum ciuilium virtutum, ex quibus bonus ciuis appellatur, requirere etiam temperantiam ac fortitudinem, quæ ſunt virtutes non voluntatis ſed appetitus ſenſitiui ac monaſticæ. Denique ſi nulla bona intentio, aut vllus bonus finis in ciue ſpectanda, ſed ſolum actus externi mera exequutio, nunquam in eum gradum præſtantiæ hæc aſſurgeret, quæ illum ſimpliciter, & abſolute bonum conſtituat. Etenim actus externus, vt docet S. *Thomas*, non eſt aliter bonus quam radicaliter & obiectiue: illa autem bonitas formalis, qua bonus moraliter ac ciuiliter quis nominatur, ineſt ſolum in actu voluntatis, quæ in eam à fine bono intento, & cum circumſtantijs legitimis, deriuatur. Et propter hanc cauſam, antiqui Philoſophi ipſam virtutem appellarunt ciuilitatem: qualis haud in eo, qui

Ariſt. 1 Pol. cap. 8.

S. Tho. 1. 2. q. 18. art. 4. q. 19. art. 1. q. 20. art. 1. & 2.

Nec recolens opificem ſolii natalis, ad ipſum
Reſpicit auctorem, nec ſpem ſupra æra librat,
Sed mentem grauidis contentus ſternere curis,
Indigno ſubdit Domino, perituraq; pronus
Diligit, & curuo quærit terreſtria ſenſu.

Prud. Hamart.

9 Huic veritati adſtruendæ Theologia pariter adſtipulatur. Inter virtutes, quæ morum ciuilitatem inſtituunt ac ſtabiliunt, nulla potentior ipſo Dei amore, vt poſtea oſtendemus; idque multis probat S. *Auguſtinus*. huic autem omnia vitia bellum indicant, cumque animis mortalium patrata pœnitus exigunt. Certe amore iſto vacuus, prompte alia inferiora iura & amores ciuilitatis contemnet, in procinctu continenter erit ad ea violanda, quamprimum libido ipſum extimulauerit. malus idcirco ciuis ſicut amore iſto deſtituitur, ita ciuilitatis firmamento ac complemento carebit: neu facile cum conciue ciuiliter copulabitur, qui à Deo nepharie diuortium fecerit. Quod ſi reſpiciamus ſolum ad munus quod exequitur Ciuis ad mandatum Principis, requiri videbimus in illo aliquem amorem: ſi non illum, qui Bonum commune complectitur, ſaltem illum, quo quis amat officium obedientiæ. qui amor ſi defuerit, Conſtantia functionis ciuilis diu ſtare non pote-

Auguſt. lib. ciu. 19. c. 26

poterit. nam ſi iſte amor minime in ciue exigatur, tunc quando contrarij amores ciuis pectus obtinent, vi quorum odio ardet boni communis, iuxta ac ipſiuſmet obedientiæ, tametſi aliquantiſper morem exterius gerat ſuo principi, bonus ciuis cogitandus: quod vix credi poterit. nam vt in vniuerſum principium actionis in homine eſt amor, ita actionis ciuilis amor aliquis ciuilis. operatur enim homo vi ſui ingenij ex amore, ſcilicet principio in ſe inſito, & non niſi ratione amoris, ex timore: qui enim nihil amat, aut ſperat is nihil timet. ſin vero deſtituatur ciuis amore ciuili, plenus autem fuerit amoribus Barbaricis, notionē boni ciuis minime, vt exiſtimo, retinebit: ſicut is bonus cuſtos ſuæ vitæ haud habendus, qui quo ad aliqua, ex præſcripto Medici viuit, clanculum tamen noxia & venenoſa in ſtomachum ingerit.

10 Quod ſi ille bonus ciuis minime cogitandus, qui ſuis criminibus diuinam iuſtitiam prouocat ad incutiendam cladem atque vaſtitatem reipublicæ, profecto ſcelerati, qui id faciunt, in numero bonorum ciuium haud cen-
Exod.2. Deut.5. S Tho.1.2. q.78 art.8. ſendi. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, viſitans inquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* quod licet aliqui in eam ſententiam interpretantur, qua ſignificatur, velle Deum filios, imitatores ſuorum prauorum parentum pœnis ex-
Cornel. à lapid. in 5. cap. Deut. cipere, vel illos, in ſcelera ab ingenio pronos, eo pacto coercere, plurimi tamen eum ſenſum eſſe contendunt, quod Deus, vt oſtendat, ſe offenſum hominum malefactis, ea caſtigat temporalibus modis etiam in tertiam ac quartam generationem. Pugnante ac vincente *Iuda*, *Achan* miles, contra Dei legem ex manubijs anathemati addictis, pallium & auream regulam ſibi arripuit, & en tibi, eius iniquitas furiata eſt in vniuerſum exercitum, quem aut in turpem
Ioſue,7. fugam dedit, vel morte deleuit. *Pertimuitque cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt.* Quis
1,Reg,14. *Achan* hunc, adeo ſuis exitialem, bonum ciuem iudicabit? *Ionathas* pariter neutiquam bonus ciuis, qui guſtatu mellis Dei mandatum violando, ſceleris ſui piaculum tranſmiſit in ſuos gentiles, quo illos proſtrauit ac pene confecit. Peccatum vero ab aliquo vno perpetratum, in alios deſæuire, ex monumentis diuinæ hiſtoriæ lu-
2 Reg,21. culentum. *Saule* cum *Gabaonitis* iniuſte ac cru-
2,Reg,28. deliter agente, trium ſubinde annorum fame, regnante *Dauide*, ſeptem eius filijs crucibus affixis, populus Hebræus pœnas luit. *Dauide* militem numerante, tanta pernicies ſuæ gentis mox ſubſequuta, vt ſeptuaginta millia peſtilen-
Auguſt. l. 19. ciu. cap. 3. Greg. l. 5. in Iob. ca. 24. tiali morbo correpti, inde perierint. ob quam cauſam S. *Auguſtinus* & S. *Gregorius* oſtendunt, principum peccata in vectigalium ſuorum capita, in ſanguinem, & bona ipſorum pernicioſe interdum redundare. Nemo ſane, quantum ego arbitrari poſſum, iudicabit hos bonos extitiſſe
Dion. l. 11. Antiq. Plu-tar. in Camil. in Marc. Amat. ciues, adeo ciuibus ſuis noxios, quantumuis proprijs ſuis muneribus fecerint ſatis. Romani magiſtratus, vt ſcribunt *Dionyſius*, & *Plutarchus*, diligentiſſime cauebant, ne delinquentium crimina impunita tranſirent, exiſtimantes, eorum impunitatem, inuecturam grauiſſimam cladem in commune imperium.

11 Reſpondeo itaque *Ariſtotelis* argumento, quo contrarium adſtruxit. licet ad exequutionem operis mandati ex mera opinione in ſubdito, ſeu ciue, virtus non exigatur, nihilominus nomen ciuis ſanctius, & honorabilius multo videtur, quam vt eis duobus duntaxat contineatur. ad id enim requiritur, vt non noceat ciuibus, vt ciuilitati ipſi infeſtus non conſiſtat, vt ſtabiliter bene operetur: proinde vt non ſolum ex ſimplici aliqua virtute agat, verum etiam ex ea, quæ cum alijs virtutibus in chorum coaleſcit. *Connexæ igitur ſunt virtutes,* Ambroſ. l. 5 Luc.
ait S. *Ambroſius, concatenatæque, vt qui vnam habeat, plures habere videtur. Philoſophorum eſt ſententia,* inquit S. *Hieronymus*, *hærere ſibi virtutes.* Hier. in ca. 16. Iſa.
Sanctus *Auguſtinus* aſſerit, vna prudentia deleta, virtutis nihil ſupereſſe præter inane eius ſimulacrum. Auguſt. Epiſt, 29.
Neque ex hoc conſequens, quod ad virtutem, parem eſſe ſortem principum ac ſubditorum: nam licet virtus ad vtroſque ſpectet, alia tamen atque alia, vt ipſe *Ariſtoteles* fatetur. Ariſt 1, Pol, c, 8,
illa in principe ſumma, architectonica, hæc in ciue tenuior ac inferior: vera tamen & genuina. Atque inter alia incommoda ex vitijs orta, quæ ciuis officium impediunt, illud eſt quod ſupra recenſuimus, nempe conſcientiæ in noxio lancinatio; erumpente in eodem fœtu peccati ſerpentini per exeſa matris viſcera. quis non adfirmabit banc diritatem aduerſari ciuicæ promptitudini & alacritati? Prudent, Hamart,

Ipſam porro animam crudelia vulnera carpunt
Mille puerperijs, ſoboles dum parturit ex ſe
Contra naturam genitas, peccamina crebra
Scilicet, & partus materno funere natos.

12 Iſtis de vniuerſa natura virtutis actiuæ differuiſſe ſufficiat. reliquum agamus de virtutibus in particulari. quod autem in tres ordines illas ſupra diſtribuimus, nempe in Rationales, Concupiſcibiles & Iraſcibiles, ideo primo loco agemus de voluntariis ſiue Rationabilibus, quæ circa bonum alteri reddendum occupantur, & communi nomine, iuſtitiæ partes vel ſpecies appellantur.

CAPVT VIII.

Quanta in vniuerſum iuſtitiæ ſanctitas ac ciuilitas.

IVſtitiæ in vniuerſum munus, cum aliis, vel erga ipſos, ius ac modum quemdam æqualitatis ſeruare, vt tantundem alicui tribuatur, aut adimatur, quantum ei conuenire æſtimetur. hoc tamen perinde non eſt accipiendum, quaſi iuſtitia ad naturæ omnimodam paritatem ſeu æqualitatem, quam ipſa ſtatuit, reducere debeat ciues, vt Philoſophi aliquot, & hæretici nonnul- Minut. Fælix. in octauio.
li ſunt commentati; ſed ſolum, vt ea illud æquale reddatur ac aſſeratur in vita ciuili, quod ratio publica, cum ciuium inæqualitate, quo ad diuitias, honores & dignitates, definiuit.

æquale

Ariſt,2 Pol. c 1.l.10. Metap text 18 19.

Æquale repenſum, inquit, *Ariſtoteles*, *conſeruat ciuitatem*. Quando ergo homines ita inter ſe mutuis bonis verſantur, vt eorum conceſſione vel detractione neque à debito deficiant, neque illud tranſcendant, tum dicuntur iuſtitiã exercere, ac illius æqulitatem eiuſdem ſtudio excolere. Contra, inquit *Ariſtoteles*, *Iniuſtum inæquale: cum enim bonorum maiora ſibi adſciuerint, malorum vero minora admiſerint, id inæquale, & hoc modo iniuſtum, & afficere iniuria opinamur*.

Ariſt.lib 1. Mag moral.c.31.S. Tho. 2 2 q. 58.art. 10.

2 Hoc autem boni malique æquale, in quod iuſtitia intendit, duplex: naturale nempe & poſitiuum: naturale illud, quod à natura in homine rationali decernitur, ac idem eſt apud omnes gentes eiuſmodi naturã participãtes. *Nos*, inquit *S. Baſilius*, *iudicium quoddã naturale habemus*. de iſto diſſerit *Cicero*, nec inutiliter *Muretus* aliqua ingeſſit. poſitiuum id nuncupatur, quod ab imperio alicuius manauit, vtpote à Deo, à Principe, ab Eccleſia: à quorum mandatis primum dicitur poſitum & inuectum, & hoc quidem apud gentes pro earum diuerſis voluntatibus varium ac multiplex; vt S. *Ambroſius*, & *Plutarchus* diſſerunt.

Baſil.lib. Reg Fuſ. diſp. Muret.orat. 6.

Ambr in c, 7.ad Rom Plutar de Princip.

3. Vt vero hanc ipſam ciuilem iuſtitiam in ſuas ſpecies idonee diſtribuamus, intelligendum, eam eſſe quadruplicem: nempe communem, legalem; ſubiectiuam, atque poteſtatiuam. Communi quodam reſpectu omnis virtus dici poterit iuſtitia, ſi cum recta ratione ac Dei voluntate comparetur: quandoquidem in vniuerſis quædam ratio æqualitatis ſeruatur. quo modo temperantia, continentia, ac fortitudo ſunt iuſtitia: iuſte enim rectæ rationi, ac ea mediante, Deo, tanquam regulis, commenſurantur; à quibus neque deficiunt, neque illas quicquam excedunt. Iuſtitia legalis illa, quæ circa bonum commune ciuitatis occupatur: qualis in Principibus illuſtris ac ſpectabilis cernitur: ſiue hæc præſtita fuerit proprio aliquo opere, non aliunde quam ex eiuſmodi fine iuſtitia decorato, ſiue opere alterius virtutis in illum finem accidentaliter deſtinato, vt egregie docet S. Doctor. Iuſtitia ſubiectiua diuiditur in eam, quæ commutatiua, & in alteram, quæ diſtributiua. In commutatiua reperitur proportio quædam arithmetica: vtpote in contractibus, in commutationibus, locationibuſque: ac ſummarim in eis officijs, in quibus tantum pro tanto æqualiter rependitur. in Diſtributiua, veluti in prœmiatione, proportio Geometrica ſpectatur: ita vt perſonis inter ſe debite collatis, ſic præmium commune ad illos referatur, ſicut illæ inter ſe meritis, aut demeritis conferuntur. Nihilominus in prœmiatione & punitione reperitur etiam proportionis ratio Arithmeticæ, ſeu illius quæ ineſt iuſtitiæ commutatiuæ: quatenus nempe pro tanto benefacti, tantundem præmiationis; pro tanto malefacti tanta punitio rependuntur: proinde in illis æquale Arithmeticũ ſeu commutatiuum ſpectabile. Vt ergo percipiamus, in iuſtitia diſtributiua vtramque proportionem, Arithmeticam nempe, & Geometricam reperiri, intelligendum: Bonum prœmiatiuum, & Malum punitiuum duobus modis conſiderari. Primo quidem, quatenus veluti in maſſa, & ipſo toto, comprehenduntur. Secundo quatenus in particulari ob hæc bona opera remuneratio talis, iuxta ac ob hæc praua facinora talis punitio exercentur. Iuxta prioris notionem ſpectabilis prorpotio geometrica: eo quod hac proportione obſeruata, tam illud Bonum pluribus dandum, quam malum pluribus infligendum: ſimulque ipſæ particulares præmiationes & caſtigationes talem inter ſe habent proportionem geometricam, qualem habent inter ſe benefacta & malefacta: quæ quidem inæqualia eſſe poſſunt Arithmetice, nempe in multis maiora & minora. Iuxta poſterioris notionem decernenda proportio Arithmetica: quatenus tanto benefacto, tanta prœmiatio, tanto malefacto tãta punitio reſpõdet. Iuſtitia poteſtatiua exactam illam æqualitatem non conſtituit, quã iuſtitia ſubiectiua, neque eam eodẽ plane modo obſeruat. nemo enim poteſt Deo, parẽtibus aut magiſtris æqualia retribuere. quod autem hæc etiam in bonum alteri concedendum tota feratur, ex eo iuſtitia appellatur: veluti religio in Deum, pietas in parentes & patriam, beneuolentia in omnes, fidelitas, amicitia, cultus ciuilis, magnificentia ac ſimilia officia in aliorum delata bona. Quamobrem tam ſubiectiuæ, quam poteſtatiuæ materia, quantum ad vtriuſque actus externos, reperitur in eis bonis, in quibus ciues inter ſe communicant ac ius quoddam habent, vt docet *Ariſtoteles*.

Ariſt.lib.5. Ethic.cap.1.

S.Tho 2.2. q.58.art 6. & 7.q.61.ar. 2. Ariſt.lib.5. Ethic.c3.4.

4 Hinc liquet ratio, ob quam ciues ſeruata iuſtitia tam ſubiectiua quam poteſtatiua, inde alijs euadant amabiles; idque magis quam à reliquis virtutibus. nam prætetquam quod iuſtitia hæc plus conducat ad bonum commune quam illæ, eiuſque vſus amplior, vtpote tam in bello quam in pace frequentiſſimus, vt *Ariſtoteles*, & S. *Thomas* animaduertunt, occupata vlterius in aliorum bonis eadem, ſicut vtiliſſima ab ipſis æſtimatur, ita præcipua quadam ratione amabilis, & honorabilis ab eiſdem merito iudicatur. *Fortitudo*, inquit S. *Thomas*, *eſt vtilis aliis in bello, iuſtitia autem in bello, & in pace. Sola iuſtitia eſt*, inquit S. *Ambroſius*, *quæ omnibus temporibus aliis potius nata, quam ſibi, quotidiano vſu, & fructu publico, ſuo damno alienas cuſtodit vtilitates: quæ nihil habeat vtilitatis, & plurimum laudis*. Cum itaque materia iuſtitiæ ſit tam ſpacioſa, adeoque in multis obſcura, præſertim hominum malitia ac fraudibus in mores vitæ incidentibus, eam ob cauſam ad ſui decus ac firmamentum conſeruanda, eruditionem & arma tanquam *Palladem* adſciuit, quæ veritatem iuſti ac legitimi ex ſuis receſſibus excutiat, & aliquando iniquis ciuium conatibus, tanquam rudetibus, diu oppreſſam, in lucem, in fori actionem & ſententiam educat. illuſtrata ſane hæc virtus, ac *Muſagetes*: nedum tantum fortis & imperioſa; ſed vt ait *Ariſtoteles*, in vrbe omni *Lucifero* vel *Heſpero* ſplendidior refulget. Prudenter, docteque aſſignauit differentiam *Plutarchus* inter iuſtitiam, & alias virtutes, quantum ad beneuolentiam ab alijs captandam. *Neque enim*, inquit, *duntaxat in honore habent iuſtos, quemadmodum fortes, nec admirãtur, quemadmodum ſapiẽtes, verũ etiam amant, & illis confidunt*.

Ariſt lib 5. Ethic.c.2.

Ariſt.7 Pol, c.24.

S.Tho 22. q.58.art.2. S.Ambr.in Pſal.118.

Ariſt.lib.5. Ethic.ca.1.

Plutarc.in Caton. Vticen. Cicer.l. 1.off.c.6.l.2 ca.10.

Quod

5 Quod autem diximus, iuſtitiæ in vniuerſum munus, in aliorum bona ſuos conatus conferre, conſequens, illud non niſi ſubacti ac amantis ingenij eſſe officium, quo Barbaræ nationes deſtitutæ, non aliter quam rigido enſe ac neruis ius dicunt. neq; doceri volunt, doctrinæ impatientes, quid ex iuſtitia aliis tribuendum: vel ſi id perceperint, nihil ei concedent.

Ouid. lib. 1. de Pont. *Nec venit in duros Muſa vocata Getas.*

Quod cũ in omni ſpecie iuſtitiæ reperiatur, tũ maxime in poteſtatiua ac diſtributiua. nam ex iuſtitia commutatiua aliqua vtilitas plerumque colligitur, ex qua in eã ciues incitentur: in poteſtatiua autẽ & diſtributiua nõ reſpicitur priuata vtilitas mercimoniæ, ſed dumtaxat bonum alteri dandum, vtpote religio Deo, adiumentum, ornamentum & commoditas aliis tribuẽda. proinde exiſtimandum, propriam ſedem iſtius iuſtitiæ eſſe animi indolem mollem, ductilem, eandemque amantiſſimam. At quod vndiquaque ipſa natura integrum bonũ alicui non conceſſerit, inde verum, quod tam Philoſophia, quam experientia probant, videlicet quo ad vim concupiſcibilem, & amatricem induratos, propenſos eſſe in iniurias, in iniuſtitiã, neque multum inclinatos, vt aliorum bona ex iuſtitia procurent. Viciſſim qui aliorum valde diligentes, eoque iuſti, ij quo ad temperantiam & fortitudinem haud perfecte ab ipſorum indole comparari ſolent. ob quam cauſam apud Romanos qui ex iuſtitia celebres, ex intemperantia ac timiditate ijdem ferme infames: ac contra, temperantia & fortitudine nobiles, quo ad officia iuſtitiæ, & beneuolentiæ ſatis lenti, & frigidi apparuere. duo autem ſunt iuſtitiæ infeſta: ignorantia, ac voluptas, quibus magis opportuni, qui illam amantem indolem S. Tho. 2. 2. q. 58. art. 4. Valent ibid. diſp. 5. q. 2 puncto. 4. retinent: idcirco ne contra naturæ in ipſis docilitatem, iniuſti, aliorum incurii ſeu aliorum minus amantes euadant, duo illa mala, quantum in ipſis ſitũ fuerit, à ſe repellere debebunt. quod ignorantia ad iniuſtitiam facit, manifeſtum. bonum ſiquidem iuſtitiæ, quod hominẽ alliceret, bonum eſt rationis, & extra ipſum operantem conſtitutum. proinde vt talis boni notitia plenior habeatur; mens excolenda ac purificanda, cum ſimus eorum magis naturæ habilitate intelligentes, quæ ad nos ſpectant, quam eorum quæ ad alios. quæ intelligentia ſi abfuerit, omne illicium tantæ virtutis extinguetur. voluptate etiam præualente, duo incommoda ſequuntur contra iuſtitiam. Vnum eſt, euaporatio quædam, quam in mentis oculum ex imo corporis voluptas expirat: alterum, ſui amoris incrementũ, quod ingenerat: quo enim gradu quis ſe magis amauerit, eodẽ aliorũ bona citius prætermittet, ac minus curabit. Quamobrẽ ſicut ab ingenio aliorũ amantes, ſunt aliis, non æque amãtibus, inclinatiores ad iuſtitiam ac eius partes, ita quoque rationabiliores eiſdẽ inueniuntur: quod, vt ait S. *Thomas*, iuſtitia ſit virtus rationalis. Idcirco quando pueri indolẽ monſtrantes, frequenter mentiuntur, tunc argumentum dant, in ipſis deprauatam aut læſam vim rationis, ac ad omnimodã iniuriã propenſos: mendaces enim in furta, & vniuerſam iniuſtitiam acerrimi. quæ vitia maxime irrationabilia, ſicut iuſtitia eis cõtraria virtus præcipua quadã notione rationalis. Et ob eandẽ cauſam, difficilior eſt receptus animi ab iniuſtitiæ factis, quã a factis ex libidine: nam illa rationem, vnde omnis origo actionis, oppreſſam ac vitiatã oſtẽdunt: hæc autẽ naturæ ſolum lubricitati innixa, viua ac vegeta ratione, cũ cupiditas, vt ſolet, ſibi ipſi immoritur, ſuperatur: proinde non tam aduerſatur intemperantia principio ac vitæ actionis humanæ, vt iniuſtitia.

Conſcius in culpa non ſcelus eſſe ſua. Ouid. lib. 5. Triſt.

6 Neceſſitatem iuſtitiæ non ſolũ virtutis cõdicio, verũ etiam ciuilis emolumenti in vniuerſum ratio adſtruũt. dempta enim iuſtitia, illico voluptas impune erũpens, virtutes omnes ciuitate vna exturbaret. Hinc quod Deo ac ſuperis officij debetur, id totũ negligeretur: quod alieni eſſet iuris ac peculij, id õne violaretur: deniq; habendi cupiditas ita indies augeretur, vt priuatis imbecillũ bonis direptis, nullus exiſteret communis vtilitatis cumulus: atque ſic tandem voluptas, & licentia quiduis agendi, cum iuſtitia, cunctas pariter virtutes exterminarent. Excubat itaq; iuſtitia in præſidiis aliarum virtutũ. quod vero eadem omni plane aſſociationi requiſita, inde etiam inter malos ciues, vtpote hæreticos, fures, piratas ac ſimiles, diſtrictius quandoque eius vindicta exerceri ſolet: adeoque eo ſeuerius, quo innatum ipſis dogma, vel ſenſus, ad voluptates vitiaque magis incẽſa. Cicer. lib. 2. de off. *Nec illi* inquit *Cicero, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſunt ſine vlla particula iuſtitiæ viuere. niſi æqualiter piratæ prædam diſpertiunt, aut occidũtur à ſocijs, vel relinquuntur.* Cum enim ciuilis vita, actionibus aſpectabilibus cõſtat, quæ ad alios referuntur, tum illa perfici nõ poterit, niſi adſit iuſtitia: quæ nihil aliud, quam debita eiuis compoſitio ad eos, quibuſcum degit: vtpote ad Deum, ad ſuperos, ad parentes, ad amicos, ad thori ſociam, ad ſubiectos, ad ſuperiores, ad cõciues: cuius iuſtitiæ idonea, & abſoluta in eiun conformatio, honeſtas ciuilis dici ſolet. Iniuſtitia vero illi oppoſita, vniuerſam hãc coordinationem & habitudinem violat ac diſrumpit. & quemadmodum cemento excuſſo, lapides alicuius parietis ſoluti excidunt, ita ciues iam vi iuſtitiæ inter ſe propriis locis ac terminis definiti, ſi modo poſtea hanc iuſtitiam expugnarint, diſcordes inter ſe euadent: ac eo tandem, diſſociatione quadam facta, ab inuicẽ irati diſcedũt. neque ſane hoc crimẽ damno priuati alicuius ciuis continetur, cũ alicui iniuria infertur: nam quod vnuſquiſque eorum ſit membrũ ac pars reipublicæ, ei proinde illatum nocumentum, illam etiã ferit: & peculiari huius eiuis bono nocens alter conciuis, cõmuni vtilitati eodem infeſtus: quod hæc ex particularibus bonis eiuiũ coaleſcat. Quapropter iuſtitia oculata eſt virtus, vtpote maxime rationale volũtatis humanæ opus: vt enim æquale hoc ac debitũ in ſingulis inueſtiget, diligentiſſime omnia explorat Sicut enim diuerſæ ſunt perſonæ in ciuitate, erga quas iuſte ciues adficiendi, ita eadem iuſtitia, diuerſa agnoſcit debita, diſtinctoſque gradus ſui penſi & officij. hoc tribuendum iſtis indicat, aliud alijs, minus iſtis, plus illis, atque ſic æqua-

le hoc multiplex munere etiam multiplici perſequitur, vbique recte diuidens, optimaque obſeruata proportione, diſtribuens. qua in re virtus hæc naturam imitatur, quæ aliud genus paſtus & veſtimenti hominibus ſuppeditauit, aliud pecoribus: omnibus tamen ex æquo & bono pleniſſime prouidit. Iuſtus itaq; quodammodo ſui obliuiſcitur, vt notat S. *Ambroſius*, ex-
Ambroſ. in Pſalm. 118. tra ſe ad aliorum bona delatus. neque hoc ei eſſet incommodo, ſi omnes quibuſcum viuit, eſſent ſimiliter iuſti: ſic enim mutuo vniuſcuiuſque bonis omnes ſeorſim proſpicerent. contra iniuſtus, aliorum incurius, ſui ſemper memor, ab aliis auocatus, inſtar puncti, à ſeipſo incipiens, in ſeipſo deſinit.

7 Atque vt iniuſtitiæ crimen, maiorem, quam alia vitia, redolet malitiam voluntatis, ita duplici ratione teterrimam ſui ſpeciem oſtentat. primo quidem, quod bono communi, quod ciuili ſocietati acrius ac pernicioſius aduerſetur. Deinde quod voluntas, quæ eius noxā ſemel in ſe admiſit, tam facile non poſſit eam à ſe excutere. reliqua vitia incitante appetitu ſenſitiuo perpetrata, aut propter ſui fœditatē, vel quod eorum fomenta, nempe appetitus perturbationesq; Spiritus, vitales expirēt, illico in offenſionem delinquentis ipſius incurrūt: iniuſtitia vero, ſcelus malitioſum, non ita à paſſione animi ſuſtentatū, haud diſplicet tā cito illi obnoxio. cuius etiam reatus non expellitur, niſi animus adfuerit reſtituēdi, quod inique ablatū fuerit: qualis animus nō ſic in procliui reperitur in iniuſte lædentibus, cū acerbum ſemper eis appareat, reſtitutione in tenuiorē fortunā, cuius oppoſitū prius admirabātur, & appetebāt, decidere.

Ariſt. lib. 5. Ethic. c. 1. 8 Comparat idcirco *Ariſteteles* iuſtitiā *Heſpero* vel *Phoſphoro* micantibus ſtellis. Quemadmodum enim illæ ſtellæ purū cœlum, vt proprium locum requirunt, ita iuſtitia purū ab alijs vitijs animum poſtulat, quē inſideat: eſt namq; veluti fructus aliarum virtutū, ita vt vix poſſit inueniri, vbi paſſiones appetitus ſenſitiui immoderatæ flagrant, quas reliquæ virtutes deberēt edomare. Ex quo intelligere poſſunt principes, non alijs publicæ iuſtitiæ munera exercenda ab eis committi debere, quam pijs, quam temperan-
Prouerb 15. tibus: quam modeſtis, quam fortibus, quā humilibus, nam in vniuerſum affectiones vitioſæ, ſunt veluti fumi, qui ſuo appulſu hominis oculos obcœcant, & tanquam ſtimuli, qui a iuſtitiæ tramite in obliquū iniuriæ incitant. *Num-*
Cicer. lib. 1 off. *quam*, inquit *Cicero*, *iratus qui accedit ad pœnā, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum.* Qui impius fuerit, ac nulla opinione de diuinis imbutus, is quaſi ſolutis anchoris, in vaſto maris omnis iniuſtitiæ verſabitur: nentiquā alteri parcet, qui nullius numinis imperio ſe ſubiectum putans, per immenſum ſuorum affectuum impotenter iactatur. Porro, vbi fortitudinis firmamenta defuerint, ibi timor, ibi dolor, iuſtitiæ officium in diſcrimen adducent.
Cicer. lib. 2 offic. *Nemo, enim* inquit *Cicero*, *iuſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui egeſtatem timet, aut qui ea quæ ſunt contraria æquitati anteponit.* Iuſti ergo extitere Romani illi milites, qui ad conſtitutum diem ex condicto, ad hoſtes ſuos Afros, apud quos paulo ante captiui detinebantur, redierunt, qui fidem datam vitæ prætulerunt. *Tunc*
inquit *Seneca*, *per fictiles Deos iurabatur, qui per il-* Sen. de Conſol. cap. 10.
los iurauerant, ad hoſtem morituri, ne fallerent, redibant. Delicata eſt hæc virtus iuſtitiæ, ac nunquam in tuto, niſi cum eam temperantia, fortitudo & charitas obuallarint. Egregie ſane
Theognis admonuit: Theog. ſent. 9.

ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.
πᾶς δέ τ' ἀνὴρ ἀγαθὸς, Κύρνε, δίκαιος ἐών.

Omnis virtus in vna iuſtitia comprehenditur,
Omnis vir bonus eſt, Cyrne, qui iuſtus.

9 Inæqualitas vero quam iuſtitia decernit & moderatur, ex duobus oritur inter ciues. primo ex opinione nobilitatis, diuitiarum ac beneficiorum in rempublicam collatorum, deinde ex opinione maioris virtutis tam intellectualis quā moralis. Ex priori inæqualitate prouenit aliquando mutatio cum diſſentione in republica, dum nobiles, diuites & benefactores arbitrantur ſibi maiora deberi, quam quibus fruuntur: ac inde motus ab eis excitiari ſolent. Inæqualitas ab excellenti virture, raro pro-
rumpit in ſeditionem, quia Paucorum, teſte Ariſt. lib. 5. Pol. cap. 1.
Ariſtotele, niſi id ratio boni communis omnino poſtulauerit. ac inter inæqualitates ex virtute, ſæpius inæqualitas ex virtute intellectuali procurat turbationes rerum publicarum, quam ex virtute morali, quandoquidem illa valde obnoxia ſuperbiæ, & plurimum armet ingenium ad excogitanda idonea media ad rebellādum: hæc vero animi motus cōpeſcat potius, & placide in certo ſtatu quieſcat: illa armata *Pallas*, hæc *Iuno* quietior. Sed neq; ipſa æqualitas omnino aliena à ſtrepitu, nam ſi æquales, Principis voluntate, quod ad honores ac potentiā, fiant inæquales: illi æquales turbabuntur, reputātes,
ſe æquales cū illis, debere etiam æqualia à Prin- Ariſt lib. 5. Poll. 41.
cipe ſortiri. *Et ob eam cauſam*, inquit *Ariſtoteles*, *Quando non pro opinione ſua vtriq, reportant de Republica, ſeditiones concitāt.* Inæqualitas itaque inter ciues à Principe conſtituenda ex inæqualitate virtutis, cui nemo in ciuitate bonus, aut virtute inſtructus, aduerſabitur: *Nam id ſimpliciter rationabile*, ait *Ariſtoteles*, *vt hi ſoli præferantur, habeanturque inæquales.* Qui vero propter inæqualitatem ex virtute parati ad turbas, ad odia, & rebelliones concitandas, ij facilius & promptius in hæc mala conſilia proſiliunt, quando à Principe fiunt certorum ciuium promotiones propter virtutes intellectuales, quā propter morales: quandoquidē eis præditi non ita ab aliis habeantur pro bonis viris, quemadmodū iſtis inſtructi: proinde excellētes virtute intellectuali, facile reputari poterunt ſuperbi. ægrius etiam ferunt homines ſe ſuperari ab aliis ex virtutibus intellectualibus quam moralibus. Itaque vt in pace ſeruetur ſtatus reipublicæ ex iuſtitia cum inæqualitate, qui cæteris præſtant nobilitate, diuitijs, aut poteſtate, non debent illico exiſtimare quod abſolute præſtent, aut alijs ſint omnino inæquales, quandoquidem quod ad virtutes, & alia ornamenta ſeu ſubſidia poſſint eſſe inæquales: nempe alijs inferiores. ſtatus itaque *Ariſtocratiæ*, in quo pauci regunt, magis obnoxius

Democratia. nam in illo poteſt inueniri duplex inæqualitas. prima qua nobiles, quorum rerum ſumma, inter ſe diſſentiant, altera, qua cum populo pugnent. in iſto ſolum reperitur vnum genus inæqualitatis: illud nempe, quo populus quibuſdam nobilibus, aut diuitibus obſiſtit. proinde *Ariſtocratia fragilior Democratia.* vtriſque ſtabilior *Monarchia*, certiorem faciliorem que habet iuſtitiæ in inæqualitate æqualitaté.

10 Partes iam iſtius ciuilis iuſtitiæ perſequemur, ab illa omnium prima ac nobiliſſima, nempe religione, exordium ſumentes; ſubinde ad humanas alias recta methodo pertractandas accedemus.

CAPVT IX.

Quibus nominibus religio virtus ſacra, ſimul ac ciuilis, recte iudicetur.

Religionem hic deſcribendam proponimus, quæ externo corporis ritu, ex diuinæ excellentiæ in vno Deo æſtimatione, à nobis peragatur. Et quia in vniuerſum cultus nulli rei niſi excellentiæ debeatur, idcirco, primæ ac ſummæ excellentiæ in Deo ratio mente concipienda, vt voluntas poſtea noſtra hanc ipſam aſpectabili actione fateatur, ei ſe dimittat, ac ipſam colat quam obſequenter. Huiuſmodi vero excellentiæ in Deo, quam iure & incitatione naturæ, vt ait *Lactantius*, agnoſcere debemus, in quodam altiſſimo dominio ipſi proprio cõtemplamur; vt docet S. *Thomas*. illud autem creationis opere, prouidendi cura, remunerandi ac puniendi iuſtitia, nobis recollectum conſtat. Vnde etiam liquet, quod ſicut eiuſmodi Dominium Deo ita peculiare eſt, vt nullæ alteri rei poſſit competere, ita illum à nobis ipſi cultum decernẽdum conſtat, qui abſque crimine impietatis, nulli aliæ excellentiæ à nobis attribuendus. Quod vero cultus iſte non ſit terminandus ſolo interno opere intellectus aut voluntatis, multis oſtendunt noſtri Theologi. Quemadmodum enim anima in nobis, non tantum agnoſcit ſui originem ac Dominium in Deo, ſed inſuper corporis, inde eſt, quod corpus ex animæ imperio, rerum corporalium vſu vectigal ſuæ religionis ſimul cum anima dipendere oporteat. Hoc porro ad animæ ipſius eruditionem, & affectum plurimum facit. exteriora enim & viſu perceptibilia, præſertim genere ſuo illuſtriora, diuina & à ſenſibus noſtris remota, vtpote eorum adumbrationes ac ſimulacra, nobis idonee depingunt. proinde dum animum edocent, pariter voluntatem excitant ad cupiditatem erga ea vehementiorem amantioremque. Agnouerunt idcirco omnes nationes, virtutem hanc religionis ciuilem habendam: quod neutiquam feciſſent, niſi exiſtimaſſent, eam ritu aliquo externo perfici. non eſt enim ciuilitas niſi in eis rebus, in quibus omnes ciues commune ius ſibi vendicant. at hoc ſolum in rebus externis reperitur, non in animorum internis notionibus vel motibus, quos ſcire nequeunt ciues, neque de illis proxime, & per ſe legem aliquam valẽt conſtituere. Si ergo religio æſtimanda virtus ciuilis, eatenus ſic habenda, quatenus aſpectabili corporis actione peragitur. *In quo etiam apparet*, ait S. *Thomas*, *ſe homines eſſe non meminerunt, dum ſenſibilium ſibi repræſentationem neceſſariam non iudicant ad interiorem cognitionem & affectionem. In his autem corporalibus Deo exhibendis, cultus Dei conſiſtere dicitur.*

Lact. l. 3. de fal. ſap. cap. 22. S. Thom lib 3. cont. gent. cap 119. 2. 2. q. 84. — Ariſt. l. 5. et. cap. 2. — S. Thom li. 3 cont Gẽt. cap. 119.

2 Norma autem, ad cuius amuſſim religio hæc tam quo ad opinionem diuinorum, quam quo ad externam cæremoniam, exprimitur, ſapiẽtia eſt ac fides diuinitus reuelata, vt ait *Clemens Alexandrinus*: quod, & omnes gentes falſæ ſunt, peculiares ſuas reuelationes in eum finem venditantes. *Socratis eſt ſententia*, inquit S. *Auguſtinus*, *Deum ſic coli oportere, quomodo ſe ipſe colendum præcepit.* ob quam cauſam æſtimatum, Romanos non coluiſſe Deum Iudæorum cum aliis Numinibus, quod ille ſolus coli ſua data lege voluerit. At nos veram ſententiam in vtriſque diuina reuelatione aſſequuti ſumus: ac nouimus, qualis Deus in ſe, & quo ritu a nobis venerandus & inuocandus. *Omnem religionem*, inquit, *Arnobius*, *facit recta de Deo mens.* S. *Romanus*, vt cecinit de eo *Aurelius Prudentius*, iſtis alloquutus eſt infideles:

Clem. Alex l. 1. pæd. ca. 11. 7. — 8 Auguſt. l 8. ciu. c. 16. — Arnob. l 7. cont. Gent. — Rom. 10.

Noniſtis ipſum, nunc colendi agnoſcite
Ritum, modumque, quale ſit templi genus,
Quæ de dicari ſanxerit donaria,
Quæ vota poſcat, quos ſacerdotes velit,
Quod mandat illic nectar immolarier.

Prudent. in carm. Periſ. de S. Rom

3 Religionem in hunc modum inſtitutam, rebus ciuilibus eſſe prorſus neceſſariam, probant imprimis omniũ gentium voces ac conſuetudines, earum præcipue, quæ ſua magnitudine latius, ſimul ac ætate diuturnius, dominatæ. Ingẽs illud Romanũ imperium, vt ſcribũt *Saluſtius* ac *Plutarchus*, quoad ſtudiũ religionis, quamlibet gentẽ ſiue Græcam, ſiue Barbarã, lõgo interuallo poſt ſe reliquit. eam vero ab *Euãdro* parente, ex Arcadia in Italiam profugo, Romani acceperunt initio, agreſtem licet, & paſtoriciam.

Saluſtia coniur. — Plut. in Camillo.

Exul ab Arcadia Latinos Euander in agros
Venerat, impoſitos attuleratque deos.

Ouid lib 5. Triſt. Virg. 8 Æneid.

Opinari licebit quoque *Saturnum*, hominem Græcum ac ſubdolum, ex quo Roma *Saturnia* nuncupata, eos religionum ritus edocuiſſe. deinde *Æneas* vniuerſam illam Græcanicæ ſuperſtitionis farraginem in Romana tẽpla inuexit.

Macro. li. 1. ſap. 7. 89.

Serus ab Iliacis, & poſt Antenora flammis
Attulit Æneas in loca noſtra Deos.
Inde Deum colimus deuectaque ſacra Pelaſgis.

Ouid 4. Faſt. & 1.

Quanta animi obſtinatione in cunctis rebus agendis ſuperſtitionẽ hanc Romani vſurparint, dictu incredibile! *Romana reſpublica*, inquit, *Plutarchus*, *pie in omnibus cum Græcis ſentiebat*: magiſtros tamen ſuos in cultu eiuſdem religionis ab ipſis acceptæ ſuperarũt. Etenim ipſi Græci, religionum licet opifices, ſacrilegio tamen paſſim infames. imo Græcanicis inuentis non contenti Romani, vt rem religionis amplificarent, ferme omnium etiam nationum ſacra in vrbem ſuam aduocarunt, nullam plane ſuperſtitionem reſpuentes, dum omnium idolis inſeruire voluerint, vt narrat S. *Leo*.

Plut in camil. — Leo ſer. 1. de SS. Pet. et Paul.

Nos in templa tuam, Romani, accepimus Iſin,
Lucan. lib. 8 *Semideoſq; canes, & ſiſtra iubentia luctus.*
Et quem tu plangens hominem, teſtaris Oſirim.

Huiuſmodi peregrinorum deorum vi armorum raptum, poſt conſulatum *Piſonis* & *Gabinii* præcipue contigiſſe narrat *Arnobius*; ſub *Tiberio* ait *Seneca* auctum.

Arnob. l. 2. cont Gent. Sueton. in Tib. Sen. ep 108. ad luc. Lipſ. in 2. l. Anal. Tacit

4 Nullus ferme vitæ humanæ ſtatus, nulla ciuium condicio, locus nullus, temporis principium nullum vel exitus, nullum denique apud Romanos negocium ciuile, quæ religione ſacra eſſe noluerunt. *In delectu magiſtratuum*, vt inquit, *Arnobius*, Romanos compellans, *nunquid ſeruatis de cælo, aut ocioſas facitis obnunciationibus actiones? Cum paratis bella, ſignum monſtratis ex arce? aut fecialia iura tractatis? Per clarigationem repetitis res raptas? aut martium diſcrimen obeuntes, ſpem prælis ſumitis, & ex acuminibus auſpicatis? in poteſtatibus obeundis leges conſeruatis annarias? in donis, in muneribus Cincias? in cohibendis cenſorias ſumptibus? in penetralibus veſtæ ignis perpetuos fouetis focos? ſacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris deorum? cum in matrimonio conuenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum genios aduocatis? nubentium crinem celibari haſta mulceris? puellarum togulas fortunam defertis ad virginalem? matresfamilias veſtra in atriis operantur, domorum induſtrias teſtificantes ſuas? potionibus abſtinent vini? affinibus, & propinquis oſculari eas ius eſt, vt ſobrias comprobent, atque abſtemias ſe eſſe?* Cum vita hæc apud eos natiuitate inchoanda, ſtatim *Lucina Diana* ſacra eam excipiebant. Natalicia ſequebantur. Mox à patre familias ſingulis mẽſibus ſacra dijs pœnatibus oblata. *Ac diis*, vt canit *Euripides* de *Antigono*, *dicatis ſacra tutelaribus*

Arnob. l. 2. cont Gent.

Ouid l. 5 Triſt. de nat. vxor. Triſt. 2 de ſuo natal. Eurip. in El. Plaut. Amp. Plat. Dial 10 de legib.

Per ſingulos celebranda menſes.

Imo vel ſingulis diebus *Ioui* litatum. *Mos* inquit *Plato, ita apud omnes inoleuit, Græcos & Barbaros, quotidie in ortu & occaſu ſolis, etiam & Lunæ, ſuppliciter deos adorandi.*

Neque vnquam mane Ioui libato nigrum vinum.

Heſiod. li 1. op. & dies.

De quotidiano antem ſacro videtur carmen compoſuiſſe *Iuuenalis*, ob reditum *Catulli* rem ſacram obiturus.

Iam ſequar, & ſacro, quod præſtat, rite peracto,
Inde domum repetam, graciles vbi parua coronas
Accipiunt fragili ſimulacra nitentia cera.
Hic noſtrum placabo Iouem, laribuſq; paternis
Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores:

Iuuen. li. 4. Satyr. 12.

Nihil negocij alicuius momenti vel à Græcis vel à Romanis ſuſceptum, cuius primum ortũ religio non auſpicatum effecit. *Sit nobis*, inquit *Plato*, ſequutus *Pythagoram*, *omnino tanquam votum, & deprecatio quadam, omnibus in rebus & dicendis & cogitandis, principium ſemper à diis faciendum. Plutarchus* loquens de Romanis ait: *In initio pugnæ ſuperos adorabant, maius ſcilicet momentum in religionis obſeruantia, quam in vincendis hoſtibus ad ciuitatis ſalutem pertinere arbitrantes.* acturi bellum, direptis à pœnatibus armis apertaque *Iani* porta, religione vires muniebant: eoque confecto, victricia arma ad eoſdem Deos referebant. *Primum vinculum militiæ* ait *Seneca religio.*

Plat ep. 8. in Timæo. Pyth. in aur. carmin Plut. in Mar.

Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, lares.

Ouid. lib. 4 Triſt. Sen. ep. 95. ad lucil.

Domum egreſſuri, vt narrat *Plinius*, ſubſiſtebant in limine, *Conſultare aues, reuererique Numina moniti. Bene ac ſapienter, patres conſcripti, maiores inſtituerunt, vt rerum agendarum, ita & dicendi initium, à precationibus capere.* Ciuilia negocia tractaturi, non alibi conueniebant Senatores, quam in Capitulino *Iouis* templo aut alio, vt *Cicero* ac *Dio* teſtantur. *Venis paratus Seruilius* inquit *Cicero*, *Ioui ipſi iniquus, cuius in templo res agebatur.* quo ſignificarunt, pietate in Deum, ac illius ſaluo iure, reipublicæ ſalutem procurandam, & de ea conſultandum: quando autem referebatur de religione, vtpote de ſupplicationibus, vt idem *Cicero* narrat, *In illo genere Senatores deeſſe non ſolebant: cogitur enim non pignoribus, ſed eorum, quorũ de honore agitur, gratia.*

Plin. in Pan. Traian.

Cic. lib. 10 Fam ep. 12. Dio. lib. 46.

Templaq; Tarpeia primum tibi ſedit adiri,
Et fieri faciles in tua vota deos.

Ouid. 4. de Pont. ad Pomp.

Inde ex mandato *Augusti* Imp. vt referunt *Suetonius* & *Gellius*, non niſi in templo cogendus Senatus. Ex quo eueniebat, Romæ Chriſtianos Senatores, recuſantes in templo *Iouis Capitolini* aut alibi ritu gentilicio immolare, Senatu fuiſſe excluſos, aut martyrio adfectos. quo artificio falſæ religionis hodierna die vtuntur Angli in ſuis parlamentis, qui ad ſubigendos aut puniendos Catholicos, negocium conſultationis auſpicantur à iuramento, quo Regium primatum in Eccleſiaſticis profitentur. Hi nullum fœdus firmum duxere, niſi quod religio ſanciverat, contractum nullum matrimonialem illibatum reputarunt, niſi quem ſacer ritus confirmarat: defunctorum animis requiem ac beatitudinem haud promiſere, niſi quibus religioſa expiatio obuenerat.

——— *ſanguinem libat focis,*
Solidaſque pecudes vrit, & multo ſpecum
Saturatur cruore. libat & niueum inſuper
Lactis liquorem; fundit & Bacchum manu
Læua.

Sen. in Oed.

Hoc quidem exemplo, in tam claro, auguſtoque imperio expreſſo, ſatis conſtat, quantum momenti rebus ciuilibus adferat tam in pace quam in bello exactius culta religio. *Muros Romanos*, inquit *Cicero*, *vos Pontifices ſanctos dicitis, diligentiuſque vrbem religione, quam manibus cingitis.*

Suet Aug. Gell. lib. 14 cap. 7. Cic. l. 3 de nat Deor.

5 Quinimo hanc eſſe ipſius Dei diſtrictiſſimam voluntatem, vt cum pie ac multiplici cæremonia omnes mortales colant, colligitur quoque ex republica Iudæorum: apud quos viguit externa facies religionis illuſtris, iuxta ac varia, plurima ſpecie eam diſcernente. Cuius ius, Dei ipſius mandato omnium primum erat, ac præ omnibus inuiolabile: quod ſacra hiſtoria ſatis euidẽter nobis retulit. Iam autem quod aſſeruimus de ciuilitate religionis, ex ipſa Philoſophia idem pariter comprobabimus.

6 Triplici, vt diximus, animi parte conſtat homo: rationali nempe, concupiſcibili & iraſcibili: in quibus ciuiliter componendis laborandum, vt ciues inter cætera iraſcibili non horreſcant, aut ex ea mutuo ſint truculenti. Huic autem officio, vt *Plato* diſſerit, plurimum conducit religio; idque duobus modis. primo quidem interna voluntatis dimiſſione, quam Deo frequenter exhibet. nam quo erga ſuperos

Plat. in Gorgia.

erunt

erunt ciues teneriores ac ad reuerentiã proniores, eodem inter ſe pariter, maxime ſi matrem Aug. ep. 160 Eccleſiam imitati fuerint, vt notat S. *Auguſtinus*, fient humaniores, à feritate, à rigore naturæ alieniores. deinde hoc idem efficit externa ipſa cæremonia, vtpote congreſſus, cantus, lætitia, publicum epulum, ex quibus ſolent homines molleſcere, & à rigido ſuperbiæ faſtigio ad benignos mores comitatis, amicitiæ & charitatis ſocietatem inclinari. Proinde vt hiſtorici Romani ſcribunt, *Numa* Rex multus fuit in inducenda religione, vt ſui, prius agreſti ac prædatoria plane vita exaſperati, inde ſuauiores in conuictu euaderent. Iſtis proinde in hac Plat lib. .. de Regno. re Principes oportune admonuit *Plato*. *Oblata occaſione prætendenda vrbanitatis, frugalitatiſque, venerare Deos, & per pietatem in honorem eorum opibus tuis vtare. magnopere enim affici multitudo ſolet & in opinionem adduci colendos venerandoſque eſſe immortales Deos. quando pietatem eorum conſpiciunt, quos maxime ipſi ducunt tam magnifice & alacriter diuina proſequentium, atque tot ſumptus haud grauate impendentium.* Qui quidem ſumptus, non ſolum perſuadent alios, colendum Deum, verum etiam eorum animos conciliant, ac ad rependendum amorem promouent. Proinde miſericordia, hilaritas, ac ſpiritus dulcedo religionem affectantur. Etenim religio eo nomine ingentem vim obtinet ad remittendum plurimum de naturæ rigore, quo mærores, animique deiectiones exigendo, lætitiam affert eum ſumma iucunditate numen colentibus.

Ouid. lib. 2 de pont. el. *Dii quoque vt à cunctis hilari pietate colantur,*
Triſtitiam poni per ſua feſta iubent.

Legem Romanam, ſeu potius Græcoromanam, Cic. lib. 2 de leg. iſtis *Cicero* recenſuit: *Ludis publicis, quod ſine curriculo, & ſine certamine corporum fiat, popularem lætitiam in cantu & fidibus & tibijs moderanto, eamque cum diuorum honore iunguntο.* Idcirco iuxta *Platonis* ſententiam, ad ſtudia muſica, quæ iraſcibilis appetitus furori aliquid detrahunt, animumque oblectant, religio referenda. Quod ſi nos Chriſtiani in aliquibus religioſe lugeamus, cum hoc ad Dei amorem conducat, & ex illo prodeat, ipſemet luctus ſuauem mitemque ſpiritum in nobis procurabit. *In Fa-* Plut. lib. de Inſtit. ciuil. *riis*, inquit, *Plutarchus*, *lepide atque ſcite alludendum, aſſentiendumque deorum ſolemnibus ludis, atque ſpectaculis celebrandis: tum vero diſſimulandum atque conſulto nonnihil prætereundum, tanquam nec viderit quicquam nec audierit.*

7 Hinc *Aurelius Prudentius* iuſte redarguit *Veſtalium* religiones, vtpote inciuiles, quod eas non potuerit ſatis mites, condolentes, ac benignas reddere, crudis vtpote ſpectaculis gladiatorum delectatas, animis & oculis inde barbaram haurientes voluptatem.

Prud. lib. 2 cont Sym. *Et quoties victor ferrum iugulo inſerit, illa*
Delicias ait eſſe ſuas: pectuſq; iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi.

Qui ergo ſacris addicuntur, illos maxime decet ſenſus iſte indulgentiæ & humanitatis. ob Ioan. 18. quam cauſam in Paſchate Iudæi, malefactores non occidebant. Plat. li. 2. de Republ. Ariſt. 3 Pol. *Sacerdotem*, inquit *Plato*, *in ferenda necis, carceris, exilii ſententia, contaminari nephas.* atque inter alia, quæ ad frangendum iraſcibilis facultatis rigidum tumorem faciũt, inſignis eſt illa humilitas, quam pii exhibent, dum externum ritum religionis ad Eccleſiæ legem peragunt. Reges ipſi Iudæorum, vt ſcribunt *Iuuenalis*, *Egeſippus*, ac *Giraldus*, frequenter nudis pedibus incedentes, Deo ſupplicarunt. Eccleſ. 3. *Magna Dei potentia, & ab humilibus honoratur.*

Iuuen. lib. 2 ſatyr. 6. *Obſeruant vbi feſta mero pede ſabbata Reges.*

Egeſ. l. 2. de bel. iudaic. Girald. Dial. 10. *Berenices* Regis *Agrippæ* ſoror, gentis ſuæ cauſam agens apud *Feſtum* præſidem, *Adſtabat nudis pedibus religioni inſeruiens.* Ex hoc ritu ac ſimilibus in religionis negocijs vſurpatis, ſuperbia omnis caſtigatur, exigitur, & humiles ſpiritus imbibuntur. Qua in re conſilium *Numæ* Regis iſtis *Ouidius* expoſuit.

Principes nimium promptos ad bella Quirites
Mollire placuit iure, Deumq; metu. Ouid. lib. 3. Faſtor
Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet, August. l. 3.
Captaque ſunt pure tradita ſacra coli. ciu. cap. 2.
Exuitur feritas, armiſque potentius æquum eſt,
Et cum ciue pudet conſeruiſſe manum.

Enimuero cum religione ſemel ciuibus conſtiterit, quanta ſit Dei maieſtas, quantum illius in nos ac res noſtras dominium: quod ea quis ſæpius religionis officio recolat, & certis imaginibus ſibi repræſentet, fieri vix poterit, vt appetitus in illo iraſcibilis in alios inſoleſcat vel ferociat, quem tanta Dei dignitas ſua agnitione ac cultu iam compreſſerit, & ad timorem ipſius compulerit. Ouid. Ep. 7

Non bene cæleſtes impia dextera colit.

Quis non adfirmabit regium ac martium animum *Dauidis*, religionis humili cæremonia ſubactum, ad verba eius ac factum qui attenderit, dum nempe ante arcam Dei totis viribus ſaltabat, dicebatque aliis vel ipſum ridentibus: 2. Reg. 2. 1. Paral. 15. *Et ludam, & vilior fiam plus quam factus ſum. Et ero humilis in oculis meis?* Quinimo Ethnici cultores hanc ſubmiſſionis formam præ ſe tulerunt, idque capitum ſuorum velaminibus ſignificarunt. Plaut. in Amphit. *Inuocat Deos* ait *Plautus*, *vt ſibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto.* peculiari autem ritu Cinerum, ciliciorum, Iudæi ſeſe coram Deo ipſi ſupplicantes humiliabant, indeque in ſeipſis rigorem omnem faſtus, & arrogantiæ frangebant. quo ſpectaculo Deus delectatus, paſſim ita ipſum adeuntium votis annuit. etenim omne peccatum in Deum oritur ex quadam præfracta audacia, qua ſeipſum quis per ſummum ſcelus cordis duri in Deum erigit. ob quam cauſam Deo gratum intueri, duritiam hanc inſolentiæ in nobis fractam, dimiſſam, & calore charitatis liquefactam. ad quod cum religio multum conducat, tum eo nomine plurimum nobis ſalutaris.

8 Præclarus porro ciuilitatis effectus, quo ciues fiunt mutuo amabiles: quo charitas & beneuolentia inter eos propagantur. Cæterum vero, qui pius ac religioſus videtur, is apparet omnibus plane virtutibus inſtructus: quod religio non ſolum inter virtutes morales primum locum teneat, ſed etiam quod eadem mater ac radix omnium aliarum exiſtat. vnde monita, vota, promiſſiones, iuſſus ac iniuſſus,

aſſeuerationes & inficiationes eximie colentium Deum, maximi ponderis apud ciues eſſe ſolent: ad quæ ne vel malitioſa ſuſpicio aliquando peruenire poterit. Sicut enim auet religioſus diuinum Nomen placare, ita vehemẽter cupit cunctis virtutibus in eius oculis fulgere, & ſe tanquam cœlicolam in illis ſupremis locis, idoneo apparatu hic inferius verſari.

Prud. in Perv. Carm. de S. Laur.

Illic ſacerdos ſtat ſacrato in limine,
Foreſque primas virgo cuſtodit fides
Innexa crines vinculis regalibus,
Poſcit litari victimas Chriſto & Patri,
Quas ſcit placere candidatat, ſimplices:
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, caſtitatem corporis,
Dei timorem, regulam ſcientiæ,
Ieiuniorum parcitatem ſobriam,
Spem non iacentem, ſemper & largam manum.
Ex his amænis hoſtijs ſurgit vapor,
Vincens odorem balſami, thuris, croci
Auras madentes Perſicorum aromatum,
Sublatus inde, cælum adusque tollitur,
Et proſperatum dulcè delectat Deum.

Cicer. lib. 2. de leg.
Flor. l. 29.
Cic. l. de iuuen. Clem. Alex. l. 2. ſtrom. Aug. l. de ver. rel. Cyr. Alex. l. 2. de Fide.

Quod vero religio omnes plane virtutes in comitatu habeat, ideo malis, vtpote contaminatis, non præbet acceſſum ad Deum religio. *Donis impij ne placare audeant Deos?* Platonem audi ait, *qui vetat dubitare qua ſit mente futurus Deus, cum vir nemo bonus ab improbo ſe donari velit*, vt Cicero recolit. Hinc *Peſſinuntina Dea* in vrbem inducenda, vt *Florus* ſcribit, *Reſponſum habebatur, vt Numen id ab optimo viro reciperetur, conſecraretur que*. Sapientia Dei hoc viſa adſeruiſſe, dicens, *Initium ſapientiæ timor Domini*: nempe *timor* Domini: ea enim pietas ac religio in Dominum, quæ, teſte *Cicerone*, timorata ac reuerentialis in Dominum: vt hoc *Clemens Alexandrinus* interpretatur. S. quoque *Cyrillus Alexandrinus*, & S. *Auguſtinus* religioni, & eius timori initium bonæ vitæ attribuunt.

9 Hæc ipſa religio, quo ad ciuilitatem, commendabilis quoque ab externo nitore, & corporis puritate, quibus internum animi candorem ac decus repræſentat, & profitetur. Hinc emerſere præparatoriæ apud veteres expiationes, quibus animis quaſi purgati, ac loti, ad rem ſacram celebrandam aptiores ſubinde reddebantur.

Heſ. oper. & dier. li. 2.

Neque vnquam mane Ioui libato nigrum vinum
Manibus illotis, neque aliis immortalibus:
Non enim illi exaudiunt, imo reſpuunt preces
Eius, qui manus non affert lotas a malitia;
Succenſent Dij, & damna dant in patriam.

Pap. l. 5. ſil.

— — procul hinc procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tantum.
Inſontes, caſtoſque voco.

Dionyſ. l. 7. Plin. paneg. Traian. Sen. epiſt. 31. S. Thom. 2. 2. q. 8. art. 4. Ouid. faſt. 4.

Lotis manibus inquit *Dionyſius hordea porriciebant. Animaduertito*, ait *Plinius*, *etiam Deos ipſos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia, & ſanctitate lætari. Ab impuro* inquit *Seneca*, *munera capere, neque bonum virum, neque Deum decet.* Omnium optime *S. Thomas*: *Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abſtrahatur, vt ſuperna rei poſſit coniungi: & ideo mens ſine mundicia Deo applicari non poteſt.*

Et manibus puram fluminis hauſit aquam,
Ter caput irrorat.

Iul. capit. in M. Aurel.
Plut. q. 6. no. 111.
Plut. queſt. Rom. q. 73.

Quæ quidem puritas adeo in vniuerſum adfinis religioni, quod etiam veteres vtpote M. *Aurelius* illam plurimum affectarint, tam corporum quam animorum integritates in ſe, ac ſuis myſtis requirentes. apud Romanos litaturus ſe Tyhridis aqua prius abluit. *Sic enim* ait *Plutarchus*, *præſcriptum eſt litaturo. Flamen* non tangit fermentum, nec carnem crudam attrectat, quæ neque animal neque cibus: ſimiliter neque canem aut capram, propter eorum iudicatas impuritates. Augur vlcere affectus, apud eos, aues de more religionis obſeruare non potuit: *Vlcus enim* inquit *Plutarchus quædam eſt mutilatio & pollutio corporis.* Chriſtiani ipſi ad hoc profitendum, Eccleſiam ingreſſi, ſe aqua luſtrali aſpergunt, tam ſanguinis Chriſti, quam ſuæ inde puritatis memores: in quem finem eos olim manus lauaſſe auctor eſt S. *Chryſoſtomus*. Enimuero qui ſe in hunc ritum animo purum præſtare nititur, is nihil magis exhorrebit, quam vitiorum maculis contaminari: is, vti Dei aulico congruit, non tam corporis ſplendores albis induti, vt meminit S. *Chryſoſtomus*, quam animi curabit; ſimul ac longe aberit ab inferiori illuuie voluptatis, & ab omni iniuriæ nocumento in alios. agnoſcens ſe quippe Numinis idoneum adoratorem, perfectionis ipſius, moribus ſuis imaginem aliquam exprimet, quo illi vicinior redditus, inſuper eodem familiarius, & confidentius religionis opere cum illo ſuauietur. *Hæc acceptabilis victima eſt*, ait *Lactantius*, *quam de ſeipſo animus immolat. nam quid hoſtia? quid thura? quid veſtes? quid aurum? quid argentum? quid pretioſi lapides conferunt, ſi colentis pura mens non eſt?*

Chryſ. Hom. 52. in Math. Anaſt. li. de ſynax.
Hom. 52 in math.
Lact. in ep. S. Chryſ.

10 Ad ciuilitatem porro eo nomine multum confert Religio, quod eiuſdem præſides ſeu Antiſtites poteſtatem habeant in munera reliquarum virtutum, adeoque in res omnes externas, quæ virtuti quomodolibet inſeruire poterunt. hoc enim pacto vniuerſa ciuilis vitæ officia Deo ſancte deuouentur, ac Ciuium reſpectu confirmantur. vt enim Religio aliis virtutibus eminet, ita illas ſuo in eas imperio, ſtabiles facit ac ſacras: quippe quod ad altiſſimum ſuum finem eas excitet. Hoc Romani diligentiſſime obſeruarunt, *Aruſpicibus* Sacerdotibus omnia plane dimittentes. de quo hæc Cicero. *Maximum autem & præſtantiſſimum in Repub. ius eſt Augurum, cum eſt auctoritati coniunctum. neque vero hoc quia ſum ipſe Augur, ita ſentio, ſed quia exiſtimare ius eſt neceſſe. Quid enim maius eſt, ſi de iure quærimus, quam poſſe a ſummis imperij, & ſummis poteſtatibus comitia tollere? concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid grauius quam rem ſuſceptam dirimi, ſi vnus Augur aliter dixerit? quid magnificentius, quam poſſe decernere, vt magiſtratu ſe abdicent Conſules? quid religioſius, quam cum populo, cum plebe agendi ius dare aut non dare?* atque de eodem imperio ſacerdotum *Augurum* in omnia plane negocia ciuilia, adeoque ipſa intra magiſtratuum, hæc alibi: *Teſtis eſt noſtra Ciuitas, in qua & Reges, Augures, & poſtea priuati eodem ſacerdotio præditi,* Diuinat.

Cic. li. 2. de legib.
Cic. li. 1. de

rem

Feſt verb. ordo.

rempublicam religionum auctoritate vexarunt. Pontifex Max. vt ait Feſtus, quod index habetur rerum diuinarum, humanarumque. hanc ob cauſam in dignitates rerum ciuilium ac poteſtatũ delinquunt, qui renuunt fateri eas imperio religionis & ſummi antiſtitis ſubiectas: religione enim & poteſtate eccleſiaſtica nobilitantur, neque prorſus tendunt in finem breui temporis ſpacio limitatum, ſed potius in finem nunquam finiendæ beatitudinis. proinde error eſt carnalis libertatis, ex appetitu & profana Sapientia profectus, quò eccleſiæ arbitrio res ciuiles impie adimunt. Videamus modu, ex quibus ſtudus ciuilis religionis vires inter ciues coaleſcant ac confirmentur.

CAPVT X.

Quænam in religione vere ſacra ac ciuili, ſpectanda.

Ariſt. lib. 5. Pol.

VT relligio aliqua ſit, habeaturque ſacra & ciuilis, imprimis videndum, eam ſolidis diuinarum reuelationum fundamentis innixam, non verò inuenticijs quibuſdam artibus excogitatam, ſeu in gratiam certi alicuius ſtatus politici decretam, vectigalibus ſuſcipiendam præſcribi. Hoc ſanè ad monuit *Ariſtoteles*, definiens, a ciuibus colenda numina ſine *Simulatione aliqua ex ſtultitia*. etenim ficta relligio, vel ea, quæ non aliunde amplexanda, quam quod magiſtratus commodis applaudat, nullam vim retinebit ad trahendum ciues in ſui ſincerum cultum & obſequium: nihil imperij exercebit in eorum intimos affectus. ingenia porro præclariora eandem paſſim aſpernabuntur, deridebunt; quippe conſcia abſurditatis ac falſitatis quam in ſe eiuſmodi ficticia religio implicat. Vnde conſequens, negocia ciuilia priuanda omni ſolido ſubſidio a tali religione: qualis etiam vel immanitate atheiſmi demum conuellenda, vel ſententiæ ſtultitia variò iactanda. Cuius rei tanta cura apud Romanos, vti teſte *Cicerone*, *Conſules ſummum imperium ſtatim deponere voluere, quam id tenere punctum temporis contra religionem.* Ex quo conſtat, *Elizabetham Bolenam* quondam Angliæ Reginam, haud ciuiliter ſatis ciuibus prouidiſſe, relligiones Proteſtanticas in ditionibus ſuis confirmando, tametſi priuatis commodis ſatis accuratè eo conſuluerit: quandoquidem totum hoc peregerit, quo nuptiarum legitimarum ſe fœtum oſtenderet, quas Romanus Pontifex antea damnarat. hinc fæmina Eccleſiæ Anglicanæ caput primum emerſit: hinc eadem *Caluini* impietatem cum externo Eccleſiæ Catholicæ ritu committendo, neſcio quid relligionis monſtri ouo ſerpentino excluſi, orbi viſendum propoſuit. *Taurus draconem genuit, & taurum draco.*

Cicer lib 2. de Nat. deor.

Arnob l. 5. cont. gent.

2. Deinde ciuilis ea relligio, quæ eorum reſpectu, qui in vniuerſum idem inſtitutum profitentur, communior ac magis Catholica. nam præterquam quod hæc ſit inde credibilior, eſt porro paci cum externis ſeruandæ conuenientior, proprio honori procurando aptior, cum alijs, tractandis negocijs oportunior. Alexandrini, quò ad ritus diſſidentes a Romanis, acerbè & cum quadam inimicitia ſolebant eorum religiones perſtringere.

— — et mores vrbis damnante Canopo. Iouenal. l. 9 Satyr. 14. 15

Tria relligioni inſunt, magna quadam vi conſtantia. Primum, quod leuia, quod minuta, imo interdum fœda ac præpoſtera in ſpeciem boneſtet, ac populo tanquam diuina plurimum commendet. Hoc Romæ & Alexandriæ præſtitere religiones plane abſurdiſſimæ. Romani inter cætera, corporum nuditates, in platæis publicè aſpiciendas, Bacchicam temulentiam, immaniſſimaſque cædes, relligioni conſecrantes, neſcio quo diuinitatis fuco, talia nobilitantes, ad venerationis ſacræ maieſtatem ritumque extulerunt.

— — Fortunatos obuia turba vocat. Ouid 3. Faſtor.

Alexandrini felem, crocodilum, vitulum ac porrum adorantes, huiuſmodi res ad Numinum dignitates, cum populi ſumma veneratione ſublimarunt. Alterum religioni inſitum in eo conſiſtit, quod tam ab ea diuerſam, quam ei aduerſam, omnino ridiculam peregrinis & externis exhibeat. Narrat *Philo*, Romanos mille iocis ſuo tempore proſequutos religiones Iudaicas. hudierna Die Ethnici noſtra, & nos illorum ſacra, ſine cachinnis non adſpicimus. *Iam dudum* inquit *Arnobius, nos pudet ad eum locum venire, in quo riſum tenere non poſſunt, non tantum puerili & proceres, verum etiam ſerii, atque in mores tetrica aſperitate indurati.* etenim omne quod in hoc genere nouum, inſolitum, id ridiculum plaue apparet. Poſtremum, iratus quidam acruleus eſt, quem in aliam religionem hæc in ſe continet. *Combi* crocodilum, *Tentyra* accipitrem tanquam Numina diſcriminatim venerabantur. at ex horum idolorum viſceribus diſflati ignes diſcordiarum, vtramque gentem in crudelia bella ſæpius inflammarunt, demumque in cineres extremi excidij reduxerunt.

Phil. l. legat. ad Caium. Arn. l. 4 cont. Gent.

Ardet adhuc Combos, & Tentyra ſummus vtrimq;
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum
Odit vterq; locus cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

Iouen. li. 5. ſatyr 14. 15

Plut. lib. de virt. Alex.

Imo *Socrates*, tametſi opinione doctrinæ & virtutis celebris ac ſuis amabilis, in graue tamen eorum odium incurrit, vt ſcribit *Plutarchus*, quod in ciuitatem peregrinos Deos inducere ſtuduerit. Quocirca illa religio ciuilior, paci ac bonori gentis alicuius commodior, quæ vniuerſalior, & apud plures acceptior.

3 Ea porro ciuilis ac ſacra religio, quæ ciuium æſtimationibus honoratior, diuiniorque renunciatur. nam cum religio, propter ſui obiecti dignitatem cunctis virtutibus moralibus emineat, tum ea aſſerenda à ciuibus, quæ digna eiuſmodi popularium cultu, prudenti iudicio cenſeatur: ita vt à religionis ſublimitate, ad cæremonias ipſas, atque myſtas, prima maximaque auctoritas atque præſtantia, eiuſdem populi calculis, veluti naturali fluxu, redundent. hoc Romani diligentiſſime obſeruarunt, vel ipſa Conſulum officia, quod refert *Florus*, ſacrorum Præſidi, ac eius iuſſui, ſubijcientes. quo

Flor. lib. 14.

modo

modo *Poſthamius* conſul, vi religionis prohibitus exercitum ducere in Africam, quod *Flamen* eſſet, non tantum Conſul. De rebus autem religioni deuotis hæc *Ariſtoteles*: *Ex Impenſis, quas honorabiles dicimus, illa ſunt, quæ ad Deorum donaria, ædificationes, & ſacrificia pertinent.*

Ariſt. l. 4. Moral. c. 2.

4. Quod autem non ſolum animi motu, ſed corporis quoque actione ac cæremonia, vti oſtendimus, religio perficiatur, inde ad eam pertinere meritò exiſtimamus ſpeciem quandã illuſtrem, magnificam, auguſtiſſimamque. Sicut enim in vniuerſum excellentiæ cultus debetur, ita ſupremæ, quæ Deo ineſt, ille, qui rebus nobiliſſimis exhibeatur. quo ad humana, corporum ornamenta, & honorum aſpectabiles modos, ex eorum dignitatibus, quibus ea concedenda, definimus. Pari modo Dei ipſius infinitam perfectionem, ſimul ac bonitatem animis dimetientes, noſtram quoque ſub illo exiguitatem cum illis conferentes, rectè ſtatuimus, ei delatum cultum rerum plane gemmis ac floribus, raritate ſua ac precio plurimum æſtimabilibus, debere contineri. æquum ſanè, vt is qui omnia in ſuum honorem condiderit, a noſtra pietate omnium præſtantiſſimis ſpeciebus coleretur. & quod apparatus iſte externus excitationi noſtrarum mentium in diuina multum inſeruiat, inde intelligendum, ea ſigna religioni huic ſummæ præ cæteris conuenire, quæ acria ac illuſtria ad feriendum ſenſus, aures præſertim & oculos. Huc reducimus templorum magnificas ſtructuras, altarium ſplendidos apparatus, lumina accenſa, ſuaues odores, ſacrificij qualitatem, vaſorum argentea aureaque metalla, ſonos muſicos ac ſtudia. Cæterum non hæc requirimus, quaſi iſtis Deus indigeat aut commodi alicuius incrementum ex eis lucretur, ſed vt nos ipſos vehementius iſtis in diuina excitemus, ac pro rei magnitudine deuotius & obſequentius, cum ſupremo Numine, ſalutis noſtræ momenta, vt rei magnitudo poſtulat, tractemus. *Afferte Domino gloriam & honorem Si ego Dominus, vbi honor meus?* At neque ſplendores iſtos ſecernimus ab interiori animi affectu, vel eis plus delectari Deum quam iſto cogitamus: notant enim *Stoici*, & multi alij veterum, propitios quondam hominibus magis extitiſſe Deos fictiles, quam poſtea aureos: eo ſignificantes, Deum non tam cenſum a nobis hac in re quærere, quam piam voluntatem, pro facultatum ratione cæremonia exprimendam & teſtificandam.

Parap. c. 29. Pſal. 98. Malach. 1.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta ſono.
Si quis erat, prati factu de flore coronis,
Qui poſſit violas addere, diues erat.

Ouid. l. 1. Faſtor.

Verum noſtrum, reſpectu ciuilitatis ſcilicet ac ſanctimoniæ, præſtat omnino, Deo cultum exhibere ſplendentem, precioſumque.

Nos quoq; templa iuuant, quamuis antiqua probemus,
Aurea maieſtas conuenit ipſa Deo.

Ouid. ibid.

5. Omnes ferme gentes quotquot pietatis vllam curam profeſſæ, in huiuſmodi ſtudium ornate & ſumptuoſe colendi Deum, vel naturæ ipſius inſtinctu operoſiſſime incubuere. Hinc fingunt Poetæ, vt carm *Callimachi* conſtat, nato *Appolline* in *Delo*, illicò vniuerſam inſulam auream euaſiſſe. Cui figmento argumentum ſuberat ingens illa vis auri, quam, donaria mittendo ex omnibus orbis locis creduli cultores, in eam inuexerant. Religio vero Iudæorum, Dei ipſius lege deſcripta, quo ad hãc faciem, omnium præſtantiſſima, adeo vt vel externos ac martios licet Principes, vti *Alexandrum*, *Nicanorem*, *Heliodorum*, *Antiochum*, *Pompeium* in ſui admirationem venerationemque compulerit. Iſtius autem ratio ducenda ex eis, quæ pompa religionis repræſentanda.

Callimach. Hym. 4.

6. Quatuor vero religio, cultoribus ob eorum oculos ſub ſpecie vmbratili, contemplanda proponit: Dei nempe maieſtatem, cœli ipſius gloriam, in eodem ſupremam noſtram futuram beatitudinem, denique eximia dona, quæ Deus in homines abunde contulit. quæ omnia cum generibus ſuis maxima ſint ac ſumma, tum æquum, eorundem apud homines religioſa ſimulacra, ſua qualitate, pondere ac forma pariter eſſe præcipua. Quod ſi proportio iſthæc defuerit, religio aut abſurda, vel omni neruo caſſa, ieiuna turpiter apparebit. Ex quo *Tertullianus* merito redarguit quorundam veterum religiones veluti frigidas & inanes, quod ſcilicet vel vnum dumtaxat thuris granulum, aut aliquot vini guttulas Deo parce & ande immolarent. Vnde conſequens, templa & veſtitus ſacerdotales, debere nobili aliqua materia ac pura cõſtare. Templũ enim, ſeu Eccleſia, imago eſt ipſius cæli: in qua proinde Numinis ſpeciem refert apud nos Sanctiſſimi Sacramenti præſentia. Antiqui noſtri Theologi in Epiſcopo ſeptem Diaconis obſepto, Deum inter ſeptem ſpiritus, vt in Apocalypſi refertur, collocatum, veluti in quadam ſimilitudine ſuſpexere. Hinc inde vero accenſis luminibus, Angelorum Beatorumque variè diſpoſitis ſignis & ſacellis, eiuſdem cœli incolæ repræſentantur. Par autem omnino, Eccleſiam tam præclaris rebus ſui ornatu concinne & apte reſpondere, vt pie eam adeuntes, perfectiores notiones diuinorum animis capiant, iuxta ac ardentiori affectu in eas moueantur: quo etiã à rebus perturbatioris vitæ aliquantiſper feriati, ſuauius hic inferius poſiti, in cœlo ſuo, tanquam apes in aluearijs, delicientur. Veſtitus autem ſacerdotalis propter eandem rationem repræſentandi, ſecretus eſſe debet a plebeio ſeu laico, quod munera ſacerdoti obeunda, longe diſcrepent ab officiis popularium in foro aut alibi, eaque in immenſum ſuperent dignitate. Sacerdos, Dei Angelus, Dei ad homines legatus. proinde vt talis vel ſuo habitu agnoſcendus ab aliis, & ab illis congruenter colendus. Cuius rei tantum momentum extitit, vt Romæ & aliis in locis ſæpius Ciues infeſtis armis ſeſe mutuo aggreſſuri, cum nulla eloquentiæ dulcedine, nullo clamorum, eiulatuum, lamentationum, aut lacrymarum potentia cohiberi potuerint, vel vnius ſacerdotis ſacris veſtibus induti aduentui ac viſui e veſtigio ceſſerint, & ad pacem placidiſſime quantumuis tigrides, componi voluerint. Hoc *Alexandro*,

Tertul. in Apol. c. 13. Ignat. Ep. ad Tral. Malach. 2.

Ioſeph. l. 11. Antiq.

xandro, furibundo animo irruenti in Iudæos contigit, vt narrat *Ioſephus*. Vidi ipſe ſacerdotalia ornamenta Chinenſium, Iaponiorum, atque Perſarum, & vt ſingula à vulgaribus plurimum diſcrepabant, ita maieſtatem quandam religionis apertiſſime præ ſe ferebant. Congruit itaque ciuili religioni, ſacerdotalem apparatum, cum Deo ipſi, tum muneri, quod ſacerdos exequitur, apposite ac ſcite reſpondere.

Virgil. Æneid. 10. 535

Nec procul Æmonides Phoebi Triniaque ſacerdos
Inſula cui ſacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veſte, atque inſignibus armis.

7 Requirit hæc eadem ſacra, & ciuilis religio, vt cæremoniæ ſpecies ſit pariter omnino illuſtris, acris, ac ſenſibus gratiſſima. quo referendæ veterum luſtrationes, purioris aquæ libationes, ac ſimilia. Vt enim canit *Callimachus*,

Calimach. Hym. Apoll.

non quæuis aqua in Sacris Deæ *Cereris*, a myſtis vſurpabatur, ſed delecta, ἀκήρατον limpidior nempe, & veluti aquæ flos erat Diuæ ſacrificandus. eodem ſpectarunt flores, & ſuaues odores, quibus rem ſacram illi veteres paſſim peragebant.

Papin. lib. 1. Theba.

——— ——— Templa coronata,
Semper odoratu ſpirabunt floribus ara.

Homer. Iliad. 2.

Achilles primo mane vinum *Ioui* litaturus, aureum ſcyphum, vt *Homerus* recolit, ex arca deſumpſit, quod infuſum caperet, effuſumque immolando decoraret.

Dein medio conclaui adſtans ex tempore libat
Vina, polum intuitus, Sciphumq; recondidit arca.

Ouid lib. 3. Triſt.

Scilicet expectas ſolitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris veſtis, vt alba meis,
Humida cingatur florentibus ara coronis,
Micaque ſolemni thuris in igne ſonet?

Ob quam cauſam, martii homines, parta victoria, erigere ſolebant trophæa ex hoſtium ſpoliis ornatiſſima, aut eorum direpta arma nobiliora *Iano*, vel *Marti* conſecrare. Vnde, quo armis inſignioribus hoſtem indutum conſpiciebant, eo acrius ad pugnam incitabantur, qua obita, Diis ex deuictis manubiis dona ponerent illuſtriora.

Virg. l. Æneid. 11.

Hunc virgo, ſiue vt templis præfigeret arma
Troia, captiuo ſiue vt ſe ferret in auro
Venatrix, vnum ex omni certamine pugnæ
Cæca ſequebatur, totumque incenſa per agmen
Fæmineo prædæ, & ſpoliorum ardebat amore.

8 Quod vero in hoc religionis inſtituto palmam ſanctitatis ac ciuilitatis obtinet, ſacrificium eſt ſoli Deo, cultu latreutico offerendum, idque a ſacerdote, ad id muneris, diuinitus ordinato. adeo hoc apud omnes gentes in vſu perpetuo fuiſſe poſitum reperimus, vt vel ipſe dæmon, mortalium animos dementando, hoc genus cultus, ac ſi Deus haberi cupiuerit, ab eiſdem diſtrictiſſime exegerit. Pij autem ſecum reputantes, Deum omnium eſſe auctorem, vitæ ac necis Dominum, eſſendi & non eſſendi iuſſorem, vt hoc de illo religioſe profiterentur, ex eis quædam ei in ſacrificium immolarunt, immutarunt, deſtruxerunt: in quibus, vt

Paral. 29.

porcin delibatis, omnia ſua diuinis honoribus deuouerunt: imo ſeipſos Deo obtulerunt vel morti obnoxios, ſi modo eius iuribus tuendis occaſio ipſis fuerit occumbere. quod eum præſtantiſſimum ducerent, tum victimam ipſam coronatunt floribus, optimam ſortem inter res eius generis eo conſequutam pronuntiantes.

Ouid lib. 4. Triſt.

Altaque velantur fortaſſe palatia ſertis,
Thuraque in igne ſonant, inficiuntq; diem.
Candidaque adducta collum percuſſa ſecuri
Victima, purpureo ſanguine pulſat humum.

Apud *Virginianos*, iuuenes iam puberes facti, ſe beatos reputant, & ab aliis mirifice coluntur, qui ſacrificiis addicuntur ferales victimæ. Fœminæ Iaponianæ defunctis maritis, glorioſum, atque in cœlis prœmio dignum habent, viuas adhuc ſubterraneas foueas intrare, ibidemque iniectis ruderibus obrui: proinde ſumma populi celebritate, & cum maximo earummet ornatu, ad tale funus deducuntur. Quod ad materiam ſacrificii, apud veteres, duæ erant eius ſpecies præcipuæ: ſcilicet fruges terræ, & certa quædam animalia.

Porphyr. li. de eſu carnis. Ouid. lib 1. Faſt. Macr. Satur. c. 4.

Priorem *Porphyrius*, & alii, affirmant altera fuiſſe antiquiorem: imo recolit *Ouidius*, Romanos, cum adhuc pauperes eſſent, fruges terræ dumtaxat ſacrificaſſe. *Nunquam fas fuit Ægyptiis*, ait *Macrobius*, *pecudibus, aut ſanguine, ſed precibus & thure ſolo, placare Deos.* Vniuerſaliter autem ſacrificium apud omnes, præſertim ciuiliores, conſtituit materia ornatiori, & illuſtriori: qualis apud Iudæos anniculus labis expers, iuuenca nondum collum iugo preſſa, animalia munda, apud Romanos tauri pingues, thura, oleum, flores, & ſimilia.

Dan. 3. Ouid. 4. Faſtor.

Ante coronarunt puppim, & ſine labe iuuencam
Mactarunt, operum, coniugiique rudem.

9. Ex iſtis intelligi poterit, quænam religiones minus ciuiles extiterint. Sunt enim aliqui populi, Boreales præſertim, moribus quidem ſordidis, neque valentes diuinæ perfectionis egregiam aliquam notionem animis concipere, qui nitore, puritate, & magnificentia cæremoniæ prorſus caruerunt. & ſane nullum apertius indicium vilis ac barbari ingenii, quam incuria, negligens, abiecta, tenuis ac impura religionis apud eoſdem forma: hinc enim conſtat, ſenſus hominum craſſos eſſe, impolitos, incultos, duros, ac ineptos, qui de prima ac ſumma Dei excellentia quicquam idonee animis percipiant. Vnde pariter conſequens, eoſdem rudes eſſe, ad recte æſtimandum de aliis excellentiis humanis, vtpote de illa, quæ ex virtute, & altera, quæ ex auctoritate conſurgit.

10 Inciuiles itaque hac ex parte religiones Græcorum, atque Romanorum, quatenus in ſuis templis, eis formis, Deos repræſentabant, ſub quibus laſciuiam, crudelitatem, crapulam, & furta, in terris exercuerant. Hoc enim eorum cultores ad ſimilia

Ariſt. 7. Pol. cap. 17.

 vitia,

Plin proœm. hiſt Nat. l. 1. c. 7. Arnob l. 6. cont gent. Greg. Naz. orat. 1 in Iulian Prudent l. 1. cont. Symmach.

vitia. & ad impudentiam prouocauit, vt *Plinius*, fatetur. Pariter inciuiles alij ipſorum ritus, qui nihil præter turpitudinem hominum oculis ingerebant: quales in more apud cultores *Veneris* in *Cypro*, teſte *Arnobio*, apud *Corybantes*, *Bacchi.os* & *Lupercalia* celebrantes, vt animaduertit S. *Gregorius Nazianſenus*. *Quem ſeruulorum*, inquit *Prudentius*, *non reat viliſsimum*,

Nudus plateas ſi per omnes curſitans,
Pulſet puellas verbere ictas ludicro?

Arnob. l. 5. & 6. cont. Gent. Auguſt. lib 8. cut. c 21. 26. Diodor. l. 1 et 3. Strab. l. 10.

de qua turpitudine, & alijs a veteribus in religionem aſſumptis, diſſerentes *Arnobius*, & S. *Auguſtinus*, contra eos egregie argumentati. ad hanc ipſam profanam petulantiam referendæ religiones Bacchicæ, temulentia, ſaltationibus, & cantibus inepte conſtantes.

Vt quas pampinea tetigiſſet corniger haſta
Creditur. huc illuc, quo furor egit, eo.

Ouid. epiſt. Laod. Plutar. l. de ſuperſtit. Ouid. 3. Faſtor.

Expiationum impuriſſimarum meminit *Plutarchus*, ac intulit, præſtare, nullam potius eſſe religionem, quam talibus ritibus implicatam.

Ebrius incinctis philyra conuiua capillis,
Saltat & imprudens vertitur arte meri.
Inuenies illic, qui Neſtoris ebibat annos,
Quod ſit per calices facta Sybilla ſuos.
Illic & cantant, quidquid didicere theatris,
Et iactant faciles ad ſua vota manus.
Et ducent poſito duras cratere choreas,
Cultaq; diffuſis ſaltat amica comis.
Cum redeunt, titubant, & ſunt ſpectacula vulgi,
Et fortunatos obuia turba vocat.
Occurrit nuper, viſa eſt mihi digna relatu,
Pompa. ſenem potum pota trahebat anus.

Arnob. l. 5. cont. gent. et 6.

De iſtis Arnobius ait: *Bacchanalia etiam prætermittemus immania: quibus nomen omophagiis græcum eſt: in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate. circumplicatis vos anguibus, atque vt vos plenos Dei Numine ac maieſtate doceatis. caprorum reclamantium viſcera cruentis oribus diſsipatis.* atque licet hæc impura cæremoniarum deorumque, veteres illi ad ſententiam naturalis Philoſophiæ vtcumque tranſtulerint, nihilominus hæc cuncta inciuiliter in religione peregere, hoc eſt, laſciue, fœdeque, ac ad ciuilium virorum ſenſum, aut oculorum decora ingenia, neutiquam accommodate. neque vulgus iſtiuſmodi ritibus, & ſignis prorſus inhoneſtis ad ciuilitatis normam inducendum fuit in opinionem metumque deorum, vt recte

Ariſt 7. Pol. c. 17.

Arnobius concluſit, *Ariſtotele* interim hoc ignorante, ac dicente, publicis legibus ac moribus Diis permitti laſciuiam.

II Ac quemadmodum ex parte libidinis a concupiſcentis ardoris, priſcæ iſtæ religiones inciuiles extitere, ita pariter eandem notam ſubiere, iraſcibilem furorem in hominibus nimium excitando, ac in rabiem eos diſponendo. in hanc claſſem immanis

Virgil, Æneid. 12.

religionis, humanorum ac ſpirantium corporum ſacrificia piacularia, in feris deuota, ludi gladiatorii ac theatrales diis exhibiti, reiicienda: quibus omnia loca publica humano ſanguine apud Romanos madebant. *Macella & amphitheatra*, inquit *Arnobius*, *conſtituunt loca ſanguinis & publica impietatis.* ex quibus ciues nihil aliud diſcere, quam immites eſſe, quam mutuo incrudeſcere, quam effuſi cruoris ſpectaculis oculorum crudelium cupiditati matutinis horis, vt recolit *Seneca*, ſatisfacere.

Arnob. l. 2. cont. Gent. Prudent. l. 1. cont. Sym. Auſon. Eglog. de Feriis Rō. Senec Ep. 70. ad Luc. Luc. l. 4.

Tantum religio potuit ſuadere malorum.

Verumtamen, tametſi ad ciuiles mores efformandos religio vi incredibili præſtiterit, extitere tamen nonnulli, qui tantum ciuilitatis firmamentum conuellere, & exterminare diſſerentes laborarunt, cum quibus modo manus conſerendæ, ac in eos ſtylus noſter diſtringendus.

CAPVT II.

Religio expiatrix, bonorum conciliatrix, malorumque depulſatrix, contra Stoicos, & Epicuræos aſſeritur.

TRia mala, grandioris alicuius ſceleris factum ſubſequuntur, quæ mortales eis affectos, in cupiditatem expiationis vehementiſſime perpetuo extimolarunt: næuus nempe tetri facinoris, animæ puritatem coinquinans, ac in eam altius impreſſus, reatumque æterni ſupplicii in ſe implicans: irregularitas porro quædam, a ſacrorum participatione impuratos obarcens: demum pœnarum temporalium a Deo iuſte infligendarum demeritum, illoſmet obſtringens: quæ quidem adeo indecora ac grauia detrimenta hominum iudiciis viſa, vt nihil miri, ſi noxij, eorum aliquem ſenſum habentes, in ſtudia expiationum vehementiſſime exarſerint, quo Deo reconciliati demum, ac diuinis redditi, animi tranquillitate, prioribus malis exactis, ſubinde fruerentur. Si enim ciui acerbum, ſui Principis iratum ac commotum vultum in ſe contemplari; ſi moleſtum, veſtium fœditate ignobilem in foro aut in aula quempiam melioris notæ apparere, ſi triſte, conciuium ſocietate excludi, horumque remedia valde proinde expetibilia. quid inſoliti, aut admirandi, ſi flagitiis contaminati, expiationes ſolertiſſime ſectentur, cupidiſſime eas deſiderent, quarum virtute ad animi nitorem, ad Dei fauorem, ad ſacrorum communionem, veluti poſtliminio redirent? Quod ſi veras & efficaces expiationes cogitemus, videbimus, illas a Deo ſolum inſtitutas, neque humanis inuentis potuiſſe excogitari, vel vt ſalutares aliis præſcribi. nam quemadmodum peccatum in Dei bonitatem eſt offenſa, ipſius in nobis imaginis quædam fœda contaminatio, ita eiuſdem Dei ſolius opus, id hominibus proponere exequendum, quod reditum cum ipſo in gratiam perficiat, quodque ſuæ imagini ereptum decus reſtituat. Iudæi idcirco inter mortales ſoli expiationes haſce a

Deo

Deo primitus acceperunt, ſacrificiis ac variis luſtralibus ſacris conſtantes. nulla tamen earum eam virtutem in ſe retinuit, quæ tanquam cauſa completa, aut ad modum *operis operati*, gratiam iuſtificantem ac purificantem efficiendo attingeret. Si quid ergo quantum ad hoc effecerint, id tribuendum fidei ac pietati eorum, qui ſacra adminiſtrarunt aut ſuſceperunt. at quo ad iuſtitiam legalem, ſeu ad abolendum ineptitudinem ad quorumdam ſacrorum vſum, vtpote ad ingreſſum in templum, ac ſimilia, propria vi, & *opere operato* erant ſatis efficacia. proinde horum reſpectu S. *Paulus* appellat baptiſmata illa, ſordium mundatricia, ac carnis iuſtificationes. Nos vero à Chriſto Domino edocti, veras dumtaxat modo retinemus expiationes tam a maculis peccatorum, quam ab eorum pœnis eluentes: vtpote Sacramenta *Baptiſmi*, *Confeſſionis*, *Vnctionis extremæ*; iuxta ac tremendum Sacroſanctæ *Miſſæ ſacrificium*.

August. l. 5. De Baptiſ. cap. 9. 10.

Heb. 9.

2 Quarum externarum expiationum in vniuerſum cæremonia, ita apud omnes gentes viguit, vt ipſam a natura, cunctis communi, profluxiſſe quodammodo, exiſtimare poſſimus: tam enim ratione habita reconciliationis cum ſupremo Numine, quam admiſſionis ad ſecretiora ac diuiniora ſacra, eam in more poni cunctæ nationes voluerunt. *Plato* tamen, & *Cicero* quædam ſcelera contra iuſtitiam ac pietatem perpetrata, ſuo genere maxima, exiſtimarunt nullo vnquam ritu expiari potuiſſe, neque vel a funere ipſorum ſontium ab aliis expianda. *At vero*, inquit *Cicero*, *ſcelerum in homines, atque impietatum nulla expiatio eſt.* De aliis flagitiis contra temperantiam, & continentiam expiandis, illi veteres quaſi parum laborantes, ſæpius quidem conſtituerunt. Græcia vero officina extitit harum expiationum, apud Romanos in vſu ſubinde poſitarum. *Telemachus* recenti cæde fœdatus, vt ſanctius libaret *Ioui*, expiatione præmiſſa inde habilis reddi appetiit.

Plat. in Gorgia.

Cicer. l. 2. de legib.

Profer ſulphur anus, & purgamenta malorum
Flammas, queis ædes luſtrem.
Hectoris quoque hæc vota:
Illotis manibus rutilans libare lyæum
Formido: nec trux vſquam Saturnius audit
Turpia ſanguineo ſœlatus corpora tabo.

Homer. Odyſſ. 10. Heſiod l. 5. oper. & dier. Eurip Electra.

Ægiſtus apud *Euripidem* parricida factus, hanc ipſam purgationem affectauit. Romani poſtea varias ſuas emaculationes ex fluminibus, ſulphure, flammis, ſummo opere eduxerunt.

Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis aceruos
Traiicias celeri ſtrenua membra pede.

Ouid. Faſt. 4.

Imo ſuperſtites, defunctorum etiam ſcelera certis ritibus expiare ſolebant, pro eis effuſum lac ac pecudes nigri coloris, vt referunt *Seneca*, *Plinius*, & *Papinius*, læua manu ſacrificantes.

Senec. oed. Plin. l. 7. Ep. 27. Pap. Thebaid.

——————— *Nigraque Diana.*
Electos ceruice greges, luſtraliaq́; exta,
Lacte nouo perfuſus edet Vulcanus ignis.

Imo ad Indiæ *Peruanos*, expiatrix hæc cæremonia, teſte *Botero*, peruenit: de quorum Rege expiato hæc ſcripſit: *Rex confitetur ſua peccata non ſacerdoti, ſed ſoli, vt ea ſol Deo renunciet. Deinde immittens ſe in profluuium, huiuſmodi verba profert: peccata iam ſoli confeſſus: tu flumen defer in mare, vbi in ſempiternum maneant demerſa.* mercatoriam expiationem ad portam *Capenam* deſcribit *Ouidius*:

Boter. lib. deſcrip. orbis.

Spargit, & ipſe ſuos lauro rorante capillos,
Incipit & ſolita dicere voce preces.
Ablue prætérita periuria temporis, inquit,
Ablue præteriti perfida verba fide.
Ah, nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua!

Ouid. 5. Faſtor. & 2. Faſtor.

3 Enimuero naturæ, ac ipſi veritati conſentiens, ciues ſecum reputare, quædam crimina eos ſacris indignos exhibere, ac ad ſummorum ſacrorum participationes præter cordis pœnitudinem, requiri externam aliquam cæremoniam, ſeu ſacramentum puritatis. Hoc quidem apud nos, veros Dei cultores, cernitur in expiatione *Confeſſionis* factæ ſacerdoti, qua paramur, vt Sacroſancta myſteria *Eucharistia* idoneè participemus. Exhorruit quandoquidem S. *Dunſtanus* Epiſcopus, Regi Angliæ, crimine incontinentiæ polluto, manum vel contingendam permittere: illumque eius rei cauſa ſic alloquutus: *Tu poſtpoſito omni pudore, adulterium commiſiſti, tu deſpecto Deo, ſignum caſtitatis non veritus, nunc virgini ſuam caſtitatem præripuiſti: & cur manum ſummo patri virginis filium immolantem, impuris manibus tuis non tradam, quæris?* quanto autem magis illius anima a peccato expianda ac mundanda, qui diuinum Chriſti corpus ac ſanguinem edere ac bibere conſtituit? Si enim aulici, qui in principis conſpectu continuo verſantur, diligentiſſime curant, ne veſtitu ſint immundi, vel actione immodeſti, ſane qui diuina hæc ſacra peragunt ac percipiunt, a Deo ipſo inſtituta, Chriſti ſanguine ſacrata, ne vel *Cereris* ſacerdotibus ac cultoribus ſint inferiores, ſtudere debent, vt puri ſint, vt ab omni grauiore delicto expiati, ac eo conuenienter præparati. Ciuile eſt hoc apud nos, quod religioſum, ſanctum ac purum: eoque multum commendabilis diuina in nos bonitas, quæ nobis in vitia procliuibus, tot præſidia expiationum conceſſerit.

Sur. in vita S. Dunſtani.

4 Cæterum *Epicurus* animo totus auerſus ab omni vtilitate, ſeu ſacra ſeu ciuili conſequenda ea religione, tria obiicit contra verum eius fructum, noſtramque inde boni alicuius expectationem. Inprimis ait, idem eſſe Deum flecti hominum precibus, ſeu determinari ad aliquid concedendum, faciendum, aut non faciendum, ac ipſum horum mediis eſſe Deum: Cum Deus, ſicut ſeipſo Deus, ita ſeipſo operetur, vel non operetur. quomodo enim, ſciſcitatur, procurare poterit noſtra pietas vt aliquid ſit in Deo, aut non inſit? Deum autem, ſiue creando, ſiue concurrendo cum aliis cauſis, operari forma aliqua in ſe exiſtente, eaque

reali ac ſolida, manifeſtum. concludit ergo, nulla pietas poterit eſſe cauſa gratiæ, aut alterius doni diuinitus concedendi hominibus: vel vt ordo naturalium rerum in eorum fauorem permutetur, deſtineturue ad aliquid particulare producendum, quod illa pietate non exiſtente, haud eſſet futurum.

Lucret. l. 5. ——— ———*quid enim immortalibus atque beatis*
Gratia noſtra queat largirier emolumenti,
Vt noſtra quicquam cauſa gerere aggrediantur?
Quidue noui potuit tanto poſt, ante quietos
Inlicere, vt cuperent vitam mutare priorem?
Quidue nouis rebus nos delectare videtur,
Cui veteres obſunt? ſed cui nihil accidit ægri
Tempore in anteacto, cum pulcre degeret æuum,
Quid potuit nouitatis amorem accendere tali?

Deinde ſtatui diuinæ immutabilitatis aduerſari intulit *Epicurus*, Deum ad aliquid præſtandum noſtro cultu, veluti forinſeco impulſu, induci. iam enim inde decerneret id facere, adeoque faceret, quod prius neque decreuiſſet, neque feciſſet: ſaltem eius decretum ſequutum fuiſſet ordine cauſæ & effectus noſtram pietatem. omne autem in Deo ſubſequens, & ab extrinſeco dependens, primæ ac ſummæ eius repugnat ſimplicitati & immutabilitati, quæ in omni momento, vel animo noſtro conſiderabili, eadem perpetuo ac inuariata. Demum ſic ratiocinatur: Rebus ciuilibus haud congruit ciuium ipſorum ſuperbia, aut propriæ excellentiæ nimis exaggerata æſtimatio. Verum religioſi, cogitantes votis ſuis valere ſe Deum ad agendum, aut non agendum determinare, imo ſæpius determinaſſe, ad cogitationem tam excelſæ & admirabilis in ſeipſis poteſtatis, paſſim præ aliis hominibus ſuperbire poterunt: vel ſaltem ciues inde erunt proni, vt ſuperbiant: inciuilis eſt ergo pietas, quæ vltra popularem eius vſum ad exercendos vulgi animos, aliquid commoditatis nimis alta cupiditate à Deo præſtolatur; vt etiam ex ſententia *Senecæ* ait S. *Augustinus.*

Auguſt. l. 6. ciu. cap. 10. 9 Stoici vero, noſtræ pietati ſuum fatum opponentes, tantæ virtutis neruos penitus quoque eodem ſuccidere. Fato contendunt omnia dirigi: & vltra fatum, ſeu rerum naturalium connexionem, & ab illa effectus, nihil à Deo concedi definiunt. vnde conſequens, fruſtraneum opus mortalium, orare Numen, vt ipſis largiatur dona gratiæ vel naturæ: cum in fato cuncta incluſa, iam præfigantur. Cui dicunt, ſi Deus refragaretur, aut illud agendo excederet, ipſe ſibi contrarius reperiretur: quippe euerſor fati appareret, quod ipſe ſemel conſtituit. quod fatum Virgilianus *Iupiter* ingenioſo quodam emblemate viſus luſiſſe. cum enim aduerſis votis *Venus* pro Troianis, *Iuno* autem pro Latinis, qui illis auxiliares eſſent, ac ad imperia promotrices, ad *Iouis* tribunal litigarent, ſententiam tandem dixit *Iupiter*, fatum nationum futuros proſperos ſucceſſus, non fore à ſapientia, aut amore Numinum hanc gentem præ alia reſpicientium: haud ſcilicet à precibus *Iunonis*, aut *Veneris*, ſed a fato aut fortuna ipſarum decernendos.

Tros Rutuluſue fuat, nullo diſcrimine habebo. Virgil. Æneid. 8 105.
——— ———*ſua cuiq; exorſa laborem,*
Fortunamq; ferent. rex Iupiter omnibus idem.
Fata viam inuenient.

Quod fatum, inquit *Arnobius*, *ſi certum eſſet ac fixum, vacant omnia Deorum conſilia, vacant odia, vacant benignitates.* quamobrem cum *Seneca* pro fato diſſereos, ſibi obieciſſet a vulgo creditam vim orationis, etiam quantum ad naturales effectus ſanitatum, frugum, ac ſimilium, procurandos, ita reſpondit: *Permitte mihi illam rigidam ſectam tueri eorum, qui excipiunt iſta, & nihil aliud exiſtimant, quam ægræ mentis ſolatia.* Porro iidem Stoici, motus ſpei, deſiderii ac pœnitudinis damnantes, qui tamen in officio religionis cernuntur, ac eius nerui exiſtunt, conſequenter inficiantur religionem, quæ in viro ſapiente ac conſtante deſideretur: quippe, cuius, nihil expectare, timere nihil, ob nullam rem dolore, aut pœnitentia lancinari. demum ſubiungunt, ac dicunt, conari pios vt naturæ ipſius ordo interdum violetur, immutetur, corrigatur, vt ipſe Deus, qui ex ſua iuſtitia decreuit, aut id facere potuiſſet, noxiorum ſupplicia, a ſua iuſtitia, pietatis impulſu noſtræ, ad miſericordiam transferatur; quod in iuſto iudice, aſſerunt, ſpectari non debet.

Arnob. l. 7 cont. Gent.

Senec. l. 2. Nat. q. 34.

6 Nihilominus immanis iſte impietatis error, dubio procul, a nefariò dæmone inuectus, vt Deo erepta pietas, ipſi ab hominibus tandem attribueretur, omnium nationum ſuffragiis merito proſcribitur ac damnatur. Quæ gentes, vt fatetur *Seneca*, haud fuiſſent inductæ in conſenſum *Alloquendi ſurda Numina, & inefficaces Deos, niſi noſſent, illorum beneficia nunc vltro oblata, nunc orantibus data, magna, tempeſtiua, ingentes minas ſuo interuentu ſoluentia.* Imo *Lucretius* ipſe, vel naturæ vi in ſeipſo adactus, orauit *Venerem*, cum vt ſuo ſtylo ipſa ſecundaret, tum vt Romanum imperium, quod armis tunc inhorruerat, tranquillaret. Senec. l. 4. de Benef. c. 4.

Te ſociam ſtudeo ſcribendis verſibus eſſe, Lucret. l. 1.
Quos ego de rerum natura pangere conor.
Quo magis æternum da dictis Diua leporem.
Effice vt interea fera munera militiai
Per maria, ac terras omnes ſine fine quieſcant.

Experti porro veteres, pios a Deo fuiſſe variis donis ornatos, impios vero fractos ac ad nihil tandem redactos. inter quos *Callimachus*, Callimach.
Præmia certa pios, reprobos mala facta ſequuntur. Hym. 1.
Imo *Symmachus* fœlicitatem Romani imperii Claudian.
eius pietati attribuit. *Hic cultus in leges meas or-* in 4. Conſul. Honor
bem redegit, hæc ſacra Hannibilem à mœnibus, a Ca- Sym. Apol.
pitolio Senonas repulerunt. Hac manu ſacrificante, Pro Relig.
dicebat quædam veſtalis iam infodienda ob vet.
ſuſpicionem inceſtus, vt narrat *Plinius*, *Roma vi-* Plin. lib. 4.
cit, triumphauit. Ep. 8.

Nam quid erit, quare ſolito dignemur honore Ouid. l. 2. de Pont. ad Cotn.
Numina, ſi demus velle iuuare Deos?
Iupiter oranti ſurdas ſi præbeat aures, Cicer. lib. de nat. De or.
Victima pro templo non cadet icta Iouis.
Si pacem nullam Pontus mihi præſtat eunti,
Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis ſi fiant vota coloni,
Accipiet grauida cur ſuis exta Ceres?

Nec dabit intonſo iugulum caper hoſtia Baccho,
Muſta ſub inducto ſi pede nulla fluant.

Ouid. lib. 5. Faſtor.

Sæpe Iouem vidi cum iam ſua mittere vellet
Fulmina, thure dato abſtinuiſſe manum.

7 At vt verum fatear, parum valent hæc veterum teſtimonia contra ſententiam *Epicuri*, ſuſceptam ab ipſo de vero Deo, nempe primo, infinito, ſummo, & immutabili. nam eorum religio non huic, ſed geniis, diis tutelaribus, ſtellis, elementorum præſidibus, heroium animabus, vt conſtat ex *Plutarcho*, & *Lactantio*, impendebatur. qualia Numina legibus fati exempta, & mutationibus obnoxia exiſtimarunt.

Plutar. de Dæm. Socrat. de Defect. orac. Lact. Li. Diuin. Iuſtit.

Sæpe leuant pœnas, ereptaq; lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituiſſe vident.

Ouid l. 1. de Pont. Eleg. 1

Hoc modo Angelus Perſarum, cum prius animo eſſet alienato a diſceſſu populi Hebraici ex Perſide, commotus ſubinde precibus *Danielis*, in illam factus fuit propitius. *Socrates* apud *Plutarchum*, vltra genios non eſt viſus ſuam pietatem extuliſſe, ſummo mane dum domo egrederetur Deum orabat, vt interdiu eius animo bona idola occurrerent. At quod ad ipſum Deum, nullam pietatem vtilem veteres aliquot arbitrati, dixerunt, *Vanus eſt qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum?* de *Tiberio* hæc *Suetonius*: *Circa Deos ac religiones negligentior, quippe addictus Mathematicæ, perſuaſioniſque plenus, cuncta fato agi.*

Dan. 10. Plutarc. lib. de Dæm. Socrat.

Malach. 3. S. Tho. l. 1. Cont. Gent. Suet. Tib.

9 Verumtamen duo nobis adſunt inconcuſſa fundamenta, ex quibus argumenta colligimus ad ſtabiliendum commodum, tam corporale, quam ſpirituale, quod a Deo, ipſum venerantes, firmiſſime ſperare poſſumus. Primum eſt vel ipſa natura diuinæ prouidentiæ a nobis inſpecta, quam ſupra diſcuſſimus: alterum, ſacræ noſtræ fidei ſententiis ac literis continetur, ex quibus luculenter conſtat, Dei cultores ab ipſo aliquem prouentum cum paſſim expectaſſe, tum accepiſſe: adeoque erga mortales huius cultus interuentu illum ſæpius placatum ac beneficum fuiſſe, qui prius ob peccata reis offenſus, ac in eos cum affectu, tum effectu, iratus. Enim vero ſi noſtra omnia videat Deus ac diſponat, ſuoſque incitet ad orandum, atque ipſum colendum, conſequens, huius officij habita ratione ipſum bona malaque diſpenſare. noſtra ſiquidem condicione indignum plane, non altius euehi in nobis pietatem, quam ad Genios, quam ad Heroes. ac ſimilia ficta Numina; maxime cum nulla ſit vllibi poteſtas, quæ Dei ſupremæ poteſtati haud ſubiiciatur, ac ab eodem in finem vſumque non deſtinetur. Nam ſi Principes ac Domini hic in terris benignis ſint animis in ſubditos, qui eis vectigalia accurate ſtatutis temporibus dipendunt, quanto æquius, Deum, cui ipſum homines colentes, vectigal egregium ac præcipuum honoris ſoluunt, fore ſuorum cultorum amantem, ac in eos eximia charitate effuſum? Certe non obliuiſcitur Deus neque creaturæ ſuæ, neque veneratoris ſui. *vbi vtilitas, ibi pietas*: vt loquitur *Epictetus*. Argumenta modo *Epicuri* diſſoluenda.

Ierem. 2. Epictet. Enchir. c. 36

9 Quando itaque aſſerimus, Deum flecti noſtris precibus ad proferendum actionem ab eo tranſeuntem, ac eius aliquem effectum, non ita id dicimus, quaſi noſtra pietas cauſa eſſet motiua ſeu finalis vllius actionis in Deo, aut ab eo manantis: non enim mouetur ad aliquid agendum niſi a ſua innata bonitate: qua motus omnia condidit ex nihilo, ac condita deinceps adminiſtrat, præmiat aut caſtigat. Nihilominus cum vnum velit ex alio dependere, & cum illo connecti, affirmare nihil vetat, noſtras preces ſic eſſe condicione requiſitas, vti ſine illis diuina bonitas efficaciter non mouiſſet diuinam voluntatem, ad illud efficiendum, quod earum interuentu iam effecit: alioquin nullo prorſus fructui inſeruirent. neque hæc virtus humanæ pietatis in diminutionem maieſtatis aut perfectionis diuinæ cedit, cum a nullo extra ſe poſito, ne dum a noſtris precibus, dependeat Deus quo ad actum in ipſo immanentem vel tranſeuntem, tanquam a cauſa motrice ſeu finali. At intulit *Epicurus*: ſaltem religio noſtra veluti condicio ad hoc faciet, vt Deus vel ſit Deus, vel vt mutetur nouorum actuum affluxionibus. Si enim idem ſit Deus ac eius volitio, qua aliquid vult, tunc, ſi ad hanc pietas noſtra conducat tanquam condicio, conducet pariter ad hoc vt Deus ſit Deus. vel ſi Deus alio ſit Deus, & alio largitor muneris, pro quo oramus, noſtra oratio erit condicio, quæ vim habeat Deo inferendi mutationem, & alicuius formæ illi extrinſecus aduenientis acceſſionem.

S. Thom. 1. part. q. 19. art. 5.

10 Sunt qui affirmant, non repugnare diuinæ ſimplicitati multorum actuum in Deo aduentus, qui virtualiter ita diſtinguantur, ſicut inter ſe attributa diſtinguuntur, & relationes notionales ab eſſentia diuina: ita vt ſint in Deo plures virtualitates *Numero*, etiam *Numerato* diuerſæ, & totidem obiecta in nobis concepimus, quibus illas in Deo recte diſtinguimus. nam dicũt, relatio verbi immediate terminat vnionem hypoſtaticam in Chriſto, non eſſentia. ſimiliter multiplicantur relationes, in Deo, non eſſentia, quæ vera non eſſent, vtpote contradictoria, ſi nulla in re ipſa virtuali aut formali, diſtinctio interueniret. Hinc aſſerunt, non eſſe inconueniens, ſi ratione pietatis in hominibus vel Angelis, noui actus Deo accreſcant, ac ſubinde excidant: vtpote amoris efficacis, iuſtitiæ, miſericordiæ, iræ, & odij. qui actus quod virtualiter ſeu formaliter ſint extra diuinitatem, pietas noſtra, quæ eorum cauſa aut condicio, neutiquam cauſa aut condicio erit ipſius diuinitatis, aut mutationis, quæ ſimplicitati diuinæ eſſentiæ aduerſetur. Exiſtimo tamen, hanc ſententiam repugnare penitus diuinæ perfectioni, quomodocunque & ſub quibuſcunque nominibus, in Deo multiplicet virtualitates, formalitates, realitates, aut modalitates: eſſet enim ex eis compoſitio in Deo, aliud, & aliud virtuale, idque iuxta *Numerum Numeratum*. Neque *S. Auguſtinus* hoc modo explicat diuinam ſimplicitatem, & immutabilitatem

Bern. lib. 5. de Conſid.

Lucan.lib,8

Nos in templa tuam, Romani, accepimus Iſin,
Semideoſq; canes, & ſiſtra iubentia luctum.
Et quem tu plangens hominem, teſtaris Oſirim.

Arnob,l 2, cont Gent. Sueton,in Tib, Sen. ep 108, ad luc. Lipſ, in 2. 1. Anal. Tacit

Huiuſmodi peregrinorum deorum vi armorum raptum, poſt conſulatum *Piſonis* & *Gabinii* præcipue contigiſſe narrat *Arnobius*; ſub *Tiberio* ait *Seneca* auctum.

4 Nullus ferme vitæ humanæ ſtatus, nulla ciuium condicio, locus nullus, temporis principium nullum vel exitus, nullum denique apud Romanos negocium ciuile, quæ religione ſacra eſſe noluerunt. *In delectu magiſtratus*, vt inquit,

Arnob.l, 2, cont Gent.

Arnobius, Romanos compellans, *nunquid ſeruatis de calo, aut ocioſas facitis obnunciationibus actiones? Cum paratis bella, ſignum monſtratis ex arce? aut facialia iura tractatis? Per clarigationem repetitis res raptas? aut martium diſcrimen obeuntes, ſpem pralii ſumitis & ex acuminibus auſpicatis? in poteſtatibus obeundis leges conſeruatis annarias? in donis, in muneribus Cincias? in cohibendis cenſorias ſumptibus? in penetralibus veſtæ ignis perpetuos fouetis focos? ſacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris deorum? cum in matrimonio conuenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum genios aduocatis? nubentium crinem celibari haſta mulceris? puellarum togulas fortunam defertis ad virginalem? matresfamilias veſtra in atriis operantur, domorum induſtrias teſtificantes ſuas? potionibus abſtinent vini? affinibus, & propinquis oſculari eas ius eſt, vt ſobrias comprobent, atque abſtemias ſe eſſe?* Cum vita hæc apud eos natiuitate inchoanda, ſtatim *Lucina Diana* ſacra eam excipiebant. Natalicia ſequebantur. Mox à patre familias ſingulis mẽſibus ſacra dijs pœnatibus oblata. *Ac diis*, vt canit *Euripides* de *Antigono*, *dicauit ſacra tutelaribus*

Ouid l.5 Triſt. de nat, vxor. Triſt. 2 de ſuo natal. Euripid. in El. Plaut. Amp. Plat. Dial 10 de legib.

Per ſingulos celebranda menſes.

Imo vel ſingulis diebus *Ioui* litatum. *Mos* inquit *Plato, ita apud omnes inoleuit, Gracos & Barbaros, quotidie in ortu & occaſu ſolis, etiam & Luna, ſupplicites deos adorandi.*

Neque vnquam mane Ioui libato nigrum vinum.

Heſiod. li 1. op. & dier.

De quotidiano autem ſacro videtur carmen compoſuiſſe *Iuuenalis*, ob reditum *Catulli* rem ſacram obiturus.

Iuuen. li, 4. Satyr, 12.

Iam ſequar, & ſacro, quod praſtat, rite peracto,
Inde domum reperam, graciles vbi parua coronas
Accipiunt fragili ſimulacra nitentia cera.
Hic noſtrum placabo Iouem, laribuſq; paternis
Thura dabo, atque omnes viola iactabo colores:

Nihil negocij alicuius momenti vel à Græcis vel à Romanis ſuſceptum, cuius primum ortũ religio non auſpicatum effecit. *Sit nobis*, inquit *Plato*, ſequutus *Pythagoram*, *omnino tanquam votum. & deprecatio quadam, omnibus in rebus & dicendi & cogitandi, principium ſemper à diis faciendum.* *Plutarchus* loquens de Romanis ait: *In initio pugna ſuperos adorabant, maius ſcilicet momentum in religionis obſeruantia, quam in vincendis hoſtibus ad ciuitatis ſalutem pertinere arbitrantes.* actuti bellum, direptis à pœnatibus armis apertaque *Iani* porta, religione vires muniebant: eoque confecto, victricia arma ad eoſdem Deos referebant. *Primum vinculum militia* ait *Seneca religio.*

Plat ep. 8, in Timæo. Pyth, in aur, carmin Plut, in Mar.

Ouid. lib. 4 Triſt. Sen, ep. 95, ad lucil.

Ponis ad antiquos, qua tulit arma, lares.

Domum egreſſuri, vt narrat *Plinius*, ſubſiſtebant in limine, *Conſultare aues, venereriq; Numina moniti. Bene ac ſapienter, patres conſcripti, maiores inſtituerunt, vt rerum agendarum, ita & dicendi initium, à precationibus capere.* Ciuilia negocia tractaturi, non alibi conueniebant Senatores, quam in Capitolino *Iouis* templo aut alio, vt *Cicero* ac *Dio* teſtantur. *Venit paratus Seruilius* inquit *Cicero*, *Ioui ipſi iniquus, cuius in templo res agebatur.* quo ſignificarunt, pietate in Deum, ac illius ſaluo iure, reipublicæ ſalutem procurandam, & de ea conſultandum: quando autem referebatur de religione, vtpote de ſupplicationibus, vt idem *Cicero* narrat, *In illo genere Senatores deeſſe non ſolebant: coguntur enim non pignoribus, ſed eorum, quorũ de honore agitur, gratia.*

Plin. in Pan, Traian. Cic. lib, io Fam ep ep. 12, Dio. lib, 46.

Templaq; Tarpeia primum tibi ſedis adiri,
Et fieri faciles in tua vota deos.

Ouid, 4. de Pont, ad Pomp.

Inde ex mandato *Auguſti* Imp. vt referunt *Suetonius* & *Gellius*, non niſi in templo cogendus Senatus. Ex quo eueniebat, Romæ Chriſtianos Senatores, recuſantes in templo *Iouis Capitolini* aut alibi ritu gentilicio immolare, Senatu fuiſſe excluſos, aut martyrio adfectos. quo artificio falſæ religionis hodierna die vtuntur Angli in ſuis parlamentis, qui ad abigendos aut puniendos Catholicos, negocium conſultationis auſpicantur à iuramento, quo Regium primatum in Eccleſiaſticis profitentur. Hi nullum fœdus firmum duxere, niſi quod religio ſanciſſet, contractum nullum matrimonialem illibatum reputarunt, niſi quem ſacer ritus confirmarat: defunctorum animis requiem ac beatitudinem haud promiſere, niſi quibus religioſa expiatio obuenerat.

Sen, in Oed.

——— *ſanguinem libat focis,*
Solidaſque pecudes vrit, & multo ſpecum
Saturatur cruore. libat & niueum inſuper
Lactis liquorem; fundit & Bacchum manu
Laua.

Hoc quidem exemplo, in tam claro, auguſtoque imperio expreſſo, ſatis conſtat, quantum momenti rebus ciuilibus adferat tam in pace quam in bello exactius culta religio. *Muros Romanos*, inquit *Cicero*, *vos Pontifices ſanctos dicitis, diligentiuſque vrbem religione, quam mœnibus cingitis.*

Suet Aug. Gell. lib. 14 cap. 7. Cic. l. 5 de nat Deor

5 Quinimo hanc eſſe ipſius Dei diſtrictiſſimam voluntatem, vt cum pie ac multiplici cæremonia omnes mortales colant, colligitur quoque ex republica Iudæorum: apud quos viguit externa facies religionis illuſtris, iuxta ac varia, plurima ſpecie eam diſcernente. Cuius ius, Dei ipſius mandato omnium primum erat, ac præ omnibus inuiolabile: quod ſacra hiſtoria ſatis euidẽter nobis retulit. Iam autem quod aſſeruimus de ciuilitate religionis, ex ipſa Philoſophia idem pariter comprobabimus.

6 Triplici, vt diximus, animi parte conſtat homo: rationali nempe, concupiſcibili & iraſcibili: in quibus ciuiliter componendis laborandum, vt ciues inter cætera iraſcibili non horreſcant, aut ex ea mutuo ſint truculenti. Huic autem officio, vt *Plato* diſſerit, plurimum conducit religio; idque duobus modis. primo quidem interna voluntatis dimiſſione, quam Deo frequenter exhibet. nam quo erga ſuperos

Plat. in Gorgia.

erunt

erunt ciues teneriores ac ad reuerentiā promtiores, eodem inter ſe pariter, maxime ſi matrem Eccleſiam imitati fuerint, vt notat S. *Auguſtinus*, fient humaniores, à ſæritate, à rigore naturæ alieniores. deinde hoc idem efficit externa ipſa cæremonia, vtpote congreſſus, cantus, lætitia, publicum epulum, ex quibus ſolent homines molleſcere, & à rigido ſuperbiæ faſtigio ad benignos mores comitatis, amicitiæ & charitatis ſocietatem inclinari. Proinde vt hiſtorici Rumani ſcribunt, *Numa* Rex multus fuit in inducenda religione, vt ſui, prius agreſti ac prædatoria plane vita exaſperāti, inde ſuauiores in conuictu euaderent. Iſtis proinde in hac re Principes oportune admonuit *Plato*. *Oblata occaſione prætendendæ vrbanitatis, frugalitatiſque, venerare Deos, & per pietatem in honorem eorum opibus tuis vtare. magnopere enim affici multitudo ſolet & in opinionem adduci colendos venerandoſque eſſe immortales Deos. quando pietatem eorum conſpiciunt, quos maxime ipſi ducunt tam magnifice & alacriter diuina proſequentium, atque tot ſumptus haud grauate impendentium.* Qui quidem ſumptus, non ſolum perſuadent alios, colendum Deum, verum etiam eorum animos conciliant, ac ad rependendum amorem promouent. Proinde miſericordia, hilaritas, ac ſpiritus dulcedo religionem allectantur. Etenim religio eo nomine ingentem vim obtinet ad remittendum plurimum de naturæ rigore, quo mærores, animique deiectiones exigendo, lætitiam adfert cum ſumma iucunditate numen colentibus.

Aug. ep. 160

Plat lib. de Regno.

Dii quoque vt à cunctu hilari pietate colantur,
Triſtitiam poni per ſua feſta iubent.

Ouid. lib. 2 de pont. el.

Legem Romanam, ſeu potius Græcoromanam, iſtis *Cicero* recenſuit: *Ludis publicis, quod ſine curriculo, & ſine certamine corporum fiat, popularem lætitiam in cantu & fidibus & tibijs moderanto, eamque cum diuorum honore iunguntο.* Idcirco iuxta *Platonis* ſententiam, ad ſtudia muſica, quæ iraſcibilis appetitus furori aliquid detrahunt, animumque oblectant, religio referenda. Quod ſi nos Chriſtiani in aliquibus religioſe lugeamus, cum hoc ad Dei amorem conducat, & ex illo prodeat, ipſemet luctus ſuauem mitemque ſpiritum in nobis procurabit. *In Fauis*, inquit, *Plutarchus*, *lepide atque ſcite alludendum, aſſentiendumque deorum ſolemnibus ludis, atque ſpectaculis celebrandis: tum vero diſſimulandum atque conſulto nonnihil prætereundum, tanquam nec videris quicquam nec audieris.*

Cic. lib. 2 de leg.

Plut. lib. de Inſt. ciuil.

7 Hinc *Aurelius Prudentius* iuſte redarguit *Veſtalium* religiones, vtpote inciuiles, quod eas non potuerit ſatis mites, condolentes, ac benignas reddere, crudis vtpote ſpectaculis gladiatorum delectatas, animis & oculis inde barbaram haurientes voluptatem.

Et quoties victor ferrum iugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas: pectuſq; iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi.

Prud. lib. 2 cont Sym.

Qui ergo ſacris addicuntur, illos maxime decet ſenſus iſte indulgentiæ & humanitatis. ob quam cauſam in Paſchate Iudæi, malefactores non occidebant. *Sacerdotem*, inquit *Plato*, *in ferendā necis, carceris, exilii ſententia, contaminari nephas.* atque inter alia, quæ ad frangendum iraſcibilis facultatis rigidum tumorem faciūt, inſignis eſt illa humilitas, quam pii exhibent, dum externum ritum religionis ad Eccleſiæ legem peragunt. Reges ipſi Iudæorum, vt ſcribunt *Iuuenalis*, *Egeſippus*, ac *Giraldus*, frequenter nudis pedibus incedentes, Deo ſupplicarunt. *Magna Dei potentia, & ab humilibus honoratur.*

Ioan. 18.
Plat. li. 1. de Republ.
Auguſt. 3 Pal.

Eccleſ. 3.

Obſeruant vbi feſta mero pede ſabbata Reges.

Berenices Regis *Agrippæ* ſoror, gentis ſuæ cauſam agens apud *Feſtum* præſidem, *Adſtabat nudis pedibus religioni inſeruiens.* Ex hoc ritu ac ſimilibus in religionis negocijs vſurpatis, ſuperbia omnis caſtigatur, exigitur, & humiles ſpiritus imbibuntur. Quia in re conſilium *Numæ* Regis iſtis *Ouidius* expoſuit.

Iuuen lib. 2 ſatyr. 6.
Egeſ. l. 2. de bel. iudaic.
Girald. Dial 10.

Principes nimium promptos ad bella Quirites
Mollire placuit iure, Deumq; metu.
Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet,
Captaque ſunt pure tradita ſacra coli.
Exuitur ferit as, armiſque potentius æquum eſt,
Et cum ciue pudet conſeruiſſe manus.

Ouid. lib. 3. Faſtor
Auguſt. l. 3. ciu. cap. 2.

Enimuero cum religione ſemel ciuibus conſtiterit, quanta ſit Dei maieſtas, quantum illius in nos ac res noſtras dominium: quod ea quis ſæpius religionis officio recolat, & certis imaginibus ſibi repræſentet, fieri vix poterit, vt appetitus in illo iraſcibilis in alios inſoleſcat vel ferociat, quem tanta Dei dignitas ſua agnitione ac cultu iam compreſſerit, & ad timorem ipſius compulerit.

Non bene cæleſtes impia dextera colit.

Ouid. Ep. 7

Quis non adfirmabit regium ac martium animum *Dauidis*, religionis humili cæremonia ſubactum, ad verba eius ac factum qui attenderit, dum nempe ante arcam Dei totis viribus ſaltabat, dicebatque alijs vel ipſum ridentibus: *Et ludam, & vilior fiam plus quam factus ſum. Et ero humilis in oculis meis?* Quinimo Ethnici cultores hanc ſubmiſſionis formam præ ſe tulerunt, idque capitum ſuorum velaminibus ſignificarunt. *Inuocat Deos* ait *Plautus*, *vt ſibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto.* peculiari autem ritu Cinerum, ciliciorum, Iudæi ſeſe coram Deo ipſi ſupplicantes humiliabant, indeque in ſeipſis rigorem omnem faſtus, & arrogantiæ frangebant. quo ſpectaculo Deus delectatus, paſſim ita ipſum adeuntium votis annuit. etenim omne peccatum in Deum oritur ex quadam præfracta audacia, qua ſeipſum quis per ſummum ſcelus cordis duri in Deum erigit. ob quam cauſam Deo gratum intueri, duritiam hanc inſolentiæ in nobis fractam, dimiſſam, & calore charitatis liquefactam. ad quod cum religio multum conducat, tum eo nomine plurimum nobis ſalutaris.

2. Reg. 2.
1. Paral. 15.

Plaut. in Amphit.

8 Præclarus porro ciuilitatis effectus, quo ciues fiunt mutuo amabiles: quo charitas & beneuolentia inter eos propagantur. Cæterum vero, qui pius ac religioſus videtur, is apparet omnibus plane virtutibus inſtructus: quod religio non ſolum inter virtutes morales primum locum teneat, ſed etiam quod eadem mater ac radix omnium aliarum exiſtat. vnde monita, vota, promiſſiones, iuſſus ac iniuſſus,

aſſeuerationes & infieiationes eximie colentium Deum, maximi ponderis apud cines eſſe ſolent: ad quæ ne vel malitioſa ſuſpicio aliquando peruenire potent. Sicut enim auet religioſus diuinumNumenplacare, ita vehemẽter cupit cunctis virtutibus in eius oculis fulgere, & ſe tanquam cœlicolam in illis ſupremis locis, idoneo apparatu hic inferius verſari.

Prud. in Pery. Carm. de S. Laur.

Illic ſacerdos ſtat ſacrato in limine,
Foreſque primas virgo cuſtodit fides
Innexa crines vinculis regalibus,
Poſcit litari victimas Chriſto & Patri,
Quas ſcit placere candidatas, ſimplices:
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, caſtitatem corporis,
Dei timorem, regulam ſcientiæ,
Ieiuniorum parcitatem ſobriam,
Spem non iacentem, ſemper & largam manum.
Ex his amænis hoſtijs ſurgit vapor,
Vincens odorem balſami, thuris, croci
Auras madentes Perſicorum aromatum,
Sublatus inde, cælum adusque tollitur,
Et proſperatum dulcè delectat Deum.

Quod vero religio omnes plane virtutes in comitatu habeat, ideo malis, vtpote contaminatis, non præbet acceſſum ad Deum religio. *Donis impij ne placare audeant Deos? Platonem audiant, qui vetat dubitare qua ſit mente futurus Deus, cum vir nemo bonus ab improbo ſe donari velit*, vt Cicero recolit. Hinc *Peſſenuntina Dea* in vrbem inducenda, vt *Florus* ſcribit, *Reſponſum habebatur, vt Numen id ab optimo viro reciperetur, conſecraretur que.* Sapientia Dei hoc viſa adſeruiſſe, dicens, *Initium ſapientiæ timor Domini*: nempe *timor* Domini: ea enim pietas ac religio in Dominum, quæ, teſte *Cicerone*, timorata ac reuerentialis in Dominum: vt hoc *Clemens Alexandrinus* interpretatur. S. quoque *Cyrillus Alexandrinus*, & S. *Auguſtinus* religioni, & eius timori initium bonæ vitæ attribuunt.

Cicer. lib. 2. de leg.

Flor. l. 29.

Cic. l. de Iuuen. Clem Alex. l. 2. ſtrom. Aug. l. de ver. rel. Cyr. Alex. l. 2. de Fide.

9 Hæc ipſa religio, quo ad ciuilitatem, commendabilis quoque ab externo nitore, & corporis puritate, quibus internum animi candorem ac decus repræſentat, & profitetur. Hinc emerſere præparatoriæ apud veteres expiationes, quibus animis quaſi purgati, ac loti, ad rem ſacram celebrandam aptiores ſubinde reddebantur.

Heſ. oper. & dier. li. 2.

Neque vnquam mane Ioui libato nigrum vinum
Manibus illotis, neque aliis immortalibus:
Non enim illi exaudiunt, imo reſpuunt preces
Eius, qui manus non affert lotas a malitia;
Succenſent Dij, & damna dant in patriam.

Pap. l. 5. ſil.

—— procul hinc procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tantum.
Inſontes, caſtoſque voco.

Dionyſ. l. 7. Plin. paneg. Traian. Sen. epiſt. 31

Lotis manibus inquit *Dionyſius hordea porriciebant. Animaduertito,* ait *Plinius*, *etiam Deos ipſos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia, & ſanctitate lætari. Ab impuro* inquit *Seneca*, *munera capere, neque bonum virum, neque Deum decet.* Omnium optime *S. Thomas*: *Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abſtrahatur, vt ſuperna rei poſſit coniungi: & ideo mens ſine mundicia Deo applicari non poteſt.*

S. Thom. 2. 2. q. 8. art. 4. Ouid faſt. 4

Et manibus puram fluminis hauſit aquam,
Ter caput irrorat.

Quæ quidem puritas adeo in vniuerſum adfinis religioni, quod etiam veteres vtpote M. *Aurelius* illam plurimum affectarint, tam corporum quam animorum integritates in ſe, ac ſuis myſtis requirentes. apud Romanos litaturus ſe Tyhridis aqua prius abluit. *Sic enim* ait *Plutarchus*, *præſcriptum eſt litaturo. Flamen* non tangit fermentum, nec carnem crudam attrectat, quæ neque animal neque cibus: ſimiliter neque canem aut capram, propter eorum iudicatas impuritates. Augur vlcere affectus, apud eos, aues de more religionis obſeruare non potuit: *Vlcus enim* inquit *Plutarchus quædam eſt mutilatio & pollutio corporis.* Chriſtiani ipſi ad hoc profitendum, Ecclaſiam ingreſſi, ſe aqua luſtrali aſpergunt, tam ſanguinis Chriſti, quam ſuæ inde puritatis memores: in quem finem eos olim manus lauaſſe auctor eſt S. *Chryſoſtomus.* Enimuero qui ſe in hunc ritum animo purum præſtare nititur, is nihil magis exhorrebit, quam vitiorum maculis contaminari: is, vti Dei aulico congruit, non tam corporis ſplendores albis induti, vt meminit S. *Chryſoſtomus*, quam animi curabit; ſimul ac longe aberit ab inferiori illuuie voluptatis, & ab omni iniuriæ nocumento in alios. agnoſcens ſe quippe Numinis idoneum adoratorem, perfectionis ipſius, moribus ſuis imaginem aliquam exprimet, quo illi vicinior redditus, inſuper eodem familiarius, & confidentius religionis opere cum illo ſuauietur. *Hæc acceptabilis victima eſt*, ait *Lactantius*, *quam de ſeipſo animus immolat. nam quid beſtiæ? quid thura? quid veſtes? quid aurum? quid argentum? quid pretioſi lapides conferunt, ſi colentis pura mens non eſt?*

Iul. capit. in M. Aurel.

Plut. q. 6. non in.

Plut. quæſt. Rom. q. 73.

Chryſ. Hom. 52. in Math. Anaſt. li. de ſynax.

Hom. 52 in math.

Lact. ia ep. S. Chryſ.

10 Ad ciuilitatem porro eo nomine multum confert Religio, quod eiuſdem præſides ſeu Antiſtites poteſtatem habeant in munera reliquarum virtutum, adeoque in res omnes externas, quæ virtuti quomodolibet inſeruire poterunt. hoc enim pacto vniuerſa ciuilis vitæ officia Deo ſancte deuouentur, ac Ciuium reſpectu confirmantur. vt enim Religio aliis virtutibus eminet, ita illas ſuo in eas imperio, ſtabiles facit ac ſacras: quippe quod ad altiſſimum ſuum finem eas excitet. Hoc Romani diligentiſſime obſeruarunt, *Aruſpicibus* Sacerdotibus omnia plane dimittentes. de quo hæc *Cicero*. *Maximum autem & præſtantiſſimum in Repub. ius eſt Augurum, cum eſt auctoritati coniunctum. neque vero hoc quia ſum ipſe Augur, ita ſentio, ſed quia exiſtimare ius eſt neceſſe. Quid enim maius eſt, ſi de iure quærimus, quam poſſe a ſummis imperijs, & ſummis poteſtatibus comitia tollere? concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid grauius quam rem ſuſceptam dirimi, ſi vnus Augur aliter dixerit? quid magnificentius, quam poſſe decernere, vt magiſtratu ſe abdicent Conſules? quid religioſius, quam cum populo, cum plebe agendi ius dare aut non dare?* atque de eodem imperio ſacerdotum *Augurum* in omnia plane negocia ciuilia, adeoque ipſa intra magiſtratuum, hæc alibi: *Teſtis eſt noſtra Ciuitas, in qua & Reges, Augures, & poſtea priuati eodem ſacerdotio præditi,*

Cic. li. 2. de legib.

Cic. li. 1. de Diuinat.

rem

rempublicam religionam auctoritate vexarant. Pon-
Feſt. verb. ordo. tifex Max. vt ait *Feſtus*, *quod iudex habetur rerum diuinarum, humanarumque.* hanc ob cauſam in dignitates rerum ciuilium ac poteſtatũ delinquunt, qui renuunt fateri eas imperio religionis & ſummi antiſtitis ſubiectas: religione enim & poteſtate eccleſiaſtica nobilitantur, neque prorſus tendunt in finem breui temporis ſpacio limitatum, ſed potius in finem nunquam finiendæ beatitudinis. proinde error eſt carnalis libertatis, ex appetitu & profana Sapientia profectus, quo eccleſiæ arbitrio res ciuiles impie adimuntur. Videamus modo, ex quibus ſtudiis ciuilis religionis vires inter ciues coaleſcant ac confirmentur.

CAPVT X.

Quænam in religione vere ſacra ac ciuili, ſpectanda.

VT relligio aliqua ſit, habeaturque ſacra & ciuilis, imprimis videndum, eam ſolidis diuinarum reuelationum fundamentis innixam, non verò inuenticijs quibuſdam artibus excogitatam, ſeu in gratiam certi alicuius ſtatus politici decretam, vectigalibus ſuſcipiendam præſcribi. Hoc ſanè ad mo-
Ariſt. lib. 5. Pol. nuit *Ariſtoteles*, definiens, a ciuibus colenda numina ſine *Simulatione aliqua ex ſtultitia.* etenim ficta relligio, vel ea, quæ non aliunde amplexanda, quam quod magiſtratus commodis applaudat, nullam vim retinebit ad trahendum ciues in ſui ſincerum cultum & obſequium: nihil imperij exercebit in eorum intimos affectus. ingenia porro præclariora eandem paſſim aſpernabuntur, deridebunt; quippe conſcia abſurditatis ac falſitatis quam in ſe eiuſmodi ficticia religio implicat. Vnde conſequens, negocia ciuilia priuanda omni ſolido ſubſidio a tali religione: qualis etiam vel immanitate atheiſmi demum conuellenda, vel ſententiæ ſtultitia variò iactanda. Cuius rei tanta cura
Cicer. lib. 2. de Nat. deor. apud Rumanos, vti teſte *Cicerone*, *Conſules ſummam imperium ſtatim deponere voluere, quam id tenere punctum temporis contra relligionem.* Ex quo conſtat, *Elizabetham Bolenam* quondam Angliæ Reginam, haud ciuiliter ſatis ciuibus prouidiſſe, relligiones Proteſtanticas in ditionibus ſuis confirmando, tametſi priuatis commodis ſatis accuratè eo conſuluerit: quandoquidem totum hoc peregerit, quo nuptiarum legitimarum ſe fœtum oſtenderet, quas Romanus Pontifex antea damnarat. hinc fœmina Eccleſiæ Anglicanæ caput primum emerſit: hinc eadem *Caluini* impietatem cum externo Eccleſiæ Catholicæ ritu committendo, neſcio quid relligionis monſtri ouo ſerpentino excluſi, orbi viſen-
Arnob. l. 4. cont. gent. dum propoſuit. *Taurus draconem genuit, & taurum draco.*

2. Deinde ciuilis ea relligio, quæ eorum reſpectu, qui in vniuerſum idem inſtitutum profitentur, communior ac magis Catholica. nam præterquam quod hæc ſit inde credibilior, eſt porro pacem externis ſeruandæ conuenientior, proprio honori procurando aptior, cum aliis, tractandis negocijs oportunior. Alexandrini, quò ad ritus diſſidentes a Romanis, acerbè & cum quadam inimicitia ſolebant eorum religiones perſtringere.

—— — et mores vrbis damnante Canopo. Iuuenal. l. 5. Satyr. 14. 15

Tria relligioni inſunt, magna quadam vi conſtantia. Primum, quod leuia, quod minuta, imo interdum fœda ac præpoſtera in ſpeciem honeſtet, ac populo tanquam diuina plurimum commendet. Hoc Romæ & Alexandriæ præſtitere religiones plane abſurdiſſimæ. Romani inter cætera, corporum nuditates, in plateis publicè aſpiciendas, Bacchicam temulentiam, immaniſſimaſque cædes, relligioni conſecrantes, neſcio quo diuinitatis fuco, talia nobilitantes, ad venerationis ſacræ maieſtatem ritumque extulerunt.

—— Fortunatos obaia turba vocat. Ouid. 3. Faſtor.

Alexandrini felem, crocodilum, vitulum ac porcum adorantes, huiuſmodi res ad Numinum dignitates, cum populi ſumma veneratione ſublimarunt. Alterum religioni inſitum in eo conſiſtit, quod tam ab ea diuerſam, quam ei aduerſam, omnino ridiculam peregrinis & externis exhibeat. Narrat *Philo*, Romanos mille iocis ſuo tempore proſequutos religiones Iudaicas. hodierna Die Ethnici noſtra, & nos illorum ſacra, ſine cachinnis non adſpicimus. Phil. l. legat. ad Caium. Arn. l. 4. cont. Gent.
Iam dudum inquit *Arnobius*, *nos pudet ad eum locum venire, in quo riſum tenere non poſſunt, non tantum pueruli & procores, verum etiam ſerii, atque in mores tetrica aſperitate indurati.* etenim omne quod in hoc genere nouum, inſolitum, id ridiculum plane apparet. Poſtremum, iratus quidam aculeus eſt, quem in aliam religionem hæc in ſe continet. *Combi* crocodilum, *Tentyra* accipitrem tanquam Numina diſcriminatim venerabantur: at ex horum idolorum viſceribus diſſlati ignes diſcordiarum, vtramque gentem in crudelia bella ſæpius inflammarunt, demumque in cineres extremi excidij reduxerunt.

Ardet adhuc Combos, & Tentyra ſummus vtrimq;
Inde furor vulgo, quod Numina viciaorum Iuuen. li. 5. ſatyr. 14. 15
Odit vterq; locus, cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

Imo *Socrates*, tametſi opinione doctrinæ & virtutis celebris ac ſuis amabilis, in graue tamen eorum odium incurrit, vt ſcribit *Plutarchus*, quod in ciuitatem peregrinos Deos inducere ſtuduerit. Quocirca illa religio ciuilior, paci ac honori gentis alicuius commodior, quæ vniuerſalior, & apud plures acceptior. Plut. lib. de virt. Alex.

3 Ea porro ciuilis ac ſacra religio, quæ ciuium æſtimationibus honoratior, diuiniorque renunciatur. nam cum religio, propter ſui obiecti dignitatem cunctis virtutibus moralibus emineat, tum ea aſſerenda à ciuibus, quæ digna eiuſmodi popularium cultu, prudenti iudicio cenſeatur: ita vt à religionis ſublimitate, ad cæremonias ipſas, atque myſtas, prima maximaque auctoritas atque præſtantia, eiuſdem populi calculis, veluti naturali fluxu, redundent. hoc Romani diligentiſſime obſeruarunt, vel ipſa Conſulum officia, quod refert *Florus*, ſacrorum Præſidi, ac eius iuſſu, ſubijcientes. quo Flor. lib. 1.

modo

modo *Poſthumius* conſul, vi religionis prohibitus exercitum ducere in Africam, quod *Flamen* eſſet, non tantum Conſul. De rebus autem religioni deuotis hæc *Ariſtoteles*: *Ex Impenſis, quas honorabiles dicimus, illa ſunt, quæ ad Deorum donatia, ædificationes, & ſacrificia pertinent.*

Ariſt. l. 4. Moral. c. 2.

4. Quod autem non ſolum animi motu, ſed corporis quoque actione ac cæremonia, vti oſtendimus, religio perficiatur, inde ad eam pertinere meritò exiſtimamus ſpeciem quandã illuſtrem, magnificam, auguſtiſſimamque. Sicut enim in vniuerſum excellentiæ cultus debetur, ita ſupremæ, quæ Deo ineſt, ille, qui rebus nobiliſſimis exhibeatur. quo ad humana, corporum ornamenta, & honorum aſpectabiles modos, ex eorum dignitatibus, quibus ea concedenda, definimus. Pari modo Dei ipſius infinitam perfectionem, ſimul ac bonitatem animis dimetientes, noſtram quoque ſub illo exiguitatem cum illis conferentes, rectè ſtatuimus, ei delatum cultum rerum plane gemmis ac floribus, raritate ſua ac precio plurimum æſtimabilibus, debere contineri. æquum ſanè, vt is qui omnia in ſuum honorem condiderit, a noſtra pietate omnium præſtantiſſimis ſpeciebus coleretur. & quod apparatus iſte externus excitationi noſtrarum mentium in diuina multum inſeruiat, inde intelligendum, ea ſigna religioni huic ſummæ præ cæteris conuenire, quæ acria ac illuſtria ad feriendum ſenſus, aures præſertim & oculos. Huc reducimus templorum magnificas ſtructuras, altarium ſplendidos apparatus, lumina accenſa, ſuaues odores, ſacrificij qualitatem, vaſorum argentea aureaque metalla, ſonos muſicos ac ſimilia. Cæterum non hæc requirimus, quaſi iſtis Deus indigeat aut commodi alicuius incrementum ex eis lucretur, ſed vt nos ipſos vehementius iſtis in diuina excitemus, ac pro rei magnitudine deuotius & obſequentius, cum ſupremo Numine, ſalutis noſtræ momenta, vt rei magnitudo poſtulat, tractemus. *Afferte Domino gloriam & honorem*. *Si ego Dominus, vbi honor meus?* At neque ſplendores iſtos ſecernimus ab interiori animi affectu, vel eis plus delectari Deum quam iſto cogitamus: notant enim *Stoici*, & multi alij veterum, propitios quondam hominibus magis extitiſſe Deos fictiles, quam poſtea aureos: eo ſignificantes, Deum non tam cenſum a nobis hac in re quærere, quam piam voluntatem, pro facultatum ratione cæremonia exprimendam & teſtificandam.

Parap. c. 59.

Pſal. 98. Malach. 1.

Ouid. l. 1. Faſtor.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adaſta ſono.
Si quis erat, prati facta de flore corona,
Qui poſſit violas addere, diues erat.

Vetum noſtrum, reſpectu ciuilitatis ſcilicet ac ſanctimoniæ præſtat omnino, Deo cultum exhibere ſplendentem, precioſumque.

Nos quoq; templa iuuant, quamuis antiqua probemus,
Aurea maieſtas conuenit ipſa Deo.

Ouid. ibid.

5. Omnes ferme gentes quotquot pietatis vllam curam profeſſæ, in huiuſmodi ſtudium ornate & ſumptuoſe colendi Deum, vel naturæ ipſius inſtinctu operoſiſſime incubuere. Hinc fingunt Poetæ, vt cantu *Callimachi* conſtat, nato *Appollinæ* in *Delo*, illicò vniuerſam inſulam auream euaſiſſe. Cui figmento argumentum ſubeſtat ingens illa vis auri, quam, donaria mittendo ex omnibus orbis locis creduli cultores, in eam inuexerant. Religio vero Iudæorum, Dei ipſius lege deſcripta, quo ad hãc faciem, omnium præſtantiſſima, adeo vt vel externos ac martios licet Principes, vti *Alexandrum*, *Niſanorem*, *Heliodorum*, *Antiochum*, *Pompeium* in ſui admirationem venerationemque compulerit. Iſtius autem ratio ducenda ex eis, quæ pompa religionis repræſentanda.

Callimach. Hym. 4.

6. Quatuor vero religio, cultoribus ob eorum oculos ſub ſpecie vmbratili, contemplanda proponit: Dei nempe maieſtatem, cœli ipſius gloriam, in eodem ſupremam noſtram futuram beatitudinem, denique eximia dona, quæ Deus in homines abunde contulit. quæ omnia cum generibus ſuis maxima ſint ac ſumma, tum æquum, eorundem apud homines religioſa ſimulacra, ſua qualitate, pondere ac forma pariter eſſe præcipua. Quod ſi proportio iſthæc defuerit, religio aut abſurda, vel omni neruo caſſa, ieiuna turpiter apparebit. Ex quo *Tertullianus* merito redarguit quorundam veterum religiones veluti frigidas & inanes, quod ſcilicet vel vnum duntaxat thuris granulum, aut aliquot vini guttulas Deo parcè & ancle immolarent. Vnde conſequens, templa & veſtitus ſacerdotales, debere nobili aliqua materia ac pura cõſtare. Templũ enim, ſeu Eccleſia, imago eſt ipſius cæli: in qua proinde Numinis ſpeciem refert apud nos Sanctiſſimi Sacramenti præſentia. Antiqui noſtri Theologi in Epiſcopo ſeptem Diaconis obſepto, Deum inter ſeptem ſpiritus, vt in Apocalypſi refertur, collocatum, veluti in quadam ſimilitudine ſuſpexere. Hinc inde vero accenſis luminibus, Angelorum Beatorumque varie diſpoſitis ſignis & ſacellis, eiuſdem cœli incolæ repræſentantur. Par autem omnino, Eccleſiam tam præclaris rebus ſui ornatu concinne & apte reſpondere, vt pie eam adeuntes, perfectiores notiones diuinorum animis capiant, iuxta ac ardentiori affectu in eas moueantur: quo etiã à rebus perturbatioris vitæ aliquantiſper feriati, ſuauius hic inferius poſiti, in cœlo ſuo, tanquam apes in aluearijs, delicientur. Veſtitus autem ſacerdotalis propter eandem rationem repræſentandi, ſecretus eſſe debet a plebeio ſeu laico, quod munera ſacerdotij obeunda, longe diſcrepent ab officijs popularium in foro aut alibi, eaque in immenſum ſuperent dignitate. Sacerdos, Dei Angelus, Dei ad homines legatus. proinde vt talis vel ſuo habitu agnoſcendus ab alijs, & ab illis congruenter colendus. Cuius rei tantum momentum extitit, vt Romæ & alijs in locis ſæpius Ciues infeſtis armis ſeſe mutuo aggreſſuri, cum nulla eloquentiæ dulcedine, nullo clamorum, eiulatuum, lamentationum, aut lacrymarum potentia cohiberi potuerint, vel vnius ſacerdotis ſacris veſtibus induti aduentui ac viſui e veſtigio ceſſerint, & ad pacem placidiſſime quantumuis tigrides, componi voluerint. Hoc *Alexandro*,

Tertul. in Apol. c. 13.

Ignat. Ep. ad Trall.

Malach. 2.

xandro, furibundo animo irruenti in Iudæos contigit, vt narrat *Ioſephus*. Vidi ipſe ſacerdotalia ornamenta Chinenſium, Iaponiorum, atque Perſarum, & vt ſingula à vulgaribus plurimum diſcrepabant, ita maieſtatem quandam religionis apertiſſime præ ſe ferebant. Congruit itaque ciuili religioni, ſacerdotalem apparatum, cum Deo ipſi, tum muneri, quod ſacerdos exequitur, appoſite ac ſcite reſpondere.

Ioſeph. l. 11. Antiq.

Virgil. Æneid. 10, 535

Nec procul Æmonides Phoebi Triuiaque ſacerdos
Inſula cui ſacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veſte, atque inſignibus armis.

Callimach. Hym. Apoll.

7 Requirit hæc eadem ſacra, & ciuilis religio, vt cæremoniæ ſpecies ſit pariter omnino illuſtris, acris, ac ſenſibus gratiſſima. quo referendæ veterum luſtrationes, purioris aquæ libationes, ac ſimilia. Vt enim canit *Callimachus*, non quæuis aqua in Sacris Deæ *Cereris*, a myſtis vſurpabatur, ſed delecta, ἀκραιφνὲς limpidior nempe, & veluti aquæ flos erat Diuæ ſacrificandus. eodem ſpectarunt flores, & ſuaues odores, quibus rem ſacram illi veteres paſſim peragebant.

Papin. lib. 2. Theba.

——— ——— Templa coronata,
Semper odoratu ſpirabunt floribus aræ.

Homer. Iliad. 2.

Achilles primo mane vinum *Ioui* litaturus, anteum ſcyphum, vt *Homerus* recolit, ex arca deſumpſit, quod infuſum caperet, effuſumque immolando decoraret.

Dein medio conclaui adſtant ex tempore libat
Vina, polum intuitus, Sciphumq; recondidit arca.

Ouid lib. 3. Triſt.

Scilicet expectas ſolitum tibi moris honorem,
Pendeas ex humeris veſtis, vt alba meis,
Humida cingatur florentibus ara coronis,
Micaque ſolemni thuris in igne ſonet?

Ob quam cauſam, martii homines, parta victoria, erigere ſolebant trophæa ex hoſtium ſpoliis ornatiſſima, aut eorum dirępta arma nobiliora *Ioue*, vel *Marti* conſecrare. Vnde, quo armis inſignioribus hoſtem indutum conſpiciebant, eo acrius ad pugnam incitabantur, qua obita, Diis ex deuictis manubiis dona ponerent illuſtriora.

Virg. l. Æneid. 11.

Hunc virgo ſiue vt templis præfigeret arma
Troia, captiuo ſiue vt ſe ferret in auro
Venatrix, vnum ex omni certamine pugnæ
Cæca ſequebatur, totumque incenſa per agmen
Fæmineo prædæ, & ſpoliorum ardebat amore.

8 Quod vero in hoc religionis inſtituto palmam ſanctitatis ac ciuilitatis obtinet, ſacrificium eſt ſoli Deo, cultu latreutico offerendum, idque a ſacerdote, ad id muneris, diuinitus ordinato. adeo hoc apud omnes gentes in vſu perpetuo fuiſſe poſitum reperimus, vt vel ipſe dæmon, mortalium animos dementando, hoc genus cultus, ac ſi Deus haberi cupiuerit, ab eiſdem diſtrictiſſime exegerit. Pij autem ſecum reputantes, Deum omnium eſſe auctorem, vitæ ac necis Dominum, eſſendi & non eſſendi iuſſorem, vt hoc de illo religioſe profiterentur, ex eis quædam ei in ſacrificium immolarunt, immutarunt, deſtruxerunt: in quibus, vt

Paral. 29.

porcin delibatis, omnia ſua diuinis honoribus deuouerunt: imo ſeipſos Deo obtulerunt vel morti obnoxios, ſi modo eius iuribus tuendis occaſio ipſis fuerit occumbere. quod cum præſtantiſſimum ducerent, tum victimam ipſam coronarunt floribus, optimam ſortem inter res eius generis eo conſequutam pronunciantes.

Ouid lib. 4. Triſt.

Altaque velantur fortaſſe palatia fertis,
Thuraque in igne ſonant, inficiuntq; diem.
Candidaque adducta collum percuſſa ſecuri
Victima, purpureo ſanguine pulſat humum.

Apud *Virginienſes*, iuuenes iam puberes facti, ſe beatos reputant, & ab aliis mirifice coluntur, qui ſacrificiis addicuntur ferales victimæ. Fœminæ Iaponianæ defunctis maritis, glorioſum, atque in cœlis præmio dignum habent, viuas adhuc ſubterraneas foueas intrare, ibidemque iniectis ruderibus obrui: proinde ſumma populi celebritate, & cum maximo earummet ornatu, ad tale funus deducuntur. Quod ad materiam ſacrificii, apud veteres, duæ erant eius ſpecies præcipuæ: ſcilicet fruges terræ, & certa quædam animalia. Priorem *Porphyrius*, & alii, affirmant altera fuiſſe antiquiorem: imo recolit *Ouidius*, Romanos, cum adhuc pauperes eſſent, fruges terræ dumtaxat ſacrificaſſe. *Nunquam fas fuit Ægyptiis*, ait *Macrobius*, *pecudibus, aut ſanguine, ſed precibus & thure ſolo, placare Deos.* Vniuerſaliter autem ſacrificium apud omnes, præſertim ciuiliores, conſtitit materia ornatiori, & illuſtriori: qualis apud Iudæos anniculus labis expers, iuuenca nondum collum iugo preſſa, animalia munda, apud Romanos tauri pingues, thura, oleum, flores, & ſimilia.

Porphyr. li. de eſu carnis.
Ouid. lib 1. Faſt. Macr. Satur. c. 4.

Aute coronarunt puppim, & ſine labe iuuencam
Mactarunt, operum, coniugiique rudem.

Dan. 3. Ouid. 4. Faſtor.

9. Ex iſtis intelligi poterit, quænam religiones minus ciuiles extiterint. Sunt enim aliqui populi, Boreales præſertim, moribus quidem ſordidis, neque valentes diuinæ perfectionis egregiam aliquam notionem animis concipere, qui nitore, puritate, & magnificentia cæremoniæ prorſus caruerunt. & ſane nullum apertius indicium vilis ac barbari ingenii, quam incuria, negligens, abiecta, tenuis ac impura religionis apud eoſdem forma: hac enim conſtat, ſenſus hominum craſſos eſſe, impolitos, incultos, duros, ac ineptos, qui de prima ac ſumma Dei excellentia quicquam idonee animis percipiant. Vnde pariter conſequens, eoſdem rudes eſſe, ad recte æſtimandum de alijs excellentijs humanis, vtpote de illa, quæ ex virtute, & altera, quæ ex auctoritate conſurgit.

10 Inciuiles itaque hac ex parte religiones Græcorum, atque Romanorum, quatenus in ſuis templis, eis formis, Deos repræſentabant, ſub quibus laſciuiam, crudelitatem, crapulam, & furta, in terris exercuerant. Hoc enim eorum cultores ad ſimilia

Ariſt. 7. Po. cap. 17.

Deo primitus acceperunt, ſaetificiis ac variis luſtralibus ſacris conſtantes. nulla tamen earum eam virtutem in ſe retinuit, quæ tanquam cauſa completa, aut ad modum *operis operati*, gratiam iuſtificantem ac purificantem efficiendo attingeret. Si quid ergo quantum ad hoc effecerint, id tribuendum fidei ac pietati eorum, qui ſacra adminiſtrarunt aut ſuſceperunt. at quo ad iuſtitiam legalem, ſeu ad abolendum ineptitudinem ad quorumdam ſacrorum vſum, vtpote ad ingreſſum in templum, ac ſimilia, propria vi, & *opere operato* erant ſatis efficacia. proinde horum reſpectu S. *Paulus* appellat baptiſmata illa, ſordium mundatricia, ac carnis iuſtificationes. Nos vero à Chriſto Domino edocti, veras dumtaxat modo retinemus expiationes tam a maculis peccatorum, quam ab eorum pœnis eluentes: vtpote Sacramenta *Baptiſmi*, *Confeſſionis*, *Vnctionis extremæ*; iuxta ac tremendum Sacroſanctæ *Miſſæ ſacrificium*.

August. l. 5. De Baptiſ. cap. 9. 10.

Heb. 9.

2 Quarum externarum expiationum in vniuerſum cæremonia, ita apud omnes gentes viguit, vt ipſam a natura, cunctis communi, profluxiſſe quodammodo, exiſtimare poſſimus: tam enim ratione habita reconciliationis cum ſupremo Numine, quam admiſſionis ad ſecretiora ac diuiniora ſacra, eam in more poni cunctæ nationes voluerunt. *Plato* tamen, & *Cicero* quædam ſcelera contra iuſtitiam ac pietatem perpetrata, ſuo genere maxima, exiſtimarunt nullo vnquam ritu expiari potuiſſe, neque vel a funere ipſorum ſonium ab aliis expianda. *At vero*, inquit *Cicero*, *ſcelerum in homines, atque impietatum nulla expiatio eſt*. De aliis flagitijs contra temperantiam, & continentiam expiandis, illi veteres quaſi parum laborantes, ſæpius quidem conſtituerunt. Græcia vero officina exitit harum expiationum, apud Romanos in vſu ſubinde poſitarum. *Telemachus* recenti cæde fœdatus, vt ſanctius libaret *Ioui*, expiatione præmiſſa inde habilis reddi appetiit.

Plat. in Gorgia.

Cicer. l. 2 de leg.

Profer ſulphur anus & purgamenta malorum
Flammas, queis ædes luſtrem.
Hectoris quoque hæc vota:
Illotis manibus rutilans libare lyæum
Formido: nec enim vſquam Saturnius audit
Turpia ſanguineo fœdatus corpora tabo.

Homer. Odyſſ. 10. Heſiod l. 1. oper. & dier. Eurip Electra.

Ægiſtus apud *Euripidem* parricida factus, hanc ipſam purgationem affectauit. Romani poſtea varias ſuas emaculationes ex fluminibus, ſulphure, flammis, ſummo opere eduxerunt.

Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis aceruos
Traiicias celeri ſtrenua membra pede.

Ouid. Faſt. 4.

Imo ſuperſtites, defunctorum etiam ſcelera certis ritibus expiare ſolebant, pro eis effuſum lac ac pecudes nigri coloris, vt referunt *Seneca*, *Plinius*, & *Papinius*, læua manu ſacrificantes.

Senec. oed. Plin. l. 7. Ep 27. Pap. Thebaiz.

——————— *Nigraque Diana.*
Electos ceruice greges, luſtraliaq; exta,
Lacte nouo perfuſus edet Vulcanus ignis.

Imo ad Indiæ *Peruanos*, expiatrix hæc cæremonia, teſte *Botero*, peruenit: de quorum Rege expiato hæc ſcriptis: *Rex confitetur ſua peccata non ſacerdoti, ſed ſoli, vt ea ſol Deo renunciet. Deinde immittens ſe in profluuium, huiuſmodi verba profert peccata iam ſoli confeſſus: tu flumen defer in mare, vbi in ſempiternum maneant demerſa.* mercatoriam expiationem ad portam *Capenam* deſcribit *Ouidius*:

Boter. lib. deſcrip. orbis.

Spargit, & ipſe ſuos lauro rorante capillos,
Incipit & ſolita dicere voce preces.
Ablue præterita periuria temporis, inquit,
Ablue præteriti perfida verba fide.
Ah, nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua!

Ouid. 5. Faſtor. & 2. Faſtor.

3 Enimuero naturæ, ac ipſi veritati conſentiens, ciues ſecum reputare, quædam crimina eos ſacris indignos exhibere, ac ad ſummorum ſacrorum participationes præter cordis pœnitudinem, requiri externam aliquam cæremoniam, ſeu ſacramentum puritatis. Hoc quidem apud nos, veros Dei cultores, cernitur in expiatione *Confeſſionis* factæ ſacerdoti, qua paramur, vt Sacroſancta myſteria *Eucharistiæ* idoneè participemus. Exhorruit quandoquidem S. *Dunſtanus* Epiſcopus, Regi Angliæ, crimine incontinentiæ polluto, manum vel contingendam permittere: illumque eius rei cauſa ſic alloquutus: *Tu poſtpoſito omni pudore, adulterium commiſiſti, tu deſpecto Deo, ſignum caſtitatis non veritus, nunc virgini ſuam caſtitatem præripuiſti: & cur manum ſummo patri virginis filium immolantem, impuris manibus tuis non tradam, quæris?* quanto autem magis illius anima a peccato expianda ac mundanda, qui diuinum Chriſti corpus ac ſanguinem edere ac bibere conſtituit? Si enim aulici, qui in principis conſpectu continuo verſantur, diligentiſſime curant, ne veſtitu ſint immundi, vel actione immodeſti, ſane qui diuina hæc ſacra peragunt ac percipiunt, a Deo ipſo inſtituta, Chriſti ſanguine ſacrata, ne vel *Cereris* ſacerdotibus ac cultoribus ſint inferiores, ſtudere debent, vt puri ſint, vt ab omni grauiore delicto expiati, ac eo conuenienter præparati. Ciuila eſt hoc apud nos, quod religioſum, ſanctum ac purum: eoque multum commendabilis diuina in nos bonitas, quæ nobis in vitia procliuibus, tot præſidia expiationum conceſſerit.

Sur. in vita S. Dunſtan.

4 Cæterum *Epicurus* animo totus auerſus ab omni vtilitate, ſeu ſacra ſeu ciuili conſequenda ex religione, tria obiicit contra verum eius fructum, noſtramque inde boni alicuius expectationem. Inprimis ait, idem eſſe Deum flecti hominum precibus, ſeu determinari ad aliquid concedendum, faciendum, aut non faciendum, ac ipſum horum mediis eſſe Deum: Cum Deus, ſicut ſeipſo Deus, ita ſeipſo operetur, vel non operetur. quomodo enim, ſciſcitatur, procurare poterit noſtra pietas vt aliquid ſit in Deo, aut non inſit? Deum autem, ſiue creando, ſiue concurrendo cum aliis cauſis, operari forma aliqua in ſe exiſtente, eaque

Nec dabit intonſo iugulum caper hoſtia Baccho,
Muſta ſub inducto ſi pede nulla fluant.

Ouid. lib. 5. Faſtor.

Sæpe Iouem vidi cum iam ſua mittere vellet
Fulmina, thure dato abſtinuiſſe manum.

7 At vt verum fatear, parum valent hæc veterum teſtimonia contra ſententiam *Epicuri*, ſuſceptam ab ipſo de vero Deo, nempe primu, infinito, ſummo, & immutabili. nam eorum religio non huic, ſed geniis, diis tutelaribus, ſtellis, elementorum præſidibus, heroium animabus, vt conſtat ex *Plutarcho*, & *Lactantio*, impendebatur. qualia Numina legibus fati exempta, & mutationibus obnoxia exiſtimarunt.

Plutar. de Dæm. Socrat. de Defect. orac. Lact. l. 1. Diuin. Inſtit.

Sæpe leuant pœnas, ereptaq; lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituiſſe vident.

Ouid l. 1. de Pont. Eleg. 1

Hoc modu Angelus Perſarum, cum prius animo eſſet alienato a diſceſſu populi Hebraici ex Perſide, commotus ſubinde precibus *Danielis*, in illam factus fuit propitius. *Socrates* apud *Plutarchum*, vltra genios non eſt viſus ſuam pietatem extuliſſe, ſummo mane dum domo egrederetur Deum orabat, vt interdiu eius animo bona idola occurrent. At quod ad ipſum Deum, nullam pietatem vtilem veteres aliquot arbitrati, dixerunt, *Vanus eſt qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum* ? de *Tiberio* hæc *Suetonius*: *Circa Deos ac religiones negligentior, quippe addictus Mathematicæ, perſuaſioniſque plenus, cuncta fato agi.*

Dan 10. Plutarc. lib. de Dæm. Socrat. Malach. 3. S. Tho l. 3. Cont Gent. Suet. Tib.

9 Verumtamen duo nobis adſunt inconcuſſa fundamenta, ex quibus argumenta colligimus ad ſtabiliendum commodum, tam corporale, quam ſpirituale, quod a Deo, ipſum venerantes, firmiſſime ſperare poſſumus. Primum eſt vel ipſa natura diuinæ prouidentiæ a nobis inſpecta, quam ſupra diſcuſſimus: alterum, ſacræ noſtræ fidei ſententiis ac literis continetur, ex quibus luculenter conſtat, Dei cultores ab ipſo aliquem prouentum cum paſſim expectaſſe, tum accepiſſe: adeoque erga mortales huius cultus interuentu illum ſæpius placatum ac beneficum fuiſſe, qui prius ob peccata reis offenſus, ac in eos cum affectu, tum effectu, iratus. Enim vero ſi noſtra omnia videat Deus ac diſponat, ſuoſque incitet ad orandum, atque ipſum colendum, conſequens, huius officij habita ratione ipſum bona malaque diſpenſare. noſtra ſiquidem condicione indignum plane, non altius euehi in nobis pietatem, quam ad Genios, quam ad Heroes. ac ſimilia ficta Numina; maxime cum nulla ſit vllibi poteſtas, quæ Dei ſupremæ poteſtati haud ſubiiciatur, ac ab eodem in finem vſumque non deſtinetur. Nam ſi Principes ac Domini hic in terris benignis ſint animis in ſubditos, qui eis vectigalia accurate ſtatutis temporibus dipendunt, quanto æquius, Deum, cui ipſum homines colentes, vectigal egregium ac præcipuum honoris ſoluunt, fore ſuorum cultorum amantem, ac in eos eximia charitate effuſum? Certe non obliuiſcitur Deus neque creaturæ ſuæ, neque veneratoris ſui. *vbi vtilitas, ibi pietas*: vt loquitur *Epictetus*. Argumenta modo *Epicuri* diſſoluenda.

Ierem 2. Epictet. Enchir c. 36

9 Quando itaque aſſerimus, Deum flecti noſtris precibus ad proferendum actionem ab eo tranſeuntem, ac eius aliquem effectum, non ita id dicimus, quaſi noſtra pietas cauſa eſſet motiua ſeu finalis vllius actionis in Deo, aut ab eo manantis: non enim mouetur ad aliquid agendum niſi a ſua innata bonitate: qua motus omnia condidit ex nihilo, ac condita deinceps adminiſtrat, præmiat aut caſtigat. Nihilominus cum vnum velit ex alio dependere, & cum illo connecti, affirmare nihil vetat, noſtras preces ſic eſſe condicione requiſitas, vti ſine illis diuina bonitas efficaciter non mouiſſet diuinam voluntatem, ad illud efficiendum, quod earum interuentu iam effecit: alioquin nullo prorſus fructui inſeruirent. neque hæc virtus humanæ pietatis in diminutionem maieſtatis aut perfectionis diuinæ cedit, cum a nullo extra ſe poſito, ne dum a noſtris precibus, dependeat Deus quo ad actum in ipſo immanentem vel tranſeuntem, tanquam a cauſa motrice ſeu finali. At intulit *Epicurus*: ſaltem religio noſtra veluti condicio ad hoc faciet, vt Deus vel ſit Deus, vel vt mutetur nouorum actuum affluxionibus. Si enim idem ſit Deus ac eius volitio, qua aliquid vult, tunc, ſi ad hanc pietas noſtra conducat tanquam condicio, conducet pariter ad hoc vt Deus ſit Deus. vel ſi Deus alio ſit Deus, & alio largitor muneris, pro quo oramus, noſtra oratio erit condicio, quæ vim habeat Deo inferendi mutationem, & alicuius formæ illi extrinſecus aduenientis acceſſionem.

S. Thom 1. part. q 19, art. 5.

10 Sunt qui affirmant, non repugnare diuinæ ſimplicitati multorum actuum in Deo aduentus, qui virtualiter ita diſtinguantur, ſicut inter ſe attributa diſtinguntur, & relationes notionales ab eſſentia diuina: ita vt ſint in Deo plures virtualitates *Numero*, etiam *Numerato* diuerſæ, & totidem obiecta in nobis conceptuum, quibus illas in Deo recte diſtinguimus. nam dicūt, relatio verbi immediate terminat vnionem hypoſtaticam in Chriſto, non eſſentia. ſimiliter multiplicantur relationes, in Deo, non eſſentia, quæ vera non eſſent, vtpote contradictoria, ſi nulla in re ipſa virtuali aut formali, diſtinctio interueniret. Hinc aſſerunt, non eſſe inconueniens, ſi ratione pietatis in hominibus vel Angelis, noui actus Deo accreſcant, ac ſubinde excidant: vtpote amoris efficacis, iuſtitiæ, miſericordiæ, iræ, & odij. qui actus quod virtualiter ſeu formaliter ſint extra diuinitatem, pietas noſtra, quæ eorum cauſa aut condicio, neutiquam cauſa aut condicio erit ipſius diuinitatis, aut mutationis, quæ ſimplicitati diuinæ eſſentiæ aduerſetur. Exiſtimo tamen, hanc ſententiam repugnare penitus diuinæ perfectioni, quomodocunque & ſub quibuſcunque nominibus, in Deo multiplicet virtualitates, formalitates, realitates, aut modalitates: eſſet enim ex eis compoſitio in Deo, aliud, & aliud virtuale, idque iuxta *Numerum Numeratum*. Neque *S. Auguſtinus* hoc modo explicat diuinam ſimplicitatem, & immutabilitatem conſiſten-

Bern lib. 5. de Conſid.

conſiſtentem cum eius prouidentia, quod nimirum vnquam in ſe aliquid de nouo admittat, dum tranſeunter agit, aut noſtræ pietati ſuccurrit. De hac enim re ex profeſſo diſſerens, primo ingenue fatetur, Dei immutabilitatem ac ſimplicitatem in hac vita plene perſpici a nobis non poſſe, conſiderantibus, ipſum nunc aliquid velle, & facere, quod prius non voluit, aut fecit. *Et ideo eſt neceſſaria purgatio mentis noſtræ, qua illud ineffabile ineffabiliter videri poſſit.* Deinde inficiatur, vllam Deo ex creatione, gubernatione, donatione, mutationem inferri, aut aliquid ſiue virtuale, ſiue reale, ſiue formale illi recens aduenire; aſſerens, hæc Deo attribui ex aliorum ſolummodo extra ſe poſitorum mutationibus. *Deus autem* ait S. *Auguſtinus, vt temporaliter aliquando diligat quaſi noua dilectione, quæ in illo ante non erat, apud quem neque præterita tranſierunt, & futura iam facta ſunt. Itaque omnes ſanctos ſuos ante mundi conſtitutionem dilexit, ſicut prædeſtinauit. ſed cum conuertuntur, & inueniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur, vt eo modo dicitur. ſic etiam iratus malis dicitur, & placidus bonis, illi mutantur non ipſe. ſicut lux infirmis oculis aſpera, firmis lenis eſt, ipſorum ſcilicet eſt, ipſorum ſcilicet mutatione, non ſua.* Hoc proinde myſterium, vtcumque explicat ſimilitudine Domini alicuius, iam recens facti Domini ex ſubiectione ſamulorum, abſque eius intrinſeca mutatione. Non ergo conſentit *Henriches* ſancto *Auguſtino*, ſed neque veritati, qui teſte *Ioanne* de *Salas*, affirmauit, hos actus liberos, qui Deo adueniūt, eſſe *Modos ſe habendi reales*. Neque mihi probatur opinio *Fonſeca*, aut *Salas*, aſſerentium, actus liberos in Deo eſſe numero plures, ac formas reales, etiam noſtro modo eos concipiendi: nam hinc ſequeretur, eſſe in Deo compoſitionem, aliquid Deo recens accidere, nec vniuerſa, quæ ſunt in Deo, exceptis proprietatibus perſonarum eſſe Deum, aut ſolo numine diſtingui, quod Patres paſſim affirmant. Omnis entitas libera, quatenus libera, poteſt eſſe, vel non eſſe: ſi ergo actus in Deo liber ſit entitas reduplicatiue, idque prout nobis obijcitur, cogitare debemus, non ſolum plures entitates, quæ eſſent in Deo, ſed eas, que poſſunt eſſe, & non eſſe: quod de Deo ſentire, indignum prorſus, meo quidem iudicio, eius perfectione. Verum obijciet quis, certum, Deum in gratiam piorum aliquid libere velle ac efficaciter mercedem illis retribuere, non per reſpectum aliquem rationis, neque per donum ipſum collatum: ergo hoc vult per fundamentum talis reſpectus, ſcilicet actum aliquem liberum realem. Deo recens aduenientem, qui adeſſe, & abeſſe poterit. reſpondeo, ſic in hac re nobis loquendum, quemadmodum de illa conceptus formales exprimimus: ita vero hos conceptus formamus, vt nihil eo concipiamus repugnans Dei ſimplicitati, & immutabilitati præconceptis. quocirca abſolute fateri debemus, noſtram in hoc myſterio ignorantiam, ac dicere, non aliter nos poſſe intelligere beneficos actus diuinæ volnntatis Deo erga pios, niſi per ordines ad effectus, & mutationes in illis, vt nos admonuit S. *Auguſtinus*. Satis eſt, quod in re exiſtat fundamentum, ob quod Deum concipiamus multiplici conceptu, vtpote, doni, miſſi, ſeruatoris, remuneratoris, ac Domini. quod quidem fundamentum, quo ad ea, quæ in Deo æterna, & abſoluta, reſpectum inuoluit ad imperfectionem noſtri intellectus, non potentis Deum concipere ſimpliciſſimum vt eſt. nam ſeorſim ſumptus, vt in ſe, cum alieniſſimos ab omni *Numero Numerato*, extra tres Perſonalitatis, ſiue *realitum*, ſiue *Formalitatum*, ſiue *Virtualitatum*, tum non petit ab intellectu plenè eum concipiente intelligi multiplici conceptu formali, aut ſub multiplicitate conceptuum obiectiuorum quomodocumque, quandoquidem in ſeipſo non ſit vllo modo obiectiue multiplex, ſed ſimpliciſſimus. effari ergo non poſſumus, vnde relatio verbi terminet dependentiam naturæ humanæ, non eſſentia communis tribus perſonis, aut out diſtinguantur Perſonæ in diuinis, relationibus oppoſitis, & non eſſentia: niſi quod in re ipſa, fide ſuppoſita, ſit fundamentum, ob quod imbecillitas noſtri intellectus hæc in Deo ratione ratiocinata diſtinguat. quid autem ſit in re ipſa, præſcindendo à noſtro conceptu, & eius infirmitate, non eſt a nobis quærendum: neque noſtri fuerit reſpondere inquirenti, cum apud nos voces, conceptuum noſtrorum notis definiantur ac limitentur, neque ſeorſim ab illis reperiantur.

11 Ac in vniuerſum contra eos, qui huiuſmodi numero plures admittunt in Deo *Virtualitates*, liberas, ſic argumentari poſſumus. *Virtualitates* iſtæ, iuxta normam mediæ diſtinctionis, quam ſecum comminiſcuntur, ſecundum differentias ſui atomas, & indiuiſibiles, includunt in ſe diuinitatē, aut non. Si prius admittūt, totidē conſtituēdæ diuinitates, quot *Virtualitates*: quandoquidē ipſæ extremæ differentiæ, quatenus numero diſſident, ac plures ſint, catenus vnaquæque earum eſt diuinitas. Vnde conſequens, plures quoq; reperiri in Deo diuinitates etiam ſubſiſtentes, virtualiter, ſeu numero virtuali, diſcretas. quod meo iudicio horrebit vnuſquiſque merito affirmare: cum nempe quod de diuinitatibus aſſeritur, id ipſum in pluribus Diis per plures virtuales ſubſiſtentias virtualiter diſtinctis inuenietur. neque cogitare poſſumus, id cum diuinitate omnino coincidere, quod ab eſſentia diuina virtualiter ſeparatur, quandoquidem diuinitas, hác ipſam eſſentiam etiam reduplicatiue in ſe inuoluat. Iſtæ porro *Virtualitates* liberæ abeſſe a Deo potuere: vnde colligitur, ſecundum ſui extrema, virtualia eſſe extra diuinitatem virtualiter: eo quod diuinitas nunquam potuit a Deo abeſſe, ſpectata dico quauis ratione diuinitatis. Sin pronuncient, virtualitates has, vt tales reduplicatiue, eſſe quidem reales virtualiter, ſed metaphyſice reperiri extra vltimam differentiā diuinitatis, ſicut & eſſentiæ, tunc corruet tam ſanctorum Patrum, quam Theologorum axioma, quo dicitur, quicquid in Deo, Deus eſt: illud enim metaphyſice virtuale, adeoque ſingulare & exiſtens in Deo, non erit Deus. ſin autem non ſint Deus illæ liberæ *Virtualitates*, erunt

August l. 1. de Trin. c. 1 l. 6. cap. 16. Greg. l. 20 Moral. c. 24

Salas 1. 2. q 6 art. 2. tract. 2. disp 1. Sect. 8. Fonsec. Tom. 3. Metaph. l 7. c. 8

erunt extra illum: atque vt accidentia, vel ſubſtantiæ virtualiter diſcretæ, vnum quid cum illo componeni reali virtualitate. Quamobrem cum ſumma ſit in Deo perfectiu, indiuiſibilis ipſius ſimplicitas, & vnitas, maxime recedens à diuiſione ac multiplicitate, Theologo obnixe cauendum, ne quicquam dicat in præiudicium iſtius ſimplicitatis, & vnitatis. at de his hactenus. *Præter Nominum*, id eſt perſonarũ, inquit *S. Cyrillus, omnem aliam diſtinctionem recuſamus.* reiicit ergo a Deo S. *Cyrillus* hanc mediam, quæ vulgo dicitur virtualis.

Cyrill. 1. in Ioan. c. 5.

12 Idcirco quando annuit Deus votis precantum, non id facit quo Deus noſtro modo intelligendi, ſed quo eius bonitas extenditur ad peculiarem aliquem effectum piis ab ipſo conceſſum. proinde eodem non mutatur reali, & abſoluta mutatione ipſi intrinſeca, cum tota mutatio ſit in re extra Deum collocatá. ex qua, vt ex fundamento, nos, modo noſtro concipiendi, tribuimus Deo relationem quandam rationis a pietate hominum dependentem, & nouá æterni ad nouũ effectũ determinationẽ, qua benignum piorum exauditorem ipſum denominamus, ac ipſe ſe talẽ hominibus præbet.

13 Cæterum neque fatum Stoicum abſolute, & ſimpliciter efficit hominum pietati. primo, quod nullum eiuſmodi ſit fatum, quod neceſſitatem inducat hominum actionibus. Deinde quod Deus dona ſupernatoralia omni naturæ fato, aut ſerie naturalium cauſarum exempta, piis largiatur. poſtremo, quod, vt ſcribit *Arnobius*, Chriſtus, ſol iuſtitiæ, fatum cauſarum naturalium in multis expugnarit. quod non intelligendum de fato a Deo ipſo decreto, ſed de mutatione aliqua in natoralibus contra curſum naturæ ex cauſarum antecedentium diſpoſitionibus. nam quod a Deo ſemel effatum, id nullá pietate inuerti poterit.

Arnob. l. 1. cont. gent.

Deſine fata Deum flecti ſperare precando.

Virgil 6. Æneid.

Imo fatetur *Seneca*, quædam dona diuina exempta prorſus fato, & ab eius ambitu ſecluſa: vult tamen ipſam pietatem, qua Deo ſupplicamus, fato comprehendi. quod ſi intelligat de decreta hominum pietate apud Deum, verum aſſerit. ſin vero de ordine cauſarum naturalium, quadam neceſſitate antecedenti pietatem hominibus inferentiom, falſum affirmat. nam com pietas hæc neceſſaria, fatalis, & ſine libertate, careat bonitate virtutis, aut actionis laudabilis, non poteſt eſſe cauſa aut condicio, ob quam munera ſua eius reſpectu ſuſpendat Deus, ac reſpectiue ea hominibus deinceps diſtribuat. atque ob pietatem quædam a Deo fieri, etiam contra curſum naturæ, eamque naturæ mutationem decerni à Deo poſt præuiſam hominum pietatem, affirmat, *S. Thomas. Nihil autem prohibet, per orationem efficacem aliquem particularem ordinem alicuius inferioris cauſa immutari Deo faciente, qui omnes ſupergreditur cauſas.*

S. Tho. l. 3. cont. Gent. c. 96.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
AEolus armatas hiemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad Claſsica venti!

Claudian. 4 Conſ. hon.

Non ergo Deus optata mortalium propter eorum pietatem concedendo infringit ſua decreta aut ordinem ab ipſo conſtitutum, vt docet S. Doctor, violat, quibus omne fatum ſtabilitur, ſed id præſtat, quod ipſe ab æterno ſtatuit faciendum & futurum, idque ab his aut aliis cauſis deriuandum, præuiſa tamen ac præfixa pietate, vt in tali ordine complexa: reducendo interim omnem ſuam largitionem in propriam bonitatem tanquam in vnicum finem motricem ſuæ voluntatis. *Piis enim deſideriis*, inquit S. *Thomas, rationalis creaturæ conueniens eſt, quod Deus aſſentiat, ſed & ſua bonitate procedit, vt communiter deſiderata perficiat.*

S. Tho. l. 3. cont. gent. c. 47.

S Thom. 3. cont. gent. c. 59. 1 part q 19. art. 5.

14 Quantum ad ſuperbiam, animique faſtum, quem tam Epicuræi quam Stoici piis obiiciũt, duo inde colligi videntur. primum, ſtatum huiuſmodi ſummo nixu colentium Deum, obnoxium quidem eſſe talibus vitiis: vnde *S. Chryſoſtomus: Ergo nullum remedium poteſt eſſe contra vanam gloriam niſi ſola oratio: at hæc ipſa vanitatem generat, niſi caute proſpexeris, ſi forte bene oraueris.* alterum, ethnicos, ſuperſtitioſos, & ſuo more pios, plerumque ſuperbos & faſtuoſos extitiſſe. at certe religioſi atque, pii cauſas potius ſibi oblatas habent, ob quas præ cæteris humilia rentur: nam cum diuinam excellentiam ſecum animis frequentius pertractent, eamque cum ſui exiguitate ac nihilo exactius conferant, eſt quod inde ſeſe plurimum dimittant, & ſub tanto faſtigio contremiſcant. Hinc omnes dixere, religionem cum metu coniungi, quo pii reprimantur.

Chryſoſt. Homil. 15. in Matt.

——— — *Multoſque metu ſeruata per annos.*

Virgil. Æneid.

Quod ſi nouerint ſe ſuis votis Dei potentiam ad aliquos effectus educendos detuliſſe, non eſt quod inde turgeſcant, cum Deus ſua ſola bonitate motus eademque victus & alligatus quodammodo, beneficia illa contulerit. quocirca cum aliquando Deus ſe impeditum pietate *Moyſis* pronunciarit, quo minus iram ſuam in noxios Iudæos effunderet, dicens, *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleám eos*, non id dictum, quaſi *Moyſis* pietas ei vim intulerit, ſed quo ipſemet voluerit, pietatem illam, virtutem quamdam retinere ad cohibendum iram ipſius. In quem ſenſum ait S. *Hieronymus: Sententia Dei Sanctorum precibus frangitur* hoc eſt, Deus vult effectum ſuæ vindictæ impediri precibus Sanctorum, Neque hoc eſt, vt illi ſuſpicantur, Dei miſericordiam committere cum eius iuſtitia. nam quo ad effectum ac praxim, id iuſtum apud Deum ſolummodo, quod ipſe vult efficaciter. Huic autem iuſto non aduerſatur miſericordia: non enim præſupponit hæc decretum in Deo efficax ad puniendum. nam ſi id faceret, mutationem in Deo deſignaret: ſed ſolum impedit effectum, qui alioquin iuſte poterit noxiis inferri: huiuſmodi vero iuſtum omitti poſſe, conſtat ex generali diſpoſitione ſuperiorum, qui non iuſti modo, ſed pariter miſericordes eſſe debent iuxta rationem ſui officii. nobis quidem id iuſtum, obligationem adferens, quod lege, quod vſu taxatum: apud Deum autem iuſtum nihil, aut obligatorium, niſi quod ſua voluntate efficaci ſancitum. Denique quod

Exod 32.

Hier. in 19. cap. Ezechi.

Stoici

Stoici de vitioſitate ſpei, deſiderij, timoris, quibus religio innititur, Philoſophantur, iam dudum ſchola exploſum non tantum a noſtris, ſed etiam à Philoſophis. Ex generalibus itaque Principiis hactenus diſcuſſimus, ciuile momentum cultus Deo exhibendi. Videamus modo quid ex ſimilibus Principiis definiri poterit de honoribus, qui Sanctis ac Dei amicis, iam in cœlo beatis, a mortalibus merito perſoluendi.

CAPVT XII.

Honores eis ab ipſorum funere delati, qui dum ſuperſtites eſſent, omni virtutum genere floruerunt, cum ſacri, tum ciuiles.

QVantam vim ad alios cum inſtruendum, tum incitandum, exempla, ſiue oculis percepta, ſiue indubitata fide explorata, obtineant, nemini, credo, obſcurum eſſe poterit. dogmata etenim in hoſce fines inſtituta, ex generalibus Principiis, non niſi maiori, & eleuatiori intelligentia percipiendis, ducuntur: exempla vero ipſos etiam ſenſus quodammodo feriunt, ac circa particularia, cuiuſuis vel tenui ingenio familiaria, verſantur. *Melius*, inquit *Plinius*, *homines exemplis docentur. quæ inprimis hoc in ſe boni habent, quod approbant quæ præcipiunt fieri poſſe.* multum ſane iuuat ad imitationem, præ oculis videre præclaras virtutum imagines ab eis expreſſas, qui communem cum nobis naturæ condicionem ſortiti, ac ſimilibus plane infirmitatum impedimentis præpediti, earum honeſtati ſtrenue incubuere. qui oceani ſulcant vortices, libenter audiunt a nauigantibus quid in oceano factitatum. qui humana moliuntur, vtilius norunt hominum geſta, quam Angelorum miracula. Atque inter alia, ſingularem quandam lenitatem præ ſe ferunt exempla, quando ad aliquem emendandum proferuntur. *Exaſperat homines*, ait *Pacianus*, *imperioſa correctio, blandiſſime iubetur exemplo.*

Plin. Panegyr. Traian.

Pacian in Panegyr. Theodoſ.

a Hæc autem efficacius virtus præſtat, ſi laudata fuerit, ſi propriis coloribus illuſtrata, aliorum mentibus cum decore, & honore ſuo, excolenda proponatur. & precor, cui rei encomia, celebritates, ornatus, ac pompæ a mortalibus potius impendendæ quam virtuti? virtuti dico, hominis, qui ad Dei ſimilitudinem condito, ſummæ perfectioni, vt docet S. *Auguſtinus*: omnium laborum a Chriſto Domino ſuſceptorum fructui ac meſſi in nobis expectatiſſimis? Cuius rei aliqua licet tenuis præſentatio, veterum animos, vel ad mortem ipſam, patriæ cauſa, generoſe oppetendam, plurimum inflammauit.

Auguſt. Ser. 3. inter parſ.

Neq; inhoneſte, & abſq; gloria occubui,
Nam & me licet apud poſteros audiri.

Huius cupiditatem virtutis in *Iphigenia*, pro ſalute Græciæ immolanda, cecinit *Euripides*:

Tunc decuſque, & celebre nomen hinc mihi parabitur,
Quippe quæ meopte capite liberarim Græciam.

Homer. apud Cyril. Alex. l. 10. Cont. Iul.

Eurip. Iphig.

Quem ritum adeo rebus humanis conſentientem, ac à primis Chriſtianis ſuſceptum, cum *Iulianus* Apoſtata improbaſſet, perinde ac ſi noſtri tunc temporis plures Deos eo fuiſſent venerati, & ſuperſtitioſius mortuorum ſepulcris inhæſiſſent, *Arnobius*, *Cyrillus*, *Alexandrinus*, *Theodoretus*, illi manifeſtum fecere, Græcos etiam ſuos, eundem morem erga inclytos ex virtute, poſtquam occubuiſſent, qua diebus anniuerſariis, qua ſepulchrorum, & imaginum trophæis, qua publicis Encomiis, obſeruaſſe. *Vnde dicunt*, ait *Cyrillus*, *Athenas maxime elegantes, & facundos anniuerſarios agones inſtitutos, qui pro Græcis periclitatò, obſtantes Barbarorum inſolentia, numero minores bellatorum innumerabili turba, Cum vincere non poſſant pro victoria contenderunt, ne minus viriliter morerentur, memorias, & encomia apud illos conſequuti.* *Plato* ipſe, & *Pauſanias*, iſtius ciuilitatis meminere, illamque valde commendarunt. Atque quoad hoc, Romani Græcis nequaquam fuere inferiores, idque vel à primis ipſis Romani imperii incunabulis, vt teſtatur *Dionyſius*. *Præconijs celebrabant benefactores ſuos.* *Quidni ergo*, ait *Seneca*, *magnorum virorum, & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? quidni honoris cauſa illos ſemper appellem? quam venerationem præceptoribus meis debeo, reddam illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si Conſulem videro, aut Prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet, faciam. Equo deſcendam, caput adoperiam, ſemita cedam quid ergo M. Catonem vtrumque, & Lelium ſapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem, Cleantemque in animum meum ſine indignatione ſumma recipiam? Ego vero illos veneror, & tantis nominibus ſemper aſſurgo.* Hac ipſa honoraria æſtimatione imbutus M. *Aurelius*, vt ſcribit *Vopiſcus*, præceptoris ſui ſepulchrum ſparſis roſis venerabatur. *Eſt omnino Capitoni in vſu*, ait *Plinius*, *claros viros colere. mirum eſt qua religione, quo ſtudio imagines Brutorum, Caſſiorum, Catonum domi vbi poteſt habeat. Idem clariſſimi cuiuſque vitam egregiis carminibus exornat; ſciens ipſum plurimis virtutibus abundare, qui alienas ſic amat. Redditus eſt Lucio Sillano debitus honos, cuius immortalitati Capito proſpexit pariter & ſuæ. neque enim magis decorum, & inſigne eſt ſtatuam in foro populi Romani habere quam ponere. Conſuetudo manſit apud Romanos*, inquit Plutarchus. *Vt qui ſtrenue pugnando obiiſſet, ab optimatibus laudaretur.* Ciuilem huius moris rationem aſſignat, *Cicero*: *Atque in pleriſque Ciuitatibus intelligi poteſt, augendæ virtutis gratia, quo libentius reipublicæ periculum adiret optimus quiſque, virorum fortium memoriam, honore Deorum immortalium conſecratam.* Denique vel extremi in occidente Indiani, vt ſcribit *Boterus*, honoris cauſa præclarorum virorum, iam defunctorum, oſſa ſecum ferunt bellum agentes, partim quo ipſos inde colerent, partim quo eorum recordatione, ad Imitationem fortitudinis ipſorum, ſeſe incitarent.

Arnob. l. 1. Cyril. cont. Iul. Theod. l. 8. de prouid. de Martyr.

Cirill. l. 10. in Iul.

Plato in Menech. Pauſan. in Acha. Dionyſ. l. 7. Senec. Ep. 64.

Vopiſc. in M. Aurel. Plin. l. 1. Ep. 17.

Plutar. in pub.

Cicer. l. 3. de Nat. Deor.

Boter de nou. orb.

——— *Te liuida ſaxa,*
Te ſimilem docta referet mihi linea cera.
Hos ebur, & fuluum vultus imitabitur aurum.

Statius lib. 3. Syluar.

Ouid. lib. 1. Triſt. Cicer. in hom. Scrip. 1. de Natt. Deor. Iuuen. l. 3. Saty. 8.

Neque ſane, quod *Cicero*, *Iuuenalis*, & alii animaduertunt, aliunde Romani diuinos honores diis Heroibus habuere, niſi quod eos, inter mortales agentes, eximiis virtutibus inclaruiſſe nouiſſent: licet modum excedentes, in magnum

illud

illud idolatriæ eodem impegerint. *Lego Stoicorum ſcripta, inquit Arnobius, vel ſcripta ſapientum, eadem mecũ recognoſces, ob merita virtutis aut muneris Deos haberi.* De Athenienſium ritu hæc *Cicero*, enarrans illius Gẽtis cæremonias ſepulcrales: *Sequebantur epula, quas inibant parentes coronati: apud quos de mortui laude, cum ni quid veri erat prædicatum: nam mentiri nefas habebatur, ad iuſta conie*cta *erant.*

Hig. l. fab c. 274. Lex Ro. Cic. li. 2. de legib. Cic lib 2 de legib.

Chry. de S. Ignat.

3 Mos iſte colendi ſanctos & ſummis virtutibus ornatos, etiã poſt eorũ obitum a Chriſti Eccleſia, ac in ea, a veris Dei cultoribus exactiſſime perpetuo retẽtus fuit, de virtute vtique nõ niſi ſancte, auguſte, ac ciuiliter ſentientibus. Cui haud alij obſtitere, quã barbari hæretici, vtpote *Manichæi, Vigilantiani*, qui nõ aliunde illũ vituperarunt, niſi quo ipſam virtutẽ, ac Chriſti Domini metũ a, quorũ fructus, pariter extenuarent, adeoque penitus opprimerent. Et quidem præcepta diuina, Iudæis tradita, frequentẽ ac vigentem memoriã præclarorũ virorum, qua ſacrã hiſtoriam publice in ſynagogis legendo, qua feſta celebrando, eis ingeſſerunt. *Narrationem virorum nominatorum conſeruabit.* Diſtrictiſſime autẽ Dei Eccleſia hanc in ſe curam, idque ab initio ſui, ſuſcepit. *Clemens* papa in vrbe Notarios quoſdam conſtituit, qui ſanctorum hiſtorias & martyria literis conſignarent. Teſtatur *S. Cyprianus*, ſuo tempore ſignatos dies, in quibus martyria paſſi heroici illi veritatis teſtes, eo fine, vt annuatim a poſteris colerentur. Laudat *S. Hieronymus* pietatem *Iuliani*, cui, *Dedicatio oſsium martyrũ candida veſtimẽta reddiderit*, cum paulo ante ob funera duarum filiarum lugubribus indueretur. In hunc ipſũ vſum, ſanctorũ memorijs dicata templa, ſacrata altaria, appoſitæ imagines, ad eorum ſepulcra accẽnſa lumina, ſparſi odores, de quibus *Prudentius*, & *S. Paulinus*, multa narrant: quo eorũ recordatio, cultuſque apud poſteros vigerent ac propagarentur.

Eccl, 19.

Bar. To. 2, in mar, Ro. Chry Ho. de S. Ignat Cyp exh ad mart, Hier. epi. ad Iul,

Pru. hym de S. laur Paul de Cel. puer

4 Huius quidem pietatis perinſignis ſane ciuilitas luculẽtiſſime apparet: ſtatim enim ac viderint ciues, laudes haſce ac præconia ſanctorũ peracta, eorũq; feſtos dies accuratiſſime obſeruatos, cogitabũt quod res eſt, nẽpe virtute præſtantius nihil. Vnde amore illius accenſi, eiuſdẽ deſiderio mirifice capientur, iuxta ac conciues, quos virtute claros perſpexerint, maximo honore ſimul ac amore ſecũ viuẽtes proſequentur. quid enim feruẽtius ad excitandũ affectũ in virginitatem, quam intueri virginum lilia ac puritates in cultu ac precio apud pios, adeoq; ipſoſmet principes religione florere? quid ad fortia aggredienda vel acerba perferenda acrius incitamentũ, quam ritu publico aſpicere & venerari paupertatẽ, humilitatem, patientiam, charitatẽ in eis, qui in ſũmis miſerijs poſiti, iſtis nobilitati fuere? quid ad cõcipiendũ notionem aliquam beatitudinis, ac præmij in cœlo, clarius & illuſtrius, quam cõtemplari ſanctorũ etiamnũ ibi regnantiũ nominibus hic in terris honores vel a ſupremo reipublicæ magiſtratu perſolutos? virtus ſane, & cœleſtis gloria, in iſtis ſuas habẽt viuas imagines, quas oculis delibemus, ſuos magnetes, a quibus ſalubriter trahamur, notas ſuas ac cynoſuras, a quibus inſtruamur, ac recta in curſu iſtius vitæ ad metã beatitudinis æternæ dirigamur. quocirca ſi ciuile fuerit, ciues virtutis notitia imbui, iuxta ac eius cupiditate inflammari: ſi fuerit ciuile, eoſdem expreſſũ aliquẽ conceptũ animi retinere cœleſtis gloriæ, profecto iſtis titulis ciuile, Sanctis iam in cœlũ ingreſſis, dies feſtos ac religione ſacros ritus decernere, in eis ſua propria ornamẽta, ac vberrimos fructus meritorum Chriſti nos ſuſpicere & honorare. Neq; eo periculũ, quod leuiſſime cõmentãtur Proteſtantes, Deo ipſi cultũ eripiendũ, ac in Sãctos ſũma iniuria transferendũ: etenim cultus Sanctis a pijs cõceſſus nihil continet latriæ aut ſupremi illius, quẽ Deo ſoli tribuimus, lõge inferius ſubſidẽs. quomodo ergo idololatria, quomodo in diuinũ honorẽ furtũ aut ſacrilegiũ, quod idulolatria cõmittatur? Si amico, ſi principi nihil detraham, vtilitatem aliquam in alium conciuem conferendo, fieri ne inde poterit, vt in amicum & principẽ eo iniuſte delinquã? Imo potius Dei magnitudinẽ ac bonitatẽ hinc laudãdã proponimus; profeſſi non ſolum ipſum cultu digniſſimũ, ſed quod ipſe effecerit, vt eius munere ipſius quoq; ſancti cultu ac veneratione noſtra digni pariter appareant. Qui precor, huic mori vtiliſſimo impie refragantur, qui argumẽtis ad applauſum cõpoſitis eũ impugnant, ſi nõ homines inciuiles plane ac barbari, qui virtutis, qui cœleſtis beatitudinis nullã prorſus egregiam formam in animũ admittunt? qui in ſuperbiam rigidi, ijdem in ſanctos, in beatos, in Dei amicos & aulicos pie & amanter molleſcere obſtinatiſſime recuſant. Docet *Ariſtoteles*, virtuti deberi laudes, beatitudini autẽ aliquid laude ſublimius. *Beatitudinem nemo laudibus effert vt iuſtitiam, ſed vt diuinius ac melius quiddã ſuſpicit, & in rerum beatiſsimarũ numero collocat.* Si iuſtitia ſuperſtitis alicuius laudem meretur, qualem obtenta a Sanctis beatitudo, a nobis merebitur?

Ariſt. l. 1. Eth. c. 10.

5 Sed neque Sanctorum cultus a Dei ac Sanctiſſimæ Trinitatis cultu ſecernitur: ſed in hunc vt flumina in mare, redundat. Sicut enim Sanctorũ virtutes erant ipſorũ motus in Deum, vt diuine philoſophatus *S. Dionyſ.* ita noſter cultus quẽ Sanctis tribuimus, noſter eſt motus in Deũ: ſcilicet in bonitatẽ Dei tribus perſonis communem. In Sanctis admiramur ac colimus Dei Patris bonitatem, quæ ita in Sanctorum moribus ſua gratia inclaruit, inualuit. Admirati olim ſummi Philoſophi *Ariſtot.* & *Galen.* qui fieri naturæ & Dei opere potuerit, vt anima immortalis & ſpiritualis ſubſtantia, nexum appeteret cum corpore mortali ac terreno, vndeque in corporis concretione, anima incorporea includatur. pariter nos in ſanctis id admiratione proſequimur, quod æterni Patris bonitas humani intellectus tenebris, iuxta ac voluntatis fragilitati, lumen intelligentiæ, ſimulque robur virtutis impreſſerit: & eo effecerit, 4
vt anima vinceret vita virtutis, ſicut corpus animæ vita ſubſiſtit: non enim minus alienæ à virtute animæ in corpore ignorantia & imbecillitas, quã ab anima corporis cõtagio. nihilominus hæc Dei bonitas, quæ & omnipotens, ſuo effectu in ſanctu conſpicua, & a nobis agnoſcenda, dũ videmus, eã in ſanctis ſummas & admirabiles virtutes excitaſſe, & quodãmodo, eo pacto ex ſpinis vuas, ex tribulis ficus collegiſſe. Dei filij pariter in eiſdẽ ſãctis agricultura & beneficẽtia cõparent: vt enim ſol in *Marte* ſtella rubeſcit, in *Lucifero* ſplẽdet, in luna veluti in argento albeſcit, in iride verſicolor fulget, ita Filij Dei infinitũ meritũ, in ſanctis diuerſimode elucet, & tãquã aqua fontis in medio paradiſi, in diuerſis plantis colore & odore multiphariã floret. In eiſdẽ ſãctis deprædicamus quoque vim & amorẽ ſpiritus ſancti, qui dum ferebatur ſuper aquas frigidæ noſtræ naturæ, eis fæcunditatẽ recte operandi impertiuit, adeoque ſuo calore viuifico ad cõuerſationem in cœlis excitauit. Quis ergo dicet noſtrum cultũ, ſanctis impenſum, Dei cultui detrahere, & non potius eumdem plurimum commendare? O decora naturæ! o gratiæ robora! o gaudia & coronæ Dei!

Dion. de diu. nom cap. 1.

Ariſt. l. 2 de anim. Galen. de Hom. fab

1. Cor. 3.

Gen. 1. 2. Phil. 3.

6 Reputantes porro ex munere Chriſti, actionum, habituũque præſtantias, quæ in ſanctorũ animabus

emicuere,recte iudicamus,eas a nobis venerādas:
præſertim cū eis,tanquā culmis,gloriæ diuinæ ariſta
modo acceſſerit. Dignæ fuere iſtorū mētes, in quas
Gen. 1. SapiētiaDei ſe inſinnaret, & ſuo fulgore eaſdē illu-
Sap. 7. ſtraret:illa dico Sapiētia,quæ *Candor lucis æterni,Va-*
por virtutn Dei.Neminē enim diligit Deus,niſi eum,qui cū
ſapientia inhabitat. eſt enim hæc ſpecioſior ſole & ſuper
omnē diſpoſitionē ſtellarum,luci cōparata inuenitur prior.
Deinde ſicut ſanctorū mētes inſtar ſpeculorū,a ra-
dio cognitionis ſplenduerūt, ita eorūdē voluntates
tā cōcupiſcibiles,quā iraſcibiles,virtuti ac Deo pul-
cre inſeruierūt. Id in ipſis cōcupiebat voluptas,quod
ad rationis iudicium pulcrū,quod honeſtum,longe
ab ea depulſa fœda illuuie voluptatis.In eiſdem pa-
riter id in odio partis iraſcibilis,quodDeo ac virtuti
contrariū:tametſi interea ad omnē humilitatē & pa-
tientiā mitiſſimo ingenio cōpoſitæ.Neque hæc præ-
ſtitere ad imperiū fati,ad vani honoris ambitū,ſed
in Chriſtū Ieſū intendētes, eiuſque amore dulciſſi-
me flagrantes,actionū optimarū decoribus vtram-
que nobilitati claruere. Quarū ſane memoria apud
nos,animi & ciuilitatis bonis conuenientiſſima.

6 Recolit *S.Auguſt.* prodeſſe bonorifica *Reguli* fidē
Aug. l. 5. ciu. c. 17. vel hoſti datis.penes nos recordationē.iuuare quo-
que aſſerit,memoriam *L. Valerii* conſulis, priuatas
fortunas publicis bonis poſthabētis: *Pyrhi* quoque
Regis,parati ad aduerſa omnia tolletanda,priuſquā
ſuſceptā cū Romanis ſocietatem perfide exueret. Ex
quo idem Doctor intulit, Chriſti cultoribus pluri-
mū prodeſſe, eis ob oculos ſtatui res geſtas ſancto-
rum. *Quæ non ideo,* inquit, *proponuntur,vt ab eis iuſtifice-*
Aug. l. de Car. ſtud. cap. 7. *mur, ſed vt eos imitantes,ab eorum iuſtificatore nos quoq;*
iuſtificemur. Alexandro animus incāduit plane ad mar-
tia facinora, *Pompei* Epitaphiū legenti. par omnino,
amatores virtutum ad eas accendi vehementius,vbi
earum encomia in ciuitate perceperint decantata,
qui ipſarum præſidijs ad cœleſtem gloriam adſpi-
rarunt. *Adherbal* de antiquis vt ſcribit *Saluſtius* diſſe-
Sal. bell. Iugur. rens,dicebat: *Cum maiores imagines intuerentur, vehe-*
mentius ſibi animum ad virtutē accendi dicebant. ſcilicet
nō cerā illā neq; ſigna tantā vim in ſe habere, ſed memoria
rerū geſtarū eā flammā egregiis in pectoribus creſcere,neq;
prius ſedari, quam eorum famam atq; gloriā adæquarent.

7 Atque ſicuti religioni in vniuerſum vis ineſt ad
proſerendū ciuilitatem, ita in Sanctorum cultu pij
noſtri anteceſſores peculiarē quandā hac ex parte
energiam agnouere. Superius diximus,religionem
eatenus virtutem ciuilem eſſe,quatenus idonea,quæ
rigorē iraſcibilis in nobis facultatis remittat,ac qua-
dā dulcedine inſpergat. quod illi prudenter ac ſciē-
ter cogitantes,Sanctorū ſolemnitatibus,vt narrat *S.*
Greg. Niſ in vita Grego. Taumat. *Gregor. Nyſſen.* Muſicā, congreſſum frequentem,ho-
neſtū ac decorū luſum,publicū quoq; epulum,con-
ceſſere,quibus ciues magis inter ſe vi religionis man-
ſueſcerent ac charitate mutuo ardentius flagrarent.
ac tametſi iſtis ciuilitatis munimentis nō æqualiter
cum alijs indigeāt, qui in populoſis degunt ciuitati-
bus, propterea quod multæ aliæ adſint ipſis occa-
ſiones congrediendi ac collætandi, nihilominus qui
vicatim aut opidatim ruſticantur,vt cum ſocijs be-
neuole,innocenter,ac manſuete congrediantur,iſtis
artibus religionū ineſcandi,tractandi & informandi
ad placidos mores conſortij & ciuilitatis. Enimuero
ſi nunquā,aut raro vllibi conuenirent ciues, præter
Greg. l. 1 ep. 7. quā in popinis aut luſtris,quod *Puritani* contendūt:
ſi apud eos nullū conuiuiū boneſtaret vel modera-
retur religio,ſi eadem nunquā legē coeuntibus mo-
deſtiæ imponeret,cito profecto aut diſtracti in bar-
bariem inhorreſcerent homines, aut in petulantiam
quantocius ſoluerentur. Qui cōgreſſus ſacri,ſi modo
vitijs aliquādo opportuni,ſeruentur nihilominus,ita
tamen, vt occaſiones vitiorum a tam ſanctis ritibus
depulſentur. Ciues ſeſe mutuo cognoſcere,ciuile,li-
cet id vetat ars tyrannica: Vtilis ergo mandante reli-
gione cōcurſus,quo plures ſeſe mutuo vidēdos pro- Aug. epi. 64.
ponunt. eoſdem congredientes, pariter ciuile,fore
temperatos,boneſtos, pudicos, ac ſobrios. Ciuilis
ergo religio, Sanctorū memorijs impenſa, quæ iſtis
virtutibus imperat,quæ eas in ſocietates inducit,ac
illas in ſuo comitatu perpetuo retinet. vbinam loci
obſecro,graues ac pudici ciues fuerint, ſi nō in eo,
in quo ſe Sanctorū nomina celebrare,religionē ex-
ercere animaduertunt? Egregie *Ariſtot.* apud *Senecā* Sen. l. vit nat. quæ. cap 30.
dicit. *Nunquā nos verecundiores eſſe debere,quam cum de*
Diis agitur. atque ob hāc cauſam & honeſtum exer- Ariſt l. 7
citium corporum *Ariſtot.* fœminis etiam pudiciſſimis pol. c. 12.
progreſſus concedit ac conſulit ad ſana Deorum.

CAPVT XIII.

Honores ac priuilegia Sacerdotibus ac locis ſacris conceſſa,
plurimum ad morum ciuilitatē & ſanctitatē conducunt.

CVm omnis reſpublica duobus hominum or-
dinibus conſtet,ſacris nempe ac ciuilibus,cū
æquū,vtroſque inter ſe actiſſime mutuis of-
ficijs coniungi ac deuinciri. Hæc autem eorū colli-
gatio ex duobus conſurgit: ſcilicet ex largitione ac
redditione. ad ordinem ſacrum proinde ſpectabit,
diuina munera ac beneficia in ciuilem ſtatum con-
ferre: viciſſim ad hunc,honorem ac ſpecialia iura re-
tribuere, Dei ipſius lege ſancita fideliſſime ſeruare
& executioni mandare. Ex quo ſequitur ordinem
ſacrum eo gradu ſibi vendicare debere cultū & pri-
uilegia a plebe deferenda, quoto ipſe beneficia pon-
dere maiora, aut minora, illi ſuppeditare videatur.
nam ſi ille ſtatus minora ſolum præſtiterit, non e-
rit ratio, ob quam grandiora ornamenta ab altero
expectaret: ſin autem maxima ac ſumma largiatur,
iuſtiſſima ſane,ob quā maximum iridem honoris &
priuilegij cenſum a ciuilibus hominibus acciperet,
quando enim ex beneficio oritur obligatio ad retri-
buendum, tunc ex maiori beneficio recte propaga-
bitur debitum arctius ad ſolutionē maioris gratitu-
dinis & remunerationis. Deus autē qui noſtris ſa-
cerdotibus ſolui ingens quoddā momentum digni-
tatis ac decoris a popularibus voluit, eiuſmodi offi-
cium, radicē & cauſam ſui habere decreuit, in præ-
ſtantiſſimis ac diuiniſsimis beneficijs, quæ illi popu-
laribus impertiuntur: vtpote in diuina præſtātia Sa-
cramēti Euchariſtiæ, quā ore ſuo conficiūt, in ma-
xima excellētia hoſtiæ, quā in eorum gratiā immo- Hier. Ep. ad Nep.
lant. in animarū ipſorum ſanctimonia, quā peccata
remittentes,ipſis conferunt, ac ſimilibus.

2 Nulla etenim natio, fama religionis ac ciuilitatis
celebris, quæ vt ipſam religionē ſacratius inter ſe ſta-
bilirent, ſimulque populo illuſtriorē cōmendarent,
priuilegia, immunitates & ornamenta ſacerdotibus
non indulſit, & inuiolata eſſe omnino ſtatuit. Hinc
teſte *Homero*, ne ſordido ritu cogerentur ſacerdotes Hom. de Breſid.
in *Delo* manuum ſuarum laboribus victū compara-
re, aliūde ex publico illis abundanter antiquitus pro-
uiſum, ſeu χωρὶς ἀπ' ἀπαρχῆς vt canit *Callimachus,* Callim. hym. 4.
ſuccurſum. Ægyptii proinde, vt ſtatus ſacerdo-
talis apud ipſos in quodam ſplendore ac maieſtate
verſaretur, nō alios delegere ſacerdotes, quam præ-
cipuos magiſtratus gerētes: *Propter eorum,* inquit *Plato* Plat. l. de Regn.
qua aggrediuntur, tractantque maieſtatem. Ariſtot. quo- Ari. 3. pol c. 15. 7. pol cap. 9.
que loquens de ſacerdotibus Heroum tēporibus, ſic
ſcribit: *Dux belli & iudex controuerſiarum erat Rex, &*
Dominus cæremoniarum. Proinde idē admonet, nō de-
cere ſacerdotes, ſordidas artes exercere, hāc rationē
aſsignans:

aſſignans: *Honor enim Dijs à ciuibus eſt impendendus.* quo innuit, diminutas ſacerdotum dignitates, tranſire ad vituperia ipſorum Deorum ac myſteriorum religionis. Vnde concludit, ad ſacra conſcriptos homines, quietos debere eſſe & feriatos. quod omnino nos pie conſtitutum reputamus, cum negotia ſæcularia ex mandato

2. Tim. 2.

S. Apoſtoli *Pauli*, ſacris perſonis, Deo ſpeciali munere militantibus, interdicantur. Quinimo Romani ſuis ſacerdotibus varias immunitates, reſpectu vulgaris ſubiectionis etiam in ciuilibus, conceſſere, eoque à reliquis ciuibus diſcretos omnino voluere. Veſtalis virgo ſtatim ac in templi penetrale inducta, à patria poteſtate

Gell. l. 1. c. 12.

emancipata manebat: *Patria poteſtatem exuit*, ait *Gellius*, *& ius teſtamenti faciendi adipiſcitur.* Coi

Ta. l. 12. An.

propter venerationem *Æſculapij*, ſoluti fuere à *Claudio* Imperatore, vt refert *Tacitus*, à vulgari debito pendendi tributum. Apud *Gallos*, vt nar-

Cæſ. lib. 6.

rat *Caſar*, hac ipſa immunitate gaudebant ipſorum *Druides*.

3 Enimuero ſi extiterint quædam certarum perſonarum à veteribus prudenter decreta priuilegia quo ad ciuilem ſubiectionẽ, certe nulli hominum generi aptius concedenda, quam ſa-

Ariſt. li. 2. Pol. cap. 7.

cerdotibus ac ſacris hominibus. *Eſt lex*, inquit *Ariſtoteles*, *qui tres genuerit filios, eum eſſe immunem a cuſtodia: qui vero quatuor, immunem eſſe ab omnibus.* Militiam profeſſi apud Romanos, & alias etiam Gentes, quo ad plurima, haud ſubijciebãtur ciuilium legum obſeruationi. Hinc manauit *Camilli* ſancitum, militem cogi non poſſe, vt extra vallum, vel longe à ſignis, litiget. Vnde *Iuuenalis*:

Iuuen. l. 6. ſa. 16.

Solis præterea teſtandi militibus ius
Viuo patre datur: nam quæ ſunt parta labore
Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſus.
Omne tenet cuius regimen pater.

Neque tunc temporis conqueſti ciuiles principes, ſibi iniuriam illatam, quod in ciuilibus milites ſuis imperiis ſubducti, liberius viuerent. æquius ſane, religionibus addictos, adeoque ciuilius, huiuſmodi exemptionibus pollere, quam

Dion. lib. 2. Antiq.

milites, quam rei vxoriæ addictos. *Numa* inquit *Dionyſius, ſacerdotibus in omnem vitam honorem conceſſit, immunibus propter ætatem a militia, & propter priuilegia exemptis ab vrbanis moleſtiis.* *Qui*

Pap. præf.

bona fide inquit *Papinius, Deos colit, amat & ſacerdotes.*

4 Atque inter reliqua ſacerdotalis condicionis ciuiliter aſſerenda ornamenta, id vnum, vt feriati ac liberati à moleſtijs, quantum fieri poterit, ex ſuo peculio degant, nec cogantur à ciuium voluntatibus ſtipem, vel ad vitæ neceſſaria ignobiliter emendicare. Hoc quidem apud Iudæos Deus ipſe ſuo iure firmauit, omni-

Leu. 10.

no inſtituens *Leuitarum* proprias poſſeſſiones, eaſque illis ſolum ſubiectas, tum etiam à vario cenſu populari immunes. Quis enim non aduertit, turpe eſſe, ſacerdotes alimoniam implo-

Theodo. Cleaſter. Toſt. in 45. cap. Gen.

rare debere à ciuibus, ipſis quo ad gradum multo inferioribus: quibus pariter niſi dicendo agendoque placuerint, cum ignobili depulſu carituri ad vitam requiſitis? quomodo libere eos admonebunt officii ſacerdotes, quomodo inter eos vlla dignitate conſpicui apparebunt, ſi per eos ſtare debeat, vt ſuſtententur, vt veſtiantur, vt vitalem hanc auram reciprocent: eſt ergo quod ex proprijs bonis viuant, ac eis bonis fruantur, quæ in gratiam ſuarum perſonarum ſimiliter ciuili foro imperioque eximuntur.

5 Porro ciuile, quemadmodum vel ipſi legi naturali congruum, clericos ac ſacerdotes in vniuerſum ab omni ciuili coactione, à pœna, aut mandato eſſe immunes, non niſi à ſacris legibus, à ſacro magiſtratu laris, quoad vitam etiam ciuilem, gubernandos, iudicandoſque. Huiuſmodi ſacræ perſonæ, quo melius ſuorum conciuium ſpiritualibus commodis inſeruirent, à ſe ſponte abdicarunt multa in hoc genere licita ac vulgaria: vtpote connubia, occupationes forenſes, varia genera ludorum, veſtium ac conuerſationum: proinde iuſtum, in eiſdem populum agnoſcere diuerſa priuilegia, quibus quantum ad vitam hanc temporalem nobilitentur. Si ſpi- 1. Cor. 9.

ritualia beneficia, eaque maxima in populum conferant ſacræ perſonæ, vt ait Apoſtolus, æquum debere hunc, quaſi ex ſuo dimenſo illis aliqua retribuere, & eoſdem priuilegijs colere, præſertim exemptionem a coercitiua vi legum ciuilium eis concedere. atque in particulari cum vel ipſa natura abhorreat, filios in parentes eſſe iudices, ergaſtularios, lictores, carnifices, magis ſane abhorrebit, laicos conſtituere, qui in ſacerdotum incolumitates, libertates ac ſanguinem: in eos dico, qui vitam & libertatem ſpiritualem eis inſpirarunt, vindices reperiantur. enimuero clerici eodem iugo ciuilis auctoritatis depreſſi, quo plebei, facile in contemptum eorum deuenirent, neque muneris ab eis obiti vlla inſignis æſtimatio à vulgaribus haberetur: a perſonis enim ad officia tranſit æſtimatio.

6 Qui ergo iſtis Cleri priuilegijs obſiſtunt, cogitare debent, quonam gradu ac vi eodem in crimen impietatis, in honoris Deo reddendi, furtum quoddam impingant. Dei enim & myſteriorum honores, ſequuntur illum honorem, qui eorum miniſtris impenditur, vt ſupra *Ariſtoteles* recte Philoſophatus. idcirco qui perſonis ſacrorum hominum priuilegia eripi- Ariſt. lib. 7.

unt, ij eo ipſo actionibus, quibus funguntur, Pol. cap. 9.

pariter detrahunt: qui autem hoc agunt, Dei certe honores eodem diminuunt, impii ſunt in ipſum, quicquid alias politici rei ſuæ, inurbanitati in ſacerdotes, in ſacra, & in Deum extremæ impietati ſuæ, prætexerint. Imo cum reliquæ virtutes in vna religione contineantur, ac ab ea vt radice ſtabiliantur, dum hanc extenuant & contemptibilem reddunt, eo omnes plane virtutes eleuant, & opprobrijs dedecorare merito æſtimentur. nam ſi honor alicui Philoſopho habitus propter præſtantiam in ipſo ſcientiæ, ciuilis ſit, multo magis, vt bene dixerit *Plato*, ciuilis fuerit cultus religionum præſidibus ac cultoribus delatus. Vnde iſtis alloquutus *Dionyſium* Siciliæ tyrannum:

Si tu me honorauerìs, idque apud multitudinem, quod tu imprimis cupiebas, tibi opinionem pariet tanquam ſapientiæ amatori. Subiungit vero, hanc laudem ipſum amiſſurum, ſi modo Philoſophum palam honore debito proſequi recuſauerit. Pari ratione, nihil prorſus lucrantur, qui honorum ornamenta & priuilegia ſacerdotibus conſtituta, in ſuis ſpoliis cenſent, cum eo perdant opinionem & æſtimationem pij viri in Deum. Certe *S. Ambroſius* non de aliis regibus, quam de eximie politicis loquutus, cum hæc ſcripſerit. *Videas regum colla, & principum, ſubmitti genibus ſacerdotum, & oſculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt ſe communiri. Sacerdotes* idem ait, *de laicis iudicare debent, non laici de ſacerdotibus.*

Ambr. lib. de dig. Sacerdot. c. 2. Apud Barō. Tom. 4. an. Chr. 381. pag. 451.

7 Enimuero obſeruata & confirmata hæc cleri immunitas, tantum ab eo recedit, quod aliqui diuinant, vt nempe ipſis hinc cauſa ſit vberius delinquendi, principum poteſtates ac iura diminuendi, vt potius vitæ honeſtati in ipſis ſacris perſonis, ſimulque principum dignitatibus plurimum conferat emolumenti. Dum enim clerici animaduertunt, hoſce honores & ornamenta à populo ipſis concedi, maiori ſtudio accendentur eas virtutes acquirendi, & oſtendendi, quibus illis digni videantur. vt enim, artes, ita pariter virtutes honos alit. Hinc animis capeſcentes notionem ſacrorum munerum, quæ obeunt; ac ea diuina eſſe inde agnoſcentes, ob quæ a plebe tam inſignia officia reuerentiæ accipiunt, quo eorum ſacrorum ſanctimoniæ, vitæ genere ac puritate apte reſpondeant, omni animi cura ſolicitari ſtatuent. neque vulgaris probitatis terminis ſua ſtudia definiri patientur, cum functiones ſuas, adeo ſublimes ac cœleſtes eſſe perſpexerint, tantoque interuallo popularium munera excedere animaduerterint. quo enim nobilior perſona, in quam culpa incidit, eo non ſolum grauius damnū, verum etiam turpior nota in hominum iudiciis apparere ſolent. Olim Leuitæ, quo ad conuictū, intelligentes ſe ab aliis ſecretos, inde nouere, ſuos mores nequaquam ſimiles eſſe debere eis, qui apud plebem in vſu, ſed plane excellentiores. idem omnino incidit in cogitationes noſtri Cleri, ſecum reputantis, ſe iuribus immunitatum a vulgo ornatos, ſolutos a principum imperiis, vni Deo ſcilicet ſubiectos, conari ideo oportere, vt illi vitæ excellentiori forma placeant ac eius legibus exactius, ſanctiuſque obſequentur. haud nocuere Leuitarū moribus hæc duo, ſcilicet ab aliis ſeparatio, & immunitas a ſubiectione terrena: & quare obſecro, ea noſtris Sacerdotibus aut Principibus modo officerent?

8 Vlterius, reſpectu vulgi, hæc ipſa indulta Clero priuilegia multum conducunt ad ſtabiliendum apud eos imperium virtutis: quod ita confirmant, vt magna ex parte ipſoſmet principes a multis moleſtiis, & anxietatibus inde liberent, eruantque implicatos. Auguſtius ac ſanctius æſtimabunt de ſacris myſteriis, adeoque de Deo ipſo populares, quando viderint ſacerdotes peculiaribus quibuſdam priuilegiis vltra communem ſortem ipſorum erigi ad faſtigium quoddam dignitatis. ac merito id faciunt, cum paſſim ſacerdotes in ſacris literis Dii & Angeli nuncupantur. quo fiet, vt iuſſa ſacerdotum, apud plebem plurimum ponderis, & auctoritatis retineant, quibus impigre morem gerant & obediant. pariter ſi principi voluntas, aliquo inflectere ſubditorum animos, nihil illi ad hoc opportunius ſacerdotum vocibus, quas vulgus admiratur, quippe ab illis prolatas, qui eximiis ac maximis immunitatibus diſcriminati, inter eos iure clareſcunt. Hoc ſane ad virtutem ac ciuiles mores acrius, quam detractis honoribus ſacrorum hominum, eorum munia ac ſententias inde contemptibiles populo exhibere. contemptis vero myſtis, religio pariter inclinata iacebit. huius autem neglectus, Principis etiam vel odium vel deſpectum proferet.

Malac. 2.

9 Vnde obſeruatum, ſeueriſſime Deum in eos animaduertiſſe, qui in *Chriſtos* ipſius, nempe ei ſacratas perſonas, immanitatem exercuere: adeo vt hoc vel ethnicis ipſis ſpirantibus rerum euentis innotuerit. *Achilles*, quod ſacerdotis filiam *Briſeidem* rapuiſſet, cauſa fuit, ob quam Deus in Græcorum exercitum peſtem immitteret, & ab *Apolline* punirentur grauiſſime, vt recolit *Homerus*. *Aruns* Latinus, quod intorto telo *Camillam* virginem, *Dianæ* deuotam, funeſtaſſet, fuit poſtea a *Diana* ipſa interfectus, ac ſubinde Latini omnes, qui in Troianos pugnarant, turpiter in fugam acti.

Homer. Iliad. 1.

Huc periture veni, capias vt digna Camillæ
Præmia. tune etiam telis moriere Dianæ?

Virgil. Æneid. 11. 859.

Enimuero principes, qui in hoc ſacrilegii crimen incidere, vt tuti ac ſalui ſint, a diuinis fulminibus, debent omnino facinus animis ſummopere plangere ac deteſtari. Horrendū enim in pupillas oculorum Dei, in eius ſacerdotes, quos ipſe adeo diligit, & honorat, vllo genere iniuriæ, multo magis internecione ac ſanguinis ipſorum effuſione deſæuire. Crudelis hæc impietas ad Deum ipſum tranſit, ſacerdotum inſtitutorem, initiatorem, amatorem: fuit enim eius vnicus filius ſacerdos ſecundum ordinem *Melchiſedech*. Deus, an tanta apud te miſericordia, vti iſtis etiam tuorum ſacerdotum Britannicis interfectoribus velis aliquando veniam indulgere?

Zachar. 2.

10 In eundem finem ciuilis pietatis, Eccleſiis ipſis ac locis, in quibus ſacra peraguntur, veluti diuinorū officinis, Angelorū choris, Dei ac Sanctorū thronis, peculiaria cōceſſa priuilegia. inter quæ, ad religionē, & illi adnēxā miſericordiā, multū facit in eis Aſyli ratio, & tutū delinquentium perfugium. Religio quatenus virtus ſacra, vſque adeo miſericordiæ innexa, vt apud Hebræos, quod *Ribera* animaduertit, idem verbum miſericordem ſignificat, quod ſanctum. decet ergo, religionem ſanctam, eſſe miſericordem. Vnde conſilium extitit *Platonis*, tunc beneuolentiæ, & indulgentiæ tempus vel maxime adeſſe, quando religionum feſta a ciuibus celebrantur. Vt proinde Deus & ſacri homines indicium aliquod darent, quod miſericordia delectentur, ſtatuit Deus, adeoque communis hominum natura, templa & altaria iſtius miſericordiæ fontes eſſe & vbera. quæ cum in Deo inter alia eius opera præcipue eluceat, quidni

Riber. in c. 6 Ham. & Mich. Plat. lib. de Regno.

quidni in templis ipſius, vbi ille ſummæ miſericordiæ opera erga mortales continuo exercet, eiuſdem miſericordiæ apparerent præclariora exempla impreſſioneſque? Teneritudinē hanc relligioſam etiam in ſontes, apud Iudæos præter templum, olim repræſentabant Ciuitates refugij, de quibus S. *Athanaſius*. Gentes itidē omnes huiuſmodi habuere vel nequiſſimorum aſyla in ſuis templis. Vnde, vt cecinit *Callimachus*, *Apollinis* templum in inſula *Delo*, vniuerſis eo perfugientibus protectionem contulit omnino inuiolabilem.

1. Mach. 10. Ath. in apol. pro ſua fug. Callimach. Hym. 4. Virg. Æn. 2.

Ædibus in mediis, vndeque ſub ætheris axe
Ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque vmbra amplexa penates.
Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum
Præcipites, atra ſeu tempeſtate columbæ
Condenſæ, & diuum amplexæ ſimulacra tenebant.
Romulus vt ſaxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc dixit, confuge, tutus eris.

Ouid 2 Faſ. Iu. lib. 1. Dec. 1. Pauſ. in Attic. Iuſtin. lib. 2.

Imo aſyli violatores, etiam gentiles, ob impietatem grauiter vindicante Deo, pœnas luere ſolebant. Hinc *Papinius*, ob mortem filij dolens, cauſamque cladis ſecum requirens, ſciſcitatur,

Papin. epic.

Nunquid in acceſſo poſui veſtigia luco?

Huc ſpectauit templi Hieroſolymitani penetrale, quod prophanorum hominum vel ingreſſu violabatur: proinde in illud ingredi impium prorſus reputatum. Cuius ſine dubio penetralis relligio, deriuabatur à dignitate eorum, quæ in illo ſeruabantur, ac myſteriorum eo loci peragendorum, quadam diuinitate.

11 Cuius ritus origo, quod ſit in vniuerſum à magnitudine ac ſanctimonia ſacrorum, cum apud nos ea ſemper extiterint maxima, tum iura & immunitates Eccleſiarum noſtrarum hac ex parte præ alijs ſumma & inuiolabilia penitus ſemper fuere. *Zoſimus* loquens de cæde barbarorum facta *Tomis* in Thracia per *Gerontium* Romanum ducem, *Theodoſio & Valentino* imperantibus, dicit, *Qui aufugerant in vicinum ædificium ſe recipiebant, quod à Chriſtianis habetur in honore, proque aſylo ducitur.* Hinc interfecto *Rufino*, ipſius vxor ac filiæ, quo tuti laterent, ad Chriſtianorum Eccleſiam confugere: quod itidem feciſſe *Eutropium* Eunuchum, Conſulem Ethnicum, tradit *Proſper*, & id teſtatur *S. Chryſoſtom*. Scribit *S. Auguſtinus*, quoſdam milites quendam ad necem inſectantes, ſtatim ſubſtitiſſe, videntes illum in Eccleſiam ſeſe recepiſſe: *Huc vſque ſæuiebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor.* Neque hoc eſt patrocinari in leges delinquentibus, vt impij Proteſtantes calumniantur, ſed potius honorem deferre ſacris, & virtutem relligionis magnifice in publico excolere: quod ſane rebus ciuilibus conuenientiſſimum. id autem vel naturæ humanæ eſſe valde conſentiens, declarant omnium gentium in id conſpirantes mores, penetralia & aſyla in ſuis templis conſtituentes. quorum æſtimata ſanctimonia, cauſam quoque in ſe habebat, ob quam Romani in templis Deorum ſuos theſauros ſeruarent, vt *Herodianus* ſæpius in hiſtoriam retulit: exiſtimantes, loci venerationem, quantumuis furioſorum auidas rapacitates, aut indigentium extremos auſus, repulſuram.

Zoſim. li. 4. Zoſim. li. 4. Chry. hom. in Eut. & in Pſal. 41. Prof. Præd. part. 3. cap. 38. Aug. l. 1. ciu. cap. 4. Herod. l. 3. & 4.

CAPVT XIV.

1 *De ſacerdotum cælibatu ad relligionem moreſque Ciuiles relato.*

QVantum ad morum ciuilitatem conferat ſacrorum hominum accurata continentia, inter alia argumenta id probat communis quædam generis humani in eandem conſenſio. Vt enim ipſa ſacra maiori in honore vbique eſſent apud populum, ipſique myſtæ eiſdem veneratione clariori digniores exiſterent: quæ quam ſint ſuo genere ciuilia, nemo non videt: rationem quandam caſtimoniæ ſacris perſonis conuenientem apud omnes mos diſtrictiſſime præſcripſit. *Cereres*, *Cybelis* Phrygiæ, ac *Veſtæ* ſacra apud Romanos non niſi virgines peregere.

Quid mirum virgo, ſi virgine læta miniſtra — Ouid. lib. 6 Faſtor.
Admittat caſtas in ſua ſacra manus?
——— Quorum lucet in aris — Lucan. li. 9.
Ignis adhuc Phrygius nullique adſpecta virorum.

Sacrificij pariter *Dianæ* oblati, virgo ſacerdos, vt *Æſchylus* ac *Ouidius* referunt. — Ouid 3. de Pont.

Fœmina ſacra facit tædæ non nota iugali,
Quæ ſuperat Scythicas nobilitate nurus.

Et quidem Romani ſacerdotes in hac puritate exercitatiſſimi. *Sacerdos*, inquit *Alexander*, *Diis immolat, & rem diuinam facit, prius corporis ablutione purgatur, à venere abſtinet, vt lautus puruſque accedat*: quod etiam *Plutarchus* commemorat. Hinc vt idem ſcribit, ſacerdotibus interdictum, per eam viam tranſire, vbi vitium propagines, quæ libidinis & complexuum ſimulacra, in ſublimi parietum, aut arboribus prætextæ, ſiluеſcerent: adeo cauebant Romani, ne minus honeſta vlla cogitatio ſacrorum hominum animos vel tenuiter pertentaret. Iudaici autem ſacerdotes tametſi ſummum illum gradum cælibatus non attigerint, nihilominus ſuis muneribus ſacris functuri, ex diuinæ legis imperio, caſtitatem aliqualem obſeruarunt. *Ne propinquetis vxoribus veſtris*. non niſi mundi à mulieribus apud illos ad eſum panis propoſitionis admittebantur. Caſtitatem etiam coluere apud Ægyptios ſacerdotes, vt narrat *S. Hieronymus*.

Alex. lib. 4. Gen. cap. 17. Plutarch. in Num. quæſt. Rom. q. 9. 112. Exod. 19. 1. Reg. 21. Hieron. l. 2. cont. Iouin.

2 Cæterum Chriſtiani, veri Dei cultores, non ſolum ſancte, ſed etiam ciuiliter in hac continētia ſeruanda cunctis excelluere: vtpote quorum ſacra diuiniora, ipſius quippe virginitatis decora ac prima exemplaria. Roſarū ac liliorum proinde calathus, ſacerdotis dignum aptumque nunc emblema, quod in eo lactea virginitas, charitatis flagrantem colorem educat ac nutriat: *Ebur confunditur oſtro*. Cuius rei vt aliqua proferam argumenta, exordium ſumam ab illa ſacerdotum recollectione, curæque diſtrictione, quam tanta ſacra merentur, quamque populus in ipſis fore multum deſiderat. Hanc rationem innuit Apoſtolus *Paulus*. *Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. qui autem cum vxore eſt ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* at precor, quod hominum genus magis ſolicitum eſſe de-

1. Cor. 7.

bet ad Deo placendum & illi πάρεργον, quam ſacerdotale? Cui generi hominum magis repugnat diuidi in plura negocia, animis corporibuſque a diuinis diſtrahi, quam ſacerdotali, illis dico, qui teſte eodem Apoſtolo, *Peruigilant, quaſi rationem pro animabus aliorum reddituri?* Ephes. 4. Quomodo Deo placebunt myſtæ, quos ille vidit in turba, ac cenſeri inter grauiter ſollicitos, vt mundo placeant, occupatos ſtudio rei familiaris augendæ, totos in delicias vxorias delapſos, vel eius generis moleſtijs irretitos? ſacrificia horum hominum diuiſorum, non holocauſta profecto, quæ Deus expectat, ſed ſemiſacrificia, quorum pars minima ipſi in cultum cedit. Populus quoque nunquam reputabit huiuſmodo vxoratos ſacerdotes ſatis attentos in curam ſui, idonee vigilantes cuſtodes animarum ſuarum, quos aſpiciunt, a Deo & a ſe diuiſos, induſtrios & anxios, quomodo omni tempore mundo & vxoribus ſatisfaciant. Dicent, quid iſte in plena familia ſuorum liberorum, in gratiam noſtri ſtudij tandem diu & noctu præſtabit, iſte qui zelotypia vexatus, iſte qui tam ſplendide procum agit, qui amoribus calet, qui odoribus fumat, qui filiorum educationi, collocationi & ſuſtentationi pluſquam ex dimidio impenſus, qui in vxoris obſequium totus ſubactus, qui nullo tempore diei vel noctis liber, qui concionando, exhortando, ſacramenta adminiſtrando neceſſitatibus animarũ noſtrarum opportune ſuccurrat? Cum Romæ, teſte *Plutarcho*, res ſacra peragenda, audiebatur præconis vox, *Age quod agis: animos ſcilicet ſacrificio adhiberi iubentu, ne vllis interuenientibus operibus, quæ plurima humanis rebus vi & neceſſitate quodammodo fieri contingit, diuinus auerteretur cultus.* Plutar. in M. Mariol. Vox hæc proferri iam dudum deſiit apud eos, qui vxoratos ſacerdotes ſibi adſciuere: adeo vt minor iam in eorum cœtibus requiratur animi recollectio, quam olim in Romanorum ſacris.

3 Eſt porro quod ſacerdotes frequentius ſint in procinctu expediti ad peregre proficiſcendum, ad hac & illac prompte diſcurrendum, qui veritatem fidei denuncient, qui ſacra adminiſtrent, qui Eccleſiæ incremento faciendo inuigilent, qui multorum filiorum patres ſpiritnales tandem euadant. Verum ad hæc quale impedimentum matrimoniale iugum? quam præpoſterum, aliquem, qui curſorem & Dei Angelum ſe profitetur, immenſa onera in humeros ſumere, & non potius omnibus exutum & agilem exſilire! Antiquiores belli duces vel ad ſuas expeditiones militares ineptum duxere, mulierum greges ſecum habere vel in impedimentis, ſed contra, caſtitate indurandos ac confirmandos milites exiſtimarunt. Facient ſane mulicres haud minus mali in expeditionibus ſacris, quam fecere apud *Virgilium* in profanis.

Virg. Æn. 5.
Tum vero attonitæ monſtris, actaque furore,
Pars ſpoliant aras, frondem ac virgulta, faceſque
Coniiciunt, furit immiſſis Vulcanus habenis,
Tranſtra per & remos, & pictas abiete puppes.

Cæterum prudens *Ænea* diſcedentis conſilium: *Tranſcribunt vrbi matres.* quod ſi res militaris huiuſmodi poſtulet continentiam, eam certe maiori iuri requiret negocium Apoſtolicum, eorũ inſtitutum, qui in ſpirituali agone luctant, ab omnibus abſtinentiam profeſſi, vt brauium eximii doni conſequantur. 1. Cor. 9.

4 Ea quoque dignitate ſacra, quæ ad ciuiles mores conducunt, pollere debent, vt ab eorũ myſtis omnino exigant puritatem hanc continentiæ. nam ſi lenia fuerint, ſi terræ proxima, ſi eiuſmodi mundiciem haud vendicent, eedem ciuilitati parum aut nihil proderunt. hinc quod apud nos ſacerdotes hoſtiam, Chriſtum Dominum, Deum ſimul ac hominem immolent, in quo florem virginitatis & eius prototypon admiramur, inde huic ſacrificio litando non niſi caſtos, voti relligione a matrimonio ineundo auocatos, præficiendos cenſemus. *Diligamus* inquit *S. Auguſtinus, caſtitatem, quia vt hanc ſibi placere Deus indicaret, pudicitiam vteri virginalis elegit.* Aug. ſerm. de Natu. Habent quidem nuptiæ in ſe naturæ quoddam officium, veruntamen aliqua etiam retinẽt, ad quorum cogitationes omnes plane naturæ ductu ſuppudeſcunt. inde velum virgineum, *Rebecca* pudorem muniuit ad adſpectum ſponſi. Gen. 24. imo inde, vt ait *S. Ambroſius*, *Nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puellæ ſe obnuberent.* Ambr. l. de Abrah. c. 8. Hebr. 13. Rationi autem omnino conſentaneum, tantorum ſacrorum, quanta apud nos, myſtas immunes eſſe ab iſtis, honorabilis licet ſtatus, incommodis, ab iſtis appendicibus eius, in verecundiam, adeo etiam in immodeſtiam propenſis. Hac de cauſa ſacra ſcriptura thori vſum paſſim appellat *Humiliationem & Reuelationem turpitudinis.* Ezech. 22. Leu. 20. *Virgines* inquit *Varro nubunt innitæ, & triſtes.* apud Plut. l. 9. q. Rom. q. 29. Certe hæc incidere non debent in virginalium apud nos ſacrorum myſtas. Imo ex virginitate Chriſti ac matris eius, non ſolum ad ſacerdotes, ſed etiam omnes ſtudium virginitatis deriuandum, noſtri merito vrgent & contendunt, vt tam præclaris tantæ virtutis idæis expreſſius cuncti reſpondeant. Vnde Catechiſmus Romanus vitam cœlibem *Beatam & perfectam Chriſtiani populi vitam* appellat: & ad eam ineundum, paſtores admonet, vt omnibus illud conſilium Apoſtoli proponant: Cate. Rom. de matrim. *Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum: & vt tunctoi hortentur, vt continentiæ virtutem ſectentur.* 1. Cor. 7. Quod ſi populus viderit ſacerdotes apud ſe quo ad continentiam inferiores eſſe ſacerdotibus Iudæorum, adeoque vel Romanorum atque Ethnicorum, eo iudicabunt, eorum ſacra non eſſe tanti valoris, quanti eorum fuere, vtpote non poſtulantia tantam caſtimoniam, quantam illa requirebant. Sacris autem tali æſtimatu ſemel extenuatis, non ſolum ſacerdotum honores inde diminuentur, verum etiam ipſa religio, ac in ea omnes virtutes debilitatæ, prorſus iacere videbuntur. Sin vero in ſuis myſtis vitæ condicionem, vel Angelorum conditioni ex caſtitate adfinem, deprehenderint, illico ſacra, quæ miniſtrant, diuiniora ſentientes, religionem exercebunt acriorem, vehementioremque. Recte ſanctus *Gregorius*, Romæ aliquãdo in more poſitum ait, poſt vſum thori, coniuges ſe lauiſſe, & *Reuerenter ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinuiſſe.* Greg. lat. Reſp. 10.

5 Neque parum ad relligionem confert, quod populi pietas, ſumptus, poſſeſſiones atque vectigalia

galia ampliora ſacris cæremonijs ſponte & vltro attribuat, vt inde cum quodam ſplendore, imo & in indigentiores copioſiori charitarate, Deo honor debitus pendatur. Etenim bona hæc Eccleſiis donata, duo maxime reſpexere, nimirum maieſtatem ſactorum, iuxta ac, vt ait *S. Auguſtinus*, pupillorum & pauperum ſuſtentationem commodiorem. & illa quidē maieſtas, vtpote naturæ ipſi conueniens, in Eccleſia, quātum rerum ſtatus patiebatur, maxima ſemper extitit, & variis incrementis indies aucta, ad ſummum peruenit. *Cyrillus* Hieroſolymitanus loquens de quadam Eccleſia in honorem Reſurrectionis Chriſti in monte *Caluariæ* conſtructa, ſic ait: *Iſti, qui nunc ſunt Reges, pietatis ergo argento indnentes & auro ſanctam hanc Eccleſiam Reſurrectionis, in qua nunc ſamus, extruxerunt & ſplendidam effecerunt.* *S. Laurentii* martyris ætate, vt canit *Prudentius*, mos fuit:

Aug. ep. 149

Cyr. cat. 5.

Prud. in car. S. Laur.

Libant vt auro antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.

Opt. li. 1. in Parm.

Cum *VVandali* in Africa in Eccleſias orthodoxorum eas expilatum irruerent, tunc vt narrat *S. Optatus*, *Erant Eccleſiæ ex auro & argento quam plurima, quæ nec deſodere terra, nec ſecum portare poterant.* Porro, quo publicæ eleemoſynæ in Xenodochiis, in collegiis, aptius diſpenſarentur, Eccleſiarum redditus ampliores prudenter & religioſe inſeruierunt. Cæterum, ſi pii noſtri anteceſſores futurū exiſtimaſſent, vt ex clero homines ſacerdotes atque Epiſcopi cœlibatum hunc, ad nuptias laxari, paſſim eſſent aſpernaturi eorumque bona, Eccleſiis ſemel legata, inſumpturi in vxores procurandas ac fouendas, ad ſuſtentandam amplam familiam, ac in ea Gynæceum, ad alendum atque dotandam prolem, ad dilapidationes ab iſtis factas reſarciendum, ab eorum debita ſoluenda, ad poſſeſsiones coemendas, ad eorum luſibus, conuiuiis, venationibus ſatisfaciendum applicaturi, nunquam, quantum ego cogitatione poſſum aſſequi, ſuorum prædiorum iura hæreditaria in Eccleſias aut Collegia contuliſſent: neque ſi id modo eſſet faciendum, cogitate licebit, vlla iuſta ratione commotos, velle hoc eos peragere. Vide obſecro, quam ciuilis iſtorum religio, quæ eorum myſtas ad beneuolentias popularium a decretis cenſibus, imo ad extremam paupertatem & abiectionem, a certis diuitiarum ornamentis ac dignitate, abijcere conātur! Duo autem tantæ huic virtuti religionis emolumenta ex ſacrorum hominum cælibatu accreſcunt. primum, ſplendor quidam diuitiarum, ex quarum obiectu inducuntur popularium animi in idoneam ſententiam eiuſdem præſtantiæ. alterum, apta occaſio pauperibus ſuccurrendi & indigentibus: cum nihil ſit in familia, quod eleemoſynas talibus ſurripiat. Vtrumque vero diſperdunt myſtæ vxorati. nam cum in vxoris ac prolis vſus omnia inſumpſerint, nihil reliqui erit ad religionis gloriam, nihilque ſupererit, quod in pauperes liberalius erogetur. Hinc querimoniæ, hinc riſus, hinc contemptus in religionum antiſtites propagantur. nullum porro crimen vxoris aut prolis fuerit, quod in vituperium ſacerdotij non erumpet.

6 Verum renitent iſtius cœlibatus impugnatores, ac dicunt, illum in ſacris perſonis liberum eſſe debere, omni lege, voto aut loci conſuetudine ſolutum: quandoquidem ex eodem iſtis ſtabilito, horrenda crimina inceſtus, adulterij ac fornicationis plerumque ſequantur, ex quibus religio plurimum lædi ſolet, & eius antiſtites haud parum dedecorari. Inanis profecto ac ridicula huiuſmodi diſputatio. Si enim eius nerui aliquid valerent, inde conficeretur, violandum ius matrimoniale, quo maritus vni vxori inſolubiliter addicitur, cum multi huius parcitaris ac in ea tædii pertæſi, ab inuicem loco, aut morbi cauſa, ſeparati, in eiuſmodi crimina impingant. Quemadmodum ergo, vt in hac re quid ſit ciuile diſcernatur, conferenda inter ſe incōmoda vagi concubitus, cum eis quæ ex violato thoro proueniunt: ita, vt religionis ſanctimonia & auctoritas recte aſſerantur, comparanda inter ſe, quantum ad hæc, detrimenta ex ſacerdotum matrimoniis, cum eis, quæ ex eorum cœlibatu, oriuntur: quo conſtabit, aliquorum incontinentiam non tantum religionis maieſtati ac puritati officere, quantum proſunt aliorum ex voto & lege caſtimoniæ. deinde liquidum fuerit, hoſce in caſtitatem delinquentes merito coercendos, cum ſua fœditatis culpa, quam vitare potuerint, in tantam virtutem ſacrilege offenderint. nam ſi optauerit *S. Paulus*, vt omnes in cœlibatu degerent, quis affirmabit, eſſe eum impoſsibilem, & eius violationem inculpabilem apud illum, qui eius propoſitum emiſſo voto ſemel habuerit? *Volo enim omnes vos eſſe, ſicut meipſum*, inquit Apoſtolus. quis arbitrabitur, Chriſti gratiam non habere modo ſatis virium apud illum, qui cœlibatum vouit, vt quod ſtatuit, deuotum obſeruet, *ſi Diſciplina*, vt ait *Tertullianus*, *perſuaſerit, cenſura compreſſerit?* tandem de hac re in vniuerſum iudicandum ex vtilitate, quæ cultui Dei aduenit natura ſua a cœlibatu, & ex eiuſdem damno quod illi adferunt ſacerdotum matrimonia: quibus expenſis, clarum reſtabit, cœlibatum religioni commodiorem: quod etiā *Petrus Martyr* & *Beza* hæretici fatentur: admittunt enim cœlibatum cultui Dei eſſe conuenientiorem, licet ex ſe & ſuo proprio obiecto inficiantur eſſe virtutem aut Dei cultum, ſed rem prorſus indifferentem. Ciuilis itaque res cœlibatus, quandoquidem ad religionem ea multum conducat. Quod autem caſtitas virginalis religionē quoque proferat, inſpiciemus parum Religioſos, tantæ virtutis nitore conſpicuos.

1. Cor. 7.

Tert. lib. de pudic.

Pet. mar. Bez. 1. Co. 7

CAPVT XV.

Religioſus quorundam in Dei Eccleſia ſtatus vrbaniſſimus, ſanctiſſimus.

STatus iſte ſacer non ſolum peculiari modo circa religionem verſatur, ex qua religioſus nominatur, ſed etiam circa omnem virtutem, interius exteriuſue exercendam,

S. Tho. 2. 2. q. 186. ar. 1. Chry. hom. 8. in 4. cap. ad Col.

dam,qua Deus colatur,ac proximus vehemen-
tius ametur. & quidem ad charitatem omnino
huiuſmodi [illegible] mediis , quibus vitã ſuam
peculiariter efformant,inſtituuntur,vt animad-
Dion Eccl. uertit *S. Dionyſius.* ideo enim rebus iucundis &
Herar ca,6. amabilibus huius mundi volunt ſponte deſti-
tui,ſiue ad carnis concupiſcentiam , ſiue ad vitæ
ſuperbiam,ſiue ad oculorum curioſitatem refe-
rantur,vt alijs amoribus priuati,vnius Dei amo-
re,quaſi toti carbunculi,toti ſeraphini iſtis me-
S.Tho.2.2. diis accidentalibus, vt loquitur *S.Thomas* , inar-
q.184 art.3. deſcant.eſt etenim Saluator noſter hac in re ſa-
Aug in Enc lutaris quidam veluti pirata , fortis venator,
c.112.Iſa,18. qui ſuos ſpoliat,prædam cito eis eripiat,vt præ-
Marc,9. dixit *Iſaias* : vt ſcilicet vel oculos nobis eruat,
vt pedes amputet, quo omnibus vacui, a cun-
ctis abducti , vnius Dei charitate diuites inte-
rim ſimus : illius vnius quaſi oculo videamus,
eiuſque pede,noſtris priuati, ambulemus. Hoc
quidem vel nomen Religioſi ſignificat, nempe
vt ad Deũ religemur , ab alijs cum affectu,tum
Iſid l.4.de occaſione auocati.Generalem quidem eius no-
ver.Sa.c.25 tionem a fonte Baptiſmi deriuatam ad omnes
Chriſtum profitentes,*Prudentius* iſtis carminibus
viſus deſcripſiſſe:

Prud. Pſyc. *Expiat ergo aciem fluuiali docta lauacro*
Victricem victrix, abolens baptiſmate labem
Hoſtilis iugali, nec iam contenta piatum
Condere vagina gladium: ne ſorde latenti
Occupet ablutum rubigo ſcabra nitorem,
Catholico in templo diuini fontis ad aram
Conſecrat, æterna ſplendens vbi luce coruſcet.

2 Proponunt iſti, vt Deum ardentius ament,
ſibi tria vota obſeruanda: Caſtitatis nempe,
Obedientiæ , ac Paupertatis. quæ tota vt ſan-
ctius præſtent,regularem etiam quandam diſ-
ciplinam ſectandam eligunt , vt eius ſubſidiis
adiuti, ſuum finem aptius adſequantur. Dum
plerumque quantum ad hanc expetunt:reſtri-
ctionem a forenſi actione , & viliorem habitus
formam,quæ indicio externo,vitæ ipſorum ge-
nus coercitum & durum aptius repræſentent.
Votorum illorum trium obſeruantiam multum
ad Dei amorem conferre , ex eo liquet , quod
aduerſi amoris omnes fontes , ſcilicet concu-
piſcentiam carnis caſtitate, ſuperbiam vitæ o-
bedientia, oculorum concupiſcentiam pauper-
tate exhauriat, vniuerſam eorum venam exſic-
cet. Diſciplina domeſtica ſemel lotos & puros
Dei cultores hoſce factos transfert quodam-
modo in ordines Angelorum : eoque ad cœ-
lum euecti , familiarius , illibatius & integrius
deinceps Deo famulantur : ad quos dæmonum
& mundi iacula lethalia rarius pertingunt,
quippe iam abſconditos in penetrali templi ,in
ſacra latibula receptos : ne dum ſolo curſu, in-
ſtar *Dianæ*, per montes tutos a ſagittis cupidita-
tum. Veſtitus eorum id ſignificat , quod ſunt :
nempe eos mundo plane mortuos , illo exclu-
ſos, nec multum expetere,vt eorum corpora ta-
lium veſtium rigore , diuturniori vita interve-
niente , annoſius exacerbentur , qui beatitudi-
nis veſtimenta ,poſt hanc vitam , exutis cilicijs,
iam eiuſdem ardentiſſimis deſiderijs præmiſſis,
præſtolantur. Apud Iudæos quidem , horum
conſiliorum inſtituto conſpicui Dei cultores
extitere *Nazaræi* & filij *Rechab*: quos apud nos
imitantur religioſi , Conſiliorum opera exe- Num.6.
quentes.nam vt ſcribit *S. Auguſtinus*, *Quæcumque* Hier.30.
non iubentur, ſed ſpeciali conſilio monentur : ex qui- S Augu.
bus vnum eſt : bonum eſt homini mulierem non tan- Enc.ca.121
gere, tunc recte fiunt , cum referuntur ad diligendum 1.Cor 7.28
Deum & proximum propter Deum , & in hoc ſæculo
& in futuro : quales modo,qui ad exemplar pri-
morum Chriſtianorum in Dei Eccleſia , poſſeſ-
ſionibus ſuis renunciantes,pauperes deinde ſua
ſponte euadunt . Vnde vitæ genus,initum ab i- Mat.9,Act.
ſtis,*S.Chryſoſtomus*, *S. Auguſtinus* , *& Caſſianus* ap- cap.4.5.
pellant *Apoſtolicum*. *Quinam hi fuerunt* inquit S. Chryſ.lib.3.
Epiphanius, *qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœ-* cont.vitup.
lorum , niſi generoſi Apoſtoli ac monaſticam vitam vitæ Mon.
degentes ? Aug.in Pſal
132.Caſ.
coll.18.c.5.
3 Religioſos hoſce quantum ad noſtrũ pro- Epiph.hær.
poſitum, in duos ordines diſtribuere licebit: in 58.
Monachos nempe , ac mediam vitam inter eos
ac Eccleſiæ Paſtores, degentes. Monachi ſem-
per extitere a principio Eccleſiæ, & ortum ha-
buere ab vna ex duabus in homine functioni-
bus, ſcilicet a contemplatione. Alij vt ſubſidio
eſſent Eccleſiæ Paſtoribus ad concionandum,
ad ſcribendum,ad docendum,ad adminiſtran-
dum Sacramenta , nouis indies occaſionibus
horum munerum exurgentibus,Dei ſpiritu ex-
citati,& ab Eccleſia Catholica approbati,egre-
giam eidem,maxima cum aliorum ſalute , ope-
ram hactenus nauarunt.

4 Quam autem horum inſtituta ciuilibus ne-
gocijs ſint pariter vtilia, ex multis cõſtare pote-
rit. Inprimis trium votorum apud eos obſerua-
tio,plurimum redundat ad commoditatem po-
pularem vitam degentium, vti aduertit *S. Augu-* Aug.de vtil.
ſtinus. ac in vniuerſum cum iſti , vt Deum fer- Cred.c.17.
uentius ament ac colant , præter mandata ac
media diuino iure præcepta , alia ſcilicet acci-
dentalia,ac conſilio ſolum ſuaſa, adhibeant,eos
admonent , qui cum ipſis ad eundem finem in
cœlo inſtituuntur , vt ſaltem diligentes ſint &
accurati in ſeruandis diuinitus iuſſis,illiſque ali-
quid conſiliorum pro ratione & conuenientia
ſui ſtatus vltro interdum adiungant: ne aut al-
terius eſſe naturæ, aut ad alium vltimum finem
ab ipſis ordinari,ſua parcitate & oſcitantia erga
Deum videantur. Si illi , vt margaritam hanc Math.13.
obtineant, tantum laborant, & tantos ſumptus
expendunt, quare cæteri eius acquirendi gratia
ſimiliter conditi, & a Deo ornati , nihil aut pa-
rum ſibi faciendum exiſtimarent ? Enimuero
eorum caſtitas,voto confirmata, populares do-
cet, quanta cura thorum ſaltem coniugalem il-
libatum cuſtodire , eius vſum quanta modera-
tione temperare , vt recolit *Athenagoras* , ac Ath.in Apl
omnem carnis ſpurcitiem , laſciuia contrahen-
dam, debeant diffugere. eorum obedientia ad
abiectiſſima quæque, ad difficilia, delata, popu-
lares hortatur & exſtimulat vehementer ad o-
bediendum impigre ſuis paſtoribus ac princi-
pibus. Denique eorum paupertas voto expeti-
ta & obſeruata, eoſdem populares facit intelli-
gere , quod diuitijs affluentibus corda adpone-
re non opporteant, quod vt pauperibus ſubue-
niant , frequentes amplaſque eleemoſynas fa- Pſalm.61.
ciant , quod in cordibus ipſorum elatum omne
ſpiritus

ſpiritus paupertate ſubigunt, ac in eiſdem cunctas ſordes extergant, cum huiuſmodi paupertas res ſit humilis & puriſſima. Veſtitus religioſus ad naturæ ſimplicitatem compoſitus, vel ad ſindonum rationes, quibus mortuorum cadauera inuoluuntur, formatus, reprobat ac plane

Ephes. 5.

damnat popularium in veſtibus omnem luxum & vanitatē; commonet, ipſis, Chriſtiana mortificatione & baptiſmi profeſſione iā mortuis, non conuenire veſtium pompam, poſt amiſſam primam ſtolam haud expedire ſplendentes

Gen. 3.

corporum ſtolas, poſt mortis ſententiam in eos a Deo latam, haud congruere, viuentis carnis calores aut ardores ſplendenti veſtitu indicare vel profiteri. Horum porro diſciplina domeſtica, populares inducit in eam cogitationem qua velint, ſe aliquoties in priuatis ædibus recolligere, quo familiarius ibi cum Deo verſentur, & ſalutis ſuæ æternæ momenta penſiculatius expendant. eoſdem admonet, curſitationes vagas ab eis cohibendas, incurſus in pericula & occaſiones delinquendi retrahendos ac fugiendos, ſæpius cum Deo colloquendum, ac eius laudes affectu, ſimul ac voce proferendas: multa denique bona præſtanda ad imitationem ipſorum, iuxta qualitatem & opportunitatem ſtatus vniuſcuiuſque expreſſiſſime docet.

5 Quod porro in republica aliqui reperiantur ciues, ab ingenio, vel aliunde, auerſi a matrimonio, cuius etiam ſuſceptio, numeroſa prole ſubinde futura, non ita ex decore nonnunquā fuerit alicuius familiæ, eis illud vitæ genus opportunū, quod auulſum a perturbatæ ac forenſis occupationis negocijs ab incentiuis libidinum, a voluptatum lacunis diſtractum, quod religioni deuotum, quod totum hominem poſſideat ac teneat Deo veluti holocauſtum conſecratum. & quidē in cœlibato populariter viuentiū, ut maior ineſt difficultas, eique grauius inſter periculū, ita ut tātū illius decus nulla ſuſpicione tāgatur, nulla infamia denigretur, nullo vel colore ſcandali inficiatur, rarius, ac non niſi maiori cū labore abſolutū, reperitur. quorū proinde condicioni mater Eccleſia non ſolum ſancte, verū ciuiliter ac politice proſpexit clauſtralis vitæ regulis, a ſe vel inſtitutis, vel adprobatis.

6 Neque id parum, quod ad hanc rem facit, religioſos nempe hoſce a ſtudiis mundi feriatos, idoneos omnino, qui præclara ac ſolida artiū ſcientia polleant, ac veri *Hercules* ſint literarii ad abſtruſiſſima rerū principia ac penetralia, ad omnē in eis metaphyſicā altitudinem feliciter peruadentes: Cum enim in eis animus liberior, tum corū ſtudia acriora eſſe ſolent, atq; viuentes in ſocietate doctorum, paratiores inueniuntur, qui ab aliis inſtruātur, ac in communem demum, apum inſtar, vtilitatem, rem literariam vnitis ingeniis conferant. Non ergo pro inertibus aut fucis habendi iſti ab agreſti, negocioſo aut martio vitæ genere feriati, quando quidem ad mentis munera, quæ proſint Reipublicæ, melius præſtanda, inde comparantur.

Ariſt. lib. 7. pol. Cap. 4.

Recte ac docte *Ariſtoteles: Simul mente & corpore laborare non oportet; nam ſeinuicem impedire nata ſunt: labor quidē corporis, menti: ē. mentis autē, corpus.*

7 Docuimus porro ſuperius, quomodo rebus ciuilibus proſint etiam qui ſolitariam vitam ſectantur, tametſi iuxta *Ariſtotelis* ſententiam, in numero ciuium haud habeantur. *S. Chryſoſtomus*

Ariſt. l. 2. Pol. cap. 2. Griſoſt. de comp. Reg. & monach.

comparationem inſtituens inter Regem ac Monachum, quatenus ambo aliis commodo ſint, hæc intulit: *Rex quidem aurum largitur, ille vero ſpiritus gratiam: præterea idem, dum bonus eſt, paupertatem ſoluit, ille autem animas dæmonum tyrannide oppreſſas precibus liberat. Videntur,* inquit *S. Auguſtinus Heremita plus quam oportet, deſeruiſſe res humanas non conſiderantibus, quantum nobis eorum animus in orationibus proſit.*

Auguſt. l. 1. de Mor. Eccleſ. cap. 31.

8 Cum itaque conſtet, religioſorum ordines rebus ciuilibus vtilitati eſſe, adeoque inter ciues cenſendos, ſi præſertim externo aliquo munere erga eos defunguntur, tum inde liquet, alios aliis ſtatus qualitate ciuiliores exiſtere: non hic dico ſanctiores aut meliores. Ciuilitatem enim, de qua loquor, ſpecto ſolum in gradu ac proprietate muneris ciuilis, a monaſtico diſtincti, quod exercent: contingit enim ut viuendi regula abſtractior a populari conuictu, & magis quoad ſenſus corporeos auſtera, aut plus monaſtica, ſit nihilominus minus ciuilis.

S. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6. Azor l. 11 cap. 24 q. 5.

De quo diſcrimine hæc *Seneca: Aſperum cultum & intonſum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi poſitum, denita ſatis ipſum nomen philoſophiæ etiamſi modeſte tractetur, inuidioſum eſt. quid ſi nos hominū conſuetudini cæperimus excerpere? Intus omnia diſſimilia ſint: frons noſter populo conueniat. non ſplendeat toga, nec ſordeat quidem. non habeamus argentum, in quod ſolidi auri cælatura deſcenderit: ſed non putemus frugalitatis indicium, auro argentoque caruiſſe. Id agamus ut meliorem vitam ſequamur quam vulgus, non ut contrariam. alioquin quos emendari volumus, fugamus, & a nobis auertimus.*

Senec. ep. 5.

Hæc a *Seneca* dicta intelligenda non tam de ipſis religioſis, quam de aliis, qui ut populi mores recte inſtituunt, promiſcue cum illis degūnt ac verſantur: neque ex illis ferenda ſententia de perfectione alicuius regulæ religioſæ, aut de vtilitate, quam popularibus adferre poterit. Ut autem Chriſtus Dominus quantum ad hoc, exactiorem formam ciuilitatis clericalis & paſtoralis exprimeret, communem viuendi normam quoad indifferentia adhibuit, ut aliis familiarior ac eodem vtilior euaderet. quem proxime, quantum ad rationem ciuilitatis, ſequuntur ij, qui hierarchiam Eccleſiæ conſtituunt, de quibus *S. Ignatius: Omnia bene vobis ordinate, quæ mandata ſunt in Chriſto, Laici Diaconis ſubditi ſint, Diaconi Præſbyteris, Præſbyteri Epiſcopo, Epiſcopus Chriſto ſicut ipſe Patri.*

Ignat. epiſt. ad Smyrnen.

Reliqui religioſi eo ciuilitatis modum attingunt, quo acceſſu ad hos, aut ab eis receſſu, inter ſe geometrica proportione diſcriminantur.

9 Ut vero pax & charitas ſeruētur tam inter diuerſos ordines religioſorum, quam inter eos & Eccleſiæ paſtores, plurimū ab omnibus curandum, ne eorū diſcordiis ſimul cum pace & charitate, omnis etiā ratio ciuilitatis vtrimq; exterminetur. Religioſi quidē, vt tales, ſicut a populo decimas vēdicare nō poſſūt, quod *Suar.* &

Suar. l. 1 de Relig. c. 26. Num. 7. & 8

alij oſtendunt, ita neque tenentur vi ſui ſtatus & ex officio, populo in ſpiritualibus inſeruire. qui autem ad hoc obligantur ex officio, paſtores ſunt duntaxat Eccleſiæ. proinde horum conſenſu & voluntatibus religioſos, omnia erga populum munera ſiue doctrinæ, ſiue Sacramenti exercere omnino conuenit: quippe quod illis naturali diuino iure ſubordinati, & in auxiliũ eorum a Spiritu Sancto dati pro varia Eccleſiæ ratione, temporum & perſonarum neceſſitate. Et quamuis verum ſit quod aliqui volunt, ſcilicet per multos annos paſtores Eccleſiæ fuiſſe ſtatu religioſorum complexos (quod tamen adhuc ſolide probatum non vidi, ſumendo ſtatum religioſum pro genere vitæ tribus votis

Azor l. 11. Inſt. cap. 24.

conſtante, peculiari ſuperiori profeſſis, cum eiuſdem immutabilitate, propria regula, & diſciplina domeſtica) nihilominus modo ſeorſim poſiti Paſtores a religioſis, non excidunt a primo gradu ſuæ principalitatis, honoris & ciuilitatis: quinimo in eodem conſiſtentes, quoad munera externa Doctrinæ, Sacramenti, ac Iuriſdictionis, primi ſunt; quibus, vt pax inter omnes maneat inuiolata, Religioſi ſubijci debent, idque vi iuris naturalis diuini, niſi a Romano Põtifice, ſæcularis cleri principe, certis priuilegijs eximantur, vel in eorum fauores ab illo iuris diuini fiat interpretatio: quod quantum ad Epiſcopos non reſidentes præſtare ſolet.

Henr. quod 12 q. 29. May. in 4. d. 38. q. 7.

Henricus & *Maior* itaque recte viſi, diſtinctione adhibita, explicaſſe quodnam genus vitæ, Paſtoris ſcilicet & Religioſi, ſit honorabilius & perfectius. aſſerunt enim, eminentius & ſanctius eſſe ex officio docere, illuminare, purgare, adminiſtrare Sacramenta, cenſuris corrigere, quam id facere ſolum, quod nomen religioſi profitetur: nempe tria vota & certam regulã ſeruare: nam laicus aliquis, interim religioſus, poterit hæc perficere, qui omni tamen Clerico gradu inferior, multo magis paſtore animarum. porro animarum paſtores vouent etiam caſtitatem perpetuam, & iuramento emiſſo promittunt ſuis ordinarijs obedientiam, ſuntque Eccleſiæ hierarchicæ, deſcriptæ a *S. Ignatio*, neceſſariæ & eſſentiales partes.

Ignat. ep. ad Tral. Phil. Magnes.

deinde ſi ratio vitæ tutioris, expeditioris ac ſeuerioris ſpectetur, dicunt, inſtitutũ religioſum eſſe perfectius, & ob hanc cauſam a ſtatu Clericali licet alicui tranſire ad ſtatum religioſum. Et ſane ad ſeruandum hoc vinculum

Conc. Tol. 4. can. 40. Anſ. epiſt. ad Goffri.

pacis inter vtroſque ordines, nihil magis religioſos attingit, quam vt Paſtoribus, quibus primus cultus ciuilis debetur, plurimum deferant, præſertim Epiſcopis, quorum primatu ſingula membra particularis alicuius Eccleſiæ ad vnitatem, quod in plurimis curauit diſtricte concilium Tridentinum, aptiſſime reducuntur. Cui vnitati nimium multæ religioſorum, ſi quæ fuerint exemptiones, officere poſſunt, & ut vnitati ordinis & compoſitionis in aliqua particulari Eccleſia, ſic paci & quieti pariter in eadem aduerſari.

10 Curandum etiam a religioſis omni dedita opera, vt regulam ſuam exacte obſeruent, neque plura aut duriora velint in ex præcipi, quam quæ ſummo rigore & religione poſtea executioni mandare velint. Laudantur itaque hac in re paucitas & facilitas, quando interim ſatis idonea media ad tria vota ſeruãdã, & proprium finem aſſequendum adhibentur, vbi ex aduerſo, humana fragilitate interueniente, multitudo & difficultas regularum inducunt plerumque occaſiones, primo hanc regulam, deinde aliam diſſoluendi, ac tandem integram diſciplinam ordinis relaxandi. Neque vt religioſorum ingenti numero gaudeat aliquis ordo, ab illo multum optandum: cum veniat, raro copioſam hanc multitudinem abſque ſcandalis gubernari, & hac vel illac, veluti in magno corpore, malos humores, ſcilicet in ea prauos mores, non coaleſcere, & ex eadem frequentius & copioſius haud erumpere.

11 Vniuerſa autem mala in hoc genere, quadam ratione improportionis continentur. eſt autẽ improportio, nota quædam in obiecti aſpectabilis partibus valde odioſa, quæque oculis & iudicijs aliorum vehementer diſpliceat. & ſi in mores incidat, non ſolum hominibus, verum & Deo exiſtit deteſtabilis. Hanc autem viſus deſcripſiſſe Chriſtus Dominus, ſimilitudine arantis, ſeu ad ſtiuam manum mittentis, & retro reſpicientis: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Luc 9. En improportionem, inter manum ad aratrum directam, & oculos, alio ab opere intento auerſos. En talis improportionis pœnam, quam excluſione e regno cœlorum, caſtigandam dixit Chriſtus Dominus. Ea vis eſt improportionis nõ ſolum in tabella aut corporum lineamentis, ſed etiam in hominum moribus, vt ea vel ſola augeat obiecti turpitudinem & odium eis, qui in eam oculis vel mentibus intendunt. in *Therſite* quidem ridicula; in *Sardanapalo* odioſa. Natura & ars in proportione quadam efflorescunt; error vero & ſcelus in improportione ſuas deformitates oſtendunt. Quocirca quod ad clerum & religioſos, improportio hæc deploranda in tribus præcipue cernitur: primo quando aliquid ab eis fit, quod diſſentiat a profeſſa ab ipſis domeſtica diſciplina. deinde quando in mores eorum cadit aliquid repugnans ab ijs ſuſcepto habitui. poſtremo dum aliquid eorum actionibus exprimitur, quod non cohæret cum tribus votis ab eis emiſſis iuxta prius improportio eſt, ex clero aliquem aut religioſum, curſitare per plateas cauſa non id exigente: nimium in foro verſari, commodum ſibi ſolum. vi poſterioris improportio oritur, dum quis ſub habitu triſti & funeris ſimulacro, leues mores, colloquia cum mulieribus, aulicos geſtus exercet. ab vltimo propagatur improportio, quando quid agitur, quod non videtur cohærere cum paupertate voluntaria, cum obedientia & caſtitate. In quibus omnibus improportio, non ſolum vehementer Deum offendit, ſed etiam ciuilibus hominibus eſt omnino contemptibilis. Et quid contemptibilius clerico aut religioſo, qui ob hanc ipſam improportionem ante vulgarium hominum Math 5. oculos, ſunt ſal infatuatum; pedibus conculcandum, & foras proijciendum? quæ hæc improportio inter manum & caput alio

alio obuerſum Quam periculoſa hæc improportiu capitis ad manum, quæ Chriſti indicio regno cœlorum excluditur! Quod vero Religio a qualitatibus perſonarum progrediatur ad externos ſacrorum ritus, idcirco de illis etiam ſaltem paucis diſſerendum.

CAPVT. XVI.

Apparatus ſacri ac Ceremoniales, vt e ſplendore Religionis, ſic etiam munimenta Ciuilitatis.

QVoniam internæ animorum conceptiones & affectus plurimum dependent a rebus externis, vt tã ex philoſophia, quam experientia conſtat, idcirco quæ de religionis ciuilitate diſputanda, ea ab externis ſumenda & deriuanda. Propter quam cauſam affimat *S. Auguſtinus*, nullam prorſus inter homines poſſe religionem coaleſcere abſque ſignis & ceremoniis externis. Sunt vero inter hæc ſigna maximæ differentiæ quoad vim & ciuilitatem religionis: alia nempe alijs maiora, illuſtriora & efficaciora ad commouendum exiſtunt. In vniuerſum autem ad quatuor referuntur. primo ad diuinorum ipſorum miniſteria, deinde ad religionem exercentium deuotionem, tertio inter eos colligationem, poſtremo ad iucundam animorum & corporum in eiſdem recreationem: his enim poſterioribus dulceſcit & emolleſcit iraſcibilis facultatis amaritudo ſeu rigor in homine: quod ad religionem omnino ſpectare, ſupra indicauimus.

Auguſtin lib. 19. cõt. Fauſtũ ca. 11.

2 Horum quatuor reſpectu, ciuilis inprimis ipſe locus Eccleſiæ, celebrationi myſteriorum dedicatus: iſque multo ciuilior Perſarum & aliorum ritu, de quo *Alexander Neapolitanus*, qui ſub dio Deos ſuos venerati. quocirca quam primum Chriſti cultores auſi ex antris capita in publicam lucem attollere, conſtructæ illico fuere a noſtris, adeoque a *Conſtantino Magno*, ſumptuoſiſſimæ & auguſtiſſimæ baſilicæ, in quibus rem diuinam myſtæ vt par erat, peragerent. Bethaniæ ſuper tumbam *Lazari*, a Chriſto reſuſcitati, in memoriam tanti miraculi, erectam nobilem Eccleſiam, auctor eſt *S. Hieronymus*. Imo Eccleſias habuiſſe Chriſtianos, etiam furentibus gentilibus, licet non ea ſtructura ſplendidas, innuit *Euſebius*: qui refert, & nuper *Panuinus* idem recoluit, Ethnicos Imperatores Chriſtianorum cœmeteria, Eccleſiasq; impie deſtruxiſſe. Romæ his ipſis temporibus erectas quamplurimas Eccleſias recenſet *Cardin. Baronius*: vbi quadraginta, & quod excurrit, fuiſſe teſtatur *Optatus*. quarum vnius ſpeciem ita deſcribit *Lucianus*, ſcriptor Ethnicus tempore *Traiani* florens: *Pertranſiuimus ferreas portas & area limina, multiſque iam ſuperatis ſcalis in domum aurato faſtigio inſignem aſcendimus, qualem Homerus Menelai fingit eſſe: atque ipſe quidem omnia illa contemplabar, quæ inſularis ille adoleſcens. Video autem non Helenam, ſed mehercle viros in faciem inclinatos, & palleſcentes.* ex verbis *Luciani* Duo in Chriſti cultoribus notare poterimus: primo, quod in facies inclinati: hoc enim ritu religionis frangebant in ſe omnem partis iraſcibilis ſuperbiam, ante Deum quodammodo proſtrati. deinde refert idem *Lucianus*, eos vultu pallidos extitiſſe: quod quidem indicio, illos concupiſcẽtiæ partis ardores duritia diſciplinæ compreſſiſſe. En fructus religionis Chriſtianæ, vide, quomodo Chriſtianus primus ſpiritus molitus Eccleſiæ ornamenta, & faſtigia ex auro! qui quidem mos, vt oculi noſtri teſtantur, adeo vbique loci, in quo Chriſti cultus viguit, increbuit, vt dictu incredibile, quantum ſplendorem & maieſtatem conſtructæ Eccleſiæ modo oſtenderint.

Alex. Neapol. lib. 2. Genial. Dier. cap. 22

Hieron. de locis Hebr.

Euſeb. lib. 8. hiſtor. cap. 22. Panuin. de ſepul c. 11

Barõ, Tom. 2, An. Chri. 57. Optat li. 2. cont Parmen. Lucian. in Philo pat.

Gregor. naz. orat. de S. Baſil.

3 Neque ſolum Chriſtiano ritu inſignes Eccleſiæ quoad ipſam fabricam, verum inſuper crucis Chriſti inibi erecto trophæo, altariũ diſpoſitione, ſacrarũ imaginum ſitu, aureorũ, argenteorũq; vaſorum ſupellectili, ardentium tædarum & lychnorum luminibus, conſpicuæ & illuſtres apparuere. Crux Chriſtum adfixum tenens, vinam ſpeciem ſenſibus adeuntiũ Eccleſiam incuſſit auctoris omnis boni, ex cuius quippe meritis vniuerſum decus animorũ & locorũ, vti a fonte & arbore in medio paradiſi profluxit. ea inſpecta, intellexere pij, ab ijs peccata ſummo animi dolore plangenda, quæ tali Saluatoris neci cauſam dedere: ſe iam cum Chriſto mortuos eſſe, ſe cummuni ſalute ab ipſo manante modo perfrui: vim omnem ſanctimoniæ, ſacrificii, ſacerdotij, ſacramenti ab ipſo tanquam a radice prouenire hinc percepere. Quid ad cogitandũ pulchrius, ad mouendum vehementius, ad ineſcandũ ſuauius! *Lactantius* & *S. Paulinus* inter alios, hunc Chriſtianum ritũ ſuis verſibus egregie declararũt. In quibus Eccleſijs noſtris, erecta altaria, ſedes corporis & ſãguinis Chriſti, vt loquitur *Optatus*, ſacrificio diuino peragẽdo idonee inſeruiũt.

Hic eſt locus, veneranda penus, qua conditur, & qua
Ponitur alma ſacri pompa miniſterii.

Lactant. de paſſ.
Paulin. Epiſt. 12.
Optat. lib. 2 con. Parmẽ.
Paulin. Epiſt. 12.

Quæ, ſiue ſacrificio perficiendo, ſiue ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſeruandæ aſſignentur, ingentẽ ſane vim continẽt religionis: ſunt enim Chriſti Domini veluti præſepia, vt ait *S. Chryſoſtomus*, in quibus iterũ naſcitur, auguſta tribunalia, in quibus reſidet, cruces, in quibus immolatur, ſepulcra in quibus ponitur, cœlũ quodammodo, vbi ab Angelis honoratur. *Horrenda* inquit *Chryſoſtomus Eccleſiæ myſteria, horrendum altare.* Neque altare hoſtiæ dignitas ſolummodo nobilitat, verum etiam, vt idem ſcribit *Chryſoſtomus*, ſacrorũ ſpirituũ eo illius cauſa appulſus, ad id conducit: *Per id tempus & angeli ſacerdoti aſſidẽt, & cœleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat & locus altari vicinus, in illius honorẽ, qui immolatur, Angelorũ choris plenus eſt.* Accedunt iſtis ornatus & venerationis cauſa in eiſdẽ Eccleſiis ſanctorũ imagines & ſigna collocata etiam temporibus primitiuæ Eccleſiæ, vt *Euſebius* & *S. Auguſtinus* teſtantur. Huc facit ſacerdotũ diuina celebrantiũ veſtitus ſacer, ſignificatione ſane cœleſti pleniſſimus, & ipſa ſpecie diuiniſſimus. In quo genere, illuſtris Epiſcoporum habitus, qui ad exẽplũ *S. Iacobi* & *S. Ioannis* Euangeliſtæ πέταλον ſeu mitram geſtant, vt ſcribit *S. Hieronymus*, quam *Polycrates* nomine laminæ aureæ ſignificat: cum enim Eccleſiarum Principes, tum tali ornamento eorum capita redimita.

Chriſoſtom. hom. in 10. ca. 1. ad Cor.
Chriſoſt. hom. 61. ad pop.
Chriſoſt. lib. 6. de ſacerd. cap. 4.
Euſeb. lib. 3. & 4. de vit. Conſtant. S. Auguſtin. li. 1. de cõſenſ. Euang. cap. 10. Gregor. lib. 9. Epiſt. 9
Hieron. de ſcrip. in Ioan. et Iacob Policrat. apud Hieron. et Euſeb. lib 5. hiſt. ca. 23.

Serta redimitus geſtabat lucida fronte
Diſtincta gemmis : ore parabat opus.

Hæc cecinit *Ennodius* de Mytra *S. Ambroſii*. *Euſebius* Epiſcopos ſua oratione panegyrica ſic alloquutus: *Amici Dei & ſacerdotes, qui ſacroſancto podere, indumento cœleſti, gloria corona, diuina vnctione, & ſancta Spiritus Sancti ſtola circumueſtiti.* Quibus autem indumentis *S. Cyprianus* Epiſcopus in primitiua Eccleſia florens, amictus, ita narrat *Pontius* eius Diaconus. *Perductus autem glorioſus martyr, exuit ſe lacernum birrum, quo indutus erat, complicans, & poſuit ad genua ſua, dehinc tunicam tulit, & Diaconis tradidit. & ſtans in linea, expectabat ſpiculatorem.* Eiſdem porro Epiſcopis ſedes velatæ ponebantur, in quibus ſederent, vt idem *Pontius* recolit. *Sedile autem erat fortuito linteo tectum, vt ſub ictu paſſionis Epiſcopatus honore frueretur*: loquitur autem de *S. Cypriano*. Meminit quoque *S. Auguſtinus* ſedium velatarum, ad Epiſcoporum vſus ſpectantium, ſimul ac proceſſionum, quibus eiſdem, quippe Eccleſiarum principibus ſummis, & vt ait *S. Ignatius*, Dei imaginibus, honoris cauſa a clero obuiam ire ſolitum.

Eu. l. 10. c. 4.
Pont. in vit. et mart. S. Cypr.
Aug. ep. 129
Ign. ep. 5. ad Tral. ep. ad Smirn.

4 At neque parum ad religionis maieſtatem conferunt apud nos *Proceſſiones*, in quibus non ſolum coniunctis votis Deum ac Sanctos laudamus & oramus, quinimo diuini verbi vim, Christi Domini ex deuicto orbe triumphum, ac Euangelij propagationem exterius profitemur. quo quid illuſtrius? ritum hunc obſeruauit Primitiua Eccleſia vt teſtantur *Tertullianus* & *S. Hieronymus*. In iſtis prælata Chriſti crux, meritum crucifixi, victoriam crucifixi, ducatum crucifixi, ſanctificationem a crucifixo loquitur ac proclamat. ipſemet procedendi modus indicat, Eccleſiam ordinatam quandam eſſe hominum ſocietatem, in qua populus ſacerdotes, vt paſtores, ſubſequuntur ad cœlum ipſum ſub eorum ducatu profecturus. pariter oſtendit, Chriſti cultores in procinctu eſſe, qui omnibus veritatem fidei denuncient, nihil ocio concedentes: paratos ad omnes labores impendendum, ad itinera conficienda, quibus Chriſti regnum ab ipſis adhuc magis dilatetur, amplificeturque.

Tert. l. 2. ad vxor. c 4.
Hier. ep. 22.
Chry. Hom de Cruce.

5 Accedunt iſtis variarum rerum benedictiones, quæ vt animabus piorum proſint, ſimul ac corporibus, ita eiſdem diuina quædam virtus ſtatuto ritu conciliatur. Quid ad recolligendũ hominum ſenſus in Deum, in Sanctos, in ſanctimoniam efficacius? quo intelligimus, omnia ad religionem ac Dei cultum referenda, in cunctis animæ ſalutem ex virtute, & Dei munere, ſpectandam. Chriſtus Dominus eleuatis manibus aſcenſurus in cœlum Apoſtolis benedixit: vbi ritu externo adhibito, eorum animis & corporibus energiam quandam ſuæ gratiæ precatus. pie idcirco apud nos benedicuntur ſponſi ac ſponſæ, omnino ad praxim primitiuæ Eccleſiæ & Canonem Concilij Carthaginenſis. Ædes itidem naues, aqua, oleum, primi terræ fructus apud nos benedictionibus ſacrantur, vt intelligamus, omnia, etiam ciuilia, ad Dei honorem referenda. In quo genere valde inſignis Regum ab Epiſcopis inunctio & conſecratio. hinc enim ſignificatur, reges diuinis legibus ſubijci, eis debere eſſe obſequẽtes, & cuncta peragere, quoad iura religionum ab iniuſtitia & impietate, Epiſcopo ſententiam ferente, ab ipſis vindicentur: quo percipiunt Reges, ſe ſacro oleo delibutos, non vt ſuis voluptatibus ſubditorum bona proſtituant, non vt tyrannorum more ſubdole aut crude eis dominentur, non vt in angulis delicientur, ſed vt patres reipublicæ Deo conſecrati, ſancte & religioſe ſua munera erga eam exequantur. Quanta autem tam animi quam corporis humilitate Rex Galliæ, *Rhemis* ab Archiepiſcopo loci inungendus, ſeſe præparet ad ſuſcipiendam hanc benedictionem Epiſcopalem, relatu mirum, & eis, quibus ſpiritus, religionis vi nondum ſubactus, niſi quod hominum oculi id teſtentur, pene incredibile. Ipſæ Eccleſiæ certo quodam ritu ſacris deputantur. Epiſcopi, Abbates, Sanctimoniales quibuſdam cæremoniis initiantur: quarum vſu, myſterijs religionis ingens honor accreſcit, viciſſim eadem maiorem vim tam ad ciuilitatem, quam ad ſanctimoniam inter ciues procurandam obtinent. In quibus præter externi ſigni repræſentationem, adhibentur orationes diuino plane ſenſu refertæ, a Deo gratiam & benedictionem pie obnixeque impetrantes. Enimuero ciuile, religioſos actus ad omnia alicuius momẽti ciuilia negocia extendere, vt ciues non ſolum ſæpius ſe ad Deum eo recolligant, ſed id etiam faciant diuino quodam ſenſu & religionis æſtimatione ſingulari incitati. Certiſſime Pontifices, Imperatores, Reges & Eccleſiæ Prælatos, conſecrationis cæremonia aliis exhibet venerandos ac plurimum commendabiles, quippe diuinitus inter alios, ac pro illis benedictos, ſacratoſque: quo nomine Iudæorum Reges, quod vncti Domini haberentur, plurimum honoris, imo & dignitatis, ſecuritatis etiam, a populo conſequuti.

Luc. 24.
Conc. Cart. 4. can. 13. Ep Hæreſ. 30.
Hier. in. Hil
Cir. Cate. 3.
Pont. Rom.
Con. cart. 4.
4. Reg. 9.

6 Hæc omnia atque iſtis ſimilia duo ob oculos præſertim ſtatuunt: primum, religionis eſt magnitudo, ad ciuiles mores educendos potentiſſima. alterum, ingens pondus meritorum Chriſti. illud ex ſe ſatis luculentum. non enim nos inſtar ſpirituum in cœlis, ſolis internis actibus Deum veneramur, vt inde ciuiles reddamur, quin id præſtamus externo ritu atque cæremonia. proinde quo hæc maiora & illuſtriora fuerint, eodem religio ciuili quadam auctoritate ſanctius & vrbanius noſtris conſiliis imperitabit. Poſterius pari modo conſpicuum. nam quod meritorum Chriſti fructus & effectus inter cætera ſit Dei inter nos cultus, non eſt exiſtimandum, ſpectato ſummo eorum precio ac pondere, aridam & ieiunam aliquam religionem apud nos modo poſt eius mortem repeτiendam: maxime cum Iudæorum religio, noſtræ reſpectu vmbratilis, tam ſplendida ac multiplex extiterit: quorum tamen ſacra cum noſtris comparari non poſſunt. at de iſtis alibi diſſerendum. Hoc ſplendore ceremoniæ obiecto oculis paganorum, inde probauit *Chryſoſtomus*, Chriſtum fuiſſe Deum: qui a tanta contumelia irriſionis, exilij & opprobrioſæ mortis, ad tantam gloriam religionis in ſua Eccleſia ſurrexerit.

Chry. Con Iud.

Ecquis præter Deum potuit hoc præſtare aut efficere, vt *Caluariæ* montes loca cadauerum & craneorum, loca ſupplicij, Eccleſiarum ſplendoribus fulgerent!

CAPVT. XVII.

Defunctorum religioſa funera, & pro eis decreta ſupplicia, ciuilitati & ſanctimoniæ incrementa miniſtrant.

QVotquot in orbe terrarum gentes morum ciuilitate inclaruere; illæ vel naturæ inſtitutione ductæ, ſuorum funera pie curarunt, ſimulque eis iuſta religionum aliquo ritu accurate perſoluerunt. ad id vero præſtandum non omnes vna eademque ratione inducebantur. aliquæ inter eas opinatæ, exutas corporibus animas obſequium hoc ſuperſtitum omnino expectare, ac velle vt tellus, ex qua tanquam ex matris aluo corpora primum educebantur, mortua eadem reciperet, in ſe conuerteret, & inſtar *Saturni*, quod ſemel genuerat, ſubinde idem deuoraret ac conficeret. alij morem hunc in naturæ humanæ, ſimulac virtutis dignitatem retulere, exiſtimantes, corpora, quæ aliquando hominum partes, quæ virtutis ac decoris inſtrumenta, pie & honorifice ſepulturæ tradenda. nonnulli iſtius ritus cauſam putarunt eſſe in ſola ciuilitate charitatis ciuibus a poſteris exhibendæ. Vt enim humani victus qualitas commendaretur, & alijs cum illis degentibus, vtpote defuncti amicis, viui rem gratam præſtarent, defunctorum corpora qua ſepulturis honorarijs, qua anniuerſarijs memorijs, honeſtanda duxere.

Prop. lib. 4. Eleg. 7

Cur nardo flamma non oluere mea?
Hoc etiam graue erat, nulla mercede hiacinthos
Iniicere, & fracto buſta piare cado.

Poſtremo, veri Dei cultores præter hæc, corporum reſurrectiones agnoſcentes, ea a morte ſplendide condenda merito arbitrati, quæ quandoque cœleſtis beatitudinis in cœlo radijs illuſtranda hoc omine reputabant.

2 Ciuile hoc inſtitutum iſtis *Plato* tradidit:

Plat. de leg. dial. 4.

Mortuis parentibus monumenta decentiſſima, quæ temperatiſſime ſtructa: Annuas quoque curas defunctorum, quæ ornamentum afferant, inſtaurare docet, & noua quotidie repetita memoria ſemper parentes ſummopere honorare, impendio moderato pro fortuna vtentes. Imo inter aduerſa, extremum quid mali cenſuerunt, mortuum ſepultura carere, vel ſepulcro erui. deplorauit idcirco *Codrus* fatum

Eut. in Ant.

Pompei, concubia nocte in eius truncum cadauer incidens.

Luc. lib. 10.

Non precioſa petit, cumulato thure ſepulcra
Pompeius, fortuna tui: non pinguis ad aſtra
Vt ferat e membris Eoos fumus odores.

Romani religionis ergo, ex præcepto *Pythagoræ* apud *Laertium*, iudicarunt, aptius corpora igne

Laer. in Pyt.

ſtatim conſumere, quam terræ mandare, in qua paulatim putreſcentia, in eam demum, vtpote ignobilius elementum, reſoluerentur. ne autem nidor aliquis funus hoc igneum, & in primum elementum conuerſum, dehoneſtaret, ingentem vim aromatum in ardentes rogos miro ſumptu coniiciebant.

Ou. l. 3. Tri.

Atque ea cum foliis, & amomi puluere miſce,
Atque ſubas hano condita crede ſolo.
Tu tamen extructo ferialia munera ſemper,
Deque tuis lacrymis humida ſerta dato.

Plinius ſecundus ſcribens de morte ſuæ filiolæ, quam paulo ante cuidam nobili viro ſponſatat, ſumptuum meminit funeralium.

Pli. l. 5. ep. 3

Quanto animo vulnus acceperim, cum audiuerim Fundanium, vt multa luctuoſa dolor inuenit, præcipientem, quod in veſtes, margaritas, gemmas, erogaturus fuerat, hæc in thura & in vnguenta, & odores impenderētur. quinimo ſæpius hæc pietas apud eos repetita, odorum ac florum ſuauitatibus condiebatur.

Ouid. lib. 4. Faſt. Pap. li. 3. ſiluar.

Arſuroſque artus vnxit.
Semper odoratis ſpirabant floribus aræ,
Semper & Aſſyrios fœlix bibet vrna liquores.

3 Iudæi autem futuram corporum reſurrectionem credentes, ad eius repræſentationem quandam, oleo delibuta, & ſyndonibus inuoluta, ſepulturæ in rectum erecta commendabāt, quos nos Chriſtiani hac in re imitati. Proinde vt recolit *Minutius Fælix*, Ethnici Romani affirmabant, eos non minus buſta, quam eorum templa deuitaſſe.

Min. Fel. in Oct.

Qualis autem ſit iſte ritus quod ad antiquitatem, iſtis *Cicero* declarauit.

Cic. l. 2. de leg.

At mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus vtitur: redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur. eodemque ritu in eo ſepulcro, quod procul ad fontis aras, Regem noſtrum Numam conditum accepimus: Gentemque Corneliam, vſque ad memoriam noſtrā hac ſepultura ſcimus eſſe humatam. Hoc deinde adſtruit *Cicero* ex antiquo vſu vocabuli *Humationis*, & ex eo, quod apud Romanos, etiam poſt inſtitutum rogi, tota vis ſacri, loco in quo ſepultura fiebat, accreuerit ab ipſa ſola humatione. Cæterum honeſte ac decenter a nobis ſemper defunctorum corpora tractata, quod, vt ait *Origines*, *Rationalium animarum organa*; quod eis, vt loquitur *S. Auguſtinus*, *tanquam organis & vaſis ad omnia bona opera Sanctus vſus eſt Spiritus.*

Ori. l. 5. con. Cel.
Aug. l. 1. ciu. ca. 13.

Cuius moris tantum ſtudiū vrſit pios ſuperſtites, vt ad exemplū *Tobiæ*, etiā cum ſummo vitæ periculo, vt narrat *Euſebius*, ſanctorum corpora contra tyrannorum leges pii ſepelierunt.

Tob. 1, 2.
Euſ. l. 7. hiſt. Ep. 16. li. 4. cap. 15.

Fidelium pariter agmina, feretris impoſita corpora deducere ſolebant ad locum ſepulturæ: quod *Pontius*, *S. Gregorius Nazianzenus* atque *S. Hieronymus* recolunt: idque faciebant cereos accenſos manibus portantes. porro, vt narrant tam *S. Hieronymus* quam *Chryſoſtomus*, pſalmorum quoque cantus in iſtis funeribus audiebatur.

Pon. de paſ. Cyp. Greg. Naz. de obi. fratr. Cæſar. Hier. in Epit. Paul.
Chr. hom. 4. in 2. c. ad Hæb. hom. 61 ad pop.
Pſal. 114
Prud. Cath. Hym. 1.

Dic mihi, quid volunt iſtæ ſplendidæ lampades, quid hymni? Cogita quid pſallas in illo tempore: Reuertere, inquis, anima in requiem tuam, quia Deus benefecit tibi.

Hinc maxima cura ſepulcris
Impenditur, hinc reſolutos
Honor vltimus accipit artus
Et funeris ambitus ornat
Candore nitentia claro.
Prætendere linteo mos eſt,
Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſeruat.

mm 3 *Quidnam*

Quidnam ſibi ſaxa cauata,
Quid pulcra volunt monumenta?
Res.quod niſi creditur.illis
Non mortua,ſed data ſomno.
Hac prouida Chriſticolorum
Pietas ſtudet,vtpote credens,
Fore protinus omnia viua
Quæ nunc gelidus ſopor vrget.
Qui iacta cadauera paſsim
Miſerans tegit aggere terra,
Opus exhibet ille benignum
Chriſto pius omnipotenti.
Dum lex eadem manet omnes
Genitum dare ſorte ſub vna,
Cognataque funera nobis
Aliena in morte dolere.

Athanaſ. apud, S, Damaſcen de. mort,ſuff,

Imo ſcribit *S.Athanaſius*,tempore primitiuæ Eccleſiæ, ad ſepulcra mortuorum delata pio obſequio oleum & ceram, vt lumina in eis accenderentur: quod ideo factum,quo eiuſmodi ritu externo, defunctis gloriæ lumen ſuperſtites amanter & pie precarentur. ſi enim apud Iudæos hoſtia,Deo immolanda pura ac delecta: apud Romanos eadem de cauſa coronata, æquum,defunctorum corpora,ſpecioſa ceremonia ornari, quandoquidem cœli ſpacijs deſtinata.

Tertull.lib. de Coron. mil, Auguſtin, ſerm,31, de verb, Apo De Bapuſ. cap.;24. De cur,pro mo

4 Porro vt hinc Eccleſiæ ingens charitatas conſtaret,ab incunabulis eius,adeoque vniuerſali eiuſdem fide, creditum, animas fidelium hinc plerumque migrare aut peccatis venialibus impuratas, aut temporalium pœnarum reatibus implicatas: proinde oratione ac ſacrificio eis ſuccurrendum in ea fideles exiſtimarunt. *Pro defunctis* inquit *Tertullianus*, *annua die facimus. Orationibus vero S.Eccleſia*,ait *S.Auguſtinus*, *& ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, qua pro eorum ſpiritibus erogantur,non eſt dubitandum, mortuos adiunari, vt cum eis miſericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt.Hoc enim a Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt,cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque offerri commemoretur.*

Tertull, de coron, mil, cap,3. ſib ad vxor,de Monogam,Cipria.ep 66. Origen hom 3.in Iob Epiphan hær.75.Criſoſt-hom. 69.

quem morem idem affirmat a traditione Apoſtolica deſcendiſſe: ac eius vi retinendum aſſerit,tametſi nullus ſcripturæ locus id diſerte præciperet. *Tertullianus* quoque non ad *Montanum* ſuum,ſed ad totius Eccleſiæ praxim,hunc ritum refert: quod & faciunt *S. Cyprianus* & *Origenes*. Cumque illi *Ærius* hæreticus obſtitiſſet,*S. Epiphanius*, apoſtolicæ traditionis neruis connixus, eius hæreſim refutauit. *S. Chryſoſtomus*, *Non temere* ait, *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio*: neque hoc factum, vt illos laudarent ciuili quodam elogio adhuc viuentes, *Sed ſcientes illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.*

Colle ſub Elyſio nigra nemus ilice frondet:
Ouid,Ele,7. *vdaque perpetuo gramina terra viret.*
Si qua fides dubiis,volucrum locus ille piarum
Dicitur,obſcena quo prohibentur aues.

5 Quam autem corporum honorifica ſepultura,ſimulque pro defunctis animabus impenſa religio, ciuilitati proſint, ex multis id oſtendi poterit. Et quidem inprimis notare licebit amantiſſimum matris Eccleſiæ erga vteri ſui prolem affectum, varietate quadam etiam diſtinctam illius pietatem. Eſt enim triplex Eccleſiæ pars: vna in cœlis triumphans, altera in terra militans, tertia in purgatorio patiens. & erga ſingulas hic communis mater ſe gerit diuerſimode: habitu, voce & actione: licet in omnes teneriſſime. aliquando veluti gloriæ radijs veſtita, Sanctis ſuis in cœlo beatis iubilo ac ſacra pompa magnificenter applaudit, gratulatur. ſubinde tanquam martia *Pallas* armata prodit, inter luctantes & pugnantes, ſudore & ſanguine ipſa madens, verſatur. demum atris induta mæret & dolet, deuote ſupplicat, dum fœtus ſuos defunctos, & purgatorijs pœnis afflictos, ingemiſcens contemplatur. Et quidem ita in hunc modum diſcreta, aliquid in ſe exprimit illius diuerſitatis, quo Chriſtus Dominus, eius ſponſus, quoad animam beatus, quoad appetitum ſenſitiuum ac corpus angoribus & miſerijs oportunus, varius ac quodammodo diſcolor *Ioſephus* apparere voluit. Ioan, 3. Cur enim illa corpora, quæ aqua baptiſmali, ac in ea virginea, tinxit, pura reddidit, quæ ſacroſanctæ Euchariſtiæ hoſpitio nobilitauit, quæ Chriſmate & oleo ſancto vnxit, quæ modeſtiæ legibus ſolicite informauit, quæ Chriſti habitacula, cœleſtis militiæ arma, diuini ſpiritus inſtrumenta, conſtituit, extremis honoribus, animabus viduata, non proſequeretur? Rom,6; Gladius *Dauid*, *Goliathi* gigantis nece inclytus, religioſe *Ephod* inuolutus ſeruabatur retro altare. 1,Reg,21, Virga *Moyſis*, non niſi in arca recondita, quæ mare rubrum diuiſerat, quæ aquam ex rupe elicuerat. Num,17, Enimuero piorum corpora ea ſunt, quæ vitiorum & hydrarum capita reſciderunt, quæ aduerſitatum maria aperuerunt, quæ ſilices, duros arenteſque homines, fluminum ſeu virtutum & doctrinæ vberrimos fontes exhibuerunt. Digna proinde, quibus pia mater Eccleſia funerea hæc obſequia libenter impenderet: ac inde ſignificationem daret illius gloriæ, quæ in cœlo quandoque beanda, illuſtranda. monet proinde ſuperſtites, ſemen quoddam, veluti fermentum, corporibus inſperſum, quod illis vitam motumque tandem ſuppeditabit. 1, Cor,15. Proinde ceremonias luminum, odoris ac ſimilium interim opponit quodammodo ſepulcri malis, tenebris nempe ac putoribus illius, quibus detinenda ab illo felici exitu, & veluti contrarijs conficienda: iuxta ac quantum poteſt. a talibus vindicare ſolicite & ſtudioſe pia mater ſuos fœtus laborat. Qui porro ſplendor & odor ceremoniæ, futuræ beatitudinis ornamenta eis polliceri videntur & ominari.

6 Cuius rei admonitu edocti ſuperſtites, cum virtutis idoneam inde capeſcant animis notionem, tum vt de ſuis ac conciuium corporibus ſancte & honorifice ſtatuant, omnino inducuntur. animaduertunt, quam præclarum in eis fuerit, corpora vitæ ſanctimoniæ inſeruijſſe; quam excelſa eorundem condicio, qua ex pulueribus quandoque excitanda, & in cœlos inuehenda: proinde modo tantæ pietatis ceremonia, cuius oculi eorum conſcii, a matre Eccleſia merito colenda. immortalitatis corporibus

bus inſperſum ſemen, ac in eis virtutum decora ſimulque æternæ gloriæ quædam initia, æquiſſime ſuſpicium & admiramur. Quod ergò in hac re prompte & accurate præſtat Eccleſia, id eos adiungeret, quanto beneuolis animis eſſe debent ciues in ſuorum concinium corpora, quouis etiam miſeriæ genere deformata, diligentiſſime cauentes, ne illa ullo inhumanitatis genere afficiant, ne ſcelere aliu, ſuo exemplo aut incitamento, indigne contaminent. Hoc ipſum inter ciues ſingulare charitatis fomentum. Etenim defuncti affines plurimum ſe honorari & ornari æſtimaret ab eis, qui ſuorum funeribus pie interſunt, qui plangentibus, qua veſtium colore, qua lacrymis, & condolentia compatiuntur, qui glorioſam reſurrectionem eis ſummo affectu adprecantur, qui honore iſto ſacro ac ciuili illos proſequuntur. Hinc morum facilitatem, & dulcedinem quandam, (quod efficere proprium munus religionis). propagari neceſſe fuerit. Enimuero hoc genus charitatis inter reliqua omnino purum, quod mortuo impenditur: ſcilicet ſpe gratiæ & remunerationis eiuſmodi prorſus vacuum: ita tamen naturæ humanæ ingenitum, vti ex hiſtorijs comperimus, vel infenſiſſimos hoſtes alterutrius morti indoluiſſe, maxime cum eam virtute anteactæ vitæ claram perſpexiſſent: quod de *Cæſare* intelle-

Luc. lib. 10. ximus, *Pompei* morte ei renunciata: de Rege *Da-*

2 Reg. 1. *uide*, *Saulis* caſum & interitum ſimiliter deplorante.

17. Quod porro attinet ad relligionem expiatricem defunctorum animabus impenſam, dubio procul, eam valde ciuilem eſſe omnino exiſtimandum. Inprimis cum ciues viderint, nihil labe contaminatum, nihil reatu pœnæ obſtrictum, in cœli puritatem, & iuſtitiæ locum, poſſe deuenire, diligentiſſime curabunt, qua animi pœnitudine, qua ſacramentorum prouentu, quicquid in ipſis maculoſum aut pœna dignum, dum viuunt, præuio opere expungere: & vel leuiora peccata ſedulo deuitare, ne hinc purgatorijs flammis obnoxij demigrent cruciandi. quale hoc ad nitorem, ad morum exactã perfectionem incitamentum! quam digna hæc æſtimatio de cœleſtis gloriæ claritudine, ac eorum præſtantia, qui eam obtenturi! ſicut tria ſunt loca animarum: infernus, qui etiam complectitur Purgatorium, terra & cœlum, ita extrema, nempe cœlũ & infernus loca ſunt iuſtitiæ, terra locus miſericordiæ: in illis enim vtriſque recepturus homo ſecundum opera ſua. Cuius rei cogitatione non tantum ſuperſtites pios ſeſe exhibent erga defunctos, verum inſuper in eorum gratiam multa opera virtutum exercent; quæ alias haud fortaſſis præſtarent. Egregium ſane, abſentis amici ac fratris non obliuiſci, quo charitas vim quandam animi profert a ſenſibus quodammodo non dependentem: quinimo eis contrariam, vtpote præſentium vſu & perceptionibus eam plerumque abducentibus a memoria & cogitatione abſentium. Spiritualis idcirco hæc pia memoria, rationalis, quodammodo diuina, ac metaphyſica: quippe a ſenſibus abſtracta. Deinde vt animabus mortuorum ſuccurratur, quod obſeruat S. *Auguſtinus*, altaris ſacrificia ab eis procurantur, eleemoſinæ erogantur, peregrinationes ſacræ ſuſcipiuntur: quorum optima occaſio & incitamentum pia hæc de mortuis cogitatio. Auguſtin, l. de cur pro mort. ſerm. 34. de verb. Apoſt.

Demum ſuperſtites hac opinione imbuti, ita cum ciuibus ſuis ex virtute ſtudebunt, vt a morte eorum ſuffragia parili pietate conſequatur. illi idcirco officijs ciues inter ſe colligantur ac mutua charitate deuinciuntur: quo nihil ciuilius. neque hæc eorum conſpiratio in re parui momenti reperitur, ſed in grauiſſima: ſcilicet in acerbiſſimis illis pœnis perferendis, aut deuitandis. quo fit, vt ciuium charitas hinc orta, ſit firmior inter eos, ſtrictior, inuiolabiliorque. Quis enim nollet ſuorum ciuium precibus a tantis malis eripi? cuius rei cupiditas præſtabit, vt ſic mores ſuperſtites inſtituant, vt conciues proni ſint, qui ipſis a morte ſuis ſuffragijs libenter opitulentur. quo etiam efficitur, vt ciuium charitas extenſior euadat: quippe ad defunctos quoque deducta, neque vel morte ipſa diſſoluenda, aut ea terminanda, quo videtur in terris ciues præludere illud æternum cum alijs in cœlo commercium & ſtrictam mutui amoris neceſſitudinem, nullo vnquam æuo diſſoluendam. Ambit quidem mater Eccleſia vti in hoc, ſic etiam in alijs, cœli mores hic in terris æmulari. Confert ergo ad charitatem ciuilem hæc pietas viuentium, defunctorum animabus attributa. Atque hactenus de religione quo ad inſtitutũ ciuile diſputaſſe ſatis videatur. Perſequamur modò reliquas virtutes rationales ad voluntatem, ſiue iuſtitiam, ſpectantes: ac inprimis charitatem erga Deum, ſtudiumque diuinis eius mandatis obſequendi in hunc ipſum finem expendamus.

CAPVT. XVIII.

Quanta Dei amori, ſtudioque eius legibus obtemperandi inſit vis, ad ciuiles mores proferendum, ad humanam quoque voluntatem inducendum in optima ciuilis vitæ negocia.

Sicut homines, cum vniuerſis alijs, a Deo, tanquam ab vberrimo fonte manarunt, ita cum illo per amorem coniuncti, & ad illum eodem reuerſi, non ſolum inde ſingulare ornamentum ſibi ipſis conſequuntur, verum etiam quaſi aureo cæmento intercedente, mutuis officijs inter ſe copulati, in vnum corpus ciuile ſimul ac ſacrum coagmentantur. proinde in ipſum Deum, tanquam plures lineæ in centrum, ciues omnes incidentes, cum in illo quaſi vnum quid conueniunt, tum quod mirabilius, quantumuis multi, quantumuis diſperſi, amantius tamen inter ſe mutuo inclinantur, coniunctiuſque connectuntur. Sicut enim cera a ſole liquefacta, formam ſigilli, aut alterius rei in ſe faciliùs admittit, ita cuius animus Dei amore ſemel emollitus, aptior euadit, qui ad vitæ ſocios vberius affectu, dulcedineque effluat, ac ſe diffundat. Fieri non poteſt, quin in Deum teneritudo, etiam in hominem, omnem Pſal. 11.

rigorem

rigorem ac rancorem actionis exterminet. Hoc pacto, poſteaquam domeſtica pietas ſingulos familiares amore communis parentis accenderit, ſtatim vniuntur inter ſe ac colligatè viuunt mutua beneuolentia deuincti. in choro tunc ad harmoniam ſuauis concentus elicitur, quando vnius præcentoris legi a cunctis obtemperatur. ita, quod Deus vitæ noſtræ non tantum principium ac finis, ſed etiam ſanctum ac ciuile coagulum, ideo eius amore incitati, non modo ad eum progredimur, quinimo inter noſipſos

Luc. 11. arctius inde coniungimur: eſt enim nobis princeps, parens, nexus, ortus ac terminus: quibus cum illo, & inter nos ſuauiſſimè, ſtrictiſſimeque coaleſcimus. Sol florem aliquem irradians, illum eodem expandit, & ſui quodammodo inſpectorem facit.

Auſon. ed. 14. *Nec mora, ridentis calathi patefecit honorem,*
Prodens incluſi ſemina denſa croci.

Dionyſ. de diuin. Nom. *Omnia ſolem* inquit *Dionyſius, ſenſibilia concupiſcunt: videlicet videre, aut moueri, atque caleſieri, & omnino ab ipſo lumine contineri deſiderantia.* calore porro roſam inflammans idem ſol, ardentem ad ſe rapit & conuertit quaſi amantem.

Auſon. in edul. 14. *Ambigeres, raperetne roſis aurora ruborem,*
An daret: & flores tingeret orta dies.
Ros vnus, color vnus, & vnum mane duorum.
Sideris & floris, nam Domina vna Venus.
Forſan & vnus odor: ſed celſior ille per auras
Diffl atur: ſpirat proximus iſte magis.

Pari modo Deus munere intelligentiæ nobis illato, nos ſui veluti oculatos teſtes conſtituit, charitatis autem æſtum infundendo ad ſe trahit ac ita flãmeo oculo cui alæ igneæ, in ipſum benefactorem eius munere inuolamus. Et vt ſpungia, oceano immerſa, nihil poterit rigide ſubinde contingere, ita hominum corda Dei ſemel amore diſſoluta, nihil aſperitatis in aljos homines retinere poterint. Sunt quidem aliqua, quæ eo ritu alia ad ſe compellunt, vt ab alijs interim eadem diſiungant: quomodo trahit magnes ferrum, diuitiæ auarum, honor ſuperbum, fraudulentus ſocium, tyrannus ſubditum, Diabolus peccatorem. at Deus recurſu noſtri amoris in ipſum non quærens ſuum emolumentum, ſed noſtrum duntaxat bonum, non ita nos ad ſe allicit, vt raptu aliquo vel digreſſu ſeorſim ab alijs moueri nos velit, vel vt alijs hunc ipſũ finem inuideamus, qui omnibus abundantiſſimè ſufficit, ſed gregatim cupit plures adeoque vniuerſos ciues, ad ſe confluere: vnitim idcirco coalitos, ſubinde in curſus modo, ac eius periodo, optat nos ſui eſſe amatores & poſſeſſores. conuiuas proinde ad ſe vocat, non pugnaces, columbas non miluos, fratres, non diſſidentes, ſocios, non ſolitarios, oues non leones, vt tam in ipſo, quam in nobiſmetipſis mutuo hoc amore calentes, ſociatim et coniunctim ex amore eius deliciaremur. properamus quidem ad Deum perſonis trinum, ſed amore ſibimet coniunctiſſimum. Proinde ciues plures ad Deum affectu tendunt, ſed charitatis ſpiritu inter ſe deuincti: vt perpetuo ſimile appetat recte cum ſimili coniungi.

2. Et quidem vt naturæ beneficio humanis vſibus eſſet prouiſum, prius a Deo condita hac vniuerſa rerum machina, mox in eam vt ait *Philo*, inductus fuit *Adamus* tanquam princeps in ſuam aulam, hæres in hæreditatem. poſtea Gen. 2. vt abundantius illi eſſet prouiſum, eius cauſa Phil. l. de creata fœmina, quæ ipſi eſſet in adiumentum. Hom. cæt. Cæterum niſi Deus ſua præſentia ac prouidentia interceſſerit, hæc omnia in nos collata, in Gen. 2. diſcordias, in iras, in diſſociationes proruerent. neque abſque eius amore, illa pax, iuſtitia illa, quas vel in ciuili vita quis deſideraret, procurari aut ſeruari poterunt. Hoc argute illuſtrat *S. Auguſtinus* ſimilitudine duorum oculorum in capite humano: qui locis licet ſeparati, naturæ tamen quadam lege in vnum idemque obiectũ ſimul deferuntur. *Dirige radium dexterum ſine altero ſi potes. ſimul eunt, ſimul diriguntur. Intentio* Auguſtin. Tract. 10. c. 4. ep. Ioan. *vna eſt, loca diuerſa ſunt. Sic ergo omnis qui diligit Deum, vnam intentionem ſecum habet. noli attendere quia corporeo in loco ſeparatus es: aciem cordis ſimul fixiſti in lumine veritatis.* idcirco quamuis ciues multitudine & ſtatuum varietatibus diſcriminentur, tamen inter ſe vi amoris Dei, parili motu conuenienter, etiam in diſparibus officijs, progrediuntur. Et ob hanc cauſam oſtendit idem Doctor, rationem amoris erga proximum deduci ex amore, quo noſipſos propter Deum diligimus. *Quapropter vt ſciamus diligere Deum,* Auguſtin. in pſalm. 118. con. 8. 24. *ſciendus eſt Deus. vt ſciat homo diligere proximum, tanquam ſeipſum, prius debet diligendo Deum diligere ſeipſum. diligendo enim Deum diligit ſeipſum, vt diligere ſalubriter poſſit & proximum ſicut ſeipſum.* In quam ſententiam conſpirat *S. Thomas*: *Ratio* S. Thom. 2. *diligendi proximum Deus eſt.* nam cum diligere 2. q. 103. art. proximum ſit actus virtutis Theologicæ, ne- 3. ad. 2. ceſſario in ipſo Deo reſpicere debet rationem formalem ſeu motricem ſui obiecti, & non extra illum. Qua de cauſa omnis in vniuerſum pacis in homine cauſa exiſtit Dei amor. eſt enim duplex pax, vt obſeruat *S. Thomas*, Vna eſt inter partes animæ in homine appetentes: & hæc a- S. Thom. 2. more Dei ſuper omnia educitur. alteram inter 2. q. 29. art. appetitum iſtius ciuis & appetitum alterius, quæ charitate in proximum procuratur. *vtramque vna efficit charitas.* imo hæc ſecunda ab illa prima dimanat, vt ſatis explicatum videatur. Si enim amor communis boni reddit ciues concordes, vt ait *Ariſtoteles*, amor Dei id effica- Ariſt. l. 8. cius effecerit, cui ille amor ſubordinatur ac in- cap. 7. ſeruit.

3. Hoc autem diſtinctius perſpiciemus, ſi prius rerum genera diſcuſſerimus, ex quibus inter homines diſſidia ac diuortia oriri ſolent. & quidem tametſi in eiuſdem naturæ participatione omnes conueniant, nihilominus in appetitu ſenſitiuo, vnicuique ſeorſim indito, quaſi ſeminarium quoddam reperitur diſcordiarum. hinc morum diſſimilitudines, hinc in aduerſa propenſiones & ſtudia, hinc aliorum damna ex priuatis commodis oriuntur, hinc diuerſarum Nationum propenſiones abeunt in oppoſitos mores & ritus: qui quidem appetitus, educationis alia atque alia ratione, corporum diuerſa temperie, diſſimili cœli influentia, ſtatuum condicione diſpari, pronus redditur in alienationes, digreſſuſque animorum.

Sic hominum genus eſt. quamuis doctrina polito Lucr. lib. 3.

Conſtituas

Conſtituat pariter quoſdam, tamen illa relinquit
Naturæ cuiuſque animæ veſtigia prima,
Nec radicitus euelli mala poſſe putandum eſt,
Quin procliuius hic iras decurrat ad acres,
Ille metu citius paulo tentetur: at ille
Tertius accipiat quadam clementius æquo.

Iſtis accedunt obiecta cupiditatũ, quæ quod ad plures pertinere non poſſunt, priuatis dum [illegible] nonnunquam ex iniuſto raptu ſubijciuntur appetitu [illegible] quorum [illegible] ppulſu fit, [illegible] teri in ciuitate proprio peculio excelle [illegible] que ei inuidere. [illegible] ex [illegible] gularem ex [illegible] plerumque ciues [illegible] pentiſſimi, ard [illegible] que. Hinc concludit *Ariſto-*

Ariſt. lib. 9. Eth cap. 7. *teles*, non fore diuturnam inter malos concordiam [illegible] quod omnes ſibi vtilia appetant, *In laboribus & miniſtrationibus deficiant.*

Prud. Ham. *Inde ſeges ſcelerum radi[illegible] & ſola malorum,*
Lucr. lib. 4. *Dum ſcatebras fluminorum omnes & operta metalla*
Vir. Æne. 4. *Eliquat, ornatus ſoluendi leno pudore.*
Diod. lib. 4. *Dum venas ſquallentis humi ſcrutatur inepta*
Boet. lib. 2. *Ambitio, ſcalpens naturæ occulta latentis,*
met. 5. *Si quibus in ſoncis radiantes forte lapillos*
Rimata inueniat.
Hoc pulchrum quod terra parit, quod gloria confert
Lubrica, commendat quod perniciosa voluptas.
Quod velut excitus difflato puluere ventus
Præterit, exemplo tenuis quod tranſuolat vmbra.

Denium quod in ciuili ſtatu diſcrepantes ſunt vitæ inſtitutiones, ſimulque particulares fines ſingulis propoſiti omnino differentes, inde partim ex ipſa diſſimilitudine, partim ex contentione circa eorum eminentias, diſcordiæ ſolent inter eos propagari.

4 At vero Deus ab omnibus amatus, in iſtis non penitus aufert varietatem, ſed ex illis potius harmoniam concordiæ elicit, & ſummum, in multiplicitate, vnitatis conſenſum producit. Hoc vno verbo viſus expreſſiſſe S. *Chryſo-*

Chry. hom. 72. in math. *ſtomus: Diligere Deum, diligere proximum eſt.* Ciues itaque quatenus ſua particularia bona aſpiciunt, eatenus ex eo aſpectu procliuier in oppoſita: verum cum Deum intuentur, tunc, quando illius aſpectus radius flammam amoris in eis expreſſerit, omnes in vno Deo amato

Aug. tract. 87. in Ioan. recolliguntur. *Neque enim ait S. Auguſtinus, vera dilectione diligeremus inuicem, niſi Deum diligeremus.* ex quo amore percipiunt, definiendum modum ac ſpeciem aliorum amorum quantumuis diſtinctorum. proinde in conciues haud excitandam aliquam hoſtilitatem vel combuſtionem nouerint, ſed debere eos potius in vno Dei amore vnitos, eius decore & auro delibutos, eius immenſitate, veluti oceani in ſinum ſuum fluuiola admittentes, coercitos ac moderatos, placide conquieſcere. amore itaque Dei omnis aliorum amorum bilis exhauritur, integer eorum furor conſopitur, exundantia abſorbetur; ac de reliquo tanquam innocui & inermes Cupidines, Dei amore ſubacti, per huius mundi pulcra quæque ac varia ſumma cum quiete ſpaciantur. Hoc ſane egregium artificium & imperium amoris Dei in omnes alios amores. Neque ciues vtcunque Deum hoc pacto amant, ſed ipſum amant, qui amantes, adeoque omnes homines, amat ardentiſſime. proinde iure diligunt hunc ipſum Dei in alios amorem: quo ita vinciuntur ac ligantur, vt eo perſiſtente nullum amorem excipere poſſint, qui in [illegible] um [illegible] dia, damna vel iniurias erumpat. Præſtat itaque iſte amor Dei, vt ipſa [illegible] vitas in qua [illegible] ine commorantur, non ſit *Babilonia*, aliqua [illegible] ntuſione turbida, non *Niniue* aſperitate horr[illegible] ſed *Hieruſalem* ſancta, *Cuius* Pſalm. 121.

par[illegible]patio, vt [illegible] in id [illegible] ſum: ſcilicet [illegible] ac [illegible] ra [illegible] ciuili reperiuntur quædam in partes, in [illegible] es, in ſtatus [illegible] ſſimiles diſtributio. nihilominus mediante Deo amato, recurrit hæc [illegible] pſa parte pa[illegible] in id ipſum: non excurrit ad aliquid ext[illegible], ſed in idem eiuſdem bonum commune in eundem finem eius vltimum, Deum nempe vnitim regreditur. Qui Dion. l. a de diu. nom c. 4. mar. ibid.

amor, vt notat *Dionyſius* Dei cognitionem, veluti lucem, profert, quandoquidem ipſum non amantes, fugiant etiam rationes ipſum cognoſcendi. Aliqua cogn[illegible]ſcuntur ſpeculatiue & ſpernuntur. alia ſpecula[illegible]e perſpecta diliguntur, poſtea a praxi nota, odio habentur. Cæterum cognitio Dei tam practica quam ſpeculatiua continuo eius amorem pariunt & augent.

5 Tria au[illegible] ge[illegible]eralia ſunt incentiua huius ſacri ac [illegible] amoris. Duo in ipſo Deo deprehendimus: poſtremum in nobiſmetipſis. Deum intuiti, animaduertimus, illum abſolute omnium rerum perfectiſſi[illegible]um ac maxime amabilem. Deinde hunc ipſum Deum non vt merum aliquem fontem, aut ſolitariam a[illegible]um aquæ reſpicimus, quaſi in ſeipſo tantum bonitate hac redundaret: quinimo videmus in eius circuitu iridem, quam aſpexit Euangeliſta *Ioannes*: nempe omnium rerum decora Apoc. 4.

quaquauerſum ab illa emanantia. aſpicimus varios reſpectus, veluti flumina beneficiorum in paradiſo ad nos affluentium, & ab illo decur- Gen. 2.

rentium. atque hinc ſacer & ciuilis ignis noſtri amoris ſua habet fomenta & aromata, quorum combuſtorum flammis, cum Phænice, alijs amoribus omnibus excuſſis, ſuauiter, imo & vitaliter immoriamur. Poſtremo noſipſos Ioan. 15.

expendentes, aperte cognoſcimus, nos Dei eſſe mancipia, ſeruos, filios tamen, amicos, creaturas eius; nos & omnia noſtra ad eum, vt ad vltimum finem, inſtitui. quo ea lege percipimus eius amore in nobis flagrante, cuncta a nobis agenda ac diſponenda, qua vnicum, quod in noſtris pectoribus eſſe debet, vniuerſæ actionis imperium, amore eodem contineri intelligamus.

6 Amamus quidem hunc ſolem, natura inſtigante, adeoque plus quam vllam gemmam, imbecillius licet in ſolem quam in gem- Dion. l. de

mam oculis intendamus. ita tametſi diuinæ diu. nom.

perfectionis radius ſit omnino noſtris cogitationibus imperuius, nihilominus, eadem natura auctore nouimus, illum præ omnibus alijs radijs a nobis amandum. Recte pronunciauit *Ariſtoteles*, cœli cognitionem nobis Ariſt. l. 2 de

eſſe obſcuram & difficilem: quod ab illo lon- cœl. text. 18

ge diſtemus, & quod accidentium in cœlo ſenſus noſtri non niſi tenuem habeant notitiam.

quo non obſtante, cœlum hoc vehementer cum
admiratione ſumma amore complectimur; &
poſteaquam de illo qualemcumque exilem, &
vmbratilem licet, cognitionem expreſſerimus,
plurimum animis lætari inde ac geſtire ſole-
mus. eſt quidem nobis Deus obſcurus: non
tamen propter eas rationes, propter quas affir-
Act. 17. mauit *Ariſteteles* cœlum obſcurum: non enim
is longe abeſt a nobis, vt cœlum: quippe in quo
mouemur & ſumus. accidentia non habet vt
cœlum, in quo omnia vnum, idque ſubſtantia-
liter immenſum. non ergo aliunde obſcurus,
quam quo immenſitate & infinitudine ſua to-
tus lucidus, clarus & nimium intelligibilis: in
cuius ſplendore nos proinde, veſpertilionum
Ariſt. lib. 1. inſtar, cœcutimus. Si quid tamen de illo vel
Met. cap. 1. per tranſennam nouerimus, quam illud nobis
melleum, gemmeumque! Cum itaque Deum
a ſe ſubſiſtentem, infinitũ, eo perfectum, omni-
umque aliarum rerum perfectiones eminen-
ter in ſe complectentem agnouerimus, tum
eodem percipimus, inter omnia ipſum ſumme
eſſe amabilem, & ante omnia a nobis aman-
dum. Cæterum fides, dum manum oculo men-
tis in Deum intendentis ſuperius quaſi obum-
1. Cor. 13. brando admouet, ne ab illo obruatur: vel
potius dum ſpecula myſteriorum in Eccleſia
peractorum e regione iſtius ſolis conſtituit, in
quibus refractos eius radios conſtantius lu-
ſtremus, vt cognitioni, ita & amori huic id
nobis ab ea adiumento. Inter reliqua, ad quæ
acceſſum habere non potuit Philoſophia, per-
fectionem Dei amabilem detexit nobis fides,
tres perſonas in vna diuinitate ſubſiſtentes
noſtræ credulitati obijciendo. Etenim illa ſo-
litaria ratio Dei, quam Iudæi commiſcun-
Epiphan. in tur, vt *S. Epiphanius*, & *S. Damaſcenus* obſeruant,
Anc. non eſt tam perfecta aut amabilis, vt eſt a no-
Dam. l. 1. de bis credita in eo perſonarum propagatio.
Fid. cap 7. perfectum & amabile omnino, Deum patrem
ibid. Clid. ſeſe notionaliter intelligendo conſubſtantialem
ſibi filium genuiſſe. perfectum & amabile, Pa-
trem & Filium tanquam vnum principium
Spiritum Sanctum ſpiraſſe. perfectionis ete-
nim munus proprium eſt, ſeſe alijs communi-
Dion. l. 1. de care, vt dicit *S. Dionyſius*. Deum proinde imi-
diu. no. c. 1. tamur, dum intelligentes & amantes alijs pro-
deſſe volumus, ac eo perfectionis noſtræ mu-
nera exequimur.

7 Reſpectus autem, ob quos Deus ama-
bilis, ſane multiplices: quos partim Philo-
ſophia, partim fides diuina accurate recen-
ſet. quo enim gradu, vt notat *S. Auguſtinus*, ra-
Aug. lib. 4. tione beneficiorum, Deum noſtri amantem
medit. c. 16. extitiſſe conſtat, eodem liquet, nos ipſum re-
damare oportere: *Sunt enim pignora ſponſa,
dona amici, beneficia Domini.* Et quamuis
amor Dei ſub reſpectu benefactoris ſit amor
concupiſcentiæ, non amicitiæ, nihiloſecius
ad amorem amicitiæ conducit, & ad illum
amandum nos tandem reducit. Hinc cum
admonet Concilium Tridentinum, iuſtifican-
Conc. Trid. dos a ſuis peccatis, diligere debere Deum, vt
Seſs. 5. ca. 6 totius iuſtitiæ fontem, dno videtur inſinuare.
Primum, in amorem Dei multos incitari pro-
pter beneficia accepta vel accipienda, vtpote
ab eo tanquam a fonte veræ iuſtitiæ & ſalutis
profluentia. alterum, diligendum Deum ab
eiuſmodi peccatore ſecundum illam abſolu-
tam plenitudinem ac perfectionem, qua ſpe-
cialiter vberrimus fons iuſtitiæ. nam in hoc
immenſum & abſolutum charitas omnino ad
extremum intendit & definit, ex cuius fontis
copia nouimus deriuari ad nos reſpectus
Patris, Redemptoris, iuſtificatoris ac paci-
ficatoris. *Ecce, ego declinabo ſuper eam, quaſi* Iſa 66.
*fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem glo-
riam Gentium, quam ſugetis; ad vbera portabimini,
& ſuper genua blandientur vobis.*

8 Tertio huic Dei amori excitando inſer-
uiunt variæ omnium ciuium in vnum Deum
relationes, ac multiplices in eis inter eoſdem
cõuenientiæ. Homines vniuerſi, Deo, tanquam
vni Domino, ſubſunt: illi, vt vni redemptori
ſalutem ſuam acceptam ferunt: ſinguli can-
dem fidei notitiam ab eo datam profitentur:
ad illum vnum ſimiliter, tanquam vltimum
finem, cuncti ordinantur. Proinde eorum
officium, Dei vnius honorem omnibus ſuis
actionibus procurare & anteferre. quæ qui-
dem relationes, vt concordiæ ciuilis exiſtunt
totidem ligamina, ita amoris Dei feruentiſſi-
ma argumenta. Cui enim cor impendendum,
cui in holocauſtum illud immolandum, ſi
non Deo omnium ciuium auctori, conſerua-
tori, ac fini? diligitur manus nutricis ab in-
fante, quod illum ſuſtentet ne cadat: dili-
guntur ab eodem vbera, ex quibus nutrimen-
tum vitæ inſugit. Pulli gallinam diligunt, mi-
lites ducem, doctus librum, mercator lucrum,
captiuus liberatorem amant. merito idcirco
in nobiſipſis expendentes condiciones infan-
rum, pullorum, militum, mercatorum, & ca-
ptiuorum, Dei reſpectu, eum maxime aman-
dum æſtimamus ac nobis proponimus. at de
huius amoris ciuilitate aliqua iam inferamus,
ad tria autem, quæ dicenda, reduci poſſe vi-
videantur: ad colligationem nempe ciuium
inter ſe, ad munera virtutum ciuilium in v-
niuerſum ſpectata, & ad conuictus ciuilis ſua-
uitatem.

9 Nulla animi affectio adeo potens ac
amor: quocirca vt in vita ciuili decernatur
aliquod illius imperium, quod moribus ci-
uilibus profit ac præſit, illud in iſto Dei amo-
re, collocandum. *Machina menti*, inquit *S. Iuſti-*
nianus, *eſt vis amoris, quæ dum eam a mundo ab-* Iuſtin. l. de
ſtrahit, in alta ſuſtollit. quocirca amor Dei non ligno vitæ
ſiſtit in ſolo Deo, ſed conciuem quoque eius cap. 8.
cauſa complectitur, vtpote ad Deum elatum,
& ob eius bonitatem amabilem: quod, vt
inquit *S. Auguſtinus*, amare eſt proximum Aug. lib. 14.
Non ſecundum hominem, ſed ſecundum Deum. de ciu. cap.
Cum ergo amor a Deo ad conciues de-
ſcenderit, vt idem *Auguſtinus* aſſerit, fir-
mum reipublicæ ſtatum, melius quam Ho-
mericum vinculum, conſtimit. neque quo
ad hoc, comparari cum iſto amore
poterunt amor amicitiæ, orta ex opi-
nione vllius præſtantiæ in conciue, aut
beneficij ab eo accepti, vel ſtudium
aliquod

aliquod gratitudinis illi reddendæ. iſtis enim Deus, bonum multo fortius, melius, incitatius. *Neque enim conditur*, ait *S. Auguſtinus*, *aut cuſtoditur optima ciuitas, niſi fundamento ac vinculo fidei, firmaque concordia, cum bonum commune diligitur, quod ſummum ac veriſsimum Deus eſt: atque in illo inuicem ſinceriſsime ſe diligunt, cui quo animo diligunt, occultare non poſſunt.* & alibi: *Hic eſt enim rectus modus diligendi ſeipſum, ſi homo bene mente & corpore ſeruiat atque inhæreat Deo, qui bonum eſt creaturæ rationalis. quiſquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipſe toto corde diligat Deum.* In hac quidem re, tantopere ad ciuiles mores conducente, iacet aut friget omnis veterum Philoſophia: non enim recordor me apud eos aliquid legiſſe, quod multum faciat ad ſtabiliendum reipublicæ ſtatum, ex puro Dei amore. noſtra autem dogmata, quæ Dei veram intimamque cognitionem propalarũt, eadem eius amorẽ ad ciuiles mores præclare quoque tranſtulerunt.

Aug epiſt. 3 ad Voluſ.

Aug. l. 1 de doct. Chriſt cap. 2.

10 Multa quidem ſunt ornamenta in conciuibus, vtpote ſcientia, virtus, bona indoles, poteſtas, pulcritudo, ob quæ a nobis amandi. Cæterum ad hoc nihil tam feruens ac Deus ipſe eorum conditor & amator: quando nempe in eis Deum, non eius vmbram, donum vel impreſſionem aliquam diligendum videmus. idcirco Deum cum illis connexum, ſeu potius intime immerſum reputantes, maxime inde auerſi erimus ab iniuria aut dedecore eis inferendis, ne ab eis noſtrum odium, noſtrum nocumentum ad Deum ipſum tranſierint. Sæpius in more poſitum, aureum annulum caute & diligenter ſeruari gratia gemmæ, quæ illi inſeritur. æquius omnino, nos homines colere & amare, quos Deus ſeipſo in eis exhibet tam amabilem, ac quodammodo non gemmeos, ſed deificos effecit. *Numquid*, ait *Iob*, *non in vtero fecit me, qui & illum operatus eſt?* huius rei penſitatione inducebatur animus *Iobi*, vt etiam ſeruo ſuo charitatem præſtaret, vtpote ab eodẽ cũ ipſo conditore plaſmato. agnoſcit charitas, quæ docta & oculata, Deũ omnes homines maximis honoribus affeciſſe, ingentibus diuitiis ditaſſe, eorũ quemlibet cœlo ac terræ præfeciſſe, filij ſui morte redemiſſe: & ex horũ intelligentia, creata charitas cum increata in vnũ obiectũ cõſpirat: amat enim illa, quod iſta amauit, honore eos illa proſequitur, quos iſta honore dignos reddidit, tota in illud ea effuſa, in quod iſta oleum effuſum. *Exigit autem amor proximi*, vt ait *Caſsiodorus*, *idem velle, idem nolle, idem diligere, idem appetere, & omnibus ſecundum Deum in mutuis vtilitatibus conſentire.* Quo autem Deus vſus artificio, vt noſtrum amorem ex noſtro commodo abſque ipſius emolumento, lucraretur, pulcherrime oſtendit *S. Bernardus.* Sunt ergo Dei cauſa diligendi conciues, vt ait *B. Iuſtinianus*, *quod homines ſunt & quod Chriſtiani ſunt.* Ex quo veteres obſeruarunt, in illos vindicem Deum ſe pluries oſtendiſſe, qui hoſpitibus & peregrinis nocuerant, vel iura hoſpitalitatis denegarant. Hinc *Iouem* hoſpitum curatorem noncuparunt. *Iupiter hoſpitibus nam te dare iura loquuntur:* quod *Simplicius* multis declarauit.

Iob 31.

Cant. 1.

Caſſio. l. de Amicit.

Bern lib de dilig. Deo.

Iuſt. l. de lib vit. cap. 15.

Ouid. lib 2. Faſt. Simp. in com. Epi.

11 At iſto amore accenſi, non ſolum in amicos & beneficos ſumus propenſi, verum etiam in eos, qui nobis plane infeſti, & a nobis prorſus abalienati conſiſtunt. Etenim videmus, Deum, quem diligimus, non tantum bonos ſolis ſui radijs illuſtrare, ſed inſuper malos. idcirco ad normam huius prothotypi amoris, vel inimicos diligimus, affectuque gratificandi eoſdem proſequimur, quotieſcumque occaſio benefaciendi occurrerit. Si enim buſo aliquis, vel ſerpens a ſole irradiatus, pulcritudinem quandam in ſe ſuſcipit: ſi abſynthium melleo rore noctu delibutum, contra innatam amaritudinem, vtcumque dulceſſit, nihil mirum, ſi hoſtes, ſi maleuoli, Dei donis ornati, Dei amore nobilitati, aliquid in ſe decoris exhibent, quod noſtrum amorem mereatur & ad ſe inuitet. idcirco in hoſte diligimus Deum, vt prothotypon in imagine, vt redemptorem in oue perdita, vt parentem in prole, vt Deum in homine, vt radium in ſole, vt fructum in radice, vt fluuium in fonte, vt amatum in amante. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus & diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam. Si eſurierit inimicus ciba illum, & Dominus reddet tibi.*

Math 5. Baſ. hom. in illud D. ilr. hort.

Prou. 24 25.

12 Quod porro ſecundo in loco recenſuimus, in vita ciuili, non eſt ſpectanda charitas tanquam ſimplex aliqua virtus, ſed vt regina, vt radix ac mater fœcunda omnium virtutum; hinc obſeruauit *S. Auguſtinus*, in vna charitatis amplitudine contineri quandam Logicam, Phyſicam, ac Metaphyſicam. Logica eſt, quatenus omnia credit, vt ait Apoſtolus, quatenus oculo quodam ſua obiecta amanda diſcernit, ac inter ea quendam ordinem recte conſtituit. Phyſica exiſtit, dum omnia refert in Deum tanquam vltimum finem, dum in ipſis naturæ operibus Deum amat & exoſculatur. Metaphyſica reperitur, quando a ſenſibus & rebus præſentibus tota auulſa, æterna, Deum nempe, Angelos, atque beatos, veluti brachijs ſuis ſtringit arctiſſime. Patiens hæc eſt, benigna eſt, omnis denique, ex ſententia Apoſtoli, virtus eſt. Quocirca licet oppoſitione formali aduerſetur tantummodo odio Dei ac proximi, nihilominus quod in vniuerſum lex ſit fidei, vt ait *S. Auguſtinus*, ita vniuerſæ morum grauiori inciuilitati opponitur, vt cum illa nequeat ſimul conſiſtere. quamobrem nihil ita ac ea, virtutem procurat, qua totum ciuile officium abſoluitur: neque aliquid vitæ barbariem ſic deteſtatur & fugit, & hæc ipſa virtus charitatis legem implet, eam violantem deſerit. pura eſt, nec ſocia vllius ſceleris, fœcunda eſt, neque ſterilitatis gnara. Deum amare is nequit, qui eius mandata violat, qui aduerſus alios inſoleſcit, qui alteri amori, alieno quaſi igni, Deo Perſico, vitæ imperium demandauit. quam caſta hæc diuini amoris brachia, quam fortia! caſta, quod nullo ſcelere

Aug. de vir. Char.

1. Cor. 13.

S. Tho. 2 2. q. 26. art. 2.

Cant. 8.

1. Cor. 13.

Aug. de ſpir. & lit. cap. 17

1. Ioan. 14.

contaminari poſſunt: fortia, quæ nec ipſa mors
debellare valeat.

13 Sunt quidem in hominis vita amores cer-
ti, veluti in ſuo genere capitales ac primarij,
qui alios amores ex ſe pariunt & diffunditant.
id autem in prauis amoribus ſatis manifeſtum.
qui amore corporum capiuntur, ij amant ve-
ſtium nitores, blandiloquentiam, largitiones. ac
ſi amori ſuo excidat optatum bonum, amant
Virg. l. 1. Æneid. vindictam, amant dolorem, *amat pro coniuge*
luctum. qui amore honorum ardent, inde in ſe
propagatos amores ſentiunt adulationis, exter-
næ cærimoniæ, diuitiarum. qui amore pecunia-
rum feruent, etiam ex eo calent amore parci-
tatis in victu, amore fraudum, amore curarum,
adeoque ipſarummet ſpinarum. qui amore in-
temperantiæ flagrant, retinent in ſe amores
Math. 7. Mar. 4. conuiuarum, amores coquorum. idemque con-
ſtat pariter in amoribus honeſtis præcipuis, effe-
rentibus ex ſe alios amores. Amor autem Dei
inter omnes ſpecies amorum, aliorum amorum
mater fœcundiſſima: adeo vt ipſe a ſterilitate
Pier. ver. vn extinguatur. proinde non eſt adinſtar *Vnionis*
gemmæ, quæ ſi primaria tunc in vna concha,
vna, ſed potius ingens ignis, qui alios ignes ge-
neret: ſicut haud defuere, qui dicerent maio-
res in cœlo ſtellas, minores genuiſſe. ob hanc
Cic. l. 2. de Nat. Deor. cauſam Apoſtolus Paulus vocat amorem chari-
tatis nominibus omnium ferme honeſtorum a-
1 Cor. 3. morum, propterea quod illos ex ſuo gremio ef-
fundat. Amor quidem patriæ amor generalis,
& multorum amorum particularium parens.
Cæterum quod patriæ bonitas in Deo conti-
neatur, ideo amor Dei, quod ad alios amores
ex ſe proferẽdos, fœcũdior amore patriæ repe-
ritur: qua enim proportione reſpicit Deus ob-
iecta omnium aliorum amorum laudabilium,
eadem amor Dei reſpicit alios amores, qui cir-
ca bonum honeſtum occupantur.

14 Denique cum conſtet, inter alios effectus
vitæ ciuilis, ſuauitatẽ conuictus & animi quie-
tam hilaritudinẽ cenſeri, tũ quod ad hæc ſince-
rus amor Dei plurimũ conducat, eo eiuſdẽ vitæ
ſingulare munimentum merito a ciuibus repu-
tari debet. & quidẽ quod in vniuerſum omnis
operatio virtutis ſuapte natura ſit ſuauis, vt ſu-
pra declaratum: id vero multo liquidius paret
in Dei amore, intento nempe in id, quod
omnium pulcherrimum, amœniſſimum, dulciſ-
ſimumque: non eſt ergo quod extra Deum re-
quirant ciues hortos Alcinoi, non in Palæſti-
na fluores lactis & mellis, non Tagi in Hiſpa-
nia littora auri ramentis ſplendida, non poma
aurea Heſperidum, non prata verno flore con-
tinuo luxuriantia, non lapides in oriente pre-
cioſos, qui ſuis flammulis oculorum pupillis
applaudant, non inſulas fortunatas, quippe
quod in illo amato inueniuri ſupremum acro-
tum, quod delectare & ſatiare eos poterit.
Quod ſi reliquæ virtutes eatenus operantibus
iucundæ, quatenus aliquid amoris participant,
quam iucundus amor ipſe, qui totus amor, to-
tus flos ſine ſpina, totus mel ſine fæce? Hinc
Caſſio. l. de Amicit. *Caſsiodorus* inter charitatem & alias virtutes ita
comparationem inſtituit: *Sicut autem charitas*
eſt vera mentis humanæ requies, perfectum ſabba-
tum, ſic ſex prædictæ virtutes Temperantia, pru-
dentia, fortitudo, iuſtitia, ſunt quaſi dies quædam ope- Pſalm. 38.
rationis, Charitas vero quædam luminoſiſsima dies
eſt tranquillitatis & pacis: Et nunc quæ eſt expe-
ctatia mea, niſi tu Domine? Aliarũ virtutum quæ-
dam exiſtunt impedimenta, ac in nobis virtu-
tes naturæ inclinationes ac motus eis obſiſtunt:
proinde conflictus, moleſtia, & difficultas ſen-
ſum ex illis iucunditatis in nobis plurimum
debilitant, dum eorum ſtudijs incumbimus. at
vero Dei amor, gratia Dei adſpirante, placi-
dius ſolet ex ſuo fonte diffluere, & nullo fer-
me in nobis ſtrepitu edito, purius euibrata
ſuapte vi flammeſcere. Prudentia quidem pa-
uide omnia perluſtrat, temperantia rigore
quodam exaſperata, in voluptatem pugnax
horreſcit: fortitudo ſæpius terrore concuſſa,
vt reſilire neſcit, ita progredi moderate timet.
amor autem in Deum, niſi extrinſecæ tenta-
tiones in oppoſitum vrſerint, ſuo proprio mo- Caſſio. l. de Amicit.
tu expeditior ac iucundior reliquis. *Illud autem,*
inquit *Caſsiodorus, iugi memoria teneas, quod quan-*
to differentius præeminentior eſt eſſentia Dei fragi-
litate humana, tanto ſuauius & incomparabiliter
dulcius & delectabilius diligit, atque diligitur,
quam Angelus, quam homo, vel aurum, ſeu argentum
ſeu lapis precioſus, vel ſalus, vel libertas, vel quæ-
cumque alia quibus hominum corda diſtrahuntur.
Vt ergo in vita humana eſſet generale quod-
dam condimentum ſuauitatis, illud collocauit
Deus in ſui amore, cuius guſtu in vita aliæ
omnes amaritudines temperarentur, aut ex-
pellerentur. o antidotum, o mel, o ſuauiarium
amoris!

15 Actiones etenim, quæ circa media ver-
ſantur, ſi quid ſuauitatis retineant, id a fine
intento ad ſe deriuant, ac eius natiui ſucci ali-
quid delibant. Virtutes autem cum charitate
comparatæ, occupantur circa media, quibus
vltimus finis, nempe Deus, acquirendus: cha-
ritas vero immediate circa hunc ipſum finem
verſatur. quo euadit, vt omnium ſit ſuauiſſima:
innatat enim hæc quodammodo diuinæ dul-
cedinis oceano, cum reliquæ in fluminibus oc-
cupentur. Boet. lib. 4. met. 1.

Hac te reducem referas via
Quam nunc requiris, immemor.
Hæc dies memini, patria eſt mihi,
Hinc ortus, hic ſiſtam gradum.

Alij voluptatum fines, quos ſibi homines præ-
ſtituunt, vt veri fines non ſunt, ita nullo liquo-
re ſuauitatis ſolide imbuuntur. ſpeciem quidem
eius prætendunt, exitu autem appetentes non
decipiunt modo, verum etiam affligunt: & Auſ de. 9. Sap.
vana ſpe deludũt amantes. Τίλος ὁρῶν μακροῦ βίου.

15 Quod ergo ciues in vita ciuili varijs cu-
ris cum diſtrahantur, tum earum angoribus ve-
xentur, æquum omnino, ipſis aliquo receptum
dari, vbi conquieſcant, vbi foueantur, vbi in v-
num quid optimum a diſperſione recolligan-
tur: præſtantiſſimus ſane iſte epilogandi mo- Cic. Tuſ. 4.
dus. *Cicero* ſecum duxit, nihil ad hoc præſtandũ
efficacius literarum ſtudio, quo ſolicitudines,
metus doloreſque extergi ſolent aut prohibe-
ri. *Epictetus* cum alijs Stoicis, ad hæc potiſſimum Epict. ench. cap. 24.
valere exiſtimauit fortitudinem & animi con-
ſtantiam

ſta iam. *Quicquid malorum*, inquit, *acciderit ex eo penes me eſt, fructum de omni beſte vt capiam: tametſi coruus inauſpicatum crocitauerit.* Verũenimuero ad animi leuamen, ad eius recollectionem recreationemque nihil tam potens ac Dei amor. Hic illa *Mercurij* virgula nõ inani ſermone incantata, omnia a ſe tacta in aurũ vertens, ſed virtute diuina expreſſa, aduerſa in vtilitatem transferens, acerba in iucunditatem mutans, plura in vnũ cogẽs, proſpera ne effluãt cohibẽs, aduerſa ne frangant frangens. In æſtu tempe-

Iuſtinia de lig. vit. ca 7

ries, in labore requies, in quiete motus, in bello pax, in flamma ventus, in pugna triumphus. *Charitas*, inquit *B. Iuſtinianus*, *mutua data eſt diuitibus pro gloria, pauperibus pro cenſu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, infirmis pro medicina, mortuis pro vita.*

Boet. lib. 3. met 10.

Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas habitans libido mentes.
Hic erit vobis requies laborum,
Hic portus placida manens quiete,
Hoc vnum miſeris patens aſylum.

16. Amor iſte ſicut ſua ignea puritate aliorum ſibi aduerſantium amorum fæces exterminat, ita quod plane zelotypia & principalis a-

Ariſt. Probl.

mor, nullum patitur conſortium impuri amoris. vt enim, teſte *Ariſtotele*, ſolis radius cõmunes ignes extinguit, ita diuinus iſte amor, a ſole iuſtitiæ in nos eiaculatus, carnales amores compeſcit. Vorax iſte ardor, omnes animæ & corporis facultates momento occupans. idem Zelotypus, nullum ſecum admittens amorem, qui amantem a Deo abducat. omnium denique amorum compendium iſte amor, quippe in quo plus dulcedinis, plus decoris continetur, quam in reliquis ſeorſim aut ſimul collectis. origine primus in anima volente motus amor, idem iuxta vltimus. eius enim obiectum, nempe bonum, malo prius. pariter vltimus: nam ſi inſurgant alij motus iræ, id fit, vt amor in ſuo curſu ſeruetur ab omni impedimento immunis. ſimiliter Dei amor alijs amoribus prior: quandoquidem Deus, eius obiectum, aliorum amorum obiectis prior. Idem quoque amor vltimus: nam ſi quid præter Deum amemus, id præſtamus, vt amor Dei in nobis perennet & muniatur. tandem vero viſio Dei clara, noſtra beatitudo in eius fruitionem ſeu amorẽ deſinit. o *Alpha* & *omega* officij in cine ſacri & Ciuilis, amor! In officina iſtius amoris, ex cordibus lapideis fiunt corda carnea ſeu mollia; ex cordibus carnalibus excuduntur corda adamantina', quæ voluptatibus & timoribus obſiſtant: proinde amor iſte diſſoluit ſimul & dureſcere facit. quod hoc precor, temperamentũ mollitudinis & duritiei ex amore, quo flagrantes, omni vellere molliores, iuxta ac omni adamante ſimul duriores? Enimuero non ex aduerſo ſole ita demiror colores in iride, atque in iſto amore

Pſalm 21
Pſalm. 111

mollis, durique coniunctiones. *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens. Confirmatum eſt cor eius.*

CAPVT. XIX.

Chriſti Domini in nobis amor, ad eius memoriam condolentia, & ob ſcelera commiſſa columbinus planctus, ciuilium etiam morum firmamenta.

CVm ad præclara multa virtutum officia, in Chriſtum pie credentes, præ omnibus alijs hominibus commodè inſtituimur, tum maximè ad Dei amorem, mutuam cum alijs beneuolentiam, erga illos miſericordiam, demum ſummam quandam cordis teneritudinem informamur. quæ in nobis ex ſententia noſtri dogmatis adeo conſpicua fuere, vti nonnulli ex veteribus auſi affirmare, nos hinc ad omne robur martium ac maſculum penitus eneruari: ad nihil quippe aliud idoneos, quam vt muliebriter amemus, vt lugeamus, vt aliorum malis impotenter indoleamus. Cæterum

Tertull. Apol. cap. 5. Prud Pſych.

quod ad animi conſtantiam attinet ac virilitatem, falluntur prorſus, qui eam Chriſti fidem expugnaſſe aut extenuaſſe aſſerunt. quod etiam, quantum ad vim charitatis hinc a Deo incarnato ad conciues deriuandam, definiunt, in eo pariter hallucinantur. etenim ratio ipſa dicet, præcipuos neruos vitæ ciuilis in charitate, humanitate ac beneuolentia reperiri: proinde

Heſiod. li. 1 dier. & oper.

ſi iſtis excellimus in Chriſtum credentes, profecto eiuſdem omnibus alijs ciuiliores renunciamur. Itaque ſicut in Deo poſuimus Duo principia noſtri amoris erga ipſum, nempe eius innatam perfectionem, ſimul ac voluntatem, qua nos beneficijs accumulauit: ſic vt in Chriſtum Dominum charitate accendamur, primo amabilitas perſonæ ipſius, qua Deus & homo, deinde eiuſdem in nos extremus amor, diuerſis effectibus conteſtatus, accuratius paulo conſideranda.

2 Amoris qualitas ex gradu pendet illius perfectionis, quæ in obiecto amato ac cognito reperitur. Proinde, vt ait *S. Auguſtinus*, plus diligimus aurum quam argentum: plus gemmam quam aurum: plus cœli lumen quam gemmam. Cum ergo perſona Chriſti Domini ſupremam excellentiam in ſe contineat, ſimulque veluti cœli lumen, aut quodlibet nobis charum, ſuo ſplendore excedat, conſequens omnino illum noſtræ charitatis primum ac præcipium eſſe illectamentum ac fomentum: in illa etenim amantes admiramur arcam promiſſionis intus & exterius auro puriſſimo delibutam: animam ſcilicet & corpus eius, vt ait *Theodoretus*, auro diuinitatis inſignitã & ſanctificatã. amarunt olim Iudæi thuribulum aureum, totum plenum per typum igne diuinæ naturæ. amarunt diuinitatem hanc in ſpecie humana vſque ad terrorem, & horrorem, ab Angelis alis caput & pedes eius velante ac clamante: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, incuſſum, vt notauit *S. Chryſoſtomus*. Cuius tamen formæ ratione, vt loquitur *S. Paulus*, Chriſtus ſeſe exinaniuit: nempe, vt interpretatur *S. Cyrillus Alexandrinus*, *quod ſepoſito interim ſuæ maieſtatis honore, humanum corpus induit.* in hac

Auguſt. ſer. 52. de temp.
Exod. 25.
Theod. dial Inconfuſ.
Exod. 25.
Iſa. 6.
Chryſoſ hõ in 6. cap. Iſa
Cyril Reip. de fid,

vmbra corporis & animæ, lumen diuinæ naturæ, vt ſolem nubis obiectu temperatum incundè & amanter ſimul contemplamur : in qua non merum Deum, quod quondam exbortuit

Exod.20.

populus hebræus, ſed Moyſen, ſeu hominem, adeoque fratrem nobis loquentem audimus. Ferri candentis ardoresextinguit aqua, pariter

Damaſ.li,1. cap 4.

in Chriſto diuinitatis igneam vim, caro ex puriſſimis Virginis ſanguinibus concreta, quodammodo pro nobis remiſit. quam illa perſona amabilis, quæ Deus, quæ ipſa deitate vncta, innocua, ſanctificata, quæ ipſummet ſupremum dignitatis faſtigium!

3. Et quemadmodum naturæ humanæ in Chriſto acceſſu, ipſa diuinitas, tanquam per materna vbera, ad nos inclinatior, nuſtris viribus accommodatior, & amabilior euaſit, ita eadem natura bumana ad vnionem perſonalem cum diuinitate ſublimata, inde nobis apparet ſupra omnem gemmam amabiliſſima, ſupra

Damaſ.li.3. cap.3.

omne creatum altiſſima bæc natura, qua nobis ſimilis, diuinitate ipſa, vt diſſerit *S. Damaſcenus*, vncta eniteſcit. *Ipſa etenim ſeipſum vnxit, corpus videlicet diuinitate vngens.* quantum decus naturæ bumanæ, animæ & corpori Chriſti, ex hoc oleo accreuit! quid ad hoc gemmæ, flores, diademata, eruditio, ſapientia, nobilitas, imo vel ipſa virtus, sut quæuis alia gratia : quod triſagio Angeli celebratunt clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: nempe invocantes & bonorantes ſanctum in Chriſto corpus, ſanctam animam, & ſanctam diuinitatem! Olim ſanctum templum, templi vniuerſa ſupellex ſancta, omnia amabilia, terribilia licet, quæ a vulgaribus ne tangi quidem poterant. at quid bæc ad Chriſti ſanctitatem ipſa diuinitate conſtantem, qua filius Dei non adoptiuus, ſed naturalis ac ſubſtātialis : cui nihilominus decori eſt, & nobis amori, quod a nobis interim familiarius videatur, tangatur, commedatur, ac in viſceribus noſtris, vt cibus ac potus recondatur? *Filius Dei,*

Auguſt ſer. 13. de natal. Heb.1.

inquit *S. Auguſtinus, voluit hoc eſſe quod fecit.* quo, vt affirmat *S. Paulus*, natura bumana ſtatum Angelorum exceſſit : *Cum ille natura Dominus, illi ſerui*, vt dicit *S. Cyrillus*. Anima idcirco Chriſti

Cyril.l.8. Theſ.cap. 3

Domini hoc pacto ſuper menſuram ſancta, inde vltra modum nobis amabilis & honorabilis comparuit. corpus itidem eius penitus incorruptibile factum oleo diuinitatis : *Propter inbabitans Dei verbum*, inquit *Damaſcenus*, *expers erat corrupsionis. plane totus delectabilis, denique totus Vnctus*, vt loquitur *S. Bernardus*. Chriſti quidem

Damaſ li.3. cap.46.
Bernard. ſerm 4. de Vigil.

humanitas dulce bominum illectamentum, quod eos ad latentem faoum dininitatis attrahit. Egregia forma eſt, ſeu ſpeculum pulcherrimum, in quibus Deum contemplentur. thronus precioſus, ſeu tholus, in quo reſidentem diuinitatem adorent. ex quo liquet, Chriſtianorum affectus ad Chriſtum bominem delatos in eo ac per illum ad Deum ipſum excellentius quam aliorum, peruadere. ob quam cauſam cū Etbnici incuſarent Chriſti cultores & amatores, perinde ac ſi in bominis alicuius cultu toti interius occuparentur, ita eis reſpondit *Tertul*:

Tertul, Ap. cap.22.

Dicimus & palam dicimus, & vobis torquentibus lacerati, & cruenti, vociferamur, Deum colimus per Chriſtum illum bominem, putate per eum & in eo cognoſci vult Deus & coli.

4. Quod ſi iam a perſona Chriſti contemplanda, ad eius actiones & opera digreſſi fuerimus, bone Deus, quæ paſcua, quos hortos,

Ioan.10.

quas ſiluas aromaticas, quæ illectamenta amoris vndiquaque comperiemus! non ſolum vt lilium, vt agnus immaculatus innocentia pro nobis incanduit, verum vt roſa omni charitatis feruore ante oculos noſtros erubuit. quid ſibi aliud propoſuit agendu, viuendo, dormiendo, loquendo, diſcurrendo, patiendo ac moriendo, quam vt nos, veluti porrecta eſca dulcedinis, ad ipſum Deum, ex aquis vitæ iſtius eductos, excitaret, vt tanquam accenſa tæda, ſui fluxu ac damno, nobis ſoſpitalem lucem procuraret? quam amore pleni omnes eius ſermones, quam ſingula pedum ipſius veſtigia charitatis notas expreſſere dilucide! Cibus eius in nos amor, idem in ſo crux : ex amore vixit, & amor iſte

Ioan.4.

illi letbalis fuit : cibus, qui illi vitam daret, mortem intulit. Qui leo verus, cum eius vires ad noſtram ſalutem reſtituendam maieſtatis poteſtate nō ſatis eſſēt idoneæ, agnus eſſe voluit,

Anſelm.lib. cur D. [illegible]

qui iniurias, qui flagella, opprobria & mortē ipſam patiendo, eam nobis procuraret. Quid in hoc noſtro Deo, ſiue actionis, ſiue perpeſſionis, quod non ſumme roſeum & amabile? Si proſpera fortuna excepti, bunc habemus moderatorem, ne nauis noſtra fluitando obruatur : Si aduerſis afflicti, hunc viciſſim vel ad mortem, quam ipſe paſſus, conſolatorem, adiutorem, exemplum retinemus, & ex eius patina morientes comedimus agnum paſchalem cum lactucis agreſtibus, quem ille comedit. *Siquidem cum nomino Ieſum*, ait *S. Bernardus*, *bominem mibi propono mitem & bumilem corde, benignum, caſtum, miſericordem, & omni denique boneſtate & ſanctitate conſpicuum : eundem ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet & roboret adiutorio.*

Exod.12. Math.20. Bernard. ſerm.15. Super Cant.

Vel inuidioſi Iudæorum oculi inuenire non

Ioan.8.

potuerint vel vnam maculam in iſto ſpeculo puritatis, in hoc diuinitatis candore, adeoque neu per opprobrium quid tale commentari.

5. Iam ſub forma cuiuſdam epilogi recolligamus animis ſumma & innumera illa beneficia quæ in nos contulit, ac videbimus, nihil ad amorem ardentius cogitari poſſe. Etenim vt Cbriſtus Dominus perfectiori modo in ſe continet diuinam naturam, quæ tota bona, benefica ac ſuauis, quam aliquid aliud infra Deum, conſequens, ipſum ſuapte vi ſumme bonum, pariter ſumme eſſe beneficum, ſuauem ac amabilem. *Cumque*, vt diſſerit *Marcilius*, *nibil res omnes velint ſuapte natura niſi bonū, nullius imperium magis voluntarium & clementius & ſuauius eſt, quā boni.* Hæc vero omnia *S. Auguſtin.* ad duo redigit, redemptionem videlicet, & ad exemplum. Redemptionis primum effectum voluit Cbriſtus condignam ſuam eſſe pro genere humano ſatiſfactionem. in cuius valore, Deo, exhibito, ſufficiens gratia ad cunctos continebatur, iuxta ac omnis gratia efficax, qua aliqui ſaluantur. ex quo, etiam gratiæ ipſius, & virtutis dignitates cognoſcimus, quæ tanto precio Chriſto Reparatori conſtitere, & a tali fonte profluxere. Deinde ab

Marcil. in 8 cap Dionyſ. de diuin. Nom.
S Auguſtin. ſerm.19. de Temp. S. Thom. 3.p q 1. art.1
lib.4. cont. Gent. ca.56
Euſeb. lib.2 de Præpar. Euangel.

inde ab eiuſdem merito ſeptem accepimus Sacramenta, pro omni ſtatu & occaſione vitæ ſpiritualis oportunè inſtituta. & interea diuiniſſimum illud ſacroſanctæ Euchariſtiæ epulum, quo nihil dulcius, nihil ſalubrius. quibus accedit tremendum Sacrificium corporis & ſanguinis ſui, propria quidem ſanctitate horrendum, pietate tamen ſibi inſita in nos melliſluum. Atque ad confirmandā eam rempublicam, quam ſemel condiderat, in pace ac veritatis incuſſa cognitione, Eccleſiam ſuam in eum finem ſancto Spiritu dotauit, vicinam & promptam effecit, vt cunctis magiſtra eſſet infallibilis morum ac doctrinæ. Denique, quo validius & confidentius ſpes noſtra in Dei bonitatem inſurgeret, ipſemet homo & frater ad dexteram Patris ſedere voluit, mediator noſter apud Deum, adeoque quinque vulneribus in cruce pro nobis acceptis conſignatus: quo, familiarius modo, quo amantius in illo, ac per eum, Deum orantes alloquimur, ab omni triſtitia ex quauis ærumna placidius ac ſuauius reſpiramus. Ad exemplum vero noſtrum referuntur omnia quæ geſſit, quæ paſſus. ipſe enim vt Magiſter voce & opere nos docuit, vt aquila ſuo volatu ad volandum ſuos pullos prouocauit, vt peritus artifex nos in artificio viuendi ac moriendi, lætandi ac dolendi, optimè expreſſis actionibus inſtruxit. in cuius exemplo hoc vnum particulare, quod eius virtute, ardua enamnum euaſere facilia, obſcura clara, amara ſuauiſſima. noſtri cauſa exemit api aculeum: lapidi duritiem, igni feruorem: aduerſitati nempe acerbitatem, martyriu horrorem, Dæmoni terrorem.

Math. 16. Ioan. 14. Exod. 19 luc 7.

6. Ex quibus certa fide agnitis, liquet, nullum vnquam extitiſſe genus hominum, hoc noſtro, quo ad ciuiles mores, accuratius compoſitum, aut in conciues tenerius diſpoſitum. Etenim ſiue Chriſti domini perſonam, ſiue operà eius, ſiue nobis ab ipſo collata beneficia penſemus, inueniemus, ipſum ſummum, ante omnes alios hominum amatorem ſupereſſe. Proinde illum amantes, vere φιλάνθρωπον noſtri generis amantem diligimus. Fieri ergo non poterit, quin noſtri amoris radius in illum incidens, inde reſiliat ad conciues & ad omnes, quos ipſe dilexit, quos ſuo ſanguine emit, ornauit, ditauit, expreſſe iuſtos & ſanctos exhibuit. Verum quidem, noſtrum radium ab eo repercuſſum non poſſe eo gradu in alios ſeruere, quo ipſius ſol in nos prius exarſit: non tamen propterea amori ac beneuolentiæ, vt admonet *S. Bernardus*, penitus ſuperſedendum. *Nam cum ſe totum effuderit in amorem, quantum eſt hoc ad illius fontis profluuium*? non eſt tamen relinquendum hoc officium, *Quia non valet quis ex aquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum ſole, charitate cum eo, qui charitas eſt*. Nihil aliud culmen illud diuinitatis ad infantilis corpuſculi condicionem abiecit, ipſum Deum ac hominem, ad labores, ſudores, contumelias, dolores, lacrymas, ſudores, crucis & mortis pœnas depreſſit, præter amorem in homines, quos iſtis medijs in libertatem, in ſalutem vendicauit. idcirco amore in ipſum inflammatis diſplicere haud poterunt, qui ipſi placuere, in eos nociui eſſe non valent, in quos ipſe ſalutaris: quinimo ad eius exemplum, vel noſtris damnis ac laboribus eorum vtilitates eius amantes, efferemus. Cum ergo dilectioni Chriſti, Dei & hominis fuerimus aſſuefacti, inde vel natura hominis, in vniuerſum ſpectata, nobis amabilior fiet, quam Chriſtus Dominus in ſeipſo maxime amabilem redditam noſtris amoribus in fratribus ſuis vniuerſis, propoſuit, commendauit. Etenim gentilis errur, *Martem* fingendo a ciuibus amandū, eo ipſo in eius amorem, bellicoſos homines, illius falſi Numinis cultores, effecit. idem *Venerem* pari modo cultui ipſorum exponendo, facilitatem & calores mulieroſi amoris in eoſdem induxit. noſtra autem fides in Chriſtum delata, vt in hominem nos ardere facit, ita non niſi in hominem diuinum, ſanctum, iuſtum, & innocentem: quo in alijs hominibus, præter ipſam naturam humanam, virtutem, morum honeſtatem ac diuinæ gratiæ munera quoque diligeremus. Horremus hac ex parte ad memoriam Romanorū de quibus *Seneca: Homo, ſacra res, homo iam per luſum et iocum occiditur: & quem erudiri ad inferenda, accipiendaque vulnera, nefas erat, is iam nudus, inermiſque producitur, ſatiſque ſpectaculi in homine mors eſt.*

Bern. ſerm. 83. in cantic. Senec. ep. 95 ad lucil.

7. Ad hanc ipſam ciuilitatem, ac cordis amātis indolem, referendus amor dolore & compaſſione mixtus, quem Chriſto, a Iudæis & gentilibus afflicto, in cruce pendenti ac mortuo multifariam impendimus. Quatuor itaque amor noſter in eis, quæ Chriſtus paſſus meditando recolligit. ſcilicet qualis perſona, quam diuina, quam pura, quam ſancta, quam innocens, quæ in ſe admiſit hanc paſſionis indignitatem: deinde quæ mala paſſus: vtpote acerba, quæ omnibus ipſius ſenſibus infeſta, quæ honori eius ac famæ contraria, quæ vitæ ipſi funeſta, vt recte *S. Thomas* animaduertit. Tertio pro quibus tantam afflictionem ſubire voluit: poſtremo a quibus. Non eſt autem iam meum inſtitutum huc adducere omnes cauſas, ob quas merito Chriſtum in cruce mortuum amaremus, aut eius interitum deplangeremus, ſed ſolum oſtendere, quam ciuilis in vniuerſum ſit iſte ſenſus amoris & compaſſionis noſtræ in ipſum in cruce pro nobis morientem.

Bern. ſerm. de Paſſ. S. Thom. 3 part. q. 46. art. 5.

8. Hunc ſenſum, vel naturæ ipſi eſſe conuenientem, ſuppoſitione facta veritatis noſtræ fidei, videtur ex ſe ſatis manifeſtum. quis enim vel natura incitatrice recuſaret, tantum benfactorem, extremis ſuis malis, noſtram fœlicitatem comparantem, amare, aut non horret ad ſpectaculum ipſius in cruce patientis, in ſilicem indolentiæ durèſcere? Veteres, credentes *Adonidem* Deum ab apro interfectum, quotannis conuenere, & ſummis doloribus eius fatum deplanxerunt, vt narrat *Theocritus*. iuſta ergo cauſa ſubeſt mori Catholicorum, quo, vt notat *S. Epiphanius*, ſtatuto anni tempore ad hunc amorem, planctu temperatum ſe præcipue & ex inſtituto parant: quia vt ait *S. Auguſtinus, Gemunt in amore columbæ.*

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem

Theoc. edil. Hiere pi. 13 epipha. Hær. 70. 75. Bern. ſerm. de dom. Palm. Aug. Tract. 6 in Ioan. lact. carm. de Paſſ.

Ore

momenta ſint ad ciuilem vitam inſtituendum,
profectò planctus iſte & lamentatio eidem
multum proderunt. amamus iure Deum in hac
vmbra mortis pro nobis obitæ: appenſus ad
arborem crucis amoris crinibus inſtar *Abſolonis*,
2. Reg. 18. nobis pulcrior videtur. quocirca ex amore e-
rumpit dolor, quem gemitus emiſſi prodant
ac teſtantur. quo non ſolum omnia vitia, quæ
ciuilibus moribus poſſunt eſſe contraria, expu-
gnamus, verum etiam cum Chriſto mori &
illicitis rebus nuncium remittere vehementius
appetimus. Et noſter Phænix

Gaudetque mori feſtinus in ortum.
Claud. in Phœn. *Victuri cineres, nullo cogente, moueri*
Incipiunt, plumaque rudem veſtire fauillam.

12 Ex iſto amore erga Chriſtum & com-
paſſione redundat contritio, ſpiritus Chriſtia-
ni proprius effectus, ad emolliendum cor hu-
manum, & ad illud inducendum in omnia offi-
cia vrbanitatis efficaciſſimus. Contritio hæc
dolor eſt ob peccata commiſſa in quantum in
Deum offenſæ, & eius contraria bonitati. Pœ-
nitentiam, quæ ad peccati expiationem neceſ-
ſaria, duo perficiunt, vt definit S. *Auguſtinus*, *Odi-*
Aug. ſerm. 7 de Temp. *um peccati, & amor* Dei. Recedit ergo anima pec-
Chryſo. de cord. cōpu. catrix ab illis peccatis, quæ commiſit, dum ſen-
in pſal. 50. ſu pœnitudinis lancinata, doloroſè ea deteſta-
tur. Ecquis animi motus ſcelere contaminati
iſto melior, fructuoſior? Et quemadmodum
vitium illud eſt barbaricum, quod ciuili actio-
ni aduerſatur, ita contritio ſeu dolor, vitio
oppoſitus, decus & nitorem ciuilitatis repa-
rat:

Sen. Agam. *Quem pœnitet peccaſſe, pene eſt innocens.*

Non facilè is concedet in partes turpis volu-
ptatis, qui eius odio tactus, admiſſam ab illa la-
bem deplorat. nouit enim rectè quanta eius
deformitas, quam ingens ab illo piaculum: pro-
Eccl. 1. inde ad eius notionem amarius luget. qua in
re, qui addit ſcientiam, pariter addet doloris la-
borem. non eſt iſte dolor imbecillis alicuius ani-
mi cadentis elegiaca affectio, quæ leui mali
impreſſione excitetur, ſed potius magnū quod-
dam animi robur, contra omnem irrumpentem
vim iniquitatis inſurgens. amando ac dolendo
pugnat in eam anima, reſiſtit eidem, vincit eam
ac in illam triumphat. Imprimis illatum animæ
Hier. 2. ſceleris næuum, inſtar aceti vel attritus cuiuſ-
dam, expungit pœnitudo: cui nitrū aut quod-
vis aliud expurgatoriū, comparari non poteſt.
S. Thom. 3. p. q. 113. ar. 5 Voluntas idcirco humana dolore recedit a pec-
cato, vt docet Doctor Angelicus: qua ſapienter
cum ſerpente rugoſam & maculoſam pellem
exuit per anguſtū mœroris, in ſpatia ampliora
dilapſa: ſic autem dolendo ab eius labe ſe reci-
pit, vt eā eijciat & a tergo relinquat: excutit eo
laceras & impuras pennas aquila ſpiritualis, vt
nouis veſtita, in cœlū ac ſolem euolet fælicius.
Ephrem. li. de pœnitent. Quondam, vt ait S. *Ephrē*, ad peccata abolenda,
Dan. 9. vſui erant cinerū aſpergines: modo vero nobis
Pſalm. 101. adeſt in eum finem dolor; quo, tanquā cineres,
panes noſtros comedentes, expiamur, munda-
mur. Anima autē illa, quæ iſtius doloris expers,
tenaciter retinet peccata, quæ patrauit, nuda &
inermis in acie conſiſtit in ea pugnatura: riſus,
lætitia, ſecuritas in illa viam aperient omni ge-
neri flagitiorum. abſque hoc ſale, carnes animi
cito putreſcunt: & vbi pœnitudinis gemitus
non inueniuntur, ibi Spiritus ſanctus, cœli co-
lumba, quæ gemebunda, quæque nos gemere Rom. 8.
docet, vt loquitur S. *Auguſtinus*, longe aberit, nec Auguſtin. Tract. 6. in
vox eius in eiuſmodi terra audietur. Proinde Ioan. Cant. 2.
melius ex ſententia *Sapientis*, ire ad domum lu- Eccleſ. 7.
ctus, quam ad domum conuiuij. Neque tantum
ſenſus iſte doloris, a crimine inurbanitatis aut
vitij, voluntatem abducit, quin etiam inſtru-
menta tāti piaculi proſcribit, execratur, adeo-
que vel ipſam agendi libertatem, carnis ipſius
florē, & exultantes eius vires conterit, ſimul ac
quadam ſpirituali ſtrage ſalubriter deuaſtat.
Athenienſes, vt narrat *Plutarchus*, lege vetuerunt, Plutarch. in Agis.
quempiam ad ſacra celebranda baculum in po-
ſterum deferre, quod *Lycurgo*, inſigni viro, bacu-
lo oculus in quadam ſolemnitate excuſſus fue-
rat. Pari modo contritio ſeueras ſuas leges ha-
bet, quibus omnia, quantumuis chara, cum illo
baculo, & apri dentibus, qui *Adonidem* lacera- Theocrit. Idyl. A.
runt, interdicat, quæ vitijs opem tulere, ac illis
fuerint lenocinata. qualis hic nitor ac venuſtas,
tam ſacra, quam ciuilis, ab iſto cordium dolo-
re! *Occupata in luctu*, inquit S. *Chryſoſtomus*, *&* Chryſoſt. de cord. compunct.
lacrymis anima, erubeſcit peccare.

13 Porro, ſicuti diximus, præcipua quædam
ad ciuiles mores animi diſpoſitio in cordis
quadam teneritudine reperitur. at vero, vt a
ſilice vel pumice non fluunt aquæ, a magne-
te non prouenit mollis tractatio, ita neque a
corde fero ac barbaro dolor iſte exprimitur.
Indolem hanc ciuilem ſignificauit Deus apud
Hieremiam Prophetam: *Effunde ſicut aquam* Thren. 2.
cor tuum ante conſpectum Domini. Enimuero
inter volatilia nullum animal columba ci-
uilius, aut magis domeſticum: de qua ſic S.
Auguſtinus: *Nihil tam amicum gemitibus, quam* Auguſtin. in Pſalm. 54.
columba: diu noctuque gemit. Ductile ſane,
& ſubactum ingenium, quod coram Deo
procidit ſæpius ac plorat. Sicut è contra-
rio, accipitrum eſt tacere, ſanguinem medita- Pſalm. 94.
ri, & coruorum, incondito ſono crocitare.
Optandi idcirco oculi columbæ, qui ſimpli- Cant. 1.
ces, qui lacte puritatis loti, ac purgati ab æſtu
libidinis, qui lacrymis, gemitus teſtantibus,
familiares. *Mulier cum parit*, inquit Chriſtus Ioan. 16.
Dominus, *triſtitiam habet.* Etenim triſtitia
hæc effundentis ſe ad alios, non eſt ad ſe ad-
ſtricti aut ferrei alicuius: quales, teſte Apo-
ſtolo, ſunt inflati & ſuperbi, *Qui luctum non ha-*
bent, ſed potius mulierum: eorum ſcilicet, 2. Cor. 5.
quorum tenera præcordia ac ad dolendum
prona: & ideo nos triſtes comparauit mulie-
ribus, quibus partus inſtiterit. Ob hanc ipſam
cauſam pronunciauit S. *Iacobus*, propriam ſe-
dem iſtius mœroris eſſe cor miſerum. *Miſeri e-* Iacob. 3.
ſtote, & lugete. quod dixit, non ſolum quia is qui
luget, ſe Dei Miſericordia indigere ſignificat,
ſed quia a miſero corde, hoc eſt tenero & be-
nigno luctus procedit. ſicut ex aduerſo, cor im-
pœnitens durum eſt & inhumanum. Cum ad Rom. 2.
funus *Lazari* fleuiſſet Chriſtus Dominus, recte
intulere qui aderant: *Ecce quomodo amabat eum!* Luc. 19.

lacrymæ doloris ſcilicet fluunt a calido fonte amoris: qualis toni erga alios beneficus, erat cor S. *Pauli*, dicentis: *Per triennium nocte ac die* Act. 20. *non ceſſaui cum lacrymis monens vnumquemque veſtrum*. Genus hominum æneum, quod deſcribit *Heſiodus*, veluti illud Stoicorum, carebat omnino hac mollitie indolis. proinde, vt ipſe loquitur, ἀδάμαντος ἔχον κρατερόφρονα θυμόν Heſiod lib. r. oper. & Dier. animas ſortiebantur vt adamantes duras. & hos dicit ad infernum frigidos & ignobiles deſcendiſſe. hoc genus inſecutum, ait, aliud ferreum, homines nempe crudeles, impios, inhumanos, periuros, nulla quippe naturæ teneritudine ad ciuiles mores compoſitos: ideo *Deorum ad familiam abierunt, relictis hominibus, Pudor & Nemeſis*.

Quamobrem quod noſtra fides ad dolendum efficiat in nobis idoneum ingenium, conſequenter mites, benignos, clementes ac pios exhibet: quarum virtutum munera, ſumma ciuilis vitæ præſidia exiſtunt. & cum multa ſint, ex quorum calore molleſcamus, tum nihil æque ad hoc potens ac Deus ipſe, ex cuius amata bonitate, ſcelera in ipſum commiſſa deflemus, & exulceratis dolore animis acerbe deplangimus, quæ petulanter aliquando commiſimus. Eam iuſtitiæ partem, quæ Deum reſpicit, iſtis diſcuſſiſſe ſufficiat, modo ad alias, quæ conciues ſpectant, progrediendum.

CAPVT. XX.

Quibus legibus ac vinculis prima illa inter maritum & vxorem aſſociatio contineatur.

CVm matrimonium ciuili quodam contractu conſiſtet, in quo thori fidelitas ſpectatur, quod hæc fidelitas quædam ſit pars iuſtitiæ, ea de cauſa de illa modo diſſerendum. quatenus vero in eodem etiam ſpecies caſtimoniæ requirenda, de eadem poſtmodum, cum ad tractationem ciuilis temperantiæ deuentum fuerit, agendi locus dabitur opportunior.

2 Fidelitati & amori coniugali ſeruandis quod difficultates plurimæ obſiſtant, ideo e re ſacra ac ciuili fuerit, tam illam quam iſtum, certis modis ſtabilire ac firmare, ne eis læſis, in ipſis fundamentis ac initijs vita ciuilis penitus expugnetur. quæ autem in hoc genere infeſta, præcipue ad duo reuocari poſſunt: primo ad 1. Cor. 7. moleſtias, quas Apoſtolus *Tribulationes carnis* appellat, domeſtico conuictui opportunas: deinde ad irritatæ libidinis vagos excurſus, in quos nonnunquam proni coniugali etiam vinculo copulati; eoque propenſiores, quo diſtrictius ab eis coerciti, ac quo in vetitum ſolent Rom. 6. omnes eſſe incitatiores. Veteres itaque vt in matrimonium incidentibus malis ciuilius occurrerent, illud non tantum vt ciuilem contractum, commendarunt, ſed inſuper vt diuino quodam iure ſecratum, genij, adeoque Deorum ipſorum præſentia, honeſtatum, religionis cæremonia, & iuramento vtrimque confirmatum, propoſuerunt. incredibile ſane, quanto ſtudio laborarint, religione adhibita fidem datam inter coniugatos ſtabilire: recte, quippe nouerant, totius reipublicæ, ac ciuitatis pacem, animorumque inter ciues coniunctionem, ab huiuſmodi matrimoniali nexu, inuiolabiliter ſeruato, plurimum dependere. Ariſt. lib. 8. eth. cap. 12. Hinc *Ariſtoteles* ita pronunciat: *Homo coniugale magis, quam ciuile animal eſt*. nempe magis immediate natura humana tendit in matrimonium in familia, quam ad vitam ciuilem in ciuitate, *Quanto prior magiſque neceſſaria eſt familia, quam ciuitas, & filiorum quoque procreatio animalibus communior*. idcirco ſi primæ & originali mariti & vxoris in familia aſſociationi confirmandæ valde ſolicîti fuere veteres, mirum videri non debet. Vnde *Ariſtoteles* ipſe affirmat, matrimonium ad ius diuinum ſpectare, ac eodem muniri. *Quamobrem maritus*, inquit, *qui coniugalia officia erga prolem negligit*, Ariſt. lib. oe con. cap. 2. *Deos ipſos videtur negligere: propter Deos enim, quibus præſentibus ſacra fecit, & vxorem duxit, ac multo magis ſe poſt parentes vxori tradidit ad honorem*.

3 Cuius rei curam ſe habuiſſe oſtendit in principio rerum humanarum Dominus Deus, qui non ſolum ſuo proprio conſilio inſtituit Matrimonium inter *Adamum* & *Euam*, verum etiam ſua præſentia illius contractum nobilitauit. quocirca quod Matrimonium quid eſſet maius ac ſanctius mero contractu ciuili, idem non fiebat ſolo delectu ſeu conſenſu *Adami* & *Euæ*, quinimo interceſſit factum Dei adducentis *Euam* ad *Adamum*: *Et adduxit eam ad* Gen. 2. *Adam*. poſtea in vſum effectumque fertilitatis, eis benedictionem Deus impertiuit: qua non ſolum eos fertiles eſſe voluit, ſed in officio coniugali etiam ſanctos: *Benedixitque illis Deus:* Gen. 1. *& ait creſcite & multiplicamini*. Enimuero opus coniugij, ſi finem & effectum ſpectemus, nobiliſſimum naturæ inſtitutum: ac ideo minime ex bruta libidine a coniugibus fœdandum. Certe præclarum ac magnum, hominem ex ſe condere alium ad imaginem Dei creatum, & eodem Deum creantem hominem quodammodo imitari. qui certe Dei imaginem, humanæ animæ inditum, recte expenderit, is probe ſciet, quid ſit, illud corpus cōſtruere, quod talis animæ receptaculū, eoque quemdam Deum & orbis terræ Dominum condere. Neque hoc ſolū efficit humana generatio, verū etiam generanti acquirit Dominium in hominem a ſe generatum. propterea *Eua* edito in lucem *Cain* dicebat: *Poſſedi hominem per Deum:* Gen 4. quaſi diceret, Deum ſingulari ſua prouidentia præſtitiſſe, vt homo ad imaginem Dei creatus eſſet eius *verus* poſſeſſio, peculium, generationis titulo ei ſubiectum. Hoc ſane illo nobilius, quo aliqui gloriari, ſe poſſe Deum condere: id eſt genium oracularem alligare ligno, lapidi aut arbori, vnde talis materia pro Deo habeatur. nam non vitioſa ſuperſtitione, ſed naturæ recto opere generatur a parentibus humana proles, quæ Deus dici poterit: id eſt, vt ſit quaſi idem in terra quod Deus in cœlo, vt diſſerit *Gregor. Nazianſenus*. vlterius porro procedit Matrimonij vſus: nēpe ad prolis informationē

vt nempe

vt nempe opera parentũ euadat verus Dei cultor & leguin diuinarũ obſeruator. Cum itaque hæc relata ad Matrimonium, excelſa ſint, ſacra ſint & diuina, æquum omnino, in eius initiatione interueniſſe ſingularem Dei operam, ne exiſtimaremus illud ſolum naturæ officio aut humano iuri adſcribendum. Hoc viſus ſignificaſſe Chriſtus Dominus reſpiciens ad primam matrimonij inſtitutionem in Paradiſo, iſtis ver-
Math. 19. bis: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.*
Greg. Naz. Orat. 1. De Theol. 4 Dicamus iam aliquid de ſacris ritibus, quibus ſtuduere veteres fidelitati matrimoniali ciuiliter ſuccurrere ac conſulere. Dum itaque apud eos contractus iſte connubialis iniretur, interfuit ſuo munere ſacerdos, ſtatuta quadam cæremonia ſanctimoniam quandam illi adferens, ne ſuſpicio eſſet, commercium aliquod vulgaris iuſtitiæ inde tunc exerceri ſolummodo.

Claudian. *Illis connubium celebrat de more ſacerdos.*
Epigram. de magnet. Deos quoque tutelares ſeu Genios, *Iunonem* ac *Lucinam* ſacris connubialibus adſciuere,:
Dii coniugales, tuque genialis tori
Senec. in medea. *Lucina cuſtos.*

Illis acceſsit iuramentum vtrimque ſeruandæ fidelitatis. quodque hoc vinculum nuptiale non corpora ſolum, verum & bona externa ligaret, addita pecuniarum ſolutio ad formam emptionis, teſte *Boetio.*

Ouid. ep. Acontij. *Promiſit pater hanc, hæc adiurauit amanti.*
Boet. lib. 2. *Ille homines, hæc eſt teſtificata Deam.*
Top. *Teque ſibi generum Tethys emat omnibus vndis.*
Ouid. Frag. *Cum quo ſum pariter facta parente parens.*
Virgil 7. Æ. de quo ritu *Gellius, Briſſonius*, & alij fuſius agunt.
nead. Gell. lib 16 cap. 6 Briſſon. lib. de rit. nupt. Recte ideo adfirmauit *Modeſtinus*, nuptias humani, ſimul ac diuini iuris eſſe. Ex iſtis illi ijdem veteres, crimen adulterij atrocius eſſe reputarunt, atque iſtis nominibus acerbius adulteris cum *Phillide*, & aliis, exprobrarunt.

Ouid. Epiſt. Phil. *Iura fides vbi nunc, commiſſaque dextera dextra,*
Quæque erat in falſo plurimus ore Deus?

Similibus *Hypſipile* conqueſta de *Iaſonis* perfidia:

Ouid. epiſt. Hypſ. *Nunc vbi pacta fides, vbi connubialia iura,*
Faxque ſub arſuros dignior ire rogos?

Medæa hæ voces:
Non ego ſum furtim tibi cognita: pronuba Iuno
Adſuit, & ſertis tempora cinctus Hymen.

Antiquum, canit *Iuuenalis*,
Iuuel. lib. 2. Satyr. 3. ——— *Et vetus eſt, alienum poſthume lectum,*
Concutere, atque ſacri genium contemnere fulcri.

Quæ quidem opinio ſanctimoniæ in contractu connubiali, adeo Romæ inualuit, vti eo inuiolato perſiſtente, primis quingentis annis de matrimonio cautiones, actiones, vel controuer-
Gell. lib. 4. cap. 3. ſiæ non extiterint, vt *Gellius* teſtatur. Nemo ſane inficiari poterit, exiſtimationem hanc, ad iura diuina in matrimonijs celebrandis delatam, coniugatorum fidelitates plurimum ſtabiliuiſſe. quo enim nefandum duxere, in Deum in Genium, in religionem offendere, eodem toti abhorruerunt ab adulteriis, quorum piacula nouerant, ex libidine erumpentia, ad diuinorum iniurias euaſura. Cumque procliues ſint valde mortales in libidinem, qua in matrimonio data fides violetur, tum exiſtimarunt, nihil infra iura diuina & religionem ipſam, potuiſſe coniugatos continere in officio honoris, fidelitatis, amoris mutui, ac puritatis.

5 In eundem quoque finem, vnde connubium ſanctius redderetur, alias cæremonias vſurparunt. inter quas erat nuptæ velum, de quo alias; quod non modo pudori inſeruiret, ſed etiam quo ſignificatio daretur, formam ſoli marito ſeruandam, reliquis vero occultandam. Claudian. lib. 2. de Proſerpin. Martial. lib. 12.
Teſte *Plutarcho*, coniuges aquam & ignem tangebant: quo puritatem profeſsi, imitaturos ſe declararunt iſtorum duorum elementorum ingenia: ſcilicet proli gignendæ ſe operam daturos, non autem libidini ſatisfacturos. Plutarch. lib 4. Rom.

An quod in his vita cauſa eſt, hæc perdidit exul, Ouid. lib. 4. Faſtor.
His noua fit coniunx, hæc duo magna putant?

A nuptijs, ſtatim cum ad ſponſum deducta eſſet puella, lac & mel, papauere condita, vtrique guſtabant: quo futuram pacem, vitæ innocentiam, die noctuque ſeruandam fidelitatem, ſancte coniuges promittebant.

Ne pigeat tritum niueo cum lacte papauer
Sumere, & expreſsis mella liquata fauis.
Cum primum cupido Venus eſt deducta marito
Hac bibit, & ex illo tempore nupta fuit.

Ritus quoque alios cecinit *Claudianus*:
Ducit flamma choros, feſta frondentia myrto Claud Epig. de magnet.
Limina cinguntur, roſeiſque cubilia ſurgunt Lucan. l. 2
Floribus, & thalamos dotalis purpura velat.

6 Omnia hæc ciuiliter ſane a veteribus inſtituta & obſeruata quis non æſtimauerit, qui ingentia illa mala, quæ prouenire ſolent ex diſsidijs coniugatorum, ex eorum zelo ac perfidia, ſecum diligentius expenderit? horum enim obiectu permori fuere, tantis cladibus, in rem ciuilem intentis, matrimonij ſanctimoniam ac iura diuina opponere. Hanc ob cauſam in ſacris literis, quando Deus ſe in genus noſtrum Pſalm. 78 Iſa
valde infenſum declarauit, verba effudit iratus, 9. Ezech 36.
ſibi perſonam aſſumpſit alicuius zelotypi? quo Prouerb. 6.
nihil acrius, circumſpectius, vel vehementius: *Zelus & furor viri*, inquit Sapiens, *non parcet in die vindictæ.*

Nunquam meus ceſſabit, in pœnas furor, Senec. in med. Eurip med,
Creſcetque ſemper: quæ ferarum immanitas,
Quæ Scylla, quæ Charybdis, Ioniumque mare
Siculumque ſorbens, quæque anhelantem premens
Titana, tantis Æthna feruebit minis?
Non rapidus amnis, non procelloſum mare,
Pontuſque Coro ſæuus, aut vis ignium
Adiuta flatu poſsit inhibere impetum,
Iraſque noſtras: ſternam, & euertam omnia

Appoſite idcirco *Archita* Poeta:
Ζῆλος ἐστὶ μανίας μεῖζον κακόν.
Peior rabie zelus. Archit. Epigram.

Nulla ſane animorum exulceratio acerbior hac in familia, ex ſuſpicione violati thori, propagata: qua non ſolum domeſtici incenduntur, verum etiam ciues ipſi interdum acriter inter ſe digladiantur. & in huiuſmodi æſtu & furore animorum nihil ſupererit dulcedinis ciuilis, imo hoſtilitates vbique graſſantes, ac ſi in ferarum rabidas naturas ciues abiuiſſent, cuncta deuaſtabunt, vt Seneca, in Hipol.
bene *Seneca* adnotauit. *Quemadmodum* ait

Ariſt. lib. 1. Oecon. c. 2. Plut. lib. de præcep.

Ariſtoteles, dum concordes ſunt vir, & mulier, potentes fiunt, & inimicis ſpem auferunt, & amicis proſunt, ita e contra ſi diſſideant, amici quoque diſſidebunt, & infirmitatem ipſi ſentient maximam. Apes, vt narrat *Plutarchus*, conſortis vagam libidinem ad internecionem vſque perſequuntur. Ciuile idcirco inſtitutum omnino, curare, vt matrimonij fides illibata ac firma perſeueret, a qua reipublicæ etiam tranquillitas, ac in ea ciuium concordia, plurimum dependent. Aſtutum fuit quondam conſilium filiorum *Iacob*, qui eo ipſo die adoriri ſtatuebant Chananæos, quo eos nouerant doloribus ex circumciſionis vulnere maxime affligi. ita plane animus erit externo hoſti in rempublicam aliquam inuadendi, quando ex zelotypia omnia in ea ardere & tumultuari intellexerunt. Neque fieri poteſt, vt Senatus, vt forum, vt curia, vt aula ciuili gaudeant fælicitate, ſi modo familiæ huiuſmodi zelo paſſim conflagrarint. *Horatius* inter alias cauſas ruinæ in republica Romana, aſſignat cõiugatorum infidos, incaſtoſque mores.

Gen. c. 34.

Hor. l. 3 od. 7.

Fœcunda culpa ſæcula nuptias
Primum inquinauere, & genus & domos:
Hoc fonte deriuata clades
In patriam populumque fluxit.

Poll. in Victor. Eut. lib. 9.

Scribunt *Trebellius, Pollio, & Eutropius*, occiſum Imperatorem, *Quod matrimoniis militum, & militarium, corrumpendis operam daret.*

7. Cæterum ad muniendum hanc fidem matrimonialem, quam *Lactantius Indiuiduam charitatem* appellat, apud nos Matrimonij Sacramentum præ omnibus alijs ſubſidijs paratiſſimum, efficaciſſimumque. Proinde quod in externa iſtius ritus forma ſignificatur, id vnionem animorum inter coniuges indicat, vt affirmant *Ambroſius & S. Thomas.* Vnionem autem hanc vt apud nos optime ratio Sacramenti in matrimoniũ refert, ita eandem pariter ſua energia, quam a Chriſti inſtitutione accepit, præſtat & efficit. Etenim niſi hæc interna vnio indiuiduæ charitatis acceſſerit, reliqua omnia parum habebunt ad eam retinendam firmitudinis. Hanc vero imprimis matrimonij ſacramentum teſtatur, quatenus ſymbolice repræſentat duplicem vnionem Chriſti cum Eccleſia: ſcilicet vnionem illius per copulam hypoſtaticam, vnionemq; per charitatis vinculum: & hinc ſonit, vnionem duplicem cerni & reperiri inter matrimonio coniunctos: vnam iure vſuque corporum, alteram fidelitate, ſeu indiuidua animorum charitate & iuſtitia, procurandam. Vnde iſte contractus, quo ad hãc vnionem, vt docet S. Doctor, *Humano & diuino iure regulatur & informatur:* & illam corporum & animorum, quod ad cohabitationem, prolis generationem, & educationem eiuſdem, vnio hæc ſacramentalis, ſiue ſpiritualis, de Chriſti inſtitutione cõſequitur. *Ad vnitatem commendandam, ait S. Ambroſius, vnitatis dedit exemplum.*

Lact. l. 3. diu. Inſt. cap. 24.

Amb. in ca. 5 ad epheſ. S. Thom. 3. p. q. 44. art. 1.

S. Thom. 3. p. q. 44. art. 3 art. 1.

Amb. in ca. 5 ad epheſ.

8 Euidens autem omnino, Sacramentum hoc magnam vim conferre ad proferenda bona, quæ a matrimonio expectãtur. iuuat enim plurimum ad compeſcendam libidinem, qua alioquin honorabilis ille ſtatus corrumpi poſſet. Exemplar enim eſt Chriſti Domini, qui Eccleſiæ vnitus, eam dilexit caſtiſſime ac fideliſſime neque vllam vnquam ſuæ huic cum illa vnioni intulit iniuriam. conducit porro eiuſdem ſanctitas ad adſeruandũ nexũ indiſſolubilis cõiunctionis, ad ideã ſimiliter chriſti indiſſolubiliter Eccleſiæ vniti. *Quamuis enim matrimonio*, vt ait catechiſmus Romanus, *quatenus eſt natura, cõueniat vt diſſolui nõ poſſit, tamẽ id maxime fit, quatenus eſt ſacramentum.* demũ ne tædiũ, & alia moleſtiarum genera, quæ ſtatum matrimonialem comitari aſſueuere, animis quietem in coniugatis eripiant, vitamque ſumma amaritudine inficiant, iſtis idcirco malis huius myſterij gratia Sacramentalis ſua dulcedine & zephyro, omnino ſalubriter occurrit. *Quare docendum eſt*, inquit idem catechiſmus, *huius Sacramenti gratia effici, vt vir & uxor mutua charitatis vinculo cõiuncti, alter in alterius beneuolẽtia conquieſcat, alienoſque & illicitos amores, & concubitus non quærat, ſed in omnibus ſit honorabile connubium, & torus immaculatus.* Poſtquam enim matrimonio coniuncti, ſui Sacramenti dignitatem perſpexerint ac ſanctimoniam, perinde ac ſi non ſolum perſonam Chriſti Domini, verum etiam eius ſanguinem, illud inſtituentem ac ſacrantem viderent, ſumma Religione tacti, a ſuo prothotypo vitæ diſſimilitudine, nempe iniuria aut libidine diſcedere, penitus abhorrebunt: planè auerſi ab eo omni facto, quod in vituperium tranſeat tanti cum myſterio beneficij. Enimuero ſi in vniuerſum alteri datam fidem fallere nefas, quid erit fidem Chriſti Sacramento deuotam, eiuſque ſanguine conſignatam, libidinando violare? ingens ſanè momentum ad ſanctos ac ciuiles mores ab hoc Sacramento pietatis ad coniugatos dimanat.

Cate. Rom. de Matrim. cap. 13.

Heb. 13.

7. Enimuero ex vna parte naturæ humanæ fragilitatem valde propenſam ad infringenda iura matrimonij, qua rixando, qua diſcedendo, quà adulterando, omnes animaduertimus. Ex altera liquet, quot mala ab iſtis deriuentur in rempublicam.

Nulla vis flammæ, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta cum coniux viduata tædis,
Ardet & odit.

Sen. medea

Neque ſegnior in viris ira, cum thori fidem perfidè concuſſam nouerint.

An ſi quis rapiat ſtabulis armenta recluſis,
Arma feras, rapta coniuge, lentus eris?

Ouid epiſt. Herm.

Idcirco opportunum remedium ciuibus meritò iudicetur ab hoc Sacramento, cuius aura libidines comprimantur, cuius imagine & ſpecie Chriſtum cum Eccleſia coniunctum repræſentante, & quaſi turturum connubium ob oculos ſtatuente, mores columbini, caſti ac fideles a coniugibus eiuſdem virtute ſuſcipiantur & excolentur: ne in hac re ad ciuilitatem tantopere ſpectante, vel ipſis Ethnicis inferiores videamur. Deus olim, cum in *Adamo*, poſt eius originale delictum, concupiſcentia efferbuiſſet, ad auram in paradiſo ambulabat: animaduerterat quippe, indigere modò genus humanum, neſcio quo æſtu incenſum, gratiæ ſuæ refrigerio. proinde coniugatis hanc auram Sacramenti eo ſymbolo quodam-

Gen. 3.

quodammodo pollicitus, quos nempe ſpinæ & tribuli laborum, magnique calores tam corporum quàm animorum manebant. Sine hac aura, abſque iſta nube, quam impotentes & impares ciues in iſto ipſorum itinere ac fornace, quo puri, quo a deuaſtatione integri ſeruentur? Quibus remedijs cum carerent inter reliquos populos, vxores apud Lacedæmones, ob earum impudentiam, pronunciauit *Ariſtoteles*, Lacedæmones vna ciuilitatis parte eodem caruiſſe. *Vt enim Domus*, ait, *pars ſunt vir & vxor, ita & ciuitatem bifariam diuidi cenſendum eſt, in virorum multitudinem ac mulierum. in quacumque republica male prouiſum eſt circa mulieres, in ea putandum eſt, medietatem ciuitatis eſſe neglectam.*

Ariſt. lib. 2. Rhetor. 2. Pol. cap. 7

9. Quando etiam libidini indulgent coniuges, non ſolum vim animi in ipſiſmet debilitant, quinimo luxuriæ mollitiem ad prolem vſque tranſmittunt. quæ quidem ingenij ad impuras voluptates diſſolutio, vt prudentiæ lumen, ita fortitudinis ignem in eis quoque extinguit. *Venus* vbique loci timida, & doloſa.

Horat. li. 3. od. 6.

Non his iuuentus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico,
Pyrrhumque, & ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum:
Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas, & ſeueræ
Matris ad arbitrium recisos
Portare fuſtes.

CAPVT. XXI.

De pietate Parentum in prolem, huius viciſſim in illos, ac ſummatim inter ſanguine coniunctos.

FAmiliatum quoddam pietatis ius ac peculiaris charitatis rationem, fuiſſe apud cunctas gentes ciuilioris vitæ nota celebres, omnino in comperto. Iudæi, populus deo impendiò gratus, familijs ſuis diſcreti ac numerati, vti conſtat tam ex veteri teſtamento quam Euangelio. Hinc apud Romanos conſpicuæ familiæ *Attia, Æmilia, Iulia, Marſia*, de quibus *Carolus Sigonius* aliqua diſſeruit. & ex huiuſmodi familijs, in vnum corpus harmonicum coeuntibus, conflatæ Gentes emanare ſolebant, vt *Feſtus* affirmauit. Has etiam Gentes, ſeu Nationes, ſic dictas a ratione natiuitatis, ab vna origine propagatas, familiarum licet multitudine diuerſas, peculiari tamen inter ſe officio amoris & obſeruantiæ deuinctas, perpetuò apud omnes extitiſſe, recenſet idem *Cicero*. *Homines Deorum agnitione, & Gentium tenentur.* In familijs verò, quarum ſtrictior coniunctio, ac in vno aliquo communi maior communicatio, vel natura inſtituente, hoc clarius apparuit. Etenim cum vis amoris oriatur a participatione in aliquo bono, in quo plures conueniunt, conſequens, familiares in vna eademque parentum radice, in eiuſdem veluti naturæ ac ſanguinis traduce, domus & hæreditatis iuribus eiſdem complexos ac coalitos, debere quò ad animorum affectus, corporumque officia, arctiſſima inter ſe mutuo copulari. Beſtiarum & volucrum eſt, fœtum abigere & penitus ignorare, poſteaquam adoleuerint; quod in hac re naturæ vim aſſequi non poſſint. homines autem, ratione pollentes, hoc vinculum propaginis ac communionis intelligentes, amore ſingulari in familares, in adfines ac Gentem ſuam merito ſemper afficiuntur. *S. Thomas* de hac re diſſerens, primo pronunciat, vi iuris diuini maximum eo amorem deberi ſanguine coniunctis, quo ſingularis eiſdem honor eodem iure attribuendus. & licet mentio in eo deſcripto iure fiat ſolummodo parentum, nihilominus omnibus affinibus honor certus, eius vi impendendus, eis maxime, cum quibus ob vnitatem ſanguinis, innoxie matrimonium iniri non poſſit: hoc enim ratione reuerentiæ, eis exhibendæ, diuino ſimul ac naturali iure interdicitur. Honor autem in idem obiectum tendit, in quod amor: nempe in excellentiam, in boni alicuius præſtantiam. Proinde ſi iure diuino parentes honorandi, pariter eodem amandi. Deinde idem Doctor cum aſſeruiſſet, amorem & charitatem fundari in communione alicuius boni, diſtinguit quantum ad amicitiam, tres ſpecies communionis: vnam quæ ſit communio eiuſdem naturæ & ſanguinis, qualis inter conſanguineos. alteram, quæ ſit communio eiuſdem ciuitatis, qualis inter ciues. poſtremam, quæ ſit communio in eodem ſtatu ac functione, qualis inter commilitones. Tandem concludit, has tres amicitias, quod ad gradum ac potioris prælationem, ſpectandas ex proprijs bonis cuiuſlibet: ita vt ſanguine coniuncti, quo ad bona naturæ & ſubſtantiæ ſint plus diligendi, conciues quo ad bona ciuitatis, & commilitones quo ad bona ipſius belli ſimiliter præferendi. Poſtea comparando coniunctionem affinium cum coniunctione conciuium & commilitonum, ita definit: *Coniunctio naturalis originis eſt prior & immobilior, quia eſt ſecundum id, quod pertinet ad ſubſtantiam: aliæ autem coniunctiones ſunt ſuperuenientes & remoueri poſſunt. & ideo amicitia conſanguineorum eſt ſtabilior.* In hoc officium humanitatis naturæ pronitatem ſignificauit *Ouidius* fingendo *Niobem* ob dolorem ex interitu ſex filiorum, in ſaxum obriguiſſe.

Nume. 1. Math. 1.
Sig. de Nom. Romanor.
Feſt. de tit. Rom.
Cic. lib. 1 de Nat. Deor.
Cic. li. 1. de legib.
Ariſt. 8. eth. cap. 11, 12.
S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 8
3. q. 54. art. 2.
Exod. 20.
S. Thom. 3. p. q. 54. art. 3
Ouid. lib. 9. Metamor.

2. E re auten ciuili eſſe huiuſmodi in familiarum & conſanguineorum agnationibus amicitiam, apertiſſime conſtat. nam cum peculiari ligamine & glutine naturæ inter ſe colligûtur, inde fiet, vt ſi quæ ſit in aliqua familia indoles ſpectabilis, aut notata virtus, vnitis viribus & facultatibus ſuis illam ad officia publica, aut ad executiones præclarorum conſiliorum, excitare & promouere valent, vnde bonum etiam commune ab eiſdem commode procuretur. Quid hoc ciuilius, vel ſanctius? Similiter ſi in nobili aliqua familia aliqui degeneres facti, turpiter & ignobiliter viuant, aderunt itidem cognati, qui varijs modis illum aut inflectant ad virtutem vel domi contineant, ne eius dedecora in aliorum ſcandala, & familiæ opprobium erumpant. Poſtremò cùm cognati huiuſmodi amicitia copulati fuerint, inde validiores fient, qui ſingulis illatas iniuriam aut contumelias de-

pellãt:& hoſtes inde cautiores euadũt, ne ipſorũ alicui noceant vel quò ad rem, vel quo ad honorem, poſteaquam viderint, ita inter ſe coniunctis viribus copulatos. Præſertim optimum hoc remedium in republica ad tyrãnidem comprimendam. Quid enim non audebit tyrannus in diſſolutas familias, multò magis in earum particulares perſonas, cum perceperit, eas nulla communi amicitia inter ſe deuinciri? abſtinebit autem ab iniuria, animaduertens, vnius iniuſtum damnum, omnium odijs & vindictis illico exponendum. Nihil tam ad ruinam alicuius gentis facit, quam inter cognatos diſcordia, & ille furor, quẽ eiuſmodi diſcordia excitarit.

Fratrem expaueſcat frater, & natum parens,
Senec. Thyeſt.
Natuſque patrem, liberi pereant male,
Peius tamen naſcantur. immineat viro
Infeſta coniunx. Nullus ſanè iratus, aut a *Megæra* infeſſus *Tantalus*, iſtis truculentiora expetit, quibus familiam aliquam diſperdat.

3. Inſpiciamus modò naturæ progreſſus in hanc pietatem. *Ariſtoteles* de hac re diſſerens, caufas diſquirit mutui amoris inter parentes & liberos: ac dicit, in parentibus oriri amorem in liberos, quòd ſint ipſi principia ortus in illis, ac quod eiſdem repræſentati, quodammodo in eis viuant ac perennent. rurſus ait, liberos diligere parentes, quò animaduertunt liberi, ſe Parentum eſſe effectus, & veluti deciſas ab eis particulas. notat autem, amorem inter hos deſcendentem, fortiorem eſſe aſcendente: ſcilicet parentes plus amare prolem, quàm hanc illos: propterea quod ille amor in parentibus a nobiliori fonte, nempe cauſa ſeu principio fluat, iſte in liberis a minus digno initio, nempe dependẽtia effectus ad parentes tanquam cauſas remigret: quod etiam *S. Thomas* diſertè explicauit. *Parentes igitur filios, ait Ariſtoteles, diligunt, quaſi ſeipſos. qui enim ex ipſis oriuntur, ſunt quaſi alteri ipſi, dum ſeparati ſunt. Filii autem parentes, vt ab illis producti.* Amore quidem iſto, naturæ ordine prior amor coniugalis: qui a nulla re, præterquam a bono fine, vtpote propagandæ ſobolis gratia, vagum concubitum vitandi, ciuilitatem ac genus humanum conſeruandi, ac ſimilibus, oriri debet. Nam voluptas vt eſt ex ſe res impura, ignobilis, & multis malis immixta, ita variabilis, mutationi identidem obnoxia: & ea cauſa ex ſe ſtabilire non poterit amorem connubialem. ad quem non tenuis aliquis affectus requiritur, ſed ingens & planè accenſus: proinde talis, qui ab optimo, pulcherrimo & amabili fine, honeſto videlicet, propagetur. Quod cum verum ſit, dare operam debet maritus, vt in virtute ipſe excellat, & vt vxori ſit ipſe a Deo data regula viuendi, quam ea imitetur, vt aduertit *Ariſtoteles*. Cumque ſit idem maritus in familia princeps, viribus ac ſapientia potens, eius fuerit, familiarium regimine procurare omnia neceſſaria ad conuictũ domeſticum. Secum etiam cogitans fæminei ſexus imbecillitatem, non ſolum amare debet vxorem, vt vnam cum ipſo carnem, ſed tanquam vitæ ſociam colere, amanter & benignè tractare: nullo verò modo acerbitate ad animi impotentiam, ad mœrorem, aut odium exſtimulare. Diligunt prolem maritus & vxor, quòd ab eis ea deſcenderit: at ſeſe mutuò adiuuant quod vna caro, & præclarũ, in domo, vt notat *S. Ambroſius*, vnitatis exemplum. *Viro autem & vxori,* inquit *Ariſtoteles*, *amicitia eſſe natura videtur.* ac præter vnitatem quandam corporum, affirmat, coniuges inſuper in ipſa prole habere vinculum, in quo conueniunt & inter ſe vniuntur. Officia vtriuſque alia & alia licet, relata tamen omnia inueniuntur ad commune bonum familiæ: propterea eorum amicitiæ ineſt vtilitas cum iucunditate. Prolem informare vtrique debent ad virtutem & eruditionem. in qua quod primò regnent motus appetitus concupiſcibilis, ideo diſciplina eam coercere oportet, ne in ſtultitiam & brutos mores demum tranſeat. Quocirca cauere parentibus incumbit, ne ſuis vitijs dent mala exempla liberis. Hinc enim non tantum liberos depravant, verum inſuper, vt ait *Ariſtoteles*, eis contemptibiles tandem ipſi euadunt, eorum etiam ope poſtea cariturí, cum ſenuerint. *Laus enim Domini*, vt loquitur *S. Ambroſius*, *vbi munda poſſeſſio, & innocens familia diſciplina.* Meo quidem iudicio prudens omnino. conſilium *Ciceronis*, affirmantis, originem famæ & exiſtimationis publicæ, ſpectandam veluti in fonte in hac cura & adminiſtratione domeſtica. etenim non eſt exiſtimandum, inter priuatos parietes geſta aliorum notitiam ſemper cælanda: quinimo quoquo modo erumpent aliquando, & eorum fama ad aures aliorum perueniet, ſiue è decore fuerint, ſiue dedecore.

Cum autem quis ex familiæ ſuæ adminiſtratione externo rumore celebris euaſerit, aptior iudicabitur a ciuibus, cui magiſtratus munus deferatur. ideo pronunciauit S. Apoſtolus, eum Epiſcopali officio ineptum, qui propriam familiam non benè gubernauerit. imo aſſerit, patrem familias ſuos negligentem, fidem negaſſe, & eſſe infideli deteriorem: nempe quod contra fidei præſcriptum, ſe erga domeſticos negligenter gerat. & cum inter parentes ac filios maxima intercedat domeſtici iuris neceſſitudo, idcirco ab hac parte adminiſtrationis & officij plurimum fama dependet. *Quid autem*, inquit *S. Auguſtinus, tam cui domeſticum, quam parentes filiis, aut parentibus filij?* De *Caſare* hæc *Xiphilinus*: *Cum autem de ornatu mulierum & virorum continentia præcepta dare conaretur, irriſus eſt, quod propter ea, quæ domi ſuæ fiebant, non haberet loquendi libertatem.*

4. Viciſſim ductu ipſius naturæ filij amorem & cultum parentibus exhibent: nam effectibus in vniuerſum inſitum, vt notat *Ariſtoteles*, quodammodo recurrere in ſua principia, a quibus manarunt. æqualem autem gratiam eis rependere nequit proles, quandoquidem totum quod eſt, ac ipſam gratificandi poteſtatem ab eis, vt Dei vicariis, iuxta *Platonem*, acceperit. *Et hanc* inquit *Seneca, ipſam dandi facultatem patri debent.* Quamobrem qui vim principij in parentibus, filij in aliqua ciuitate negligunt, eo diſponuntur, vt ingrati ſint eis in vniuerſum a quibus beneficia accepere, adeoque, Dei ipſius parum curantes, licet ab eo omnia mutuati fuerint, illa naturali pietate ſemel excuſſa, quam

filij

Ariſt. 8. Ethic. cap. 12.

S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 9. lect. in ca.

Ariſt. 3. part. q. 54 art. 3.

Ariſt. lib. 2. œcon. ca. 2.

Math. 19.

Ambroſ. in cap. 5. ad Epheſ.

Ariſt. lib. 8. Eth. cap 12.

Ambroſ. lib. 1. off. cap. 50.

Cicer. orat. de Conſul. peten.

1. Tim. 3.

Auguſtin. Tract. 190. in Ioan.

Xiphil. Epit. Cæſar.

Ariſt. lib. moral. cap. 8.

Plat. in Menech. Senec. lib. de benef. cap. 28.

filij parentibus debent, in eiſdem cordis & animi ſenſus quodammodo indureſcunt, vti in nullos plane, nedum in Principem, in ſuperiores, aut Eccleſiam Dei vlla teneritudine obſeruantiæ afficiantur. Contra verò ſemel emolliti officio amoris & reuerentiæ erga parentes, id domi addiſcunt & exercent, quod illos foras nominibus beneuolentiæ, iuſtitiæ & amicitiæ commendabit. ſicut enim Ciuitates a priuatis domibus fluxere, ita mores domeſtici, ciuilitatis publica conſilia & neceſſitudines proferunt. Prima itaque & originalis inſtitutio ciuilitatis oritur ex eis actionibus, quas filij parentibus exhibere tenentur. Ac licet quod ad multa virtutum munera, noſtræ naturæ corruptio obſiſtat in nobis ſtudijs earum, nihilominus vel ipſa hæc natura valde prona eſt & incenſa in pietatem erga parentes: eoque paratiores nos reddit ad omnes functiones iuſtitiæ. Similiter inter ſe fratres conuenire decet, quos natura parentum & ſanguinis nexu arctiſſimè copulauit. quibus cauendum ab omni iniuria: cum vt ex *Euripide* notat *Plutarchus*, ſæuiſſima ſit fratrum diſcordia. Etenim a quibus maiorem iure nobis debitam expectamus beneuolentiam, in eiſdem contrarium odium, tetrius ac deteſtabilius ducimus. ob quam cauſam fratrum iniuriæ, partim quòd amori expectato aduerſentur, partim quòd in ea æqualitate, quam natura inter eos conſtituit, differentiam ponere conentur, rabidiſſima ſolent eſſe ad iram & vindictam incitamenta: in quibus non ſolum inuenitur ſenſus commotus & iratus, ſed æmulatio quoque, quæ inimicitiæ certa ſpecies, incitatiſſima ad contumeliam & omne genus offenſionis. Et propter hoc affirmat *Plutarchus*, inter fratres diſſentiones ſemel excitatas ægrè reparabiles. quod, eas cum alijs comparans, illuſtrat exemplo duarum tabularum in partes diuulſarum: quarum vna ex ipſo continuo & ſolido, altera ſolum ſecretione partium glutine copulatarum diſiungatur. vt enim illius partes difficilius vnione redintegrantur, iſtius verò facilius, ita inter fratres, naturæ quadam violatione inuicem ſeparatos, operoſior reditus ad natiuum amorem & amicitiam, quam inter alios.

Ariſt. lib. 2. Pol.

Plut. lib. de amor. fraterno.

Senec. Thyeſt.

Hac ipſa pollens inclyti Pelopis Domus
Ruat, vel in me, dummodo in fratrem ruat.

Cicer. in Bruto.

5\. Ciuilis itaque hæc inter conſanguineos pietas, eademque apud omnes gentes in more poſita. *Funebres orationes*, inquit Cicero, *ipſa familia quaſi ornamenta ſeruabunt ad vſum, ſi quis eiuſdem generis occiderit*. & alibi: *Quæ in familia laus aliqua floruerit, hanc fermè qui ſunt eius ſtirpis cupidiſſimè proſequuntur*. Hinc *Plato* in ſua ciuitate requirit, vt ſuperſtites cognatorum anniuerſaria funera celebrent, & elogijs eadem Religioſè quotannis nobilitent.

Cicer. pro Rabirio.

Plat. dial. 4. de legib.

6\. Cæterum, vt bene *Plutarchus* monet, in hac amicitia familiari aut domeſtica, non eſt expectandum integrum illud bonum ac dulce, quod ad praxim, quod quis deſideraret, ob vim nempe humanæ fragilitatis in iſtis, ſicut & in alijs intercedentis. *Neque enim cognationem, neque ſodalitatem, neque amores ſinceros, inuenire licet puros a vitio*. Plerumque parentes ſolent eſſe in filios indulgentiores, quàm par eſt, eorum ſeueriorem correptionem omittentes, quod *Homerus* ingenioſe ſignificauit: has voces *Ioui Martem* filium alloquenti adſcribens: *Iam dudum te fulmine contriuiſſem, niſi quod filius meus cum eſſes, te amarem*. quo nomine accuſatus *Seuerus* Imp. quod, vt ſcribit *Xiphilinus*, ei filij chariores ciuibus eſſent. Sic etiam fratres, lucri expectatione ineſcati, aut excellentiæ alicuius nimis cupidi, amorem ſuum vel inficiunt ſæpius, vel plurès corrũpunt. quocirca optima Regula ad componendum mores inter conſanguineos, ex ratione boni communis decernenda: boni dico communis, tam ipſius familiæ, quàm ciuitatis. Hoc S. *Auguſtinus* iſtis expreſſit. *Quia igitur hominis domus initium ſeu particula debet eſſe ciuitatis; omne autem initium ad aliquem finem ſui generis, & omnis pars ad vniuerſi, cuius pars eſt, integritatem refertur; ſatis apparet eſſe conſequens, vt ad pacem ciuium pax domeſtica referatur: id eſt, vt ordinata imperandi, obediendique concordia cohabitantium referantur ad ordinatam imperandi obediendique concordiam ciuium*. Eſt itaque officium, quod patriæ debemus, regula domeſticæ aut gentiliciæ pietatis & obſeruantiæ, ſicut & huius illud, quod Deo exhibendum, vt idem S. *Auguſtinus* admonuit: *Maior ſit patria & ipſis parentibus tuis: vt quicquid ipſi ſuaſerint parentes contra patriam non audiatur: & quicquid ſuaſerit patria contra Deum non audiatur*.

Xiphil. in Seuer.

Auguſtin. lib. 19 ciuit. Dei capit.

Auguſtin. Serm. 6 de ver. dom.

7\. Quod verò huic concordiæ maximè infeſtum, id in nimio ſui amore reperitur, nihil enim naturæ lege tam ſanctum, aut nobis coniunctum, quod amor iſte interdum non prophanet ac diſſoluat. Qui cum caſtigatus fuerit certa quadam veri intelligentia, ſubinde in nobis affectus ac voluntates in eos, qui nos ſanguine attingunt, erunt propenſiſſimæ. Sit ergò nobis magnum decus, a claris ex virtute parentibus ortos, cum talibus iure ſanguinis in familia aut gente copulari. proponamus nos id effecturos noſtris officijs erga cognatos, vt euadant egregia membra reipublicæ & a nobis cum inſtituantur, tum exornentur. Ob quam cauſam infideles, quod dixit *S. Paulus* Apoſtolus, ſui amore ab omni moderatione ſenſus abrepti, barbariem induxere: quippe *Parentibus non obedientes, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia*. Chriſtus Dominus nobis in iſtis egregium ciuilitatis dedit exemplum. cum enim communem cum nobis naturam eſſet ſortitus, ad id ſignificandum, ac id identidem repetendum, ſeipſum nominans, ſæpius ſe vocauit *Filium hominis*, maternam proſapiam indicans, eaque delectatus: ac rarò ſe filium Dei nuncupauit. in vitæ porro decurſu parentibus obediens & ſubditus erat: ac in eius extremo valdè prouidus, qui S. *Ioannis* Euangeliſtæ miniſterio, ſanctiſſimæ Matris neceſſitatibus prouideretur. Humanitatis iſtius egregium typum prætulit *S. Ioſephus* non ſolum fratribus ſuis ignoſcens, verum etiam tenerrimo affectu & lacrymis illis indulgens, ac ipſis diſcedentibus præcipiens, dicendo, *Ne iraſcamini in via*. quod autem a domeſtica concordia ad ciuilem nexum

Rom. 1.

Math. 8 11. 16 20. 25. Marc 2. 10. Luc. 7. 9. 14. 20. 21. 1049. 12. 13 Luc a Ioan. vlt.

Gen. 45.

Plutarch lib. de fraterno Amor.

xũ progrodiatur inter ciues, inde de hoc modo tractaturi.

CAPVT. XXII.

Quo animi motu Ciues in Principem, & iſte in eos, afficiendi.

MVlta in hunc finem externa in varijs ciuitatibus conſtituta: nempe vt ciues obedientiæ officijs principibus ſuis morem gererent, viciſſim vt ipſi principes, ciuium curam in ſe ſuſcipientes, eorum publico bono ſcilicetè expreſſeque prouiderent. Cæterum externa hæc, ſiue a lege præcepta, ſiue ab eadem vetita, ſiue bonis in prœmium propoſita, ſeu malis in pœnam interminata, parum in vſum ciuilitatis huius proderunt, niſi internus animi amor vtrimque acceſſerit. Etenim quæ exterius ſonant, & in oculis ſunt, debito animi affectu abſente, priuatis voluptatibus ac commodis quod ſubiecta, ideo ex eorum momentis dumtaxat decernentur, neu quicquam virium habebunt, vltra quod illectamenta aut emolumenta forinſecus contulerint. Opus idcirco, ciues erga ſuos principes certa quadam interna beneuolentia ac fidelitate animi parari, adeoque principes in illos intima charitate ac benignitate inclinari. Quod cum difficile, peruerſo maximè hominum ingenio conſiderato, ſecum *David* Rex exiſtimauit, Deum colendum & inuocandum in hunc finem: *Qui* inquit *ſubdit populum* Pſalm. 143. *ſub me. Non ergo* ait. *Chryſoſtomus, in Regni poteſtate* Chriſoſt. in Pſal. 143. *ſitum eſt vt caſtra ſubyciantur, ſed in Dei auxilio. Multi quidem ſæpenumero trophæa in bellis erexerunt, in pace autem occiſi ſunt, & eorum, quibus præerant, habenas non rectè potuere moderari.*

Senec. Agã. *O Regnorum magnus fallax*
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelſa locat,
Nunquam placidam ſceptra quietem,
Certumue ſui tenuere diem.

Quocirca ipſa principum ac ſubditorum corda altius inſtruenda ac imbuenda docto iure ciuilitatis, obedientiæ ſcilicet & humanitatis diſciplinis, quibus in ſua officia inducantur. areſcit citò riuus, quem natiuus fons non alit: ita quod ab arte dumtaxat aut externa ſpecie, ſiue in ſubdito ſiue in principè, hac in re defluxerit, animis vtrimque interim nullo propoſito pietatis inſtructis, perennare haud vnquam poterit. Conſtituendum idcirco, vt hæc ciuilis amicitia exerceatur, commune aliquod bonum, vtpote virtutis & emolumenti, in quo tam principes quam ſubditi, conuenientes, mutuis officijs inter ſe eius cauſa deuinciantur. *In quibus enim*, ait Ariſt. 8. Ethic. cap. 11. *Ariſtoteles, principi & ſubdito commune nihil eſt, in eis neque amicitia eſt.* Hoc verò communi ſemel conſtituto, ad quod tam ſubditi quàm princeps ius habent, ita erga illud vtrique afficiendi, vt id præ alijs omnibus, & illius ergo, ſeſe mutuò ament. & dum hoc amore in vnum obiectum conſpirauerint, eodem, tanquam adamantino vinculo, animi ipſorum ſenſuſque erunt firmiſſimè copulati. Sin verò ab hoc communi bono ſubditi ſuis cupiditatibus, priuata proſequuti, tanquam lineæ a centro reuulſæ, receſſerint, ſi princeps itidem tyrannide adactus non tam ſubditorum commodum, quam ſuum, ſiue voluptatis, ſiue vtilitatis id fuerit, proſequatur, ſi vnam tantummodo reipublicæ partem, alia relicta, quod *Plato* vetuit, tueatur, illico, cum ſubditorum cætus, (qui & Argus quidam variò oculatus) hoc perceperint, officio principi debito deerunt. Cicer. lib. 1. Offi. Neque mirum, ſi tunc torrens rupto agere vndiquaque effluat, ſi fornax apertus liberius exhalet, ſi excuſſo fræno equus petulantius ferociat, ſi violato fornice, lapides fuſius excidant, ſi exciſo ciuilitatis veluti cingulo, partes ciuitatis in factiones ſparſim diſſoluantur.

2. Tria autem ſuo principi, ex animi ſententia, affectuſque intima virtute, præſtare oportet ſubditos: Honorem ſcilicet, amorem, & obſeruantiam ei exhibendo. Cum autem honor tam interius animo conceptus, quam corporis cultu, aut eiuſdem aliqua alia actione expreſſus, in vniuerſum excellentię debeatur, quod inſignem illius ſpeciē in principe ſuo ſubditi admirentur, illum meritò honore exornandum exiſtimabunt. Exiſtit autem in principe triplex excellentia: vna ſanguinis, altera auctoritatis, poſtrema virtutis. animaduertunt ſubditi, quantum ad ſanguinem, principem inter ſe eſſe veluti inter flores roſam, inter planetas ſolem, & inter homines quaſi quendam Deum. Certè illa ratio ſanguinis per tot egregios proauos decurrentis, quem nulla vitæ ſorditas vnquam infecit, nulla neceſſitas ad viles actiones depreſſit, ſed potius rebus altis continuo intentus, multorum populorum applauſu exceptus, ritè a ſubditis expenſa, haud exiguum incitamentum apud illos reperietur ad regem vel principem honorandum. Si nobilitas ex ſtemmate in vniuerſum momentum ſit ad honorem ab alijs cõſequendum, profectò illa prima ac Phœbæa, quæ in principe elucet, ad eundem ſibi vendicandum potentiſſima. Auctoritas autem in principe, Dei quoddam in terris ſimulacrum exprimit. Vt enim Deus ad omnia imperium ſuum extendit, omniumque commoda eodem procurat, ita princeps ſeipſo quaſi egreſſus, ſubditis dominio præeſt, & boni illorum communis curam inde in ſe ſuſcepit. Quæ quidem res omnino præclara: quam non ſolum commendat amplitudo quædam dominationis, ſed etiam bonitatis ac virtutis argumentum. dempta enim bonitate, ſui in alios effuſiua, ac virtute, talis bonitatis moderatrice, nulla ratio naturæ facto ſubeſſet, ob quam alicui imperium in alios ea demandaret. reddit itaque hæc poteſtas principes valdè ſuis ſubditis honorabiles. Virtus autem, quę in principe eſſe debet, vt poſtea oſtendetur, tanquam in communi fonte, cum ſumma, tum in alios copioſa, optimo iure vectigalium cultum promeretur. Sola etenim virtus honore digna: ac reliqua, quoto gradu ad eam referuntur. quæ in principe ad excellentiam conſpicua, illum eadem oſtendet, tanquam theatrum quoddam ac templum honoris, in quo ab alijs delati honores reſplendeant,

deant ac quodammodo triumphent. *Regem honorificate, Deum timete.*

Eccl. 1.

3 Quod autem principem ſuum amare debeant vectigales, id quidem multa ſuadent. Imprimis vident, magnam partem decoris ſuæ gentis in principe eſſe ſpectabilem. Quemadmodum ergo ſi ſtellis data eſſet intelligentia & voluntas, quibus poſſent ac vellent ſuum cælum commendare, & rebus inferioribus illud præferre, maxime profecto in enarranda dignitate ſolis occuparentur: ita ciuiles ſubditi ſuum principem tanquam ſolem habentes, quo decora ſibimetipſis acquirant, illum ex amore laudare, eiuſque honores tueri ſummopere oportebit. Cum porro ipſum principem ciues ad ſe relatum inſpexerint, vtpote cauſam omnis formæ, venuſtatis & vtilitatis in republica, iuſtiſſimas ſanè ſe habere cauſas animaduertent ad eum diligendum. *Si principes*, inquit *S. Chryſoſtomus*, *de ciuitatibus abſtuleris, feris irrationabilibus magis irrationabilem agemus vitam, inter nos mordentes, & nos deuorantes.* Depræhendent etiam ciues, principem penſum ſibi adſciuiſſe excellentis virtutis, & conſequenter ſe priuaſſe libertate ac voluptate in multis, quibus illi paſſim potiuntur: qui eis ſpoliatus, melius ſuis prodeſſe poſſet. Hoc eleganter expreſſere *Plato*, *Dion Nicetas*, & *S. Gregorius Nazianſenus* ſimilitudine naucleri. Sicut enim nauclerus vigilias agit, alijs vectoribus dormientibus, ſerio operi intentus, dum illi ludunt, ita princeps mille curis diſtrictus & negocijs implicatus, quando interim ſobditi quietam ſolutamque degunt vitam. Merito idcirco voluit *Auguſtus* Imperator vt occupationes ipſius a populo non amplius dicerentur *Sacræ*, aut *Diuinæ*, ſed *Laborioſæ*. *Homerus*, diutius mane dormientem *Agamemnonem* Regem, iſtis obiurgatum refert:

Chryſoſto, Hom. 34. ad Heb.

Plat. Dial. 4 Dion. de Regno. orat. 3 Greg. Na. Apol. 2.

Sueton. in Auguſto.

Homer. Iliad. 2.

Haud decet Heroem, cui gentis & vnica rerum
Cura ſubeſt, totam ſomno traducere noctem.

Quis non videt, ſubditos iſtis medijs principem in ſua bona incumbentem, & eorum cauſa inſtar ardentis tædæ quaſi defluentem, multum obligari ad illum amandum? Imo amabilis etiam eis dum punit, & malos caſtigat; quod etiam eodem naucleri exemplo manifeſtum. diligunt etenim nauclerum vectores, dum etiam quorundam priuatas merces, furente tempeſtate, proijcit in mare, eo quod eorum damnis omnium communem ſalutem a naufragio eo vendicet. pari modo amabilis princeps, dum in delinquentes ſeuerius agit, aut nimiam ſuorum fortunam coercet, hoc peragens, quo vniuerſale totius reipublicæ bonum a ruina ab ipſo ſalubriter defendatur.

4 Hinc eſt quod ciuium voluntates longe abeſſe debent a rebellione ac armis ſumendis in ſuum principem, promptæ vero ſn eius obſequium & obedientiam. Hoc naturæ lex omnino præſcribit, a qua imperium in alios dimanauit: idem ciuiles & diuinæ ſanctiones diſtricte mandant, a quibus eiuſmodi imperium confirmatur. nam ſi a Magiſtratuum deſcriptionibus plurima bona prouenian:, vt ait *Chryſoſtomus*, ad ciues, profecto illius expugnatio, in ipſo fonte & principio, aquam quaſi ac venam multiplicium, adeoque omnium vtilitatum in republica, extinguet. in Dei imaginem, *Titanum* inſtar, vt ait *Plato* apud *Ciceronem*, quam in ſe complectitur principis dignitas, ſeditionem ciere, adeoque, vt loquitur Apoſtolus, Dei ordinationi & gladio reſiſtere, ingens ſane auſus cuiuſdam intemperatiſſimi conſilij. Reputare idcirco Ciuem conuenit, principem ſuum parentem eſſe reipublicæ, Dei vicarium, & quaſi publicum ærarium, a quo ad alios vniuerſa ciuilis vitæ emolumenta proueniant: imo Chriſtum Domini, a quo olei copia ad cunctas partes defluat reipublicæ. *Quicumque ergo* inquit *S. Auguſtinus*, *legibus Imperatorum, quæ ex veritate Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium.* *Omnis anima*, inquit Apoſtolus, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* ipſi etiam principes diſcoli ac Tyranni, poteſtatis acceptæ a Deo penitus expertes non ſunt, vt ait idem *S. Auguſtinus*. Duo vero præſertim huic officio ciuium in principes obſtacula: ambitio nempe, & priuati emolumenti ſtudium. Sedanda vero & comprimenda imprimis a ciue ambitio, bonoque publico ſubijcienda, alioquin eius intemperies neruos omnes ciuilis vitæ demum deuaſtabit. quoad alterum, interdum contingit, principis legem aut factum, iſtius particularis ciuis vtilitati detrahere, vnde conqueſtus, ira, & rebellio oriri ſolent, ac de principis gubernatione iniquum ferre iudicium. Dubio procul, obedientia ciuilis, ſicut & ſacra, nimis oculata eſſe non debet: hoc eſt non exigenda diſtricte ad priuatas rationes commodi alicuius. Et quis ſuo principi in publicum proſpectanti, & veluti ab altiſſima ſpecula omnia vndiquaque inferius luſtranti, ſua ſolum peculiari intelligentia informatus, aut emolumento addictus, errorem facile impu[illegible] præſumpſerit? Si lex condatur, ſi bellum indicetur, non erit ciuis horum momenta ad ſuum examen reuocare; ac inde de eis ſententiam illico ferre. nam princeps eas cauſas fortaſſis videt, ad quas priuati ciues ſuis notionibus deuenire non poſſunt: ineptum idcirco, reſtrictum in eis ſenſum, & non niſi proprijs vtilitatibus plerumque intentum, de principis publico & vniuerſali iudicio & viſu definire. Ciuiliter idcirco credendum, principis actioni iuſtam ſemper ſubeſſe cauſam, licet nos latentem: niſi expreſſe ac manifeſte contrarium appareuerit.

Chryſoſt. Hom. 22 in cap. 13. ad Rom.

Cicer. lib. 3. de legib.

Rom. 13.

Auguſtin. Epiſt. 50.

Rom. 13.

Auguſtin. lib. 5. c. iu. cap. 21.

5 Inter alia, contra vrbanitatem, in principis dignitatem commiſſa ſcelera, illud iure magnum cenſetur, quod infami rumore, cum diſpendio dignitatis in principe, a ſubdito committitur. Cum enim vi naturæ in ipſis corruptæ, ægre patiantur plerique hominum, ſe ab alio regi, tum plurimum geſtire ſolent renitendo, ſi non aperto

te marte imperium excutere, ſaltem maledicendo, infamia di ta diuulgando, imperantis auctoritatem vtcumque diminuere. Cui igni, principis decora violanti, applaudere, inſtar opportuni venti, aſſueuit publicus humor ad detrahendum, popularibus familiaris. quorum ingenio ſuaue, illuſtria opprimere, niueoque candore conſpicua, turpitudinis nota contaminare: denique opprobria ſua in pulcras magnorum metas, præcelſa veluti ceruorum colla, collineare. Vnde maior euadit ex defamatione in principis maieſtatem iniuſtitia: tum quod hinc malum latius ſerpat, tum quod ex eo damnum ſit propemodum irreparabile. Augetur porro hæc ipſa maledicendi iniquitas, quod in eius perſonam feratur contumelia, quæ ex profeſſo eximiarum virtutum ſedes ac ſacrarium: quæ earum ornamentis nitere debet ac florere. Vnde eo gradu excreſcit facinus, vt ſui indignitate vitam ipſam principis, quam dicunt in eius auribus reſidere, appetere videatur. Sicut enim illi nihil gratius, quam honor & gloria, in quæ ſuæ vitæ condicione inſtituitur, ita nihil eidem acerbius vituperio, & diuulgatu in eius ſtatum dicterio. Tranſit porro hoc ipſum facinus principem denigrandi, ad eius ſobolem, omneſque, qui illius imperio dimittuntur.

6 Principis autem in ſuos charitatem pietatemque, ſummam & perfectiſſimam eſſe expedit. Hoc imprimis ratio ortus ipſius, quo è viſceribus quaſi reipublicæ exciſus & eductus, omnino adſtruit. Etenim rempublicam intuetur princeps vt parentem, ac benefactricem eximiam. omnis enim auctoritatis magnitudo, claritas ſanguinis, ab illius beneuolentia in eius perſonam ab origine propagatæ, refulſere: cuius rei cognitione non poteſt principis animus non emolliri, adeoque inſigni gratitudinis affectu erga vectigales accendi. Hoc ipſum porro præclara condicio finis, eidem principi propoſiti, tanquam quid debitum ei demonſtrabit. nam cum ipſe ſibi ſufficiat, vt ait *Ariſtoteles*, omnibus quippe bonis virtutum affluens, non aliud bonum ſuo imperio ſpectat procurandum, quam quod in totam ciuitatem ab eo redundet. quod vero ſibi hinc commodi proprij accreſcere poterit, ciuilis princeps parum ſecum reputat: id enim ſibi conſiliorum finem præſtituere, potius vt tyrannicum exhorrebit. *Eſt autem* inquit *Cicero, non modo eius, qui ſociis & ciuibus, ſed etiam eius, qui ſeruis, qui mutis pecudibus præſit, eorum, quibus præſit, commodis, vtilitatique inſeruire,* quod *S. Thomas*, & *S. Baſilius* fuſius oſtendunt. Enimuero dignitas iſtius finis, omnia ciuium bona in ſe complectentis, iure requirit hanc in principe beneuolentiam, animique teneritudinem. Hinc *Ægidius Romanus* non tam ſuſpicit ſimilitudinem diuini imperij in homine, *Quod per rationem regitur vnus homo, ſed quantum ad hoc, quod per rationem vnius hominis regitur multitudo.* eſt ergo quod princeps ad imitationem Dei, ſui prototypi, cupiditate ducatus non propriæ vtilitatis, ſed boni communis vehementius accendatur, quod etiam *S. Maximus* recte admonuit. *Res, qui a te eſt*, inquit *Iſaias*, *illis curatio.* Vnde apud *Plutarchum*, *Pittacus tunc demum bene inſtitutos ſubditos dixit, cum non ipſum principem, ſed eius cauſa metuant.*

Ariſt. lib. 8. Ethic, c. 10.

Cicer. Epiſt. 1. ad quint. Frat.

Ægid Rom lib. 1. de Regim. ca. 9. 2 Baſil. in Prohem. Prouerb.

Maxim. cen 2. cap. 45. Iſa. 96. Plutarch. in Conuiu.

7 Deinde qualitas vectigalium principi, cognita, ipſum ad hanc charitatem plurimum commouebit. etenim in ciuili imperio non præeſt princeps ſeruis & mancipijs, ſed ciuibus, iura proprietatis in res ac in bonum commune obtinentibus. propter quam cauſam affirmat *Ariſtoteles*, domini erga ſeruum non eſſe amicitiam, eo quod in nullo bono communicent: Cum ſeruus merum Domini inſtrumentum, omni deſtituatur Dominio: proinde cum ſuo hero in nullo bono ius commune vendicare poterit. In ciuili autem imperio, quod paterno aliquo modo ſimile, amicitia inter principem & ſubditos reperitur: quippe fundata in boni cuiuſdam communione. *In quibus enim* ait *Ariſtoteles principi & ſubdito commune nihil, in eis neque amicitia eſt.* Vnde concludit, in ciuili imperio retinere animum principem paſtoris ac patris: & hoc reſpectu *S. Baſilius* apum imperium, illud mundum, dulce ac ordinatum, affirmat hoc ciuile noſtrum adumbrare. Enimuero amantius ingenium patris in liberos, quam domini in ſeruos. Hoc imbutus *Gratianus* Imperator, de quo ita ſcripſit [*Auſonius*. Ægrotantes amicos Traianus viſere ſolebat. hactenus in eò comitas prædicanda eſt. tu & viſere ſoles & mederi, præbes miniſtros, miniſtras cibos, fomenta diſpenſas, ſumptum adijcis medelarum, conſolaris afflictos, reualeſcentibus gratularis. Cuo indignatur libertas, inquit *S. Hieronymus*, ſi opprimatur, nemo plus impetrat a libero, quam ſeruire non cogit. Dux ille Iſraëlitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad eius imperium cœlum, & terra, & maria, ſeruiebant, inter cunctos homines, quos tunc terra genuit, manſuetiſſimus prædicatur, & ideo per quadraginta annos obtinuit principatum, qui poteſtatis ſuperbiam lenitate & manſuetudine temperabat. lapidatur a populo, & pro lapidantibus rogabat: qui potius deleri voluit de libro Dei, ne commiſſus ſibi grex periret. Audiant velim *Senecam* principes hæc, ipſis ſalubriter conſulentem. Animus reipublicæ tu eis, illa corpus tuum. vides, vt puto, quam neceſſaria clementia ſit. tibi enim parcis, cum videris alteri parcere. Parcendum itaque eſt etiam improbandis ciuibus non aliter, quam membris languentibus. Et ſi quando miſſo ſanguine opus eſt, ſuſtinendum eſt, ne vltra quam neceſſe ſit, incidas. Eſt ergo vt dicebam, clementia omnibus quidem hominibus ſecundum naturam, maxime tamen decora Imperatoribus; quanto plus habet apud illos quod ſeruet, quantumque in maiori materia apparet.]

Ariſt. 8. Ethic, ca. 10 11

Baſil homil 8. in Hexā.

Auſon. panegyr. Gratiā.

Hyeron ep. ad Iucop—hil.

Senec de Clem. cap. 8

Eſt piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,

Ouid. lib. 2. Triſt.

Quique

Phil. lib de Princip.

Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

De hoc ipſo argumento pulcherrime hæc Philo diſſeruit. *Eſt & aliud interdictum iuſtiſſimum, quo cauetur, ne reipublica princeps doloſe verſetur inter ſuos ſubditos nam fallaces mores ad ſeruile, non liberale ingenium pertinent, dum rebus ſimulatio prætexitur. At princeps ad hunc modum tractare ſuos non debet, qui parentis locum inter eos obtinet, ac viciſſim tanquam a germanis filiis venerantiam poſtulat. Sunt enim principes, vt verum fatear, publici parentes ciuitatum, & gentium: quotquot boni ſunt, non cedent pietati naturalium. Auguſtus, Antonii, Cæſar, Pompei funere illacrymati.*

Plutarch. in Antonio. Lucan. li. 10.

8 Hoc etiam ſecuritas & gaudium, quæ in principe optanda, omnino probant. nihil ſane amore ipſo fortius ad amorem comparandum: cum alia munera tantum ad hoc valeant, quantum dantis amore imbuuntur. Neque opus huic rei oſtendendæ pluribus inſiſtere, cum ratio experientiaque oſtendant, nihil principibus nocentius ira & inclementia. Vnde dici ſolitum, amorem apud eos incedere inermem, dormire loricatum: quod nempe ſuapte vi perpetuo tutus & communitus. *Maſiniſſa* in Aphrica, oppoſita ſæuitia efferatus, hominibus diffidens, canes retinuit in præſidio. *Dionyſius* tyrannus ad radendam barbam ne filiabus quidem auſus credere, ſed candente ferro ſibi ipſi proprijs manibus crines aduſſit. omnes denique imperantes, crudelitate immanes, vel funeſto exitio demum vitam clauſerunt, vel ſuorum odijs vallati, miſere vixerunt, adeoque millies mortem adhuc ſpirantes, oppetierunt.

Sariſbur. lib. 4. cap. 8.

Pauſan. de Princip.

9 Sin autem princeps diuinum imperium, quod capiti ipſius imminet, aſpexerit, videbit, ſuum imperium ipſius comparatione vmbratile, vt docet S. *Ambroſius*, non ſolum ad eius ideam efformandum, verum etiam quandoque ad illius tribunal adducendum. illud autem infinita charitate effuſum in humanum genus apparet, præſertim iam a myſterio Incarnationis, non tantum Deo, ſed Chriſto Domino in illo dominante. etenim inter alia dona a diuinitate in naturam humanam Chriſti deriuata, vnum eſt regia poteſtas, qua Dominus orbis, omniumque creaturarum, factus. Quid autem in iſto Rege ſupremo, tam ſpectabile, quam charitas, quam ſui in omnes effuſiſſima φιλανθρωπία, liberalitas? Quo etiam principes animaduertere poterunt, quam ſit huius ſupremi monarchæ curiæ odibilis nota tyrannidis & inhumanitatis, quam contraria eius legibus & factis. ex cuius rei notitia ſæpius venit, vt tyranni ſuæ crudelitatis conſcij, neſcio quibus furiarum tædis exuſtis eorum animis, terrores ſuos, qua verbis, qua vigilijs, qua diris aſpectibus, qua pallore in vita proteſtentur. ita *Nero* lamentatus, eorum formas, quos occidi curauerat, ante eius oculos perpetuo obuerſari, vt narrat *Suetonius*. *Alphonſus* Rex Neapolitanus, vt teſtantur *Guicciardinus* & *Philippus Cominæus*, ſecum recogitans crudelitatem, quam in ſuos exercuerat, nunquam quietem, nedum, noctu capere potuit. Similiter *Richardus* Tertius Angliæ Rex, vt ſcribit *Morus*, poſteaquam duos nepotes in caſtro Londinenſi occidiſſet, quo ad coronam Angliæ adſpiraret, faſſus eſt, ſe eorum ſpectris paſſim exagitatum, omni animi deſtitutum moderatione. Enimuero illud ſupernum tribunal, quod modo ad Chriſtum Regem ſpectat, vti omnium eſt humaniſſimum, ita inter omnia ſæuitiam & immanitatem maxime in hominibus deteſtatur: & ex conſequenti, principes Chriſtiani qui ſub Chriſto Domino imperant, mites clementes ac ſuaues præ omnibus alijs eſſe debent, vt S. *Maximus* egregie animaduertit: ac refert S. *Gregorius* ſuo tempore Imperatorem, irata vindictæ cupiditate incenſum, ſtatim emollitum ad indulgentiam, poſteaquam ſignum crucis, Chriſtum Regem ad mentem reuocans, ſibi ipſi manu impreſſiſſet. *Nunquid ait S. Iob alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo?* quod interpretatur *S. Gregorius* de virtute diuinæ gratiæ, potentiſſimos, rigidiſſimoſque maximorum Imperatorum adfectus, ad miſericordiam & indulgentiam inflectente. Hoc innuere videtur ſacra cæremonia vnctionis: etenim oleum, teſte *S. Ambroſio*, typus miſericordiæ: quo olim Reges & Sacerdotes in populo Dei, ſui cum Chriſto futuro, principaliter vncto, ſimilitudinem quandam profitebantur. Princeps itaque ciuilis nō *Tauri* Scythici princeps, ſed ἐλαιόπολις: vbi vt narrat *Plutarchus*, *Hegeſiſtratus* ex quodam augurio videns ruſticos oliuæ frondibus coronatos ac choræas ducentes, ibidem loci ciuitatem conſtruxit, eamque appellauit ἐλαιόπολιν. quo ſymbolo ſignificatum, quantus in ciuili vita vſus ſit oleagineæ lenitatis ac ſuauitatis. Hac de re vniuerſam ſententiam complexus videtur *S. Auguſtinus*. *Neque enim nos Chriſtianos Imperatores ideo fælices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hoſtes reipublicæ domuerunt, vel inimicos ciues aduerſus ſe inſurgentes & cauere, & opprimere potuerunt: hæc enim, & alia vitæ huius ærumnoſæ vel munera, vel ſolatia quidem, etiam cultores Dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent iſti. & hoc ipſius miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed fælices eos dicimus, ſi iuſte imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium, non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt. Si ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandam, maieſtati eius famulam faciunt, ſi Deum timent, diligunt, colunt, ſi plus amant illud regnum, vbi non timent habere conſortes, ſi tardius vindicant, facile ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odijs exerunt: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quod aſpere coguntur plerumque decernere, miſericordia, lenitate, & beneficiorum largitate compenſant: ſi luxuria eſt eis*

Ambroſ. in cap. 1. ad Coloſſ.

Zalazar in Prouerb. ca. 8. num. 100

Sueton. Nerone.

Guicciardin. lib. 10

Commin. lib. 11.

Morus in vita Rich. 3.

Maxim. cet. 1. cap. 45.

Iob. 39. Gregor. ibid.

Ambroſ. de area. cap. 9.

Plutarch. in Paralel.

Auguſtin. lib. 5. ciu. cap. 24.

tanto caſtigatior, quanto poſsit eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus prauis, quam quibuſlibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem fælicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis, orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe fælices, interim ſpe. poſtea reipſa futuros, cum id quod expectamus, aduenerit.

10 Atque vt ſummatim diſſeram, tota ratio ciuilis affectionis in principe erga ſubditos deſumenda ex eius virtute tam legali quam monaſtica. præſertim vero in eo ſpectanda legalis, qua erga bonum commune, paſtoris ac parentis inſtar, idoneè comparetur. Sic enim diligere debet hoc bonum commune, vt leges ferendo, iubendo, agendoque, peculiare ſuum bonum ei ſubijciat, tanquam principaliori minus principale. Quo pacto obſecro, is notam tyranni vitabit, qui leges dando imperandoque, cum imminutione, & deuaſtatione boni publici, priuatum ſemper procurat: ac vt ipſe inde fælix exiſtat, vectigalium miſerias, tam quod ad animas, quam quod ad corpora ipſorum, ſedulo & anxie velut inter auiculas accipiter, meditatur? Et quemadmodum prioris officij ratione, ciuilis princeps Deo ſimilis euadit, ita poſterioris abuſu in naturam belluæ,

Ari.l.1.Pol. cap.2.

vt ait *Ariſtoteles*, ſeu Dæmonis, quod *S. Auguſtinus* & alij definiunt, tranſire videatur.

Aug.l.4.ciu cap.32.

Sicut enim Dæmones, niſi eos, quos fallendo deceperint, poſſidere non poſſunt, ſic & homines principes non ſane iuſti, ſed Dæmonum ſimiles, ea quæ vana eſſe nouerant, religionis nomine populis tanquam vera ſuadebant.

Eccleſ.4.

Noli eſſe ſicut leo in domo tua euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi.

11 Huiuſmodi etiam ſenſus charitatis ſpectandus ac deſiderandus in Magiſtratu etiam dum punit. ob quam cauſam axioma eſt iuris ciuilis: *Iudicis eſſe fauere reo.*

Reg.Iur.

idcirco ad eum non pertinet reum accuſare, teſtibus vel alijs in factum inquirentibus cauſas inſinuare, ob quas pro reo habeatur: nam cum fortaſſis reipſa innocens; tum ſufficit quod in eum conſiſtant accuſatores: præſertim cum ex inuidia aut lucri gratia accuſationem poterunt inſtruere, ac iudicis verba efficacia ſint ad teſtibus perſuadendum. Multo vero minus iudicis fuerit, probris præter iuris formam reum inſectari: nam cum probri illatio ſit pœna grauiſſima, illum perferre a iudice non debet reus, niſi ex poteſtate id facit ſuæ auctoritatis iudiciariæ. extra quam illatæ contumeliæ, vt a priuata perſona dimanant, ita meræ ſunt iniuriæ, reſtitutione etiam compenſandæ. Atque vt intelligant iudices, ſe alienos non deberé eſſe a miſericordia, eſt quod percipiant, ſe pœnas ſontibus infligentes, non exercere vindictam, pure ac proprie ſumptam: ſed aliam formam iuſtitiæ caſtigatoriæ. cum enim vindicta cernatur in æqualitate pœnæ, comparatæ ad delictum, in

Plato apud Gel.l.6.c.14

eam iudicis animus non aliter intendit, quam per reſpectum ad bonum correcti aut communе: vi cuius tam pœnam, quam eius æqualitatem decernit. illa autem omnimoda æqualitas inter delictum & pœnam deſumitur ex naturis delicti & pœnæ, quam vindicta intuetur: quam cum ſolus Deus in hac vita, in purgatorio, & in inferno exerceat & proferat: licet id etiam faciat cum miſericordia, dicit: *Mea eſt vltio, ego retribuam*, *Nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram?*

Rom. 12.

ſcilicet malum pœnæ ſub reſpectu vindictæ & *Recruciationis*: non enim dicit qui infert iuſtitiam, ſed qui infert iram. Cuius rei hæc ratio: quod nullus mortalium abſolute obtinet ius in alterius bona aut vitam, niſi cauſa boni communis interceſſerit: Deus autem omnium Dominus, & proinde hos ſuis bonis priuat & adfligit vindictæ ſolius cauſa, & ad conſtituendam æqualitatem inter crimen & pœnam. Homo autem punit vt contra delicta bonum delinquentis vel communitatis ab ipſo conſeruetur. quod cum reus perceperit, amabit iudicem vel caſtigantem, ſi amore ducatur ſuimet aut boni communis. Proinde iudicando non infert iram, quod facit Deus, ſed iuſtitiam. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.*

Leu. 19.

CAPVT XXIII.

Charitatis atque beneuolentiæ inter ciues quænam partes & officia.

CVm ciuis non ad proprium ſuū emolumentum conſequendum tantummodo inſtituatur, verum inſuper ad id procurandum, quod aliorum, idcirco præter iuſtitiam ſtricte ſumptam, cui externi boni, ac peculiari quadam ratione contractuum & diſtributionum cura incumbit, charitas & beneuolentia in quam plurimis in eodem deſiderantur. aliud quippe, id perſoluere, quod iuſtitia proprie dicta debetur, aliud id præſtare, quod charitate & beneuolentia conſtituitur. etenim inter quos illa iuſtitia non reperitur, vti inter Deum & homines, Dominum ac ſeruum, parentem atque prolem, nihilominus beneuolentia ac charitas inter eorum munera merito recenſentur. Solus homo inter animantia ſenſu adficitur miſericordiæ, incitatricis ad alijs ſuccurrendum. ira quidem deſæuiunt bruta, vtpote ſi fœtus læſos, ſi ſocios afflictos viderint: nullo autem motu miſericordiæ commouentur. Cur vero Deus eam naturæ humanæ inſeuit, docta quadam ratione *Lactantius* ſic explicauit.

Lact. in Epit.

Cum imbecillior ſit hominis natura quā cæterarum animantium, quas Deus & inſtructas ad inferenda & munitas ad vim repellendam figurauit, affectum nobis miſericordiæ dedit, vt omne præſidium vitæ noſtræ in mutuis auxilijs poneremus. Nam cum homo pluribus indigeat ad ſuſtentandum vitam quam bruta, eiſque extra ſuam poteſtatem collocatis, inde Deus ſenſum miſericordiæ homini impreſſit, vt indigentibus eius motu ſuccurreret. Quamobrem boni ciuis fuerit, aliorum decora & commoda appetere ac proferre, adeoque illis eductis plurimum delectari. Cuius virtutis functione affirmauit *Ariſtoteles*, ciues quàm proximè ad ipſos Deos imitatione accedere: *Quibus*, inquit

quiſt *vix bene eſſet*, ſi præter actiones inproprijs bonis occuparas, nullas externas, ad aliorum vtilitatem porrectas, exercerent. *Strabonis* eſt ſententia ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεοὺς ὅταν εὐεργετῶσι: tunc præcipuè Deos imitari homines, quando alijs benefaciunt. Natura hoc officij genus in parentibus inchoauit, ac inde in omnes ciues tandem diffudit. Etenim parentes nihil non faciunt, vnde filij exornentur, illuſtrentur, eorumque rectè facta, tanquam ſuorummet capitum coronas, ex ſuauiſſimis floribus compactas, exoſculantur, & ſtudia eorum præclariora, quantum poſſunt, promouent, eiſque multum applaudunt. Cuius affectus participatio quædam eis ineſt, qui alijs in ciuitate prodeſſe ſatagunt, ac inde ſæpius patriæ parentes nuncupati. *Antonius* in ſtatua *Cæſaris*, ab eius interitu, quo odium trucidatoribus conflaret, inſcribi curauit hoc elogium: *Parenti optime merito* vt narrat *Cicero*. Ciuica corona *Probo* Imperatori decreta, quod ciuem a morte liberaſſet, cum hac inſcriptione: *Suſcipe coronam ciuicam pro parente*: vt narrat *Flauius Vopiſcus*.

Ariſt. 9. Ethic. cap. 8.

Cicer. lib. 12 Epiſt. fam. ep. 3.

Flau. vop. in Probo.

. Videmus quidē in benè inſtructo muro tria interuenire: lapidū ſcilicet numerū, eorū concinnā locationē, cementum denique, quo inter ſe glutinantur. Iſtis in vita ciuili aptè reſpondent plurium in vnum cœtum coitio, eorum mox per officia idonea diſpoſitio, denique mutua beneuolentia, qua omnes inter ſe firmiſſimè deuinciuntur. quomodo verò hoc poſtremum ab ipſa natura in vſus ciuiles manarit, ita declarat *S. Ambroſius*: *Tolle ex vſu hominum beneuolentiam, tanquam ſolem mundo tuleris, erit. Beneuolentia a domeſticis primum profecta perſonis, id eſt a filiis, parentibus, per coniunctionem gradus in ciuitatum peruenit ambitum, & de paradiſo egreſſa, mundum repleuit*. Imo vel ipſa natura elementorum ac cæleſtium corporum, ſymbola iſtius charitatis in ciuium ſenſus ingeſſere. Vt enim illa inter ſe placidè cohærent, ac mutuo adiumento exiſtunt, ita ciues admonent, eorum officia charitatis compagine firmanda, & dulci illius acceſſu, veluti grato ſapore, imbuenda. *Seuerinus Boetius* in ipſo cœlo præclaras rationes contemplatus concordiæ, inter domeſticos, familiares ac conciues retinendæ: quippe in quo amor quidam dominetur.

Ambroſ. lib. 3. off. cap. 32.

Cicer. lib. 2. de Fin.

Boet. lib. 2. met. 8.

Hic ſanctos populos quoque
Iunctos fœdere continet,
Hic & coniugii ſacrum
Caſtis nectit amoribus,
Hic fides etiam ſua
Dictat iura ſodalibus.
O felix hominum genus
Si veſtros animos amor;
Quo cælum regitur, regit.

Haud vero illam beneuolentiam hic intelligo, quæ originem ducit a voluptate, aut vtilitate ex malè partis, qua interdum nefarij homines, adeoque in patriam coniurati, inter ſe vtcumque connectuntur. Etenim in hanc reſpectantes *Cleon*, ac *Themiſtocles*, teſte *Plutarcho*, amicitiam illius ingenio decretam, a publicis perſonis repellendam prudenter arbitrati. illam autem hic ſtatuimus, quæ ortum habeat ex virtute, quæque ad bonum commune tuendum tota referatur. de qua hæc *S. Paulinus*: *Coniungi vult Deus inter nos, atque connecti, per mutua beneficia, charitatem, omneſque homines vicario inter ſe amore copulari, vt id vnoquoque præſtanti alteri, quod ſibi ac omnibus præſtari velit, tota iuſtitia, & præceptum hoc Dei, communis ſit vtilitas hominum*, Enimuero ciuilis beneuolentia aliunde nequit aſſurgere, quàm ex probitate: illa enim altera, quam prædones, piratæ ac rebelles ſuis coſilijs prætendunt, caduca eſt ac fragilis, diu nequit ſubſiſtere. nam eā coaliti omnes quidem in vtilitatem feruntur, at nullus damna ſuſtinere vult, quæ aliquando ſubeunda, vt commune eorum bonum aſſeratur. ex quo euadit, vt tam æmulatione cupiditatis, quam fuga a perpeſſionibus illud quod commune eſſe debet, ab eis deſeratur tandem, diſſoluatur, ac cum illa ipſa amicitia excidat, cuius cupidi conuenire voluerunt. *Nihil autem*, inquit *Cicero*, *amabilius, nec copulatius quam morum ſimilitudo bonorum. in quibus enim eadem ſunt ſtudia, eademque voluntates, in his fit, vt æque quiſque altero delectetur ac ſeipſo*.

Plutar. lib. de taſtit. Gaul.

Paulin. Epiſt. ad Celant. ep. 5 inter ep. S. Hiero.

Cicer. lib. 1. off.

3. Hæc ipſa charitas mater eſt perpetuò ferax aliarum omnium virtutum ciuilium. Veteres, vt *Naturæ* vim exprimerent, eam tanquā Deam forma muliebri effinxere, quę ex omni parte, ſuperius, inferius, antè, retro, hinc, illinc vbera turgentia lacte monſtraret: vniuerſo genere animalium vndiquaque poſito, eius beneficio alendorum. *Naturam* hanc vir ciuilis quodammodò imitatur, dum omnibus, quibus poterit, parentes & amici officia præſtat, nunc hanc, nunc aliam virtutem in eorum gratiam exerendo. Habet in ſe, inquit *S. Ambroſius*, *beneuolentia etiam fortitudinem. nam cum amicitia ex beneuolentiæ fonte procedat, non dubitat pro amico grauia vitæ ſuſtinere pericula. & ſi mala mihi aduenerint, per illam ſuſtineo*. Ab hoc ipſo fonte charitatis, vt obſeruat *Ariſtoteles*, fluunt artium opera, quæ aliorum vtilitates procurant, Sumptus omnes hæc ipſa effundit, quibus communia ornamenta comparantur. *Non enim magnificus in publicum, ſed in publicum deus ſumptuoſus eſt*. *Quid eſt ciuitas*, quærit *S. Auguſtinus*, *niſi hominum multitudo concordiæ vinculo ſociata?* Porro effectus illi, quos extra ſe amor in ciuitate ſemel eduxit, quibus alij ſunt aut florent, ſemper eodem fouentur ac diliguntur: vnicuique enim inſitum a natura, teſte *Ariſtotele*, maximè parentibus, & poëtis magis, opera ſua amare. & hoc pacto, dum amor ſe multiplici dono ergà alios communicat, creſcit, indies propagata noua ſobole, variò diſpergitur & augetur.

Horti Peret. tin.

Ambroſ. lib. off. cap. 33.

Ariſt. lib. 8. Moral.

Ariſt. lib 4. ad Nicomod cap. 2. Aug. ep. 5.

Ariſt. lib. 9. moral. c. 8.

4. Ab hac ipſa charitate dimanant comitas, manſuetudo, ab extremo vltionis capiendæ auerſio, ad condonandum vero promptitudo, fœcunditas ad gratificandum ac placendum alijs, acerbitatis in conuictu deteſtatio: ac ſummatim eorum bonorum eductio, quibus ciues non modò opuleſcunt, ſed mira quadam ſuauitate inter ſe iucundantur. Cæterum iſta eadem charitas, inſtar rubi, igne ardentis, ſuas etiam habet ſpinas, quæ errantium animos interdum pungant, indigentes quippe nonunquam correctione, admonitioneque acerbiori.

Exod. 3.

Prudent. c. Patri Piſſ.

Vulnificaſque comas innoxius ignis agebat.

Ariſt. 4 moral., cap. 6.

Collatificari inquit *Ariſtoteles, per ſe eliger, cauebitque contriſtari* : nihilominus amor, nec amor eſſet, ſibiipſi immoriens, ſi vrgente cauſa contradicendi, repugnandi, adeoque puniendi, omni acerbitate caſſus iſtis officijs ſegniter ſuperlederet. ac ſeruile planè, omnibus perpetuò arridere, zephyroſque ſpirare. Nouit hæc ipſa charitas, leonino quippe ſpiritu plena, deuictis etiam hoſtibus parcere, modumque pœnæ ſub gradu delicti conſtituere. *Cæſar* hac moderatus, iam iam cum ſuis irrupturus in Pompeianos, hanc legem tulit:

Lucan. lib. 7

Vos tamen hoc oro iuuenes, ne cædere quiſquam
Hoſtis terga velit: ciuis qui fugerit, eſto.

Flor. lib. 8. Epitom.

Contrà, vt refert *Florus, Syllanum fuit, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine antea fuit, inquinare. Octo millia deditorum in via publica trucidauit, tabulam proſcriptionis poſuit, vrbem & vniuerſam Italiam inermes interimi iuſſit. Marium ſenatorii ordinis virum cruribus, brachiiſque fractis, auribus præſectis, & effoſſis oculis, necauit.*

5. Quoniam verò charitas in ea vitæ ciuilis negocia interdum incidit, quæ pœnæ & acrimoniæ quid poſtulant, idcirco prouidendum, ne hæc aliter decernantur, quam a cupiditate veri iuſtique boni, quod aliquoties a priuato diſcordabit. *Optandum*, inquit *Cicero, vt ii, qui præſunt reipublicæ, legum ſimiles ſint; quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur.* idem obſeruandum, quando litigia feruent, opinionum diſcrepantiæ exoriuntur, in quibus ſi iuſtitia ſpectetur, præſertim commune bonum, nihil in eis vnquam fiet contra charitatem. Hinc *Epictetus* obſeruauit, res ad ciuilem vitam relatas, duas habere anſas: *Tollerabilem vnam, intollerabilem alteram. ſi frater iniuriam fecerit, non eum apprehende, qua facit iniuriam: ea enim eius anſa non eſt tollerabilis: ſed illa potius, qua vna educatus: ſic enim apprehendes eum, qua eſt tollerabilis.* etenim nihil, vt animaduertit *Ariſtoteles*, vſque eò malum, vt nihil boni in ſe retineat, & illo nomine ſit prorſus intollerabile. *Malum etenim*, ait *Ariſtoteles, ſeipſum perdit, & ſi integrum ſit, intollerabile euadit.* in cuius rei perſpicientia plerumque inſignis error committitur: nempe dum in conciues, tanquam ex toto malos, aliqui in eiſdem boni omninò incurij, deſæuiunt. *Plerumque* inquit *S. Auguſtinus, cum tibi videris odiſſe inimicum, fratrem odiſti, & neſcis.*

Cicer. lib. 1. off.

Epict. Enchir.

Ariſt. lib. 4. Ethic. cap. 5.

Auguſtin in Pſalm. 54.

6. Hic animi ſenſus ex charitate, vt diximus, a natura primum, vt ait *Cicero*, profectus, a charitate domeſticorum ac ſuorũ, *Currit longius, & complicat primum ciuem, deinde omnium mortalium ſocietatem*: adeoque ad ipſos peregrinos & aduenas, extenditur. qua in re vitiatam in hominibus fuiſſe naturam deprehendimus. nam teſte *Cicerone*, olim hoſtis idem ſonabat, quod externus; quod ipſe ex ſtylo legis deſcriptæ in duodecim tabulis oſtendit: quo innuitur, propenſos fuiſſe tunc admodum homines in externorum iniurias, quorum vocabulum tam facile in hoſtis inimicam notionem tranſierat. Cæterum gentes ciuiliores ſemper in aduenas extitere beneuolæ, ac cautæ, ne quid acerbitatis eorum animis adferrent.

Cicer. lib. 2. de Fin.

Cicer. 1. de offi.

Eurip. in Alceſt.

Non eſt decorum, luctus vt conuiuio
Obſtrepat, & aures hoſpitum offendat dolor.

Romanum fuit ingenium, debellatos externos admittere in ſuam rempublicam tanquam nouum eius alimentum. *Itaque illud*, ait *Cicero, patrocinium orbis terræ verius; quam imperium poterat nominari.* Sententia fuit *Scipionis*, teſte *Iulio Capitolino*: *Malo vnum ciuem ſeruare quam mille hoſtes occidere.* Fama iſtius indolis ad Iudæos ipſos peruaſerat. *Audiuit Iudas nomen Romanorum, quia ſunt potentes viribus, & acquieſcunt ad omnia quæ poſtulantur ab eis.*

Aurel. Vict. in Anton. Pio Sigon. de Num. ca. de Origin. Rom. gent. Cicer. lib. 2. offi. Iul. Capitol. in Antõ Pio 1. Machab. cap. 8.

7. Tanta itaque vis eſt iſtius partis iuſtitiæ, vti affirmet *Cicero*, ea imbutos, paſſim bonos viros appellari, adeoque videtur, eam vniuerſam definitionem ciuilitatis in ſe complecti. *Claudius adeo ciuilis erat*, inquit *Eutropius, vt etiam Plotium nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa ac egregia fecerat, triumphantem ipſe proſequeretur & conſcendentem Capitolium læuus incederet. Cæſar*, inquit *Suetonius, infames libellos ciuili animo tulit. Titus Romæ tanta ciuilitatis fuit & liberalitatis, vt nullum omnino puniret. Tiberius ciuilem ſe admodum iniret initia paulò maiorem, quam priuatum egit.* Huius videtur ratio, quod charitas hæc ciuilis aliorum virtutum ſit fructus, ex quibus excreſcit. efficit etiam hæc ipſa virtus, quod docet *Ariſtoteles*, vt ciues ſuis priuatis conditionibus diſpares, ad eundem nihilominus finem & erga ſe mutuò concordiam, inſtituantur.

Cicer. lib. 1. offi.

Eutrop. lib. 7. in Claud.

Sueton. in Cæſar.

Sueton. in Tiber. Xiphil. in Marc. Aurel.

Ariſt. 2. Pol. cap. 1.

Vlmus amat vites, vitis non deſerit vlmum:
Separor a ſocio cur ego ſæpe meo?
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.

Ouid. eleg. ad Amic. 2. de Pont.

Enimuero tametſi a ciuitate plurima bona in vitam humanam proueniant, tamen duobus grauiſſimis malis oportuna: nempe fraudibus ac malitiæ. nam cum in ea ratio plurimum exacuetur, habendique occaſiones paſſim offerantur, inde dolus & maleuolentia excreſcere ſolent, & noua ſegete indies pullulare: quæ quidem mala vix in deſertis locis, aut in priuatis familijs inuenirẽtur. Hoc egregiè luſit *Martialis*, domeſticæ tygridis morſum deſcribens:

Martial lib. 2 Epig. 18.

Auſa eſt tale nihil ſiluis dum vixit in altis:
Poſtquam inter nos eſt, plus feritatis habet.

Cicer. lib. 1. off.

Magnitudo animi, inquit *Cicero, a communitate, coniunctioneque humana, feritas eſt quædam & immanitas.* Expetenda itaque ciuilis vita, non tam vt voluptatibus honoribuſque abundemus, quam vt charitate emolliti, alijs ſimus beneuoli, & externorum bonorum propagatores. Quod ſanè is nunquam præſtiterit, qui vitijs corruptus, priuatis ſuis emolumentis dũtaxat ſtuduerit. Proinde rectè adfirmauit *S. Chryſoſtomus*, nullum eſt vitium, quod in ſe aliquid barbariei non implicat. Si quæ ergo in ciuitate ſerena rerum facies, ſi quis vitæ in ea iucundus ſuccus, ſi quod firmamentum communis boni, id charitati inter ciues attribuendum.

Chryſoſt. Homil. quod nem. læd. niſi a ſeipſo.

—— Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores.
Ferratus laſciuit apex, horrorque receſſit

Claudian. lib. 2. de Rapt. Proſerp.

Simplician in Epictet.

Martis, & criſta placate fulgure vernant.
Debet igitur, ait Simplicianus, qui amicus eſſe vult, ſemetipſum repurgare quantum fieri poteſt a brutis affectibus; ac tum ſui ſimilem quærere, inuen unique amplecti, quaſi dimidio animæ ſuæ, alteraue corporis ſui parte reperta, ſecundum fabulam Ariſtophanis: quod egregiè quoque Plato multis oſtendit.

Plato in cõuiu.

8. Propter hanc cauſam, crudelium ingeniorum odia & mores exaſperatos, infernalium furiarum impreſſiones quaſdam extitiſſe veteres finxerunt: non ſolum alijs nociuas, ſed ipſiſmet diras & horrendas: perinde ac ſi eiuſmodi odijs furiatæ eorum mentes, in ipſa ciuitate ſpeciem quandam Stygis exhiberent.

Claudian. lib. 2. in Ruff. Virgil. Æneid. 7.

——— ſic fata, cruentum
Mugijt, & totos ſerpentum erexit hiatus,
Noxtaque effudit concuſſo crine venena.

Etenim ſicut ſumma cõfuſio in illis locis inferis reperitur, ita dempta charitate, tanquã vitæ ciuilis ſole, vt ait *S. Ambroſius*, nihil ordinis ſupereſſet in ciuitate. *Sine qua vſus hominum eſſe non poteſt: vt perquirenti monſtrare viam, reuocare errantem, deferre hoſpitium, aquam de profluenti dare, lumen de lumine accendere. non igitur mediocris virtus, de qua ſibi applaudebat Iob, dicens, fores ante me non habitabat hoſpes, ianua mea omni venienti patebat.*

Ambroſ. lib. 1. de Off. ca. 32.

Rerum autem omnium ait Cicero, *nec aptius eſt quidpiam ad opes tuendas, quam timeri: id amplectamur vt metus abſit. Charitas retineatur ita faciliime quæ volumus, & priuatis in rebus, & in republica, conſequemur.*

Cicer. lib. 2. off.

CAPVT. XXIIII.

Amicitiæ ac Sodalitarum in ciuitate bona recenſentur.

AMicitia, vt ab eius aliquali deſcriptione exordiamur, communicatio quædam eſt cum interni affectus, tum externorum bonorum, ex virtute orta inter plures, ad perſonæ purum amorem deſtinata. quo primo liquet, amicitiam inter bonos tantummodo poſſe reperiri: nam vbi nihil homine dignum, quod alteri optetur, remanet: ibi non niſi mala ſupererint, quæ abſque virtutis moderatione in ciuium mores perniciosè graſſantur, illoſque ab omni decoro ad vitiorum turpitudines abducunt. non enim alteri homini quoduis bonum per ſe procurandum, ſed quod humanum: ſcilicet quod ei, vtpote rationi prædito conueniens & animæ ipſius ſtatui opportunum. ineptũ enimuero eſſet, famelico aurum vel gemmam, non cibũ ſuppeditare: equo eſurienti nõ fænum ſed menſarũ delicias miniſtrare. ita alienũ fuerit ab officio virtutis, aliud inde amico cõſtituere, quã virtutẽ eius, vtique hominis, genuinum ac proprium bonũ, aliaq; cõmoda eidem adferre, quatenus ad eam minus conducere iudicentur. Ex quo dici ſolet, amicitiæ regulã erga alium, deſumendã ab amore, quo quotuſquiſque ſe ipſum diligit. *Sicut erga ſeipſum*, inquit *Ariſtoteles*, *ita erga amicum affectus eſt probus vir.* Quemadmodum ſi quis cuperet ſe in alto maris naui vectum; precioſiſſimis mercibus locupletatum, iactari velis ac nautis deſtitutum, non cenſeretur is ſibi prouidè conſulere, ita qui ſibi vel alteri honores, diuitias ac voluptates, virtutũ præſidijs vacuas, quærit, neque ſe neq; alterum ingenuè amat. *Danda opera* ait *Ariſtoteles*, *vnicuique, vt probus euadat: ſic enim fiet, vt erga ſeipſum amice ſit affectus & aliorum amicus eſſe poſſit. Non poteſt homini amicus eſſe, qui Deo infidus*, vt ait *S. Ambroſius*.

Ariſt. lib. 8. Moral ca. 4.

Ariſt. 9. Ethic. cap. 9.

Ariſt. lib. 9. Ethic cap. 4.

Ambroſ lib 3 de off. cap. 16.

2. Cũ idcirco amicitia pro ſcopo ſuo retineat virtutẽ, nempe intellectualẽ & moralẽ, tũ neceſſe, vt virtutem amico procuret, idque in gratiam ſuæ perſonæ, non vt ab illo aliquod emolumentum ad ſe proueniat: hoc enim genere amoris dicimur amare bruta & alia, quæ nobis vtilitatem ſuorum vſu adferunt. *Cuius ſtudium*, vt ait *Cicero*, non eſt, *amicitia, ſed mercatura quædam vtilitatum.* atque hac ex parte in malos vera amicitia incidere non poteſt; vtpote in rebelles, piratas, ac latrones: hi enim ſui affectus non alium finem eſſe volunt, quam priuatum commodum, quod a perſona amata expectant. *Mali* inquit *Ariſtoteles malos amant ob vtilitatem & iucunditatem.* Hinc autem venit, huiuſmodi amicitiam haud eſſe diuturnam: nam cum præter virtutem nihil ſuapte natura iucundum, tale licet ſit comparatione quada ad ſubiecti variabilem diſpoſitionem, vt alias dictum, ea de cauſa cum iucunditates ſæpius deſinant eſſe tales, appetentis ingenio paululum immutato, inde amicitiæ, earum rerum gratia initę, facilè & identidem diſſoluuntur: in nihil, aut in odia parum poſtea exſpirant. harum idcirco cauſa ſuſceptæ amicitiæ, vt docet *Ariſtoteles*, veræ expreſſæque amicitiæ non ſunt, ſed tantum eo nomine gaudent, quatenus ſimilitudine aliqua amicitiæ ob virtutem ſpecie tenus excultam, imbuuntur. *Atque hi abſolute amici, illi ex accidente ſunt, & quia cum his habent ſimilitudinem.* Proinde ex diſpari condicione voluptatis ac virtutis quò ad durationem, vtriuſque amicitiæ differentias, idem rectè conſtituit. *Vnde borum amicitia præcipue permanet, quo ad boni fuerint. virtus enim ſtabilis res eſt.* Hinc *Plutarchus* ad amicitiam tria requirit, *virtutem vt pulcrum, conſuetudinem vt iucundum, vſum vt neceſſarium.*

Cicer. lib. 1. de Nat. Deor. in fine.

Ariſt lib. 7. ad Eudem cap. 3.

Ariſt lib. 8. moral. c. 4.

Plutarch de multitu. amic.

3 Idcirco quod ad vitam ciuilem, duo præcipue commoda amicitiæ: primum, adiumentum eſt ad virtutem, & ad ea, quæ ad virtutem quicquam momenti conferre poterunt. alterum, ex neceſſitudine familiari mira quædam iucunditas. etenim iucunditas, animi confidentia querelas, angores, ſenſus denique omnes in fundere in amici aures: euaneſcunt enim, aut plerumque extenuantur plurimum dolores, triſtitiæque poſteaquam per voces in fidum locum, amici ſcilicet pectus, a nobis eruperint. iridem iucundum, cum illo verſari, qui alter idem, a quo certiſſimè expectare poſſumus omnes vires, quæ nobis prodeſſe valent. Quod autem amicitia ciuibus vtilis, eorumque res valde confirmet, ideo tyrannis, quæ eos vt mancipia ducit, nihil proprietatis iure eos poſſidere permittens, amicitiæ cauſas, origineſque inter eoſdem, quantum poteſt, exterminare contendit. Supra oſtenſum, inter Dominum & ſeruum, Principem deſpoti-

cum

priuatas, vtpote inimicas communis boni apud ipſas ſtudijs, adeoque in ea paci & tranquillitati.

8 Verumenimuero hæc a Stoicis obiecta parum conficiunt contra cultum amicitiæ. Ecquis precor adeo ſublimis in virtute, qui amicitiæ ſuſtentaculo ac dulcedine minime indigeat? Hoc quidem ſapientis fuerit, moderate defectum amicorum perferre, adeoque poſſe, Dei auxilio fretum, vel ſine illis beatitudinem, vtpote in exilio, in carcere, in paupertate, conſequi: & quo ad hue, araneæ condicionem ipſum imitari, nihil vetat. Cæterum dulce eſt fomentum virtutis ab amicitia, vt retulimus, etiam in ſapientiſſimo. Quod autem intulere iidem Stoici de affectionibus animi, agnatis amicitiæ, id ex eo pendet, num eiuſmodi affectus omnino a ſapiente ſint admittendi nec ne: in qua re iam vniuerſus fere mundus a partibus Stoicorum receſſiſſe videtur. Porro tametſi amicitia ad paucos reducatur, nihiloſeſius ex illis paucis maxima vtilitas propagatur. Sin vero aliqui hominum cœtus, haſce priuatas amicitias ac conuentus proſcribant; id eo faciunt, quo nouerint, eiuſmodi focijs, vtpote in vna familia fratribus, non eſſe opus amicitia hac particulari, coercitaque, quum omnes in eis coaliri, viciſſim, etiam vel ſecundum leges arctiſſimæ amicitiæ, poterunt cenſeri amici: quorum amicitiam videntur aſpernari, eiſque diffidere, qui alias, ad exiguum numerum redactas, ſeorſim perſequuntur.

9 Quod ad ſodalitia ſpectat in ciuitate, intelligendum, ea ex amicitijs coaluiſſe, ſicut iſtæ propagatæ a naturali pietate in ſanguine coniunctis fuere. Vt ergo peculiaria quædam munera, bono publico valde vtilia, melius exercerentur in ciuitate, conuenere aliqui in ſodalitates, quorum vnitæ vires tam animorum, quam corporum, eis efferendis opportunius conducerent. Has in republica Romana olim repertas fuiſſe videtur ſignificare
Dionyſ. lib. 1. pag. 687. *Dionyſius. Sabinis irrumpentibus in agrum Romanum, Decemuiri fama aduentus hoſtium conſternati, ſodalitia ſua conuocant, & cum eis quid facto opus ſit conſulunt.* Diſcrimina quidem habent iſtæ ſodalitates, deſumpta ex diuerſitate proximorum finium, quos ſibi proponunt, vtpote fundibulariorum, militum, artificum, academicorum, ac eorum præcipue, qui vt veram ſapientiam pietatemque alijs tradant, de qui-
S. Thom. 2. 2 q. 153. art. 2. bus S. *Thomas*, in ſocietates ſeparatim conceſſere. Rebus autem publicis commodas eſſe, has ex eo liquet, quod in eis homines accuratiores, inſtructioreſque euadere poterunt ad certa munia, eaque optima proferenda, quam ſi ſolutius, laxiuſque viuentes, ea ſibi ſeorſim perficienda conſtituerent. Duo enim ſunt ad hæc adiumenta in ſodalitatibus. primum eſt religioſior auocatio ab alijs occupationibus, ex quo acrius reſtrictiorque oritur neruorum quoad proprias contenſio. Deinde, qui inter ſe ſodalitijs deuinciuntur, aptiores ſunt, qui ab alijs ſocijs ſuis inſtruantur adiuuenturque ad peculiaria illa ſua officia melius exequenda.

10 Cæterum non defuere, qui argumentis etiam maximis, contra huiuſmodi ſocietates diſputarunt: non quidem quod ipſo genere malæ ab eis habitæ, ſed quod hominum vel infirmitate vel malitia conſideratis, publicæ paci, adeoque bono communi ſæpius nociuæ. Enimuero iſtis ſodalitatibus valde procliue, abire in factiones, ſingularitate agendi a reliquis, cum exemplo, tum doctrina, diſſentire: non modo pugnare cum illis, qui popularem degunt vitam, ſua venditantes, verum etiam cum alijs, qui etiam ſodalitate aliqua ab ipſis differunt, inimicitias gerere. ac vtinam huius rei impreſſiones adhuc luctuoſo euentu in hac rerum luce non ſupereſſent. Hinc ciuiles Principes ſæpius leges ſcripſere contra ſodalitates, vtpote inæqualitatum, diſcriminum, factionum, ſeminaria, ac canere diligentiſſime, ne vllæ exſurgerent abſque eorum iudicijs & adprobationibus. qua in re neque defuit Eccleſia Chriſti, ordines Religioſorum non alios permittens, quam quos ipſa confirmarit. atque cum iſtorum ordinum multiplicitate, vt in Eccleſia maior vnitas ſeruaretur, quo ad multa, ſacroſanctum Concilium Tridentinum, Epiſcoporum iuriſdictionibus religioſorum officia ſubiecit.

11 At nequaquam exiſtimandum, multiplices hos ciuium conuentus, Eccleſiæ, vel reipublicæ vnitati omnino aduerſari. etenim in cœleſti Hierarchia varij ſanctorum ſpirituum ordines repetiuntur, qui cum vni Deo obtemperent ac dimittantur, tum concordi vnitati haud aduerſantur. Simile huic cernitur in Dei Eccleſia: in qua omnes ſocietates, quo ad internum influxum, vt oſtendit Doctor Angelicus, ab eodem Chriſto S. Thom. 2. 2 capite ac Spiritu Sancto gubernantur & il- q. 183. art. 2. ad 1. luſtrantur. ac quantum ad regimen exterius, per Epiſcopos, præſertim ſummũ Pontificem, ad vnitatem maximam reducuntur. *Augetur* Ambroſ. *Eccleſia*, inquit S. *Ambroſius*, *cœtu Eccleſiæ, fidei* lib. de off. *conſortio, imitandi ſanctitate, percipiendæ gratiæ* cap. 33. *neceſſitudine, myſteriorum communione.* pari modo in republica ciuili, ſodalitates, principis, legum, ac finis ex bono communi vnitatibus, inter ſe apte connectuntur.

12 Verum omnino, optimis quibuſque inſtitutis mala quædam eſſe inſeſta: ac inter reliqua, paſſim animoſitates & inuidentias ſodalitia affectari. Prouidendum itaque, non vt omnino non ſint, ſed vt in eis ſocij vnius Dei honoris cupiditate, ac boni communis ſtudio, inflammentur: ſic enim in iſtis communicantes, vt membra in eodem corpore, inter ſe ſuauius cohærebunt. Sin vero careant vniuerſali hoc propoſito pietatis, tam Eccleſiæ, quam reipublicæ ſuis diſparitatum factionibus plurimum nocebunt. Prouidere ergo debet princeps, cui harum ſodalitatum inſtituendarum cura incumbit, vt non

niſi graui neceſſitate vrgente oriri permittantur, vel multum ſoboleſcere, ne humana infirmitate præualente, diſcordes & mutuo contumelioſæ euadant: maxime cum plures idem ferme genus occupationis profitentur: ſic enim facile vna in alterius meſſem, falcem immittet cum iniuria illius, æmulatione nempe contentioneque ardentes. qua in re non eſt ſuperiori perpetuo ſtatuendum ex eo, quod ſimpliciter & ſuo genere maxime optabile & perfectum, ſed potius ex euentu, morali certitudine futuro, ſiue ab imbecillitate, ſiue malitia hominum is euentus profluxerit: non enim debent contra charitatem prououeri ſodalitates, quæ charitatis ergo deſiderandæ. Meo iudicio in hunc finem, ac ad auertenda mala plurima, haud leue fuerit momentum, diuerſitates ſodalitatum, quantum fieri poterit, reuocare ad vnitatem exterioris regiminis. quod quodammodo deſignaſſe videtur Concilium Tridentinum, iuriſdictionem Epiſcopalem ad religioſos extendens. nam dubio procul, vnitas exterioris regiminis multum conducit cum ad internam, tum ad externam, etiam animorum vnionem ac concordiam inter ciues: ex qua vnitate paſſim pronunciant Theologi, fidei ac morum vnitates in Eccleſia Catholica profluxiſſe; & vtriuſque diſcrepantias ideo apud hæreticos eſſe conſpicuas, quod eiuſmodi vnitate exterioris regiminis, ob ſuam ſuperbiam deſtituantur.

13 Itaque ſodales iſtis ordinibus duo debent conſiderare. primum, multiplicia, diſſimiliaque diuerſarum ſodalitatū comprehendit. alterum vnitatem ſiue communis finis, ſiue exterioris regiminis, reſpicit. Ex illo, ſcilicet ex multitudine diſparata, & diſſimilitudine oriuntur diſſidia inter ſodales diſtinctorum ordinum. ex poſteriori, nempe ex eius vnitate, concordia & charitas inter eoſdem propagantur. Huius rei duo exempla recolit *S. Paulus*. vnum eorum, qui gloriam captare volebant a perſonis, a quibus erant baptizati. *Ego quidem ſum Pauli, ego vero Cephæ: ego autem Christi.* iſtis, vtpote multis, a Corinthijs conſideratis, agebantur inde in factiones & diſceſſus. mox oſtendit eiſdem quid vnum, cuius intuitu deberent inter ſe vniri & in vnum conciliari: *Diuiſus eſt Chriſtus?* iſtis innuens, omnes baptizatos in vno Chriſto conuenire & conſpirare, ac proinde alienos eſſe debere a factionibus. Alterum exemplum allatum ab eodem Apoſtolo, deſumitur a multis membris in vno eodemque corpore. *In vno corpore multa membra habemus* iſtis enarrauit in corpore quædam plura, ab vnitate remota: quippe membra, figura & munere diſcriminata: *Omnia autem membra non eundem actum habent.* poſtea oſtendit multorum membrorum vnitatem eſſe, ex vno corpore, quod componunt: *In vno corpore multa membra habemus.* Ex quibus concludit, debere fideles, vt vna charitate conſo-

1.Cor. 1.

Rom. 12.

cientur, illud expendere, quo omnes, veluti in organo fiſtulæ, ſunt vnum corpus Chriſti myſticum, & *Singuli alter alterius membra.* Quamobrem quando diuerſorum ordinum ſodales inter ſe detrahendo, iniurias inferendo, minime conueniunt, ſignum eſt, eos expendere ſolum ea quæ illos diſſimiles reddunt, non vero finis vnitatem: nempe bonum publicum, maiorem Dei gloriam, Eccleſiæ prouentum; quibus animo perceptis & amatis, pax & vnitas inter eos ſeruarentur. Idcirco huic varietati inter ſodales diſtinctorū ordinum, præter vnitatem finis, quo minus in diſſidia tendant, ſubuenit vnitas regiminis: vtpote quo in ſtatu politico variorum ordinum ſodales, vni magiſtratui ſubijciuntur: & in Eccleſia, quatenus omnium ordinum ſodales, vni Romano Pontifici obtemperant. quod ſi hæc poſterior vnitas regiminis; quod nempe a ſingulis remotior, non ſufficiat ad continendum Religioſos in vnitate charitatis, ad id tunc iuuabit vicinior vnitas ex imperijs Epiſcoporum ſeorſim in ſuis diœceſibus. Quod vero inter alia, quæ alteri debentur, ſit ritus ciuilis, honori impenſus, de illo iam diſſerendum.

Epheſ. 4.

CAPVT XXV.

De ſignis Honorarijs inter Ciues.

DVo ſunt in republica, quibus honor, externa aliqua ſpecie expreſſus, debetur; virtus ſcilicet, ac poteſtas. quorum principalis virtus, quantum ad debitum honoris accipiendi: ab illa ſecunda, poteſtas: vt nempe a virtute deriuata, & ad illam directa contendit. Conſulto idcirco *Caius Marius* ædem eandem virtuti atque honori conſecrauit, vt refert *Sigonius*; volens oſtendere, honorem aſſeclam eſſe, & quaſi vmbram virtutis. quamobrem virtute, aut poteſtate præditis, negari in ciuitate honor non poterit abſque iniuſtitia, aut nota acerbi horridique ingenij. quo in genere eo maior iniuria, quo honor in ſummis bonis externis, ab hominibus haberi ſolet: quippe bonum rationis, ac proprium virtutis prœmium, eiuſdem quoque clara quædam ſignificatio. idcirco apud Romanos maxima prœmiatio ciuis, vtpote ob conſeruatum ciuem, erat ab honore conſtituta; cum reliquis benefactis coronæ, aut quæſtus aliquis, tribuerentur. *O mores antiquos* inquit *Plinius*, *qui tanta opera honori ſoli deuouerint: & cum reliquas coronas auro commendarent, ſalutem ciuis in precio eſſe noluerint, clara profeſſione ſignificantes, ſeruare quidem hominem nefas eſſe lucri cauſa!* ob quam cauſam Romani, etiam hoſtili odio mutuo infenſiſſimi, ad exemplum *Cæſaris* in *Pompeium*, abſtinebant

Sig in Faſt.

Plin. l. 17 Hiſt. cap. 4.

ſtinebant a verborum contumelijs: honoris titulos etiam irati concedere non dedignabantur. Cic.l 6.epi. Fam.ep.6. *In quo*, inquit *Cicero*, *admirari ſoleo grauitatem, & iuſtitiam, & ſapientiam Cæſaris: nunquam niſi honorificentiſſime Pompeium appellat, at in eius perſonam multa fecit aſperius. armorum iſta & victoria ſunt facta, non Cæſaris.* Honor itaque vnicuique concedendus ex modo virtutis ac poteſtatis, idque decore quodam ritus externi, adeoque ex genuina animi ſententia. a cuius ſolutione gentes auerſæ, parum faciunt bonum commune, ſimul ac ingenia oſtendunt rudia ac impolita, etiam ad ſe contracta, quippe quæ nullo ſtudio cultus ad aliorum beneficia vel ornamenta tranſire volunt. Et quidem interdum ſola ignorantia, cauſa exiſtit neglectus in hoc genere, quando nempe aliquis errorem ex exceſſu vel defectu veritus, neque ſpeciem rectam honoris deferendi animo concipiens, ruſticana quadam verecundia impeditus, ab omni cæremonia ciuilis honoris pendendi ſe abſtinere ſtatuit.

2 Vt autem certa ratio in hac ciuili actione decernatur, intelligendum, tam ipſa forma, quam exceſſu, & defectu a ciuibus in ea peccari poſſe. Forma ea inciuilis, quæ innuſitata, quæ ruſtica, quæ leuior, aut ſegnitie quadam ſtupidior: ac aliquid prodit, quod ad ciuiles congreſſus ineptitudinem declaret cultoris. Exceſſus tunc fit, quando amplior eſt cæremoniæ repræſentatio, ſiue verbis, ſiue geſtu corporis, ſiue vtriſque perficiatur, quam poſtulat condicio perſonæ, aut ab aliquo accepti beneficij agnitio exprimenda. quamobrem popularis eſt culpa, quando nonnulli, quo valde ciuiles, vrbani, argutuli, ad loquendum prompti ac copioſi appareant, verba, gratificatoria aut ſalutatoria abſque omni lege vel numero effundunt, non ſenſu, ne dum halitu, ea dimetientes; quibus ſatis, ſi reſpondendi facultatem continuata loquendi ſerie, ei, quem compellant, ademerint. Cui exundantiæ ſermonis, accedunt plerumque vaſtæ quædam brachiorum iactationes, totius corporis immanes inflexiones, aut ad morem ſimiæ hac & illac per gyros curſus ac recurſus variæ geſticulationes. qui ritus ita a natura abhorret, vt qui illum exerceant, nunquam rem ſeriam agere, aut ex vero animi affectu, ſed docte ſolum, veluti in ſcena perſonati alicuius munus præſtare videantur. incurrunt itaque plerumque iſti in notam hominis leuioris iudicij, & eius, qui non certa notitia, ſed corporis dumtaxat motu, linguæ volubilitate, ingenij præcipitantia omnem vrbanitatis rationem apud ſe conſtituerit. aduerſantur porro, modum excedentes, dignitati ſuæ perſonæ: nam ſeipſos quodammodo abijciunt, qui plus ſalutationis, quam eis iure conuenit, alijs impendunt, geſtu ac verbis ignobiliter laſciuientes. Cum quidam libellum ſupplicem *Auguſto* Imperatori porrigeret, indicare volens metum, quem a tanta maieſtate animo iam conceperat, nunc brachium porrexit, ſubinde ſeipſum quaſi corrigens, illud retraxit. Cui *Imperator*: *Quid? num Elephanto ſtipem porrigis?* Suet. in Aug. Defectus autem contingere ſolet vel ex ſuperbia, vel ex quadam ruſticitate. rigidior hac in re plerumque ſuperbia quam par eſt, ac renuit alteri cultum ſoluere, quem aut ſpernit, vel negligit: neque in ſe admittere vult illam ſui dimiſſionem, quæ eiuſmodi cultui vulgariter inſeruire ſolet. ruſticitas vero prorſus arida eſt quo ad beneuolentiam in alios, & in honores alteri tribuendos minus propenſa.

3 Vt autem ciuilis quædam mediocritas in hoc ſtudio honorario ſeruetur, intelligendum, eius decus præcipue ſpectari in apta quadam proportione ritus externi ad affectum, in cultum deferente, & perſonam, cui defertur. Etenim hac in re ſpectabilis improportio, ſi non excuſetur leuioris animi indicio, habebitur aut doli, aut adulationis exploratiſſimum machinamentum. Vt enim dolus occultius lateat, videbitur indigere huiuſmodi albo cæremoniæ, & quaſi in volumina complicatis contrariæ amicitiæ formis. Similiter vt culta perſona inducatur in voluntatem præſtandi aliquod beneficium, idoneum reputatur, illum prius honorum blandimentis ineſcare & irretire. Vtraque ſine dubio odioſa, quam primum exceſſu aliquo conſtiterint. oritur quoque aliunde hæc improportio, nempe quando natura ex ſe nata non eſt ad exhibendum hunc cultum: proinde in eius figura, inſignis aliqua effectatio, curaque elaborata, ſemper apparent. Admonuit itaque ſic *Quintilianus*: *Norit ſe quiſque, nec tantum ex communibus præceptis, ſed etiam ex natura ſua capiat conſilium formandæ actionis.* Quint li. 11 cap. 3. Reprehenſus idcirco olim *Paulus Samoſatenus*, in quodam Concilio Aſiano, vt ſcribit *Euſebius Cæſarienſis*, Euſ. l 7. Hiſt cap. 24. quod concionando dexteram laxius, vaſtiuſque iactaret: quod palmam, ad fœmur illideret, thronumque vehementius pede concuteret. Nullus ſane prudens, qui audita viſaque alterius ſalutatione, ſecum non expendit cauſas, quæ eundum ad id præſtandum compulere. Quocirca ſi modo ſe, ac ſalutantem librans, aliquam improportionem inuenerit, illico ad eius odium, vel contemptum incitabitur. Exceſſus quippe iſte, de quo loquimur, plerumque propagatur ex immoderato ſui amore, cuius & colore tinctus aliorum oculis euadit conſpicuus. Sunt enim qui ita ſeipſos amant, vt non niſi immenſos ab alijs honores conſequi appetant: proinde in eis deferendis volunt modum excedere, vt ſemente quaſi iacto, ſimiles inde cauponentur. alij ad id ſe amant, vt ciuiles, vrbani, idque in primo flore, ab alijs reputentur. denique nonnulli ita ſe diligunt, vt magnorum commodorum cupiditatibus teneantur: proinde cunctis blandi, & in comitates effuſi ad exemplum *Abſolonis*: 2. Reg c. 15. quo exſpectata emolumenta prenſantes, demum conſequantur. Hi omnes honores minus debitos conferentes, ſuo ſpectato fine ſæpiſſime fruſtrantur: nã cũ eis ſibi aliorũ amores conciliare deberẽt, patefacientes

hoc pacto ſe incenſos eſſe ſui amatores, ſubdolos, fucatos, lucri appetentes, odia ſibi conflant potius eo ac vituperia. Et quemadmodum inſignis ſui amor extremam malitiam ſibi perpetuo annexam habet, ita honores illos altos, exoticos, immenſoſque efferentes, vt ingenium produnt ſui amantiſſimum, ita pariter ſumma malitia armatum ac dentatum eodem oſtendunt.

Cum voce te Dominum, noli tibi Cinna, placere,
Martial, Epigr. 6. *Sæpe etiam ſeruum ſic reſalute meum.*

Enimuero dolendum, tam honeſtum vitæ officium, fraudibus & maleuolentiæ frequentius ancillari. neque hauu ægre ferendum, etiam præclaros ſpiritus in hoc ſtudio falli, exiſtimantes eos, quos ſalutant, non trutinaturos omnia pondera ipſis exhibitæ reuerentiæ, non diſcuſſuros intima quæque eiuſdem viſcera ac ſententias. nam amor ſui & deſiderium exſpectati finis illos nonnunquã obcœcant, iuxta ac credere faciunt, ſua, quæ animis complicant, non videri ab alijs per tráſennas & reticula cæremoniatum. Vbi ergo limites ſuperant iſtæ honorariæ compellationes, non eſt exiſtimandum, ibi repiriri palmam ciuilitatis, eo quod, vt dixi, coniungantur plerumque cum extrema malitia & fraudibus, a quibus vitæ ciuilis ſuauitas, & inter ciues confidentia extinguuntur. Suauitatem ac confidentiam, fructus eſſe ciuilis vitæ, ſatis manifeſtum. Chinenſes, qui in hoc genere omnium mortalium maxime immenſi, ijdem incredibili malignitate in minus fauentes, nulla crudelitate, vt intellexi, exſaturanda, deprauatiſſimi.

4 In hunc ipſum finem conſequendi honores, cura & affectatio titulorum, nominum altitudinines & amplitudines conquiſitæ conducunt: quibus aliqui nobilitari & exornari
Capitol in Maximino Iuniori. exemplo *Maximini* iunioris apud *Capitolinum*, ſummopere ambiunt: exiſtimantes, eorum acceſſu ſe in apices quoſdam ſupra aliorum ſortem eleuandos, & veluti quibuſdam ſtellis hic in terra illuſtrandos. in eundem ſcopum, pretioſæ ac pompaticæ veſtes parantur, pallatia regio plane ſumptu extruuntur, quorum triſtegæ, faſtigia, frontiſpicia, fornices, turres, feneſtræ, omnia denique, neſcio quas proclamant habitantium dominorum ſublimitates. adeuntibus ipſos ac inuiſentibus proponitur mira, artificioſa ac ſumptuoſa ſuppellex, vtpote menſarum conuiuialium, parietum, hortorum & aliorum, quorum obiectu maximos poſſeſſorum honores, ſtupeſcentes clientes, aut conuenientes, demirentur. Hæc, & huiuſmodi, licet vulgarium oculis ingentem quandam vim vrbanitatis inferre ſoleant, meo tamen iudició, ab ea exiſtunt alieniſſima. quis enim, cum alterius nominis grandes voces, & verborum ampullatos ſonos audiuerit, non ſtatim ſe illis non inumbrari modo, verum inſuper ad exilitatem pygmæi vel pumilionis redigi, longe ſub ipſorum tonitruis inferius ſubſidentem deijci, adeoque abiectũ ſordeſcere ſentiet? nũ expectae iſtis compellandus, vt alij eius nomenclaturam auribus excipientes, in ſeipſis naturam ipſam illico reprimant, patienterque ſinant, ſe ea obſcurari, extenuari, in imum detrudi, quaſi in nihil aliud eſſent intenti, quam vt ipſis honores impendant, & eorum clangoribus, omnibus alijs miſſis, delectentur? Falluntur dubio procul, ſi apud ſe ita conſtituerint; nimis enim hac in re homines ſumus, nimis in vniuerſis ſuperbit ac renititur honoris vel æqualitatis cupiditas: quos proinde ægre ſemper habebit, ſeruire, adulari, ſalutare, interim inglorios eſſe, vt alij ad gloriam eorum cultu & ſubmiſſione perueniſſe videantur. Imo, quis rerum præteritatum memoriam animo complectens, non perſpiciet, honorarios iſtos ominum fumulos, ac ſonoros ſtrepitus, quam plurimis exitiales potius fuiſſe, incolumitati, ne dum decori eorum haud congruentes? *Cæſar*, teſte *Floro*, *Titu-* Flor Epit.
lo Patris Patriæ, perpetui Dictatoris, ſeu Interregis, vt Cicer lib. de
ait *Cicero*, *& non aſſurgens ſenatui deferenti hos ho-* legib.
nores, ad ædem Veneris in inuidiam incidit. Cui pote- Xiphil. in Adran.
ſtas abrogata, & coniuratio in eum facta. ob quam Xiphil. in
cauſam *Adrianus* vetuit ſibi a Senatu alios ho- Senec.
nores deferri, quam quos ipſe peteret. Cuius rei periculum animo percipiens *Seuerus* Imperator, *Deplorauit humanam conditionem, quod ſummos honores non ferat.* Eodem recidit nimius ſplendor ſeu magnificentia ædificiorum, quorum oſtentu exiſtimant aliqui, ſe peruaſuros ad æſtimationes admirationeſque popularium. De Cicer. 1. lib.
quo inſtituto hæc *Cicero*: *Nuda eſt etiam dignitas* 1. off.
domus. non eſt in domo tota dignitas ponenda, nec domo Dominus, ſed Domino domus honeſtanda.

5 Quod vero iſtius gloriolæ nimia cupiditas ſit inciuilis quædam intemperies, in turbarum motus ac diſſentiones præceps ardenſque, id ex duobus conſtat. Principio quod vbi ea viget, ibi ſit magnus receſſus ab æqualitate illa naturali, quæ bono communi ac paci opportuniſſima. Cum autem natura auctrice, omnes ſint æquales, conabuntur ciues, quantum poterint, idque vi naturalis inſtinctus, exceſſum hunc & inæqualitatem ſuperbiæ expugnare, ac poſtliminio natiuam æqualitatem inducere. nam ſicut a nimio ſui amore ſignificationes iſtæ ambitioſiores proficiſcuntur, ita cum malitia vel contemptu in alios coniunguntur: qui animorum affectus rabioſi ſunt, in iniurias quippe ac violentias propenſiſſimi. Hinc *Seneca* recte affirmauit, huiuſmodi amplas ac regias ædium ſtructuras, anxietatum & timorum eſſe
officinas & receptacula: *Nunc magna pars noſtri* Senec. Epiſt.
metus, tecta ſunt. Antiqui vero, ignorantia rerum in- 90.
nocentes erant. Quod ſi inuidentia ad haſce rerum externarum gloriolas non peruadat, ad eas tamen auiditas aliquando pertinget. Vnde imprudens cenſebatur Rex Iſrael *Eze-* 4. Reg. 20.
chias, qui externis legatis Regis Babyloniorum, ſuos theſauros oſtenderit. *Cleopatra* eiuſdem culpæ meritò inſumulata, quæ dum ambitioni ſtuduit velificari, ornamenta & pretioſa quæque *Cæſari* victori, & Romano, monſtrabat. Lucan. 10.

——*proh cæcus, & amens*
Ambitione furor, ciuilia bella gerenti
Diuitias aperire ſuas, incendere mentem
Hoſpitis itati!

6. Altera cauſa iſtius odij, quod honoris &

cultus

cultus loco ſuccedit, reperitur in præpoſtero eius hominis inſtituto, qui nominibus, titulis, veſtibus, ſuppellectili, ædificijs ad honorem adſpirare contendit, cum vel natura iudice, non iſtis, ſed ſoli virtuti honor concedendus. odioſa idcirco hæc inepta ac innaturalis honorum cauponatio. Quamobrem dum antiquitatis memoriam mecum repeto, quos priſca illa tempora potentea inter nobiles, & aliorum amoribus munitos, mihi ſpectandos exhibent, illos omnes, quò ad honorariam compellationem, veſtes, domus, conuiuia, valde moderatos, & parum a plebeio ritu recedentes inuenio. Noluere hi viri ſanè magnanimi, aliquid in ipſis, ac circa ſe ſpectari, in admiratione eſſe, præter virtutem, præter animi in alijs magnificentiam, charitatem, fortitudinem: dedignati alias notas extra ſe poſitas, & aliorum manibus expreſſas, ſibi adſciſcere, ex quibus præ alijs clari, ad honores ac fauores aliorum inſurgerent. quod ſi inter ipſos, & alios aliquid diſcriminis ſit conſtituendum, id voluere eſſe in virtute, qua ipſi excellerent, non in alijs rebus reponi: ſtudentea potius, vt iſtis ſimiliores ac viciniorea Deo reliquis apparerent. hi ſanè verè ciuiles ac magni viri extitere. In quorum claſſe conſpicuus *Laurentius Medices* dux Hetruriæ, qui vt narrat *Iouius* aliter ſepeliri ſe vetuit quam vulgari ritu. Defectus autem eſt ciuilitatis, formas diſparitatū in republica collocare in meris titulis, in veſtibus, in ædibus, ac ſimilibus nugis: nam odioſum eſt, & omnibus vitijs agnatum hoc animi propoſitum. Simplicitas idcirco illa priſca genuine ciuilis, hæc vero artificioſa noſtra voluptas, elaboratus noſter faſtus, fucata ac pulcrè picturata eſt barbaries. Etenim virtutibus ſuis ciuea modò diffidentes, quibus potius carent, recipiunt ſe ad hoſce apparatus corporum, ad nominum ſplendores, vt honores prorſus extortos & falſatos conſequantur: quorum omnis fælicitas bractcata, vt loquitur *Seneca*. Exceſſus itaque iſte ciuilis vitæ, in extremum barbariei tandem erumpit. Qui autem iſtis hominibus, externis duntaxat bonis inſignitis, honores attribuunt, adulatores plerumque ſunt, non cultores. illos idcirco nuncupat *Ariſtoteles* δούλους ſeruos, quod nempe ſeruili inſtituto, non ſponte, aut ex iudicio, honores alijs deferant. Itaque quando quoad hæc ratio deſeritur, tunc hi, qui honorandi, ſui amantes maleuoli itidem, & vitioſi reperiuntur: qui verò honores largiuntur, adulatores ſunt, ſerui ſunt: quæ hominum condicionea ſine dubio optimo ſtatui reipublicæ plurimum aduerſantur. & qui ſerui eſſe recuſant, euadunt plerumque hoſtes. nam, vt dicebat *Auguſtus*, *Regna præter cætera hanc difficultatem habent, quod non ſolum hoſtes, vt cæteri faciunt, ſed etiam amicos & neceſſarios timemus.* & ob hanc cauſam *Alexander Seuerus Dominus* appellari noluit, vt *Lampridius* narrat. Laudandū ea propter eorum principum ac virorum magnatum illud ſtudium, quo ſuas dignitates occultarunt potiua, & ad communem rimm viuendi quam proximè accedere voluerunt: vt enim odioſum, ac durum, morem alijs gerere, eorum nominibus ac perſonis honores dipendere, cum ſimua omnes natura parea, ita hæc muneta libentius præſtiterint ciues, quando nihil faſtus aut amoris exotici in eis depræhendunt, qui ab ipſis honorandi: aliter comparatis licet honores concedant, id tamen faciunt inuiti, ac vim quandam ſibijpſis inferentes; & proinde in eis hoc officium nō manebit diuturnum. Verum quidem eſt, quod ad titulos, ædificia, famulatus ac veſtes, admittendam in republica eam inæqualitatem, quæ poteſtatis gradibus aptè accommodetur: nihilominus omnis hæc inęqualitas demum ad inæqualitatem virtutis peruenit: quatenus inſtituto naturæ, qui potentia clariores & auguſtiores, illi virtutibus debent eſſe nobiliores, vt poſtea demonſtrabitur. Sin vero externorum inæqualitas careat hoc fundamento inæqualis virtutis: multò magis, ſi virture expulſa, ſolis vitiis ſuſtentetur, vtpote arrogantia, crudelitate, aliorum contemptu, ciuilis appellari nequit, barbarica potius eſt & truculenta. Neque ſolum, quantum ad hoc inſtitutum ciuile, habenda ratio bonorum ciuium, ac ſubactorum diſciplinis humilitatis, ſed etiam vulgarium, qui plerumque ægrè adducuntur ad honores ſoluendos; qui ſuperbi, qui refractarij ſtomachantur, ac iraſcuntur, cū viderint ſe aliorum nominibus ac notis obnubilari, aut nimium obſcuros reddi: iſtis etiam aliquo modo in ciuitate, quod ad rem honorariam conſulendum.

7. Quæ quidem exundantia faſtus ac cultus vt in omnibus inciuilis, ita in Eccleſiæ Præſulibus vel Principibus maximè vituperabilis. Scire itaque conuenit, in vniuerſum externum apparatum ædium, veſtium, famulorum, clientum, curruum, equorum, & ſimilium, Eccleſiaſticis magnatibus concedi, quo inde popularium imbecillitati conſulatur, nempe vt inde idoneam animis capeſſant notionem illius ſtatus, & dignitatis ex virtute, quibus illi conſpicui gaudēt, non valentes plerumque abſque eiuſmodi ſignis, debitè eas ſuis ſentētijs metiri. nam in republica cœleſti, in qua virtus ipſa omnibus incolis ſatis ex ſe nota, pręter excellentias naturarum ac ſplendorum a diuina luce, nihil eſt ab externo ritu ſeu pompa diſcriminis, quo ſuperiorea ab inferioribus diſtinguantur. Quamobrem cum populares deprehenderint, viros Eccleſiaſticos in iſtis modum exceſſiſſe, illico pronunciabunt, in eiſdem ne micam quidem caſtitatis, charitatis, aut humilitatis poſſe ineſſe, ſed potius contraria vitia inde ſignificari ac ſtabiliri. ſecū dicent, quid præceptoribus virtutum cum munimentis vitiorum? Sapientiſſimè itaque Sanctiſſimus D. N. *Vrbanus Octauus*, quod ad hæc, vt intellexi, Romæ Prælatorum ac Religioſorum mores coercuit, ac illos docuit, eorum æſtimationes & honores a ſolidis virtutibus, intellectualibus & Actiuis, requirendas, non vero ab huiuſmodi nugarum fucis, aut eis rebus, quæ bonis & improbis, ſtultis iuxta ac ſapientibus, communes. enimuero ſatius, optabilius, Romam Sapientem, Piam, virtutum diſciplinis reſtrictam, quam argenteam, quam auream, quam curulem, ab eam adeuntibus reperiri.

Iouius in vit. Leon. 10.

Senec. epiſt. 80.

Ariſt. 3 Eth.

Xiphil. in Auguſt.

Lamprid. in Alex. Seu.

CAPVT. XXVI.

Quanam in parte ciuilitatis habenda cum externis hominibus conuerſatio.

INter alia particularia naturæ admiranda, vnum, veluti multorum compendium, haberi ſolet hoc terrę, eius comparatione facta cum cœlo, punctulum: nempe in quo homines, ingenijs, moribus, habitu corporis, veſtibus, diſciplinis, adeo diſcrepantes viuunt, a quo tanquam a communi matre cuncti aluntur: qui in tam exiguo eius ſitu differentijs ſuis numero propemodum infinitis pugnare & ſeorſim agere videntur.

——— *totaque diſcors*
Lucan. lib. 1. *Machina diuulſi turbabit fœdera mundi.*

Mirum ſanè in tam anguſtam tabellam, naturā adeo diuerſos colores humanorum ingeniorum compuliſſe. neque ſolum in eis varietatem molita, verum diuerſimodè, quà maris vaſtiſſimis interfluentibus tractibus, quà locorum diuerſorum ſpacijs, qua altiſſimis montium iugis, hos ab illis diremptos eſſe mandauit. Nihilominus, licet in hac multiplicitate omnipotens Deus elucere voluit varias imagines ſuæ perfectionis, ſuamque ad producendum immenſam fœcunditatem eodem oſtendere, omnia tamen quadam vnitate ac conuenientia concinne inter ſe cohærere fecit: adeoque vniuerſale aliquod bonum inter ea afferri curauit, in quo mortales cōmune quoddā ius vbique gentium ſortirentur: ad idæam, vt videatur, ſuijpſius qui perſonis trinus, Deitate tamen ac fælicitate vnus ſubſiſtit. Inprimis vniuerſis indidit ſenſum vnius Numinis, in cuius cognitione, cultu & amore cuncti conſpirarent: ex quibus officijs, vti diximus, propagatur inter homines charitas, cuius vi, quò ad bona diuina, vnus alteri prodeſſe poſſit ac debet: a quo, vtpote conciue & fratre, nullo diuortio habitionis ita aliquis ſecernitur, quin oporteat interdum ipſum con-
1. Cor. 6. uenire, alloqui, inſtruere, beneuolentiam eidem impertiri: ac conſequenter aliquid ciuilis actionis in eius gratiam exprimere. Ad hanc porro conſentionem vel diſſitarum Nationum, idem Deus naturæ opere homines multifariam ordinauit: vtpote vnius ſolis iucundo aſpectu, & influxu, vnius maris immenſitate totam terræ ſphæram ambiente, viamque variam præbente, qua nauali itinere per omnes orbis oras terræ incolæ diſcurrant. Pariter terra ſic ſuos fœtus herbarum, arborum, auri, argenti, gēmarum, volucrum, ſeminum, liquorum, ſegetumque producere fecit, vt iſto commodo eius aliqua parte deſtituta, eiuſdem habitatores inuitentur ad congreſſum cum alijs, ad mercimoniæ familiaritatem, quo eius vſibus potiantur. Denique Chriſtus Dominus ſuo aduentu & inſtitutione plerima contulit ad has diuerſarū Nationum coitiones, & amicas quaſdam inter eas ſocietates facientia. etenim, natus licet fuerit in Iudæa, ibi vixerit, diſputauerit, miracula præſtiterit, mortuus, & ſepultus fuerit, quod tamen arcana fidei literis hæbraicis, Syriacis, græcis ac latinis, deſcribi diuina prouidentia decreuerit, eodem Gentium, numero ac ſitu diſcretarum, mutuam conuerſationem ſingulis vtilem reddidit, cum pietatis, tum eruditionis cauſa ſuſceptum. Ipſius etiam Sacramenta, quæ oleo, balſamo, vino, ac pane triticeo conſtant, ab omnibus haberi nequeunt, niſi eorum materiæ, ſeu elementa, foras ad aliquos, vt conſtat importentur. Accedit Romani Pontificis primatus a Chriſto Domino ſtatutus: cuius imperio, quà Concilia generalia mandando, quà remotos populos ad ſe vocando, plurimas ſuppeditat occaſiones conuentuum cum externis Nationibus. Mihi idcirco rectum iudicium monſtraſſe videtur *Socrates*; qui teſte *Cicerone* a quodam interrogatus, Cuius eſſet, reſpondit: Cicer. Tuſcul. 5. *Mundanum; totius enim mundi ſe incolam & ciuem arbitrabatur.*

2. Verum quidem eſt, errores ac peccata aliquantulum detraxiſſe de appetitu in homine iſtius amici congreſſus, natura alioqui ei ingenitn. Cum enim externi auidi euaſerint ad alias nationes ſibi ſubiugandas, facili dilapſu ſignificationis idē externus, quod hoſtis, eſſe cœpit, vt *Cicero* adnotauit. Cicer. lib. 1. offi. Ob hanc cauſam Gallobelgæ externos mercatores ad ſe venientes antiquitus haud admiſere, vt ſcribit *Cæſar*: veriti ne eorum adductis delitijs effæminarentur. Cæſar. lib. Com. Chinenſes pariter nullos externos permittūt ad ſe appellere; veriti imbellis gens, ne eorum armis eſſent tandem debellandi, exturbandi. Et quidem Stoici, qui artium mechanicarum vituperatores, qui vnicuique hominum parabilem e vicino victum conſtituunt, ij cum mercimoniis externarum gentium, magna ex parte prohibent cum eiſdem ſocietatum neceſſitudines. Legem *Lycurgi* recenſet *Plutarchus*: Plutarch. in Agil. & in Lycurgo. *Peregrinos eijciendos cenſuis, qui non eam quam ipſe inſtituerat, viuendi normam & inſtitutam ſeruare vellent, non ſane corporibus illorum hoſtis exiſtens, ſed viuendi eorum modum reformidans, ne ciuibus ſuis permiſti, eos quoque luxuria & diuitiarum inficerent cupiditate. Vnde neque peregrinari volentibus vagarique permittebat, vtpote qui colligentes peregrinos mores ac inepte viuentium peregrinationes, ac rerumpublicarum differentiam inueherent.* Creti quoque & Coſini, teſte *Ariſtotele*, perigrinos excluſere. Ariſt. 2. Pol. cap. 8.

3. Inualeſcit itaque plerumque error popularium, exiſtimantium, propriam Gentem vnice quaſi ac ſolam, Deo charam eſſe, omnibus quippe ab illo naturæ decoribus ornatam, reliquas vero orbis partes ab illo quodammodo neglectas, ad ruditatem deſtinatas: adeo vt quicquid illis occurrat peregrinum, id illico inſulſum, ieiunum ac ridiculum videatur. Cæterum bonus in omnes Deus, ita ſua dona cœli influxu temperauit, vt nulla plane terræ extet ora, quæ non aliquo præcellenti beneficio ab ipſo illuſtrata ſit: ideoque digna, cuius incolæ vbique locorum amanter ab externis excipiantur ac benigne ab eiſdem tractentur. Proinde qui aliter ſentiunt non alij, quam quorum intelligentiæ anguſtis proprij laris terminis definitæ, latius ad vniuerſa naturæ opera contemplanda non ſpatiantur. Proinde in Septentrio-

ne

ne nati, exiſtimant, omnia Auſtrum verſus aut arenoſa eſſe aut torrida: cum ſolo, etiã & ingenia incolarum, in ariditates euanuiſſe. Contrà, qui in Oriente vel Auſtro degunt, ſibi perſuaſũ habent, incolas Septentrionis in meras carnium maſſas, & ſordidos ritus eſſe turpiter concretos: denique quod gentilitium non eſt, id inurbanum, abſonum, inconditumque ab illis reputatur. Verumenimuero huic falſæ æſtimationi aduerſatur inprimis vnius Dei, omnium conditoris & parentis, cognitio: non enim exiſtimandum, ipſum in vnam aliquam Nationem vniuerſa ſua decora contuliſſe, ſed in ſingulis aliquid ſeorſim in precio ac admiratione habendum collocaſſe. Cœlum quidem ita luminibus diſtinxit, vt vix dici poſſit, quænam eius plaga venuſtior, extremane an media. Et quãuis, quod alibi explicatum, ingeniorum differentiæ, ac eorum præſtantiæ oriantur a diuerſis terræ huius tractibus, cœli conſtellationibus variò ſubiectis: nihilominus vt de palmis ingeniorum rectè iudicemus, præter terræ ſitum, animis comprehendere debemus habitantium etiam exercitia, ſiue bellica, ſiue pacifica, piſcatoria, venatoria, equeſtria, pedeſtria, vrbana, campeſtria fuerint: etenim melius ingenium ab exercitio & vſu euadet in Septentrione, quã illud, quod in medio ſitu, otio contabeſcit. at vero huiuſmodi exercitia in omnibus fermè locis, diſtinctis licet generibus, flagrant, ac eis ingenia ad miram quandam perfectionem vbique loci exacuuntur & excoluntur. Quamobrẽ ſentiendum, vnicuique Genti a Deo attributum peculiare aliquod emolumentum vitæ, adeo vt omnes animo complectenti, ſit planè difficile pronunciare, quæ alteri abſolute præſtet: & earum contemplatio in eam multoties parit in conſiderante affectus diſcrepantiam, qualis in illo, qui a ſeipſo quodammodo diuulſus, cum Romæ eſſet, Tiburi eſſe voluit, cum Tiburi, Romæ. hic ingenia in fraudes, in malitiam vigent: illic animi ſimpliciores ac candidiores, corporum pariter neruis ad omnes impetus & morum conſtantiam ſtabiliuntur. Hic fructus dulciſſimi illiciunt, ibi ſolidiores cibi abundant. Hic aromata ac mineralia in ſicco ad ſe hominum vota rapiunt: ibi in humidiori ac pinguiori gleba vbertates florum delectant. Cum itaque Deus, tanquam communis omnium parens, ita ſua dona per ſingulas terræ partes ſparſerit, eius ſaltem interuentu vniuerſæ charitate ac beneuolentia erunt inter ſe copulandæ: quò non ſolum terreſtres fœtus, ſed Dei quoque filij in eadem eius domo verſati, appareamus.

Si primordia veſtra
Boet. lib. 3. Met. 6. *Auctoremque Deum ſpectes*
Nullus degener extat,
Ni vitijs peiora fouens
Proprium deſerat ortum.

4\. Officium autem ciuile, quantum ad hoc, duobus continetur. nimirum acceptatione hoſpitum, qui ad nos peregre diuertunt, & itineribus ad exteras nationes inſtituendis. Quò ad primum, eo maiori humanitate a nobis admittendi aduenæ, quo fidentius nos adeuntes, ſeſe nobis penitus commiſere. Leoninum eſt, proſtrato vel hoſti parcere, multo magis humanum, ad nos vltrò concedentes hoſpites omni genere benignitatis tractare ac demulcere. Enimuero huius contrarium, certiſſimum indicium pectoris illiberalis ac penitus indocti. *Aduenam non contriſtabis*, olim præcipiebat diuina lex. Exod. 22. Cuius ſententia adeo penitus inſedit veterum animis, vti nefas duxerint, triſte aliquid vel calamitoſum, ſi quid fortè tunc inciderat, ſuſcepto in ædem hoſpiti renunciare, vt ex *Euripide* didicimus. Eurip. Elect. Prodeſſe etiam nobis poterit hoſpes, vtpote aliquis *Vlyſſes*, qua incognitarum rerum relatu, qua ſua comparata experientia, quam multis alijs modis. Præſertim vero ſi in illo Dei dona effulſerint, quis dubitabit, quin maxima charitate ſit a nobis ſuſcipiendus? impiumque erit, illi vitæ ſubſidium ad refocillationem negare, quem Deus ſuis beneficijs locupletatum ad nos tranſmiſit, eoque noſtro amori illum ſtrictius commendauit. Quod ſi talis noſtra commoda, vtpote natiui noſtri ſoli effectus peculiares requirens, ad nos appulerit, naturæ ipſi videbimur repugnare, illum repellendo: nam cum vel ipſum ſolum geſtiat ad alios effundere ſuas copias, poſteaquã proprijs indigenis abunde prouiderit, eo vel elementis ipſis erimus horridiores, ſi aduenas ab eorum exundantibus bonis prohibuerimus.

5 Quod autem ad peregrinationes ad remotas a nobis nationes attinet, illas ciuilibus ſtudijs eſſe oportunas, ex quamplurimis conſtat. In hac terra vniuerſa, vt alia & alia ſunt incolarum ingenia, ita ab eiſdem ſingillatim inuenta peculiaria celebrantur. Proinde æquum, inſtar apum nos circumuolare, luſtrare omnia loca, & ex optimis illud delibare, quod præſtantiſſimum, ſimulque cuncta conferre in vnum officium viri ciuilis. etenim videtur naturæ humanæ planè inſita hæc cupiditas, qua non ſolum rerum varietate delectetur, quinimo etiam eadem perficiatur. *Arborum, vt hominum*, inquit *Plinius, natura nouitatis ac peregrinationis auida.* Plin. lib. 17. cap. 12. Mundus iſte quid aliud, quam liber explicatus, qui rerum omnium notis inſignitus, adeoque commoditatibus vndique refertus? iuuabit idcirco peregrinatione in hunc librũ intendere, eiuſque commoda proprio ſubinde vſui accõmodare. *Aliquando*, inquit *S. Auguſtinus*, *fratres mei, cum peregrinatur homo, inter meliores viuit, quam in patria ſua forte viueret. Inuenit amicos peregrinando, quos forte in patria inuenire non potuit.* Auguſt. in Pſalm. 109. & quantum ad hoc, aſſignat hic Doctor differentiam inter cœleſtem patriam, & hanc terrenam: quod in illa, omnis planè conditio ſit bonis plena & exuberans: In iſta reperiãtur in eius ſingulis mẽbris defectus, qui aliorũ copijs ſuppleãtur. Proinde licet gẽtes maioribus ingenijs præditæ, turpioribus quãdoque vitijs contaminentur, nihilominus eiuſmodi ingenia nõ carebunt prorſus egregijs ſuis excogitatis viuendi rationibus, & alijs humani officij decoribus: quæ non ideo erunt negligenda, quod peſſimis actionibus aliquorum fuerint vicina. nullibi ſane extra cœli ſpatia colliguntur flores ſine omni ſpina, bibitur purus liquor ſine fæce, aut videtur

clarum

clarum lumen abſque aliqua inſuſcatione. Iudicio itaque & delectu ſecernenda ea, quæ a virtute profecta in eis locis, ab aliis, quæ libido ibidem inuexerit aut inflammauerit.

Ioſep. con. App. Theodor. de curand. Græc. aff Cyril. de Fide.

6. In hac re induſtriam poſuiſſe etiam florentiſſimas Nationes, vtpote Græcos, Romanos, Aſianos, hiſtoriæ referunt: qui neque vel ab extremis Scythiæ adeundis abhorruere, quo minus eam inuiſerent. In Hiberniam iuſulam a continenti penitus remotam, Galli, Britanni, & alij *Legendarum ſcripturarum gratia*, vt refert *Venerabilis Beda*, appulere. Si *Aſianus* aliquis, totus voluptatibus diffluens, pergeret in oras Boreales, deprehenderet, corrigendos illos in ſeipſo lapſus in turpitudines, intuitus earum auſteritates. Si *Hunnus* a literarum ſtudijs auerſus, Athenas ſe conferret, intelligeret, quam præclarum, rigores martij ingenij mitioribus diſciplinis mitigare: adeo vt nulla ſit natio, a qua aduenæ aliquid diſcere nequeant; quod etiam ſuo itinere ac congreſſu haud ab ipſis dignum æſtimetur.

Beda lib. 3. Hiſt. cap. 7. Camden. peſc. pag. 117. 676.

Ouid. lib. 1. Triſt.

Non peto quæ quondam petij ſtudioſus Athenas,
Oppida non Aſiæ non mihi viſa prius:
Non vt Alexandri claram delatus in vrbem,
Delicias videam, Nile iocoſe, tuas.

Hæc porro rerum cognitio, quæ viſu externarum gentium comparatur, firma eſt & ſolida, quæque maximam vim obtineat ad efformandos mores; quippe, quod non literis deſcripta, non ab altiſſimis principijs obſcurè deducta, ſed ſenſu percepta, in intimam animorum intelligentiam immigrans, hæreat ibi pertinacius, & familiarius deinceps cogitationi obuerſetur. Græci, qui olim omnium mortalium ſapientiſſimi, ijdem, qua nauigationibus, qua terreſtribus itineribus, occupatiſſimi. quorum fructus, poëſis, & omnis ab illis conſcripta philoſophia, ſubinde redoluere. Maſſiliam, Gades, Heſperides inſulas, Britanniam optimè nouere: Scythiam quoque, & Indiam exploratam habuere: vndiquaque aliquid colligentes, quo in ipſis ingenium ac ſapientia ad miraculũ vſque diteſcerent.

Phil. lib. cõ. App Cyrill. lib 1. cont Iul.

7. Verum, quibus voluptas in vnius carceris contemplatione inueteraſcere, neque patriæ ſuæ finibus præ inertia egredi, perinde ac ſi cicadæ eſſent, non aquilæ aut homines, duo præſertim criminantur in eis, qui in exteras nationes proficiſcuntur, aut inde aduenas excipiunt. Principio dicunt, ecqua vtilitas loco, quò hoſpites appellunt ſemibarbari, egeni, a quibus nihil mercimoniæ aut ciuilioris vitæ exſpectatur? Qui porro in exteras Gentes demigrant, liberius ſolent ibidem viuere, quam conuenit. nam cum patriis legibus ſoluti, tum illius loci proprijs vix tanguntur. quo fit vt hanc libertatem nacti, omnia ſibi ibidem licita arbitrentur. quando autem in patriam denuo reuerſi fuerint, non tantum luxurioſius alijs viuunt, verum etiam peregrinos ritus agendi, loquendi ac ſalutandi vſurpant, qui incolis plane ridiculi ac odioſi. atque ita perpetuo in ciuitate apparent tanquam totidem in lyra fibræ, quæ a reliquis diſcordant. Cæterum, tametſi quædam genera hoſpitum nihil adducant ſecum commodi populis ad quos venere, nihilominus præclarum, qua exemplis, qua ſermonibus, ac reliqua ſpecie vitæ excultioris eos erudire, inſtituere, ita vt doctiores ac meliores ab ipſis eorum opera recedant. Videtur enim Deus ipſe hoc ab eis exigere in exteros charitatis, quandoquidem præ alijs extulerit claros naturæ & artium ornamentis, qui eo rudioribus eſſent magiſtri, ac in eos benefactores. non eſt ergò omne commercium ex propria vtilitate deſumendum, ſed aliquod ex beneuolentia & pietate conſtituendum. ne autem externi ſuis prauis moribus ſint incolis damno, ſat erit, ſi leges aliter præcauerint. Quod poſterius obijciebatur, id collectũ ex abuſu optimæ neceſſitudinis, non ex ipſo genere vniuerſæ actionis. Si ergò vitijs onuſti ad ſuos ab itineribus regrediantur, qui virtutibus ornari potuere, vitiũ ingenii praui reputetur, non a peregrinatione detrimentũ. Repugnat etiam prudentiæ, aliter agere in vita ciuili, quam ferunt patriæ mores. imo inter alia hoc addiſcendum ex profectione, quod vniuſcuiuſque animus ad locorum conſuetudines ſit accommodandus: neque pergrini aliquid patriis ritibus admiſcendum, niſi tota gens prona fuerit in eius vſum, quo perpoliri poterit ad eiuſdẽ in illud propenſitatem. illa enim diſſimilitudo, inepta prorſus eſt, ac leuioris iudicij indicium exploratiſſimũ. Propter hanc cauſam, nulli tam leues aut effuti ad externorũ rituum imitationes, ac illi, qui proprijs bonis vacui, aliena requirunt. Duo itaque in hoc vitio concurrunt: indolis quædam facilitas, ſimul ac a poſſeſſis emolumentis inanitas. Prudentiſſime *Plutarchus* hoc adnotauit. *Infunditur enim ſemper aliquod externum, & naturali quadam ratione ingeritur ijs, quibus priuatum aut domeſticum nihil eſt, & veluti in Domum atque agrum vacuum ligitimis hæredibus, ſerui alieni, & inquilini, inuadunt, atque poſſident.*

Plutarch in Solon.

8. Denique quod externi, in vicinis habitantes, plerumque erga alios hoſtilitatem exerceant, proderit omnino, eorum mores ac copias ſcire: nec ſatis fuerit, illos incognitos contempſiſſe. etenim eorum vires eò magis poſſunt inualeſcere, quo a cognitione aliorũ remotiores. nam externi hoſtes aliquando præualituri viribus, ac militum numero, aliquando inſidiis, vel ingenio fortiores, exiſtunt: quorum diſcrimina omnino dignoſcẽda, vt eis opportunè ab aliqua gẽte occurratur. Periculo haud caret, hoſtẽ vel ſpernere vel ignorare: imo potius erit, ei maiores vires opinione attribuere, vt inde cautius ac melius negocium belli differatur, aut e re noſtra ſuſcipiatur. Romani haud exploratas habentes Boreales Nationes, vel illas deſpectui habentes, ſuis ruinis probauere, quanta eſſet earum in bellis poteſtas ac fortitudo. Vix autẽ incidunt illi caſus, in quibus Gallobelgæ, & Chinẽſes cũ externis ſocietatem repudiarunt: neq; ſine extremitate vitiorũ eiuſmodi alienationes corporũ & animorũ oriri poterunt inter homines: nempe vt ab omnibus externis grauia detrimenta ſemper dimanent ad eas nationes, quas ipſi inuiſãt.

9 Verumenimuero tametſi ad exteras Nationes profectio, ſit quod ad varia multipliciter vtilis, nihilominus in illis perpetua habitatio, multum

deficit

deficit ab abſoluta felicitate ciuili, & eiuſdem optabili ſuauitate. ob quam cauſam exilium inter pœnas ciuiles ab omnibus Gentibus numeratum. Neque obſtat vulgare illud, quo dicitur, *Omne ſolum forti Patria*: quandoquidem eius ſententia eſt, virum fortem, ſine animi deiectione vbique loci degere. Cæterum vt notat *Ariſtoteles*, Inter reliquas virtutes minus ſuauitatis obtinet fortitudo. Duo autem ſunt incommoda, quæ plerumque agentibus apud exteros infeſta. Primum ducitur a ratione cœli & alimentorum, quorum vires cum corporibus inimicæ, tum non nihil pariter ægrimoniæ ad ſenſus animi interiores tranſmittunt. alterum ingeniorum ac diſpoſitionum mira & acris quædam non diſſimilitudo modo, ſed etiam repugnantia: ex quibus odium vel contemptus communiter propagantur. atque ex eiſdem oriuntur conſortij raritas, ſermocinationis parcitas, auxilij vel conſilij tenuitas, diffidentia, ac ſimilia vitæ ciuilis incommoda. Particularia, quorũ non eſt ſcientia, & ea, quæ a ſupernaturali Dei gratia deriuantur, iſtis eximenda: tantum enim philoſophia & experientia quod ad hæc definiunt, quantum in pluribus, ac in toto genere ſolet accidere. Atque iſtis omnia iuſtitiæ officia quæ ad alterum referuntur, vili ſumus generatim pertractaſſe. ac quo ad hoc, ſolũ ſupereſſe videtur, vt de ſecreto naturali ac ciuili pauca diſputemus: quo aliorũ honoribus ac commodis, vrbano ritu, debite a ciuibus conſulatur.

Ariſt. lib. 3 Ethic. cap. 6.

CAPVT. XXVII.

Ciuile ſecretum colendum a ciuibus, quod aliorum famæ conſeruandæ idonee inſeruiat.

MVlta ſunt in homine facta ac cogitata, quæ Deus, naturæ auctor, quaſi ſigilli ſecreto clauſa & obſignata eſſe voluit. etenim ad cordium humanorũ cogitationes, & vota interius in illorum animis concepta, ne Angelorum quidem, vel Dæmonum intelligentiæ, quantumuis ſummo acumine præditæ, & innumerabili ferme impreſſarũ ſpecierum multitudine inſtructæ, peruadunt. Scio Theologos hac in re altercari, dum huius rei & penetralis cauſas inquirunt: nempe expendentes, an hoc proueniat ab intima qualitate actus interioris, an a peculiari Dei ordinatione. in hoc vero conſpirat vniuerſi, quod ad ſingularem hominis dignitatem oſtendendam, neutiquam illorũ ſpirituũ mentes ad ea promiſcue peruadant: quo etiam fiat, vt ad Dei imitationem, homo quoque ſui conſilij arcano non penitus deſtituatur. Ob hanc cauſam ſecretorum humani cordis cognitionẽ adſcribunt ſacra eloquia vni Deo. *Scrutans corda & renes Deus. Quia renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator. Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum.* Quocirca, ait S. *Chryſoſtomus*, ſicut Deus ſolum hominum corda ſeu animas formauit, ita ſolus in eis ſecreta nouit.

Scotus in 2. d. 9. q. 2. S. Thom. 1. part. q. 57. art. 4.

Pſalm. 7. Sap 1. 2 Paralip. 6 Chryſoſto. homil 23 in Matth.

2 Auctor itaque iſtius humani ſecreti Deus. quinimo in ipſis cœlis etiam inter angelos quædam etiam eſſe voluit ſecreta, quatenus ex opinione multorum Theologorum, ita iſte angelus alium adloquitur, vti alterum prorſus lateat, quod ſignificare huic intendit. Ac quo ad humana, ſicut exiſtunt aliqua opera tenebrarũ, vt ait Apoſtolus, ita Deus tenebras condidit, in quibus interna deliteſcerent, & ab aliorũ hominum cognitione ſeu luce procul manerent abſtruſa in abſcondito. Verũ quidem eſt, nullũ lucum, antrũ, receſſum, aut noctem poſſe Dei notitiam ab hominum factis aut cogitatis arcere. iſtis tamẽ, adeoque alijs medijs quã plurimis prouidit, ne palã omnibus fierent. Proinde immanis plane *Heliogabalus*, qui ſtuduit vt omnia ipſius ſcelera cunctis paterent: *Quippe ne latere quidem ſua patiebatur flagitia.* Quod, inter alia, Dei in nos miſericordiam egregie commendat, cum ipſe mitior ſit iudex in hominum peccata, quam homines eſſent eorum teſtes, aut inſpectores, ſi promiſcue omnia reſcirent. ne ergo vita noſtra eſſet perturbata, & humanæ malitiæ nimium obnoxia, non ſolum cordium tegumentis voluit conſilia noſtra contegi, ſed alijs etiam velaminibus, veluti primorũ parentum folijs; quæ curioſum vel inſidioſum hominum adſpectum repellerent. Imo miſericordiæ ſuæ certa impreſſione aliquando dat ſignificationem Deus, quaſi dedecora noſtra non ipſe intueretur, nobis fauorabilem amoris ſomnum in ſe admittendo. quo tam longe abeſt, vt ea nobis exprobret, vt famam noſtram diuulgatione aliqua denigret, vt ne ea aſpicere quidem videatur. auertit ſæpius oculos ſuos a peccatis noſtris, & voluntatem pariter deflectit a propoſito nos etiam commẽritos puniendi, vel defamandi. Cuius ſecreti adeo amans extitit, vt ſacramento etiam confeſſionis eius vim inter nos plurimum corroborauerit: ac iuſſerit, vt ſacrum hoc & ſacerdotale ſecretum, eſſet omnino apud nos inuiolabile. Ob quam cauſam docuit *S. Thomas*, ſigillum ſecreti ſpectare ad neceſſitatem ſacramenti: hoc eſt ſine hoc ſigillo idoneũ hominum ſaluti, non potuiſſe eſſe commode præceptum confeſſionis. & proinde ſubiungit, ſacerdotem, eius virtute imitari quodammodo Deum, cui facta confeſſio. *Deus enim*, inquit *Dominicus Soto, nec in die iudicij reuelabit peccata remiſſa ad confuſionem, ſed ad cõmendationem & gloriam pœnitentium.*

S. Thom. 1. part. q. 107. art. 5. Caiet. ibid.

Herod. Hel.

Matth 8. Pſalm. 50.

S. Thom. in 4. d. 21. q. 3.

Dom. Sot. de Teg. ſec. memb. 3. q. 4.

3 Quod ergo huiuſmodi ſecreta recondi voluerit Deus, in imperuia abyſſo humani pectoris, inde nobis ſignificauit duo, ad officium noſtrum plurimum conducentia: ſcilicet loci ſeu receptaculi dignitatem, ſimul ac curam noſtram ea in illud inferendi ſolum quæ decent, ac reijciendi ab eodem quæ haud expediunt. Secretorum hoc aſylum magna ex parte conſtat Dei Imagine in nobis: vtpote intellectu ac voluntate. proinde ad indicandum ſummã præſtantiã iſtius Imaginis, velum ſeu cortynam illi Deus induxit, quæ aliorum oculos, iuxta ac cogitationes repelleret, & hominis cum ad cogitandum, tum ad volendum, imperium inexpugnabile ſtabiliret. hac percepta in nobis excellentia, ſubinde informamur, quod nõ niſi pulcra ac precioſa, ſint a nobis admittenda in hoc diuinæ imaginis penetrale: appre-

benſionum vero & affectionũ ſordes longe ab eo remouendas. Quod cum interdum minus præſtemus, Deus videns nos in hoc ſecreti diuinũ vas, impuras paſſim apprehenſiones, ac vitioſos adfectus admittere veluti ſecuros, id indigne ferens, & in ſui contumeliam factum interpretatus, impreſſiones illas in animo ad tempus abſtruſas, erumpere tandẽ permittit exterius in nefanda facinora: vnde honoris & exiſtimationis noſtræ iactura merito ſubſequatur.

4 Quamobrem vt in hac parte iuſtitiæ, qua fama non eſt lædenda, ciues ſint cautiores, ac diligentiores eiuſdem obſeruatores, proderit, naturam, qualitatem, & pondus famæ ac boni nominis exactius ſecũ animis trutinare. Fama itaque hæc, de qua loquimur, non exurgit ex opinione, qua homines eſſe reputamur, ſed qua virtute præditi: vel certe quatenus a vitijs immunes ab alijs exiſtimamur. ex quo colligere licet, præſtabilius eſſe bonum diuitijs, famam, cum proximius ad virtutem accedat, ac nota ſit illius formæ in homine nempe virtutis, quæ principaliſsima, quod diuitijs non competit.
Dom. ſot l. 4. de Iuſt. & Iur q. 6. ar. 3 Proinde iniqua detractio a fama, grauius peccatum fuerit, quam ſit furtum. licet eo grauius homicidiũ, in quo ſimul cum vita ipſum etiam fundamentum virtutis, famæ atque meriti penitus extinguitur. Eſt porro fama, ſeu bona de aliquo concepta opinio, ad exemplar vitæ corporalis baſis, & origo plurimorũ aliorũ bonorum.
S. Tom. 2. 2 q 73. art 3 q. 33 art. 7. Qui enim in iſtis integri, iidem apti, quibus in commercijs ciuilibus fidatur: quibus ſecreta committantur, quibus honores ac magiſtratus deferantur. contra, qui in iſtis læſi ac diminuti, inepti plane redduntur ad omnia officia in ſocietate humana exercenda. Ac tanti eſt momenti iſtius bonæ famæ exiſtimatio, vti magnam dulcedinem, ſimul ac animi quietem illi in hac vita præſtet, qui eius conſcius: tametſi iniquior vel turbulentior fortuna alia omnia bona ipſi abſtulerit. ac proinde ingens malum erit, illius pati damnum, ex quo non ſolum priuatio iucundæ tranquillitatis in aliquo propagatur, verum animus in eodem deijcitur, abijciturque ad quandam ſui incuriam atque cõtemptum: vnde pronus etiam euadat poſtea ad cũcta actionũ dedecora, pudore ſemel excuſſo, omnique ſpe laudis vel commendationis expugnata. Hinc merito dixit Sapiens: *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ: ſuper argentum & aurum gratia bona.* Prov. 22.

5 Loquimur autem modo de ſecreto delicto, cuius detectio iuſtitiæ aduerſatur, ac morum proinde ciuilitati. neque id euenit ex eo præciſe quod ſecretum: quandoquidem aliorum virtutes, quantumuis ſecretæ propalari ab alijs poſſint: ſed quod tale ſecretũ, ex cuius diuulgatione inſigne detrimentũ ſequitur contra bonam famã & exiſtimationẽ alicuius. Secreti autẽ iſtius natura melius conſtabit ex eius oppoſito, nempe ex eo, quod apertum ac retectũ. Dicitur itaque factum hominis minus honeſtũ in hoc genere publicũ, notorium, ac manifeſtum: publicum, pluribus id ſcientibus: notoriũ ex facti ipſius natura increbreſcente, & ex iure: vtpote confeſſione partis iuridica, vel ſentẽtia Iudicis: manifeſtum, cui nullum dubium aut excuſatio obtendi poſſunt. Alterius quoque crimẽ multis modis detegere poſſumus. primo, correptione fraterna, quæ in priuato exercetur, illud delinquẽti exponendo. Deinde eadem correptione, rei crimen alijs denunciante, veluti vni aut alteri, ſeu prælato in Eccleſia. Reuelatur quoque Math. 18.
crimen methodo quadam iuridica, quæ non refertur vt prior ſpecies ad bonum noxij, ſed ad commune bonum iuſtitiæ, licet id pœnam ſequatur illius, cuius cauſa aperitur: veluti inquiſitione, accuſatione, & ſententia iudiciali. Et quidem ad hoc poſterius genus poſtulatur maior ratio cogniti & apparentis, quã ad prius: in quo etiam requiritur criminis aliqua penes alios notitia: nam de actibus internis non inſtituitur correctio fraterna, aut denunciatio Euangelica. potiori ratione non poteſt quis teſtem agere, aut de alterius ſcelere ad mandatum ſuperioris aliquid fateri, niſi culpa aliquo modo prius innotuerit: videlicet indicijs probabilibus, clamoroſa infamia, aut aliqua alia ſemiprobatione. nam ſuperior non habet ius interrogandi aliquid in ordine ad crimen, niſi cauſa ad eius tribunal pertinuerit. at pertinere non poteſt, ſi ſit omnino ſecreta. Vt enim eius tribunal eſt conſpicuum & viſibile, ita cauſa ad illud adducenda debet eſſe aliquo modo nota & excuſſa. qua facta manifeſtatione circa illud, quod directe ad eius tribunal ſpectat, tunc de antecedentibus ac conſequentibus, quæ naturis ſuis vel indifferentia, interrogare poterit Iudex, vt tandem ad perfectam criminis notitiam deueniat: ac tunc is, a quo aliquid petitur, tenetur ad eius mentem de ſingulis reſpondere. Ex quo ſequitur, nõ poſſe aliquẽ interrogatum de alterius crimine illud licite prodere, quando iudex nõ obtinet ius interrogandi, nec procedit ex more iuris, ſed ex leui aliqua ſuſpicione, vel malitia incitatur ad interrogandum: tametſi is a quo petit, priuata ſua ſcientia nouerit talem, reum eſſe illius criminis, de cuius facto ab eo inquiritur. Iam autem diſputamus de ſecretis criminibus vel defectibus, de quibus nullus poterit iure illud prælato denunciare, aut in foro de eis aliquid teſtari: ac pronunciamus, omnino ciuile eſſe ex naturæ ipſius inſtituto, illud cognitum aut ſuſpectum reticere, atque alios cælare: niſi graue aliquod detrimentum vitę, ſcandali, honoris, aut rei familiaris, fecerit in contrarium.

9 Cum itaque conſtet, inter præcipua huiuſce vitæ bona iure habendam bonam famam, illius damnum nullus, ſecretum ſcelus patefaciendo, alteri irrogare poterit, abſque eiuſdem pœna aut detrimento grauiſſimo. at quis ſecretũ noſcenti tradidit poteſtatem hunc puniendi vel nocendi? non natura certe, non magiſtratus: iniquus idcirco, qui alterius crimen publicando eũ caſtigat, pœna inter alias acerbiſſima, vel damno mulctat ingentiori, cum magiſtratus non fuerit. non enim alicui attributa facultas alterius crimen deferendi, niſi vel in bonum ipſius, aut bonum aliorum ex iuſtitia procurandum: vtpote denunciando, accuſando, inquirendo, teſtimoniũ ferendo vel iudicando.

Qua-

Quapropter qui hoc detrimento aliquem perſtringit, vbi hi fines deſiderantur, iniuſte nocet & immaniter deſeuit. Quotquot ergo pij ciues, illi omnes vel religioſiſſimi extitere in ſecretis aliorum ſeruandis, etiam vbi periculum non erat alicuius detrimenti eis ex detectione inferendi. Chariſſimum, iuxta ac prudentiſſimum habuit fratrem *Satyrum S. Ambroſius*: nihilominus ſecreta ab alijs accepta illi non demonſtrabat. *Nam cum omnia eſſent nobis communia, indiuiduus ſpiritus, indiuiduus affectus, ſolum tamen commune non erat ſecretum amicorum: non quo conferendi periculum veremur, ſed tenendi ſeruaremus fidem.* Interdum ciues ſua facta ſecreta, etiam minus honeſta, alijs prudentioribus committunt, vt optimum ab eis capiant conſilium, vnde euitētur mala, quæ ex eis prouenire poſſent. eorum idcirco euulgatione prohibentur ciues ab hoc ſalubri inſtituto ac commodo inquirendo, cum ſe inde noceri ac defamari intellexerint. Enimuero exiſtimarem, hoc genus crudelitatis, quo in bonum alicuius nomen debacchatur, eſſe immaniſſimum. proinde, vel ratione deſtitutus, non nouit is, qui alteri detrahit, momentum ac pondus boni nominis, aut infamiæ malignitatem: vel ea noſcens, cunctorum mortalium crudeliſſimus, omne decus conciuium deturpat, integritatemque eorum fœde dilacerat. Viſo alicuius proiecto cadauere, illico ſubit animum inſpectoris ciuilis hominis, illud humo contegere, ac prohibere aliorum oculos, ne in eius turpitudines ac miſerias intendant. Certe, quod ad bonum nomen, ſecreto aliquo crimine oppreſſum ac contaminatum, æquius efficere, ne ab alijs videatur hæc nota dedecoris ac vituperij, quam corpus tabefactum ſepulturæ tradere. Ingenium itaque ſecreta vulgantis, proditorium, barbarum prorſus, & truculentum.

Ambroſ. de obit. Satyr.

7 Hoc quidem ciuile officium plurimū confirmauit Christus Dominus ita ſtatuendo: *Quod ſi peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & fratrem ſolum*: quibus puro ac mero bono corrigendorum proſpexit. Voluit enim vt correctio adhiberetur non niſi in eius vtilitatē, interim ſecreto obſignari ſtatuit hoc officium charitatis, ne alijs conſcijs, reus infamia inde laboraret. quod eo diligentius obſeruandum, quo conſtat in hoc negocio hominem ſæpius homini prorſus eſſe lupum maxima crudelitate efferatum; ac pluribus eſſe in delicijs, de alijs peſſime loqui ac fabulari.

Math. 18.

8 Et quidem ſi hæc ſecretiora delicta extra correctionem fraternam, inquiſitionem, & accuſationem iuridicam paſsim diuulgarentur, plurima in ſocietate ciuili ſequerentur incommoda. hinc enim iurgia & contentiones grauiſsimæ manarent, nulla iuris forma interueniente, quæ litem terminaret: nullus alteri fideret, ac interdum ob infamiam vnius criminis redderetur aliquis ineptus ad omnia plane munia in republica exercenda, alioquin eidem commodus futurus. Neque ſatis eſt, quod ab aliquibus dictum accepi: ſi ſecretum crimen propalans, nihil præter veritatem ſe dicere cauſetur, neque mentiatur: nam cum hoc conſiſtit quod extremam iniuſtitiam in alium exerceat: & veritatem etiam dicendo quis poteſt multipliciter contra eandem iuſtitiam delinquere. Romani idcirco, licet vt ſecretorum criminū conſcij eſſent, delatoribus aliquando vſi, nihilominus propter mala, quæ inde ſequebantur frequentius, eos caſtigabant, vrbe etiam fugabant, & interdum occidebant, vt ſcribunt *Spartianus*, & *Xiphilinus*. Non ergo licet, notitiam alicuius ſecreti criminis deponere apud amicum, quantumuis prudentem, & ſecreti illi commiſsi fideliſsimum cuſtodem: nam ſaltem iniuria erit, apud hunc non obtinere reum bonam opinionem, ſed haberi ab ipſo potius infamem ac indecorum. quod ſi prudenter iudicatum fuerit, e re eſſe alicuius, vt fideli amico detegatur ipſius ſecretum crimen, tunc conſultum fuerit, eius obtenta licentia illud præſtare. & in hoc caſu vſui eſſe poterit nonnunquam ratihabitio: nempe quando æſtimatum, debere illum in hoc conſentire, aut velle vt alteri, qui ei commodo eſſe queat, ipſius offenſa renuncietur. Imo delicta notoria aut publica, ſiue iure, ſiue reipſa talia fuerint, neſcientibus ſine iniuria dici non poſſunt, niſi moraliter certum, peruentura alioquin ad eorum notitiam. nam cum pœna ſit ipſi reo apud hos infamari, non conſtat, quod iſte vel alios, priuatæ perſonæ, habeant auctoritatem eam iuſte infligendi: præſertim vero, ſi aliquot annorum ſpacio aliquis recte vixerit, alioquin facto vel iudicio prius infamis: nam tunc famam recuperaſſe cenſebitur, vt recte *Azorius* animaduertit. Imo ſi aliquis diceret, ſe a tali vel tali audiuiſſe hunc aut illum aliquod flagitium commiſiſſe, ſi perſona ſit grauis, qui hoc refert, famam alteri adimit: ſaltem ſuſpicionem in audiente ingenerat eiuſmodi perpetrati flagitij: quod ſine dubio graue erit ei damnum, & pœna acerbiſsima. Cum itaque fama recenſenda inter bona præſtantiſſima: cumque eius ablatæ reſtitutio ſit difficillima: quandoquidem lethalem quaſi ictum, deflorationem irrecuperabilem criminatio ei inferat, & decus omne eius in perpetuum deuaſtet, maxime ciuili viro cauendum a detractione, & ſecretorum criminū propalatione. *Heſiodi* eſt animaduerſio, quod infamia leuatu ſit facilis, portatu moleſta, depoſitu difficilis. *Denudare autem amici myſteria*, ait *Sapiens*, *deſperatio eſt animæ infelicis*. vergit itaque genus hoc iniuriæ in ipſum reuelatorem, quatenus illum reddit ineptū, cui quis fidat, idque cū ſumma ipſius infelicitate: vtpote cariturı vtili commercio amicitiæ.

Spartian. in Seuer. Xiphilin. in Tib. 3.

Azor. Inſtit. moral. part. 9 lib. 13. cap. 6

Heſiod. oper.

Eccl. 27.

8 Immanius porro eorū factū, qui ex leuibus argumentis & indicijs, publice alios criminū arguūt. Bona fama res plane delicata, vix abſque violatione ab hoſtili manu aut lingua tangi poterit: cum vitio naturæ prompti, qui in peiorem partem omnia indicia interpretemur. Et qui in hanc iniuſtitiam proniores, illi plerumque famam ſuam conſtupratam plane animaduertentes, eam in alijs violare impudentius audent: qui nullis virtutibus inſtructi, exiſtimant, cumulo quaſi ab ipſis facto dedecorum, & opprobriorum in conciuium nomina, opportunius ſe euaſuros ad faſtigia dignitatum, ad inno-

centiæ laudes. Plerumque non attendunt hi ad vtilitatem reipublicæ, aut ad eius, qui defamatur bonum, ſed ſolum ad ſuam nocendi libidinem, dum libere effundunt accuſationes, ſcommata, detractiones in aliorum famam: quibus volupe, in rem maximi momenti crudelitatem exercere: quorum idcirco ora non aliter fumo deturpari mihi videntur, quam luporum roſtra ſanguine purpurari, quæ in innocentum agnorum viſcera prauio dente demerſa fuere. Icue certe, garrulum, inhumanum taliter detrahentium ingenium. Cui, quod imbecillitas aut pauor adhæreant, nullam aliam quærunt vindictam, aut vim æmulandi profitentur, quam halitu ſuo tetros rumores ſpargere, & piceis nebulis vel ſolis radios interdum inuoluere. Vbi hoſtia non adeſt, ibi ferociunt ignobiliter: vbi ſecuritas adeſt, ibi ſuſurrant illiberalius: vbi ratio, vbi ingenuitas deſiderantur, ibi impudentius de alijs obloquuntur. atque quod ad violenta facta, ignobile, de imbecillo vindictam ſumere: cui potius ignoſcere ac parcere illuſtrius. proinde cum defamatores in eorum famam inuadant, qui vel abſunt, aut contumeliam repellere non valent, eo oſtendunt ſe ab omni animi magnitudine turpiter defeciſſe, immaniter in impotentes ſumma etiam clade debacchantes. Vile hoc vitium, & vltra muliebrem ſortem petulans, impotenſque. hactenus de partibus iuſtitiæ diſputaſſe ſufficiat; ad Temperantiam pertractandam iam accedendum.

CAPVT. XXVIII.

De munere ciuilis Temperantiæ quantum ad optimum corporis ſtatum.

Ariſt. 3 Ethic. cap. 10. lib. 1. Magnor. Moral. cap. 10.

EXplicatis modo virtutibus rationabilibus, ſeu ad voluntatem hominis ſpectantibus, ſupereſt agamus de eis, quæ appetitum, homini cũ bruto communem moderantur: ac primo loco de illis, quæ appetitum concupiſcibilẽ recte inſtituere dicuntur, quod huius facultatis munus natura ſit prius munere appetitus iraſcibilis. Temperantiæ itaque ſedẽ aliqui conſtituunt in ipſo appetitu ſenſitiuo concupiſcipili, quæ ibi tanquam frænum, cibi ac potus deſiderijs modum imponat. alij autem, quod omnis virtus ſit vel intentio finis, vel electio mediorum ex libertate ad illum, temperantiam intuentur potius in hominis voluntate, cuius ſolius proprium, ſe hac illacue dare & inflectere, rationem vel ſenſum ſequentis. Hoc tamen genus diſtingui interim volunt ab eo virtutum rationalium, eo quod non circa alterius bonum, vt illæ, ſed circa proprium ipſius operantis, verſetur: tametſi in voluntate, nempe quatenus concupiſcibili, adæque cum illis, tanquam in communi ſubiecto, ponatur. Quod vero ad operationem temperantiæ concurrat tam appetitus concupiſcibilis rationi parens, quam voluntas eam eliciens, idcirco frequentioribus actibus in vtriſque generari habitus ſeu habilitates quaſdam, exiſtimandum. illud autem quod in appetitu producitur appellat

S. Thom. 1. 2 q. 56, art. 3. 4 & 6.

Ioannes Bachonius non habitum, ſed habilitatem, ſeu ſecundum *Auerroem* virtutem *Obedibilem*: cuius vi promptus reddatur ad obſequendum voluntati, dum recte imperat: habitum autem virtutis attribuit tantum voluntati, conſtituenti in cibis ac potibus debitas mediocritates. Sane, vt mihi videtur, magis erit ex dignitate virtutis, eam afficere voluntatem, denominatione externa dictam concupiſcibilem, quam appetitum; cum illa huic multum naturæ officio antecellat. & cum virtus ſit animæ præſtantiſſima functio, vbi aptius reponenda, quam in eius facultate nobiliſſima, vt diſſeruit *Scotus*? Quocirca ſicut diſtinctio ponẽda habituũ & habilitatum in voluntate, & appetitu ſenſitiuo, quantum ad temperantiam, ita eiuſdem mediocritas duplex conſideranda: vna, quæ ſit paſsionis in appetitu concupiſcibili, altera quæ rei, in ipſo obiecto, mediocritate primum ſeruata in ipſis eſculentis & poculentis, veluti obiectis, inde poſtea deuenitur ad ſpectandam mediocritatẽ in affectu appetitus. quæ quidem rei mediocritas neque conſiſtit in indiuiſibili, neque ſimpliciter & abſolute a re ipſa ſumenda, ſed ab ea vt ſubeſt vario reſpectui ad operantem: vtpote ad Iuuenem, vel ſenem, valentem, ſiue ægrotum, ſubiectum denique diuerſimode ex particularibus circumſtantijs affectum.

Bachon in 3. 6 D 35 art. 2
Auer. lib. 1. Ethic.
Scot. in. 3 d. 33 q. vnic

2 Quod ſi humanorum corporum rationes ducere ſit ciuile, profecto ſtudium temperantiæ eis conſtituendis valde opportunum, ciuilitatis eximiam eſſe partem conſtabit. Cum vero craſſior voluptas hominem quod ad externã ſpeciem deturpat, vt conſtat ex intemperantia & luxuria, ideo, vt notat *S. Bernardus*, ei oppoſitam temperantiam, quæ conſiſtit in moderatione, aut expulſione talis voluptatis, ſcriptura appellat *Sanctificationem. Hæc eſt voluntas Dei*, ait Apoſtolus, *ſanctificatio veſtra, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſsidere in ſanctificatione & non in paſsione deſiderij. non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Liquet* inquit *S. Bernardus, quod ſanctificationem ex temperantia poſuit.* Hanc ſanctificationem ex temperantia obtinuit *David* cũ ſuis electis: *Si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiuſtertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorũ ſancta.* Quãobrem quod ad hoc inſtitutum, quædam in ipſo corpore adnotanda, & alia in ipſis eſculentis & poculentis, in eorũ nutritionem directis, expendenda. Corpora, quod actione natiui caloris in humidũ, continuo deficiant ac defluãt, ideo humidi reparatio a cibo ac potu identidẽ requirenda, quorum ſubſtantiæ in chylũ, ſanguinem, carnẽ, oſſa, cartilagines, neruoſque vi caloris alteratæ tranſeant ac demigrent. Huic autem calori nutrici ſubſeruit triplex facultas. prima, eſt vis attractiua ſeu retentiua, firmiter ac tenaciter illud attrahens & tenẽs, ſeu actiuo applicans, quod in ſanguinẽ mox demutandũ. quæ facultas ſi flacceſceret, protinus concoctio omnis intercideret: quandoquidẽ alimentũ intempeſtiue alio dilaberetur, priuſquam ex illo hauſtus ſuccus traheretur; perinde ac ſi manu decidente, ori apponendus cibus, fruſtrata natura, excideret. Altera eſt facultas ipſa nutritiua, qua

1. Theſſ. 4.
Bernar. Sermo. 22. in cant.
1. Reg. 21.

ſubſtantia

ſubſtantia alimenti conuertitur in ſubſtantiam aliti. poſtrema eſt facultas ſordium expulſiua; nullus eſt enim cibus tam defæcatus, qui non ſit ex aliquo ſui fæculentus & illi materiæ coniunctus, quæ excernenda, quandoquidem inepta, quæ in ſubſtantiã aliti tota mutetur. quæ quidem facultas ſi eneruis eſſet & languida, illico illis conſtipatis ſordibus, natura obrueretur. Quibus tribus animæ facultatibus reſpondent ex parte ciborum tres contrarietates, cum quibus illis a natura obluctandum: ne putemus hoc naturæ opus abſque pugna placide confici, aut ſine reſiſtentia abſolui. Facultati retentiuæ aduerſatur alimenti pondus, maxime ſi fuerit eius materia copioſa, aut ſua pinguedine viſcoſa: ac propterea vt illud obſtinanus retineat natura, cõfirmatis debet eſſe neruis, viribuſque: neque ita tamen valida, quin continuo vſu & conflictu indies, decurrente vita, ſenſim extenuetur, ita vt vel ſola creſcente ætate, perpetuò diminuatur. Etenim inter contraria, vt eſt actio, ita ab eis etiam in vincentia ipſa redundat reactio ſeu repaſſio, ſuperantium vires paulatim debilitantes. Nutritiuæ facultati contraria eſt ipſa ſpecies cibi, quæ non niſi ægrè extrahitur a ſua propria natura, & in alienam transfertur, vt ſatis manifeſtum: proinde nutritionis opus ſemper peragitur cum aliqua corporis intemperie, & quaſi febre, propter violentiam a cibo illato in ſtomachum, & alias viciniores partes. Denique facultati expultrici opponitur renitentia excrementiciæ materiæ, quæ non niſi illata vi expellenda. atque in iſtis pariter duabus facultatibus verum, quod diuturniori & propria qualitate materiæ continuò poſt annos conſiſtentiæ, infirmiores reddãtur. Non ergo mirum ſi virtutis ac morum actiones propagantur in nobis cum difficultate & congreſſu quodam bellico, quandoquidem non niſi cum conflictu ac pugna, vel naturæ ipſius officia in nobis tranſigantur.

3. Quæ vero a natura in hunc ritum retinenda, & eijcienda, triplicis ſunt conditionis. quædam ſunt alimenta, quædam medicamenta, alia voluptatis irritamenta. alimenta conuertenda in ſubſtantiam aliti, & propria forma exuenda: medicamenta adeo naturæ inimica, vt abire in ſpeciem aliti omnino renuant: ac inter ea aromata: proinde vi quadam expellenda. eorũ autem finis, noxios humores eijcere, & ad hunc effectum naturæ oportune ferunt ſuppetias. irritamenta voluptatis cenſentur condimenta, nunquam tranſmutanda in ſubſtantiam aliti, niſi aliquem gradum in ſe retineant alimenti. iuuant autem, dum appetitum in cibum acuũt, vt id quod magis ſapiat, magis etiam nutriat. ſin verò nullam vim ſortiantur nutrimenti, medicamenta ſunt mera, & venena. Alimentum quidem, vt obſeruat *Galenus*, nullum tam purum apud nos, vt non in ſe complectatur aliquam rationem veneni, maiorem aut minorem iuxta qualitatem ſpeciei ſuæ intrinſecæ. maxima quidem vis veneni ſtatim interficit, minor ſuperari & excerni poterit a natura. Venenum autẽ illud omne æſtimatur, quod naturæ, & eius vitæ inimicum, & quod admiſſum in ſtomachum,

Gal. de vſu. pur.

propter contrarietatem quam in ſe complectitur ad naturam, repugnat prorſus in eius ſubſtantiã immigrare: proinde ſolum ab ea repellendum. tale aliquid in optimis & ſelectiſſimis cibis eſſe admixtum, plane manifeſtum, cum neque purum alimentum, ſicut neque elementum, ſit inuenire poſſibile. Medicamenta prorſus venena exiſtunt: nunquam enim tranſire aut migrare volunt in ſanguinis coloniam, propter hoſtilem quandam vim in eum, qua imbuuntur, cum quibus, vt inimicis dum natura excitata colluctatur, noxios humores ſolet pariter cum eis contendendo exturbare. Irritamenta voluptatis, vtpote condimenta, aromata, fructus, plerumque vel ſunt medicamenta, vel mera venena, nullo commodo inſeruiẽtia: quinimo potius plurimum lædentia. nam cum non conuertantur in ſubſtantiam aliti, maximum interim negocium faceſſunt naturæ, vt alteratione deuicta, demum eijciantur, ac eò magis nocent, quo fuerint qualitatis pertinacioris: inde enim laborare debet natura operoſius, quo ea alteret, & ſubinde exterminet.

4 Quod attinet ad vinum, quædam eius quo ad hoc, particularis proprietas obſeruanda. Duo poſſumus in hauſto vino ſpectare. primum vt vi caloris naturalis in ſtomacho, compellatur propria natura exarmari, ſpoliari, & ſic tranſire in ſubſtantiam aliti: alterum, vt abſque hoc effectu dumtaxat expellatur. Et ſane vtrũque naturæ officium valde difficile ac moleſtum propter ingentem quandam vini poteſtatem, quam habet ad ſe defendendum, & vtrique naturæ muneri reſiſtendum. Sine dubio vini virtus, vt ad agendum, ita ad repugnandum, efficaciſſima. actiuam eius vim percipimus ex eiuſdem ſpiritibus plane aëreis ac igneis, qui in illo redundant & eſſxliunt. ac videmus, illos eſſe adeo feruentes, vt in muſto dolia munitiſſima diſrumpant, per denſiſſima ligna ſaporem ac colorem ſuum traijciant. admiſſum proinde vinum in ſtomachum, non ibi iacet iners aliquod pondus, ſed ſtatim ac a naturali calore impetitur, ſeſe recolligit, ingens bellum reagendo ac renitendo illi indicit. quæ quidem contentio excitat calorem quendam extrinſecum, veluti febrilem, qui valde contrarius calori naturali, ac illum non aliter debilitat, quam ſolis radius ardorem ignis compeſcit in eum delatus, vt ait *Ariſtoteles*.

Ariſto in prob. cap. 8. Ouid. de Remed.

Vina parant animos veneri, niſi plurima ſumas,
Et ſtupeant multo corda ſepulta mero.
Nutritur vento, vento reſtinguitur ignis:
Lenis alit flammas, grandior aura necat.

Inde conſumpto humido naturali, ſiccitates generantur, ſubſequuntur infrigidationes, demum arente cute, ſenectus ante proprios ſuos annos ætatem deflorat, & præoccupat. Hoc ipſum vinum, propter ſuos ſpiritus, aſt indole valde ſubdola ad incommodandum. nam palatum eis afficiens in homine, vehementius deſideriũ ingurgitationis procurat. receptum autem in ſtomachum, propter obſtinatam ac ſpiritoſam ſuam qualitatem, haud parum naturam debilitat, & ex conflictu plurimum eam delaſſat. Euaporati autem in cerebrum hi ipſi ſpiritus,

quod hoc, frigidum & humidum, illi feruentiſſimi, extenuant, ac in illo omnes corporis neruos, ipſamque generandi vim, quæ a cerebro dependent, exſundunt ac deuaſtant. Siue ergo vinum conuertatur in ſubſtantiam ſanguinis, ſiue excernatur ſolummodo, neutrum contingit abſque magna corporis intemperie, iuxta ac ab illo fortiſſima naturæ repaſſione, & ex conſequenri ſingulari vitæ detrimento. Teſte *Plutarcho, vinum natura eſt vehementis, & veloci efficacia.*

Plutarc. lib. de tuend. veletud.

Quibus præ notatis, vtile omnino, ac ciuile ſtudium merito haberi debet, qua certe notitia, qua accurata experientia, temperiem, poteſtatem ac diſpoſitionem proprij corporis exactè vnumquemq; apud ſe perſentiſcere: hinc enim ad faciliorem digeſtionem melioremque naturæ in cibos ac potum victoriam procurandam, ciues commode inſtrui poterunt. Enimuero indecens valde, ciuem, quo ad externa eſſe eximiè doctum & oculatum, in eis vero ignorantem reperiri, quæ vitam ipſius, & id quod eſt, in ſe includunt. *Illud eſſe verum arbitror*, inquit *Plutarchus, conuenire, ne ſui quiſque pulſus peculiares rationes ignoret. ſingulis enim diuerſa ſunt, neque ſua temperatura ſit imperitus; quã ſiccũ habeat corpus, neque quarum rerũ vſu vel iuuari ſoleat, vel offendi. Siquidẽ ipſe ſui ſenſu caret, cacuſq; ac ſurdus corpus inhabitat, quiſquis ita diſcat ab alijs, medicum percõtãs, vtrũ rectius æſtate valeat, an hieme, & vtrũ humida facilius accipiat, quam ſicca, & vtrum pulſum natura denſum habeat, an rarum.* Vt enim ſui cognitio generale quoddam morum principium, ita horum peritia, vitæ, adeoque & morum, qui ab ea deriuantur, fundamentum, vt poſtea dicemus. Certe a natura alienum, quempiam eſſe in ſeipſum cœcum carnificem, & *Atropon* quandã proprijs manibus inſcitæ cupiditatis, ſibijpſi vitæ filum intempeſtiue intercidentem. Neque ſolum hac in re ex intelligentia ciuis ſibi vtilis, & eadem optimus cuſtus ſuæ vitæ, ipſi a Deo concreditæ, æſtimabitur, verum inſuper alijs commodus: imo & reipublicæ fauſtus inuenietur, qui ad normam temperantiæ victum conſtituens, ſeſe eo habilem reddit, quo animo ac corpore plurimis prodeſſe poſſit ac velit. Huiuſmodi enim mente perpendens abiectam condicionem cibi ac potus, dedignabitur nobilitatem ſuam, ritu plane bruto, ad eam ſordide abijcere. idem cogitationes ſuas reflectẽs ad turpes eorum formas in ſtomacho coalitas, nihil fermè ab extremis fœcibus diſcrepantes, horrebit plane, eis congerendis curam nimiam aut ſumptus ingentes impendere, aut velle, vt ipſius omnis contentio in precioſas ſordes deſinat, exeatque demum in fœdiſſimam illam illuuiem excrementi, vt admonuit *S. Chryſtomus.*

Plutarc. lib. de tuend.

Ariſt. 3. Ethic. cap. 10.

Chriſoſt. hom. 1 de prouident.

6. Vt ergo hoc munus naturæ, eius reparationi & nutritioni addictum, ad rationem temperantiæ ciuilis membratim deſcribamus, incipiendum a facultate eiuſdem attractiua, ſeu etiam retentiua. Hæc quidem poteſtas ita naturæ ipſius lege inſtituta, vt ingeſta in ſtomachum ad ſe trahat, ſiue vt ex eis ſalutaris ſuccus hauriatur, ſiue vt actione naturalis caloris corrupta, tanquam nociua, expellantur. & quidem per omnes corporis partes, quæ alimento ſuſtẽtandæ, diffuſa eſt hæc eadem virtus attractiua & retentiua: cum ſingulæ præparatum nutrimentum ad ſe cogunt ac retinent coactũ, vt poteſtas nutritiua opus nutritionis ſubinde perficiat. Itaque hæc virtus libenter ad ſe rapit, quę naturæ alendæ ſimiliora, & veluti ſymbola, ac ita diſpoſita, vt magnum momentum conferre poſſint ad nutritionem; quæ pariter eam ob cauſam retinet mordacius. Si autem fuerint aliqua mera venena, medicamenta vtpore, aromata, non conuertenda in ſubſtantiam chyli, ea ſponte non compellit ad ſe affluere, ſed ſolum, vt quemadmodum cum alio luctans, aduerſario ſe quodammodo immiſcet, quo eum deijciat, ita ſentiens natura hoſtile quid ſub ſpecie alimenti in corpus ingreſſum, in illud rabide inſilit, ac præſtat, vt viribus caloris naturalis deſtruatur, ac in ſordes eijciẽdas redigatur. ac quod de attractu dictũ, idẽ intelligi debet de ipſo cõplexu ac retentu. quo intelligimus, non alium cibum capiendum, quam illum, in quem eſt auida hæc vis attractiua & retentiua: non illum in quem ſenſus dumtaxat voluptatis præceps, a quo potius, vtpote aliter a natura inſtituta, refugit: veluti a fructibus, condimentis, aromatibus, medicamentis humoribus diſtillatis, in quibus nihil aut parũ ſucci nutritiui cõtinetur. & quod in nobis a fine optimo nutritionis, aliorſũ plerumque abeat palati guſtus, idcirco Deus nobis rationem inſeuit, quæ naturæ idonea, non ei ſolum ſua dulcedine adulantia, deligeret ad cõedendum ac bibendum. Alterum in hac ipſa facultate ſpectabile eſt, quod alimentum veluti forcipe retineat, donec calor natiuus, tanquam alter *Vulcanus*, opus nutritionis abſoluerit. Quẽadmodum enim nihil in ferrum candens ſolertet imprimeret malleus, ſi non aliquo inſtrumento ad incudem ligaretur, ita vis digeſtiua, per omnes partes corporis diſperſa, nihil præſtaret, ſi non adeſſet hæc facultas retentiua, quæ materiam, vel reluctantem, viribus quibuſdam complexam ei ſubijceret. Ex quo percipitur, noxium eſſe nutritioni in vniuerſum, ſi hæc facultas retentiua fuerit a rigore ſuo relaxata ac remiſſior facta. hoc vero prouenit, ſi ab indito alimento identidem ſuperetur. vtpotẽ ſi tanta fuerit moles cibi ac potus, quantum coërcere ac conſtringere commode non valet: hoc enim modo decidit magna eorum pars: quæ nutritioni ſubducta, in prauos humores & cauſas morborum ſubinde degenerant. Hoc ipſum ſimiliter contingit ex genere ipſorum ciborum, veluti non congruentium naturæ, neu aptorum vt cõuertantur in bonum ſuccum. huiuſmodi enim hæc facultas aſpernatur, faſtidit, fugit, ac proinde ſemicruda quodammodò permittit a ſe dilabi. quæ ſicut a nutritione arcentur, abiecta iam a retentiua facultate, ita vitæ euadunt contraria, humorum quippe prauorum dumtaxat ſeges & materia. Maxime autem hæc facultas eneruatur, quando cogitur frequentius dimittere, quod ad ſe aliquoties attraxit: ſiue hoc ex quantitate cibi, ſiue qualitate oriatur. nam vt arcus ſæpius tenſus ac remiſſus, vim ſuam paulatim amittit: ita ſi alimentum in facultatem retentiuam

Ariſt. lib 3. Ethic. ca. 10.

Galen. lib. de parv.

tiuam

tiuã eatenus præualuerit, quatenus eã compellat tenacitatẽ ſuam paſſim ſoluere, antequã debito modo vis nutritiua opus ſuum perfecerit, inde vſque eo debilis euadet, vt nihil poſtea, etiam ſaluberrimi, tenere poterit: ſed vel a leuiori pondere cibi, vel eius qualitate, parum naturæ grata, profligat, omnia illico excidere patietur, quæ ad ſe ſemel pellexit. Hoc ſatis conſpicuum in ventris profluuijs, in abortibus, in ſtomachi per vomitus frequentibus euacuationibus: in quibus vis retentiua pœne frangitur, quod plu-ries ad ſe attracta cogatur dimittere, & quaſi ſoluere neruos & vncos digitorum aliquid cõplectentium. Et ab hac debilitate facultatis retentiuæ vniuerſa mala in hominis vitam, & corporis eiuſdem optimum ſtatum, deueniunt. id enim omne peſſimum, quod in corpus receptum, nutritioni nõ inſeruit, & nihil aliud tunc eſt quam funeſtus hoſtis, veluti in ciuitate prędo, qui in vitæ arcem penetrauit. Vt ergo hæc vis attractiua, ac retentiua fortis & acris perſeueret, modicis cibis vtendum, eisque ſalubribus, quorum natura ipſa interna, non ſenſus guſtus, appetentior.

7. Sequitur facultas nutritiua ſeu digeſtiua expendenda. huius officium, per varias præparationes alterati alimenti, illud priuare propria ſpecie, & tandem conuertere in ſpeciem aliti. idcirco vt in hoc officio exequendo ratio in nobis ſit cautior, animaduertere debemus, alimentum non tantum hac facultate mutandum in ſubſtantiam aliti, ſed etiam ab eadem cum eo pugnandum, eoque pugna maiori, quo cibus ex inſita ſibi temperie magis actiuus, conſtipatior, aut quantitate amplior. Deinde cogitandum, non merè pugnandum, quinimo ex repaſſione detrimentum aliquod huic facultati quãtumuis victrici perpetuo inferendum. Alio tamen modo decertat cum alimentis, & alio cum medicamentis. illa enim ita profligat, vt in ſubſtantiam aliti demum conuertat, & eis amice tandem ſuſtentetur: hæc autem ita ſuperat, vt penitus eijciat, inepta quippe, quæ vt priora, in vitæ ditionem digeſta tranſeant. Vtrimque vero naturam infirmari conſtat. nam omnis illata vis huic facultati, ſiue ab alimentis, eſt naturæ contraria, & proinde aliquid ſemper expellit de illius bono contrario. quo euadit, vt homines vel ſolo vſu ciborum, abſque omni externo malo, ſeneſcerent, ac tandem morerentur. Curandũ itaque, vt ij cibi ſint in vſu, qui ſubſtantiæ alendæ ſimiliores, ac promptiores, vt in eam demutentur: huiuſmod enim vel minimam ei imprimunt nociuæ qualitatis repaſſionem, & conſequenter parum eam debilitant. neque in hoc ſtudio fides adhibenda guſtui, qui tanquã proditor conſiſtit in ianuis, ſed menti, rationi & experientiæ. Vt autem melius hanc pugnã inter alimenta & facultatẽ nutritiuã, percipiamus, diſtinguere debemus primò ſpaciũ illud, in quo peragitur concoctio, & illud, in quo eſt abſoluta, & natura a tali opere refecta conquieſcit. Deinde animis ſeparare oportet duo genera caloris, quæ hic interueniunt. eſt enim vnum genus calor naturalis, inſtrumentum facultatis huius quæ proximè agit in qualitates alimenti, vt eas

Ariſt. lib. de longit. & breu. vitæ.

exterminet, & viduatam earum ſubſtantiam mutet in ſubſtantiam viuentis. alterum, quod oritur dum calor naturalis confligit cum illis alimenti qualitatibus, & eſt calor extrinſecus, adſciticius, innaturalis, calori naturali infeſtus, ac quodammodo febrilis, & notat *Galenus*: quo pacto ſeſe vino ingurgitantes, & magnam copiam ciborum ingerentes, rubere & æſtuare deprehendimus; calore nempe forenſi ardentes: qualis, a radio ſolis, a veſtibus, calidiſque rebus oritur, & ad naturalem corporis calorem accedit.

Galen. li. de aliment.

8. Quantum ad illud ſpacium, in quo concoctio in motu verſatur, intelligendum, præcedentem famem, ad defluxum carnis vel ſanguinis, quandam induxiſſe in corpus intemperiem ac veluti morbum, eius condicioni moleſtum ac noxium. idcirco vt hac compreſſa, ad optimam temperiem natura in eo adſpiret, opus nutritionis eadem per medicamenta ciborũ aggreditur: veruntamen quamdiu motui ſubeſt, tantum abeſt, vt nunc in optimam temperiem educat, quod potius cum maxima intemperie coniungatur. nam vt humanum corpus, dum vires exerit luctando, alterationem patitur, & intemperiem in ſe admittit optimo ſui ſtatui contrariam, ita dum calor naturalis, vt partes ſicciores humore reſpergantur, connitens, pugnam init cum aduerſis qualitatibus alimenti, tunc vel maximè inſurgit & inflammeſcit calor quidam oppoſitus, qui cito eam extingueret, niſi maturò ſopiretur: ac maxima inde laborat natura intemperie, vt doctè *Ariſtoteles*, & *Galenus* obſeruarunt. Peracto autem conflictu, coactoque alimento in coloniam chyli aut ſanguinis, tunc demum calor naturalis deperditus partim humidi defectu, partim ipſamet cõtentione, eius ſiccitate veluti rore madefacta, ad mediocritatem ac temperiem quandam placidiſſimè reducitur.

Ariſt. lib. de breu. vitæ. Galen. de Alim.

9. Secundo in loco calor naturalis comparandus cum calore adſciticio famis, & ipſius nutricionis præparatoriæ. inſurgunt itaque ſimul duo hoſtes in calorem naturalem. primus qualitas eſt cibi, quæ ne corrumpatur, vel ſuperetur, obſtinate renititur. alter, calor ille aduenticius, quem ipſa fames, & poſtea hæc pugna excitarunt. & ab vtriſque patitur calor naturalis ingentem aliquam reactionem, & nociuam ab vtriſque impreſſionem. nam dum alimenti qualitas ei reſiſtit, ac tenuit proprio ſubiecto exigi, vim infert calori naturali, qua extenuatur. Viciſſim calor ille aduenticius haud aliter, vt notat *Ariſtoteles*, depaſcitur calorem naturalem, quam ſolis radius ignem in camino, ſi in illum fortè inciderit. quo fit, vt in hunc ritum debilitato ex manducatione ac potatione calore naturali, inde, etiam ex calidiſſimis cibis, ac vinis frigidi morbi, vtpote defluxiones e cerebro, podagræ, paralyſes, propagantur: ipſumque ebriorum ſemen, vt refert *Ariſtoteles* frigidum euadit. Quamobrem immoderatæ refectiones tantum abſunt ab eo, vt deperditas naturæ vires reſarciant quod finis eſt debitæ digeſtionis, quin potius eaſdem amplius diminuant. quod cum prædictis rationibus præſtent, tum

Ariſt. prob. cap 8.

ſpeciali

ſpeciali quodam modo cerebrum impetentes, idem conficiunt. nam e ſtomacho elati vapores vaſtæ ingluuiei ad cerebrum ; illud aut nimio accendunt æſtu, contra naturalem illius frigiditatem, vel plus æquo frigore conſtringunt. ex quibus cerebrum decreſcit, langueſcit ac deficit. Cumque omnes nerui, ac virtus ipſa generatiua, ab eodem ducantur, in illo diminuto, pariter ſuſtinent detrimentum.

10. Atque ex iſtis liquet, quãta cura ciui incũbit, vt certam rationem conſtituat eorum, quæ in ſtomachum dimittit. Videt enim, helluones nũquam ad naturæ quietem peruenire, ſed perpetuo artubus calere, perturbari, commoueri, concuti, & in omnem partem interdiu & noctu verſari impeditæ concoctionis æſtu. Facile itidem quis ſua intelligentia adſequitur, immodicos cibos, vina præſertim, aromata, condimentã, ac medicamenta, omnem naturæ vim ſenſim, imo aliquoties ſubitaneo aſſultu, conficere, ac ſemina morborum, per vniuerſos corporis artus, fœcunda manu inſpergere. Contra autem aduertere valebit, tenuem cibum, parabilem, naturæ vicinum, coniunctum eſſe cũ dulci quietudine, cum ſomno gratiſſimo ; demum eam temperiem corporis continere, quæ potiſſima optimaque ; quæ diu floreat, neque annis facilè cedat in momenta peritura.

11. Duo itaque genera eſculentorum, meo quidem iudicio, deuitanda, vt nihil modò dicam de eorum nimia copia & exuberantia. primum genus delicatum eſt, & procline omnino vt ſponte immigret in coloniam humani corporis: alterum, aromaticum. quæ ad primum referuntur, licet facilem admittant concoctionem ſui, eoque parum negotij naturæ faceſſant, nihilominus duo mala ſecum in corpus inducunt: nempe humorum exundantem copiam, ſimul ac inertiam iacentis ſtomachi, quo minus alia craſſiora ac communiora deinceps concoquat. Enimuero illa molliora, ac magis fluxa, cito quidem vi caloris naturalis diſſoluuntur, cæterum reſoluta deſpumant in flumen quoddam prauorum humorum, qui abſque naturæ damno minime retinendi, aut egerendi. ac talibus dumtaxat aſſueta natura, quod exercitio interea loci careat durioris pugnæ, languida euadit; quemadmodum ſi quis omni prorſus deambulatione diu abſtineret, eo ad ambulandũ flaccidus & plane euiratus fieret. meliora idcirco nutrimenta vulgaria, & naturæ proxima, quæ vt ſatis ſint opportuna ad immigrandũ in ſubſtantiam aliti, ita illam humorum abundantiam non inferunt, naturamque exercentia, eam vegetam exertamque perpetuò efficiunt & robuſtam. Aromata, maxime *Eſſentiæ chimicæ*, nihil prorſus ſucci aut ſubſtantiæ habent, quæ in aliti naturam vertantur, vt conſtat. & cum imbuantur qualitatibus valde actiuis, vitæ plane contrarijs, præſertim calidis & ab igne aut ſulphure deriuatis, inde alterationẽ a natura haud in ſe admittunt abſque vehementi in calorem naturalem reactione, & ex altera parte, ſicut pertinaciter obſiſtunt calori naturali, ingentem conflictum elicientes, ita calorem illum extrinſecum ſummo quodam gradu feruentem excitant & ſecum adducunt quo calor naturalis, vt iam dictum eſt, plurimum diminuitur. habenda itaque aromata, vt mera medicamenta, venena, ac mala neceſſaria, vt quidam de fœminis aſſeruit. Atque in hoc genere reputandum, vinum igne coctum, butyro, & aromatibus conditum. De quo pronunciat *Ariſtoteles*, quod verè vinum non ſit, ſed *Nomine vinum, opere autem non amplius.* & merito. nam naturales vini ſpiritus conuertibiles in ſanguinem, propter quandam inter vinum & ſanguinem propinquitatẽ, vt docuit *Galenus*, vi ignis conſumuntur, & in eorum ſubiectum inducuntur alij ſpiritus Vulcanei, ignei, fumidi, innaturales, a quibus nulla nutritio mutuanda. eiuſmodi itaque vinum eſt purum medicamentum, ac venenum, & ſimiles effectus cum illis in corpore humano ſortitur.

Ariſt. lib. 4. meteor. ca. 2

Galen. de Ali

12 Duo itaque ſuperſunt diſcutienda ex parte ciborum, comparata ad facultatem naturæ nutritiuam: varietas ſcilicet eorundem, & abundantia. Et quidem plurimum eiuſmodi varietas obeſſe videtur cum ratione naturæ agentis, tum ciborum reagentium. Prioris reſpectu, ſicut cibi ſunt multiplices, ita naturæ in eos contentiones diuerſæ, ac quodammodo diſtractæ: vnde remiſſiores etiam ſingulæ euadunt, quandoquidem circa varia occupatæ, quorum digeſtiones inæquales: huius quippe quam alterius promptior & expeditior. diſtractio autem & inæqualitas impedimento ſunt naturæ decretæ molitioni ac fini. Cibi itidem alij atque alij vt ſuccum diſtinctum, ita & cõtrarium ſæpius ſubminiſtrant, ac totidem formis reactionũ naturæ vires diuerſimode hinc inde adoriuntur. expeditior itaque vnius concoctio, eademque ſalubrior. *Faſtidientis ſtomachi eſt*, inquit *Seneca*, *multa deguſtare, quæ vbi varia ſunt & diuerſa, inquinant, non alunt.* Copia autem ciborum tam facultati retentiuæ quam digeſtiuæ aduerſatur: cum enim tota & integra concoqui non poſſit, crudum quod ſupereſt, cum alimentum nõ ſit, venenum erit & peſſimorũ humorum materia & origo. qui humores inde fluentes, prætorquam quod ſanitati aduerſantur cerebrum perturbantes, corpus replentes, tum etiam ſanguinem impuro liquore inficientes, illum deturpant, & omnem in corpore florentem ſpeciem, in eodem ſtagnantes, multiplici colore, veluti iridis, corrumpunt, & in tabum quendã demum reſoluunt. ex quo non animus modò turpiſſimo vitio violatur, ſed etiã corpus deformatur. Etenim dupliciter in huius dedecus redundat intemperantia. principiò quidem ex eo quod hæc agnata ſit vehementibus appetitus affectionibus, vtpote iræ, laſciuiæ ac ſimilibus: quorum exceſſus omnem menti curam adimunt componendi corpus ad normam rationis. Deinde ipſimet cibi per corporeos artus exundantes, oculos lippos, caput tremulum, vultum reddunt ardoribus exeſum & inflammatum, totum denique laxum neglectumque. *Pythagoras* itaque, vt recolit *Eraſmus*, videns quendam ingluuiei deditum, admirando dixit: *Quantum iſte laborat, vt moleſtiorem, ſordidioremq́ſibi paret carcerem?* Sane inficiari nemo poterit, quin corpo-

Middleton Quodl. 6.

Senec. ex. 2. ad lucil.

Eraſm lib. 2. Adagior.

ris

ris pulcritudo ſit ciuilitatis ornamentum. Hinc *Homerus* venuſtate ſpectabiles proponit *Hectorem & Achillem* : *Ariſtoteles* eandem plurimum optandam definit in principibus.

Ari. l. 5. Pol.

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus. Virg. Æn. 7.

ac inter cætera, clari ac nitidi oculi, ciues ac principes valde commendant : quales micabant in *Auguſto* Imperatore teſte *Aurelio*. Au. in Aug. Verum crapula hanc pulcritudinem penitus extinguit, nec permittit oculos, humorum illuuie continuo madentes, clarere, vel lucis aliquid ex ſe vibrare.

13 Vltimo loco iuxta temperantiæ leges inquirenda facultas naturæ, quæ expulſatrix, ſeu egeſtiua appellatur. Cum itaque in cibis etiam optimis multa contineantur, quæ naturæ incolumitati repugnant, ac proinde in eius ſubſtantiā conuerti nequeunt, inde cum eis quoque ineunda lucta, vt demum excernantur: qua in re ex præſcripto einſdē temperātiæ prouidendum, vt fæces expellendæ ſint pauciores: nullum enim animal, teſte *Ariſtotele*, quod eis abundat, diu viuit; nam cū huiuſmodi excremēta non ſolum ſint naturæ oppoſita, ſed etiam quo ad molem copioſa, inde vehementē, in facultatem expulſiuam, adeoque totum corpus, exercent reactionem, & conſequenter eorum debilitates procurant. Arist. l. de lon. & breu vitæ. Cauenda eſt itaque hæc copia, quæ nō modo oritur a quātitate ciborū, ſed etiam ab eorum qualitatibus mollioribus ac delicatioribus. reſoluuntur enim hi in humores ac fæces abundantius. Quorum intemperantiæ aliud malum ſuccedit, quod frequentibus elutionibus ac purgationibus per pharmaca accidere ſolet: nam quod eis eijciendis non ſufficiat natura, medicamēta ſuppetias ferre ſolent. quę quidē medicamenta, quod nutrimenta non ſint, ſed pura venena, ideo naturæ plurimū officiunt, etiā dū id, ad quod inſtituuntur, optime præſtant: ſicut eadem ablutione, qua panni mundantur, pariter atteruntur.

14 Plurimum itaque hac ex parte ſibi nocēt, qui eſculenta ac iuſcula copioſe ingeriūt in ſtomachū cum parua quantitate panis: quod Boreales paſſim facere ſolent. nam in medio ſitu, vbi corpora ſicciora, ibi panis abūdantius manducatur. enimuero illa eſculenta carnium & iuſcula, vt in abundantem materiam humorum reſoluuntur, ſic pariter in ſtomacho ita putreſcunt, vti halitum omnino inficiant miro quodam fœtore, ex quo etiam dentes nigreſcunt, ac corrumpuntur. Huic autem turpi malo, panis comeſtio largior, remedio. nam & merito *Leuinus Lemnius* notat, panis etiam corruptus nunquam ſic putreſcit aut fœtet, vt caro, proinde non ſolum nihil fœtidi exhalat, quinimo impedit, ne digeſtarū carniū illuuies nimium ex humore liqueſcat in ſtomacho, ſed potius illam conſtipando, vim fœtoris eidē aut adimit aut moderatur. Leuin. Lem lib. de occul. cap. 6. Eodē vt corpus redditur ſiccius, ſic etiam inde ingenium ardentius euadit: nihil enim igneo calori commercij cum liquidis fœtoribus. Exercitium autem corporis, huic comeſtioni panis, quod ad hoſce effectus, reſpondere par eſt.

15 Vt itaque pauca ad temperantiæ normam præſcribamus, aliquid imprimis, vt mihi videtur naturæ propenſioni ac guſtui hac in re concedendū. etenim dedit natura certis cibis ſpecialē dulcedinem, iuxta ac humano palato facultatē commiſit eam ſentiendi: appetitui quoque vim impreſſit, eamdem appetendi. quocirca in hoc negotiu ſanitatis, imo & ingenij ſeruandi, augēdique, non eſt penitus diſcedendū in partes duras ſeorſim a natura collocatas, quaſi nihil velimus commedere, quod guſtui gratum adhuberet. nā dici ſolet, quod ſapit nutrit: ſcilicet propenſionem naturæ in cibos palato delectabiles, auidius ad ſe illos attrahere, & acrius elaboratum ſuccum ex eis exprimere: vnde ſanguis emergit defæcatior, ſpiritus quoque in eodem ingenerantur ſubtiliores, ac pauciores ſuperſunt ſordes exterminandæ: quæ omnia præclara quidem naturæ beneficia. eſt enim quod cogitemus, nos homines eſſe, animaſque retinere, quarum operationes ex corporum diſpoſitionibus dependent. Cic. Tuſ. [illegible] *Ipſi animi*, inquit *Cicero*, *magni refert, quali in corpore locati ſint. multa enim e corpore exiſtunt, quæ acuunt mentem, multa quæ obtundunt.* Cic. Tuſ. [illegible] ita tamen hæc iucunditas moderanda, vt non ſit prorſus voluptuaria ac ſordida, ſed potius mediocris, ac ad ſanitatē belle compoſita. At in hac obſeruatione vix locū inuenit fructuum manducatio. arrident quidem palato, cæterum nihil ferme habent nutrimenti, vt ait *Galenus*: proinde ij meliores, inter eos, qui a natura ſolubiliores. conſtipatiores enim vt magis fatigant naturā, ita a conflictu parū nutritionis poſt ſe relinquunt. habendi idcirco fructus medicamenta potius, quam nutrimenta: a quorum etiam liquoribus cauendum, cum prauorum humorum ſint fomenta, ac facilius ab extrinſeco calore in febres incenduntur.

16 Deinde frugis ac parcus victus ad valetudinem, corporis robur, ac venuſtatem, multum confert. Hoc ex oppoſito ſatis manifeſtum: quandoquidem ex illo humores abundant, calores febriles excitantur, cerebrum diminuitur, vis concoctiua, attractiua, retentiua & expulſiua extenuantur, vt iam explicatum. Fæminæ autem, quæ propter naturæ quam habent indigeſtam qualitatem, humidiores, maxime refugere debent ciborum onera & varietates: nam ex iſtis ſanguis deriuatur valde infectus, crudus, & neſcio quorum humorū admixtione decoloratus. Eſculēta quoque ac poculenta valde fluida efficiunt, vt omnia in eiſdem ſint corrupta ac putrida, in quibus, ni temperanter cauerint, eorum corpora reſtagnare ac paluſceſcere videbuntur.

17 Exercitiū porro corporum, fini temperantiæ, vtpote incolumitati, robori ac venuſtati vtiliſſimū. Hęc ſpectaſſe vidētur Græci, qui in ſingulis ciuitatibus, vt ait *Vitruuius*, ſpatia voluere eſſe gymnaſtica ac luctatoria. Vitr. l. de re mil. Cic. Tul. 5. pueros, iuuenes, adeoque & fæminas ipſas decreuere iſtis detinendos. Ratio quidem in promptu. etenim hi motus corporei illū calorem excitant, qui ſanguinem puriorē & flagrantiorē reddit, quique ſuppetias ferēdo facultati expulſatrici, omnes ſordes exactius eijciat. Hinc qui illos nō admittūt, pallidi ſūt plerūq;, onuſti humoribus incedūt:

denique pharmacopolarũ probaticiæ ſtipites, cuncta ſanitatis firmamenta a venenorũ pixidibus præſtolantur. miror ergo, vnde fæminæ iſtis præceptis carere mordicus obſtinarunt, cũ tamen colorem cutis rebus alijs illis mos anteponere: præſertim ab ingenio quod ſint humorum diluuija opportuniores, quæ facile illis exercitijs conſumerentur.

18 Denique curandum, vt ſomnus ſuſcipiatur altus, ac talis, qualis idoneus ad imaginationem fortius ligandũ. Somnus enim in vniuerſum iuuat ad digeſtionem ciborũ, corpus porro humectat, ſenſus omnes ſpiritibus nutrit ac fouet. Cuius virtuti duo obeſſe ſolẽt frequẽtiua; ingluuies ſcilicet, & animi aliqua perturbatio, ſiue hæc fuerit cogitatiua, ſiue appetitiua. Cum enim natura plurimum laborat ex concoctione, cerebrum eodem interim perturbatur, ac in corpore feruet calor adſciticius, quibus ſomnus impeditur: aut ſi quis ſopor fuerit, is intercisus frequenti vigilia, aut admodum tenuis, qualis in vehementer ſomniantibus vix ſomnus dici poterit. *Vigilia & tortura*, ait *Eccleſiaſticus*, *viro infrunito, & ſomnus ſalutaris in homine parco*. Quod ad alterum attinet, ſummo beneficio eſt animus ſedatus ac tranquillus. Salubre idcirco, ſi imitemur, cubitum petentes, artificialis memoriæ profeſſores. hi enim aliqua præcepta in eo ponunt, vt locis impreſſi characteres obliterentur, quo alijs admittendis eadem loca ſint idonea. Similiter egregium ſane robur animi, cogitationes diurnas, omneſque affectiones ex imperio in ſe ſtatim deponere, eoque placido manente, appetere ſomnum & illi ſe totum tradere haud reluctantem deuinciendum. Fateor, pueri, ebrij, ac ſtulti hoc multoties faciunt: at hoc ipſum nihilominus efficere animi virtute & dexteritate, plane egregiũ, virile quippe, & philoſophiæ præceptrici conſentaneum. Verũ ſicut corporis ſanitati prodeſt temperantia; ſic etiam animi intelligentiæ ac virtuti commodo exiſtit, vt iam oſtendemus.

Eccl. 31.

CAPVT. XXIX.

Officium temperantiæ animi bonis conuenientiſsimum.

Amb l. de vit. Beat. c. 1

Recte pronunciauit *S. Ambroſius* de Temperantia: *Non enim ſolum naturalia, ſed etiam moralia temperantia moderatur*. Enimuero anima humana, etiam quo ad operationes ſibi proprias, nempe nulli certo corporis organo adſtrictas, ad eiuſdem corporis temperiem diuerſimode agendo connititur, & plerumque eius inclinationem incitationemque ſequitur præeuntem, obſequiturque imperanti. Hinc melancholici ingenioſi, flegmatici ſtupidi, ſicci irati, ſanguinei læti. ac in vniuerſum Philoſophi loquẽtes de illo corpore humano, quod præſtantioris intelligentiæ domicilium, affirmant, ſiccum, acrius ingenium proferre ac ſuſtentare: in huiuſmodi enim ſpiritus vitales euadunt tenuiores, feruentioreſque, qui animi contentionibus magis ignitis, intentiſque commodius opitulentur. Sic *Ariſtoteles*, *Porphyrius* ac alij quamplurimi definiunt. ac vero ſpirituum vitalium formæ ducuntur ex conditione ſanguinis, cui inſunt: hic omnino talis, qualis primarum qualitatum reſpectu in corpore complectio reperitur. Vt ergo bona ſint in ciuibus ingenia, ab eis cauenda nimiũ cibi ingluuies, fugiendus pariter humidorum eſus, victus parcitate, aridorumque vſu, cohibendus aqueus ille in ipſis fluxus flegmatis ac pituitæ. Quod quidem conſilium ab eis præſertim arripiendum, qui loca frigida & humida incolunt: quorum cœlum molle ac delicatum, nullo frigoris aut caloris inſigni aliquo gradu incitatum. nam ſi huiuſmodi ſui cœli humiditatibus, ciborum, ſiue ex eorum mole, ſiue ex qualitate, liquores maiores adiunxerint, ſtagnabunt prorſus eorũ corpora in fæcibus fluidis, & tanquam madentes ſpongiæ molleſcent: ex quo in eiſdem ſpiritus vitales orientur craſſiores, tardioreſque & qui ad omnem egregium animi impetum efferendum ineptiſſimi. inde fiunt, illis imbores, ſimpliciores, rei honorariæ negligẽtiores, apertiores, ac tales, quales a tyrannis facile domentur & ſubiugantur.

Ariſt. l. de lon. & breu. vit. Porp. apud Euſ. l. 4 Præp. c. 11.

2 Huiuſmodi gentes, ſicut carnium & lacticiniorum copia abundant, ita liquidis delectati, admodum parum panis ſolent comedere ac dicere mos eſt ipſis, panem abundantiorem ſanguinem exſugere & exhaurire. Verum exiſtimarem, panis eſum iuſtiorem eos abdicantes, eodem ſingulare quoddam cum roboris, tum ingenij & venuſtatis adminiculum, aſpernari. Errant prorſus dum arbitrantur, panem in ſtomacho digeſtum ſanguinem imminuere. recte enim appellatur panis in ſcriptura firmamentum vitæ: & id potius eſt edulium, quod duobus commodis abundat: ſcilicet refectione ſolida, & inutilis humoris defectu. optimus enim ſanguis ex pane comeſo ducitur, ac ita totus trãſit in ſubſtantiã aliti, vt nihil ferme illius in ſordes redundet, cum quibus natura poſtea operoſius colluctaretur. Cũque ea, quæ nutriunt, maxime terræ aliquid in ſe continent, tum quod triticum longo ſatis tempore in terram ſatum, ibi demum, ſubinde a corruptione vegetatum, magnã vim illius ad ſe attrahat, tum conſequens, panem, terræ agnatum, multum prodeſſe hominis nutritioni. atque dum humores in corpore conſumit, dum illud ſatis ſiccũ reddit, inſignem opem robori, & florenti eiuſdem colori addit: præſertim ſi eius commeſtionem exercitiũ aliquod ſubſequatur: quo ſibi obſonium parari in ſubſequentem comeſtionem, ſcilicet famam, dicere ſolebat *Socrates*, & ex *Galeno* probat id multis *Cælius*. omnino certum, in eis mentes languere & hebeſcere, quorum corpora humoribus diſtenduntur.

Pſalm 104.

Ath. l. 4. c. 18. Cæl. Rod. l. 11. c. 18

3 Neque fieri poteſt, vt intemperans victus non coniungatur cũ multis corporis doloribus, qua crudis indigeſtionibus, qua capitis grauedine, qua neruorũ conuulſionibus, qua inteſtinorum contorſionibus procuratis. qui omnes cruciatus ingenio officiunt, cõpellunt enim imaginationẽ ad ſui perceptionem: ad quod munus ita plane deſtinant, vt ſpiritus vitales melioribus

ſtudija

ſtudijs impendendo, a eo conficiant, mentis conatum expetibiliorem intempeſtiue abrumpant: quo prorſus euenit, vt omnis neruus intelligendi in intemperante penitus frangatur. Ex cuius defectu etiam fit, eiuſmodi intemperantes, motibus appetitus vehementioribus, tam concupiſcibilibus, quam iraſcibilibus, concuti, ac vario perturbari. qui motus, vt animi quietem expellunt, ita acumen in illo cogitandi ac iudicandi plurimum retundunt.

4 Cibi porro ac potus immoderatius in ſtomachum illati, ſtatim ac calore eiuſdem naturali coqui & alterari incipiunt, ingentem copiam vaporis ad cerebrum emittunt: nempe ad ſenſus ac rationis inſtrumentum, ad neruorum fontem ac matricem, quo eius facultas nunc obnubilatur, nunc infuſcatur & obtuitur. Enimuero naturalis cerebri ſtatus humido conſtat ac frigido: cui vapores calidi contrariantur. quo ſemel inde immutato, immaginatio ac neruus opticus deſtituuntur ſuis alimentis ac debita temperatura: ſicut videre eſt in phreneticis, ebrijs, vertiginoſis, ac ſimilibus. quo pacto intemperantia, præſertim ebrietas, non ſolum vt cætera vitia rationis legi ac imperio repugnat, eius mandata defugiens, verum inſuper in illam, licet Dominam, violentas manus iniicit, vitamque illi eripere quodammodo, proditoris inſtar, videatur. Cum itaque natura in homine cerebri locum voluit eſſe in altiori parte ſui corporis, tanquam ca-

Galen. lib. de part. vſu. lentis domus, vt ait *Galenus*, frigidum tectum, ad corroborandum naturalem calorem eiuſdem: cumque ſit omnium neruorum principium, ſenſuum fomentum, temperantiæ erit, illud integrum ac ſincerum accurate cuſtodire, nec vnquam permittere, vt è culina ſtomachi elati vapores, eius dignitatem ac condicionem pellumdent aut inficiant.

5 Et quod ad animam ſpectat, duplex ei ex intemperantia clades infertur. prima, quæ ad ſtatum bruti, in voluptatem proni, abiicitur, altera qua in vaſtum quoddam infinitum, abſque omni limite ac modo, defertur, ac in eo æſtuoſe iactatur. nam quæ intemperanter ſumpta, præſertim hauſta, tantum ab eo abſunt, vt appetentiam illecebræ cohibeant, quin potius irritent, & maiori impetu ſemper vlterius

Senec. Epiſt. 12. ad Lucill. ferant. *Deditos vino*, inquit *Seneca*, *potatio extrema delectat; illa quæ mergit, quæ ebrietati ſummam manum imponit. quod in ſe iucundiſsimum hominis voluptas habet, in finem ſui differt.* Hoc eſt enim diſcriminis inter obiecta virtutum, & voluptatum, quod illa, certa mediocritate definita, hæc vero nulla periodo reſtricta. illa proinde ex inſtinctu naturæ, cuius eſt in terminum certum tendere: hæc ex lege brutæ cupiditatis; quæ contra naturam directa: quippe nullo termino circumſcripta. abſurdum autem fuerit, animam intemperanter viuendo vel naturæ ſuę aduerſari, & veluti portu ſolutum, per importuoſum mare nauigare; adeoque experiri in ſe ipſo vim libidinis, durius & pertinacius, innaturale & barbarum hoc appetitus ſenſitiui imperium. *Homo*, inquit *Seneca*, *& terra paſcitur & mari. Quid ergo? tam inſatiabilem nobis natura aluum dedit, cum modica corpora dediſſet, vt vaſtiſsimorum edaciſsimorumque animalium auiditatem vinceremus?*

15 Ac quod ad animi bona, ſicut in vniuerſum temperantia vim in homine concupiſcibilem moderando, cum mentem ſerenat, tum voluntatem erga alios optime inſtituit, ita dum hanc ipſam vim concupiſcibilem iuxta naturæ inſtitutum, ac rerum a Deo in vſus humanos creatarum condiciones, recreat ac refocillat, partem iraſcibilem cohibet, ne in alios incrudeſcat, ne minus hominem capacem reddat amicitiæ, charitatis, condolentiæ ac gratitudinis. hoc alias adnotauimus, & id liquido oſtendit experientia in rudi & ſimplici natura infantum nobilium & pauperum. illi, quod concupiſcendi in illis facultas cōtra acerba bene muniatur, & oblectamenta varia capit, moribus & ingenio placidi, corridentes, colludentes, ac in omnes amabiles cernuntur, neque tam facile eiulatu iram produnt: contra, iſti frigoribus conſtricti & fame vexati, in rabiem, in ploratus proni omnino, ac parati, qui obuijs vultibus vngues infigant. verum quidem eſt, auſteritatem vitæ profeſſos, aliunde in ſe acrem bilem partis iraſcibilis compeſcere, nimirum humilitate, obedientia & amore Dei, licet omnia parti concupiſcibili blandimenta ſubſtraxerint. hoc equidem minime inficior, neque id modo expendo, quod ſupernaturaliter accidit, ſed quod philoſophia ſolum duce inueſtigandum; ex qua manifeſtum, moderatam tractationem partis concupiſcibilis iuxta vniuſcuiuſque ſtatum & naturæ modum, plurimum ad hoc conducere, vt pars iraſcibilis ad mites mores & ad charitatem componatur. Quocirca dum temperantia hoc ritu partem concupiſcibilem effingit, & quadam mediocritate oblectamenti regit & demulcet, inde animi mores, qui ad alios referuntur, ad normam humanitatis & charitatis optime efformat. Cæterum præſtantiſſima quæque in mediocritate ſita, opportuna extremis. ideo curandum, ne laſciuiat pars concupiſcibilis, cum partem in ſe iraſcibilem illius iucunditate ad humanitatem & charitatem quis laboret inſtituere: & contra ne hæc nimium exaſperetur, dum vis concupiſcendi extremo rigore opprimitur: nam ex abdicatione lenocinij, ſpectantis ad hāc vim concupiſcendi, agreſtes ciuibus, & boreales orientalibus ſiue Auſtralibus exiſtunt inhumaniores. verum quod attinet ad religioſos degentes in conuictu, quorum Regula ab Eccleſia adprobata, quantumuis diſciplina vtuntur rigida, aliunde nihilominus in eis partis iraſcibilis acerbitas temperatur, adeo vt ſint ſatis idonei ad charitatē, amicitiam & erga alios adfectus teneritudinem. non enim prorſus deſtituitur in eiſdē pars concupiſcibilis ſuis delicijs: nempe ex conſolationibus diuinis, ex dulcedine cōuerſationis & confidentiæ, ex inſtructione ab aliorū doctrina, ex omni cura depoſita rei vxoriæ & familiæ, ex in ipſis deſideriorū iucūda cōpreſſione: quibus in eis ſpiritus molleſcit, & tanto veluti epulo hilareſcit: quod cū alijs oſtēdit *Hiero-* Hi rō. Plat.
nym. Platus: licet a carne, ſeuerioris ritus obſeruā- de bon. ſtat.
Religion.

tia, ſeu religioſa temperantia iſtius vitæ blandimenta depulerint.

6 Cæterum in hoc genere viuij apud aliquas gentes inſignis abuſus fumigationis Tobaccicæ, in detrimentum eiuſdem cerebri, intemperanter ac turpiter inualuit. nullus eſt ferme locus apud iſtos, qui non tetro huius odore fœtet: adeo vt haud aliter inde manifeſtetur vbi fuerint, ac ſint, quam ſi feles eſſent aquatiles, quas canes haud laborante nare ex graueolentia perſequuntur. mirum ſane, homines ad ingenia cicadarum focariarum fumis ita delectari. illius autem arentis herbulæ, igne in fumulos reſolutæ, vim melius percipiemus, ſi primo loco eiuſdem temperiem, deinde humani cerebri qualitatem, paucis explicauerimus.

7 Solum ipſum æquinoctiali circulo ſuppoſitum, in quo hæc herba naſcitur, duo habet ſibi peculiaria. primum, quod ab ardenti ſolis radio vehementiſſime diuerberetur: alterum, quod humoris magna copia partim ex irrigatione frequenti fluuiorum, partim ex nocturno ſerotino abundantiori, partim ex ſubterraneis aquarum venis cauſata, homectetur. ex quibus euadit, vt herbæ ac arbores ibi loci creſcentes, ingentem in ſe contineant ſpirituum poteſtatem: vt humido igneo, & oleagineo nutriantur ad agendum, ac reſiſtendum acerrimis. etenim ſi calor ſolis tantum ibi inualeſceret, extenuarentur illico omnia ſata in ariditates. ſi humor pariter dumtaxat præualeret, langueſcerent, & omni carerent acrimonia virtutis. quod ergo tam calor quam humor ibi dominentur, neceſſe eſt, ex eis propagari herbas & arbores ad agendum patiendumue feroiſſimas. Hanc immenſam virtutem in *Tobacco* experimur apertiſsime: vel enim illius parum per os quocumque modo hauſtum, totum corpus illico commouet, in extremis partibus ſudorem elicit, vẽtrem ſoluit, vrinam excernit, vomitum prouocat: adeo inſignem gradum veneni in ſe complectitur. Huius euaporatione admiſſa in cerebrum fiunt homines plane totidem Sybyllæ furiatæ, perinde ac ſi cum aliquo dæmone fuliginoſo commercium haberent. quod non prouenit aliunde, quam ex eo, quod natura, fumigationi illi multum renitendo, exagitetur.

Garzias Del Horto de mercibus Indicis per. 2. lib. 1. cap 1

Ecce rudens rauco Sileni vector aſellus
Intempeſtiuos edidit ore ſonos.

Ouid. lib. 1. Faſt.

Duo itaque conſideranda in *Tobacco*: primum, ipſe fumus, alterum, fuligo ſeu ſubſtantia eiuſdem fumi concretioris, qua deturpat nigredine, & grauat pondere (vt in camino videre eſt) illam partem quam afficit, vtpote cerebrũ, ſtomachum, aut pulmones, ad quos peruenerit.

8 Poſtea humani cerebri qualitas inſpicienda. Hæc in homine particula ſui corporis nobiliſſima, ac naturæ quoddam miraculum, vt ait *Galenus*. quod enim perpetuo motu agitetur, inde frigiditate notiua donata; ne immoderate ex eo incaleſceret. etenim nimius calor eſt illi omnino exitialis. ac licet aliquo calore naturali gaudeat, ſine quo viuere non poſſet aut ſanguine irrigari, in illo tamen frigiditas

Galen. de part.

dicitur prædominari. eſt porro inſtar medullæ liquida, & alba ſubſtantia: a qua omnes vires ſentiendi, & nerui per totum corpus deducti, proficiſcuntur, atque ab eodem aluntur. quod idcirco plurimum conferat ad corporis robur, iuxta ac ſenſuum, adeoque intellectus operationes, olim ob reuerentiam, quam illi veteres impendebant, nunquam ſimplici ac proprio nomine illud appellabant, ſed periphraſi ac circumloquutione vſi, vocabant cum *Homero* & *Sophocle, albam Medullam*, aut quid ſimile. Duo ſunt mala illi peculiariter infeſta, vnum calor externus illi illatus, alterum, ex areſactione, ſuæ molis diminutio. Calor omnino contrarius optimis animi cogitationibus ac iudicijs: omnia enim nimis calefactum cerebrum præcipitat, abrumpit, ac cum violentia vaga ac deſultoria cuncta peragit. diminutio vero illius, oppoſita eſt firmitudini artuum, ſimul ac ſenſuum vigori: nam a cerebro ducuntur ad ſenſus externos, & vniuerſum corpus, nerui, ac ſpiritus ſenſorij: idcirco illo extenuato, aut exſiccato, alimento carebunt, & firmamento. ex quo cerebri detrimento, artuum tremores, oculorum infirmitates, & in vniuerſum defectus ſenſuum, iuxta ac facultatis generatiuæ, prouenire ſolent.

Hõ. Iliad. 1. Sop. Aiac. flagel.

9 Duplex autem vſus *Tobacci* frequentior. vnus, quo fumus illius ad cerebrum vſque ore attrahitur. alter, quo idem ad ſtomachum dimittitur. prior rarior eſt apud Indianos, in quorum partibus naſcitur, niſi in capite puſtulenta aliqua materia fuerit coalita. poſterior illis inſeruit ad euacuandum ſtomachum, poſteaquam ſemicrudas carnes, aut piſces liberalius comederint: aut ſi quando longo tempore ieiuni in mari piſcationi operam daturi, eoque inediam patientius ferre ſibi propoſuerint.

10 Primo itaque in loco fumigationem hanc Tobaccicam intemperantiæ arguimus, quod voluptuaria, & quod eius ſenſu ineſcati, plurimũ illam appetant, nec aliunde ſumere vellẽt, quam quo delectationem ex ea caperent. Itaque intelligendum, ea vel maxime ſenſum guſtus titillare, irritare ac delectare, quæ naturis ſuis acria, ac ſpiritibus feruentiora, ſeu ignea: etenim ſegnia ſi fuerint aut remiſſa, vtpote aquea, parum vel nihil ſompta ſenſum commouebunt. quo modo vinum plus delectat, quam aqua, vel ceruiſia: aromata plus quam ſimplices fructus aut edulia: quia plus habent in ſe ex igne vigoris & efficaciæ. neque indicium hac in re faciendum ex eis, quæ poſt deſuetudinem vel ceſſationem in principiu accidunt: ſed ex eis, quæ vſu ipſo diuturniori fiunt. animaduertit enim *Ariſtoteles*, vino deditos, dum ſorbillare inchoant, nondum diſpoſito in ipſis palato, nihil voluptatis inde percipere, imo potius vini acrimonia offendi: poſtea autem in palatum temperie quadam ingurgitatione inducta, ad inſaniam vſque eodem deliniri. Iam vero manifeſtum, *Tobaccum* ſeu *Nicoſium*, magna vi pollere ad excitandos ſpiritus vitales palati, ad humores eiuſdem attrahendum & prouocandum, cum ſit natura ignea & violentiſſimo ſapore. quocirca tametſi in initio hauſtum diſpliceat

Ariſt. 3. lib. 1. Ethic. cap. 10.

pliceat potius tandem nihilominus, vtpote ſenſibile potentiſſimum ad inferendum alterationem, mira voluptate illam partem eo humores compellendo, demulcet. Dicere itaque ſolene appetentiores iſtius fumi, cum eius vſus ab alijs fuerit ipſis diſſuaſus, ſe prius abdicaturos cibum ſuum, quam fumigationem ſuam: ac vulgò Tobaccum appellant *Lenocinium*. Et obſecro, quid præter voluptatem detinere poterit vilem & plebeiam hominum ſortem tam obſtinate, etiam inter magnos ſumptus, in hac *Nicoſi* fumigatione, cum virtus ac ratio parùm apud eos valere noſcuntur? At quis abiectum non ducit, homines palati voluptatibus mancipari, ea parte luxurioſos eſſe & Epicuræos? quæ honeſtas corporis vel mentis, ab eis expectanda, quibus animus inhiare fumi ac fuliginis delectationibus, neque aliquid magis in vita perſequi, quam eorum voluptates: præſertim cum hoc minimè præſtent ſecretò, ſed palam, ad menſas, in compitis, in cœnaculis, omnibus ferme in locis: eoque proteſtentur, quam auidi ſint in oris blandimenta? quale hoc ſpecimen turpis & agreſtis ingenij, turpioriſque conſilij euidens indicatio?

11 Vt autē *Nicoſi* huius effectū in cerebro diſtinctius cōſideramus, intelligēdū, tā eius fumū quā & fuliginem, cerebri optimo ſtatui ac qualitati aduerſari. Etenim complexio cerebri ex frigido eſt, & humido: fumus autem iſte, & fuligo, calida & ſicca. Vnde non ſolum eorum appulſu denigratur cerebrū, & oneratur excremento, verum etiam inflammatur, exſiccatur ac diminuitur, mole autem cerebri & humore eleuatis, illico ſenſus tam interni quam externi debilitantur, in corpore tremores & imbecillitates inde propagantur. ac mihi ſæpius faſſi iſtius fumi inſufflatores, ſibi memoriam, inter reliqua ſenſuum deliquia, hinc excidiſſe. Senectus quidem ſua ariditate ſenſum diminuit, idem intempeſtiuè fumus Tobaccicus præſtat, quemadmodum & calor venereus eundem effectum ſortitur. Cæterum aſſerunt, hauſtu iſtius fumi ſolum excerni noxium, nimioque exundantem eiuſdem cerebri humorem, multoſque eſſe dicunt, qui ex continuo vſu *Nicoſi* nihil mali quo ad ſenſus aut vires, etiam in longiori vita, experiuntur. Verum hinc potius produnt vitium ſuum, nempe intemperantiam, hoc ineptè prætexentes: nam communiter ille humor non exundat niſi ex crapula & immanibus compotationibus: proinde conſultius facerent, ſi abſtinentia, tenuitate victus, non fumo ac fuligine illum conſumerent. Quod ſi aliquid in cerebrum ad hunc effectum inferendum, illud minus profectò eſſe debet, quam reperitur fumus iſte virulentus & vehementiſſimè corraſiuus, atque inter omnia, eius naturali ſtatui maximè contrarius. Parum autem refert, ſi aliqui, fortiſſima naturæ conſtitutione præditi, diu reſiſtant iſtius fumi malignitati: nam alij tardius a venenis deuaſtantur: ſatis, quod ad robuſtiſſimi quod ad animū & corpus, inde ſenſim debilitetur, ſine cuius vſu diutius ac vegetius ætatē ſuam tranſigerent.

12 Alio porro modo iſthæc euaporatio cerebro nocet. Conſtat alimentum cerebri, humorem eſſe ſurſum ex ſtomacho exhalatum, dum cibos coquit. Cuius magnam partem cerebrum in ſuam ſubſtantiam poſtea vertit, reliquum vtpote excrementum, foras per oculos, nares, os & aures expellit. quocirca ſi cerebrum fumo exacerbatum, ac corroſum, elatum hunc humorem ſæpius dimittit, nihil ex illo nutrimenti ſupererit, quo ſuſtentetur: vnde neceſſe cerebrum extenuari paulatim ac conſumi. Proinde non humorem nociuum & effluentem dumtaxat fumibibuli iſti eijciunt, verum & ipſum cerebri nutrimentum ei eripiunt.

13 Denique illud cerebri optimo ſtatui nociuum habendum, quod facultati in eodem retentiuæ malignum; quandoquidem omnis in vniuerſum nutritio a retentione dependeat, vt iam paulo ante dictum eſt. Hinc vero debilitari vim retentiuam cerebri manifeſtiſſimum. Quādo enim cogitur pluries & frequentur facultas retentiua ſe ſoluendo dimittere quod prius tenuit, inde laxior omnino euadit & impotentior ad retinendum. at fumus iſte & fuligo, de quibus diſputamus, hoc efficiunt: extorquent enim ſua amaritudine & igneo ſpiritu illud a facultate retentiua cerebri, quod antea eſt complexa. Hoc verum eſſe etiam nobis ipſa experientia oſtendit. Videmus enim iſtos Tobaccicos homines verſari in periculo ſuffocationis, præſertim poſteaquam largius commederint aut biberint, ſi ad aliquantulum temporis ſuo fumo deſtituantur: inde nempe, quod in ipſis vis retentiua cerebri omne illud ſurſum attractum ſtatim dimittere compellitur.

Nam ſi licenter diffluens pota & cibo
Ieiuna rite membra non coerceat, Prudent. Cathim.
Sequitur, frequenti marcida oblectamine Hym. de Ieiunio.
Scintilla mentis vt tabeſcat nobilis,
Animaſque pigris ſtertat vt præcordiis.

Verum quidem, cupere tyrannos, vti ſubditi intemperantia obruantur, quo minus in ipſis ratio, inſtructas fraudes & indignitates in eorum perniciem videant: probi autem Principes, quibus cura ſuorum, contra temperantiam conſciſcent, qua in illis mentes defæcent, flammiſque incendant intelligentiæ, vt *Philo* adnotauit. Inciuiles idcirco animi eorum, de quibus *Claudianus*: Plutarch. lib de tuend. valetue. Philō de ebrietate

Qui ventrem inuitant pretio, traduntque palato
Sidereas Iunonis aues, & ſi qua loquendi Claudian. in Eutrop.
Gnara coloratis viridis defertur ab Indis.
Quæſitus trans regna cibus, quocumque profundam
Ingluuiem non Ægeus, non alta Propontis,
Non freta longinquis Mæotica piſcibus explent.

Studium ſane barbaricum *Varro* apud *Gellium* quorundam indicauit, quo docti nonnulli videri voluerint, ſi recenſere ſingillatim potuerint quæ vnaquæque regio delicatiora edulia protulerat *Pauus e Samio, Phrygia Atagena, Grues Melica, Hædus ex Ambracia, Pelamis Chalcedonia, Muræna Tarteſſia, Aſelli Peſſinuntij, Oſtrea Tarentina, Pectunculus Chius, Elops Rhodius, Sicari Cilices, Nuces Thaſia, Palma Ægyptia, Glans Iberica.* Gell. lib. 7. cap. 16.

14. Cæterum verò ad abſtinentiam videntur ciues vel a natura ipſa inſtituti. Creditur enim a pleriſque, ſi ſtatus originalis iuſtitiæ apud

nos permanſiſſet inuiolatus, non fuiſſe futuram ex mactatione & carnificina animalium, hanc, qua modò fruimur, refectionem: & ante diluuium eius nullum extitiſſe apud homines vſum communiter a Theologis exiſtimatur. Huius rei videtur ex natura ipſa ſuppeditatum agumentum. nullus ſane bona indole præditus vel animal occidit, aut ab alio occiſum intuetur, ſine aliquo ſenſu perpeſſionis, diſplicentiæ. Proinde lanij ex frequentioribus eorum cædibus facti immaniores, iore ciuili inepti iudicantur, qui in cauſis ſanguinis ferant teſtimonium. at verò iſte ſenſus condolentiæ non videtur naturæ integræ conueniens, ſed potius vt eſt quædam pœna, ita effectus deprauationis ex culpa originali. De

Ambroſ. lib. 9. Epiſt. 25. qua re ita diſſerit *S. Ambroſius*: *Quid, quod, natura conueniens temperantia eſt, atque illi diuina legi, qua in ipſo rerum ortu omnes fontes potui, fructus arborum eſui dedit? Vinum poſt diluuium iuſtus ad tentationem ſui reperit. Vtamur ergo temperantia naturali cibo, vti namque poſſumus. S. Hieronymus* herbas & olera paſſim appellat cibum *innocuum & innocentem*; hoc eſt cum nullius morte coniunctum. quod &

Prudent. Pſych. *Aurelius Prudentius* cecinit.

Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum.
Nos oleru coma, nos ſiligna ſata
Legumine multimodo pauit innocuis epulis.

Hinc *Grillus* apud *Plutarchum* miratur, quod *Solus homo ex omnibus animantibus omnium vorator ſit factus.*

Plutarch. in Grillo. Hoc reſpectu a *Plutarcho* inter volatilia laudatus vultur, quod cibum quærat a crudelitate alieniſſimum: quo factum ait, quod vultures ſæpius fuerint ad homines diuinorum interpretes.

plutarch. in Pythag. *Eſt enim animantium omnium innocentiſſimum, cum nihil veſcatur ex his quæ ſerunt homines, aut plãtant, aut alunt, ſed ex cadaueribus ſibi eſcam quærat: interficit autem nihil, nihil deſtruit animantium, volucribus autem ob affinitatem etiam mortuis abſtinet. at aquila, noctua, & accipitres viuas volucres, etiam eiuſdem generis, inuadunt atque interimunt.* Quid verò tam per omnia elementa diffuſum, aut in illis abſtruſum, quod hominum modò dentes euadat aut eius voracitatem excedat? quos innocentes vocare vnde iam potero? *Seneca* actione ſequutus anilẽ ſuperſtitionẽ dogmatis Pythagorici, animarũ in aliena corpora trãſmigrationem ſtatuentis, vnius anni ſpacio cohibuit ſe ab eſu animalium.

Senec Epiſt. 107. ad Lucill. *His ait, inſtinctus, abſtinere animalibus cœpi, & anno peracto non tantum facilis mihi erat conſuetudo, ſed dulcis. Agiliorem mihi animum eſſe credebam: nec tibi hodie affirmauerim, an fuerit.*

15 Quamobrem haud ciuilis quorundam contentio, qui perpetuò largas menſas ſeruis, famulis, vagantibus & aſſeclis inſtruunt. nam præterquam quod reipublicæ & filiorum vtilitatibus opportunos prouẽtus hinc adimant, illos ad culinam transferentes, tum nihil fermè aliud efficiunt, quam vt multi in familia ocioſi, pigri & ſomnolenti euadant, vt ad luxuriem, ad filiarum & ancillarum conſtuprationes ferocius ab ipſis armentur, vt in iurgia, rixas ac pugnas acrius incitentur. Neque alijs, quantum ad rationis iudicium, hi conuiuiones placent, etiam cum ingentes ſumptus profuderint, quam leuiſſimis hominum: *Graui enim viro, vt ait Cicero, & ei, qui ſunt iudicio certo ponderanti, probari nullo modo poſſunt.* Cicer. lib. 2. offic. Denique in ſacculum pertuſum obliuioſi ventris, vt dici ſolet, rem ſuam omnem hi congerunt, vt idem *Cicero* recenſuit. *Illa enim delinitio multitudinis ad breue tempus, exiguumque duratura, eoque leuiſſimo quoque animo, in quo tamen ipſa vna cum ſocietate memoria quoque moritur voluptatis.* Alteram iam partem temperantiæ, quæ caſtitas dicitur, expendamus.

CAPVT. XXX.

Quanam ciuilis ſanctimonia Continentia virginalis

VIrtutem aliquam conſtituendam moderationi illius partis tactus in homine, quæ circa luxurioſa verſatur, nemini dubium eſſe poterit. Hanc autem, caſtitatem, ſeu continentiam nominamus: ac iuxta triplicem hominum ſtatum, triplicem eam aſſerimus: nimirum virginalem, coniugalem, ac vidualem. Quantum ad virginitatem, de qua modo diſputamus, triplex in illa vtilitatis decus ſpectare poterimus. Primum illud, quod ex ſe angelicum quid eſt, atque in hoc genere eminentiſſimum, videlicet animo ac corpore quempiam alienum eſſe a thori ac concubitus cum naturæ detrimento voluptate. alterum, quo matrimonij fidelitati, & amori coniugali plurimum confert ſubſidij. poſtremum id, quod ad alias virtutes, tam intellectuales, quam morales, multum conducit.

2. Homines itaque eximia prudentia præditi, in virginitate inprimis demirati ſunt naturæ quendam florem ac dignitatem. etenim omnes naturæ munere naſcuntur virgines, & ex ea peculiari decore integri, vti conſtat. Cui ornamento ac perfectioni vſus thori plane contrarius. idcirco quod in cœlo præſtantiſſimus ſtatus ſit obtinendus, in quo beati neque nubent neque nubentur, Math. 22. inde ad eius imitationem, ſpiritus Chriſti Domini, Virginis nobiliſſimæ, cunctos, quantum expedit, hic hortatur ac, monet, vt hanc virginitatem colant, & eius cupiditate paſſim incendantur. Propter hanc cauſam *S.* 1. Cor. 7. *Thomas* affirmat, naturæ beneficio nos omnes retinere id, quod materiale virginitatis. Cuius S. Thom. 2-2 q. 152. art. 3. ad. 3. perfectione gaudentes, quam proximè accedimus ad conditiones Angelorum & immortalitatis, vt obſeruant etiam *S. Baſilius, S. Hieronymus, & S. Auguſtinus.* Baſil. lib. de virgin. Hieron. ad. Tit. 3 Auguſt. li. 7. de ciu cap 6 Euſeb lib. 4 de vit, cõſtant. Quod cum *Conſtantinus* Imperator ſecum reputaſſet, vt narrat *Euſebius*, virgines peculiari honore proſequutus: quippe quod in illis, modo quodam ſingulari, Deum habitare exiſtimaret. Quamobrem veteres ipſi, hanc quoque agnoſcentes, vel naturæ ipſius documẽto imbuti, virginitatis palmam, noſtræ memoriæ varijs ſuis obſeruationibus commendarunt, eoque quanti ipſi eam fecerint, dilucide oſtendere. apud quos, virgines, vi contractus connubialis hanc ſui præſtantiam amiſſuræ, inuitæ, reluctantes, ac velatæ trahebantur ad nuptias, vt ſcribit *Plutarchus*. Plutarch. q. Rom Plin.

De-

Ouid. Faſt. 3

——— Deducitur illuc
Anna tegens vultus, vt noua nupta, ſuos.

L. 19 Ep cap. 9. Menand. l. 2. cap. 5.

Teſte *Plinio*, matrimonijs initiandæ virgines, aſparagine, vtpute herba ſentieoſa, coronabantur: quo indicatum, ſe ægrè & amaris animis diſpendium virginitatis perpeſſuras. Hinc proceſſere ingentes deplorationes apud eaſdem ob amiſſam virginitatis integritatem.

Ouid. epiſt Hipſih

Virginitas facta eſt peregrini præda latronis!

Claud. l. 2. de Rapt. Proſ.

Sed mihi virginitas pariter cælumque negatur,
Eripitur cum ſole pudor.
Fælix, quæ Veneris fædera nulla colit.

De Phœnic.

Nouere pariter antiqui, virginum cõdicionem, eximium eſſe ſimulacrum cuiuſdam diuinę formæ in carne fragili ſeſe oſtendentis: ob quam cauſam *Veſtæ* virgini, quam in penitrale Capitolij Romani coluere, nullam effigiem ſub tholo, vt reliquis dijs, poſuere: quod nempe nihil ſit in terris, quod virginitatis perfectam formã plenè repræſentet: Sed vt illius notionem animis capiamus, cœleſtium ſpirituum ignes ſint a nobis concipiendi.

Ouid. 6. faſt.

Ignis inextinctus templo celatur in illo.
Effigiem nullam veſta, nec ignis habet.

Gell li. 1. ca. 12.

Ignis autem virginitatis hieroglyphicũ, vt notat *Gellius*, quod generationi, ſeu humori libidinis, maxime repugnans. nonnunquam laurum quoque eidem virginitati ſignum conſtituere: quãdoquidem inſtar lauri hæc a nulla coruſcatione in carne ignea ſit violabilis.

Claud. lib. 2. de rapt. Proſ

Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus, virgineos olim quæ fronde pudica
Vmbrabat thalamos.

ob hanc cauſam lamentabantur *Dryades*, deiectam & exciſam laurum:

Tartarea facias debellauiſſe bipenni:

Putantes, nullos niſi infernali ſpiritu incitatos, virginitatis decus expugnare ſolere. Cum idcirco officium ſit virtutis, motus animi ac corporis libidinem ad rationem componere, vt docet *S. Auguſtinus*: imo nec non nobiliſſimæ virtutis munus: quandoquidem hi motus ſint in homine incitatiſſimi, neceſſe eſt, virginitatem eſſe quoddam in hoc genere virtutis culmen, quippe quæ naturæ perfectionem ſeruet, & vltra naturam, ad excellentiam angelicam, qua Deo viciniores, ait *Athenagoras*, adſpiret, congreſſum maritalẽ, quem *humiliationem* ſcriptura vocat, ſua dignitate & ſublimitate auerſata.

Auguſt. li. 7 ciu. cap. 9.

Ath. Apoll. Deut. 21. 22 Seuet ſulpi. Dial. cap 2. p1. 12. 13.

3. At non ſolum ſolum virginitas virtus eſt ex ſe ſpectabilis, ac inde a ciuibus merito excolenda, quinimo matrimonij fidelitati ac iuribus eiuſdem ſanctius ſeruandis conducentiſſima. Exiſtimandum itaque motum connubialem nõ eſſe merè ſenſitiuæ facultatis appetitionem libidinoſam, quæ ex ſe bruta, vaga, inconſtans, parumque durans, ſed potius animi ac rationis ex honeſto fine propoſitum. Qui ergo diligentius ac caſtius in ſe pudicitiam virginalem munierunt, ij firmiores ſubinde erunt in amore maritali retinendo, neque ita facile expugnabiles ab occurrente laſciuia, vt alij, qui eius decora fœdis libidinibus prius in iuuentute corrupere. Hinc aptior *Rebecca* ad nuptias cum *Iacobo*, quod ex virginitate modeſta, quod eadem ſubacta, ac virtutis durioribus ſtudijs antea exercitata; quod proinde ad viri adſpectum ſuppudeſcens, velo vultum cooperuit: quod æſtum ac ſordes libidinis, eas animo præſentiens, ſit deteſtata: *Non decori*, inquit *Ambroſius*, *timuit, ſed pudori*.

Gen. 24.

Amb. l. 3. de virg.

Ouid. l. 4. Faſtor.

Seu nemus intraui vetitum, noſtriſue fugatæ
Sunt oculis Nymphæ.

Nymphæ a Græcis ideo appellatæ, quod abſcõditæ, quemadmodum apud Hebræos, *Hangalma* virgo ſeu abſcondita dicebatur: *Quia virgines*, vt inquit *Euſtathius* [Greek] *delitęſcũt. Sicut fragmen mali panici, ita gena tua, abſque eo quod intrinſecus latet*. Enimuero vt in primitijs frugum, olim Deo ſacratis, integra meſſis benedictionem quandam conſequebatur, ita in virginitate exactè ex diuina gratia cuſtodita, matrimonij fructus ac fœtus ſua decora auſpicantur. Habet itaque caſtimonia coniugalis ſuum tyrocinium, imo & firmamentum in virginitatis ſtudio: vnde cum mutuo amore coniuges inter ſe arctius coniugantur, tum etiam ad fidem præſtandam ſanctius inſtruantur. Certe vix apud ſe ex æquo reputabit is pondus connubialitatis, qui prius virginitatis florem contempſit, ac per ſordes libidinum omnem illius nitorem turpiter indigneque traduxit.

Cantic. 9. Exod 23. 13 num. 15. Deut. 26.

4. Quod ſi iam præclaras illas virtutes contemplemur, quas virginitas educit ac fouet, videbimus, quantis modis rebuſpublicis commoditatem adferat. Nemini dubium, quin ij egregia reipublicæ membra, qui literis ſtrenuam operam nauentes, ad earum fundamenta ac principia, ſolida diſquiſitione, tanquam *Hercules* Celtici, peruadunt. Vt verò cum purius lumen intelligentiæ in ciuibus reddatur, tum etiam fortius idem perſeueret, plurimum conducit ſtudium virginitatis. Quis neſcit, æſtum libidinis, quod docent *Ariſtoteles*, & *S. Thomas*, ingenio haud parum officere: non ſolum a melioribus mentem auocando, verum etiam eius aciem retundendo? furioſum potius eum eſſe iudicarunt veteres, qui ideo in nuptiarum celebratione, vt loquitur *Ouidius* furioſam tibiam inflandã curarunt. Virginitatis autem amor rerum floribus, gemmis, medulliſque inquirendis animum addicit, & Sibyllas virgines idoneas reddit, quæ diuinorum inſuper notiones cœlitus inditas melius excipiant, vti adnotauit *S. Hieronymus*.

Ariſt 6 Et c. 5. S. Thom. 2 2 q 153 a. 5. q 11. art. 2.

Ouid. l. 4. Faſtor.

Hier. li 1. cõt Iouin.

Ouid. l. 1. Faſtor.

Quæ ſimal æthereos animo conceperat ignes,
Ore dabat pleno carmina vera Dei.

Amb. l. de parad. cap. 3

Virginitas idcirco, quod aſſeruit *S. Ambroſius*, *Pallas* eſt quædam *Gorgone* armata: hoc eſt, ſeuera ac rigida in omnes fucos, voluptatũ craſſarum acris aſpernatrix, quibus ingenii pennæ oblitæ, ab altiori ac celeriori volatu plurimum detinentur.

5 Actuoſa porro ac martia hæc ipſa virginitas. prudenter ea propter Romani non admiſere in caſtris mulierum greges, quibus animi militum effæminarentur: ac inde in acie eorum *Pallas* ob Gorgonem aliis viſa terribilis, quod ſcilicet caſta appareret: eſt ſanè in omni honeſti contentione hæc virtus caſtitatis placida & acerrima. ob quam cauſam ſtatus virginalis ſimilis terræ abſque commotione ſui, fructus effundenti: ſi-

cut

cut condicio connubialis ſimilis mari ſalſugine inſecto, ac cum turbulentia quadam piſces generanti. *Sicut terra*, inquit *S. Ambroſius*, *quacumque vel purgamenta vel ſordes in ea ſint ſuctu abſorbet, ita caſtitas omnes corporis paſſiones abolere conſueuit*. *De cælo ait Plutarchus, tactorum corpora diu aduerſari colluctarique putredini obſeruatum eſt.* ita plane, in quibus de cœlo deuibratus Dei amor, virginitatem extulit, in eiſdem corda ac intimi ſenſus nulla ferme vitiorum fæculentia expugnabiles.

Ambroſ lib de parad c 3

Plutarch. li. 1. Problem. proble 10.

6. Modeſtiam etiam, quæ omnium virtutum fidiſſima conſeruatrix, hæc ipſa virginitas profert omnino ac confirmat: vtpote quæ neque in vultu, neque in ſermone, neque in inceſſu, neque in veſtibus patietur vnquam aliquod incentiuum exhiberi vllius cupitudinis: adeo vt affirmare liceat, eam vniuerſi decori & honeſti ciuilis, ſimul ac ſacri, optimam eſſe matrē, & educatricem. quamobrem ſicut opprobrioſas notas accuratiſſime defugit virginitas cunctorum criminum, ita ab eorundem maculis ac reatibus, illos abhorrendo, multo ſolertius recedit. quapropter, quod caſtitas virginalis pariat omnium ſenſuum moderationes, vt obſeruat *S. Hieronymus*, inde *Σώφρων* ſignificat non ſolum temperatum, ſed caſtum ac pudicum. Caſtitas in vniuerſum, vt ait *Ariſtoteles*, omnia ſigna turpis actionis amolitur: proinde virginitas, quæ eiuſdem ſpecies excellentiſſima, id nitoris vel maxime præſtabit.

Hieron. lib. 10. cont. Ioū

Ariſt. lib. 2. Ethet.

Littore ſiccabat rorantes rore capillos,
Viderunt Satyri, turba proterua, Deam.
Senſit, & oppoſita texit ſua corpora myrto,
Tuta fuit facto, voſque referre iubet.

Ouid. lib. 4. Faſtor.

Tanta eſt enim vis probitatis, vt ait *S. Auguſtinus*, *& caſtitatis, vt omnis, vel pene omnis eius laude moueatur humana natura, neque vſque adeo ſit turpitudine vitioſa, vt totum amittat ſenſum honeſtatis*. Præclarum ſane, quod ciues ſtudio virginitatis exculti, vniuerſos characteres vel notas fœdarum actionum reprimant, & a ſe longe depellant: comparatis verò formis cunctarum virtutum eniteſcant. *Pudicus oculus*, ait *Hugo*, *ianitor eſt cordis. ſedet ad ianuam, nec permittit intrare quod nocet, nihil nunciat niſi quod deceat: quicquid indecens nouerit exiſſe, excludit & eliminat. Impudicus vero quærens quod placeat, per omnia diſcurrit, volentes intrare permittit. & patitur, nolentes vero monet & hortatur: vnde dicit ſcriptura: Oculi ſunt prima tela adultera.* Hinc experientia docet, quod & *S. Auguſtinus* aduertit, magis verecundas ac pudicas eſſe virgines, quam ſint matrimonij compotes: quarum vulgaris mos, vt dicebat *Herodotus*, ſimul cum tunica verecundiam exuere. *Indue* ait *Tertullianus*, *armaturam pudoris, vallum verecundia, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Atque ob iſtam cauſam, quod virginitas ſit pudica ac modeſta, eadem temperantiæ cernitur coniunctiſſima. Cum virgines maxime refugiunt turpitudinem, vt docet *S. Thomas*, *Inde in ſe agnoſcunt principium vigere temperantiæ*. quocirca ſi optandum, ciues circa eſculenta ac poculenta recte inſtitui, virginitas plurimi facienda, que temperantiæ iſtius origo, & firmamentum, quæque horret plane turpiores illas crapulæ & ebrietatis deformitates oſtentare.

Auguſtin. lib. 2. ciu. cap. 26.

Hugo. lib. 2. de Clauſtro.

Auguſt lib. 1 cont. Iulian.

Plutarch. li. de præcep. coniugal

Tertull. lib. de veland. virgin.

S. Thom. 2. 2 q 144. art. 4 ad 4.

7. Atque vt virtutibus in vniuerſum ancillatur præclara hæc ſpecies caſtitatis, ita peculiari modo relligioni inſeruit, vt iam dictum: ac propemodum nulla vnquam natio extitit, quæ non huius puritatem & integritatem ad res ſacras ſtudioſè tranſtulit, probe exiſtimans, hanc Deo vicinam quodammodo, illi plurimum perplacere. *Iam nunc*, inquit *S. Hieronymus*, *incipimus eſſe in terris, quod nobis in cæleſtibus repromiſſum eſt.* ob hanc cauſam Prophetæ quando populum Hebræum Deo charum, & ab illo dilectum, omnibuſque ſuis numeris abſolutum, ſignificare voluerunt, virginem paſſim nuncuparunt. *Deſpexit te, & ſubſannauit te virgo, filia Sion.* Verum quidem eſt, poſuiſſe Deum hanc eximiam virtutem in difficili quodam hominis inſtituto: poſſibili tamen, præſertim cum iam virginis Chriſti gratia, naturæ noſtræ lubricitati affluxerit: alioquin quis ab anno ætatis decimo quinto in æſtuante adoleſcentiæ ſtatu eam expectaret innocentiam, quæ matrimonij bonis, vti dictum eſt, prouideret? Sane hæretici, qui hanc ducunt obſeruatu impoſſibilem, non ſolum eo Chriſti gratiæ vires detrahunt, quinimo & naturam ipſam dehoneſtant, quæ hoc decus poſtulat, etiam cum ſummis caloribus ferucre & igneſcere ætas aſſueſcit. quaſi vero huic flammæ iam poſt crucem, a Deo nullum eſſet oppoſitum auræ ſuauioris ſpiraculū, quod hominum votis, & reipublicæ commoditatibus opportune reſponderet?

Hier l. 1. cō. Ruffin.

Iſa. 37.

Rib. In 5 ca. Hām Nū. 4.

8. Hæc ipſa virginitas, vt acris eſt ad omne honeſtum inſtitutum, tam intellectuale, quam morale, ita aliena a ſorde actionis, quippe diſciplina coercita & excitata. *Caſsiodorus* loquens de aqua quadam vulgo dicta *Virginea*, quam credo fluere ex agro Tuſculano in vrbem, ſic ſcribit: *Currit aqua virgo ſub delectatione puriſſima: quæ ideo ſic appellata dicitur, quod nullis ſordibus polluatur.* Scite admodum fabulatur *Lucianus*, *Venerem* cauſam ſciſcitatam a *Cupidine*, cur inter reliquas adbuc *Mineruam* non percuſſerit telo. cui reſpondit: *Acribus obtuetur oculis: poſtremo & in pectore faciem quandam horrendam viperis capillorum vice comatā habet.* Quod etiā Muſas nondū ſauciaſſet, dixit matri: *Has quidem vereor mater, ſunt enim vultu pudico ac verendo. præterea ſemper aliquo tenentur ſtudio.* ab ictu quoque *Diana* extitit immunis. iſtis cauſā dedit: *Hanc nunquā potui deprehendere: quippe perpetuo per montes fugitantem.* Recte idcirco veteres nuncuparunt virgines *Acres*, quandoquidem auulſæ ab alijs occupationibus, negocijs tam ſpeculatiuis, quam practicis, acerrimè incumbant. Sicut ergo reipublicæ prodeſt huiuſmodi acris contentio, ita & virginitas, quæ illius parens & artifex.

Sen ep 85 ad Luc plin l. 6. cap. 5

Caſſi l 7. var. cap. 6.

Luc. Dial. 4.

————— ſed prælia virgo
Dura pati, curſuque pedum præuertere ventos.
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas:
Vel mare per medium, fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Virg. 7. Æn

9. Enimuero ſpectatis quamplurimis honeſtis finibus, vtpote idoneæ ſupellectilis, ſanitatis,

tis, impedimenti interdũ tam legalis, quã naturalis, valde conuenit, haud paucos tam huius, quã alterius ſexus, abſtinere a matrimonio. imo interdum ſalus alicuius reipublicæ a cœlibatu dependere valebit. Contingere enim poterit, ob ſuſcipiendũ prolem futura bella, & præſentem rerum ſtatũ ratione variarum prætentionũ in diſcrimen adducendũ. nõ ergo caſtitatis obſeruantia reputanda impoſſibilis, aut naturæ legi penitus contraria: ſiquidẽ communi multorum bono adeo interdũ conſentanea. Quis ergo inficiabitur, virginitatis inſtitutũ, promouendũ, & actione ipſa in ciuitate exercendum, quum hinc ingentia bona, tam priuata, quã publica aliquandó oriantur?

10 An autẽ hæc ipſa virginitas, ratione proprij obiecti, ſeu finis, ſit virtus, an vero ex illis indifferens ſolummodo, virtutis notionẽ induat quatenus virtutibus intellectualibus & moralibus inſeruiat, nõ videtur omniũ eadẽ ſententia. Aliqui de virginitate idem pronunciant, quod de ieiunio: nempe rem eſſe indifferentẽ, & dumtaxat relatam ad alias virtutes, præcipue ad religionem, earũ formas extrinſecus ſortiri. *S. Thom.* quantũ deprehendere potui, ſic de virginitate philoſophatur: ſemper enim illam ſtabiliens, ad alias virtutes relatam conſiderat: proinde eam nunc ad fortitudinem, nunc ad magnanimitatem, ad religionem, ad temperantiam reducit. Videtur tamen aperta ſententia *S. Ambroſii* & aliorum Patrũ, quod virtus ſit etiam iuxta propriam ſpeciem, qua prorſus carere quis vult voluptate maritali, ne dum tantum, quo alijs virtutibus magis ſtrenue incumbat. inde vocat eam Ambr. lib. 1 de virg. *S. Ambroſius, Principalem virtutem. Quæ principalis eſt virtus. Non enim ideo laudatur virginitas, quia & in martyribus reperitur, ſed quia martyres faciat.* Hoc eſt, non ſolum virtus habenda virginitas, quod martyrum charitati & patientiæ opituletur, ſed quia reſiſtendo vehementiſſimæ naturæ cupiditati, ex ſua natura, ſpecies quædã eſt martyrij, ſeu robuſtæ temperantiæ, aut continentiæ. Idcirco iuxta propriã ſpeciẽ exiſtimarẽ virginitatẽ virtutẽ eſſe heroicæ temperantiæ: iuxta vero quandam ſimilitudinẽ, fortitudinem etiam ſiue magnanimitatẽ dici poſſe haud diffiterer.

CAPVT. XXXI.

Quantum ad rem ciuilem ſimul ac ſacram faciant continentia coniugalis & vidualis.

EAm iuſtitiæ partem ſuperius ſumus proſequuti, quæ matrimonio coniunctos attingit, ac retulimus, quanti interſit, inter tales fidelitatem ſeruari. Cui rei Deus in antiqua lege ſuo etiam iure ſpeciali prouidere voluit, optime noſcens, quanta mala in animos corporaq; ciuiũ inferat zelotypia, & illa cohabitatio, quæ ſuſpicione iniuriæ in hoc genere grauius laborat. Inſtituit itaque inter cætera, probationis quandã formam, quæ ſimul crimen, ſi quod ſubeſſet, detegeret, iuxta ac eiuſdem atrocitatem publicitus demonſtraret. Quæ enim adulterij accuſabatur, bibebat aquã a ſacerdote maledictam: eaque, quod terræ admixta, dicebatur amariſſima: Num. 5. *Dominus Deus in cuius conſpectu ſtas, putreſcere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus diſrumpatur.* quod enim Deus valde exoſum habet adulterium, eius cognitionem & de eo iudiciũ ſibi vendicauit, etiam vbi teſtium votis nihil de illo in foro conſtare potuerit. Religio autem, quæ in hoc negocio vſurpabatur, magnitudinem ſceleris indicabat. Farina enim offerebatur ſine thure & oleo; quod Theod. q. 10 tale facinus odioſum ſit ac infame, nullaque miſericordia dignum. Terra de pauimento ſumpta, quæ in aquam immittebatur, repræſentabat vilem eorum condicionem, qui fidem datam in matrimonio violant, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Omnis mulier, quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur.* Eccleſ. 9. Denique aqua illa amariſſima, quam mulier bibebat, repræſentabat animi angores ob illam publicam confuſionem ac timorem diuinitus incuſſos.

2 Quocirca licet in remedium furentis libidinis ſubſidio ſit vſus thori matrimonialis, nihilominus puritate penitus nõ deſtituuntur nuptiæ: quinimo ſua propria, ac fortaſſis difficiliori, quã qua enitet virginitas, prælucere debent. hac de cauſa veteres exiſtimarunt, tunc vel maxime nuncium remiſſum *veneri*, quando nuptiæ celebrabantur, eis præficientes tanquam Numen *Verticordiam* Deam: quæ ſcilicet coniugatorum corda a fœdo ac vago concubitu auerteret, vt *Plinius, Valerius. Maximus*, & alij cõmentantur. Plin. l. 7. hiſt. cap. 35. Val. max li. 8. c. 16. Mar. in var. ca. 6 p. Pont. l 2. de obed. cap 3. Ouid. lib 5. Faſt.

Inde Venus verſo nomine corde venit.

Enimuero niſi cõiugũ corda ad caſtimoniã cõuerſa fuerint, & virtutis zephyro quodãmodo interius refrigerata, excitabuntur potius matrimonio ad libidinem, quã vt inde cõprimantur. adeoque ipſum cor in eiſdẽ certis motionibus, ad continentiã facientibus, imbuendum: de quibus *Plutarc. Ornat autẽ, quod honeſtiorem mulierem facit. talẽ vero præſtat non aurum, non ſmaragdus, nõ coccineus color. ſed quæcumq; grauitatis, modeſtiæ & pudoris ſpecimen adhibent.* Plut. lib. de præc. conn. Ariſt. li. oeci cap. 1. Certũ enim eſt, in vniuerſum, ſenſuũ operationes eo reddi dulciores, & maiori vi appetentẽ in ſui cupiditatẽ excitare, quo frequẽtiores, ac ſenſibus ipſis familiariores vſu iã effectæ. inde venit, matrimonijs copulatos, plerũque feruẽtiores eſſe in libidinẽ, & proinde eorũ ſtatui diſciplinas eſſe neceſſarias, quæ certis continentiæ legibus exultantẽ naturã in eis reprimant, & intra certos terminos moderare contineant: ſine quibus fidelitas matrimonialis maiori in periculo verſabitur, quam virginalis integritas in eis, qui vſum coniugij penitus aſpernati.

3 De hac ipſa continentia maritali diſſerens Apoſtolus *Paulus*, coniugatos admonet, *Vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & gẽtes, quæ ignorant Deum.* Theſſ. 4. quibus declarat, fidem chriſtianã vltra vires philoſophiæ, qua inſtruebantur gentes, percipere caſtimoniam, ſingularẽ eſſe tam corporis quam animæ ſanctitatem, ſimul ac fornicationẽ & paſſiones deſiderii, vtriuſque eſſe contaminationes, profanationes & extrema quædã dedecora. Seruanda itaque etiã a cõiugatis caſtimonia, vt ſancti ſint: id eſt Deo deuoti: vt eo honore digni, quẽ ipſorũ poſtulat cõdicio. eſt enim libido fornicaria tã ſanctitati, quã honori hominis chriſtiani infeſta ac prorſus

cōtraria ; vtpote ferina quædā ac indecēs ipſius
deturpatio, qua tam ſanctitas, quā honor amit-
tūtur, expugnanturque. præſtat itaque continē-
tia, vt coniuges ſua corpora, quæ animarū vaſa,
poſſideant in ſanctificationem & honorem.
ac propter hanc cauſam affirmat *Ariſtote-*
les, virum ſeſe vxori tradidiſſe in honorem. &
Ari.l.1.oec c.1.Hebr.13. Apoſtolus affirmat, honorabile eſſe coniugi-
um. Imo matrimonium veteres cognouere
inſtitui non ſolum in remedium libidinis, ſed
etiam in alias ſocialis vitæ ex virtute & honore
commoditates, vt liquet ex matrimonio inito
inter *Catonem* & *Marciam* ſenio iam confectos.

——— *Da tantum nomen inane*
Luc.lib.2. *Connubii, liceat tumulo ſcripſiſſe, Catonis Marcia.*

Ad hoc ſignificandam, *Iunoni* rem ſacram an-
tiquitus facientes, non tantum hoſtiæ exem-
ptum fel, ſed etiam iecur, ardore libidinis ac-
cenſum, poſt aram abiecerunt : volentes, vt in
conuictu domeſtico coniuges tam amaritudi-
ne fellis, quam concupiſcentia iecoris, dulces
ac puri carerent. In quem finē in eſculentis &
poculentis, in genere veſtium, in inceſſu, in ipſa
ædis clauſura, ea moderatio ab vxore ſeruanda,
quæ a continentia præſcribatur, quæque eiuſ-
dem ſit munimen, atque certa indicatio. *Elien-*
ſes amabilioris *Veneris* ſtatuam ponentes, eam
fecere teſtudinem calcare : quod nempe vxor
marito fuerit dilectior, ſi domi ſe cōtineat, & a
vago diſcurſu ſe coërceat. Pudica idcirco debet
eſſe vxor, ſi pudicum maritū velit, aut tali arri-
dere cupierit. Vnde *S. Auguſtinus*, loquēs de pijs
mulieribus ſub veteri Teſtamento, hæc intulit:
Aug.l.de vid.c.7. *Sanctæ mulieres accendebantur non cupiditate con-*
cumbendi, ſed pietate pariendi, vt certiſſime credatur
coitum nō fuiſſe quærituras, ſi proles poſſet aliter pro-
uenire. Hinc idem affirmat, *S. Ioannem* & *Abraha-*
mum quantum ad continentiā pares quodam-
Aug.de bon coni. c.21. modo fuiſſe: quod nempe virginitas, quæ *Ioanni*
inerat quod ad actū, *Abrahami* animo inſederit
quo ad habitū: id eſt quod ad animi præparati-
onē, vt loquitur *S. Thom. Appropinquādū vxori,* ait
S.Thom. 2. 2. q.152.art. 3. ad 2. Ariſt La oic.c.2. *Ariſtot. cum magna temperantia atque modeſtia.* non
enim modeſtiæ finē imponit coniugiū, ſed eam
ſuo flameo abſoluit potius, perficit, ornatque.

Et ſparſos religant crines, & vultibus addunt
Flamea, ſollicitum prævelatura pudorem.

4 Et ſane moderatus vſus thori, modeſtaque
Claud. l. 2. de Rapt. Proſ. inter coniuges conuerſatio, cauſas in ſe conti-
nent mutui amoris continuandi: quemadmodū
eis contraria illū extenuāt, & demū extinguūt.
Laudandus itaque *Lycurgus* quantū ad hoc: licet
quod ad alia, mulierum pudicitiæ parū proſpe-
xerit, qui vt ſcribit *Plutarchus*, modicum, idque
raptum ac ſecretum tempus indulſit congreſſui
maritali, vt id officij naturæ cum quodam re-
Plut.in.Lic. ligionis timore, nedū libidine, perageretur. Cu-
ius rationē iſtis aſſignat *Plutarchus: Huiuſmodi ve-*
ro cōgreſſio non tēperantiæ modo, atque pudicitiæ exer
citatio quædā erat, verum, & verecundos corporibus, &
perpetuo quodā amore nouos recētesq́, ad concubitum
ducebat: ne ſatietate eos capi, neq́, inverecundis con-
greſſibus a mutuo affectu refrigeſcerēt, quin potius vt
reliquiis ſēper aliquas & fomētum cupidinis & gratiæ
inuicē relinquere ſinebat. Nouimus extreme ad in-
ſaniā vſque amātes, breui tempore libidini im-
penſo, nauſeam odiūque inuicem contraxiſſe,

——— *Voluptates commendat rarior vſus.*
Terra hæc noſtra non in ſe concipit fœtuum Iuu. Sat. 11.
femina, aut fructus edit vi caloris ſolius in ſe
complexi, ſed etiam aquæ admixtione calorē
temperatum habens in illum naturæ finem: ita
quod ad vſum matrimonij, dumtaxat ſpectan-
dus haud eſt feruor vnius libidinis, ſed vel ma-
xime a virtute pudicitiæ, veluti per refrigera-
tionem, caſta quædam moderatio.

5 Sicut enim prolis parturitio & educatio, ma-
gna pars finis in matrimonio ſpectandi, ita iſtius
vſus in id intendit, quod ratio conſtituit, non in
quod libido inflammat. idcirco coniugibus vi-
ciſſim charū, ſi thori conſors nullo æſtu volu-
ptatis a decoro abripiatur: ſi illud dūtaxat ex-
petat, quod virtus poſtularit. Cui oppoſitū, non
tam brutū, quam vltra bruti conditionē plane
efferatū. bruta enim vel ſolius naturæ lege defi-
nitam ac libratam habent in ſe flammā concu-
bitus, extra cuius terminos nihil appetunt, mo-
liuntur nihil. quā itaque homine vel muliere in-
dignū, inſania voluptatis armari in mutua op-
probria ac cōtumelias, vt loquitur *Tertullianus*? Ter.l.de Pudicit.
enimuero aliud præſagiſſe & expoſtulaſſe vi-
ſus ſacet latex baptiſmatis, cuius natiuū frigus,
& humor, rondam, frugiferā tamen, in initiatis
requirunt puritatem, fructūque fœtus ac prolis
ex matrimonio pollicentur, ominantur, non ex
fœdæ voluptatis proluuie, ſed ex lege continē-
tiæ. Egregiam ſane laudē *Saræ, Raguelis* filiæ, de- Tob. 6.
ſcripſit Spiritus ſanctus, ita de ſe profitentis, dū
Deum alloqueretur : *Virum autē cum timore meo,*
non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere. Angelus
quoque *Raphael*, indicauit *Tobiæ* iuniori, dæmo-
nium, magnum imperium in eos obtinere, qui
coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum a ſe & a
ſua mente excludant, eoque ritu vacant libi-
ni, quo equus & mulus, quibus non eſt intelle-
ctus. Conſuluit itaque Angelus : *Accipies virgi-*
nem cum timore Domini, amore filiorum magis
quam libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedic-
tionem in filiis conſequaris. Apoſtolus *Paulus* ita
Chriſto adiunctos admonet: *Hæc eſt enim volun-* 1.Theſ.4.
tas Dei, ſanctificatio veſtra : vt abſtineatis vos a for-
nicatione. Imo *S. Auguſtinus*, ſtatum matrimo-
nialem, mente exacte diſcuſſum & perpenſum, Auguſt. de bon coni. cap.3.
mouere affirmat coniuges ad modeſtiam. *Re-*
gulatur & quodammodo verecundius æſtuat concu-
piſcentia carnis, quam temperat parentalis affectus.
intercedit enim quædam grauitas fœcunda volupta-
tis, cum in eo ipſo, quod ſibi mulier & vir adhære- Paſ.l.de coe
ſcunt, Pater & Mater eſſe meditantur. merito ita- Nupt.Quæ.
que vt tradit *Paſchaſius*, nuptijs coniuncti, olim in cap.12.
coronabantur, quod in libidinem victores tunc Prou.
haberentur. Proli quoque plurimum commo-
da eſt hæc ipſa nuptialis continentia : etenim
intempeſtiuus concubitus, vel etiam nimius,
vt naturam debilitat, ita prolem imbecillem e-
dit ; adeoque affectum ſuum in libidinem,
parentes luxuriantes effundunt in prolem : Ariſt. lib.2.
nam vt fortes creantur fortibus, ita a luxurioſis oic. cap.6.
luxurioſi. Filij autem a parentibus libidinoſis
propagati, vt notat *Ariſtoteles*, parentes in ſene-
ctute contemnere ſolent, quibus tunc deberent
potius ſubſidio eſſe ac iuuamini: atque iſte fru- Heſ. dies & oper.
ctus plerumque excreſcit ex parentū luxuria.
[illegible]

6 Ad

6 Ad hanc itaque ciuilitatem continentiæ matrimonialis duo vel maxime, ex ſapientum inſtituto, conducunt. Primum, moderatus vſus thori dum coniuges præſentes degunt, & vna
Ariſt.lib. 1. œcon.ca.4. verſantur: hinc enim facilius, vt obſeruat *Ariſtoteles*, ſe in abſentia continebunt. optima autẽ cauſa, ob quam hanc exerceant continentiam,
1.Cor.7. pietas eſt interdum & orandi ſtudium, vt ſuadet Apoſtolus: quo purius ac ſanctius ad Deum accedant, efficaciuſque obtineant quæ a Deo poſtulant. Alterum poſitum in fuga ocij, ac in ſedula & perpetua diſtrictione alicuius honeſtæ actionis. non ergo dedecori nobilibus fœminis cum *Lucretia* ac *Penelope* ex ſtamine fila operoſe deducere, aut manibus aliquid peragere, quo deſidiæ muſcas, inanes ſcilicet cogitationes, a mollibus ex deſidia animabus corporibuſque quantocius depellant.

Ouid.2.Faſt. *Inde cito paſſu petitur Lucretia, cuius*
Ante forum calathi, lanaque mollis erat.
Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant,
Inter quas tenui ſic ait illa ſono:
Mittenda eſt Domino, nunc, nunc, properate puellæ,
Quam primum noſtra facta lacerna manu.

Quis eſt, qui non animaduertit, plurimas dari coniugatis occaſiones exercendi caſtitatem, partim ex morbo, partim ex abſentia, propaga-
Virg. 3.Æn. tas? *Tranſcribunt vrbi matres*. id enim belli ratio exegit.

Ouid.l.2. Faſtor. ——— *Ardea reſtat*
Improba, quæ noſtris cogit abeſſe viros.

Affirmare autem, impoſſibile eſſe in iſtis caſibus ſeruare caſtitatem, ſingularis eſt iniuria in naturam, in ſocietatem ciuilem, in gratiam Dei, ac Chriſtum Dominum. Apage tantam, tamque immanem dogmatis falſitatem. *Nunc*
Auguſt lib. 1 de cont.c.3. *enim*, inquit *S. Auguſtinus*, *fieri bonum poteſt, mala concupiſcentiæ non conſentiatur. perficitur autem bonum, quando ipſa mala concupiſcentia auferetur.*

7 Illa præterea continentiæ pars, quæ viduitati conſtitutæ ac decretæ attribuitur, ciuilis omnino ac ſancta: & talis, qualis a prudente legiſlatore diligenter ſtabiliatur. Imprimis hæc naturæ ipſi conſentiens videtur, a qua & ſingulare quoddã decus mutuatur, illudque in vitæ actiones trãſfundit. Etenim profeſſa ab aliquo viduitas, argumento eſt, initas quondã nuptias non ex turpi aliqua libidine, ſed ex fine honeſto ac naturæ conuenienti: iamque adeſſe animum puritati addictum, a corporea labe ac voluptate prorſus auocatum. quo alij doceri poſſint, pulcrum eſſe, vnius coniugis vſu ſatiari, & in vnius amore totos penitus conquieſcere. etenim in hoc ſtudium iudicetur vi ſua inducere coniuges affectum ipſum maritalem, quo etiam ſanctior firmiorque idem euadit. Nam ſi
Baſi.hom. 8 in Exam. nihil dedecoris, vt loquitur *S. Baſilius*, ſecundis nuptijs, tametſi licitis, ineſſet, nulla ſubeſſet cau-
Leuit.21. ſa, ob quam lex vetus vetaret, quo minus ſacerdos viduam in vxorẽ duceret. Cum enim ſummus amor coniugio fideliter curando ſit neceſſarius, tum natura homines in matrimonia cum virginibus maxime incitauit: in quas amor eorundem, propter integritatem tam corporis quam animi in eis, eſt vehementior. Vt enim virgines corpore integræ, ita integrum affectũ conſortibus tribuunt, nullo iure maritali vnquam diuiſum, aut alteri quandoque conceſſum: proinde in illas amor ſolet eſſe mutuo intenſior. Veteres itaque opinione amoris & fidelitatis, primis nuptijs concedendarum, ducti, viduitatem tanquam laudabile inſtitutũ agnouere & coluere.

Ille meum primus, qui me ſibi iunxit amorem Virg.Æn.4
Abſtulit, ille habeat, ſecum, ſeruetque ſepulcro.

Huius rei mihi apparet indicium, quod nullus ſit coniugum, niſi grauior ratio aliqua animo eius obuerſata, in contrarium inſtiterit, modo conſortẽ ſingulari aliquo amore complectatur, qui non cuperet, alterius thalami fore expertẽ, poſteaquam fato ipſe conceſſerit: & ægre laturum, ſi illi conſtaret, ad ſecundas nuptias quãdoque tranſiturum. Signũ ergo eſt, valde propenſam eſſe naturam, quæ amorem coniugalẽ inſtituit, in votũ viduitatis. Imo qui viduas ducunt in vxores, animaduertentes, eas omnem memoriã prioris coniugis expunxiſſe, ac pronas eſſe in noui thori libidinem, idem facturas iudicabunt, ipſis etiam mortuis: quæ quidem cogitatio diminuet ingentem illum amorem, qui alioquin in coniugibus deſideraretur.

8 Vt hoc veteres adſtruerent, non conceſſere ſecundis nuptijs illas cæremoniarum ſolemnitates, quibus primas celebrari mos apud eos erat, quod recolit *Lucanus* nuptias decantans *Catonis & Marciæ*.

Fœdera ſola tamen, vanaque carentia pompa Luc.lib.2.
Iura placent, ſacriſque Deos admittere teſtes.
Feſta coronato non pendent limine ſerta,
Infulaque in geminos diſcurrit candida poſtes,
Legitimaque faces, gradibuſque acclinis eburnis
Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro,
Turritaque premens frontem matrona corona
Tralata vetuit contingere limina planta.
Non timidum nupta leuiter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.
Balteus haud fluxos gemmis adſtrinxit amictus
Colla monile decens, humeriſque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt anguſta lacertos.
Obſita funerea celatur purpura lana.
Non ſoliti luſere ſales, nec more Sabino
Excepit triſtis conuicia feſta maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui,
Iunguntur taciti, contentique auſpice Bruto.

Quamobrem apud Gentiles fœminas magna extitit animi auerſio a ſecundis nuptijs; adeo vt teſte *S. Baſilio*, cum maritis iam mortuis ſu-
perſtites prius ſepeliri, ac mori voluerint, quã eas inire. De Thracibus hæc *Pomponius Mela*: Baſil. ſerm. 8. in Hexam. Pomp. mel. l.2, c.2.
Super mortuorum virorum corpora interfici, ſimulque ſepeliri voti eximium habent. & quia plures ſimul ſinguli nuptæ ſunt, cuius id ſit decus apud iudicaturos magno certamine affectant. De quo ritu
Sen l.2. Octa Act. 1. hæc etiam *Seneca*: *Quondam ardentibus regis thorum miſcuerunt: quondam vicaria maritorum ſalutem anima redemerunt. quam magna gloria breui ſolicitudine penſata eſt!* In vniuerſum autem hæc
Hier. ep. ad Salum. *S. Hieronymus*: *Damnat gentilis vidua omnes voluptates.*

9 Quinimo ipſe ſtatus viduialis, vt virtuti, ita & publicæ vtilitati quo ad multa officia commodus reperitur. De quo diſſerens *S. Paul.* 1.Cor.7.

ita pronunciat: *Dico autem non nuptis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* nomine vero boni id ſignificat, quod potius ac præſtantius. quibus verbis ſicut præfert virginitatem nuptijs; ita & viduitatem, ſecundis nuptijs, quam omnibus ſuadet, vt docent *S. Ambroſius*, & *Auguſtinus*: qui affirmat viduas *obtinere meliorem locum inter membra Chriſti*, ſi cum coniugibus comparentur. Cuius rei rationem aſſignat Apoſtolus. *Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* Fructus itaque proprius virginitatis & viduitatis ex ſententia Apoſtoli, ſanctitas ſpiritus & corporis. Quid vero ipſe ab omnibus cupiat, declarat: *volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe*, hoc eſt virgines, ac viduas. *Bonum eſt homini*, id eſt omnibus, *mulierem non tangere*: ſcilicet a nuptijs abſtinere. Neque hinc timendum fore vt mundus finiatur, quandoquidem, teſte *S. Auguſtino*, quid melius, ſi id fieret, ſucceſſurum: nempe citius futurum regnum Dei, pro quo vt veniat, orationem Dominicam ſæpe ingeminamus.

Ep. ad ..., Ambroſ. de viduis. Auguſtin. de Bono vidui. lib. de virg. cap. 7. de bono coniugij. cap. 13.

10 Verum quidem eſt, viduitatis propoſito, ſicut & omni præclari virtuti inſitam eſſe ſpecialem quandam difficultatem, ac ideo neceſſariam eſſe eidem ſingularem quandam animi fortitudinem. qua de cauſa tam viduæ quam virgines, ſuæ caſtitatis ſymbola contemplantur in lilijs poſitis in capitellis columnarum, quæ viſebantur in templo *Salomonis*: ſcilicet in illis, quæ fulcienda columnis ac baſibus ſummæ cuiuſdam roboris, ac fortitudinis. Viduas enim exſtimulat elapſæ voluptatis recordatio; quam virgines ignorant; proinde, vt loquitur *S. Gregorius Nazianſenus*, caſtitas in viduis *Laborioſa*. At inter viduas & virgines, *S. Baſilius* eleganter diſcrimen conſtituit: quod in domo Chriſti, nempe Eccleſia, viduæ ancillæ, virgines autẽ, Chriſti ſponſæ. Conueniunt vero, quod tam iſtæ quam illæ, martyrij cuiuſdam forma ac veluti rubro niteant: quarum quippe ſit acerba contentio contra voluptatem & ſenſuum quodammodo vitas, quas ipſi vehementiſſime diſcupiunt, & quas in ſeipſis mactant, conficiuntque.

3. Reg. 7.

Gregor. Naz. orat. de Funer. pat. Baſil. ad Amphil.

11 Quod ſi viduarum ſtudia ac conſilia ad publicam vtilitatem referamus, ea multis nominibus eidem commoda perſpiciemus. Inprimis vigines ac nuptæ conijcientes oculos in mores viduarum, in inſtituto caſtitatis plurimũ confirmantur. atque vtræque non multum faciendas iudicabunt thori voluptates, cũ viderint viduas eis vltro nuncium iam remiſiſſe: pariter intelligent, ad exemplar viduarum ab ipſis puritatem certo gradu comparandam ac muniendam, qua Deo placeant: nec homines natos vt libidinentur ferarum ritu, vel ſeſe mutuo actionis turpitudine commaculent. Deinde vt virginitas merito ab antiquis *Acris* appellatur, ſic eodem nomine vocanda viduitas. Virginitas ideo acris, quod vires habeat recollectas tam animæ quam corporis: quod exterius nõ auocetur, nec diuiſa ſit, vt loquitur *S. Paulus*, quemadmodũ coniuges vitæ genere dimiſi. hæc vero in Viduitate reperiuntur, cuius neruos nõ frangit aut debilitat voluptas, ſeu priuati negocij cupiditas, ſed excitata eſt ac integra, totaque defixa in id, quod apud ſe peragẽdũ vidua conſtituerit. Vtilia itaque viduarum ſtudia, ſi aliorum emolumentis, & in alios charitati applicentur. Quod ſi ex præcedenti coniugio ſuſcepta fuerit proles, eidem proli valde pariter expediens parentũ viduitas, vt tam ratione, quã experientia conſtat. quid enim ſæuius odio nouercali, aut quid illo frequentius in nouercis? ac plerumque mariti, qui iterata vice poſt prolem ſuſceptam vxores ducunt, vt oſtendant ac probent, ſe illas plurimum diligere, eam prolem ideo contemnũt ac negligunt, vt præſens vxor inde intelligat, ſe a marito adamari, imo feruentius, quam prima adamata fuerat.

1. Cor. 7.

12 Quantum autem ad priuatam animi perfectionem, ſatis manifeſtũ, viduitatem in illam plurimum conferre vtilitatis. Soluta enim vidua mariti imperio, ad ideã virginis paratior redditur ad Deo ſeruiendũ, omneque genus virtutis ſtudioſius exercendũ. Hinc *S. Baſilius* viduam comparat turturi gementi, & alium conſortem nitide caſteque refugiẽti. *S. Ignatius* virgines appellat *Sacerdotes Chriſti*, viduas *Altaria Chriſti*. *Quæ autem vere vidua*, ait Apoſtolus, *& deſolata, ſperet in Deum, & obſecrationibus nocte ac die.* Tutatur deſolata, a turbis nempe ſecreta vidua, hos gemitus pietatis edit. *Audiant ipſæ mulieres*, ait *S. Baſilius*, *vt etiam apud animalia ratione non prædita, vidualis honeſtas indecoro iterati connubij anteponatur.* Quæ perfectionũ illuſtres notæ, conſpicuæ fuere in *S. Melania*, in *Euſtochio*, viduis & alijs; quas ſancti Patres miris encomiis celebrarunt. Imo naturæ luce id peragente, apud gentiles quoque vtcũque viguit cultus Deo conſecratæ viduitatis, vt teſtatũ nobis reliquit *Tertul.* Romæ, Pont. Max. qui *Flaminicam* veſtalẽ in vxorẽ duxerat, ſic cõnubij iura cũ coniuge ſeruabant ex præſcripto legis, vt neutri licitũ a funere alterutrius coniugis, denuo matrimonium inire. Nouerant quippe vel Romani, religionis ſanctimoniam, terminos conſtituere debere libidini, adeoque in eiuſdem myſtis ſpeciem aliquam ad gradum caſtitatis requirere. Tametſi enim ex naturæ inſtituto honeſtus thori vſus ad generandũ prolem, nihilominus ob naturæ in nobis vitiatæ quandã inſaniam, haud admittitur abſque quodam opprobrio, & paſſionis intemperie, rationis dignitatẽ minus decentibus. idcirco non mirum, ſi prudentes ciues vbique ferme legibus continentiæ ea incommoda, vt potuerunt, caſtigauerint, prohibuerintque.

Baſil. Homil. 8. in Hexaem. 1. Tim. 5. Ignat. ep. ad Heron.

Tertull. lib. de Reſur. & de monogã.

CAPVT XXXII.

Quis veſtium vſus, & quæ earundem ſignificationes.

Voniã in vſu veſtium plerumque quæri ac ſpectari ſolet lenocinium ſenſuũ, ac blandimentũ voluptatis, præter earundẽ neceſſitatem, idcirco vt temperantia, quia motus

motus appetitus concupiſcibilis moderatur, ſit ſuo officio plena & abſoluta; de illo aliquid conſtituere debet. Et quamadmodum duplex eſt iſtius appetitus obiectum, honor ſcilicet ex poteſtate, iuxta ac craſſior voluptas; operationes ſenſuum internorum & externorum conſectans, inde in veſtiũ delectu ſæpiſſimè capiunt homines duplicẽ voluptatẽ, vnã quę ſit in poteſtatis honorificæ oſtentatione, alteram, quæ ſit concretioris alicuius libidinis perceptio: quã illi prorſus deſumi iudicio ſaluatoris, qui mollibus veſtiuntur, & in aulis regum damorantur. Virtus autem temperantiæ tunc directius hac in re rectitudinem deſiget, cum prius rationi conſtiterit, quæ in veſtibus ſpectanda tanquam illectamenta appetitus concupiſcibilis, quibus aliquando incitatus, a mediocritate ac virtute recedere ſolet.

Luc. 7.

2. Duo inprimis in veſtitu conſideranda. primum, eius neceſſitas, a natura ipſa inuenta: vtpote quod inſeruiat arcendo frigori, & tegendæ naturæ violatæ turpitudini. alterum, eius deſiderata proprietas. qui quidem delectus iidem triplex, vel enim decernitur vt commodius naturæ poſtulatui ſuccurratur: vtpote quando Boreales in panni vſum ac pellium:

Ouid. ep. Demoph.

(*Qui modo peltiferas fudit Mæotidas armis:*)

Auſtrales in ſeti ac tenuioris materiæ apparatum: in medio ſitu verſati, in quid mixtum ex vtriſque conſentiunt, dum veſtes ſibi adſumunt (reſpiciunt enim hi omnes in iſtius delectu, quod naturæ conuenientius, licet id varietate multiplex) aut ſuſcipitur ex fine ſignificãdi aliquid, vtpote animæ motum, ſtatum perſonæ ſacrum vel profanum; nobilem aut ignobilem; diuitem vel mediocrem, virgineum ſeu matrimonio affectum: vel denique delectus fit, vt peculiari aliqua veſtiũ qualitate, veluti earum ſplendore aut colore, ſenſibus expetita adferatur aliqua iucunditas. De quibus ſeorſim nonnulla diſſerenda.

3. Quantum ad prius, ſunt qui tam quorundam populorum praxim, quam & Philoſophiam ipſam, veſtium neceſſitati, ſanitatis vel tuendæ cauſa inſtitutæ aut decoris, opponunt; ac dicunt cum Stoicis, varias gentes, præſertim ſub Tropicis & æquatore habitantes, ſine omni veſtimento ſatis commode degere. quem morem nuditatis *Herodianus* etiam Britãnis attribuit. addunt porro, hac in re naturam humani corporis haud mancam reperiri: nam cũ ex vſu aliqua eius pars, nempe vultus, ſine indumento aëris inclementiæ reſiſtat, ſciſcitantur proinde, cur non & reliquæ ſeipſis ſatis contra eandem munitæ eſſe poterunt, ſi modo vtrobique parilis vſus acceſſerit? Verũ tegumentũ aliquod contra ſenſum turpitudinis ex nuditate, videntur omnes ferme affirmare requiri; quãdoquidẽ peccatum partes aliquas corporis modo pudendas reddiderit, quas ante peccatum potius decoræ & honeſtæ videbantur, vt diſſerit S. *Auguſtinus*: nullibique modo ſit vel comœdorum, teſte *Cicerone*, aut ſana mente, qui eò impudentiæ deuenerit; vt ſe omnino nudum ſpectari libenter voluerit; idcirco ad exemplar *Adami*, à ſuo crimine ſeſe folijs fici cooperientis, quo ad hoc officium, fatentur ferè omnes, prouide naturam vſum veſtiũ inueniſſe. Cui ſiori, a natura ipſa inſtituto, auctoritatem adduxere aliquoties a Deo patrata miracula. Hinc vt canit *S. Paulinus*, cum a Dæmone obſeſſi, ad reliquias *S. Martyris Felicis* Nolæ eſſent adducti, ibi nefarij ſpiritus impetu, pedes cuiuſdam ex illis, inferius capite depreſſo, in ſublimi ſuſpendebantur. nihilominus ob reuerentiam, Sancti reliquijs exhibendam, effecit diuina virtus, vt veſtes illius elatis etiam tibijs adhærerent rigidiſſime:

Herodian, in Seuer.

Auguſt. lib. 14. ciu. cap. 12. Cicer. lib. 1. off. Chriſoſt. homil. 29 in 9. cap. Gen. 25. in cap. 11. ad Heb. Gen. 3.

Veſtibus vt rigidis, aut ad veſtigia ſutis,
Corporis omne ſacrum caſto velatur operto.

Paulin. in Natal. 3.

Simile quid, a ſe viſum ſcribit *Briſtoius* Gentilis meus. *Quod ipſum & ego inter alios plurimos ſæpiſſime vidi in puella dæmoniaca fieri Cameraci; quæ licet inter exorcizandum frequentiſſime, violentiſſime & velociſſime de genibus retorqueretur in dorſum, ſic tamen ſemper veſtes eius honeſte manſerunt, quaſi vt ait Paulinus, vel rigida, vel pedibus aſſuta fuiſſet.* Vnde ob reuerentiam Angelis præſtandam, mãdat Apoſtolus *Paulus*, fœminas velatas capita, in Eccleſias ingredi.

Briſt. monu. Tom. 2. mot. 18.

1. Cor. 11.

4. Secundo in loco materias ſimul ac formas veſtium varietate ſubire oportere, iuxta diſcrimina aëris, & cœli, congrue omnes affirmant. Hinc olim Romani dicti pannoſi: orientales, vtpote Aſiani, Bombycini, precioſorum lapidũ fulgoribus ſplendidi. Pelliti Septentrionales, vndique vſque ad aures & oculos pellibus contecti, quibus manicæ deductæ vel ad extrema digitorum. miratus tamen ſum dum legerem *Ammianum Marcellinum*, ab eo videlicet deſcribi vel extremos Boreales & Scythas ſeminudos. Cæterum vt ſe contra frigus fortius exercerent, exiſtimo id in more eos habuiſſe, licet ratio cœli & communis victus, longe diuerſum ritum ab ipſis poſtulauerint.

Herodian. in Heliogab.

Perſicos odi puer apparatus.

Hora. lib. 1. carm. ep. 38.

5. Quod autem veſtes, qua ipſarum formis, qua colorum in eis ſpeciebus, latens aliquid, vtpote conditionem vitæ, animi affectionem, & dotes repræſentent, omnino perſpicuum, imo maiori quadam naturæ determinatione hoc efficiunt, quam voces, quarum omnis ſignificatio ex placito dumtaxat imponentium, & vulgari acceptatione deriuatur, cum veſtes videantur aliquid ſignificare ex ſeipſis, conſpirante in id omnium hominum communi imaginatione. Hinc ſapiens: *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis, enuntiant de illo.* Omitto, quod veſtium ſignificationes ſint conſtantiores ac diuturniores eis, quæ ſunt vocum. Nulla autem fuit gens, quæ nõ vſurpauit veſtium mutationẽ, quæ fortunæ ac animi ſtatus diuerſos teſtaretur: ideoque veſtes lugubres ac lætas adhibuere paſſim tam ſacri homines, quam prophani. *Manlio* Damnato, *ſordidatum reum viderunt*, vt ſcribit *Liuius*. itidem *Cicerone* ad necem publica ſententia poſtulato, *Populus Romanus veſtem mutauit*: quibus etiam mos erat capillos detondere, vt *Plinius* iunior refert. Repræſentatio hæc per veſtes, vt a naturæ ingenio oritur, ita ab eiuſdem varietate deſcendit omnis, quam videmus, repræſentationis talis in hominibus diuerſitas.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 10.

Eccleſ. 19. Cicer. lib. 1. off. Zach. cap. 3.

Liui. Dec. 1. l. 6. Plin. lib. 1. epiſt. ep. 10.

Gallorum ritus iſtis *Virgilius* deſcripſit:

Virg. Æne. 8

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur: duo cuique alpina coruſcant
Gæſa manu, ſcutis protecti corpora longis.

6. In vniuerſum autem quadruplex veſtium ſignificatio. *Diuina, Rationalis, Concupiſcibilis,* & *Iraſcibilis.* diuina illa dicitur, quæ a Deo intenta, & ratione veſtium ab eodem inſtituta, vel ab homine excogitata in ſacrum aliquem finem colendi diuinitatem. nulla quidem extitit vnquam religio, quæ non certo decretoque habitu veſtium diuinum aliquid exprimere ſtatuit: vtpote ſtola, mitra, cidari, podere, vitta, flammeo, ac ſimilibus.

Ouid. lib. 2. Faſtor.
Ouid. Eleg. ad Iſid.

Nullaque dicetur vittas temerare ſacerdos.
Ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris
More patrum ſancta velata veſtibus albis.

Plin. lib. 19. cp. 44. Prudent. lib. 2. cont. Sym. Tertull. De hab. mul. lieb. Cipri. de veland. virgin. Liu. Dec. 4 lib. Exod. 28. Phil. de veſt. Sacerdot. Hieron. ex. ad Fab. Ambroſ. ad. uerſ. Sym. epiſt. 12. Auguſtin. epiſt. 179. Hieron. epiſt. 23. Prudent. lib. 2. cont. Sym. Tertull. lib. de Reſur. Venant. Fortun.

de Attalo Athenas ingreſſuro, ſcribit *Liuius: Illũ ſacerdotes cum inſignibus ſuis, ac Dij prope ipſi ſedibus ſuis excepe rũt.* Qua in re celebris ac vetus apparatus veſtiũ ſacrarũ ex Dei lege effloruit apud Iudæos cuius ſententias *Philo, Tertullianus, S. Hieronymus,* & alij ſunt proſequuti. eiuſdem vi ad nos quoque deuenit ſtatuta quædam forma veſtium ad ſacras perſonas attinentium, ac inter reliqua, ſatis illuſtre ſemper fuit velamen ſacrarum virginum. *Non vitta,* ait *S. Ambroſius, capitis decus, ſed ignobile velamen vſu nobile caſtitatis: non exquiſita ſed abdicata lenocinia pulcritudinis. Vili tunica,* inquit *S. Hieronymus, induitur, viliori tegitur pallio.*

Sunt & virginibus pulcherrima præmia noſtris,
Et pudor, & ſancto tectus velamine vultus.

Ad hoc quidem genus ſacrum refertur baptiſmatum veſtis alba de more Eccleſiæ Catholicæ, cuius meminit *Tertullianus:* ſiue ea adhibita fuerit ad animi a lotione puritatem indicandum, ſiue ad ſignificandum expiatorum manumiſſionem, ſeu liberationem a poteſtate Diaboli.

Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niueo gaudia paſtor habet.

Rationalis veſtitus ille nuncupatur, qui ad conditionem perſonæ factus, animum virilem ac magnanimum ex præſcripto rationis refert: nullo pacto abductum a grauitate & ad ſtatum perſonæ, proportione: neu quicquid leuitatis aut vanitatis oſtendit, ſed potius qui certã perſonæ qualitatem abſque defectu aut exceſſu, ob oculos aliorum apte proponit, ac illi exacte cõgruit. qualis apparuiſſe viſus in virginum pectoralibus, in peplis ac flameis earum, pudoris cauſa vſurpatis, vt obſeruat *Clemens Alexandrinus* ex *Homero:* qui etiam animaduertit, *Creuſam* vxorem *Æneæ,* dum vel fugeret cito pede flammas Troianas, velamine tamen caput accurate rectam euolaſſe. Prodit quoque *Valerius Maximus, Sulpitium Gallum* vxorem ideo repudiaſſe; quod aperto capite foras verſaretur. idem de fœminis Arabicis ſcribunt *Apuleius* & *Tertullianus.* Retulit mihi quidam Neapolitanus, adeo religioſum vigere in regno Neapolitano ritum hunc, vt ſi vel per ludibrium alicuius viri aut vim, virgini detractum fuerit capitis velamen, eam vix maritum aliquem deinceps inuenturam. Egregiè ſanè ac prudenter de veſtitu muliebri rationem conſtituit *Ariſtoteles: Sumptu, & veſtitu, & apparatu minori etiam vtatur, quam leges permiſerint ciuitatis: conſiderans, quod nec veſtimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris laudem, quantum modeſtia in rebus, ac ſtudium honeſte decenterque viuendi: etenim omnis huiuſmodi ornatus animi expetibilis eſt, multoque firmior ad ſenectutem vſque veras laudes ſibi natiſque afferens.* atque ex contrarijs horum, quæ veſtium ſignificatio ſit minus rationalis dignoſci poterit. Barbarus idcirco Hunnorum mos, de quo hæc *Marcellinus: Non ante deponunt, aut mutant veſtem, quã diuturna carie in pannulos defluxit defruſtata.* In altero autem extremo *Nero* ac nimius plane cenſeatur, qui, ut ſcribit *Suetonius, Nunquam eandem veſtem bis induit.*

Valer. lib. 6. cap. 3.

Apul. lib. 11 de Aſin. aur. Tertull. de veland. virgin. cap. 17.

Ariſt. lib 2. occon. cap. 1.

Marcellin. lib. 30. chro

Sueton. in Nero.

Clem. Alex. lib. 3. Pædag.

7. A ratione itaque veſtibus conſtituendus modus, vt eo conſtet, ipſum, qui veſtitur, ratione duci, & ex ea decorum ſeruare, ſpectare, idque de more patriæ; licet in hac re diuerſa ſigna ac propemodum contraria, ipſa natio incolarum propria inſtituerit.

Lucan. lib.

Tam varia cultu gentes, tam diſſona vulgi
Ora. idcirco a ratione alienum, quod in hac re peregrinum, quod nouum, ac a reliquis diſſentiens. Vult itaque ratio, vt principum veſtes maieſtatem quandam indicent: vt literatorum grauitatem repræſentent, vt militum, a luxu alienatos animos oſtendant ac probent.

Iuuenal lib. 2. Satyr. 6.

——— *vellere Tuſco*
Vexata duraque manus.

Nobilium certæ ſunt notæ veſtiariæ, quibus proditur eorum nobilitas. inde Athenienſes aureas cicadas, in teſtimonium nobilitatis, veſtibus affigebant, vt *Alciatus* narrat: *Arabes* & *Aſſirij* longa ſtola in eundem finem vtebantur: & Romani, vt nobiles apparerent, purpura, tunicis laticlauis induebantur, etiam nigris calceis lunulas argenteas imprimebant. Decet itaque, & rationi omnino congruũ, vnumquemque id veſtibus alijs de ſe profiteri, quod verum, quod decorum, & perſonæ quam ſuſtinet, accommodatum. Laudatur idcirco merito *Alexander Seuerus* a *Lampridio,* qui noluit videre ſeruos ſine veſte ſeruili, nec liberos abſque veſtibus ingenuorum proprijs. Auctore *Gellio,* dedecus fuit Senatori, Romæ ſoleatum incedere, hoc eſt calceatum, ſolũ ſub inferiori planta, ad ritum *Floræ* & meretricum Romæ, ſuperiori pedis parte nuda.

Alciat. emblem. de cicada.

Lamprid. in Alex.

Gell. lib. 13. cap. 20.

Hortus vatican.

Ouid. 2. Triſt. eleg. 1.

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

Connubiæ ac nuptialibus feſtis præſentes, olim ſenatorias veſtes adhibebant nuptijs peculiares vt recolit *Baronius.* Olim teſte *Tertulliano,* alba veſtis ſignum erat adeptæ libertatis. *Si famulum tuum libertate mutaueris, & veſtis albæ nitore, & annuli aurei honore, & patroni nomine a tribu, menſaque honoratur.* Quorum omnium ſumma eſt, illum veſtitum rationalem eſſe, qui rationem declarat ac iudiciũ, a quibus proficiſcatur: contra iſtius repugnantem, quippe nõ a ratione, ſed ab appetitu ſenſitiuo decretam, irrationalem, vtpote genuinum indicium deficientis in aliquo

Baron. Tom. 1. An. chro.

Tertull. lib. de reſur.

rationis,

rationis, iure appellare poſſumus.

8. Primam formam in hoc genere appetitus ſenſitiui, diximus reperiri in eis ſignificationibus, quæ ab appetitu concupiſcibili conſtituuntur: ac non ſolum indicia ſunt affectionis alicuius libidinoſæ, verum etiam eiuſdem plerũque incentiua quædam, ſimul ac illectamenta. Huius conditionis indumenta, quæ nuditatem corporis non tam tegunt, quam tenuitate ſua vix diſſimulant, aut eam omnium oculis peruiam apertamque relinquunt. Cuius rei conſideratio effecit, vt orientales longioribus veſtibus vterētur, ne corporis natiuæ partes expreſſius, ſeſe per veſtes oſtenderent. Eiuſdem cura tenuit

Suid. verbo: ...

quoque Romanos, quorũ veſtis laticlauus ... nempe in latum prætexta, vt notat *Strabo*. cuius inuentionem idem attribuit *Balearibus*.

Strab. l. 3.

Hi primi hominum feruntur geſtaſſe tunicas late prætextas. Scribit vero *Liuius*, Romanos ab Hetruſcis aut Gabinis huiuſmodi habitum mutuatos:

Liu Dec. 1. lib. 1.

Vnde ſella curulis, vnde toga prætexta ſumpta eſt. ob hanc cauſam veſtes breuiores, impudicorum mulierum, vt ſcribit *Clemens Alexandrinus*, habitæ notæ: quales veſtes erant fœminarum Coriothbiarum, Veneris religionibus addictiſſimarum, & luxuriæ grauiter operam impendentium. Huc etiam ſpectant colorum varietates. & vniuerſus fermè mundus muliebris: præſertim ſi ad virorum vſus transferantur: de quibus *Seneca*:

Clem Alex l. 2. Pæd. cap 10

Sen. de conſ cap. 18.

Muliebres mundicias antecesſimus colores meretricios, matronis non induendos, viri ſumimus.

Tandem progreditur magna ſtipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Virgil lib. 4 Æneid.

Eidem libidini velificata etiam ſuo ornatu *Cleopatra*, *Cæſarem* hoſpitio funeſto excipiens,

Vultum adeſt precibus, facieſque inceſta perorat.
Candida Sidonio perlucent pectora filo.
Quod Nilotis acus compreſſum pectine Serum
Soluit, & extenſo laxauit ſtamina velo.

Lucan. li. 10

Huiuſmodi exiſtunt hæderæ libidinum, ac perpetuo ſedem indicant, in qua petulantia moratur. *Lex fuit Athenis, ait Suidas, vt meretrices veſtes ferrent floridas: id eſt, vt opinor, varias, aut ornatas, & nitidas.* S. *Chryſoſtomus* ſcenicis & inhoneſtis mulieribus auream veſtem aſſignat: ſimulque veſtes candidatas appellat *Eneruatorum, & mollium proprias.* Exemplar infamis ac libidinoſi veſtitus in impuriſſimo *Heliogabalo* conſpicuum. In quo forma & habitus, vt narrat *Herodianus*, media inter *Phœniſſam* ſacrã, & mollem amictum *Medorum*. *Aſpernabatur quippe Romanam, & Græcanicam veſtem, vtpote e lana, hoc eſt re viliſſima confectam.* Cui conſentit Ælius *Lampridius*. *Vſus eſt aurea tunica, vſus eſt & purpura, vſus eſt cum gemmis Perſica, cum grauari ſe diceret onere voluptatis. Habebat etiam in calceamentis gemmas, & quidem ſculptas, quod riſum omnibus mouit, quaſi poſſint ſculptura nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.*

Suid in vet.

Chryſ. hom 28. in ca. 11. ad Hebr.

Herod. in Heliogab.

Lamp. in heliogab. Alex l. Gen. die.

9. Cæterum, quod humana concupiſcentia non ſolum libidines ac luxus appetat, ſed alia inſuper iucunda bona, vtpote ſanguinis dignitatem, pecuniarũ copiam, auctoritatem ac poteſtatem, idcirco ingenium eſt eiuſdem concupiſcentiæ, inter alia ſtudia, etiam ſatagere, vt veſtes, qua materia ſua precioſa, qua ornatu & artificio elegantiori, dent certas ſignificationes harum rerum, quibus, vt ſummatim dicam, eis induti, reliquas prælucere æſtimentur. Inprimis iuuenibus præſertim, adeſt ingens cupido ſignificandi per veſtes, quam intus magnis, ardentibuſque præditi ſint ſpiritibus: quorũ vix capacia eſſe ipſorũ corpora eodem declaratur. hinc plumæ ac criſtæ in immenſum vndique exuberãt: quo appereat, in eis ſpiritus in altitudinẽ omnis audaciæ ac tumoris excreuiſſe, ad ſtellas vſque ferme perueniſſe. quæ ſi ipſorum craniis, natiuis radicibus inhærerent, nihil tale credo, ſed anſerinum quid potius præ ſe ferrent: at galeis ſemel infixæ, illico viua cenſentur ab eis indicia magnaminitatis. Deinde, vt communi naturæ ſorti exempti aliqui habeantur, & quaſi ex alia materia fabrefacti propter ſtemmatis nobilitatem, nihil vulgare volunt in veſtibus, ſed omnia ſibi peculiaria, colore ac luce pariter cuncta ſcintillantia ac flammantia eſſe cupiunt. Imo hinc ſignificationem etiam dare volunt illius appetitus, quo vehementer optant ab alijs ſe timeri, honorari & illis magno interuallo, vtpote eorum reſpectu mancipijs, præferri. quibus ſimulacris veſtiarijs faſtus & crudelitatis, haud pauci plurimum ſolent delectari. Hoc ipſum inter alios viſus *Herodes* affectaſſe, qui *Statuto die veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur.* In quam claſſem arrogantiæ loquentiæ, teſte *Clemente Alexandrino*, & *Aurelio Prudentio*, a priſcis Chriſti cultoribus referebantur gentium firmata, caudatæ ſcilicet veſtes, ſeu per pulueres deductæ.

Act. 12.

Clem Alex l. 2. Pæd.

Prud. lib. 2. con. Symm.

Plena maris rubri ſpolijs, colloque comiſque
Diuitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.

Luc. lib. 10.

10. Poſtremo in loco retulimus veſtibus ineſſe ſignificationem affectuum in homine iraſcibilium, quorum notas *Cato* inter alios in ſe exprimere rigide, horrideque ſuo more inſtituit.

Ille nec horrificam ſancto dimouit ab ore
Cæſariem, duroue admiſit gaudia vultu.
Vt primum tolli feralia viderat arma,
Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mæſtamque genis increſcere barbam.
——— pretioſaque veſtis
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam.

Luca. lib. 2

Ob hanc cauſam militiæ addicti, & in omnem violentiam cædium ac perpeſſionum proni, ſui ingenij acerbitatem ac truculentiam ſpectabilem reddunt peculiari quodam veſtimenti genere: de quo Poeta:

——— clypeoque inſigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus hydram.
Ipſe pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum ſeta, cum dentibus albis
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Virgi. lib. 7. Æneid.

Atque de ipſo *Hercule* hæc *Lucanus*:

Ille Cleonæi proiecit terga leonis.
Antæus Libyci. ———

Lucan. li. 4.

*Nota*m inquit *Liuius*, *Romanis apparatus inſigne armorũ fuerat: doctique a Ducibus erant, horridũ militem eſſe debere, non cælatum auro, argentoue, ſed ferro,* &

Liu. Dec. 1. lib. 9.

& animis fretum. qui veſtitus militaris quo conſtans eſſet ad vſum & ſignificatiunem, ex pu-
Luc. D. 3. l. 7 plico militi dabatur, vt teſtatur idem *Liuius*. illum
Hier. ep. ad. viſus deſcripſiſſe *S. Hieronimus*: *Solent militantes*
Fabiol. *habere lineas, quas camiſeas vocant, ſic aptas membris & adſtrictas corporibus, vt expediti ſint vel ad curſum vel ad prælia, iacula, tenere clypeum, eo ire, quo neceſſitas traxerit.* Cuius moris monumentum Romæ videtur in arcu triumphali *Conſtan-*
Alex. l. 1. Gē. Dier. *tini. Afris, Cannis*, inquit *Alexander, Numidis, Lacedæmonijs, & Maſſagetis, in bellum profecturis, ruſſatas vel puniceas ferre veſtes moris erat, & eo argumento vulnera & ſanguis effuſus non innoteſcerent, confidentiuſque & ſine pauore dimicarent: id quod apud Perſas in vſu fuit.* Huc referuntur eorum titus, qui incultam aſperamque degunt vitam; qui ex raptu aut venatu victum ſibi in horas parant: hi enim qualitate etiam veſtium indicāt ſui ingenij in hæc ſtudia cruditates, agreſteſque eiuſdem itas ac furores patefaciunt.

31. Quo omnino conſtat, ritum plane abſurdum eſſe quod ad habitum aut veſtes, quando illi rei omnino contrarium manifeſte apparet, quam habitus tamen & veſtes foras oſtendunt. Proinde inter alia abſonum omnino, quem piam vrbano ſeu domeſtico amictu militem aut equitem profiteri: Veluti quis ocreis & calcatibus inſtructus eo tempore in vrbe incederet, quo liquet, eum nihil minus cogitare quam militiam aut equitatum. Equidem plurimum demiror quid nam noui iſti & præpoſteri *Mercurij*, in fugam equeſtrem ocreis calcaribuſque ſemper parati, velint ſignificare, quænam vulnera equorum lateribus minantur, dum platearim ambulantes, adeoque menſæ aſſidentes, vel in aula ſpatiati, armatos ferro calces crudeli ſpectaculo in aliorum oculos ingerunt; quibusque totus iſte ferox apparatus etiam diſplicet, ſi a tergo rotularum tinnitus eorum auribus minime colludat. mira profecto hęc æquinocatio calcariana. ſcio equidem inter volucres domeſticos, gallos ſua calcaria nunquam deponere, quia gallinarum iura verſari in periculo, ſi id fecerint, probe norint. Enimuero quid iſti ſuis calcaribus non campeſtribus, ſed vrbanis, velint indicare, vel ipſius *Oedipi* diuinationem
Soph. Oed. excedere arbitrater ſtatuere. quod ſi dixerint, ſe hoc ritu iter in equo apud ſe conſtituiſſe velle alijs patefacere, reſpondebo, eo illos parum inde tunc paſcituros aurigis & nautis: imo ægro admodum habituros amicos aut vicinos in ciuitate, quandoquidem hoc pacto ſint continuo in calcibus tam volatiles *Mercurii*. Certe ob ineptam quandam in more diſſonantiam a rebus ipſis, qui nauem, ſcapham, aut currum conſcendunt, ſi id egerint ocreati & calcaribus muniti, mulctam paſſim metiio nautis vel aurigis ſoluunt; quandoquidem indecorum curru, naui & ſcapha indignum, iter nauale vel currule inſtituentem, equeſtrem quempiam mentiri aut pręſe ferre. ſed hæc obiter, comiterque.

32. Ex iſtis, quæ hactenus diſputauimus, ſatis apparet, quanti referat, idoneam ex veſtibus ſignificationem in aliorum oculos ciues ingerere. Si enim naturæ ipſius inſtinctu nouerimus, animorum latentia conſilia multis inuolucris eſſe in nobis conſecta, imo fraudibus & diſſimulationibus verſuti ſenſus plerūque fucata, intelligemus, hoc naturæ penetrale genere veſtiū haud eſſe penitus inuertendum aut reſerandum; quaſi permitteremus in veſtibus vti characterum formis, deſcribi promiſcue & palam indolem noſtram, omneſque eiuſdem inclinationes prodi, tametſi vel in turpia, verecundaque ſuo pondere ac vitioſitate delatæ fuerint. Viſis etiam veſtibus, iudicabunt alij de nobis, an conſtantes ſimus vel leues, vtrum pij, an impij, an mites val potius feroces: vtrum petulantes vel tēperantes: noſque illis ſponte loquimur ac veſtibus propalamus quales ſimus. Neque hoc tātum perſpicuum in particularibus perſonis, ſed etiam in integris rebuſpublicis: nam cum veſtium ſignificationes, vti diximus, ſint vel diuinæ, vel rationales vel concupiſcibiles vel iraſcibiles proinde de ipſis totis regnis ex veſtium in eis apparatu, inſpectores iudicium ferent: ex quo contumeliæ & iniuriæ in ea interdum prouenire poterunt.

CAPVT. XXXIII.

Modeſta ac ciuilis veſtium repræſentatio præualere debet contra illam, quam appetitus concupiſcibilis, vel iraſcibilis decernit.

CErtum omnino, ciuilis veſtitus modum, & illum, qui hominem verè deceat, deduci aut a diuina fide, aut a ratione recta. etiam cōſequens, inciuilē ac barbarū reputari, qui ab appetitu dūtaxat ſenſitiuo, ſiue cōcupiſcibili, ſiue iraſcibili, in aliquo propagatur. Etenim *Plato* appoſite barbarū imperiū ſimile dicit
eius hominis moribus, qui permittit appetitum Plato de
ſenſitiuum in ſe dominari, ac normam viuendi Regno.
ratione ſuperata, aut neglecta, præſcribere: eſt enim huiuſmodi appetitus propter ſuam turbulentiam ac fœditatem veluti Dominus plane tyrannicus ac barbaricus: qui etiam indigne & præpoſtere rationi imperitat. Contra imperium ciuile comparat illius hominis inſtitutis, qui rationi veluti in ſublimi poſitæ ſceptrum, ſummamque poteſtatem actionum ſuarum commiſit: cuius munus proinde ad rerum iudicium, pulcrum, intidumque, & hominis ingenio aptiſſimum. Quocirca barbara ac tyrannica illa reſpublica, in qua ciues non ad ſententiam in ea rationis aut diuinæ fidei, ſed ad dementiam appetitus ſenſitiui, ſeſe paſſim veſtiunt, ornantque. Ecquid precor ſigni fœdius ac ciuibus indignius illo, quod appetitus laſciuiens aut furens conſtituit, in quo, tanquam in ſpeculo, turpes ac barbarici motus animi repræſentantur, & exultant vitæque ſtudijs leges formaſque omnes imponunt? Enimuero vel ad oculum nullum dari poterit argumentū euidentius, quod gens aliqua virtutis rationiſque auctoritatem penitus defugerit, ac a vera ciuilitate quam longiſſime receſſerit, quam ex veſtibus, quas libido nimirum furorque ſenſuum in eam inuexerint. Quam primum enim neque antea, ſenſus rationem expugnarint, eique vexillum quaſi eripuerint, ſtatim ſua inſig-

nia

na efferre incipiunt: ciuibus quaſi a vitijs proſtratis ac deuictis, tunc dominium ſuum veſtium inſana laſciuia aut ira ſenſus in corporibus oſtendunt. Ex quo emergit, barbarum iudicari, ciuem ſeſe veſtire hoc ritu ad præſcriptum appetitus ſenſitiui: indecorum & illaudabile prorſus, tale quid actione præſtare. verũ demens omnino idem inſtitutum; ſumptus ſcilicet reipublicæ commodis & vſibus ſubductos, conferre ad comparandum hanc ipſam ignominiæ notam, ad inducendum damnum hoc teterrimum, quo nempe ſtulti, laſciui, furioſi ciues euadant, ac tales ab omnibus inſpectoribus, etiã dedita ipſorũ opera, æſtimentur.

2 Nemo fere hominum eſt, qui non ægro animo laturus, ſi verbis aut ſignis in publico ab alijs laſciuiæ, acerbitatiſue inſimularetur: eoque merito exiſtimaret graue quoddam dedecus ſibi inuri. Verumenimuero damnum atrocius, adeoque ab omni mente alienius facinus, veſtium vſurpato genere quempiam ſponte turpia ac deformia de ſeipſo profiteri & alijs enunciare, quæque a naturæ ſuæ dignitate & optabili præſtantia maxime exiſtunt diſſidentia. Inciuiles idcirco, ac in ſeipſos immanes, omnes etiam verecundiæ limites excedentes, qui veſtiũ ſuarum tropis palam dicunt, ſe libidinũ flammis imis ardere, ſe earum fæcibus contaminati, ſe crudeles & immites animos geſtare, totoſque in tranſuerſa iam actos omnium criminum ac flagitiorũ. Eam corporis humani rationẽ habuit vel ipſa natura, teſte *Cicer.* quod & Apoſtolus diſerte affirmat: vti illius abditas eas partes eſſe iuſſit, quæ aſpectũ habituræ turpem vel deformem: imo vt ait Apoſtolus, in eundem finem eas celandi, maiori honore circumdatas & ornatiores eſſe voluit. Præpoſterum idcirco, non corporis modo, ſed animi opprobria veſtiũ genere alijs propalare, & euolute omnia eius vel ſecreta vituperia publicitus ſignificare. Hi ſane dũ ſeſe oppido amare & alijs commendare videri volunt, hoſtiles manus interim in ſeipſos conuertunt: & quod odij extremi proprium, id contra ſe, contra nomina, omnẽ ſuam gloriam violando & extinguendo, directo opere immaniter exequuntur: quaſi aliorũ inuidentiæ aut curioſitates ſatis vitiũ non haberent in ciuitate ad hæc præſtandum, niſi eis noſtra contentio ac propoſitum nobiſipſis nocendi acceſſiſſent.

Cic. li. 1 off.

1. Cor. 12.

3 Imo huiuſmodi conatus, furiati quid in ſe continent, & vel Stygis incolarum ingenijs proinde adfinis merito exiſtimandus. quod enim hi ſpiritus nefarij ſenſibus ſint deprauatis, & ad aliorũ dedecora procuranda incitatis, plerumque externam ſpeciem, qua mortalibus appareant, horrendã aſſumunt: ideoque antiquitas eis ſpecies illas affinxit, quæ prodigioſæ, quæque inſitam innatamque ipſorum nequitiam ac deformitates appoſite intuentibus in eos, horrendum in modum indicaret.

Claud. lib. 1 in Ruf.

Illa vbi caruleo veſtes connexuit angue,
Nodauitque adamante comas: Phlegethonta ſonorum
Poſcit, & ambuſto flagrantis ab aggere ripa
Ingentem piceo ſuccendit gurgite pinum.

Furiæ ſane & Erynnes in ciuitate habendi, qui blandientibus veſtium fulgoribus, ſeu inde explicatæ laſciuiæ ſignificatione ac venditatione, alios ad impuritatem libidinis illiciunt: & quos caſtos inuenerint, eoſdem ſuis ignibus tãquam *Deiauiræ, Hercules* deuaſtant ac fumeſtant. Pudeat nos iſtius muneris peſſimi: horrere faciat nos ea cogitatio, qua nobiſcum reputamus, futurum, vt noſtro veſtitu, tanquam Dæmonis rete, plurimi capiantur, ſimul ac ex eo in tartara ad ſempiternas pœnas illic perſoluẽdas deuoluentur. Non hic loquor de iniurijs, de violentijs, de inſidijs vel fraudibus, quibus in aliorum perniciem inſtructis, dici ſolet, hominem homini lupum aut dæmonem eſſe: deterius ſane, atque multo crudelius, quod homines ac mulieres ſuarũ veſtium apparatu inuicem machinantur, dum illa, nunquam deſitura mala, tam aliorum animabus quam corporibus impijſſime eodem infligunt. Enimuero cum boni ciuis officium fuerit, dum ædes incendio deflagrant, illico occurrere, quo flammas extinguat: tum facinus ſcelere plenum, communis noxiæ originalis ardoribus in omnes ciues modo graſſantibus, tam longe abeſſe ab ea charitate, vt eos ſuo opere reprimant ciues ac ſedent, quinimo potius illis alios ardores accumulare, & hoc pacto conciues feralius tanquam *Hercules Oetaos* conſumere. Senec. Her. oet.

4. Luxurioſa porro veſtium pompa vel quo ad ciuilem quietẽ ac pacem inter ciues omnino vituperabilis. Fieri neutiquã poterit vt ij leniter ac moderate viuant in ciuitate, qui iſtis caloribus, quos ſuis veſtibus præ ſe ferunt, exagitãtur: qui immenſa cupiditate fruendi voluptate inter ſe tumultuantur, qui hos in zelotypiam coniiciunt, illos ad libidinem incendunt, alios ad ſe a fidelitate præſtita, amorum continentia, attrahere adlaborant. Nemo certe infamẽ illum *Martem*, in luſtris verſatum, diuellere poterit ab inceſta, forenſi ac graſſatoria *Venere* in vulgarium oculis nitente ac ſcintillante. Quemadmodum enim inter ſe raro conueniũt piratæ, qui eoſdem maris tractus infeſtant, ita haud minus pacifice inter ſe vitã inſtituent, qui indiſcriminatim veſtium impudentia ſtupris & adulterijs velificantur. Maritus acerbo animo oculos defiget in vxoris veſtes, luxuriæ penitus addictas: Paterfamilias ægre feret, liberos vela ſuorum veſtium ad capiendam auram libidinũ ſolertius expandere. Et quis in ciue non deſiderabit ciuem, qui veſtium qualitate in vniuerſũ adulteratos ciues perſpexerit?

In ore Graio Scythicus apparet rigor: Sen. Hipp.

Quumque ciues mutuo in inuicem ex veſtiũ luxu commotis ſint animis, ſimulque mollibus ac diſſolutis, facile externis gentibus contempti erunt. quid enim magni aut martij, quid prudentis, expectandũ ab illo populo, quem veſtiũ luxurioſa pompa iam emaſculauit, dementauit? potius ad exemplum Aſiæ, cuius certẽ ornatus laſciuus, ad ſibi inferendũ ruinam peregrinos proliciens, quorum & armis breui concident, poſteaquam eorundem iudicijs, ob veſtium impudentiam, damnati fuerint.

5. Fine etiam ipſo plerumque deſtituuntur hi compti, quẽ ſibi tam ſeduſo ex ornatu præſtituunt: tantum enim abſunt, vt hinc honores

nos permanſiſſet inuiolatus, non fuiſſe futuram ex mactatione & carnificina animalium, hanc, qua modò fruimur, refectionem: & ante diluuium eius nullum extitiſſe apud homines vſum communiter a Theologis exiſtimatur. Huius rei videtur ex natura ipſa ſuppeditatum agumentum. nullus ſane bona indole præditus vel animal occidit, aut ab alio occiſum intuetur, ſine aliquo ſenſu perpeſſionis, diſplicentiæ. Proinde lanij ex frequentioribus eorum cædibus facti immaniores, iure ciuili inepti iudicantur, qui in cauſis ſanguinis ferant teſtimonium. at verò iſte ſenſus condolentiæ non videtur naturæ integræ conueniens, ſed potius vt eſt quædam pœna, ita effectus deprauationis ex culpa originali. De qua re ita diſſerit *S. Ambroſius*: *Quid, quod, natura conueniens temperantia eſt, atque illi diuinæ legi, qua in ipſo rerum ortu omnes fontes potui, fructus arborum eſui dedit? Vinum poſt diluuium iuſtus ad tentationem ſui reperit. Vtamur ergo temperantia naturali cibo, vti namque poſſumus. S. Hieronymus* herbas & olera paſſim appellat cibum *innocuũ & innocentem*; hoc eſt cum nullius morte coniunctum. quod & *Aurelius Prudentius* cecinit.

Ambroſ. lib. 9. Epiſt. 25.

Prudent. Pſych.

Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum.
Nos oleru coma, nos ſiligua feta
Legumine multimodo panis innocuis epulis.

Hinc *Grillus* apud *Plutarchum* miratur, quod *Solus homo ex omnibus animantibus omnium vorator ſit factus*. Hoc reſpectu a *Plutarcho* inter volatilia laudatus vultur, quod cibum quærat a crudelitate alieniſſimum: quo factum ait, quod vulturea ſæpius fuerint ad homines diuinorum interpretes. *Eſt enim animantium omnium innocentiſsimum, cum nihil veſcatur ex his quæ ſerunt homines, aut plãtant, aut alunt, ſed ex cadaueribus ſibi eſcam quærat: interficit autem nihil, nihil deſtruit animantium; volucribus autem ob affinitatem etiam mortuis abſtinet. at aquilæ, noctua, & accipitres viuas volucres, etiam eiuſdem generis, inuadunt atque interimunt.* Quid verò tam per omnia elementa diffuſum, aut in illis abſtruſum, quod hominum modo dentes euadat aut eius voracitatem excedat? quos innocentes vocare vnde iam potero? *Seneca* actione ſequutus anilẽ ſuperſtitionẽ dogmatis Pythagorici, animarũ in aliena corpora trãſmigrationem ſtatuentis, vnius anni ſpacio cohibuit ſe ab eſu animalium. *His ait, inſtinctus, abſtinere animalibus cœpi, & anno peracto non tantum facilis mihi erat conſuetudo, ſed dulcis. Agiliorem mihi animum eſſe credebam: nec tibi hodie affirmauerim, an fuerit.*

Plutarch. in Grillo.

plutarch. in Pythag.

Senec Epiſt. 107. ad Lucill.

15 Quamobrem haud ciuilis quorundam contentio, qui perpetuò largas menſas ſeruis, famulis, vagantibus & aſſeclis inſtruunt. nam præterquam quod reipublicæ & filiorum vtilitatibus opportunos prouentus hinc adimant, illos ad culinam transferentes, tum nihil fermè aliud efficiunt, quam vt multi in familia ocioſi, pigri & ſomnolenti euadant, vt ad luxuriem, ad filiarum & ancillarum conſtuprationes ferocius ab ipſis armentur, vt in iurgia, rixas ac pugnas acrius incitentur. Neque alijs, quantum ad rationis iudicium, hi conuiuiones placent, etiam cum ingentes ſumptus profuderint, quam leuiſſimis hominum: *Graui enim viro, vt ait Cicero, & ei, quæ fiunt iudicio certo ponderanti, probari nullo modo poſſunt*. Denique in ſacculum pertuſum obliuioſi ventris, vt dici ſolet, rem ſuam omnem hi congerunt, vt idem *Cicero* recenſuit. *Illa enim delinitio multitudinis ad breue tempus, exiguumque duratura, eoque leuiſſimo quoque animo, in quo tamen ipſa vna cum ſocietate memoria quoque moritur voluptatis.* Alteram iam partem temperantiæ, quæ caſtitas dicitur, expendamus.

Cicer. lib. 2. offic.

CAPVT. XXX.

Quænam ciuilis ſanctimonia Continentiæ virginalis

VIrtutem aliquam conſtituendam moderationi illius partis tactus in homine, quæ circa luxurioſa verſatur, nemini dubium eſſe poterit. Hanc autem, caſtitatem, ſeu continentiam nominamus: ac iuxta triplicem hominum ſtatum, triplicem eam aſſerimus: nimirum virginalem, coniugalem, ac vidualem. Quantum ad virginitatem, de qua modo diſputamus, triplex in illa vtilitatis decus ſpectare poterimus. Primum illud, quod ex ſe angelicum quid eſt, atque in hoc genere eminentiſſimum, videlicet animo ac corpore quempiam alienum eſſe a thori ac concubitus cum naturæ detrimento voluptate. alterum, quo matrimonij fidelitati, & amori coniugali plurimum confert ſubſidij. poſtremum id, quod ad alias virtutes, tam intellectuales, quam morales, multum conducit.

2. Homines itaque eximia prudentia præditi, in virginitate inprimis demirati ſunt naturæ quendam florem ac dignitatem. etenim omnes naturæ munere naſcuntur virgines, & ex ea peculiari decore integri, vti conſtat. Cui ornamento ac perfectioni vſus thori plane contrarius. idcirco quod in cœlo præſtantiſſimus ſtatus ſit obtinendus, in quo beati neque nubent neque nubentur, inde ad eius imitationem, ſpiritus Chriſti Domini, Virginis nobiliſſimæ, cunctos, quantum expedit, hic hortatur ac, monet, vt hanc virginitatem colant, & eius cupiditate paſſim incendantur. Propter hanc cauſam *S. Thomas* affirmat, naturæ beneficio nos omnes retinere id, quod materiale virginitatis. Cuius perfectione gaudentes, quam proximè accedimus ad conditiones Angelorum & immortalitatis, vt obſeruant etiam *S. Baſilius*, *S. Hieronymus*, & *S. Auguſtinus*. Quod cum *Conſtantinus* Imperator ſecum reputaſſet, vt narrat *Euſebius*, virgines peculiari honore proſequutus: quippe quod in illis, modo quodam ſingulari, Deum habitare exiſtimaret. Quamobrem veteres ipſi, hanc quoque agnoſcentes, vel naturæ ipſius documẽto imbuti, virginitatis palmam, noſtræ memoriæ varijs ſuis obſeruationibus commendarunt, eoque quanti ipſi eam fecerint, dilucide oſtendere. apud quos, virgines, vi contractus connubialis hanc ſui præſtantiam amiſſuræ, inuitæ, reluctantes, ac velatæ trahebantur ad nuptias, vt ſcribit *Plutarchus*.

Math. 22.

1. Cor. 7.

S. Thom. 2. 2. q. 152. art. 3. ad. 1.

Baſil. lib. de virgin. Hieron. ad. Tit. S. Auguſt. li. 7. de ciu. cap. Euſeb. lib. 4. de vit. cõſtant.

Plutarch. q. Rom Plin.

Ouid. Faſt. 3 ———— *Deducitur illuc*
Anna tegens vultus, vt noua nupta, ſuos

l. 9 Ep. cap. 9. Menand. l. 2. cap. 5. Teſte *Plinio*, matrimonijs initiandæ virgines, aſparagine, vtpote herba ſenticoſa, coronabantur: quo indicatum, ſe ægrè & amaris animis diſpendium virginitatis perpeſſuras. Hinc proceſſere ingentes deplorationes apud eaſdem ob amiſſam virginitatis integritatem.

Ouid. epiſt. Hipſih. *Virginitas facta eſt peregrinæ præda latronis!*
Claud. l. 2. de Rapt. Proſ. *Sed mihi virginitas pariter cælumque negatur,*
Eripitur cum ſole pudor.
Fælix, quæ Veneris fœdera nulla colit.

De Phænic. Nouère pariter antiqui, virginum cōditionem, eximium eſſe ſimulacrum cuiuſdam diuinę formæ in carne fragili ſeſe oſtendentis: ob quam cauſam *Veſtæ* virgini, quam in penitrale Capitolij Romani coluere, nullam effigiem ſub tholo, vt reliquis dijs, poſuere: quod nempe nihil ſit in terris, quod virginitatis perfectam formā plenè repræſentet: Sed vt illius notionem animis capiamus, cœleſtium ſpirituum ignes ſint a nobis concipiendi.

Ouid. 6. faſt. *Ignis inextinctus templo celatur in illo.*
Effigiem nullam Veſta, nec ignis habet.

Ignis autem virginitatis hieroglyphicū, vt notat Gell lib. 1. cap. 12. *Gellius*, quod generationi, ſeu humori libidinis, maxime repugnans. nonnunquam laurum quoque eidem virginitati ſignum conſtituere: quādoquidem inſtar lauri hæc a nulla coruſcatione in carne ignea ſit violabilis.

Claud. lib. 2. de rapt. Proſ. *Stabat præterea luco dilectior omni*
Laurus, virgineos olim quæ fronde pudica
Vmbrabat thalamos.

ob hanc cauſam lamentabantur *Dryades*, deiectam & exciſam laurum:

Tartarea facias debellauiſſe bipenni:

Putantes, nullos niſi infernali ſpiritu incitatos, virginitatis decus expugnare ſolere. Cum idcirco officium ſit virtutis, motus animi ac corporis libidinem ad rationem componere, vt docet *S. Auguſtinus*: imo nec non nobiliſſimæ virtutis munus: quandoquidem hi motus ſint in homine incitatiſſimi, neceſſe eſt, virginitatem eſſe quoddam in hoc genere virtutis culmen, quippe quæ naturæ perfectionem ſeruet, & vltra naturam, ad excellentiam angelicam, qua Deo viciniores, ait *Athenagoras*, adſpiret, congreſſum maritalē, quem *humiliationem* ſcriptura vocat, ſua dignitate & ſublimitate auerſata.

Auguſt. li. 7 ciu. cap. 9. — Ath. Apoll. — Deut. 21. 22. — Seuer. ſulpi. Dial. cap. 2. 11. 12. 13.

3. At non ſolum ſolum virginitas virtus eſt ex ſe ſpectabilis, ac inde a ciuibus merito excolenda, quinimo matrimonij fidelitati ac iuribus eiuſdem ſanctius ſeruandis conducentiſſima. Exiſtimandum itaque motum connubialem nō eſſe merè ſenſitiuæ facultatis appetitionem libidinoſam, quæ ex ſe bruta, vaga, inconſtans, parumque durans, ſed potius animi ac rationis ex honeſto fine propoſitum. Qui ergo diligentius ac caſtius in ſe pudicitiam virginalem munierunt, ij firmiores ſubinde erunt in amore maritali retinendo, neque ita facile expugnabiles ab occurrente laſciuia, vt alij, qui eius decora fœdis libidinibus prius in iuuentute corrupere. Hinc aptior *Rebecca* ad nuptias cum *Iacobo*, quod ex virginitate modeſta, quod eadem ſubacta, ac virtutis durioribus ſtudijs antea exercitata; quod proinde ad viri adſpectum ſuppudeſcens, velo vultum cooperuit: quod Gen. 24. æſtum ac ſordes libidinis, eas animo præſentiens, ſit deteſtata: *Non decori*, inquit *Ambroſius*, *timuit, ſed pudori*. Amb. l. 3. de virg.

Ouid. l. 4. Faſtor. *Seu nemus intrani vetitum, noſtriſue fugatæ*
Sunt oculis Nymphæ.

Nymphæ a Græcis ideo appellatæ, quod abſcōditæ, quemadmodum apud Hebræos, *Hangalma* virgo ſeu abſcondita dicebatur: *Quia virgines*, vt inquit *Euſtathius* θαλαμευόμεναι *deliteſcūt. Sicut fragmen mali punici, ita gena tua, abſque eo quod intrinſecus latet.* Enimuero vt in primitijs frugum, olim Deo ſacratis, integra meſſis benedictionem quandam conſequebatur, ita in virginitate exactè ex diuina gratia cuſtodita, matrimonij fructus ac fœtus ſua decora auſpicantur. Habet itaque caſtimonia coniugalis ſuum tyrocinium, imo & firmamentum in virginitatis ſtudio: vnde cum mutuo amore coniuges inter ſe arctius coniugantur, tum etiam ad fidem præſtandam ſanctius inſtruantur. Certe vix apud ſe ex æquo reputabit is pondus connubialitatis, qui prius virginitatis florem contempſit, ac per ſordes libidinum omnem illius nitorem turpiter indigneque traduxit. Cantic. 9. — Exod. 28. 13. num. 18. Deut. 26.

4. Quod ſi iam præclaras illas virtutes contemplemur, quas virginitas educit ac fouet, videbimus, quantis modis rebuſpublicis commoditatem adferat. Nemini dubium, quin ij egregia reipublicæ membra, qui literis ſtrenuam operam nauentes, ad earum fundamenta ac principia, ſolida diſquiſitione, tanquam *Hercules* Celtici, penetradunt. Vt verò cum purius lumen intelligentiæ in ciuibus reddatur, tum etiam fortius idem perſeueret, plurimum conducit ſtudium virginitatis. Quis neſcit, æſtum libidinis, quod docent *Ariſtoteles*, & *S. Thomas*, ingenio haud parum officere: non ſolum a melioribus mentem auocando, verum etiam eius aciem retundendo? furioſum potius eum eſſe iudicarunt veteres, qui ideo in nuptiarum celebratione, vt loquitur *Ouidius* furioſam tibiam inflandā curarunt. Virginitatis autem amor rerum floribus, gemmis, medulliſque inquirendis animum addicit, & Sibyllas virgines idoneas reddit. quæ diuinorum inſuper notiones cœlitus inditas melius excipiant, vti aduotauit *S. Hieronymus*. Ariſt. 6 Ethic. 5. S. Thom. 2 2 q 153 a. 5. q 51 an. 2. — Ouid. l. 4. Faſtor. — Hier. li. 1. cōt. Iouin.

Ouid. l. 1. Faſtor. *Quæ ſimul æthereos animo conceperat ignes,*
Ore dabat pleno carmina vera Dei.

Virginitas idcirco, quod aſſeruit *S. Ambroſius*, *Pallas* aſt quædam *Gorgone* armata: hoc eſt, ſeuera ac rigida in omnes fauces, voluptatū craſſarum acris aſpernatrix, quibus ingenii pennæ oblitæ, ab altiori ac celeriori volatu plurimum detinentur. Amb. l. de parad. cap. 3

5 Actuoſa porro ac martia hæc ipſa virginitas. prudenter eapropter Romani non admiſere in caſtris mulierum greges, quibus animi militum effæminarentur: ac inde in acie eorum *Pallas* ob Gorgonem aliis viſa terribilis, quod ſcilicet caſta appareret: eſt ſanè in omni honeſti contentione hæc virtus caſtitatis placida & acerrima. ob quam cauſam ſtatus virginalis ſimilis terræ abſque commotione ſui, fructus effundenti: ſicut

tis, impedimenti interdũ tam legalis, quã naturalis, valde conuenit, haud paucos tam huius, quã alterius ſexus, abſtinere a matrimonio. imo interdum ſalus alicuius reipublicæ a cœlibatu dependere valebit. Contingere enim poterit, ob ſuſcipiendũ prolem futura bella, & præſentem rerum ſtatũ ratione variarum prætentionũ in diſcrimen adducendũ. nõ ergo caſtitatis obſeruantia reputanda impoſſibilis, aut naturæ legi penitus contraria: ſiquidẽ cummuni multorum bono adeo interdũ conſentanea. Quis ergo inficiabitur, virginitatis inſtitutũ, promouendũ, & actione ipſa in ciuitate exercendum, quum hinc ingentia bona, tam priuata, quã publica aliquando oriantur?

10 An autẽ hæc ipſa virginitas, ratione proprij obiecti, ſeu finis, ſit virtus, an vero ex illis indifferens ſolummodo, virtutis notionẽ induat quatenus virtutibus intellectualibus & moralibus inſeruiat, nõ videtur omniũ eadẽ ſententia. Aliqui de virginitate idem pronunciant, quod de ieiunio: nempe rem eſſe indifferentẽ, & dumtaxat relatam ad alias virtutes, præcipue ad religionem, earũ formas extrinſecus ſortiri. *S. Thom.* quantũ deprehendere potui, ſic de virginitate philoſophatur: ſemper enim illam ſtabiliens, ad alias virtutes relatam conſiderat: proinde eam nunc ad fortitudinem, nunc ad magnanimitatem, ad religionem, ad temperantiam reducit. Videtur tamen aperta ſententia *S. Ambroſii* & aliorum Patrũ, quod virtus ſit etiam iuxta propriam ſpeciem, qua prorſus carere quis vult voluptate maritali, ne dum tantum, quo alijs virtutibus magis ſtrenue incumbat. inde vocat eam Ambr. lib. 1 de virg. *S. Ambroſius, Principalem virtutem. Quæ principalis eſt virtus. Non enim ideo laudatur virginitas, quia & in martyribus reperitur, ſed quia martyres faciat.* Hoc eſt, non ſolum virtus habenda virginitas, quod martyrum charitati & patientiæ opituletur, ſed quia reſiſtendo vehementiſſimæ naturæ cupiditati, ex ſua natura, ſpecies quædã eſt martyrij, ſeu robuſtæ temperantiæ, aut continentiæ. Idcirco iuxta propriã ſpeciẽ exiſtimarẽ virginitatẽ virtutẽ eſſe heroicæ temperantiæ: iuxta vero quandam ſimilitudinẽ, fortitudinem etiam ſiue magnanimitatẽ dici poſſe haud diffiterer.

CAPVT. XXXI.

Quantum ad rem ciuilem ſimulac ſacram faciant continentia coniugalis & vidualis.

EAm iuſtitiæ partem ſuperius ſumus proſequuti, quæ matrimonio coniunctos ſtringit, ac retulimus, quanti interſit, inter tales fidelitatem ſeruari. Cui rei Deus in antiqua lege ſuo etiam iure ſpeciali prouidere voluit, optime noſcens, quanta mala in animos corporaq; ciuiũ inferat zelotypia, & illa cohabitatio, quæ ſuſpicione iniuriæ in hoc genere grauius laborat. Inſtituit itaque inter cætera, probationis quandã formam, quæ ſimul crimen, ſi quod ſubeſſet, detegeret, iuxta ac eiuſdem atrocitatem publicitus demonſtraret. Quæ enim adulterij accuſabatur, bibebat aquã a ſacerdote maledictam: eaque, quod terræ admixta, dicebatur amariſſima: Num. 5. *Dominus Deus in cuius conſpectu ſtat, putreſcere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus diſrumpatur.* quod enim Deus valde exoſum habet adulterium, eius cognitionem & de eo iudiciũ ſibi vendicauit, etiam vbi teſtium votis nihil de illo in foro conſtare potuerit. Religio autem, quæ in hoc negocio vſurpabatur, magnitudinem ſceleris indicabat. Farina enim offerebatur ſine thure & oleo; quod Theod. q. 10 tale facinus odioſum ſit ac infame, nullaque miſericordia dignum. Terra de pauimento ſumpta, quæ in aquam immittebatur, repræſentabat vilem eorum condicionem, qui fidem datam in matrimonio violant, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Omnis mulier, quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur.* Eccleſ. 9. Denique aqua illa amariſſima, quam mulier bibebat, repræſentabat animi angores ob illam publicam confuſionem ac timorem diuinitus incuſſos.

2 Quocirca licet in remedium furentis libinis ſubſidio ſit vſus thori matrimonialis, nihilominus puritate penitus nõ deſtituuntur nuptię: quinimo ſua propria, ac fortaſſis difficiliori, quã qua enitet virginitas, prælucere debent. hac de cauſa veteres exiſtimarunt, tunc vel maxime nuncium remiſſum *veneri*, quando nuptiæ celebrabantur, eis præficientes tanquam Numen *Verticordiam* Deam: quæ ſcilicet coniugatorum corda a fœdo ac vago concubitu auerteret, vt *Plinius, Valerius Maximus*, & alij cõmentantur.

Inde Venus verſo nomine corde venit.

Plin. l. 7. hiſt. cap. 35. Val. max li. 8 c. 16. Mur. in var. ca. 6 p. Pont. l. 2. de obed. cap 5. Ouid. lib 5. Faſt.

Enimuero niſi cõiugũ corda ad caſtimoniã cõuerſa fuerint, & virtutis zephyro quodãmodo interius refrigerata, excitabuntur potius matrimonio ad libidinem, quã vt inde cõprimantur. adeoque ipſum cor in eiſdẽ certis motionibus, ad continentiã facientibus, imbuendum: de quibus *Plutarc. Ornat autẽ, quod honeſtiorem mulierem facit. talẽ vero præſtat non aurum, non ſmaragdus, nõ coccineus color, ſed quæcunq; grauitatis, modeſtiæ & pudoris ſpecimen adhibent.* Plut. lib. de præc. conn. Ariſt. li. 1. œc. cap. 1. Certũ enim eſt, in vniuerſum, ſenſuũ operationes eo reddi dulciores, & maiori vi appetentẽ in ſui cupiditatẽ excitare, quo frequẽtiores, ac ſenſibus ipſis familiariores vſu iã effectæ. inde venit, matrimonijs copulatos, plerũque feruẽtiores eſſe in libidinẽ, & proinde eorũ ſtatui diſciplinas eſſe neceſſarias, quæ certis continentiæ legibus exultantẽ naturã in eis reprimant, & intra certos terminos moderare contineant: ſine quibus fidelitas matrimonialis maiori in periculo verſabitur, quam virginalis integritas in eis, qui vſum coniugij penitus aſpernati.

3 De hac ipſa continentia maritali diſſerens Apoſtolus *Paulus*, coniugatos admonet, *Vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & gẽtes, quæ ignorant Deum.* Theſſ. 4. quibus declarat, fidem chriſtianã vltra vires philoſophiæ, qua inſtruebantur gentes, percipere caſtimoniam, ſingularẽ eſſe tam corporis quam animæ ſanctitatem, ſimul ac fornicationẽ & paſſiones deſiderij, vtriuſque eſſe contaminationes, profanationes & extrema quædã dedecora. Seruanda itaque etiã a cõiugatis caſtimonia, vt ſancti ſint: id eſt Deo deuoti: vt eo honore digni, quẽ ipſorũ poſtulat cõdicio. eſt enim libido fornicaria tã ſanctitati, quã honori hominis chriſtiani infeſta ac prorſus

cōtraria ; vtpote ſerina quædā ac indecēs ipſius
deturpatio, qua tam ſanctitas, quā honor amit-
tūtur, expugnanturque. præſtat itaque continē-
tia, vt coniuges ſua corpora, quæ animarū vaſa,
poſſideant in ſanctificationem & honorem.
ac propter hanc cauſam affirmat *Ariſtote-
les*, virum ſeſe vxori tradidiſſe in honorem. &
Ari.l.1.oec Apoſtolus affirmat, honorabile eſſe coniugi-
c.1.Hebr.13. um. Imo matrimonium veteres cognouere
inſtitui non ſolum in remedium libidinis, ſed
etiam in alias ſocialis vitæ ex virtute & honore
commoditates, vt liquet ex matrimonio inito
inter *Catonem* & *Marciam* ſenio iam confectos.

——— *Da tantum nomen inane*
Luc.lib.2. *Connubii, liceat tumulo ſcripſiſſe, Catonis Marcia.*

Ad hoc ſignificandam, *Iunoni* rem ſacram an-
tiquitus facientes, non tantum hoſtiæ exem-
ptum fel, ſed etiam iecur, ardore libidinis ac-
cenſum, poſt aram abiecerunt: volentes, vt in
conuictu domeſtico coniuges tam amaritudi-
ne fellis, quam concupiſcentia iecoris, dulces
ac puri carerent. In quem finē in eſculentis &
poculentis, in genere veſtium, in inceſſu, in ipſa
ædis clauſura, ea moderatio ab vxore ſeruanda,
quæ a continentia præſcribatur, quæque eiuſ-
dem ſit munimen, atque certa indicatio. *Elien-
ſes* amabilioris *Veneris* ſtatuam ponentes, eam
fecere teſtudinem calcare: quod nempe vxor
marito fuerit dilectior, ſi domi ſe cōtineat, & a
vago diſcurſu ſe coërceat. Pudica idcirco debet
eſſe vxor, ſi pudicum maritū velit, aut tali arri-
dere cupierit. Vnde *S. Auguſtinus*, loquēs de pijs
mulieribus ſub veteri Teſtamento, hæc intulit:
Aug.l.de *Sanctæ mulieres accendebantur non cupiditate con-*
vid.c.7. *cumbendi, ſed pietate pariendi, vt certiſſimo credatur
coitum nō fuiſſe quæsituras, ſi proles poſſet aliter pro-
uenire.* Hinc idem affirmat, *S. Ioannem* & *Abraha-
mum* quantum ad continentiā pares quodam-
Aug.de bon modo fuiſſe: quod nempe virginitas, quæ *Ioannis*
coni. c.21. inerat quod ad actū, *Abrahami* animo inſederit
quo ad habitū: id eſt quod ad animi præparati-
onē, vt loquitur *S. Thom. Appropinquādū vxori*, ait
S. Thom. 2. *Ariſtot. cum magna temperantia atque modeſtia.* non
2. q.152. art. enim modeſtiæ finē imponit coniugiū, ſed eam
3. ad 2. Ariſt ſuo flameo abſoluit potius, perficit, ornatque.
l.2 oec.c.2. *Et ſparſos religant crines, & vultibus addunt*
Flamea, ſollicitum prævelatura pudorem.

4 Et ſane moderatus vſus thori, modeſtsque
Claud. l.2. inter coniuges conuerſatio, cauſas in ſe conti-
de Rapt. nent mutui amoris continuandi: quemadmodū
Proſ. eis contraria illū extenuāt, & demū extinguūt.
Laudandus itaque *Lycurgus* quantū ad hoc: licet
quod ad alia, mulierum pudicitiæ parū proſpe-
xerit, qui vt ſcribit *Plutarchus*, modicum, idque
raptum ac ſecretum tempus indulſit congreſſui
maritali, vt id officij naturæ cum quodam re-
Plut. in Lic. ligionis timore, nedū libidine, perageretur. Cu-
ius rationē iſtis aſſignat *Plutarchus*: *Huiuſmodi ve-
ro cōgreſſio non tēperantiæ modo, atque pudicitiæ exer
citatio quædā erat, verum, & verecundos corporibus, &
perpetuo quodā amore nouos recētesq; ad concubitum
ducebat: ne ſatietate eos capi, neq; inverecundis con-
greſſibus a mutuo affectu refrigeſcerēt, quin potius vt
reliquias ſēper aliquas & fomētum cupidinis & gratiæ
inuicē relinquere ſinebat.* Nouimus extreme ad in-
ſaniā vſque amātes, breui tempore libidini im-
penſo, nauſeam odiūque inuicem contraxiſſe.

——— *Voluptates commendat rarior vſus.*
Terra hæc noſtra non in ſe concipit fœtuum Iuu. Sat. 11.
ſemina, aut fructus edit vi caloris ſolius in ſe
complexi, ſed etiam aquæ admixtione calorē
temperatum habens in illum naturæ finem: ita
quod ad vſum matrimonij, dumtaxat ſpectan-
dus haud eſt feruor vnius libidinis, ſed vel ma-
xime a virtute pudicitiæ, veluti per refrigera-
tionem, caſta quædam moderatio.

5 Sicut enim prolis parturitio & educatio, ma-
gna pars finis in matrimonio ſpectandi, ita iſtius
vſus in id intendit, quod ratio conſtituit, non in
quod libido inflammat. idcirco coniugibus vi-
ciſſim charū, ſi thuri conſors nullo æſtu volu-
ptatis a decoro abripiatur: ſi illud dūtaxat ex-
petat, quod virtus poſtularit. Cui oppoſitū, non
tam brutū, quam vltra bruti condicionē plane
efferatū. bruta enim vel ſolius naturæ lege defi-
nitam ac libratam habent in ſe flammā concu-
bitus, extra cuius terminos nihil apperunt, mo-
liuntur nihil. quā itaque homine vel muliere in-
dignū, inſania voluptatis armari in mutua op-
probria ac cōtumelias, vt loquitur *Tertullianus*? Ter.l.de
enimuero aliud præſagiſſe & expoſtulaſſe vi- Pudici.
ſus facer latex baptiſmatis, cuius natiuū frigus,
& humor, roridam, frugiferā tamen, in initiatis
requirunt puritatem, fructūque fœtus ac prolis
ex matrimonio pollicentur, ominantur, non ex
fœdæ voluptatis proluuie, ſed ex lege continē-
tiæ. Egregiam ſane laudā *Saræ, Raguelis* filiæ, de- Tob. 6.
ſcripſit Spiritus ſanctus, ita de ſe profitentis, dū
Deum alloqueretur: *Virum autē cum timore tuo,
non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.* Angelus
quoque *Raphael*, indicauit *Tobiæ* iuniori, dæmo-
nium, magnum imperium in eos obtinere, qui
coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum a ſe & a
ſua mente excludant, eoque ritu vacant libi-
ni, quo equus & mulus, quibus non eſt intelle-
ctus. Conſuluit itaque Angelus: *Accipies virgi-
nem cum timore Domini, amore filiorum magis
quam libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedic-
tionem in filijs conſequaris.* Apoſtolus *Paulus* ita
Chriſto adiunctos admonet: *Hæc eſt enim volun-* 1.Theſ.4.
*tas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos a for-
nicatione.* Imo *S. Auguſtinus*, ſtatum matrimo-
nialem, mente exacte diſcuſſum & perpenſum, Auguſt. de
mouere affirmat coniuges ad modeſtiam. *Re-* bon coni.
gulatur & quodammodo verecundius æſtuat concu- cap.3.
*piſcentia carnis, quam temperat parentalis affectus.
intercedit enim quædam grauitas fœcunda volupta-
tis, cum in eo ipſo, quod ſibi mulier & vir adhære-* Paſ.l.de coe
ſcunt, Pater & Mater eſſe meditantur. merito ita- Nupt. Quæ.
que vt tradit *Paſchaſius*, nuptijs coniuncti, olim in cap. 12.
coronabantur, quod in libidinem victores tunc Prou.
haberentur. Proli quoque plurimum commo-
da eſt hæc ipſa nuptialis continentia: etenim
intempeſtiuus concubitus, vel etiam nimius,
vt naturam debilitat, ita prolem imbecillem e-
dit; adeoque affectum ſimul in libidinem,
parentes luxuriantes effundunt in prolem: Ariſt. lib.2.
nam vt fortes creantur fortibus, ita a luxurioſis oec. cap.2.
luxurioſi. Filij autem e parentibus libidinoſis
propagati, vt notat *Ariſtoteles*, parentes in ſene-
ctute contemnere ſolent, quibus tunc deberent
potius ſubſidio eſſe ac iuuamini, atque iſte fru- Heſ. dies &
ctus plerumque excreſcit ex parentū luxuria. oper.
[illegible]

6 Ad

6 Ad hanc itaque ciuilitatem continentiæ matrimonialis duo vel maxime, ex ſapientum inſtituto, conducunt. Primum, moderatus vſus thori dum coniuges præſentes degunt, & vna
Ariſt. lib. 1. œcon. c. 4. verſantur: hinc enim facilius, vt obſeruat *Ariſtoteles*, ſe in abſentia continebunt. optima autẽ cauſa, ob quam hanc exerceant continentiam,
1. Cor. 7. pietas eſt interdum & orandi ſtudium, vt ſuadet Apoſtolus: quo purius ac ſanctius ad Deum accedant, efficaciuſque obtineant quæ a Deo poſtulant. Alterum poſitum in fuga ocij, ac in ſedula & perpetua diſtrictione alicuius honeſtæ actionis. non ergo dedecori nobilibus fœminis cum *Lucretia* ac *Penelope* ex ſtamine fila operoſe deducere, aut manibus aliquid peragere, quo deſidiæ muſcas, inanes ſcilicet cogitationes, a mollibus ex deſidia animabus corporibuſque quantocius depellant.

Ouid. 2. Faſt. *Inde cite paſſu petitur Lucretia, cuius*
Ante torum calathi, lanaque mollis erat.
Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant,
Inter quas tenui ſic ait illa ſono:
Mittenda eſt Domino, nunc, nunc, properate puellæ,
Quam primum noſtra facta lacerna manu.

Quis eſt, qui non animaduertit, plurimas dari coniugatis occaſiones exercendi caſtitatem, partim ex morbo, partim ex abſentia, propaga-
Virg. 5. Æn. tas? *Tranſcribunt vrbi matres.* id enim belli ratio exegit.

Ouid. l. 2. Faſtor. ——— *Ardea reſtat*
Improba, quæ noſtris cogit abeſſe viros.

Affirmare autem, impoſſibile eſſe in iſtis caſibus ſeruare caſtitatem, ſingularis eſt iniuria in naturam, in ſocietatem ciuilem, in gratiam Dei, ac Chriſtum Dominum. Apage tantam, tamque immanem dogmatis falſitatem. *Nunc*
Auguſt. lib. 1. de cont. c. 3. *enim*, inquit *S. Auguſtinus*, *fieri bonum poteſt, malæ concupiſcentiæ non conſentiatur. perficitur autem bonum, quando ipſa mala concupiſcentia auferetur.*

7 Illa præterea continentiæ pars, quæ viduitati conſtitutæ ac decretæ attribuitur, ciuilis omnino ac ſancta: & talis, qualis a prudente legiſlatore diligenter ſtabiliatur. Imprimis hæc naturæ ipſi conſentiens videtur, a qua & ſingulare quoddã decus mutuatur, illudque in vitæ actiones trãſfundit. Etenim profecta ab aliquo viduitas, argumento eſt, initas quondã nuptias non ex turpi aliqua libidine, ſed ex fine honeſto ac naturæ conuenienti: iamque adeſſe animum puritati addictum, a corporea labe ac voluptate prorſus auocatum. quo alij doceri poſſint, pulcrum eſſe, vnius coniugis vſu ſatiari, & in vnius amore totos penitus conquieſcere. etenim in hoc ſtudium iudicetur vi ſua inducere coniuges affectum ipſum maritalem, quo etiam ſanctior firmiorque idem euadit. Nam ſi
Baſil. hom. 8 in Exam. nihil dedecoris, vt loquitur *S. Baſilius*, ſecundis nuptijs, tametſi licitis, ineſſet, nulla ſubeſſet cau-
Leuit. 21. ſa, ob quam lex vetus vetaret, quo minus ſacerdos viduam in vxorẽ duceret. Cum enim ſummus amor coniugio fideliter curando ſit neceſſarius, tum natura homines in matrimonia cum virginibus maxime incitauit: in quas amor eorundem, propter integritatem tam corporis quam animi in eis, eſt vehementior. Vt enim virgines corpore integræ, ita integrum affectũ conſortibus tribuunt, nullo iure maritali vnquam diuiſum, aut alteri quandoque conceſſum: proinde in illas amor ſolet eſſe mutuo intenſior. Veteres itaque opinione amoris & fidelitatis, primis nuptijs concedendarum, ducti, viduitatem tanquam laudabile inſtitutũ agnouere & coluere.

Ille meum primus, qui me ſibi iunxit amorem Virg. Æn. 4.
Abſtulit, ille habeat, ſecum, ſeruetque ſepulcro.

Huius rei mihi apparet indicium, quod nullus ſit coniugum, niſi grauior ratio aliqua animo eius obuerſata, in contrarium inſtiterit, modo conſortẽ ſingulari aliquo amore complectatur, qui non cupetet, alterius thalami fore expertẽ, poſteaquam fato ipſe conceſſerit: & ægre laturum, ſi illi conſtaret, ad ſecundas nuptias quãdoque tranſiturum. Signũ ergo eſt, valde propenſam eſſe naturam, quæ amorem coniugalẽ inſtituit, in votũ viduitatis. Imo qui viduas ducunt in vxores, animaduertentes, eas omnem memoriã prioris coniugis expunxiſſe, ac pronas eſſe in noui thori libidinem, idem facturas iudicabunt, ipſis etiam mortuis: quæ quidem cogitatio diminuet ingentem illum amorem, qui alioquin in coniugibus deſideraretur.

8 Vt hoc veteres adſtruerent, non conceſſere ſecundis nuptijs illas cæremoniarum ſolemnitates, quibus primas celebrari mos apud eos erat, quod recolit *Lucanus* nuptias decantans *Catonis & Marciæ*.

Fœdera ſola tamen, vanaque carentia pompa Luc. lib. 2.
Iura placent, ſacriſque Deos admittere teſtes.
Feſta coronato non pendent limine ſerta,
Infulaque in geminos diſcurrit candida poſtes;
Legitimaque faces, gradibuſque accliuis eburnis
Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro,
Turritaque premens frontem matrona corona
Tralata vetuit contingere limina planta.
Non timidum nupta leuiter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.
Balteus haud fluxos gemmis adſtrinxit amictus
Colla monile decens, humeriſque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt anguſta lacertos.
Obſita funerea celatur purpura lana.
Non ſoliti luſere ſales, nec more Sabino
Excepit triſtis conuicia feſta maritus.
Pignera nulla domus, nulli coiere propinqui,
Iunguntur taciti, contentique auſpice Bruto.

Quamobrem apud Gentiles fœminas magnã extitit animi auerſio a ſecundis nuptijs; adeo vt teſte *S. Baſilio*, cum maritis iam mortuis ſu- Baſil. ſerm. 8. in Hexam.
perſtites prius ſepeliri, ac mori voluerint, quã eas inire. De Thracibus hæc *Pomponius Mela*: Pomp. mel. l. 2. c. 2.
Super mortuorum virorum corpora interfici, ſimulque ſepeliri voti eximium habent. & quia plures ſimul ſinguli nuptæ ſunt, cuius id ſit decus apud iudicaturos magno certamine affectant. De quo ritu Sen. l. 2. controu. Act. 1.
hæc etiam *Seneca*: *Quondam ardentibus regis thorum miſcuerunt: quondam vicaria maritorum ſalutem anima redemerunt. quam magna gloria breui felicitudine penſata eſt!* In vniuerſum autem hæc Hier. ep. ad Salum.
S. Hieronymus: *Damnat gentilis vidua omnes voluptates.*

9 Quinimo ipſe ſtatus vidualis, vt virtuti, ita & publicæ vtilitati quo ad multa officia commodus reperitur. De quo diſſerens S. Paul. 1. Cor. 7.

ita pronunciat: *Dico autem non nuptis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* nomine vero boni id ſignificat, quod potius ac præſtantius. quibus verbis ſicut præfert virginitatem nuptijs; ita & viduitatem, ſecundis nuptijs, quam omnibus ſuadet, vt docent *S. Ambroſius*, & *Auguſtinus*: qui affirmat viduas *obtinere meliorem locum inter membra Chriſti*, ſi cum coniugibus comparentur. Cuius rei rationem aſſignat Apoſtolus. *Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* Fructus itaque proprius virginitatis & viduitatis ex ſententia Apoſtoli, ſanctitas ſpiritus & corporis. Quid vero ipſe ab omnibus cupiat, declarat: *volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe*, hoc eſt virgines, ac viduas. *Bonum eſt homini*, id eſt omnibus, *mulierem non tangere*: ſcilicet a nuptijs abſtinere. Neque hinc timendum fore vt mundus finiatur, quandoquidem, teſte *S. Auguſtino*, quid melius, ſi id fieret, ſucceſſurum: nempe citius futurum regnum Dei, pro quo vt veniat, orationem Dominicam ſæpe ingeminamus.

Ep. ad ..., Ambroſ. de viduis. Auguſtin. de bono vidu. lib. de virg. cap. 7. de bono coniug. cap. 13.

20 Verum quidem eſt, viduitatis propoſito, ſicut & omni præclari virtuti inſitam eſſe ſpecialem quandam difficultatem, ac ideo neceſſariam eſſe eidem ſingularem quandam animi fortitudinem. qua de cauſa tam viduæ quam virgines, ſuæ caſtitatis ſymbola contemplantur in lilijs poſitis in capitellis columnarum, quæ viſebantur in templo *Salomonis*: ſcilicet in illis, quæ fulcienda columnis ac baſibus ſummæ cuiuſdam roboris, ac fortitudinis. Viduas enim exſtimulat elapſæ voluptatis recordatio; quam virgines ignorant; proinde, vt loquitur *S. Gregorius Nazianzenus*, caſtitas in viduis *Laborioſa*. At inter viduas & virgines, *S. Baſilius* eleganter diſcrimen conſtituit: quod in domo Chriſti, nempe Eccleſia, viduæ ancillæ, virgines autẽ, Chriſti ſponſæ. Conueniunt vero, quod tam iſtæ quam illæ, martyrij cuiuſdam forma ac veluti rubro niteant: quarum quippe ſit acerba contentio contra voluptatem & ſenſuum quodammodo vitas, quas ipſi vehementiſſime diſcupiunt, & quas in ſeipſis mactant, conficiuntque.

3. Reg. 7.

Gregor. Naz. orat. de Funer. pat. Baſil. ad Amphil.

21 Quod ſi viduarum ſtudia ac conſilia ad publicam vtilitatem referemus, ea multis nominibus eidem commoda perſpiciemus. Inprimis virgines ac nuptæ conijcientes oculos in mores viduarum, in inſtituto caſtitatis plurimũ confirmantur. atque vtræque non multum faciendas iudicabunt thori voluptates, cũ viderint viduas eis vltro nuncium iam remiſiſſe: pariter intelligent, ad exemplar viduarum ab ipſis puritatem certo gradu comparandam ac muniendam, qua Deo placeant: nec homines natos vt libidinentur ferarum ritu, vel ſeſe mutuo actionis turpitudine commaculent. Deinde vt virginitas merito ab antiquis *Aeris* appellata, ſic eodem nomine vocanda viduitas. Virginitas ideo aeris, quod vires habeat recollectas tam animæ quam corporis: quod exterius nõ nocetur, nec diuiſa ſit, vt loquitur *S. Paulus*, quemadmodũ coniuges vitæ genere diuiſi. hæc vero in Viduitate reperiuntur, cuius neruos nõ frangit aut debilitat voluptas, ſeu priuati negocij cupiditas, ſed excitata eſt ac integra, totaque defixa in id, quod apud ſe peragẽdũ vidua conſtituerit. Vtilia itaque viduarum ſtudia, ſi aliorum emolumentis, & in alios charitati applicentur. Quod ſi ex præcedenti coniugio ſuſcepta fuerit proles, eidem proli valde pariter expediens parentũ viduitas, vt tam ratione, quã experientia conſtat. quid enim ſæuius odio nouercali, aut quid illo frequentius in nouercis? ac plerumque mariti, qui iterata vice poſt prolem ſuſceptam vxores ducunt, vt oſtendant ac probent, ſe illas plurimum diligere, eam prolem ideo contemnũt ac negligunt, vt præſens vxor inde intelligat, ſe a marito adamari, imo feruentius, quam prima adamata fuerat.

1 Cor. 7.

12 Quantum autem ad priuatam animi perfectionem, ſatis manifeſtũ, viduitatem in illam plurimum conferre vtilitatis. Soluta enim vidua mariti imperio, ad ideã virginis paratior redditur ad Deo ſeruiendũ, omneque genus virtutis ſtudioſius exercendũ. Hinc *S. Baſilius* viduam comparat turturi gementi, & alium conſortem nitide caſteque refugiẽti. *S. Ignatius* virgines appellat *Sacerdotes Chriſti*, viduas *Altaria Chriſti*. *Quæ autem vero vidua*, ait Apoſtolus, *& deſolata, ſperet in Deum, & obſecrationibus nocte ac die.* Turtur deſolata, a turbis nempe ſecreta vidua; hos gemitus pietatis edit. *Audiant ipſæ mulieres*, ait *S. Baſilius*, *vt etiam apud animalia ratione non prædita, vidualis honeſtas indecoro iteratis connubij anteponatur.* Quæ perfectionũ illuſtres notæ, conſpicuæ fuere in *S. Melania*, in *Euſtochio*, viduis & alijs; quas ſancti Patres miris encomiis celebrarunt. Imo naturæ luce id peragente, apud gentiles quoque vtcũque viguit cultus Deo conſecratæ viduitatis, vt teſtatũ nobis reliquit *Tertul.* Romæ, Pont. Max. qui *Flaminicam* veſtalẽ in vxorẽ duxerat, ſic cõnubij iura cũ coniuge ſeruabant ex præſcripto legis, vt neutri licitũ a funere alterutrius coniugis, denuo matrimonium inire. Nouerant quippe vel Romani, religionis ſanctimoniam, terminos conſtituere debere libidini, adeoque in eiuſdem myſtis ſpeciem aliquam ad gradum caſtitatis requirere. Tametſi enim ex naturæ inſtituto honeſtus thori vſus ad generandũ prolem, nihillominus ob naturæ in nobis vitiatæ quandã inſaniam, haud admittitur abſque quodam opprobrio; & paſſionis intemperie, rationis dignitatẽ minus decentibus. idcirco non mirum, ſi prudentes ciues vbique ferme legibus continentiæ ea incommoda, vt potuerunt, caſtigauerint, prohibuerintque.

Baſil. Homil. 8. in Epecam.

1. Tim. 5.

Ignat. ep. ad Heron.

Tertull. lib. de Reſur. & de monogã.

CAPVT. XXXII.

Quis veſtium vſus, & quæ earundem ſignificationes.

QVonã in vſu veſtium plerumque quæri ac ſpectari ſolet lenociniũ ſenſuũ, ac blandimentũ voluptatis, præter earũdẽ neceſſitatem, idcirco et temperantia, quia motus

motus appetitus concupiſcibilis moderatur, ſit ſuo officio plena & abſoluta; de illo aliquid conſtituere debet. Et quamadmodum duplex eſt iſtius appetitus obiectum, honor ſcilicet ex poteſtate, iuxta ac craſſior voluptas; operationes ſenſuum internorum & externorum conſectans, inde in veſtiũ delectu ſæpiſſime capiunt

Luc. 7.

homines duplicẽ voluptatẽ, vnã quę fit in poteſtatis honorificæ oſtentatione, alteram, quæ fit concretioris alicuius libidinis perceptio: qua illi prorſus definiti iudicio Saluatoris, qui mollibus veſtiuntur, & in aulis regum demorantur. Virtus autem temperantiæ tunc directius hac in re rectitudinem defiget, cum prius rationi conſtiterit, quæ in veſtibus ſpectanda tanquam illecta menta appetitus concupiſcibilis, quibus aliquando incitatus, a mediocritate ac virtute recedere ſolet.

2. Duo inprimis in veſtitu conſideranda. primum, eius neceſſitas, a natura ipſa inuenta: vtpote quod inſeruiat arcendo frigori, & regendæ naturæ violatæ turpitudini. alterum, eius deſiderata proprietas. qui quidem delectus itidem triplex, vel enim decernitur vt commodius naturæ poſtulatui ſuccurratur: vtpote quando

Ouid ep. Demoph.

Boreales in panni vſum ac pellium:

(*Qui modo peltiferas ſudit Mæotidas armis.*)

Auſtrales in ſeti ac tenuioris materiæ apparatum: in medio ſitu verſati, in quid mixtum ex vtriſque conſentiunt, dum veſtes ſibi adſumunt (reſpiciunt enim hi omnes in iſtius delectu, quod naturæ conuenientius, licet id varietate multiplex) aut ſuſcipitur ex fine ſignificãdi aliquid, vtpote animæ motum, ſtatum perſonæ ſacrum vel profanum; nobilem aut ignobilem, diuitem vel mediocrem, virgineum ſeu matrimonio affectum: vel denique delectus fit, vt peculiari aliqua veſtiũ qualitate, veluti earum ſplendore aut colore, ſenſibus expetita adferatur aliqua iucunditas. De quibus ſeorſim nonnulla diſſerenda.

3. Quantum ad prius, ſunt qui tam quorumdam populorum praxim, quam & Philoſophiam ipſam, veſtium neceſſitati, ſanitatis vel tuendæ cauſa inſtitutæ aut decoris, opponunt; ac dicunt cum Stoicis, varias gentes, præſertim ſub

Herodian. in Seuer.

Tropicis & æquatore habitantes, ſine omni veſtimento ſatis commode degere. quem morem nuditatis *Herodianus* etiam Britãnis attribuit. addunt porro, hac in re naturam humani corporis haud mancam reperiri: nam cũ ex vſu aliqua eius pars, nempe vultus, ſine indumento aeris inclementiæ reſiſtat, ſollicitantur proinde, cur non & reliquæ ſeipſis ſatis contra eandem munitæ eſſe poterunt, ſi modo vtrobique paribus vſus acceſſerit? Verũ tegumentũ aliquod contra ſenſum turpitudinis ex nuditate, videntur omnes ferme affirmare requiri; quãdoquidẽ

Auguſt. lib. 14. ciu. cap. 15. Cicer. lib. 1. off. Chriſoſt. hom. 29 in 9. cap. Gen. 15. in cap. 11. ad Heb. Gen. 2.

peccatum partes aliquas corporis modo pudendas reddiderit, quæ ante peccatum potius decoræ & honeſtæ videbantur, vt diſſerit S. *Auguſtinus*: nulliſque modo ſit vel commodorum, teſte *Cicerone*, aut ſana mente, qui eo impudentiæ deuenerit, vt ſe omnino nudum ſpectari libenter voluerit; idcirco ad exemplar *Adami*, à ſuo crimine ſeſe folijs fici cooperientis, quo ad hoc officium, fatentur ferè omnes, prouide naturam vſum veſtiũ inueniſſe. Cui iniri, a natura ipſa inſtituto, auctoritatem adduxere aliquories a Deo patrata miracula. Hinc vt canit *S. Paulinus*, cum a Dæmone obſeſſi, ad reliquias *S. Martyris Felicis* Nolæ eſſent adducti, ibi nefarij ſpiritus impetu, pedes cuiuſdam ex illis, inferius capite depreſſo, in ſublimi ſuſpendebantur. nihilominus ob reuerentiam, Sancti reliquijs exhibendam, effecit diuina virtus, vt veſtes illius elatis etiam tibijs adhærerent rigidiſſime:

Paulin. in Natal. 3.

Veſtibus vt rigidis, aut ad veſtigia ſutis,
Corporis omne ſacrum caſto velatur operto.

Brist. moru. Tom. 2. moi ...

Simile quid, a ſe viſum ſcribit *Briſtoius* Gentilis meus. *Quod ipſum & ego inter alios plurimos ſæpiſſime vidi in puella dæmoniaca fieri Cameraci; quæ licet inter exorcizandum frequentiſſime, violentiſſime & velociſſime de genibus retorqueretur in dorſum, ſic tamen ſemper veſtes eius honeſte manſerunt, quaſi vt ait Paulinus, vel rigidæ, vel pedibus aſſutæ fuiſſet.* Vnde ob reuerentiam Angelis præſtandam, mãdat Apoſtolus *Paulus*, fœminas velatas capita, in Eccleſias ingredi.

1. Cor. 11.

4. Secundo in loco materias ſimul ac formas veſtium varietate ſubire oportere, iuxta diſcrimina aeris, & cœli, congrue omnes affirmant. Hinc olim Romani dicti pannoſi: orientales, vtpote Aſiani, Bombycini, precioſorum lapidũ fulgoribus ſplendidi. Pelliti Septentrionales, vndique vſque ad aures & oculos pellibus contecti: quibus manicæ deductæ vel ad extrema digitorum. miratus tamen ſum dum legerem *Ammianum Marcellinum*, ab eo videlicet deſcribi vel extremos Boreales & Scythas ſeminudos. Cæterum vt ſe contra frigus fortius exercerent, exiſtimo id in more eos habuiſſe, licet ratio cœli & communis victus, longe diuerſum ritum ab ipſis poſtulauerint.

Herodian. in Heliogab.

Horat. lib. 1. carm. ep. 38.

Perſicos odi puer apparatus.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag cap. 10.

5. Quod autem veſtes, qua ipſarum formis, qua colorum in eis ſpeciebus, latens aliquid, vtpote conditionem vitæ, animi affectionem, idonee repræſentent, omnino perſpicuum. imo maiori quadam naturæ determinatione hoc efficiunt, quam voces, quarum omnis ſignificatio ex placito dumtaxat imponentium & vulgari acceptatione deriuatur, cum veſtes videantur aliquid ſignificare ex ſeipſis, conſpirante in id omnium hominum communi imaginatione. Hinc ſapiens: *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis, enunciant de illo.* Omitto, quod veſtium ſignificationes ſint conſtantiores, ac diuturniores eis, quæ ſunt vocum. Nulla autem fuit gens, quæ nõ vſurpauit veſtium mutationes, quæ fortunæ ac animi ſtatus diuerſos teſtarentur: ideoque veſtes lugubres ac lætas adhibuere paſſim tam ſacri homines, quam prophani. *Manlio* Damnato, *ſordidatum reum viderunt*, vt ſcribit *Liuius*. itidem *Cicerone* ad necem publica ſententia poſtulato, *Populus Romanus veſtem mutauit*: quibus etiam mos erat capillos detondere, vt *Plinius* iunior refert. Repræſentatio hæc per veſtes, vt a naturæ ingenio oritur, ita ab eiuſdem varietate deſcendit omnis, quam videmus, repræſentationis talis in hominibus diuerſitas.

Eccleſ. 19. Cicer. lib. 1. off. Zach. ...

Liuil. Dec. 1. l. 6. Plin. lib. epiſt. ep. ...

Gallorum ritus iſtis *Virgilius* deſcripſit:

Virg. Æne. 8

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur: duo cuique alpina coruſcant
Gæſa manu, ſcutis protecti corpora longis.

6. In vniuerſum autem quadruplex veſtium ſignificatio. *Diuina, Rationalis, Concupiſcibilis,* & *Iraſcibilis.* diuina illa dicitur, quæ a Deo intenta, & ratione veſtium ab eodem inſtituta, vel ab homine excogitata in ſacrum aliquem finem colendi diuinitatem. nulla quidem extitit vnquam relligio, quæ non certo decretoque habitu veſtium diuinum aliquid exprimere ſtatuit: vtpote ſtola, mitra, cidari, podere, vitta, flammeo, ac ſimilibus.

Ouid. lib. 2. Faſtor.

Nullaque dicetur vittas temerare ſacerdos.

Ouid. Eleg. ad Iſid.

Ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris
More patrum ſancta velata veſtibus albis.

Plio lib. 19. ep. 44. Prud. lib. 2. cont. Sym. Tertull. De hab. mulieb. Cipian de velad. virgin. Liu. Dec. 4 lib. 1. Exod. 28. Phil de veſt. Sacerdot. Hieron. ep. ad Fab. Ambroſ. ad. uerſ. Sym. epiſ. 12. Auguſtio, epiſt. 179. Hieron. epiſt. 23.

de Attalo Athenas ingreſſuro, ſcribit *Liuius*: *Illũ ſacerdotes cum inſignibus ſuis, ac Dij prope ipſi ſedibus ſuis exceperũt.* Qua in re celebris ac verus apparatus veſtiũ ſacrarũ ex Dei lege effloruit apud Iudæos cuius ſententias *Philo, Tertullianus, S. Hieronymus,* & alij ſunt proſequuti. eiuſdem vi ad nos quoque deuenit ſtatuta quædam forma veſtium ad ſacras perſonas attinentium, ac inter reliqua, ſatis illuſtre ſemper fuit velamen ſacrarum virginum. *Non vitta*, ait *S. Ambroſius*, *capiti decus, ſed ignobile velamen vſu nobile caſtitatis: non exquiſita ſed abdicata lenocinia pulcritudinis. Vili tunica,* inquit *S. Hieronymus*, *induitur, viliori tegitur pallio.*

Sunt & virginibus pulcherrima præmia noſtris,
Et pudor, & ſancto tectus velamine vultus.

Ad hoc quidem genus ſacrum refertur baptiſatorum veſtis alba de more Eccleſiæ Catholicæ, cuius meminit *Tertullianus*. ſiue ea adhibita fuerit ad animi a lotione puritatem indicandum, ſiue ad ſignificandum expiatorum manumiſſionem, ſeu liberationem a poteſtate Diaboli.

Prudent. lib. 2. cont. Sym. Tertull. lib. de Reſur. Venant. Fortun.

Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niueo gaudia paſtor habet.

Rationalis veſtitus ille nuncupatur, qui ad conditionem perſonæ factus, animum virilem ac magnanimum ex præſcripto rationis refert: nullo pacto abductum a grauitate & ad ſtatum perſonæ, proportione: neu quicquid leuitatis aut vanitatis oſtendit, ſed potius qui certã perſonæ qualitatem abſque defectu aut exceſſu, ob oculos aliorum apte proponit, ac illi exacte cõgruit. qualis apparuiſſe viſus in virginum pectoralibus, in peplis ac flameis earum, pudoris cauſa vſurpatis, vt obſeruat *Clemens Alexandrinus* ex *Homero*: qui etiam animaduertit, *Creuſam* vxorem *Æneæ*, dum vel fugeret cito pede flammas Troianas, velamine tamen caput accurate tectam euolaſſe. Prodit quoque *Valerius Maximus*, *Sulpitium Gallum* vxorem ideo repudiaſſe; quod aperto capite foras verſaretur. idem de fœminis Arabicis ſcribunt *Apuleius* & *Tertullianus*. Retulit mihi quidam Neapolitanus, adeo religioſum vigere in regno Neapolitano ritum hunc, vt ſi vel per ludibrium alicuius viri aut vim, virgini detractum fuerit capitis velamen, eam vix maritum aliquem deinceps inuenturam. Egregiè ſanè ac prudenter de veſtitu muliebri rationem conſtituit *Ariſtoteles*: *Sumptu, & veſtitu, & apparatu minori etiam vtatur, quam leges permiſerint ciuitatis: conſiderans, quod nec veſtimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris laudem, quantum modeſtia in rebus, ac ſtudium honeſte decenterque viuendi: etenim omnis huiuſmodi ornatus animi expetibilis eſt, multoque firmior ad ſenectutem vſque veras laudes ſibi natiſque afferens.* atque ex contrarijs horum, quæ veſtium ſignificatio ſit minus rationalis dignoſci poterit. Barbarus idcirco Hunnorum mos, de quo hæc *Marcellinus*: *Non ante deponunt, aut mutant veſtem, quã diuturna carie in pannulos defluxit defruſtata.* In altero autem extremo *Nero* ac nimius plane cenſeatur, qui, ut ſcribit *Suetonius*, *Nunquam eandem veſtem bis induit.*

Clem. Alex. lib 3. Pædag. Valer lib. 6. cap. 3. Apul. lib. 11 de Aſin. aur. Tertull. de veland. virgin. cap. 17. Ariſt. lib. 2. oecon. cap. 1. Marcellin. lib. 30. chro. Sueton. in Nero.

7. A ratione itaque veſtibus conſtituendus modus, vt eo conſtet, ipſum, qui veſtitur, ratione duci, & ex ea decorum ſeruare, ſpectare, idque de more patriæ; licet in hac re diuerſa ſigna ac propemodum contraria, ipſa natio incolarum propria inſtituerit.

Lucan. lib. 3.

Tam variæ cultu gentes, tam diſſona vulgi
Ora. idcirco a ratione alienum, quod in hac re peregrinum, quod nouum, ac a reliquis diſſentiens. Vult itaque ratio, vt principum veſtes maieſtatem quandam indicent: vt literatorum grauitatem repræſentent, vt militum, a luxu alienatos animos oſtendant ac probent.

Iuuenal lib. 2. Satyr 6.

——— *vellere Tuſco*
Vexata duræque manus.

Nobilium certæ ſunt notæ veſtiariæ, quibus proditur eorum nobilitas. inde Athenienſes aureas cicadas, in teſtimonium nobilitatis, veſtibus affigebant, vt *Alciatus* narrat: *Arabes* & *Aſſyrij* longa ſtola in eundem finem vtebantur: & Romani, vt nobiles apparerent, purpura, tunicis laticlauis induebantur, etiam nigris calceis lunulas argenteas imprimebant. Decet itaque, & rationi omnino congruũ, vnumquemque id veſtibus alijs de ſe profiteri, quod verum, quod decorum, & perſonæ quam ſuſtinet, accommodatum. Laudatur idcirco merito *Alexander Seuerus* a *Lampridio*, qui noluit videre ſeruos ſine veſte ſeruili, nec liberos abſque veſtibus ingenuorum proprijs. Auctore *Gellio*, dedecus fuit Senatori, Romæ ſoleatum incedere, hoc eſt calceatum, ſolũ ſub inferiori planta, ad ritum *Floræ* & meretricum Romæ, ſuperiori pedis parte nuda.

Alciat. emblem. de cicada. Lamprid. in Alex. Gell. lib. 13. cap. 20.

Hortus vatican. Ouid. 2, Triſt. eleg. 1.

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

Conuiuæ ac nuptialibus feſtis præſentes, olim ſenatorias veſtes adhibebant nuptijs peculiares vt recolit *Baronius*. Olim teſte *Tertulliano*, alba veſtis ſignum erat adeptæ libertatis. *Si famulum tuum libertate mutaueris, & veſtis albæ nitore, & annuli aurei honore, & patroni nomine a tribu, menſaque honoratur.* Quorum omnium ſumma eſt, illum veſtitum rationalem eſſe, qui rationem declarat ac iudiciũ, a quibus proficiſcitur: contra iſtius repugnantem, quippe nõ a ratione, ſed ab appetitu ſenſitiuo decretam, irrationalem, vt pote genuinum inditium deficientis in aliquo

Baron. Tom. 1. An. chro. 34. Tertull. lib. de reſur.

ratiinnis,

rationis, iure appellare poſſomus.

8. Primam ſummam in hoc genere appetitus ſenſitiui, diximus reperiri in eis ſignificationibus, quæ ab appetitu concupiſcibili conſtituuntur: ac non ſolum indicia ſunt affectionis alicuius libidinoſæ, verum etiam eiuſdem plerũque incentiua quædam, ſimul ac illectamenta. Huius conditionis indumenta, quæ nuditatem corporis non tam tegunt, quam tenuitate ſua vix diſſimulant: aut eam omnium oculis peruiam apertamque relinquunt. Cuius rei conſideratio effecit, vt orientales longioribus veſtibus vterẽtur, ne corporis natiuæ partes capreſſius, ſeſe per veſtes oſtenderent. Eiuſdem cura tenuit quoque Romanos, quorũ veſtis laticlauus

Said. verbo:

πλατύσημος nempe in latum prætexta, vt notat *Strabo*. cuius inventionem idem attribuit *Balearibus*.

Strab. l. 3.

Hi primi hominum feruntur geſtaſſe tunicas late prætextas. Scribit vero *Liuius*, Romanos ab Hetruſcis aut Gabinis huiuſmodi habitum mutuatos:

Liu Dec. 1. lib. 1.

Vnde ſella curulis, vnde toga prætexta ſumpta eſt. ob hanc cauſam veſtes breuiores, impudicarum mulierum, vt ſcribit *Clemens Alexandrinus*, habitæ notæ: quales veſtes erant fæminarum Corinthiarum, Veneris religionibus addictiſſimarum, & luxuriæ grauiter operam impendentium. Huc etiam ſpectant colorum varietates, & vniuerſus fermè mundus mulicbris: præſertim ſi ad virorum vſus transferantur: de quibus *Seneca*:

Clem Alex l. 2. Pæd. cap 10

Sen. de conſ cap. 12.

Muliebres mundicias antecesſimus colores meretricios, matronis non induendos, viri ſumimus.

Tandem progreditur magna ſtipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Virgil lib. 4 Aenead.

Eidem libidini velificata etiam ſuo ornatu *Cleopatra, Cæſarem* hoſpitio funeſto excipiens,

Vultus adeſt precibus, faciesque inceſta perorat.
Candida Sidonio perlucent pectora filo.
Quod Nilotis acus compreſſum pectine Serum
Soluit, & extenſo laxauit ſtamina velo.

Lucan. li. 10

Huiuſmodi exiſtunt hæderæ libidinum, ac perpetuo ſedem indicant, in qua petulantia moratur. *Lex fuit Athenis*, ait *Suidas*, *vt meretrices veſtes ferrent floridas*: *id eſt, vt opinor, varias, aut ornatas, & nitidas.* S. *Chryſoſtomus* ſcenicis & inhoneſtis mulieribus auream veſtem aſſignat: ſimulque veſtes candidatas appellat *Eneruatorum, & mollium proprias.* Exemplar infamis ac libidinoſi veſtitus in impuriſſimo *Heliogabalo* conſpicuum, In quo forma & habitus, vt narrat *Herodianus*, media inter *Phœniſſam* ſacrã, & mollem amictum *Medorum*. *Aſpernabatur quippe Romanam, & Græcanicam veſtem, vtpote e lana, hoc eſt re viliſſima confectam.* Cui conſentit *Ælius Lampridius*. *Vſus eſt aurea tunica, vſus eſt & purpurea, vſus eſt cum gemmis Perſica, cum grauari ſe diceret onere voluptatis. Habebat etiam in calceamentis gemmas, & quidem ſculptas, quod riſum omnibus mouit, quaſi poſſint ſculptura nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.*

Suid in ver.

Chryſoſtom 28. in ca. 11. ad Hebr.

Herod. in Heliogab.

Lamp. in heliogab.

Alex l. Gen. dia.

9. Cæterum, quod humana concupiſcentia non ſolum libidines ac luxus appetat, ſed alia inſuper iucunda bona, vtpote ſanguinis dignitatem, pecuniarũ copiam, auctoritatem ac poteſtatem, idcirco ingenium eſt eiuſdem concupiſcentiæ, inter alia ſtudia, etiam ſatagere, vt veſtes, qua materia ſua pretioſa, qua ornatu & artificio elegantiori, dent certas ſignificationes harum rerum, quibus, vt ſummatim dicam, eis induti, reliquas prælucere æſtimentur. Inprimis iuuenibus præſertim, adeſt ingens cupido ſignificandi per veſtes, quam intus magnis, ardentibuſque præditi ſint ſpiritibus: quorũ vix capacia eſſe ipſorũ corpora eodem declaratur. hinc plumæ ac criſtæ in immenſum vndique exuberãt: quo appareat, in eis ſpiritus in altitudinẽ omnis audaciæ ac tumoris excreuiſſe, ad ſtellas vſque ferme perueniſſe. quæ ſi ipſorum craniis, natiuis radicibus inhærerent, nihil tale credo, ſed anſerinum quid potius præ ſe ferrent: at galeis ſemel infixæ, illico viua cenſentur ab eis indicia magnaminitatis. Deinde, vt communi naturæ ſorti exempti aliqui habeantur, & quaſi ex alia materia fabrefacti propter ſtemmatis nobilitatem, nihil vulgare volunt in veſtibus, ſed omnia ſibi peculiaria, colore ac luce pariter cuncta ſcintillantia ac flammantia eſſe cupiunt. Immo hinc ſignificationem etiam dare volunt illius appetitus, quo vehementer optant ab alijs ſe timeri, honorari & illis magno interuallo, vtpote eorum reſpectu mancipijs, præferri. quibus ſimulacris veſtiarijs faſtus & crudelitatis, haud pauci plurimum ſolent delectari. Hoc ipſum inter alios viſos *Herodes* affectaſſe, qui *Statuto die veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur.* In quam claſſem arrogantiæ loquentis, teſte *Clemente Alexandrino*, & *Aurelio Prudentio*, a priſcis Chriſti cultoribus referebantur gentium ſirmata, caudatæ ſcilicet veſtes, ſeu per pulueres deductæ.

Act. 12.

Clem Alex l. 2. Pæd.

Prud. lib. 2. con. Symm.

Plena maris rubri ſpolijs, colloque comiſque
Diuitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.

Luc. lib. 10.

10. Poſtremo in loco retulimus veſtibus ineſſe ſignificationem affectuum in homine iraſcibilium, quorum notas *Cato* inter alios in ſe exprimere rigide, horrideque ſuo more inſtituit.

Ille nec horrificam ſancto dimouit ab ore
Cæſariem, duroque admiſit gaudia vultu.
Vt primum tolli feralia viderat arma,
Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mæſtamque genis increſcere barbam.
——— pretioſaque veſtis
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam.

Luca. lib. 2

Ob hanc cauſam militiæ addicti, & in omnem violentiam cædium ac perpeſſionum proni, ſui ingenij acerbitatem ac truculentiam ſpectabilem reddunt peculiari quodam veſtimenti genere: de quo Poeta:

——— clypeoque inſigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus hydram,
Ipſe pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum ſeta, cum dentibus albis
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Virgi. lib. 7. Æneid.

Atque de ipſo *Hercule* hæc *Lucanus*:

Ille Cleonæi proiecit terga leonis.
Antæus Libyci. ———

Lucan. li. 4.

Notus inquit *Liuius*, *Romanis apparatus inſigne armorũ fuerat: doctique a Ducibus erant, horridũ militem eſſe debere, non cœlatum auro, argentoue, ſed ferro,*

Liu. Dec. 1. lib. 9.

na efferre incipiunt: ciuibus quaſi a vitijs proſtratis ac deuictis, tunc dominium ſuum veſtium inſana laſciuia aut ira ſenſus in corporibus oſtendunt. Ex quo emergit, barbarum iudicari, ciuem ſeſe veſtire hoc ritu ad præſcriptum appetitus ſenſitiui: indecorum & illaudabile prorſus, tale quid actione præſtare. verũ demens omnino idem inſtitutum; ſumptus ſcilicet reipublicæ commodis & vſibus ſubductos, conferre ad comparandum hanc ipſam ignominioſæ notam, ad inducendum damnum hoc teterrimum, quo nempe ſtulti, laſciui, furioſi ciues euadant, ac tales ab omnibus inſpectoribus, etiã dedita ipſorũ opera, æſtimentur.

2 Nemo fere hominum eſt, qui non ægro animo laturus, ſi verbis aut ſignis in publico ab alijs laſciuiæ, acerbitatiſue inſimularetur: eoque merito exiſtimaret graue quoddam dedecus ſibi inuri. Veruntamenuero damnum atrocius, adeoque ab omni mente alienius facinus, veſtium vſurpato genere quempiam ſponte turpia ac deformia de ſeipſo profiteri & alijs enunciare, quæque a naturæ ſuæ dignitate & optabili præſtantia maxime exiſtunt diſſidentia. Inciuiles idcirco, ac in ſeipſos immanes, omnes etiam verecundiæ limites excedentes, qui veſtiũ ſuarum tropis palam dicunt, ſe libidinũ flammis ictus ardere, ſe earum fæcibus contaminati, ſe crudeles & immites animus geſtare, totoſque in tranſuerſa iam actos omnium criminum ac flagitiorũ. Eam corporis humani rationẽ habuit vel ipſa natura, teſte *Cicer.* quod &

Cic.li. 1 off. Apoſtolus diſerte affirmat: vti illius abditas eas partes eſſe iuſſit, quæ aſpectũ habituræ turpem vel deformem: imo vt ait Apoſtolus, in eundem finem eas celandi, maiori honore circumdatas

1.Cor.12. & ornatiores eſſe voluit. Præpoſterum idcirco, non corporis modo, ſed animi opprobria veſtiũ genere alijs propalare, & euolute omnia eius vel ſecreta vituperia publicitus ſignificare. Hi ſane dũ ſeſe oppido amare & alijs commendare videri volunt, hoſtiles manus interim in ſeipſos conuertunt: & quod odij extremi proprium, id contra ſe, contra nomina, omnẽ ſuam gloriam violando & extinguendo, directo opere immaniter exequuntur: quaſi aliorũ inuidentiæ aut curioſitates ſatis viriũ non haberent in ciuitate ad hæc præſtandum, niſi eis noſtra contentio ac propoſitum nobiſipſis nocendi acceſſerint.

3 Imo huiuſmodi conatus, furiali quid in ſe continent, & vel Stygis incolarum ingenijs proinde adfinis merito exiſtimandus. quod enim hi ſpiritus nefarij ſenſibus ſint deprauatis, & ad aliorũ dedecora procuranda incitatis, plerumque externam ſpeciem, qua mortalibus appareant, horrendã aſſumunt: ideoque antiquitas eis ſpecies illas affinxit, quæ prodigioſæ, quæque inſitam innatamque ipſorum nequitiam ac deformitates appoſite intuentibus in eos, horrendum in modum indicaret.

Claud.lib.1 in Ruf. *Illa vbi taraleo veſtes connexuit angue,*
Nodauitque adamante comas: Phlegethonta ſonorum
Poſcit, & ambuſto flagrantis ab aggere ripæ
Ingentem piceo ſuccendit gurgite pinum.

Furiæ ſane & Erynnes in ciuitate habendi, qui blandientibus veſtium fulgoribus, ſeu inde explicatæ laſciuiæ ſignificatione ac venditatione, alios ad impuritatem libidinis illiciunt: & quos caſtos inuenerint, eoſdem ſuis ignibus tãquam *Deianiræ, Hercules* deuaſtant ac funeſtant. Pudeat nos iſtius muneris peſſimi: horrere faciat nos ea cogitatio, qua nobiſcum reputamus, futurum, vt noſtro veſtitu, tanquam Dæmonis rete, plurimi capiantur, ſimul ac ex eo in tartara ad ſempiternas pœnas illic perſoluẽdas deuoluantur. Non hic loquor de iniurijs, de violentijs, de inſidijs vel fraudibus, quibus in aliorum perniciem inſtructis, dici ſolet, hominem homini lupum aut dæmonem eſſe: deterius ſane, atque multo crudelius, quod homines ac mulieres ſuarũ veſtium apparatu inuicem machinantur, dum illa, nunquam deſitura mala, tam aliorum animabus quam corporibus impijſſime eodem infligunt. Enimuero cum boni ciuis officium fuerit, dum ædes incendio deflagrant, illico occurrere, quo flammas extinguat: tum facinus ſcelere plenum, communis noxiæ originalis ardoribus in omnes ciues modo graſſantibus, tam longe abeſſe ab ea charitate, vt eos ſuo opere reprimant ciues ac ſedent, quinimo potius illis alios ardores accumulare, & hoc pacto concines feralius tanquam *Hercules* Senec. Herc.

Œtæos conſumere. Oet.

4. Luxurioſa porro veſtium pompa vel quo ad ciuilem quietẽ ac pacem inter ciues omnino vituperabilis. Fieri neutiquã poterit vt ij leniter ac moderate viuant in ciuitate, qui iſtis caloribus, quos ſuis veſtibus præ ſe ferunt, exagitãtur: qui immenſa cupiditate fruendi voluptate inter ſe tumultuantur, qui hos in zelotypiam coniiciunt, illos ad libidinem incendunt, alios ad ſe a fidelitate præſtita, amorum conniuentia, attrahere adlaborant. Nemo certe infamẽ illum *Martem*, in luſtris verſatum, diuellere poterit ab inceſta, forenſi ac graſſatoria *Venere* in vulgarium oculis nitente ac ſcintillante. Quemadmodum enim inter ſe raro conueniunt piratæ, qui eoſdem maris tractus infeſtant, ita haud minus pacifice inter ſe vitã inſtituent, qui indiſcriminatim veſtium impudentia ſtupris & adulterijs velificantur. Maritus acerbo animo oculos defiget in vxoris veſtes, luxuriẹ penitus addictas: Paterfamilias ægre feret, liberos vela ſuorum veſtium ad capiendam auram libidinũ ſolertius expandere. Et quis in ciue non deſiderabit ciuem, qui veſtium qualitatẹ in vniuerſũ adulterinos ciues perſpexerit?

In ore Graio Scythicus apparet rigor. Sen. Hipol.

Quumque ciues mutuo in inuicem ex veſtiũ luxu commotis ſint animis, ſimulque mollibus ac diſſolutis, facile externis gentibus contemptui erunt. quid enim magni aut martij, quid prudentis, expectando ab illo populo, quem veſtiũ luxurioſa pompa iam emaſculauit, dementauit? potius ad exemplum Aſiæ, cuius certẽ ornatus laſciuus, ad ſibi inferendũ ruinam peregrinos prolicient, quorum & armis breui concident, poſteaquam eorundem iudicijs, ob veſtium impudentiam, damnati fuerint.

5. Fine etiam ipſo plerumque deſtituuntur hi complures, quẽ ſibi tam ſeduſo ex ornatu præſtituunt. tantum enim abſunt, vt hinc honores

ac amores ſibi concilient, quin potius vtraque hoc ipſo ſtudio ſeſe accurate veſtiẽdi amittunt. Imprimis virgines, puellæ, quæ nuptias ambiunt, leuitatem hanc veſtiariam ſibi experiuntur nociuam. quod vt melius perſpiciamus, intelligendum, eam eſſe, vel natura auctrice, fœminarum condicionem, qua in plurimis tam ad corpora quam ad animas ſpectantibus, virorũ neceſſitudinibus ac ope indigeant. quorũ commoda vt melius conſequantur, eadem natura, vt animaduertit *S. Baſilius*, tali ſpecie ac mollitie eas effinxit, quibus virorum amores oportunius ſibi compararent. (Ba. de prim hom. dign.) Cæterum principalis vis ac neruus, quotum viribus affectus virorum in ſe virgines ac fœminæ moueant, cernuntur in ipſarũ virtutibus, ſine quibus, formæ venuſtas, ſanguinis dignitas, aut opulentia, ad prouocandũ a viris diuturniorẽ amorem plane languerent, vt experientia docet: quin imo ab extremo odio, eas laſciuientes talia ornamenta protegere nequeunt. quocirca ſi priuatũ huius vitæ commodum ab eis ſpectetur, magis neceſſaria virtus in vniuerſum fœminis quam viris: illæ enim quantum ad propria emolumenta imbecilliores ac imperfectiores reperiuntur, cum hi robuſtiores, inſtructioreſque plura pro ſeipſis ac republica, etiam vbi virtus in ipſis deſiderata fuerit, præſtare poterunt. exigit idcirco fœminilis debilitas præcipuo quodam argumento ſubſidium a virtute, vnde a viris cum diligantur, tum ab eiſdem contra naturæ imbecillitates adiuuentur. quamobrem ſi veſtium oſtentu apertum faciunt, ſe virtute penitus deſtitui, ſe libidine accendi, ſe animi leuitate diuerſimode raptari, nihil ſane in ipſis reliqui ſpectabile aut forte ſupererit, quod virorum corda ad ipſas compellat, quodue ab eorum ſtudijs vitæ vtilitates & auxilia obtineat. Aliud ſane eſt, virginem, turpem ac brutum ſpectatoris motum in viro excitare: quod veſtitu petulanti plerumque fit, aliud, illum amorem euocare, qui maritalis, & a ratione recta exprimendus. emoritur illico ille omnis affectus, quem caro & ſanguis tantummodo decernunt: adeoque in oppoſitum odium ac nauſeam tranſire, cum ſenſui ſatisfactum, ſolet. Satius idcirco, virginem ita veſtiri, vt eo pudicitiam ac modeſtiam prodat: vt vel ratione iudice, ſe vere amabilem viro oſtendat ac probet. ptoponendum a virgine idcirco exteriori apparatu id, quod in viro rationi adamas, non oculo ſolum ipſius picturatum illectamentum voluptatis.

6 Eodem omnino pacto, viri ſuo propoſito caſſi recidunt in vanitatem aut cladem, ſeſe immoderatius veſtientes. Etenim fœminæ vt multa adiumenta ac plurimas ſuppetias a viris requirunt, ita in eiſdem virilitatem quandam & conſtantiam, quibus ea aptius præſtent, deſiderant: ſine quibus facile animaduertunt, nihil ab eis alicuius momenti manare poſſe prouentus. (Her. in Hel.) Quid eſt enim quod ab *Heliogabalo* aliquo in fœminam voluptate probroſe demutato, profecturum exiſtiment? ab eis dico, qui a ſexu ſuo degenerantes, in muliebres infirmitates, curioſa ſtudioſitate relabuntur? Huiuſmodi euiratos certe deſpicient potius quam amabunt fœminæ: vtpote quos nouerint exciſos eſſe, & penitus laxos ad omne præclarum facinus pro ipſis perpetrandum; potius infirmos iudicabunt, qui aliorum conatibus, ad ritum ipſarum, ſuſtineantur. Quamobrem huic luxui dediti, quid aliud demum lucrantur, quam contemptũ, iuſtamque cauſam, ob quam in eos martij inſultent?

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis, (Virg. Æn. 9)
Deſidia cordi: iuuat indulgere choreis.
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ,
———— Sinite arma viris & cedite ferro.

Quamobrem ille veſtitus amori comparando in viris idoneus, qui grauis, qui animi magni ac conſtantis ſimulacrum.

7 Hæc autem luxurioſi veſtitus incommoda, in ipſis coniugibus adhuc liquidiora. nam cum huiuſmodi nihil expetibilius thori immaculati fidelitate, tum eiſdem mutuo ingratiſſimæ omnes ſignificationes ac notæ vagæ libidinis aut petulantiæ: quemadmodum eæ expectatiſſimæ, quæ animos viriles, matronales, a libidine coercitos, & in vnius coniugis amorem delatos, repræſentant. Quando autem ab illis veſtium lenocinia ac florida ornamenta exquiſitius adhibentur, tunc in eiſdem plerumque ſuboritur ſuſpicio latentis cupiditatis, qua alijs placere, & illos plus iuſto demulcere, appetunt. eſt enim iſte luxus quaſi ripæ conuulſio quædam. per quam exundans concupiſcentia foras & vberius excurrat: quod ſane coniugij ſanctimoniæ ac iuſtitiæ prorſus contrarium. Quid mentis obſecro, quidue conſilij aderit marito proſpectanti in has vxoris artes venereas prorſus & illecebroſas? Quæ viciſſim cogitatio animum vxoris ſubibit, poſteaquam maritum venatum ire luxuriam, & *Cupidinis* inſtar, veſtium modis ad incendium flammeſcere depræhenderit? An non mutuus amor hinc haud parum refrigeſcet? an non diſſoluetur potius quam diſſuetur? an non zelotypiæ & furores vitam domeſticam hinc inquietabunt?

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil, (Iuuen. l. 2 Sat. 6.)
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.

8 Veſtitus porro, qui agreſtis, qui tetricus, qui neglectus, niſi ex inſtituto ritus alicuius diuini vſurpetur, indicium ſenſus moroſi, duri, abiecti, & a ſuauitate conuictus ciuilis penitus abalienati. Qui enim ſui negligens, qui in ſeipſum acerbus, qui omnis nitoris incurius, vnde haberi poterit in alios ſtudioſus & vrbanus? non ergo patefacere debet veſtitus ciuilis animos nimium iraſcibiles, immites, aut crudeles, ſed illos potius, qui rationis moderatione inſtituti, & eiuſdem magnitudine erecti excelſique videantur. Aliud in hoc genere campus, aliud forum, aliud priuata domus, aliud principis regia expoſtulant. Summa eſt, in eo rationem debere apparere, non appetitus ſenſitiui ſeu luxuriam, ſeu ſilueſtrem rigorem. (Cic. l. 1. off.) *Adhibenda*, inquit *Cicero*, *eſt munditia, non odioſa neque exquiſita nimis, tantum quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiã.*

Eadem ratio habenda eſt veſtitus: in quo, ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt. Verum quod ex veſtibus exurgat paſſim vituperabilis quædam oſtentatio affectatæ dignitatis, de illa ſeorſim differendum.

CAPVT XXXIV.

De ambitioſa veſtium repræſentatione.

DVo præcipue ſibi proponunt, vti diximus, qui ſe veſtium ſplendore nimium conſpicuos eſſe auidius appetunt: voluptatem nempe, popularemque faſtum & gloriolam: quorum characteres deſcribi volunt in ipſo externo corporis bsbitu, quo in illum finem abutuntur. Enimuero extrinſecus aduenienſ emolumentum præſtolantur, qui in hoc genere inſaniunt, non id, quod a natiuis ipſorum viribus aut virtutibus deriuetur. ob quam

Clem. Alex. li. Pæd. cauſam, vt notat *Clemens Alexandrinus*, qui ex veſtitu gloriantur, extra ſeipſos ſpaciantur quodammodo, fora, templa, thestra & publica loca adeunt, in quibus ſe ſpectari & in sdmiratione eſſe, egregium plane ducunt & arbitrantur. De voluptate, quam iſti vænantur, modo diſcuſſum, reliquum, eodem orios tumores in animis ipſorum iam explicemus.

2 Imprimis ſignificare cupiunt, qui ex veſtitu arrogantes comparent, ſpirituum vitalium in ipſis quandam amplitudinem: deinde, poteſtatem, qua ſe alijs eminere ſuadere moliuntur. etenim pro ratione ſpirituum ac feruoris in ſanguine, inceſſus, ſermonis, geſticulationis, aſpectus, ac veſtitus rationes exprimuntur. non tamen horum ſpirituum alijs inferenda ſola notitia, definitur in ipſis iſthæc contentio, ſed vltra eis inſtitutum, vt ſpectatores ex ſpirituum exaggeratione ac bullis intelligant, non niſi ingentes conceptus mentis, appetitioneſque grandes voluntatis in ipſis deliteſcere. quod cum ſe præſtitiſſe autumant, tunc mirum in modum lætitia, vtpote potitis iam ipſorum votis, efferri ſolent. Certum omnino, maieſtatē animi, & auguſtā quandā vim illius, ſpecie veſtium, vtpote apud Romanos, toga, tunica prætexta, picta, palmata, quæ honoris

Liu. Dec. 3. lib. 10. inſignia, vt ſcribit *Liuius*, recte declarari, idque ex præſcripto ciuilitatis. Verumenimuero non eſt huius rei modus iuuenum ſpiritibus meris committendus, præſertim cum mediocritatem veſtionis exceſſerint: ſed potius menti, iudicioque. Sunt enim ſpiritus iſti, enati ex ſanguinis temperie, nobis cum brutis communes ac mutationi obnoxij, nihilque plane rationis participantes: imo rationi quoad multa aduerſantur. Videmus enim creſcente ratione in ſenibus, aut in virili ætate exiſtentibus, diſplicere illum veſtium habitum, qui in iuuentute ob flammantes & acres illos ſpiritus aliquando eiſdem placuerat. abſurdum proinde ex qualitatibus ſpirituum vitalium, & non ex imperio rationis, veſtium formas conſtituere. imo dedecoroſum, quempiam ſeſe veſtiendo duci videri aurigantibus ac iubentibus in ipſis ſpiritibus, qui ex ſanguine æſtuant, exiliunt, & in meros flatus extuberant. porro plerumque hi ſpiritibus, dum ebulliunt in iuuenum venis, veluti, in æſtuarijs, certiſſimæ ſunt notæ in ipſis temeritatis, inconſtantiæ, intemperantiæque: proinde plane abſurdum, genere veſtitus ab eis decreto, alijs oſtendere ac denudare tam deformia animorum, corporumque vitia.

2 Verum ſui oſtentatio, ſiue ex feruentibus ſpiritibus, ſiue ex appetitu dominandi, ſeu excellendi, oriatur, ſimulac in veſtibus apparuerit, comparata potius ad dedecus inferendum, quam ad gloriam ſiue æſtimationem acquirendam. Enimuero qui huiuſmodi ſignis honorum delectantur, ij recta via ad honoris templum haud gradiuntur. non enim metallorum formis, non modulis, aut ſciſſuris veſtium, non exuuijs belluarum, non vermium viſceribus, non Sartorum artibus; honor verus ac ſolidus debetur, ſed virtuti, eiuſque opinioni ac præſtantiæ: illa enim ornamenta veſtium æque marmoreis aut ligneis ſtatuis induci poterint, ac hominum corporibus. contra, ſummæ laudi pleriſque ceſſit, quod veſtimentorum gloriolas ac ſplendores contempſerint: declarantibus, ſe maioribus ac firmioribus bonis niti ad adſpirandum ad famam & aliorum admirationem, quam quæ a veſtimentorum condicionibus propagari poterũt. De *Nerone* triumphante cum *Liuio* ac *Claudio*, hæc *Florus*: *Liuius verò, qui in prouincia ſua rem geſſerat, quadrigis inuectus eſt. Nero, qui in collegæ prouinciam, vt victoriam eius adiuuaret, venerat, equo eſt ſequutus: & in hoc habitu plus gloriæ reuerentiæq; habuit, nam & plus quam collega in bello fecerat.* Flor. li. 2.

4 Quinimo nihil magni aut honore digni in eo reperiri, qui oſtentu veſtium gloriam ac gratiam mercatur, perſpicuum eſt. quo enim quiſque in ſe imperfectior & imbecillior, eo feruentiori conſilio ab extrinſecis, aut dedecoris velamen, aut diſſimulati decoris indicium, ſedulo emendicare aſſueſcit: eodemque ad vitam inſtituendam ſe pluribus indigere impotenter admodum oſtendit: Proprijs enim viribus diffiſus, ac internorum defectuum conſcius, ad gloriam contendens, veſtes ſibi adaptat ſplendidas, magnificas, recentique ſcemate admirabiles, vt ſaltem huiuſmodi apparatu ſe honore dignum, ac ad magna præſtanda idoneum alijs comprobet. Imitantur iſti coquos, & pharmacopolos, qui rancida & amara, qua condimentorum ſpeciebus, qua vaſorum coloribus; tegunt & occultant, adeoque aliorū oculis commendant. ex qua cauſa mulieribus a natura cōceſſum, cum imperfectiorem conſequutæ naturæ condicionem, multiplices mundicias, fucos ac colores adhibere. recte aduertit *Clemēs Alexādrinus*, ſolitos Lacedemones, vnctiones, curioſas veſtes, & condimenta, *Res doloſas* appellare: Clem. Alex. li. Strom.
quod ſcilicet ex ritu vulgari, turpiū plerumque ſint velamenta, falſaque indicia eius præſtantiæ, quæ non eſt. Cæterum omnes ferme homines facile hæc diſcutiunt, legunt, ac ſuis reprobant iudicijs, perpetuo ſuſpicati, tætri ac deformis aliquid ſub illis latitare: quocirca veſtiarius

cõtraria ; vtpote ſerina quædã ac indecẽs ipſiua deturpatio, qua tam ſanctitas, quã bonor amittũtur, expugnanturque. præſtat itaque continẽtia, vt coniuges ſua corpora, quæ animarũ vaſa, poſſideant in ſanctificationem & honorem. ac propter banc cauſam affirmat *Ariſtoteles*, virum ſeſe vxori tradidiſſe in honorem. &
Ari.l.1.oec c.10.Hebr.13. Apoſtolus affirmat, honorabile eſſe coniugium. Imo matrimonium veteres cognouere inſtitui non ſolum in remedium libidinis, ſed etiam in alias ſocialis vitæ ex virtute & honore commoditates, vt liquet ex matrimonio inito inter *Catonem* & *Marciam* ſenio iam confectos.

——— Da tantum nomen inane

Luc.lib.2. *Connubii, liceat tumulo ſcripſiſſe, Catonis Marcia.*

Ad boc ſignificandam, *Iunoni* rem ſacram antiquitus facientes, non tantum hoſtiæ exemptum fel, ſed etiam iecur, ardore libidinis accenſum, poſt aram abiecerunt: volentes, vt in conuictu domeſtico coniuges tam amaritudine fellis, quam concupiſcentia iecoris, dulces ac puri carerent. In quem finẽ in eſculentis & poculentis, in genere veſtium, in inceſſu, in ipſa ædis clauſura, ea moderatio ab vxore ſeruanda, quæ a continentia præſcribatur, quæque eiuſdem ſit munimen, atque certa indicatio. *Elienſes* amabilioris *Veneris* ſtatuam ponentes, eam fecere teſtudinem calcare: quod nempe vxor marito fuerit dilectior, ſi domi ſe cõtineat, & a vago diſcurſu ſe coërceat. Pudica idcirco debet eſſe vxor, ſi pudicum maritũ velit, aut tali arridere cupierit. Vnde *S. Auguſtinus*, loquẽs de pijs mulieribus ſub veteri Teſtamento, hæc intulit:
Aug.l.de vid.c.7. *Sanctæ mulieres accendebantur non cupiditate concumbendi, ſed pietate pariendi, vt certiſſime credatur coitum nõ fuiſſe quæſituras, ſi proles poſſet aliter prouenire.* Hinc idem affirmat, *S. Ioannem* & *Abrahamum* quantum ad continentiã pares quodam-
Aug.de bon coni. c.21. modo fuiſſe: quod nempe virginitas, quæ *Ioanni* inerat quod ad actũ, *Abrahami* animo inſederit quo ad habitũ: id eſt quod ad animi præparationẽ, vt loquitur *S. Thom.* *Appropinquãdũ vxori*, ait
S.Thom. 2. 2. q.152.art. 3. ad 2. Ariſt. l.2 oic.c.2. *Ariſtot. cum magna temperantia atque modeſtia.* non enim modeſtiæ finẽ imponit coniugiũ, ſed eam ſuo flameo abſoluit potius, perficit, ornatque.

Et ſparſes religant crines, & vultibus addunt
Flamea, ſollicitum præuelatura pudorem.

4 Et ſane moderatus vſus thori, modeſtaque
Claud. l. 2. de Rapt. Proſ. inter coniuges conuerſatio, cauſas in ſe continent mutui amoris continuandi: quemadmodũ eis contraria illũ extenuãt, & demũ extinguũt. Laudandus itaque *Lycurgus* quantũ ad hoc: licet quod ad alia, mulierum pudicitiæ parũ proſpexerit, qui vt ſcribit *Plutarchus*, modicum, idque raptum ac ſecretum tempus indulſit congreſſui maritali, vt id officij naturæ cum quodam re-
Plut.in.Lic. ligionis timore, nedũ libidine, perageretur. Cuius rationẽ iſtis aſſignat *Plutarchus*: *Huiuſmodi vero cõgreſſio non tẽperantia modo, atque pudicitia exercitatio quædã erat, verum, & verecundos corporibus, & perpetuo quodã amore nouos recẽteſq; ad concubitum ducebat: ne ſatietate eos capi, neq; inverecundis congreſſibus a mutuo affectu refrigeſcerẽt, quin potius vt reliquias ſẽper aliquas & ſomitum cupidinis & gratiæ inuicẽ relinquere ſinebat.* Nouimus extreme ad inſaniã vſque amãtes, breui tempore libidini impenſo, nauſeam odiũque inuicem contraxiſſe,

——— Voluptates commendat rarior vſus.

Terra hæc noſtra non in ſe concipit fœtuum ſemina, aut fructus edit vi caloris ſolius in ſe complexi, ſed etiam aquæ admixtione calorẽ temperatum habens in illum naturæ finem: ita quod ad vſum matrimonij, dumtaxat ſpectandus haud eſt feruor vnius libidinis, ſed vel maxime a virtute pudicitiæ, veluti per refrigerationem, caſta quædam moderatio. Iuu. Sat. 11.

5 Sicut enim prolis parturitio & educatio, magna pars finis in matrimonio ſpectandi, ita iſtius vſus in id intendit, quod ratio conſtituit, non in quod libido inflammat. idcirco coniugibus viciſſim charũ, ſi thori conſors nullo æſtu voluptatis a decoro abripiatur: ſi illud dũtaxat expetat, quod virtus poſtularit. Cui oppoſitũ, non tam brutũ, quam vltra bruti condicionẽ plane efferatũ. bruta enim vel ſolius naturæ lege definitam ac libratam habent in ſe flammã concubitus, extra cuius terminos nihil appetunt, moliuntur nihil. quã itaque homine vel muliere indignũ, inſania voluptatis armari in mutua opprobria ac cõtumelias, vt loquitur *Tertullianus*? Ter.l.de
enimuero aliud præſagijſſe & expoſtulaſſe viſus ſacer latex baptiſmatis, cuius natiuũ frigus, Pudic.
& humor, roridam, frugiferã tamen, in initiatis requirunt puritatem, fructũque fœtus ac prolis ex matrimonio pollicentur, ominantur, non ex fœdæ voluptatis proluuie, ſed ex lege continẽtiæ. Egregiam ſane laudẽ *Sara*, *Raguelis* filiæ, de- Tob. 6.
ſcripſit Spiritus ſanctus, ita de ſe profitentis, dũ Deum alloqueretur: *Virum autẽ cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.* Angelus quoque *Raphael*, indicauit *Tobiæ* iuniori, dæmonum, magnum imperium in eos obtinere, qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum a ſe & a ſua mente excludant, eoque ritu vacant libini, quo equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Conſuluit itaque Angelus: *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, vti in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* Apoſtolus *Paulus* ita Chriſto adiunctos admonet: *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos a fornicatione.* 1. Theſ. 4.
Imo *S. Auguſtinus*, ſtatum matrimonialem, mente exacte diſcuſſum & perpenſum, Auguſt. de
mouere affirmat coniuges ad modeſtiam. *Re-* bon coni.
gulatur & quodammodo verecundius æſtuat concu- cap. 3.
piſcentia carnis, quam temperat parentalis affectus. intercedit enim quædam grauitas fœcundæ voluptatis, cum in eo ipſe, quod ſibi mulier & vir adhæreſcunt, Pater & Mater eſſe meditantur. Paſ.l.de coe
merito itaque vt tradit *Paſchaſius*, nuptijs continenti, olim Nupt. Quæ. in cap. 52.
coronabantur, quod in libidinem victores tunc Prou.
haberentur. Proli quoque plurimum commoda eſt hæc ipſa nuptialis continentia: etenim intempeſtiuus concubitus, vel etiam nimius, vt naturam debilitat, ita prolem imbecillem edit; adeoque affectum ſuum in libidinem, parentes luxuriantes effundunt in prolem:
nam vt fortes creantur fortibus, ita a luxurioſis Ariſt. lib. 2.
luxurioſi. Filij autem a parentibus libidinoſis oec. cap. 8.
propagati, vt notat *Ariſtoteles*, parentes in ſenectute contemnere ſolent, quibus tunc deberent potius ſubſidio eſſe ac iuuamini: atque iſte fru- Heſ. dies &
ctus plerumque excreſcit ex parentũ luxuria. oper.

[illegible] bellum [illegible].

6 Ad hanc itaque ciuilitatem continentiæ matrimonialis duo vel maxime, ex ſapientum inſtituto, conducunt. Primum, moderatus vſus thori dum coniuges præſentes degunt, & vna Ariſt.lib. 1. verſantur: hinc enim facilius, vt obſeruat *Ariſtoteles*, ſe in abſentia continebunt. optima autē oecon.ca.4. cauſa, ob quam hanc exerceant continentiam, 1.Cor.7. pietas eſt interdum & orandi ſtudium, vt ſuadet Apoſtolus: quo purius ac ſanctius ad Deum accedant, efficaciuſque obtineant quæ a Deo poſtulant. Alterum poſitum in fuga ocij, ac in ſedula & perpetua diſtrictione alicuius honeſtæ actionis. non ergo dedecori nobilibus fœminis cum *Lucretia* ac *Penelope* ex ſtamine fila operoſe deducere, aut manibus aliquid peragere, quo deſidiæ muſcas, inanes ſcilicet cogitationes, a mollibus ex deſidia animabus corporibuſque quantocius depellant.

Ouid.2.Faſt. *Inde cito paſſu petitur Lucretia, cuius*
Ante torum calathi, lanaque mollis erat.
Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant,
Inter quas tenui ſic ait illa ſono:
Mittenda eſt Domino, nunc, nunc, properate puellæ,
Quam primum noſtra facta lacerna manu.

Quis eſt, qui non animaduertit, plurimas dari coniugatis occaſiones exercendi caſtitatem, partim ex morbo, partim ex abſentia, propaga- Virg. 3.Æn. tas? *Transſcribunt vrbi matres.* id enim belli ratio exegit.

Ouid.l.2. Faſtor. *——— Ardea reſtat*
Improba, quæ noſtris cogit abeſſe viros.

Affirmare autem, impoſſibile eſſe in iſtis caſibus ſeruare caſtitatem, ſingularis eſt iniuria in naturam, in ſocietatem ciuilem, in gratiam Dei, ac Chriſtum Dominum. Apage tantam, tamque immanem dogmatis falſitatem. *Nunc* Auguſt lib.1 de conc.c.3. *enim*, inquit *S. Auguſtinus*, *fieri bonum poteſt, malæ concupiſcentiæ non conſentiatur. perficitur autem bonum, quando ipſa mala concupiſcentia auferetur.*

7 Illa præterea continentiæ pars, quæ viduitati conſtitutæ ac decretæ attribuitur, ciuilis omnino ac ſancta: & talis, qualis a prudente legiſlatore diligenter ſtabilitur. Imprimis hæc naturæ ipſi conſentiens videtur, a qua & ſingulare quoddā decus mutuatur, illudque in vitæ actiones trāſfundit. Etenim profeſſa ab aliquo viduitas, argumento eſt, initas quondā nuptias non ex turpi aliqua libidine, ſed ex fine honeſto ac naturæ conuenienti: iamque adeſſe animum puritati addictum, a corporea labe ac voluptate prorſus auocatum. quo alij doceri poſſint, pulcrum eſſe, vnius coniugis vſu ſatiari, & in vnius amore totos penitus conquieſcere. etenim in hoc ſtudium iudicetur vi ſua inducere coniuges affectum ipſum maritalem, quo etiam ſanctior firmiorque idem euadit. Nam ſi Baſi.hom 8 in Exam. nihil dedecoris, vt loquitur *S. Baſilius*, ſecundis nuptijs, tametſi licitis, ineſſet, nulla ſubeſſet cau- Leuit.21. ſa, ob quam lex vetus vetaret, quo minus ſacerdos viduam in vxorē duceret. Cum enim ſummus amor coniugio fideliter curando ſit neceſſarius, tum natura homines in matrimonia cum virginibus maxime incitauit: in quas amor eorundem, propter integritatem tam corporis quam animi in eis, eſt vehementior. Vt enim virgines corpore integræ, ita integrum affectū conſortibus tribuunt, nullo iure maritali vnquam diuiſum, aut alteri quandoque conceſſum: proinde in illas amor ſolet eſſe mutuo intenſior. Veteres itaque opinione amoris & fidelitatis, primis nuptijs concedendarum, ducti, viduitatem tanquam laudabile inſtitutū agnouere & coluere.

Ille meum primus, qui me ſibi iunxit amorem Virg.Æn.4
Abſtulit, ille habeat, ſecum, ſeruetque ſepulcro.

Huius rei mihi apparet indicium, quod nullus ſit coniugum, niſi grauior ratio aliqua animo eius obuerſata, in contrarium inſtiterit, modo conſortē ſingulari aliquo amore complectatur, qui non cuperet, alterius thalami fore expertē, poſteaquam fato ipſe conceſſerit: & ægre laturum, ſi illi conſtaret, ad ſecundas nuptias quādoque tranſiturum. Signū ergo eſt, valde propenſam eſſe naturam, quæ amorem coniugalē inſtituit, in votū viduitatis. Imo qui viduas ducunt in vxores, animaduertentes, eas omnem memoriā prioris coniugis expunxiſſe, ac pronas eſſe in noui thori libidinem, idem facturas iudicabunt, ipſis etiam mortuis: quæ quidem cogitatio diminuet ingentem illum amorem, qui alioqui in coniugibus deſideraretur.

8 Vt hoc veteres adſtruerent, non conceſſere ſecundis nuptijs illas cæremoniarum ſolemnitates, quibus primas celebrari mos apud eos erat, quod recolit *Lucanus* nuptias decantans *Catonis & Marciæ.*

Fœdera ſola tamen, vanaque carentia pompa Luc.lib.2.
Iura placent, ſacriſque Deos admittere teſtes.
Feſta coronato non pendent limine ſerta,
Infulaque in geminos diſcurrit candida poſtes;
Legitimaque faces, gradibuſque acclinis eburnis
Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro,
Turritaque premens frontem matrona corona
Tralata vetuit contingere limina planta.
Non timidum nupta leuiter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.
Balteus haud fluxos gemmis adſtrinxit amictus
Colla monile decens, humeriſque hærentia primit
Suppara nudatos cingunt anguſta lacertos.
Obſita funerea celatur purpura lana.
Non ſoliti luſere ſales, nec more Sabino
Excepit triſtis conuicia feſta maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui,
Iunguntur taciti, contentique auſpice Bruto.

Quamobrem apud Gentiles fœminas magnā extitit animi auerſio a ſecundis nuptijs; adeo vt teſte *S. Baſilio*, cum maritis iam mortuis ſu- Baſil. ſerm. 8. in Hexam. perſtites prius ſepeliri, ac mori voluerint, quā eas inire. De Thracibus hæc *Pomponius Mela*: Pomp.mel. l.2.c.2. *Super mortuorum virorum corpora interfici, ſimulque ſepeliri voti eximium habent. & quia plures ſimul ſinguli nuptæ ſunt, cuius id ſit decus apud iudicaturos magno certamine affectant.* De quo ritu Sen l.2.Oeta. Act.1. hæc etiam *Seneca*: *Quondam ardentibus rogis thorum miſcuerunt: quondam vicaria maritorum ſalutem anima redemerunt. quam magna gloria breui ſolicitudine penſata eſt!* In vniuerſum autem hæc Hier. ep. ad Salum. *S. Hieronymus*: *Damnat gentilis vidua omnes voluptates.*

9 Quinimo ipſe ſtatus vidualis, vt virtuti, ita & publicæ vtilitati quo ad multa officia commodus reperitur. De quo diſſerens *S. Paul.* 1.Cor.7.

ita pronunciat: *Dico autem non nuptis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* nomine vero boni id ſignificat, quod potius ac præſtantius. quibus verbis ſicut præfert virginitatem nuptijs; ita & viduitatem, ſecundis nuptijs, quam omnibus ſuadet, vt docent S. *Ambroſius*, & *Auguſtinus*: qui affirmat viduas *obtinere meliorem locum inter membra Chriſti*, ſi cum coniugibus comparentur. Cuius rei rationem aſſignat Apoſtolus. *Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* Fructus itaque proprius virginitatis & viduitatis ex ſententia Apoſtoli, ſanctitas ſpiritus & corporis. Quid vero ipſe ab omnibus cupiat, declarat: *volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe*, hoc eſt virgines, ac viduas. *Bonum eſt homini*, id eſt omnibus, *mulierem non tangere*: ſcilicet a nuptijs abſtinere. Neque hinc timendum fore vt mundus finiatur, quandoquidem, teſte S. *Auguſtino*, quid melius, ſi id fieret, ſucceſſurum: nempe citius futurum regnum Dei, pro quo vt veniat, orationem Dominicam ſæpe ingeminamus.

Ep. ad ... l. Am... of. de viduis Auguſtin. de bono viduit. lib de virg. cap. 7. de bono coniug. cap. 13.

20 Verum quidem eſt, viduitatis propoſito, ſicut & omni præclari virtuti inſitam eſſe ſpecialem quandam difficultatem, ac ideo neceſſariam eſſe eidem ſingularem quandam animi fortitudinem. qua de cauſa tam viduæ quam virgines, ſuæ caſtitatis ſymbola contemplantur in lilijs poſitis in capitellis columnarum, quæ viſebantur in templo *Salomonis*: ſcilicet in illis, quæ fulcienda columnis ac baſibus ſummæ cuiuſdam roboris, ac fortitudinis. Viduas enim exſtimulat elapſę voluptatis recordatio; quam virgines ignorant; proinde, vt loquitur S. *Gregorius Nazianſenus*; caſtitas in viduis *Laborioſa*. At inter viduas & virgines, S. *Baſilius* eleganter diſcrimen conſtituit: quod in domo Chriſti, nempe Eccleſia, viduæ ancillæ, virgines autẽ, Chriſti ſponſæ. Conueniunt vero, quod tam iſtæ quam illæ, martyrij cuiuſdam forma ac veluti rubro niteant: quarum quippe ſit acerba contentio contra voluptatem & ſenſuum quodammodo vitas, quas ipſi vehementiſſime diſcupiunt, & quas in ſe ipſum mactant, conficiuntque.

3. Reg 7.

Gregor. Naz orat. de Funer. pat. Baſil. ad Amphil.

21 Quod ſi viduarum ſtudia ac conſilia ad publicam vtilitatem referamus; ea multis nominibus eidem commoda perſpiciemus. Inprimis virgines ac nuptæ conijcientes oculos in mores viduarum, in inſtituto caſtitatis plurimũ confirmantur. atque vtræque non multum faciendas indicabunt thori voluptates; cũ viderint viduas eis vltro nuncium iam remiſiſſe: pariter intelligent, ad exemplar viduarum ab ipſis puritatem certo gradu comparandam ac muniendam, qua Deo placeant: nec homines natos vt libidinentur ferarum ritu, vel ſeſe mutuo actionis turpitudine commaculent. Deinde vt virginitas merito ab antiquis *Aëris* appellata, ſic eodem nomine vocanda viduitas. Virginitas ideo aëris, quod vires habeat recollectas tam animæ quàm corporis: quod exterius nõ nocetur; nec diuiſa ſit, vt loquitur S. *Paulus*, quemadmodũ coniuges vitæ genere diuiſi. hæc vero in Viduitate reperiuntur, cuius neruos nõ frangit aut debilitat voluptas, ſeu priuati negocij cupiditas, ſed excitata eſt ac integra, totaque defixa in id, quod apud ſe peragẽdũ vidua conſtituerit. Vtilia itaque viduarum ſtudia, ſi aliorum emolumentis, & in alios charitati applicentur. Quod ſi ex præcedenti coniugio ſuſcepta fuerit proles, eidem proli valde pariter expediens parentũ viduitas, vt tam ratione, quã experientia conſtat. quid enim ſæuius odio nouercali, aut quid illo frequentius in nouercis? ac plerumque mariti, qui iterata vice poſt prolem ſuſceptam vxores ducunt, vt oſtendant ac probent, ſe illas plurimum diligere, eam prolem ideo contemnũt ac negligunt, vt præſens vxor inde intelligat, ſe a marito adamari, imo feruentius, quam prima adamata fuerat.

1 Cor. 7.

12 Quantum autem ad priuatam animi perfectionem, ſatis manifeſtũ, viduitatem in illam plurimum conferre vtilitatis. Soluta enim vidua mariti imperio, ad idæã virginis paratior redditur ad Deo ſeruiendũ, omneque genus virtutis ſtudioſius exercendũ. Hinc S. *Baſilius* viduam comparat turturi gementi, & alium conſortem nitide caſteque refugiẽti. S. *Ignatius* virgines appellat *Sacerdotes Chriſti*, viduas *Altaria Chriſti*. *Quæ autem vere vidua*, ait Apoſtolus, *& deſolata, ſperet in Deum, & obſecrationibus nocte ac die.* Turtur deſolata, a turbis nempe ſecreta vidua, hos gemitus pietatis edit. *Audiant ipſa mulieres*, ait S. *Baſilius*, *vt etiam apud animalia ratione non prædita, vidualis honeſtas indecoro iterati connubij anteponatur.* Quæ perfectionũ illuſtres notæ, conſpicuæ fuere in S. *Melania*, in *Euſtochio*, viduis & alijs; quas ſancti Patres miris encomijs celebrarunt. Imo naturæ luce id peragente, apud gentiles quoque vtcũque viguit cultus Deo conſecratæ viduitatis, vt teſtatũ nobis reliquit *Tertul.* Romæ, Pont. Max. qui *Flaminicam* veſtalẽ in vxorẽ duxerat, ſic cõnubij iura cũ coniuge ſeruabant ex præſcripto legis, vt neutri licitũ a funere alterutrius coniugis, denuo matrimonium inire. Nouerant quippe vel Romani, religionis ſanctimoniam, terminus conſtituere debere libidini, adeoque in eiuſdem myſtis ſpeciem aliquam ad gradum caſtitatis requirere. Tametſi enim ex naturæ inſtituto honeſtus thori vſus ad generandũ prolem, nihillominus ob naturæ in nobis vitiatæ quandã inſaniam, haud admittitur abſque quodam opprobrio; & paſſionis intemperie, rationis dignitas nõ minus decernitur. idcirco non mirum, ſi prudentes ciues vbique ferme legibus continentiæ ea incommoda, vt potuerunt, caſtigauerint, prohibuerintque.

Baſil Homil. 8. in Epexam.

1. Tim. 5.

Ignat. ep. ad Heron.

Tertull. lib. de Reſur. & de monogã.

CAPVT XXXII.

Quis veſtitum vſus, & quæ earundem ſignificationes.

QVoniã in vſu veſtitũ plerumque quæri ac ſpectari ſolet lenociniũ ſenſuũ, ac blandimentũ voluptatis, præter earundẽ neceſſitatem, idcirco et temperantia, quæ motus

motus appetitus concupiſcibilis moderatur, ſit ſuo officio plena & abſoluta; de illo aliquid conſtruere debet. Et quamadmodum duplex eſt iſtius appetitus obiectum, honor ſcilicet ex poteſtate, iuxta ac craſſior voluptas; operationes ſenſuum internorum & externorum conſectans, inde in veſtiũ delectu ſæpiſſimè capiunt homines duplicē voluptatē, vnã quę ſit in poteſtatis honorificæ oſtentatione, alteram, quæ ſit concretioris alicuius libidinis perceptio: qua illi prorſus delinti iudicio ſaluatoris, qui mollibus veſtiuntur, & in aulis regum demorantur. Virtus autem temperantiæ tunc directius hac in re rectitudinem defiget, cum prius rationi conſtiterit, quæ in veſtibus ſpectanda tanquam illectamenta appetitus concupiſcibilis, quibus aliquando incitatus, a mediocritate ac virtute recedere ſolet.

Luc. 7.

2. Duo inprimis in veſtitu conſideranda, primum, eius neceſſitas, à natura ipſa inuenta: vtpote quod inſeruiat arcendo frigori, & tegendæ naturæ violatæ turpitudini. alterum eius deſiderata proprietas. qui quidem delectus itidem triplex, vel enim decernitur vt commodius naturæ poſtulatui ſuccurratur: vtpote quando Boreales in panni vſum ac pellium:

(*Qui modo pelliferas fudit Mæotidas armis:*)

Ouid. ep. Demoph.

Auſtrales in ſeti ac tenuioris materiæ apparatum: in medio ſitu verſati, in quid mixtum ex vtriſque conſentiunt, dum veſtes ſibi adſumunt (reſpiciunt enim hi omnes in iſtius delectu, quod naturæ conuenientius, licet id varietate multiplex) aut ſuſcipitur ex fine ſignificãdi aliquid, vtpote animæ motum, ſtatum perſonæ ſacrum vel profanum; nobilem aut ignobilem, diuitem vel mediocrem, virgineam ſeu matrimonio affectum: vel denique delectus fit, vt peculiari aliqua veſtiũ qualitate, velut i earum ſplendore aut colore, ſenſibus expetita adferatur aliqua iucunditas. De quibus ſeorſim nonnulla diſſerenda.

3. Quantum ad prius, ſunt qui tam quorumdam populorum praxim, quam & Philoſophiam ipſam, veſtium neceſſitati, ſanitatis vel tuendæ cauſa inſtitutæ aut decoris, opponunt, ac dicunt cum Stoicis, varias gentes, præſertim ſub Tropicis & æquatore habitantes, ſine omni veſtimento ſatis commodè degere. quem morem nuditatis *Herodianus* etiam Britãnis attribuit. addunt porro, hac in re naturam humani corporis haud mancam reperiri: nam cũ ex vſu aliqua eius pars, nempe vultus, ſine indumento aëris inclementiæ reſiſtat, ſciſcitantur proinde, cur non & reliquæ ſeipſis ſatis contra eandem munitiæ eſſe poterunt, ſi modo vtrobique paris vſus acceſſerit? Verũ tegumentũ aliquod contra ſenſum turpitudinis ex nuditate, videntur omnes ferme affirmare requiri, quãdoquidē peccatum partes aliquas corporis modo pudendas reddiderit, quæ ante peccatum potius decoræ & honeſtæ videbantur, vt diſſerit S. *Auguſtinus*. nulluſque modo ſit vel comœdorum, teſte *Cicerone*, aut ſana mente, qui eò impudentiæ deuenerit, vt ſe omnino nudum ſpectari libenter voluerit; idcirco ad exemplar *Adami*, à ſuo crimine ſeſe folijs fici cooperientis, quo ad

Herodian. in Seuer.

Auguſt. lib. 14. ciu. cap. 15. Cicer. lib. 1. off. Chriſoſt. hom. 29. in 9. cap. Gen. 28. in cap. 11. ad Heb. Gen. 3.

hoc officium, fatentur ferè omnes, prouide naturam vſum veſtiũ inueniſſe. Cui iſti, a natura ipſa inſtituto, auctoritatem adduxere aliquoties a Deo patrata miracula. Hinc vt canit *S. Paulinus*, cum a Dæmone obſeſſi, ad reliquias *S. Martyris Felicis* Nolæ eſſent adducti, ibi nefarij ſpiritus impetu, pedes cuiuſdam ex illis, inferius capite depreſſo, in ſublimi ſuſpendebantur. nihilominus ob reuerentiam, Sancti relliquijs exhibendam, effecit diuina virtus, vt veſtes illius elatis etiam tibijs adhærerent rigidiſſime:

Veſtibus vt rigidis, aut ad veſtigia ſutis,
Corporis omne ſacrum caſto velatur operto.

Paulin. in Natal. 3.

Simile quid, a ſe viſum ſcribit *Briſtoius* Gentilis meus. *Quod ipſum & ego inter alios plurimos ſæpiſſime vidi in puella dæmoniaca fieri Cameraci; quæ licet inter exorcizandum frequentiſſime, violentiſſime & velociſſime de genibus retorqueretur in dorſum, ſic tamen ſemper veſtes eius honeſte manſerunt, quaſi vt ait Paulinus, vel rigidæ, vel pedibus aſſutæ fuiſſet.* Vnde ob reuerentiam Angelis præſtandam, mãdat Apoſtolus *Paulus*, fœminas velatas capita, in Eccleſias ingredi.

Briſt. mon. Tom. 2. moi tin. 18.

1. Cor. 11.

4. Secundo in loco materias ſimul ac formas veſtium varietate ſubire oportere, iuxta diſcrimina aëris, & cœli, congruę omnes affirmant. Hinc olim Romani dicti pannoſi: orientales, vtpote Aſiani, Bombycini, precioſorum lapidũ fulgoribus ſplendidi. Pelliti Septentrionales, vndique vſque ad aures & oculos pellibus contecti: quibus manicæ deductæ vel ad extrema digitorum. miratus tamen ſum dum legerem *Ammianum Marcellinum*, ab eo videlicet deſcribi vel extremos Boreales & Scythas ſeminudos. Cæterum vt ſe contra frigus fortius exercerent, exiſtimo id in more eos habuiſſe, licet ratio cœli & communis victus, longe diuerſum ritum ab ipſis poſtulauerint:

Herodian. in Heliogab.

Perſicos odi puer apparatus.

Hora. lib. 1. carm. ep. 38

5. Quod autem veſtes, qua ipſarum formis, qua colorum in eis ſpeciebus, latens aliquid, vtpote conditionem vitæ, animi affectionem &c. donec repræſentent, omnino perſpicuum, imo maiori quadam naturæ determinatione hoc efficiunt, quam voces, quarum omnis ſignificatio ex placito dumtaxat imponentium, & vulgari acceptatione deriuatur; cum veſtes videantur aliquid ſignificare ex ſeipſis, conſpirante in id omnium hominum communi imaginatione. Hinc ſapiens: *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis, enunciant de illo.* Omitto, quod veſtium ſignificationes ſint conſtantiores ac diuturniores eis, quæ ſunt vocum. Nulla autem fuit gens, quæ nõ vſurpauit veſtium mutationē, quæ fortunæ ac animi ſtatus diuerſos teſtarentur: ideoque veſtes lugubres ac lœtas adhibuerepaſſim tam ſacri homines, quam prophani. *Manlio* Damnato, *ſordidatum reum viderunt*, vt ſcribit *Liuius*. itidem *Cicerone* ad necem publica ſententia poſtulato, *Populus Romanus veſtem mutauit*: quibus etiam mos erat capillos detondere, vt *Plinius* iunior refert. Repræſentatio hæc per veſtes, vt à naturæ ingenio oritur, ita ab eiuſdem varietate deſcendit omnis, quam videmus, repræſentationis talis in hominibus diuerſitas.

Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 10.

Eccleſ. 19. Cicer. lib. 1. off.

Liu. Dec. 1. l. 6. Plin. lib. epiſt. ep. 12.

Gallorum ritus iſtis *Virgilius* deſcripſit:

Virg Æne.8

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur: duo cuique alpina coruſcant
Gæſa manu, ſcutis protecti corpora longis.

6. In vniuerſum autem quadruplex veſtium ſignificatio. *Diuina, Rationalis, Concupiſcibilis,* & *Iraſcibilis.* diuina illa dicitur, quæ a Deo intenta, & ratione veſtium ab eodem inſtituta, vel ab homine excogitata in ſacrum aliquem finem colendi diuinitatem. nulla quidem extitit vnquam relligio, quæ non certo decretoque habitu veſtium diuinum aliquid exprimere ſtatuit: vtpote ſtola, mitra, cidari, podere, vitta, flammeo, ac ſimilibus.

Ouid. lib. 2. Faſtor. Ouid. Eleg. ad Iſid.

Nullaque dicetur vittas temerare ſacerdos.
Ipſe ego thura dabo fumoſis candidus aris
More patrum ſancta velata veſtibus albis.

Plin lib. 19. ep. 44. Prudent. lib. 2. cont. Sym. Tertull. De hab. mul. lib. Ciprian de veland. virgin. Liu. Dec. 4 lib. 1. Exod. 28. Phil de veſt. Sacerdot. Hieron. ex. ad Fab. Ambroſ. ad. uerſ. Sym. epiſt. 12. Auguſtio. epiſt. 179. Hieron. epiſt. 23. Prudent. lib. 2. cont. Sym. Tertull lib. de Reſur. Venant. Fortun.

de Attalo Athenas ingreſſuro, ſcribit *Liuius*: *Illũ ſacerdotes cum inſignibus ſuis, ac Dij prope ipſi ſedibus ſuis exceperũt.* Qua in re celebris ac verus apparatus veſtiũ ſacrarũ ex Dei lege effloruit apud Iudæos cuius ſententias *Philo, Tertullianus, S. Hieronymus,* & alij ſunt proſequuti. eiuſdem vi ad nos quoque deuenit ſtatuta quædam forma veſtium ad ſacras perſonas attinentium, ac inter reliqua, ſatis illuſtre ſemper fuit velamen ſacrarum virginum. *Non vitta,* ait *S. Ambroſius, capiti decus, ſed ignobile velamen vſu nobile caſtitatis: non exquiſita ſed abdicata lenocinia pulcritudinis. Vili tunica,* inquit *S. Hieronymus, induitur, viliori tegitur pallio.*

Sunt & virginibus pulcherrima præmia veſtris,
Et pudor, & ſancto tectus velamine vultus.

Ad hoc quidem genus ſacrum refertur baptiſatorum veſtis alba de more Eccleſiæ Catholicæ, cuius meminit *Tertullianus*: ſiue ea adhibita fuerit ad animi a lotione puritatem indicandum, ſiue ad ſignificandum expiatorum manumiſſionem, ſeu liberationem a poteſtate Diaboli.

Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niueo gaudia paſtor habet.

Rationalis veſtitus ille nuncupatur, qui ad conditionem perſonæ factus, animum virilem ac magnanimum ex præſcripto rationis refert: nullo pacto abductum a grauitate & ad ſtatum perſonæ, proportione: neu quicquid leuitatis aut vanitatis oſtendit, ſed potius qui certã perſonæ qualitatem abſque defectu aut exceſſu, ob oculos aliorum apte proponit, ac illi exacte cõgruit. qualis apparuiſſe viſus in virginum pectoralibus, in peplis ac flameis earum, pudoris cauſa vſurpatis, vt obſeruat *Clemens Alexandrinus* ex *Homero*: qui etiam animaduertit, *Creuſam* vxorem *Æneæ*, dum vel fugeret cito pede flammas Troianas, velamine tamen caput accurate tectam euolaſſe. Prodit quoque *Valerius Maximus, Sulpitium Gallum* vxorem ideo repudiaſſe; quod aperto capite foras verſaretur. idem de fœminis Arabicis ſcribunt *Apuleius* & *Tertullianus*. Retulit mihi quidam Neapolitanus, adeo religioſum vigere in regno Neapolitano ritum hunc, vt ſi vel per ludibrium alicuius viri aut vim, virgini detractum fuerit capitis velamen, eam vix maritum aliquem deinceps inuenturam. Egregiè ſanè ac prudenter de veſtitu muliebri rationem conſtituit *Ariſtoteles*: *Sumptu, & veſtitu, & apparatu minori etiam vtatur, quam leges permiſerint ciuitatis: conſiderans, quod nec veſtimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris laudem, quantum modeſtia in rebus, ac ſtudium honeſte decenterque viuendi: etenim omnis huiuſmodi ornatus animi expetibilis eſt, multoque firmior ad ſenectutem vſque veras laudes ſibi natiſque afferens.* atque ex contrarijs horum, quæ veſtium ſignificatio ſit minus rationalis dignoſci poterit. Barbarus idcirco Hunnorum mos, de quo hæc *Marcellinus*: *Non ante deponunt, aut mutant veſtem, quã diuturna carie in pannulos defluxit defruſtata.* In altero autem extremo *Nero* ac nimius plane cenſeatur, qui, ut ſcribit *Suetonius*, *Nunquam eandem veſtem bis induit.*

Clem. Alex. lib 3. Pædag. Valer. lib. 6. cap. 3. Apul. lib. 11 de Aſin. aur. Tertull. de veland. virgin. cap. 17. Ariſt. lib. 2. oecon. cap. 1. Marcellin. lib. 30. chro. Sueton. in Nero.

7. A ratione itaque veſtibus conſtituendus modus, vt eo conſtet, ipſum, qui veſtitur, ratione duci, & ex ea decorum ſeruare, ſpectare, idque de more patriæ; licet in hac re diuerſa ſigna ac propemodum contraria, ipſa natio incolarum propria inſtituerit.

Lucan. lib. 3.

Tam varia cultu gentes, tam diſſona vulgi
Ora. idcirco a ratione alienum, quod in hac re peregrinum, quod nouum, ac a reliquis diſſentiens. Vult itaque ratio, vt principum veſtes maieſtatem quandam indicent: vt literatorum grauitatem repræſentent, vt militum, a luxu alienatos animos oſtendant ac probent.

Iuuenal lib. 2. Satyr. 6.

——— *vellere Tuſco*
Vexata duraque manus.

Nobilium certæ ſunt notæ veſtiariæ, quibus proditur eorum nobilitas. inde Athenienſes aureas cicadas, in teſtimonium nobilitatis, veſtibus affigebant, vt *Alciatus* narrat: *Arabes* & *Aſſirij* longa ſtola in eundem finem vtebantur: & Romani, vt nobiles apparerent, purpura, tunicis laticlauis induebantur, etiam nigris calceis lunulas argenteas imprimebant. Decet itaque, & rationi omnino congruũ, vnumquemque id veſtibus alijs de ſe profiteri, quod verum, quod decorum, & perſonæ quam ſuſtinet, accommodatum. Laudatur idcirco merito *Alexander Seuerus* a *Lampridio*, qui noluit videre ſeruos ſine veſte ſeruili, nec liberos abſque veſtibus ingenuorum proprijs. Auctore *Gellio*, dedecus fuit Senatori, Romæ ſoleatum incedere, hoc eſt calceatum, ſolũ ſub inferiori planta, ad ritum *Floræ* & meretricum Romæ, ſuperiori pedis parte nuda.

Alciat. emblem. de cicada. Lamprid. in Alex. Gell. lib. 13. cap. 20. Hortus vatican. Ouid. 2. Triſt. eleg. 1.

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

Conuiuæ ac nuptialibus teſtis præſentes, olim ſenatorias veſtes adhibebant nuptijs peculiares vt recolit *Baronius*. Olim teſte *Tertulliano*, alba veſtis ſignum erat adeptæ libertatis. *Si famulum tuum libertate mutaueris, & veſtis albæ nitore, & annuli aurei honore, & patroni nomine a tribu, menſaque honoratur.* Quorum omnium ſumma eſt, illum veſtitum rationalem eſſe, qui rationem declarat ac iudiciũ, a quibus proficiſcatur: contra iſtius repugnantem, quippe nõ a ratione, ſed ab appetitu ſenſitiuo decretam, irrationalem, vt pote genuinum indicium deficientis in aliquo

Baron. Tom. 2. An. chro. 34. Tertull. lib. de reſur.

rationis,

rationis, iure appellare poſſumus.

8. Primam formam in hoc genere appetitus ſenſitiui, diximus reperiri in eis ſignificationibus, quæ ab appetitu concupiſcibili conſtruuntur: ac non ſolum indicia ſunt affectionis alicuius libidinoſæ, verum etiam eiuſdem plerũque incentiua quædam, ſimul ac illectamenta. Huius condicionis indumenta, quæ nuditatem corporis non tam tegunt, quam tenuitate ſua vix diſſimulant: aut eam omnium oculis peruiam apertamque relinquunt. Cuius rei conſideratio effecit, vt orientales longioribus veſtibus vterẽtur, ne corporis natiuæ partes expreſſius, ſeſe per veſtes oſtenderent. Eiuſdem cura tenuit quoque Romanos, quorũ veſtis laticlauus *πλατύσημος*

Suid. verbo: *πλατύσημος*

nempe in latum prætexta, vt notat *Strabo*. cuius inuentionem idem attribuit *Balearibus*.

Strab. l. 3.

Hi primi hominum feruntur geſtaſſe tunicas late prætextas. Scribit vero *Liuius*, Romanos ab Hetruſcis aut Gabinis huiuſmodi habitum mutuatos:

Liu Dec. 1. lib. 1.

Vnde ſella curulis, vnde toga prætexta ſumpta eſt. ob hanc cauſam veſtes breuiores, impudicarum mulierum, vt ſcribit *Clemens Alexandrinus*, habitæ notæ: quales veſtes erant fœminarum Corinthiarum, Veneris religionibus addictiſſimarum, & luxuriæ grauiter operam impendentium. Huc etiam ſpectant colorum varietates, & vniuerſus fermè mundus muliebris: præſertim ſi ad virorum vſus transferantur: de quibus *Seneca*:

Clem Alex l. 2. Pæd. cap 10

Sen. de conſ cap. 11.

Muliebres mundicias anteceſſimus colores meretricios, matronis non induendos, viri ſumimus.

Tandem progreditur magna ſtipante caterua,
Sidoniam pictæ chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Virgil lib. 4 Æneid.

Eidem libidini velificata etiam ſuo ornatu *Cleopatra, Cæſarem* hoſpitio funeſto excipiens,

Vultus adeſt precibus, facieſque inceſta perorat.
Candida Sidonio perlucent pectora filo.
Quod Niloti acus compreſſum pectine Serum
Soluit, & extenſo laxauit ſtamina velo.

Lucan. li. 10

Huiuſmodi exiſtunt hæ derm libidinum, ac perpetuo ſedem indicant, in qua petulantia moratur. *Lex fuit Athenis*, ait *Suidas*, *vt meretrices veſtes ferrent floridas: id eſt, vt opinor, varias, aut ornatas, & nitidas*. S. *Chryſoſtomus* ſcenicis & inhoneſtis mulieribus auream veſtem aſſignat: ſimulque veſtes candidatas appellat *Eneruatorum, & mollium proprias*. Exemplar infamis ac libidinoſi veſtitus in impuriſſimo *Heliagabalo* conſpicuum. In quo forma & habitus, vt narrat *Herodianus*, medius inter *Phæniſſam* ſacrã, & mollem amictum *Medorum*. *Aſpernabatur quippe Romanam, & Græcanicam veſtem, vtpote ex lana, hoc eſt re viliſſima confectam*. Cui conſentit *Ælius Lampridius*. *Vſus eſt aurea tunica, vſus eſt & purpurea, vſus eſt cum gemmis Perſica, cum grauari ſe diceret onere voluptatis. Habebat etiam in calceamentis gemmas, & quidem ſculptas, quod riſum omnibus mouit, quaſi poſſint ſculptura nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.*

Suid in ver.

Chryſ. hom 31. in ca. 11. ad Hebr.

Herod. in Heliogab.

Lamp. in heliogab. Alex l. Gen. die.

9. Cæterum, quod humana concupiſcentia non ſolum libidines ac luxus appetat, ſed alia inſuper iucunda bona, vtpote ſanguinis dignitatem, pecuniarũ copiam, auctoritatem ac poteſtatem, idcirco ingenium eſt eiuſdem concupiſcentiæ, inter alia ſtudia, etiam ſatagere, vt veſtes, qua materia ſua precioſa, qua ornatu & artificio elegantiori, dent certas ſignificationes harum rerum, quibus, vt ſummatim dicam, eis induti, reliquas prælucere æſtimentur. Inprimis iuuenibus præſertim, adeſt ingens cupido ſignificandi per veſtes, quam intus magnis, ardentibuſque præditi ſint ſpiritibus: quorũ vix capacia eſſe ipſorũ corpora eodem declaratur. hinc plumæ ac criſtæ in immenſum vndique extuberãt: quo appareat, in eis ſpiritus in altitudinẽ omnis audaciæ ac tumoris excreuiſſe, ad ſtellas vſque ferme perueniſſe. quæ ſi ipſorum craniis, natiuis radicibus inhærerent, nihil tale credo, ſed anſerinum quid potius præ ſe ferrent: at galeris ſemel infixæ, illico viua cenſentur ab eis indicia magnaminitatis. Deinde, vt communi naturæ ſorti exempti aliqui habeantur, & quaſi ex alia materia fabrefacti propter ſtemmatis nobilitatem, nihil vulgare volunt in veſtibus, ſed omnia ſibi peculiaria, colore ac luce pariter cuncta ſcintillantia ac flammantia eſſe cupiunt. Imo hinc ſignificationem etiam dare volunt illius appetitus, quo vehementer optant ab alijs ſe timeri, honorari & illis magno interuallo, vtpote eorum reſpectu mancipijs, præferri. quibus ſimulacris veſtiarijs faſtus & crudelitatis, haud pauci plurimum ſolent delectari. Hoc ipſum inter alios viſus *Herodes* affectaſſe, qui *Statuto die veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur*. In quam claſſem arrogantiæ loquentis, teſte *Clemente Alexandrino*, & *Aurelio Prudentio*, a priſcis Chriſti cultoribus referebantur gentium ſirmata, caudatæ ſcilicet veſtes, ſeu per pulueres deductæ.

Act. 12.

Clem Alex l 2. Pæd.

Prud. lib. 2. con. Symm.

Plenus maris rubri ſpolijs, colloque comiſque
Diuitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.

Luc. lib. 10.

10. Poſtremo in loco retulimus veſtibus ineſſe ſignificationem affectuum in homine iraſcibilium, quorum notas Cato inter alios in ſe exprimere rigide, horrideque ſuo more inſtituit.

Ille nec horrificam ſancto dimouit ab ore
Cæſariem, duroue admiſit gaudia vultu.
Vt primum tolli feralia viderat arma,
Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mæſtamque genis increſcere barbam.
——————— pretioſaque veſtu
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam.

Luca. lib. 2

Ob hanc cauſam militiæ addicti, & in omnem violentiam cædium ac perpeſſionum proni, ſui ingenij acerbitatem ac truculentiam ſpectabilem reddunt peculiari quodam veſtimenti genere: de quo Poeta:

——————— clypeoque inſigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus hydram,
Ipſe pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum ſeta, cum dentibus albis
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Virgi. lib. 7. Æneid.

Atque de ipſo *Hercule* hæc *Lucanus*:

Ille Cleonæi proiecit terga leonis.
Antæus Libyci. ———————

Lucan. li. 4.

Notum inquit *Liuius*, *Romanis apparatus inſigne armorũ fuerat: doctique a Ducibus erant, horridũ militem eſſe debere, non cælatum auro, argentoue, ſed ferro,*

Liu. Dec. 1. lib. 9.

&

na efferre incipiunt: ciuibus quaſi a vitijs proſtratis ac deuictis, tunc dominium ſuum veſtium inſana laſciuia aut ira ſenſus in corporibus oſtendunt. Ex quo emergit, barbarum iudicari, ciuem ſeſe veſtire hoc ritu ad præſcriptum appetitus ſenſitiui: indecorum & illaudabile prorſus, tale quid actione præſtare. verũ demens omnino idem inſtitutum; ſumptus ſcilicet reipublicæ commodis & vſibus ſubductos, conferre ad comparandum hanc ipſam ignominiæ notam, ad inducendum damnum hoc teterrimum, quo nempe ſtulti, laſciui, furioſi ciues euadant, ac tales ab omnibus inſpectoribus, etiã dedita ipſorũ opera, æſtimentur.

2 Nemo fere hominum eſt, qui non ægro animo laturus, ſi verbis aut ſignis in publico ab alijs laſciuiæ, acerbitatiſue inſimularetur: eoque merito exiſtimaret graue quoddam dedecus ſibi inuri. Verumenimuero damnum atrocius, adeoque ab omni mente alienius facinus, veſtium vſurpato genere quempiam ſponte turpia ac deformia de ſeipſo profiteri & alijs enunciare, quæque a naturæ ſuæ dignitate & optabili præſtantia maxime exiſtunt diſſidentia. Inciuiles idcirco, ac in ſeipſos immanes, omnes etiam verecundiæ limites excedentes, qui veſtiũ ſuarum tropis palam dicunt, ſe libidinũ flammis intus ardere, ſe earum fæcibus contaminati, ſe crudeles & immites animos geſtare, totoſque in tranſuerſa iam actos omnium criminum ac flagitiorũ. Eam corporis humani rationẽ habuit vel ipſa natura, teſte *Cicer.* quod &
Cic. li. 1 off. Apoſtolus diſerte affirmat: vti illius abditas eas partes eſſe iuſſit, quæ aſpectũ habituræ turpem vel deformem: imo vt ait Apoſtolus, in eundem finem eas celandi, maiori honore circumdatas
1. Cor. 12. & ornatiores eſſe voluit. Præpoſterum idcirco, non corporis modo, ſed animi opprobria veſtiũ genere alijs propalare, & euoluṫe omnia eius vel ſecreta vituperia publicitus ſignificare. Hi ſane dũ ſeſe oppido amare & alijs commendare videri volunt, hoſtiles manus interim in ſeipſos conuertunt: & quod odij extremi proprium, id contra ſe, contra nomina, omnẽ ſuam gloriam violando & extinguendo, directo opere immaniter exequuntur: quaſi aliorũ inuidentiæ aut curioſitates ſatis vitiũ non haberent in ciuitate ad hæc præſtandum, niſi eis noſtra contentio ac propoſitum nobiſipſis nocendi acceſſerint.

3 Imo huiuſmodi conatus, furiali quid in ſe continent, & vel Stygis incolarum ingenijs proinde adfinis merito exiſtimandus. quod enim hi ſpiritus nefarij ſenſibus ſint deprauatis, & ad aliorũ dedecora procuranda incitatis, plerumque exteriam ſpeciem, qua mortalibus appareant, horrendã aſſumunt: ideoque antiquitas eis ſpecies illas affinxit, quæ prodigioſæ, quæque inſitam innatamque ipſorum nequitiam ac deformitates appoſite intuentibus in eos, horrendum in modum indicaret.

Claud. lib. 1 in Ruf. *Illa vbi cæruleo veſtes connexuit angue,*
Nodauitque adamante comas: Phlegethonta ſonorum
Poſcit, & ambuſto flagrantis ab aggere ripæ
Ingentem piceo ſuccendit gurgite pinum.

Furiæ ſane & Erynnes in ciuitate habendi, qui blandientibus veſtium fulgoribus, ſeu inde explicatæ laſciuiæ ſignificatione ac venditatione, alios ad impuritatem libidinis illiciunt: & quos caſtos inuenerint, eoſdem ſuis ignibus tãquam *Deianira, Herculem* deuaſtant ac funeſtant. Pudeat nos iſtius muneris peſſimi: horrere faciat nos ea cogitatio, qua nobiſcum reputamus, futurum, vt noſtro veſtitu, tanquam Dæmonis rete, plurimi capiantur, ſimul ac ex eo in tartara ad ſempiternas pœnas illic perſoluẽdas deuoluentur. Non hic loquor de iniurijs, de violentijs, de inſidiis vel fraudibus, quibus in aliorum perniciem inſtructis, dici ſolet, hominem homini lupum aut dæmonem eſſe: deterius ſane, atque multo crudelius, quod homines ac mulieres ſuarũ veſtium apparatu inuicem machinantur, dum illa, nunquam deſitura mala, tam aliorum animabus quam corporibus impijſſime eodem infligunt. Enimuero cum boni ciuis officium fuerit, dum ædes incendio deflagrant, illico occurrere, quo flammas extinguat: tum facinus ſcelere plenum, communis noxiæ originalis ardoribus in omnes ciues modo graſſantibus, tam longe abeſſe ab ea charitate, vt eos ſuo opere reprimant cões ac ſedent, quinimo potius illis alios ardores accumulare, & hoc pacto concines feralius tanquam *Hercules* Senec. Her.
Œtæos conſumere. Oet.

4. Luxurioſa porro veſtium pompa vel quo ad ciuilem quietẽ ac pacem inter ciues omnino vituperabilis. Fieri neutiquã poterit vt ij leniter ac moderate viuant in ciuitate, qui iſtis caloribus, quos ſuis veſtibus præ ſe ferunt, exagitãtur: qui immenſa cupiditate fruendi voluptate inter ſe tumultuantur, qui hos in zelotypiam conijciunt, illos ad libidinem incendunt, alios ad ſe a fidelitate præſtita, amorum continentia, attrahere adlaborant. Nemo certe infamẽ illum *Martem*, in luſtris verſatum, diuellere poterit ab inceſta, forenſi ac graſſatoria *Venere* in vulgarium oculis nitente ac ſcintillante. Quemadmodum enim inter ſe raro conueniunt piratæ, qui eoſdem maris tractus infeſtant, ita haud minus pacifice inter ſe vitã inſtituent, qui indiſcriminatim veſtium impudentia ſtupris & adulterijs veliticantur. Maritus acerbo animo oculos defiget in vxoris veſtes, luxuriæ penitus addictas: Paterfamilias ægre feret, liberos vela ſuorum veſtium ad capiendam auram libidinũ ſolertius expandere. Et quis in ciue non deſiderabit ciuem, qui veſtium qualitate in vniuerſũ adulteratos ciues perſpexerit?

In ore Graio Scythicus apparet rigor: Sen. Hipol.

Cumque ciues mutuo in inuicem ex veſtiũ luxu commotis ſint animis, ſimulque mollibus ac diſſolutis, facile externis gentibus contemptui erunt. quid enim magni aut martij, quid prudentis, expectandũ ab illo populo, quem veſtiũ luxurioſa pompa iam emaſculauit, dementauit? potius ad exemplum Aſiæ, cuius certe ornatus laſciuus, ad ſibi inferendũ ruinam peregrinos prolicient, quorum & armis breui concident, poſteaquam eorundem iudicijs, ob veſtium impudentiam, damnari fuerint.

5. Fine etiam ipſo plerumque deſtituuntur hi compti, quẽ ſibi tam ſeduſo ex ornatu præſtituunt: tantum enim abſunt, vt hinc honores

Eadem ratio habenda eſt veſtitus: in quo, ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt. Verum quod ex veſtibus exurgat paſſim vituperabilis quædam oſtentatio affectatæ dignitatis, de illa ſeorſim diſſerendum.

CAPVT XXXIV.

De ambitioſa veſtium repræſentatione.

DVo præcipue ſibi proponunt, vti diximus, qui ſe veſtium ſplendore nimium conſpicuos eſſe auidius appetunt: voluptatem nempe, popularemque faſtum & gloriam: quorum characteres deſcribi volunt in ipſo externo corporis habitu, quo in illum finem abutuntur. Enimuero extrinſecos aduenienſ emolumentum præſtolantur, qui in hoc genere inſaniunt, non id, quod a natiuis ipſorum vitibus aut virtutibus deriuetur. ob quam Clem. Alex. Li. Pæd. cauſam, vt notat *Clemens Alexandrinus*, qui ex veſtitu gloriantur, extra ſeipſos ſpatiantur quodammodo, fora, templa, theatra & publica loca adeunt, in quibus ſe ſpectari & in admiratione eſſe, egregium plane ducunt & arbitrantur. De voluptate, quam iſti venantur, modo diſcuſſum, reliquum, eodem ortos tumores in animis ipſorum iam explicemus.

2 Imprimis ſignificare cupiunt, qui ex veſtitu arrogantes comparent, ſpirituum vitalium in ipſis quandam amplitudinem: deinde, poteſtatem, qua ſe alijs eminere ſuadere moliuntur. etenim pro ratione ſpirituum ac feruoris in ſanguine, inceſſus, ſermonis, geſticulationis, aſpectus, ac veſtitus rationes exprimuntur. non tamen horum ſpirituum alijs inferenda ſola notitia, definitor in ipſis iſthæc contentio, ſed vltra eis inſtitutum, vt ſpectatores ex ſpirituum exaggeratione ac bullis intelligant, non niſi ingentes conceptus mentis, appetitioneſque grandes voluntatis in ipſis deliteſcere. quod cum ſe præſtitiſſe autumant, tunc mirum in modum lætitia, vtpote potitis iam ipſorum votis, efferri ſolent. Certum omnino, maieſtatē animi, & auguſtā quandā vim illius, ſpecie veſtium, vtpote apud Romanos, toga, tunica prætexta, picta, palmata, quæ honoris Liu. Dec. 3. lib. 10. inſignia, vt ſcribit *Liuius*, recte declarari, idque ex præſcripto ciuilitatis. Verumenimuero non eſt huius rei modus iuuenum ſpiritibus meris committendus, præſertim cum mediocritatem rationis exceſſerint: ſed potius menti, iudicioque. Sunt enim ſpiritus iſti, enati ex ſanguinis temperie, nobis cum brutis communes ac mutationi obnoxij, nihilque plane rationis participantes: imo rationi quoad multa aduerſantur. Videmus enim creſcente ratione in ſenibus, aut in virili ætate exiſtentibus, diſplicere illum veſtium habitum, qui in iuuentute ob flammantes & acres illos ſpiritus aliquando eiſdem placuerat. abſurdum proinde ex qualitatibus ſpirituum vitalium, & non ex imperio rationis, veſtium formas conſtituere. imo dedecoroſum, quempiam ſeſe veſtiendo duci videri aurigantibus ac iubentibus in ipſis ſpiritibus, qui ex ſanguine æſtuant, exiliunt, & in meros flatus extuberant. porro plerumque hi ſpiritibus, dum ebulliunt in iuuenum venis, veluti, in æſtuarijs, certiſſimæ ſunt notæ in ipſis temeritatis, inconſtantiæ, intemperantiæque: proinde plane abſurdum, genere veſtitus ab eis decreto, alijs oſtendere ac denudare tam deformia animorum, corporumque vitia.

3 Verum ſui oſtentatio, ſiue ex feruentibus ſpiritibus, ſiue ex appetitu dominandi, ſeu excellendi, oriatur, ſimulac in veſtibus apparuerit, comparata potius ad dedecus inferendum, quam ad gloriam ſiue æſtimationem acquirendam. Enimuero qui huiuſmodi ſignis honorum delectantur, ij recta via ad honoris templum haud gradiuntur. non enim metallorum formis, non modulis, aut ſciſſuris veſtium, non exuuijs belluarum, non vermium viſceribus, non Sartorum artibus, honor verus ac ſolidus debetur, ſed virtuti, eiuſque opinioni ac præſtantiæ: illa enim ornamenta veſtium æque marmoreis aut ligneis ſtatuis indoci poterint, ac hominum corporibus. contra, ſummæ laudi pleriſque ceſſit, quod veſtimentorum glorioſas ac ſplendores contempſerint: declarantibus, ſe maioribus ac firmioribus bonis niti ad adſpirandum ad famam & aliorum admirationem, quam quæ a veſtimentorum conditionibus propagari poterūt. De *Nerone* triumphante cum *Liuio* ac *Claudio*, hæc *Florus*: *Liuius vero, qui* Flor. li. 2. *in prouincia ſua rem geſſerat, quadrigis inuectus eſt. Nero, qui in collegæ prouinciam, vt victoriam eius adiuuaret, venerat, equo eſt ſequutus: & in hoc habitu plus gloriæ reuerentiæque habuit quam & plus quam collega in bello fecerat.*

4 Quinimo nihil magni aut honore digni in eo reperiri, qui oſtentu veſtium gloriam ac gratiam mercatur, perſpicuum eſt. quo enim quiſque in ſe imperfectior & imbecillior, eo ſeruentiori conſilio ab extrinſecis, aut dedecoris velamen, aut diſſimulati decoris indicium, ſedulo emendicare aſſueſcit: eodemque ad vitam inſtituendam ſe pluribus indigere impotenter admodum oſtendit: Proprijs enim viribus diffiſus, ac internorum defectuum conſcius, ad gloriam contendens, veſtes ſibi adaptat ſplendidas, magnificas, recentique ſcemate admirabiles, vt ſaltem huiuſmodi apparatu ſe honore dignum, ac ad magna præſtanda idoneum alijs comprobet. Imitantur iſti coquos, & pharmacopolos, qui rancida & amara, qua condimentorum ſpeciebus, qua vaſorum coloribus, tegunt & occultant, adeoque aliorū oculis commendant. ex qua cauſa mulieribus a natura concceſſum, cum imperfectiorem conſequutæ naturæ conditionem, multiplices mundicias, fucos ac colores adhibere. recte aduertit *Clemēs Alexā-* Clem. Alex. l. 1. Strom. *ndrinus*, ſolitos Lacedemones, vnctiones, curioſas veſtes, & condimenta, *Res doloſas* appellare: quod ſcilicet ex ritu vulgari, turpiū plerumque ſint velamenta, falſaque indicia eius præſtantiæ, quæ non eſt. Cæterum omnes fermè homines facile hæc diſcutiont, legunt, ac ſuis reprobant iudicijs, perpetuo ſuſpicati, tætri ac deformis aliquid ſub illis latitare: quocirca veſtiarius

iſte ornatus imperfectionem, vacuitatem, vel turpitudinem affectatur, & ex eis originem ducit.

5 Imo iſte contextus, totaque ſeries elaborati cultus, in riſum, aut in odium aliorum paſſim incidit, ſuique demum infamia exſpirat. quid enim magis ridiculum, vel odio dignum, quam mendacium, quam fraus, quam venditata deceptio? ſcilicet hominem alium apparere, quam eſt: nempe nobilem, cum ſit vilis, animoſum, cum ſit effæminatus: denique totius ingenij ac contentionis periodum ambitumque non præclaris facinoribus, ſed Sartorum duntaxat artibus, hoc eſt veſtimentis, definire? Sententiam ferent ſpectatores, ciuem aliquem ſolertius circa veſtimenta occupatum, nihil mentis retinere, quod ad alios vſus, ciuitate dignos, extendat. quam ergo falſi & inanes, qui hominis dignitatem iſtis veſtium nugis metiũtur? Aliquibus videtur, illum ciuem animo plane iacere, ſi in immenſum alti turbinatum pileum haud extulerit. alius illius omnem exilem auſum iudicabit, qui in gyros, foſſas, & cuniculos, ſpiſſe complicatis lini labyrinthis, collum non circundederit. niſi quis ad ideã *Thaumantidis*, auiſque *Iunoniæ* omnis generis coloribus depictus prodierit, haud pauci æſtimabunt, illum, nihil præclari animo concipere, aut in pectore geſtare. at ſi iſti conſiderarent, ciuis laudes elucere debere in operibus virtutum intellectualium, ac moralium, non in generibus veſtium: imo plerumque virtutibus deſtitutos, vt eis præditi videantur, receptum habere ad officinas Sartorum, vt ſaltem veſtium gratia in oculis vulgi fulgeant, qui ſolidis interim virtutibus ſe intus carere optime norint, neutiquam ita de hac re arbitrarentur. Atque cum multa ſint, quæ veſtiarium hoc ſtudium odioſum exhibent, tum illud haud leue, quod apertum ſit argumentum vehementioris amoris ſui. Videmus amore prolis nimium incenſos parentes, ſolere illam ornatius & exquiſitius veſtibus ſpectabilem reddere. eodem pacto teneriius ac impotentius ſuorummet amantes, corpora propria tanquam idola, ſibi proponunt veſtitus diſcriminibus ſtudioſius excolenda. at vero vbi inter ciues ſui amor viget, vbi eius notæ apparent, ibi neceſſe, extrema pariter odia inter eoſdem feruere: quod ſui amores ſint mutuo ſemper infeſtiſſimi, ac plane inuicem exitiales. Inciuilis certe illa profeſſio, quæ palam facit, ciues ſeſe nimium & immoderate amare, & omnis huius rei ſignificatio a ciuilitatis amænitate & tranquillitate alieniſſima. Conſtat vero hoc vitium non ſolum ex nimio ſplendore veſtium, earumue cura maiore, verum ex illarum vſu, aut formis peregrinis. ob quam cauſam haud probarem ingenium *Catonis* Vticenſis, de quo *Plutarchus*: *Cum cæteris hominibus purpuream ve-*

Plut. in Cat. Vtic.

ſtem ſaturatam murice atque rutili coloris placere videret, ipſe fuſcam gerebat. enimuero in hoc genere vanus Chamæleõ omnis plane coloris particeps, & inſtar lunæ, a quauis figura haud alienus, quo ex ſingularitate gloriolam quis aucupetur. Cæterum aliquando etiam veſtium contemptus in idem plane vitium recidit, in quod earum nimia oſtentatio redondat.

6 Quinimo honoris ac poteſtatis ex veſtitu nimia affectatio, cum ſumma malitia ac fraudibus copulari perpetuo ſolet. quando enim Romæ, togæ, prætextæ, tunicæ palmatæ, ex ambitione nimium in vſu erant, tunc diſſidia pariter & odia inter ciues importunius flagrabant: propterea affirmauit *Tertullianus*, togas magis quam caſſides, rebus Romanis nocuiſſe. *Solicitudo*, inquit *Seneca*, *in noſtra purpura verſatur, & acerrimis excitat ſtimulis.* & cũ ſimplicioris vitæ antiquos cultores laudaſſet *Seneca* ob ſecuritatem ac mutuam inter ſe confidentiam, recentiores ad curioſitatem excitatos, ſic adloquitur: *Vos ad omnem tectorum ſonum pauetis, & inter picturas veſtras, ſi quid increpuit, fugitis attoniti.* Ægre ferunt ciues humilioris fortunæ, ſe aliorum veſtibus ſuperari, ſeu deſpicabiles oſtendi a ditioribus: quale dedecus dum a ſe depellere conantur, æmulationibus & odijs omnia gliſcunt & armantur in ciuitate. Sicut enim cunctis ingenita cupido ad ſummum contendere, ita moleſtum ſingulis, aliorum moribus inumbrari & ſuperari. haud aliter ergo flãmas hinc accenſi ciues, conijcient in firmamenta ciuitatis, quam ſpeculum *Archimedis* fecit, naues hoſtiles comburendo, poſtquam radij ſolaris reflexione calorem concepiſſet & eiaculaſſet. Huius erroris effigiem ſic *Aurelius Prudentius*. ad viuum delineauit:

Tert. lib de palli.
Sen ep. 90. ad lucil.

Forte per effuſas inflata ſuperbia turmas
Effrani volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, & validos villis onerauerat armos.
Quo ſe fulta ſubis iactantibus illa ferinis
Inferret, tumido deſpectans agmina faſtu,
Turritum tortis caput accumularat in altum,
Crinibus extructos augeret vt addita cirros
Congeries, celſumque apicem frons ardua ferret,
Carbaſia ex humeris ſummo collecta coibat
Palla ſinu, teretem nectens a pectore nodum.
A ceruice fluens tenui velamine lymbus,
Concipit infeſtas textis turgentibus auras.

Prud. in pſych.

7 Duo porro alia præ ſe ferunt veſtiarij ſplendoris cupidiores, quæ eis ingens etiam odium conflant. oſtendunt primo, ſe proprio ſtatu & loco in ciuitate haud eſſe contentos. quandoquidem genere veſtium ſpecimen edant, ſe in maiori aut illuſtriori verſari, aut certe eius rei deſiderio plurimum teneri. Deinde cum virtutibus ac benefactis dignitas ciuilis reſpondeat, non corporum ornamentis, iſti præpoſtere ritu ſolo veſtitus eam ambiunt, neque apud illos, ſicut oporteret, veſtitus dignitatem perſonæ ſequitur, ſed præcedens veſtitus, dignitatem vel odioſe ominatur, vel turpiter mentitur. Omitto, quod ſumptus, veſtibus impenſi, neruos reipublicæ, nempe ærarium debilitent, & externis ſpem faciant proſpere in eam inuadendi.

Quis furor eſt, cenſus corpore ferre ſuos? Ouid. ſen.

Neque ſatis reſponſum, cũ dicitur, pecunias veſtibus impẽſas adhuc reperiri in ipſa republica. nã tametſi hoc cõſtaret, nihilominus, cũ in manibus verſentur artificũ dũtaxat, a nobilibus diremptæ, parum illi proderunt: plebeij enim, vel artifices, non ſunt adeo a natura propenſi ad ſuccurrendum reipublicæ, ac nobiles: proinde magis

magis è cōmodo fuerit reipublicæ, apud nobiles recōdi pecunias, quā apud artifices aut quæſtuarios, quibus nulla, aut perexilis notio eſt cōmunis vtilitatis: *Nec enim quicquam ingenuum*, ait *Cicero*, *poteſt habere officina*. Cic. l. 1. off.

CAPVT. XXXV.

Ciuiles quædam admonitiones recenſentur quātum ad veſtium colores, formas, earumque crebrius inuectas nouitates.

QVod natura ipſa in elementis, adeoque in cœlo, hominum oculis veluti colludendo, qua florum coloribus, qua herbarum viriditatibus, lapidum flammulis, radiorū ſplendoribus, ſeſe pulcherrimè illuſtraſſet atque variegaſſet, cœpere homines viſu delectabile reputare, huiuſmodi ornamenta, præſertim terræ propria, ad ſua corpora transferre, ac veluti in epitome, quæ in alijs ſparſa, in ſe, vtpote terræ æmulis, coniunctim omnia exhibere. Hoc quidem diuerſæ gentes, ad differentias in ipſis ingenii, ritu plane diſcrepanti præſtitere: earum ſingulis eas corporum pulchritudines ac venuſtates perſequentibus, quas ſe vel maxime decere exiſtimarunt. Neque ſolum ſuas veſtes varie picturarunt in hunc finem, verum etiam ſuorummet corpora, qua fucis, qua ſtigmatibus decorata eſſe voluerit. *Britanni*, teſte *Cornelio Tacito* hinc glaſco delibuti: *Picti*, diuerſis coloribus inſigniti, ſpecies ſuas alijs cōmendarunt. Antiqui etiam Galli, Ægyptij, ac Heluetij, ex vſu colorum in ſuis veſtibus ſatis celebres. exiſtimarem eius moris originem ortam a qualitate ſoli, in quo iſti habitarunt: nempe a diuturniori inibi florum vita ac flagrantia: quod in vallibus Heluetieis a nimio ſole munitis, ipſe animaduerti; Heluetorum proinde veſtes maxime polimitæ comparent. Idem pariter attribuendum arborum ſuccis & bituminibus. Terra hæc varietate colorum depicta, exemplar, iuxta ac incitamentum ſubiecit hominibus ad exornanda ipſorum corpora ſimilibus. Caro enim, quæ ex terra plaſmata, mirificè cupit eius ingeniū æmulari & in ſe exprimere, eam tanquam parentem referens. Tac. in vita. Agricol. Herod. in Seuer.

Ouid El. 2. *Quod noua terra parit flores, cum vere tepente*
Vitis agit gemmas, pigraque fugit hiems:
Lana tot aut plures ſuccos bibit: Elige certos,
Nam non conueniens omnibus vnus erit.

2. Neque a ratione prorſus alienum æſtimabitur, colorum habituumque varietatibus animi ſui affectus, a diuerſis rerum caſibus propatos, nonnunquam deſcribere. Haud enim ciuis merè Stoicus, omniſque affectus exors: capax enim, etiam in eo virtute ad ſummum adductæ, moderatæ, & ad honeſtum directionis. Quamobrem ſicut affectionis talis particeps; ita ei integrum, coloribus veſtium, aut corporis indumentis, ſeu externis notis, eam alijs idoneè repræſentare. Hinc Iudæi, qui & populus quondam Dei, genere & qualitate veſtium, cinerum aſpergine, huiuſmodi in ſe motus declararunt: a quibus aliæ nationes eundem ritum acceperunt. *Achilles* apud *Homerum*, audita *Patrocli* nece, vtriſque manibus arripiens ἀμφοτέρῃσιν ἑλὼν atrum puluerem, capitis ſui ceſariem luctus gratia deturpauit, adeoque manibus lacerauit. Hom. Il. 2.

——— ſciſſaque capillos
Plangunt ora ſimul matres Calydonides.
—— & auratas mutauit veſtibus atras Ouid 8. met

3. Et quidem quod non ſolum ad neceſſitatē, ſed etiam ad ſignificationem ac decus veſtitus faciant, vt iam explicatum, idcirco eſt aliquid in ipſa natura defixum, quod homines incitet ad colorum vſum in illos fines, eorumque repræſentationes: quod vti in eis mutationi obnoxium, ita ab vnius coloris ornamento ad alterius tranſire hominum mores ſolent, iuxta rationem in eis naturalis viciſſitudinis. Retinent quidem colores magnam ſimilitudinem cum quatuor primis qualitatibus, quę hominum corporibus inſunt. inter quas aliarum reſpectu extremæ calor, frigus, humiditas & ſiccitas: ceteræ ex eis temperatæ reperiūtur. Simili modo inter colores extremi, albedo & nigredo: reliquī ex iſtis mixtis exorti. & quod attinet ad naturæ momentum in coloris delectu alio & alio, in hoc vel altero ciue, videtur illud contineri in dominio alicuius ex primis qualitatibus, aut ex certo earum temperamento in iſtius corpore: vehementibus enim qualitatibus reſpondent colores magis acres ac viui, mediocribus vero remiſſiores. hoc ſane liquet ex diſparibus iuuenum ac ſenum coloribus: illorum enim cernuntur ſplendidiores, horum autem obſcuriores vel naturæ ipſius inſtituto, ex differenti gradu cum complexionis tū affectionis. Verū hoc nō conſtituunt diſcriminis primæ qualitates per ſe & immediatæ, ſed interceſſu quatuor in appetitu ſenſitiuo affectionum, nempe amoris, odij, ſpei ac timoris. qui quidem motus plerumque ſequuntur temperiem quatuor primarum qualitatum in corporibus: ac ideo in iuuenibus ac ſenibus exiſtunt diuerſi, quod in eorum corporibus reperiatur diuerſus ſtatus illarum qualitatum. Inter affectus, extremi, amor & odium: medij, ſpes & timor, quæ amoris & odij aliquid in ſe complectuntur. Poſtquam ergo corporum temperies certam ſpeciem affectionis ex ſe elicuerit & propagauerit, tunc ex eius incitatione ac cupiditate hic aut alius color veſtium aſſumitur, quo eiuſmodi affectus innoteſcat alijs, aut ad finem ſuum, quem appetit, opportunius perueniat. Hinc rubeus color, vt *Bion* recolit, veneri ſeu luxuriæ olim adſcriptus: denotat enim ſuccenſum ſanguinem ſiue in iram, ſiue in libidinē. Albus color lætantiū inſigne, quemadmodum niger mœrentium. colores reliquī mixtorum affectuum, ac quodammodo caſtigatorum indicia. Vt autem quatuor anni partibus affectus proprij reſpondent, ita & veſtium colores. Bion. Epita. Dan.

4. Obſeruandum itaque mentis operam imprimis in hac re impigre adhibendam, dum ſeſio a ciue expenditur, num indoles ac motus animi ſui ſint aliis ſignificandi, vel ſecus abſcondendi: non enim conueniens, hominem ſecreta ſuæ naturæ incitamenta paſſim per veſtes

aut alia characterum genera, patefacere. neque decet, immoderatos animi motus,ac rationi infeſtos,vllis indicijs propalare. quamobrem non ſatis mihi videntur circumſpecti, qui veſtibus iuuenũ colores extremos, aut igneos concedunt, arguentes,eorum naturæ congruere, vt oſtendant qualis ſint tam annis quam animis. Etenim hac in re nollem ſeuerior indicari, neque abnuo, quin eis colores adhibendi multo flagrantiores, quam qui in ſenibus ſpectabiles: nihilominus non video,quo iure ille color in eis admittendus, qui affectus alicuius immoderati, & auerſi a ratione,certa gliſcat indicatio,ſeu argumentum: nõ enim e decore ipſorum iuuenum, apparere ex veſtium coloribus æſtuantes aut dementes. *Cicero* hanc ponit diſcrepantiam

Cic l, 2.off. inter ſtudia iuuenum ac ſenum: *Maxime hæc ætas iuuenilis a libidine arcenda eſt, exercendaque in labore, patientiaque & animi, & corporis: vt eorum & in bellicis & ciuilibus officijs vigeat induſtria. Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur.* Quamobrem colores illi veſtium iuuenibus apti, qui ſignificant eorũ animos paratos ad labores ſubeundos, & actiones corporis præſtandas: quemadmodum in ſenibus conſpicui, qui declarant, illos iam intentos rerum cognitioni, prudentiæ grauitati, veluti ad preterita retroſpicientes;occupari ac in eis vigere.

5. Deinde intelligendum, coloris extremos ac maxime feruentes, cum notæ ſint itidem extremorum affectũum in animo, a nemine vſurpandos,niſi illi inſtitutum adfuerit, alijs fateri, quod eiuſmodi affectionibus turbulentius exagitetur: ſcilicet quod vehementer amet, odio habeat aliquid, exultet, contriſtetur, vel iraſcatur. quorum ſignificationes quod abſurdæ & inciuiles iudicentur, inde populi in rebus ciuilibus, aut philoſophia inſtructiores,temperantioresq; facti, ab illis ſe abſtinere pro more habent, coloribus interim contenti medijs, dilutiſque. Quocirca *S.Hieronimus* relligioſam vir-

Hier.epi ad Euſtoch. ginem ſic admonuit: *Candidas & Nigras veſtes ſimiliter deuita.* Sunt enim hi colores extremi, & non niſi ingentium in animo motuum notæ: quippe lætitiæ,meroris,aut illius grauitatis,quæ propter affinitatem, quam habet cum quadam ſuperbia,vituperabilis. animaduertimus enim, gentes tumidiores, nigris plerumque veſtibus delectari. ob hanc cauſam perſonæ ſacræ olim in exordio Dei Eccleſiæ,vt mediocritatem quãdam amplectarentur, non nigris, aut albis, ſed furuis, ſeu ſubcinericijs veſtibus vſi fuere. idem quoque olim a virginibus ethinicis, modeſtiæ cauſa, obſeruatum, vt refert *Lucanus*:

Lu. lib. 2. *Luteæ dimiſſos velarunt flamea vultus.*

Lui. Dec. 4. lib. 8. Hinc *Cato*, labem quandam honori ſuo repugnantem, reſte *Liuio*, viſus in ſe admiſiſſe,quod alba toga indutus,in publicum proceſſerat. Regibus autem ac Principibus, in quibus non niſi magna ſpectanda & agnoſcenda;proinde quãtum ad eorum veſtes ſenatorias, tribunalicias aut ſacras, permittendi colores inſigniores, & qui oculos ſpectantium magis ac vehementius percellant: non enim animi immanes in ipſis motus, ſed ſummas virtutes, & alti ſtatus conditionem colores extremi iſti depingunt.

——————*imitata Gabinos,*

Diues hydaſpeis augeſcit purpura gemmis. Claud pan, Hon,

Imo alijs odioſus radius ille veſtiarius ex coloris magnitudine: compellit enim eorum ſenſus ad ſe, vt aliquam excellentiam,qua ipſi ſuperentur, in veſtito animis admirentur, qui ſic in eorum oculis exoticè effulget: vix enim ſine offenſione animi cogi poterit oculus ad aliquid excellens vel peregrinum in alterius corpore intuendum. idcirco coloris quædam compreſſio, animum refert mitem, modeſtum, & talem, qui nihil ſibi arrogat: quæ ſane conciuibus gratiſſima ac iucundiſſima ad videndum ac conſiderandum. errant idcirco haud parum a ciuilitate, qui in foro aut curia comparentes,per veſtitus ſingulares ſpleodores aut formas,omnium oculos,vt pote ad inuſitatum,& vehemens ſpectaculum, a reliquis ad ſe conuertere volunt: facit enim plurimum hæc oſtentatio ſingularitatis ad odium, vel contemptum.

6. Colorum quoque varietates, quæ in diſcoloribus veſtibus collucent, ſignificatione ſua non ſolum oſtendunt animorum affectus valde concitatos, ſed etiam contrarios, & inconſtantes. exiſtunt enim indicia complexionis non temperatæ, ſed diſcretæ: iudiciorumque pariter & motuum repugnantium notæ: ac talium hominũ ſunt deliciæ,quales ex nugis voluptatũ capiunt: cuiuſmodi ingenia in fatuis, in pueris, ac mulieribus ſpectare cum riſu ſolemus. Non ergo ad exemplar depictarum nauium Alexandrinarum, vel Chinenſium,ſeu pauimentorum, teſſulis coalitorum, decet grauem ciuem, quod ad veſtes, variari, ſed vno potius ſimplici, aut certe paucis non multum inter ſe diſſidentibus coloribus, illum expedit ornari, alijsq; eodem commendari.

7. Quod vero attinet ad operoſas formas veſtium, quorundem hominum artibus inductas, reperiuntur pariter ciuiles animaduerſiones, quæ illas moderentur,& ad genuinum rationis decus oportune component. ac tametſi rigor Stoicus, veſtium omnia artificia aſpernatus, vnius ſimplicis naturæ apparatu contentus, non ſit abſolute admittendus in mores ciuiles, nihilominus ciuilitas hac in re non longe a natura; veluti a portu, appetit ſpaciando recedere *Nihil homini*, inquit *Seneca*, *natura, quod neceſſarium ſciebat, fecit operoſum.* Enimuero qui artem nimis a naturæ ſimplicitate abductam, extenſamque in ſuis veſtibus produnt, in duo errata tanquam ſcopulos,in altum delati, impingunt. Primo dant oſtentum, ſe veris virtutibus diffiſos, imo eis caſſos, contendere velle ad exiſtimationem ſolo veſtium exquiſito contextu: quod longe ſane abſonum ac præpoſterum. Deinde reddunt manifeſtum, quod rebus leuiſſimis delectari, veſtium formis longe a natura diremptis, omnem animi in ipſis conatum definiuerint, adeoque nihil eius reliqui ſupereſſe, ſtudijs maioribus impendendum: quod viro Ciuili prorſus indignum. Denique, in vniuerſum id culpa non vacabit, quod artis opere longe poſt ſe naturam relinquit. Certe nullum Senec, li. de conſ.cap.16

manifeſtius

manifeſtius argumentum exilis & nugacis ingenij, atque ad magna præſtanda imparatiſſimi, quam ab inani hoc in genere curioſitate veſtiũ. Quis enim puerulum aliquem, domunculas ex proximo luto fabricantem, idoneum ducet, qui aggeres, palatia aut turres extruat? adeoque id in eis magis dedecoroſum, qui adulta iam ætate vigente, veſtium modis efferendis nugantur puerilem ludũ, quando ab ipſis grandia potius præſtanda & exercenda.

8. Porro quemadmodum artes ciuilem veſtitum plerumque vitiant, ita idem efficiunt ab eis profectæ veſtium identidem, quod ad earum formas, mutationes: quæ dubio procul, vt de, ſumptibus inaniter, imo pernicioſe collocatis, nihil dicam, ſuas quoque ingerunt ſignificationes a ciuilitate actionum diſtractiſſimas. Huiuſmodi etenim formæ ſæpius, tanquam autumnales fructus, qui ſimul ac oriuntur intereunt aut putreſcunt, variatæ, palam oſtendunt infirmitatem & inconſtantiam iudicij. nam ſi iudicio ſolido hoc aut aliud ſchema ab eis æſtimatum fuiſſet & diſcuſſum, habitumque idonea nota alicuius decoris aut præſtantiæ in homine, illud ipſum in more diutius perſeueraſſet: quippe è natura rei ipſius propagatũ. qua de cauſa, iudicia leuiter, ſeu re penitus non expenſa, ſuſcepta, obnoxia ſunt mutationibus ac contrarietatibus: quemadmodum contra, ad maturitatem temporis diuturniori tractu deducta, & e notione ipſarum rerum enata, vti in melancholicis contingit, durant ac perennãt. at vero inconſtans iudicium omnibus fermè ciuilibus officijs aduerſarium: præſertim amicitiæ iuribus, ac ſcientijs ſpeculatiuis, vt manifeſtũ eſt. Maximè autem in hoc delinquunt, qui formas ab externis inuentas cum illis vſurpant, totidemque vicibus cum illis vel etiam pluries quam illi, alternant: nam præter eandem mutabilitatem, profitentur ingenium ſibi defuiſſe ad futilitatem, quam ipſi miſere colunt, aliorum ope, ob inopiam mentis, ſtulteſcere gaudentes. quod certè alicui genti valde inglorium. Pro-
Zo. Tom. 2. inde, vt ſcribit *Zonaras*, vitioſum in *Antonio* ducebatur, quod in Ægypto agens, peregrina veſte indueretur. Imo hęc imitatio externæ nationis, perpetuo ferme a decoro deficit. Etenim formæ alicuius inuentor apud aliquem populum, id egit habita ratione ſpirituum vitalium in corporibus propriis incolarum, perpenſis quoque artubus eorundem corporum, ac eorum ab ingenio moribus, inceſſibuſque. qua de cauſa cum peregrinæ nationis homines quo ad hæc ab aliis diſcrepent, abſurde agunt eorũ veſtes ac modos ſibi accommodantes. Ecquis eſt, qui non videt, Anglum, Flandrum, Germanum ac Polonum ad ritum Gallorum veſtitos, carere illa gratia, qua ſpectabiles Galli eiuſmodi formarum primi excogitatores, & quaſi originales earum ſedes ſeu receptacula? non erit huic ciui ex decoro hæc cum alijs forma, niſi adfuerit eidem pariter hæc ipſa ſignata corporeorum artuum effigies: niſi hæc innata geſticulatio, rano motus eadem, acceſſerint. quomodo ergo aliquod commune decus ex eadem veſtium forma vtrobique orietur, vbi natura in corporum partibus, ac motibus, diſcrimina & contrarietates inſtituerit?

9. Imo peregrini veſtitus imitatio, neſcio quid in ſe continet ignobilitatis. etenim maiores Nationes proprias plerumque habent veſtes: formarum pariter natiuos inuentores, quos minores, illis ſubiectæ, aut cum eis neceſſitudines vitæ frequentiores habentes, cum admiratione imitantur, vt ciuiles cultique appareant. Cuius rei conſcia apud *Virgilium Iuno, Latinorum* protectrix, prænoſcens fore, vt eis aliquando dominaturi eſſent Troiani, obnixe orabat *Iouem*, haud ſineret externos victores, gentis nomen, idioma, aut veſtes, ad externam appellationem, ac ritus transferre: quorum oppoſita, dignitati *Latinorum* obfutura recte perſpexerat.

Cum iam connubijs pacem fœlicibus, eſto,
Component, cum iam leges & fœdera iungent, Virg. Æn. 12. 820.
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Nea Troæ fieri iubeas, Teucroſque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere veſtem.

10. Quod ſi Chriſtianam fidem noſtram ſpectauerimus, comperiemus, illa præcipiente, magnam veſtium luxui (cuius primigenij aſſertores Græci, teſte *Tito Liuio*) parcitatem, mediocritatemque inductam: Vnde ſenſuum reſtri- Liu. Dec. 4. l. 19
ctiones ac mortificationes a Chriſti cultoribus perficerentur. Hinc mulieribus inhibiti torti crines: eiſdem mandatum, in publico capita velare. imo, vt obſeruant *Ammianus Marcellinus* & 1. cor. 7.
Saluianus, illis primis Eccleſiæ naſcentis tempo- Marcell. l.
ribus, Chriſtiani capillos radebant aut depone- 22. Saluian.
bant, cum Romani interim in ſuis cirris & ſin- l. 2.
ſinnis componendis miram operam, vaniſſime adhiberent. Quod Romanorum toga faſtum quendam ſpiraret, teſte *Tertulliano*, Chriſtiani eius ritum recuſabant, more Græco pallijs Tertul. l. de pall.
potius cooperti. Vultus fucare, violatis auribus gemmas appendere, Syrmatibus, ſeu caudatis veſtibus indui, eiſdem piaculum, vt *Clemens Alexandrinus, Tertullianus, S. Cyprianus*, & *Prudentius* Clem. Alex. l. 2. Pæd.
ſcripſere. Tertull. de hab. muliеb.

Damna iacent, crinalis acus, redimicula, vitta, Cyprian. de
Fibula, flammeolam ſtrophium, diadema, monile. vel. Virgin.
Quis furor inſanas agitat caligine mentes? Prud. Periſt.
Quo ruitis, cui colla datis, quæ vincula tandem in Pſych.
Proh pudor, armigeris amor eſt perferre lacertis?
Lilia luteola interlucentia ſerta
Et ferrugineo vernantes flore coronas!
His placet aſſuetas bello iam tradere palmas
Nexibus, his rigidas nodis innectier vlnas,
Vt mitra ceſariem cobibens, aurata virilem
Combibat infuſam croceo religamine nardum,
Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Vnguentum regale datum eſt, & Chriſma perenne,
Vt tener inceſſus veſtigia ſyrmate verrat,
Sericaque infracta [illegible] vt pallia membra:
Poſt immortalem tunicam, quam pollice docto
Texuit alma fides, dans impenetrabile tegmen
Pectoribus lotis, dederat quibus ipſa [illegible]!

11. Enimuero Chriſtianus, qui hic mundo mortuus viuit, quique æterna in cœlis bona, faſtidiens aliorũ, præſtolatur, nullo pacto, niſi nomini ac inſtituto ſuo nunciũ mittere decreuerit, corporũ decora ex ſũptuoſis vel curioſis veſtibus quicquã penſi reputabit. Memoriæ eius

haud

haud excidet, pellibus primos parentes a Deo veſtitos: olim Iudæum ſuo ſacco., cinere conſperſo, peccatricem carnem humiliaſſe, eoque [2.Reg.3.] Deo placuiſſe. haud grauabitur animo repetere principis ſui incunabula pauperrimis pannis [Luc.2.] contra frigus vix munita, adeoque corpus [Ioan. vltim.] eiuſdem veſtibus ſpoliatum, in cruce nudum, pependiſſe. Sui corporis futuram gloriam hic præludet potius vili aliquo velamine, quam eidem ſplendidiori illudet indumento. morti deſtinatam victimam corpus, mortis colore ſignabit, eiuſque luctu deſideratum funus ſponte ominabitur. haud aliter corpus ſuum æſtimabit quam è terra enatum linum, quod hic aquis lacrymarum lotum, baculoque mortificationis percuſſum, perpetuum inde nitorem in cœlis conſequatur.

12. Vno quidem verbo expreſſiſſe viſus *Cicero* [Cic.li. 1 off] quid in genere veſtium è decoro ac ciuili: *In veſtitu ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt.* extrema ponit nimis exquiſitam in eis operam, iuxta ac agreſtem & inhumanam negligentiam. ac in eandem ſententiam hæc *Seneca*: [Sen. epiſt. 9.] *Non fulgeat veſtis, ſed neque ſordeat.* Enimuero quod in hoc ſtudio exceſſerit in aliqua republica,, id eius ruinam vel mutationem præſignat. Hoc fecit luculentũ *Liuius* exemplo *Hieronis*, Siracuſanorum Regis. eo enim imperante, omnia, etiam ipſius perſona, ne dum in ciuibus quo ad veſtes, erant moderata: ſubinde vero eius nepote clauum tenente, [Luc. Dec. 3. li. 4] *Conſpexere purpuram ac diadema, ac ſatellites armatos, quadrigaſque etiam alborum equorum interdum ex regia procedentes more Dionyſii tyranni. Hunc tam ſuperbum apparatum habitumque conuenientes ſequebãtur mores, contemptus omnium hominum, contumelioſa dicta: aditus non alienis modo ſed tutoribus difficilis: libidines noua, inhumana crudelitas. Itaque tantus omnes terror inuaſerat, vt quidam ex tutoribus aut morte voluntaria aut fuga præuerterent metum ſuppliciorum.* *Comnenus* iunior, Imperator apud Græcos, vt [Greg. lib. 11 Hiſt. Rom.] ſcribit *Gregoras*, veſtium luxum & exoticas ſpecies ſuis indulſit: ac inter reliqua, omnem plane pileorum formam illis liberam fecit: *Vt prudentiores nouitatem aliquam, & deſtructionem imperii, & finem inſtitutorum & morum illius diuinarent*, Mihi aliquando ſignificatum, præſagium extitiſſe, tunc in Anglia virtutes vna ruituras, quo tempore veſtium varietatibus incolæ ſuarum inſtabilitates eſſent ſignificaturi. Certe quam primum religionem inde exturbare *Henricus* octauus ſtatuiſſet, ritu peregrino ipſemet ſibi caput tonderi curauit, ac veſtitu vſus ad leuitatem omnino inclinante. Cuius varias formas conſpexit in veſtitu ſaltatricis ſuæ *Bolena*, [Stous in Hen. 8. Saud. l. de Sciſma] vt noſtri annales conteſtantur. Atque iſtis viſi ſumus omnia principia fermè complexi, ad partis in homine concupiſcibilis inſtitutionem pertinentia. Solum ſupereſſe iudicauimus, vt pauca de ludis ac recreationibus ciuium in eundem finem diſputaremus.

CAPVT XXXVII.

De ludis ac Recreationibus ciuilibus.

Vitæ ciuilis, iuxta *Platonis* ſententiam, duæ partes: vna *Gymnaſtica*, [Plat. l. 10. de legib.] nempe operoſa ac ſerijs ſtudijs deſtinata: *Muſica* altera; ſcilicet recreatiua, prioris nempe cum alimentum, tum etiam condimentum. Interdũ enim vel ipſa *Pallas*, vt veteres fabulantur, cothurnum ac gorgonem ſeponit, cum pumilione ludere minime faſtidit, vt in hanc ſententiã [Prop. lib. 4. eleg. 10.] haud ineleganter recolunt *Propertius*, & *Plutarchus*. [Plutar. li. de educat.] vniuerſa, quæ ad hoc genus ſpectant, nomine ludorum comprehendimus: quorum finis, in auocatione facultatum animæ humanæ a grauioribus, ſimulque in earundem aliqua iucunditate, ſpectabilis.

2. Supra in homine quatuor diſtinximus: videlicet *Diuinum* quid, *Rationale*, *Concupiſcibile* & *Iraſcibile*. iuxta quam partitionem ita diſcreti ſunt ludi, vt *Diuini* aliqui, *Rationales*, *Concupiſcibiles*, & *Iraſcibiles* alij nuncupentur. *Diuini* ad religionem, ſeu Dei cultum, cum voluptate quadam colentium Numen, ab omnibus gentibus relati fuere: quales apud populum Dei olim extitere feſta celebria, conuiuia, ſoni Muſicæ, veſtitus vſus nitidior, ac ſimiles ritus ſacri. qui ideo ludi dicebantur, quod a negocijs gymnaſticis feriatos ciues, ad iucundam cum Deo & conciuibus conuerſationem transferebant. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*: [Exod. 32. 2. Reg. 6] nempe idolatricum ludum exercere. *Dauid autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & liris, & tympanis, & ciſtris, & ſymbalis. Ludam, dicebat Dauid, & vilior fiam plus quam factus ſum.* Romanorum quidem ludorum primos auctores facit *Tertullianus* [Tertull. li. de ſpect.] Lydos in Hetruria aduenas. quos relligioni deputatos deſcribit *Zoſimus*, [Zoſim. l. 2 Hiſt. Rom.] eorumque continuationem vſque ad caſum imperij commemorat *T. Liuius*. cum Romæ graſſaretur peſtilentia, quæ nullis ſupplicationibus aut lectiſternijs per omnia Deorum puluinaria, extingui poterat, ſcribit: *Ludi ſcenici, noua res populo* [Liu. Dec. 1. l. 7.] *bellicoſo (nam circi modo ſpectaculum fuerat) inter alia cæleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur. Cæterum parua quoque (vt ferme principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit. Sine carmine vllo, ſine imitandorum carminum actu, ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos ſaltantes; haud indecoros motus more Thuſco dabant.* Subinde genus hoc ludi plurimum Romæ ad ſplendorem ac ſumptus excreuit, & ad omnia Deorum feſta peruaſit: de quo commentati *Petrus Faber*, *Panuinus*, *Roſinus* & [Pet. Fab. de lud. Gym. Pan. de lud. Rom. Roſin. de Antiquit. Rom.] alij. Et quidem penes nos in vſu poſiti ſacri ac diuini etiam ludi diebus feſtis, quos ſingulari apparatu exhibendos, antiquiſſima traditione nobis in Eccleſia compertum. Ludi rationales illi cenſendi, quorum exitus non a fortuna, ſed a virtute mentis deriuantur: vtpote in vniuerſum omnis ludus ſchacchorum, ludus Philoſophicus, ludus Comœdiarũ & Tragœdiarum, ludus recitationum oratoriarum ac poeticarum.

Ludi concupiſcibiles toti comparati ad irritationem libidinis, ſiue verbis & ſignis, ſiue etiam perſonis conſtiterint. magnamque partem ludorum rationalium tranſtulit modo humana peruerſitas ad hoc genus mollioris & ſuauioris delinitionis. Denique ludi iraſcibiles ſpectãt ad augendam feritatem, aut ad acquirendam animoſitatem, quæ fortitudini in bello inſeruiat: Oui. El. 21. quales erant olim apud lacedæmones venationes leonum, vrſorum, taurorũ ac pantherarum, ludi quoque Circenſes ac gladiatorij apud Ro- Iul. Capit. in Max. manos. quorum vſu inſignis extitit *Maximinus* Imp. quo tempore Romæ militabat. De quo *Iulius Capitolinus*: *Septem viros vno ſudore vicit, ſolusque omnium a Seuero poſt argentea præmia, torque aureo donatus eſt, iuſſuſque inter ſtipatores corporis ſui in aula conſiſtere.* at de ſingulis ſeorſim aliqua diſſerenda.

3 Et quidem notatu dignum, quod quemadmodum voluptas per omnes affectus humanæ voluntatis, adeoque ipſius intellectus operationes commeat (iucundum enim iraſci vindicta erumpente, iucundum pariter lamentari, iucundum itidem contemplari, ac in vniuerſum operationem aliquam congrue ad naturæ indolem ingeniumque feliciter elicere) ita eadem voluptas non ſolum affectatur ludos concupiſcibiles, ſed & inſuper rationales, iraſcibileſque: ita vt omnis plane ludus quadam voluptate temperetur ac inſpergatur. idcirco ipſa voluptas eſt quæ ciuium animos reficit ac recreat in ludis, tametſi a diſſidentibus cauſis ea propagetur: præſtatque, dum facultatem concupiſcendi oblectat, ne iraſcibilis nimium ferociat.

4 Quod autem in mores ciuiles admittendi Plat. l. 5. de leg. ſint ludi, recte probat *Plato*. nam non eſt hominis natura adamantina, quæ perpetuo gymnaſtica ſtudia perferat: quinimo quod illis incumbendo paulatim deficiat, ludicris ac iucundis viciſſim in eo reparanda: acuit idcirco & auget vires tam ingenij quam corporis ludendi moderata conſuetudo. adiungit *Plato*, futurum, vt hominum ingenia nimium feſocirent, ſi nunquam ludorum dulcedine lenirentur. Verum quidem eſt, in ludis mediocritatem quandam conſtituendum, ne nimij ſint, eoque plus iuſto valeant ad animi robur effæminandum. qua in re *Iulius Meſſalla* viſus modum ex- Fla. Vop. in Carin. ceſſiſſe, de quo *Flauius Vopiſcus*: *Patrimonium ſuum ſcenicis dedit, hæredibus abrogauit. matris tunicam mimæ dedit, lacernam patris mimo.*

5 Sacros autem ludos è re ciuili eſſe, probant omnium gentium mores: qui quidem multiplici ratione iucundi. Principio iucundum, feriatione a laborioſis inſtituta, Deum, ac Sanctos adire, illos animis corporibuſque venerari, cum illis colloqui, & ab eiſdem dulciſſimum diuini amoris ſpiritum haurire. Si enim omnis iucunditas ab eis rebus oriatur, quæ naturæ cõuenientes, quid de ſupernis exiſtimandum, quibus naturæ in nobis omnes vires mira quadam alacritate applaudunt? *Memor fui Dei, &* Psalm. 76. *delectatus ſum*, dicebat regius Propheta. Deinde cæremoniæ maieſtas, nitor, ſplendorque mirifice delectare ſolent: conſtat enim religio ritibus plerumque ſenſibus & intelligentiæ gratiſſimis. Ipſe pariter feſtiuus multorum concurſus, habitu moribuſque conuenientium perſpicuus, eleganterque compoſitus, plurimum facit ad ſuauitatem & amœnitatem eorundem. Quamobrem ſuperſtitio, vt religioni infeſta, ita hac ex parte inciuilis habenda: cum enim adiunctum retinet timorem & conſcientiæ acerbitatem, quæ omnem ciuibus adimunt ex religione ſenſum dulcedinis. Etenim ſuperſtitioſa ſcrupuloſitas plus ab homine exigit, quam patitur eius fragilitas: nec tantum Deo Plut. l. de ſuperſtit. tribuit, quantum poſtulat diuina ipſius bonitas. *Superſtitio*, ait *Seneca*, *error inſanus eſt*: *amandos* Sen. ep. 123. ad Luc. *timet, quos colit, violat. quid enim intereſt, vtrum Deos neges, an infames?*

9 Ludi quidem rationales congrue vocantur ludi; mentem enim ſinceriſſime ac liquidiſſime oblectant, ac reuera iucundi ſunt. nihilominus intercidit interdum aliquid de ratione in eis iucunditatis, quatenus vitales ſpiritus nimis auide depaſcuntur: quorum defectio corpori moleſta, nonnihil acrimoniæ ad animum quoque transfundit, curſumque in eo delectabilis ſenſus amarore quodam intercipit. quocirca ſi hi ludi omnino acres ſint & vehementes, definitionem ludi tranſgrediuntur, & in genus exercitij gymnaſtici commigrant. Propterea ad vſum ludi in iſto genere illi conducibiliores, qui in euentum aliquem inopitum ac fortuitum deſinunt; quandoquidem in illis mens minus laboret aut defatigetur, & interim incidente exitu eam exhilarent. Mihi ſane, quo ad hoc inſtitutum, maxime rationalis ludus ſemper viſus, per vireta camporum aut pratorum, per hortorum areolas, per condenſa ſiluarum, fluminumque diſcurſus, exutis alijs curis, ſpatiari: quo non ſolum corporis vires exercentur, eiuſque calor conſeruatur & augetur, verum etiam animi ſenſus ad multiplicem cognitionem tam ſupernorum quam inferiorum capeſcendam excitantur. Nihil ſane iucundius, quam inſtructam hanc quam cernimus a natura machinam contemplari, partes eius omnes penſiculate ac ſeorſim animo diſcutere, peragrare. imo vel cũ vnius horizontis claro iubare illuſtrati proſpectu, nulla guſtus aut tactus oblectamenta, quod ad delectandum attinet, comparari poterunt. Illuſtre quid, naturæ progreſſus per gradus & interſtitia animo recenſere, ſiue a ſemine reſoluto in herbam, florem ac fructum excreſcat, ſiue retrocedendo emoriendoque ad primordiales cauſas paulatim relabatur. Montes, quorum viſcera ingenti ſua mole magnifice turgeſcunt: quorum iuga mira altitudine ſublimantur: quorum deuexa arboribus pulcre veſtiuntur, non oculos modo, verum etiam omnem vim intelligentiæ in ſpectatore ad ſe rapiunt, ſuique admiratione ſuſpendunt. Valles vaſtitate & æquabilitate diffuſæ, dum marini vultus malaciam quandam in arido æmulantur, aſpectus noſtros extendunt in immenſum, & iucunditate ſingulari demulcent. Aperti aëris ea eſt indulgentia, vt quos triſtes ex ædibus prodeuntes exceperit, illos ſumma lætitia ſubinde perfundit: adeo vt eadẽmet cogitatio, quæ

in anguſtijs cubiculi habitantem grauius afflixit, mox ſpatiantem in sprico perſtringere vllo nequit ſenſu acerbirstis. Quid loquar de cœli ſpectaculo, cuius facies tam inſignis ſplendore, tam expanſa magnitudine, tam ſublimitate eleuata, tam qualitate ſui diuina, quantum ad iucunditatem, quam transfundit in ſui admiratorem? Duo quippe ſunt in aliquo obiecto aſpectabili, quæ videnti recreationem adferunt: vnum, quo magnum & amplum ſe oſtendit, alterum, quo in ſe continet vim quandam eliciendi variam cogitationem in hominis mente. Cæterum ſi artium effecta, palatia ſcilicet, & reliqua, quantum ad hæc, contendamus cum cœlo, cum elementis, cum naturæ partibus, longe inferiora ac imbecilliora inueniemus: adeo vt quidam Philoſophus affirmarit, ideo hominem procreatum eductumque in lucem, vt in ſolem intenderet.

Clau.l.1. de rap. Proſp.

——— Incanduit æther,
Egit flamma polum, fluxit mare, terra pependit,
Nec color vnus erat. ſtellas accendit in auro,
Oſtro fudit aquas, attollit littora gemmis,
Filaque mentitos ſubter tolantia, fluctus,
Arte tument, credas allidi cautibus algam,
Et raucum bibulis inſerpere murmur arenis.
Addit quinque plagas, mediam ſubtemine rubro
Obſeſſam feruore notat, ſquallebat aduſtus
Limes, & aſsiduo ſitiebant flumina ſole.

Neque tantum hæc inſpecta eos reficiunt ac recreant, quo ſenſus noſtros ad ſe compellunt, verum inſuper, quo a ſe ad Deum, eorum auctorem ac finem, cogitationes noſtras transferunt.

Boet. l.5. conſ. met.5.

Vnica gens hominum celſum leuat altius cacumen,
Atque leuis recto ſtat corpore, deſpicitque terras.
Hæc niſi terrenus male deſipis, admonet figura,
Qui recto cælum vultu petis, exeriſque frontem,
In ſublime feras animam quoque, ne grauata peſſum
Inferior ſidet mens, corpore celſius leuato.

Pſalm. 91.

Quia delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

7 Quod ſi quis iſtis deambulationibus ac ſpeculationibus, doctum, fidum ac comem amicum adiunxerit, qui recte nouit pulcro dictionis ſchemate ſermonem contexere, ſimul ac ingenuis ſalibus eundem inſpergere, quid eſt, quod ad iucundam requirat quis ſui recreationem?

8 Deducit quoque ratio ciues, inter alios ludos ſuos, ad audiendum muſicam, legendumque ſuauiſſimas poëtarum cantilenas. modi quidem muſici, vt alias dictum, animi affectionibus apte accommodantur: & dum eas excitant, pariter delectant: habet enim vnaquæque affectionũ, ſi fota ac confirmata fuerit, proprium ſibi ſenſum voluptatis. Enimuero in ipſis formis ſonorum, tanquam in viuis picturis, intueri animo in omnes ſpecies affectionum, ſuauiſſimum iudicari merito poterit. Pari modo Poëtarum colores ac cantus rebus ipſis conſentientes, dum aliquid docẽt, mirifice oblectant. etenim ratione metri, affectionibus animorum Poëtæ blandiuntur plane Syrenum inſtar: ſimulque qua conceptionibus ſuis, qua verborum ſtructura, ſemper transferunt intelligentias legentium vel audientium ad rerũ apices, flores, gemmas, mellaque: atque eo pacto eximium eis adferunt delectationis ſenſum.

9 Ludi ad irritandum concupiſcentiam inſtituti, a prudente ciue defugiendi. Cum enim ex nobis ipſis ſatis ſimus propenſi in hanc labem, qua admiſſa, vniuerſa vita ciuilis coinquinetur: cumque a Deo ipſo ac Philoſophia tot proponuntur nobis coercitiones a libidine, ac omnino diſſuadeatur voluptas, quorſum nobiſmetipſis eſſemus funeſti, ignesque illos in nobis accenderemus dedita opera, adeoque ludentes deflagrati conſumeremur? Non aliunde ſane animus recreandus, quam vt ſubinde vegetior, alacriorque euadat ad ſtudia gymnaſtica & ad laborandũ. at voluptuoſi ludi nihil tale poſt ſe relinquunt: quinimo inſatiabilem appetitum voluptatis excitant, non explent, ac omne in homine robur ad conandum, tandem debilitant. In hanc claſſem referendos exiſtimo chartarum & alearum luſus, in eis enim aut turpe lucrum ſpectatur, aut fortuitus euentus, cuius occurſus, expectatione antea ſuſpenſa, valde illecebroſus. eodem pariter tendunt digladiationes ſingularis certaminis, quibus occupati, non tam fortitudinis incitatione inducuntur in illud genus violentiæ, quam ineſcati dulcedine ſpei, aut experientiæ inde acquirendæ, neruos in id operis accommodant. Suaue enim illis apparet probare, quid in hac aut altera armorum tractatione, aut ſitu, eleuatione, ſeu depreſſione, accidet, ideoque euentum, voluptatis auidi, vt in alijs fortuitis, præſtolantur. in qua re artis verſutia, nõ roboris natura, multa excogitauit, quorum notitia ipſo caſu iucunda: proinde ab arte, quæ ingenij fœtus, non a maſculo animo aut virtute, armatæ iſtæ hoſtilitates manantes placẽt, ac delectant gladiatores.

10 Turpe autem ac penitus illiberale, voluptatem expetere ex lucro ac fortuna decidente: & ea de cauſa indecorum, ludere vt ditior ex aliorum damno quis victor euadat. & huiuſmodi voluptas deſinere ſolet, vtpote turbulenta & horrida, in iras, in animorũ offenſiones ac triſtitias: quibus nobis nominibus a ciuilitate morum eadem diſſentit. qualis precor, iſte ludus, qui ſpinis & furoribus animorum ac corporum implicatur? Craſſior autem illa habenda, quam hiſtriones verbis, actionibuſque ſuis populis turpiter ad quæſtũ propinant ac vendunt. in quos ſpectantes, incenduntur libidine, nouos modos adulterandi, falſandi, addiſcũt, & rem grauiter reipublicæ nocituram, ludicrã & iocoſam eſſe æſtimare incipiunt. *Si enim adulterium*, inquit *S. Chryſoſtomus*, *malum eſt*, *mala eſt eius imitatio*. Propterea *S. Patres*, *Chryſoſtomus*, *Cyprianus*, *Lactantius*, *Hieronymus*, & *Arnobius*, in ſcenicos apparatus plurima acerrime diſputarũt. At vero tyranni iſtos ludos, voluptatum quaſi vaſa, libentiſſime ſubditis proponunt, vt earum guſtu effœminentur, vt ſenſus ipſorum magis diſtineantur, vt tyrannidis cauſas non perſentiſcant, neque audeant quidpiã tentare, quo eam a ſe depellant: quo pacto ludibunda barbaries, ciuilitatis firmamenta ſuauiter & cum riſu interdum conuellit.

Chry. hom. 6. in 2. cap. Math. Cypr. ep. 57. Lact. l.1. c. 2. H. epi. ad M. g. Arnob. l. 7.

11 Deni-

11 Denique ludi, qui iraſcibilis facultatis in homine feruori arrident, baud ſunt penitus ciuilitate excludendi : faciunt enim plurimum contra effæminatam animi mollitiem & timiditatem, ſtrenuos martioſque ſpiritus ſuſtentantes.

Hom. Ili. 2.
Virg. Æn. 5.

Hoc Romani optime nouere: ac proinde ludos pugnaces, etiam curſus ac luctas, in mores inuexere, quorum finem ſpectari voluere in pectoris conſtantia & virilitate ad aſpectũ humani cruoris, ac cuiuſuis cædis vel immaniſſimè perpetratæ. Nihilominus ludi apud eos gladiatorum, retiariorum, pugnantium ad beſtias, redarguendi penitus: nimium enim iraſcibilem facultatem in eis exaſperabant & plane indolentem effecerunt. ob quam cauſam ſpiritu

Euſ. l. 4. de vit. Conſta.

Chriſtianitatis iam emollitus animus *Conſtantini Magni*, huſce ludos, vtpote ferales, ſua ciuitate expulit, vt narrat *Euſebius*. Iſtis ludis apud antiquos acceſſere venationes leonum, pantherarum, aprorum & vrſorum: in quibus vires armatorum exercebantur, & genus quoddam periculoſæ militiæ dextre prælusum, animos oblectabat, confirmabat corpora.

Claud. li. 3. in Stil.

———— Quodcumque tremendum
Dentibus, aut inſigne iubis, aut nobile cornu,
Aut rigidum ſetis capitur, decus omne, timorque.

Ab iſtis venationibus ciuilibus ſecernuntur leuiores aliæ, quibus nonnulli occupati. quales exiſtunt venationes timidorum animalculorum, vtpote leporum, vulpium, ac ceruorum: quorum nimia inſectatio effæminata, ac timidi ſpiritus indicium: eorumque mactationes diuturnæ, ac in conſpectu frequentiores euiſcerationes, feritatem quandã paulatim ingenerant.

Suet. in Ner.

quo pacto *Nero* ferum animum præmonſtrauit, qui iuuenis in cubiculo, ioci cauſa, paſſerum oculos & cerebra, aurea acu ſolebat ſuauiter pertereb rare.

12 In vniuerſum autem quantum ad ludos duo obſeruanda. Primum, non leuiter, ſed ex iudicio genus ludi ſuſcipiendum. cum enim ludi, vt retulimus, ſigna ſint indolis ac dipoſitionis, conſequens, penſitatione quis caueat, ſe ac interiora ſua alijs ludendo apperire, ſimulque expendat illam ludi ſpetiem, quam in ſuos mores admittat, vt de ſeipſo non aliam bac in re quam decoram det ſpectantibus ſignificationem. Alterum in eo ponitur, vt ludi non ſint aſſidui, ſed certis temporibus, & poſt inſumptos labores, interpolati. Quemadmodum enim cœlum non totum eſt ſtelleum, ſed ordinate ſtellis reſperſum, ita vita ciuilis haud tota ludis attribuenda, ſed illis potius, diſeretis occaſionibus incidentibus, viciſſim recreanda. Perpetui ludi, hominum leuium ſunt & effæminatorum; quorum omnis vis pueriliter euaneſcit in auras voluptatum. Sicut enim ciues ſi continuo ſtudijs gymnaſticis, ſeu ſerijs, inhærerent, omni ludi deſtituti lenocinio, indureſcerent in quandam immanitatem, ita ſemper ſi ludis iucundioribus deliniti, & grauioribus conſilijs vacui manerent, in puerilem leuitatem omne in eis pondus ſenſus ac iudicij tandem abiret. idcirco ſignatis vicibus gymnaſticorum rigor ludo mitigandus, iuxta ac ludorum amœnitas gymnaſticorum acrimonia temperanda. Errant itaque vebementer plurimi nobiles, qui nihil præter ludos decere putant ſui ſtatus dignitatem: veluti ſi eadem eſſet nobilis condicio, quæ catelli, aut pueruli.

13 Cum itaque vitæ humanæ, quod ad ciuilitatem, ratio vniuerſa, ſtudijs conſtet gymnaſticis & Muſicis, ideo tractaturi negocium cum aliquo, prius videndum, an Muſicus fuerit vel Gymnaſticus. occupationes Gymnaſticæ vt hominem reddunt ſerium, ſuiſque ſuſceptis negocijs attentũ, ita ſenſum humanitatis & erga alios affectionis aliquantulum impediunt, & ad moroſitatem quandã eum propendere faciunt: præſertim ſi cõplexio melancholica interuenerit. Cui idcirco odioſa erit omnis per alios illata interpellatio, nõ vt in ſanguineis, aut cholericis ad iram prouocandũ idonea. inepte idcirco cũ huiuſmodi Gymnaſtico agitur de muſicis, diſpatibus negocijs, maxime autem de fauoribus conciliandis. ſin vero is quo cum acturi, fuerit muſicus, hoc eſt epulo exhilaratus, religionis ſolemnitate iucundus, villæ recreatione lætus, importunum fuerit Gymnaſtica conſilia ingerere, aufert enim hoc inuito guſtum expetitæ ſuauitatis. conſultius autem cum huiuſmodi agetur de beneficijs & auxilijs concedendis propter beneuolentiam in illo propenſionem, quam Muſica oblectamenta ſolent procurare.

Cum ſtatus vrbis erit, qualem nunc auguror eſſe,
Et nullus populi contrahet ora dolor: Ou. de põt. l. 3. Eegl. 1.
Cum domus Auguſti Capitoli more colenda
Læta (quid eſt & ſit) plenaque pacis erit:
Tunc tibi dii faciant adeundi copia fiat:
Profectura aliquid tunc tua verba putes.
Si quid aget maius, differ tua cœpta, caueque
Spem feſtinando præcipitare meam.
Vt proficiſcentem docui te ſæpe diuque Hor. l. 1. Ep. 13.
Auguſto reddes ſignata volumina vinni,
Si validus, ſi lætus erit, ſi denique poſcet:
Ne ſtudio noſtri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes opera vehemente miniſter.

Quę hactenus diſputauimus, quantum ad principia vitæ ſacræ & ciuilis, ſatis multa videri poterunt ad recte informandum facultatem in homine concupiſcibilem. ſupereſt agamus de inſtitutione iraſcibilis: quod ſub vniuerſa notione Fortitudinis opportune præſtare videbimur.

CAPVT XXXVII.

Quænam ſit in vniuerſum a Fortitudine Ciuilitas.

QVoniam virtutis in homine progreſſui multa obſtant contraria, eaque terrorem vel difficultatẽ ſecum adſerentia, inde ne bonum publicum, priuatis virtutibus compreſſis, patiatur detrimentum, fortitudo animi comparanda, cuius ſit officium terriculamenta aduerſaque omnia, quæ virtuti obſiſtunt, conſtanti confirmatoque propoſito aggredi & ſuperare. & quod quæ terrorem incutiunt, aut ſpiſſius negocium faceſſunt

Aug l. 1. ſe. in mon. c. 1.
S Thom. 2. 2. q. 123 ar. 1. & 3.

Terrificos ciet, atque iraſci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.

Vſu quidem rerum innotuit, efferas nationes, vtpote Ægyptios, & quæ dum ſecuro victis aut ſupplicibus inſolentius dominantur, fortes haud probari in acie, aut ingruente vitæ diſcrimine. etenim huiuſmodi non informantur virtute fortitudinis, cuius munimen prudentia, vt Ambro. l. 3 epiſt. ep. 36. ait *S. Ambroſius*: ſed ſuperbiæ, & vindictæ capiendæ libidine exagitatæ, non fortia, ſed crudelia ſolum immaniter perpetrant; proinde illo furioſo motu appetitus in ipſis repreſſo, plane frigent ac iacent, etiam dum cauſa fortiter agendi vrget vel maxime, nec quicquã amplius audẽt. Hinc Lacedæmones, vt narrat *Plu-* Plut. l. de ir. *tarc.* pugnaturi in hoſtes, Muſis ſacrificabant: ab eis petentes, vt nulla ira dum pugnarent, immodicè corriperentur. adeoque in eum finem certa, vtpote ſuauiori muſica tunc vtebantur, Gell. l. c. 11. teſte *Gellio*. Contra qui verè fortes, animo exiſtunt nobiles, ad ignoſcendum faciles, ad parcendũ proſtratis inclinatiſſimi, ad excandeſcendum tardi. Lact. l. 5 Inſtit. idcirco, vt ſcribit *Lactantius*, cum *Henocles* vir fortiſſimus ſurreptum a ruſtico bouem præ oculis ipſius ruſtici mactaſſet, & ſocijs eum comedẽdũ dediſſet, debacchante illo ruſtico, & omnia mala illi imprecante, ſuauiter interim deridebat ipſe hominis impotentiam.

Ouid. lib. 3 Triſt.
Quo quiſque eſt maior, magis placabilis ira.
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus vrſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Luc. l. 9. Pl. in Anton. *Achilles Priami, Cæſar Pompei, Auguſtus Antonii* funeri lacrimantes indoluere. Enimuero turpius deſæuitur in honorem victi hoſtis, quam in vitam ipſius, aliaue externa bona: hæc enim pleríque contempſere, vt honore ſibi debito, nudi & exanimes potirentur.

Iuuen. l. 3. ſat. 8.
Curandum imprimis, ne magna iniuria fiat
Fortibus, & miſeris. tollas licet omne quod vſquam eſt
Auri atque argenti ſcutum, gladium que relinques,
Et iacula & galeam. ſpoliatis arma ſuperſunt.

Ariſt. 8. Pol. cap. 4. Huiuſmodi ſane moderatio, indolis nobilis & leoninæ, vt loquitur *Ariſtoteles*, certiſſima ſignificatio.

Ouid. l. 4 de Pont. ad Brut.
Scilicet, eiuſdem eſt, quamuis pugnare videtur,
Supplicibus facilem, ſontibus eſſe trucem.

Claud. epiſt. ad Hadrian.
Euellit rabiem præda, mortiſque facultas,
Prætereunt ſubiecta feræ, toruique leones
Quæ ſtrauiſſe valent, ea mox proſtrata relinquunt.
Non niſi bellantis gaudent ceruice iuuenci.

Haud itaque vir fortis ex ferro coalitus, ſenſum mœroris ac compaſſionis renuit penitus in ſe admittere, quinimo potius ex teneritudine quadam, cum id ratio præſcripſerit, vires is exerit & ex molli radice, in roboris duritiem, in ipſo virtus iſthæc tandem adoleſcit.

Ouid. lib. 4 Faſtor.
Dat tamen exequias, nec iam ſuſpendere fletum
Sustinet, & pietas diſſimulanda patet.
Oſculaque applicuit poſito ſuprema feretro,
Atque ait, inuito frater adempte, vale.

5. Quamobrem fortitudinis munus maximè indiget prudenti diſcuſſione, ac ſeria animi pẽſitatione: neque ad exemplar audaciæ ad primum ſonitum illatæ iniuriæ, vel leuiorem rumorem coniecti obſtaculi, furit, aut in vim erumpit: alioquin fœminas, ac ipſos canes ſobriò æſtum effondentes, hominibus fortiores diceremus. *Audaces* inquit *Ariſtoteles, præcipites ſunt,* Ariſt. l. 3 et. cap. 7. *voluntque ante ipſa pericula periclitari.*

Prud. Pſych.
Hanc procul ira tumens, & ſpumans feruida rictu,
Sanguinea intingens ſuffuſo lumina felle,
Vt belli exortem, teloque & voce laceſſit.
Impatienſque moræ, conto petit, increpat ore
Hirſutas quatiens galeato in vertice criſtas.

Cæterum iſta veſana iracundia, quam ratio non confirmat, illico exſpirat, perturbatione ex ſpirituum effuſione, aut corporis mutatione, deficiente: inſtar cometæ ſibijpſi incumbens emoritur.

Prude. ibid.
Ipſa ſibi eſt hoſtis veſania, ſeque furendo
Interimit, moriturque ſuis ira ignea telis.

Si ergo flamma ſit aliqua, quam fortitudo intus concipiat, ea potius latere debet, iudicio quippe rationis depreſſa, & tanquam medicamentum in vaſe abſconditum: tunc ſolum depromẽda quãdo iuſta ratio ſerio diſcuſſa id exegerit. Cic. li. 2. de Inuent. ob quã cauſã *Cicero* apppellat fortitudinem *Conſideratam periculorum ſuſceptionem, & laborum perpeſſionem.* & in eamdẽ ſententiam pulcre diſſerit *S. Ambroſius*. Amb. 1 off. cap. 30. Imo hæc lentitudo & moderatio etiam ad decus conferunt fortitudinis, ac ſunt veluti vmbroſi colores illi, qui in picturea, magis ſplendidis partibus vitam ac ſpiritum largiuntur. Quod enim motus fortitudinis ſit impetu quodam concitatus, inde ſi a ſcopo rationis aberrauit, grauiorem errorem parit: ſicut nauis velociſſime delata, curſum tenet incõmodiorem aut periculoſiorem, ſi a via deflexerit. Sen. Herc. fur. hoc modo in *Hercule* vires in peius erupere, quo liberos proprios occidit, diſcerpſit, exiſtimãs ſe de hoſte vindictam ſumere. enimuero abſque hac luce fortia agere, furere eſt, & dira pati, obſtinare. Multum ergò refert virum fortem, bonum eſſe, adeoque cum Deo amanter pieque verſantem, quo ab eo deducto radio diuinitus illuſtretur.

6 In viro itque forti videre licet velnti compendium quoddam totius ciuilitatis. Ciuilis enim vir, teſte *Platone, mitis & animoſus.* proinde vir fortis, ex affectu aliis inſeruiendi ac gratificandi: mitis, impetu vero ad obſiſtendum malis, animoſus. animoſitas ſine hac mititate furor eſt, & nil aliud quam crepitus diſruptæ ex vento tumeſcentis veſicæ: imo vbi non adeſt hæc mititas, ibi ingruente periculo nec valor. quamobrem vt plantæ vigor a radice, ita animoſitatis in viro forti robur, a charitate, a ſuauitate in alios, adeoque ab humilitate deriuatur. Hinc videre licet, hanc virtutem fortudinis in Chriſtianis martyribus floruiſſe præcipue; erant enim mites & animoſi: hoc eſt, vt ſcribit *S.* Cip. lib. de. Martir. 2 Cor. 02. *Cyprianus* in ſe complectebantur *Altum humile, & humile altum.* *S. Paulus* an non mitis, pro aliorum ſalute appetens deleri e libro vitæ, impendi, ac ſuperimpendi? 1 Cor. 15. qui ſe abortiuum, minimũ Apoſtolorum, nec quidem dignum nomine Apoſtoli, nuncupauit! pariter an non animoſus, dicens: *Certus ſum quia neque mors, ne-* Rom. 8

que vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque præſentia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeperare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Mitis inter aliquos itidem *S. Ignatius* martyr. iam enim vinculis pro Chriſto ad ſtrictus, militum cuſtodia ſeptus, ac ductus Romam ad beſtias, hæc de ſe pronunciauit : *Vinctus ſum propter Chriſtum, ſed nec dum Chriſto ſum dignus. Tametſi vinctus ſum, comparandus tamen vni veſtrum ſolutorum non ſum. Me pudet de illorum dici numero, non enim dignus ſum, cum nouiſſimus eorum ſim, & abortiuum quidpiam. Orate pro eccleſia Antiochena, quæ eſt in Syria, vnde vinctus Romam adducor, nouiſſimus fidelium eorum qui ibi ſunt.* En quam mitis *S. Ignatius*? videte pariter quam animoſus: *Paratum me offero igni, feris, gladijs, cruci, dummodo Chriſtum videam Saluatorem meum, qui propter me mortuus eſt.* ac teſte *Metaphraſte*, poſitus in theatro a beſtijs modo deuorandus, in medio illius horroris dixit: *Sum dei frumentum, & molar per dentes beſtiarum, vt fiam eius purus panis.* Etenim ad fortitudinem bellicam, quæ a ſeditionum furoribus diſtinguatur, non ſufficit rabies aliqua irritabilis animi. etenim Alexandrini olim in rixis, in ſeditionibus immanes, *Qui tamẽ,* vt ſcribit *Dio, ad bellũ eiuſque labores omnium ſunt ineptiſſimi.*

Ign. ep. ad Tral. ep. ad Magn. ep. ad Rom.
Ep. ad Smi.
Ign. ep. ad Tarſ.
Met. 1. Febr.
Iuuen. ſat. 15
Dio. l. 39. Hiſt. Rom.
Ouid. ſent.

Vt fragilis glacies, interit ira mora.

Fortitudo autem bellica fomento indiget animi virilis, diutius ac conſtantius permanente.

7. Duo autem cernuntur, quorum patrocinium in ſe ſuſcipit ciuilis ac ſacra fortitudo: *Verum* nempe, & *Honeſtum.*

Prop. l. 4. Eleg. 6

Frangit & attollit vires in milite cauſſa:
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Illud tunc a fortitudine aſſeritur, quando nullæ minæ aut obiecti terrores ſtabilitum pectus in affirmationem falſitatis, in indecoram veritatis reticentiam valent compellere. Hoc tunc ab eadem defenditur, quando ciues fortitudine armati, patriæ honeſtos mores, & ex eis prognatos honores, a vitijs & vituperijs muniunt. Enimuero niſi hæc officia apud ciues inuenirentur, nihil præclari in illis eſſet diu conſtans, ſed omnia timoribus exagitata, fluctuarent, & demum ingruente periculo, in falſa & inhoneſta turpiter miſereque reciderent: continet enim in ſe fortitudo ipſos neruos reipublicæ, ſeu vniuerſas corporis ciuilis firmitudines. Ac tametſi externa ſunt, quæ in actionibus & veri & honeſti difficultatem faciunt: vtpote minæ, vexationes ac damna, nihilominus id quod immediate earum curſum impedit reperitur in interna quadam ab iſtis impreſſione timoris, qui vacillare ciuem cogit ac retro cedere. Virtus idcirco, quæ contra internas tentationes immediatè ſuppetias adfert, dum officium veri aut honeſti in diſcrimen adducitur, fortitudo eſt, vt docet Doctor Angelicus. etenim tametſi omnis in vniuerſum virtus contrario vitio ſeſe opponat, nihilominus infeſto malo, vtpote arduo ac difficili, ſe obijcere, proprium videtur munus fortitudinis: hæc enim cum reliquarum virtutum vires labaſcere incipiunt, fortes animos pectoribus eas colentium inſpirat. *Quæ ſola,* inquit *S. Ambroſius, defendit ornamenta virtutum omnium*: quod *S. Cyprianus, S. Gregorius, S. Proſper, & Seneca* fuſius proſequuntur. Aliæ quidem virtutes formam quandam referunt veluti *Iacobi*: ſcilicet lenem & placidam: fortitudo vero ab eis apprehenſa, perinde ac ex materno aluo prodiens in lucem *Iacobus*, fratris plantam teneret, quidam *Eſau* eſſet, hiſpidus nimirum rigiduſque.

S. Thom. 2. 2. q. 123. art. 3. ad 2
S. Thom. 2. 2. q. 123. art. 7. in corp.
Ambr. l. 1. off. c. 30. 36.
Cyp. l. de patie. Greg. hom. 33. in Euan. Proſ. l. 3. de vit. cõt. cap. 20. Sen. ep. 62.
Gen. 25.
Prud. Pſych.

Auxiliumque ſuum fortis patientia miſcet.
Nulla anceps luctamen init virtute ſine iſta
Virtus: nam vidua eſt, quam non patientia firmat.

Neque ſolum egregia hęc virtus ciues a damnis protegit, quæ a falſitate & inhoneſtate proueniunt, ſed etiam a dedecore & infamiæ turpitudine, quæ imbelles timidoſque animos affectantur. Vir planè eſſe deſijt, qui virilitatẽ omnem a timore correptus, ſibi excuſſit; qui natura reclamante reſilit, officiumque ſuum ac ſtationem fractus derelinquit.

Ouid. l. 2. de Pont. Ariſt. 3. Et. cap. 6.

Turpe erit in miſeris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tuliſſe tuum.
Turpe referre pedem, nec paſſu ſtare tenaci,
Turpe laborantem deſeruiſſe ratem.
Turpe ſequi caſum, & fortunæ cedere amicum,
Et, niſi ſit fælix, eſſe negare ſuum.

Potius, vt cecinit *Auſonius*, mundi iſtius ſpeciem quandam infert fortitudo in hominis pectus, qua ipſe inexpugnabilis planè efficiatur, vt ſuperior omnibus calamitatibus, immobilis in alto conſiſtat.

Auſ. Ed. 16

Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus mundi inſtar habens, teres atque rotundus,
Extrema ne quid labis per leuia ſidat.

Præclarum ſanè exemplar huiuſce virtutis noſtris oculis obijciunt apes, dum ſua bona martio ritu cuſtodiunt; & in paruis corporibus bonorum ſeruandorum cauſa fortitudinem bellicam exercent.

Clau. l. 2. in Ruffin.

——————veluti paſtoris in ora
Commota glomerantur apes, qui dulcia raptu
Mella trahit. pennaſque cient, & ſpicula tendunt:
Et tenuis ſaxi per propugnacula cincta
Rimoſam patriam, dilectaque pumice antra
Defendunt, pronoque fauos examine velant.

7. Cum vero fortitudo pertinax ſit & obſtinata, pariter alij ab ingenio ſunt etiam pertinaces & obſtinati, qui tamen nihil virtutis in ſe habent: ideo fortitudinis pertinacia, quæ a ratione in optimum quid delata, oritur, diſcernenda ab ea, quæ ex malo corporis, ex frigido cerebro, ex abundantia humorum prouenit. Rectè Sanè *Heliodorus*: *Haud facile inde, quo ſemel contendit, reuocari aut deflecti poteſt barbaricum ingenium.* Plerumque autem iſtorum pertinacia cernitur in rebellionibus, potius quam in rerum præclararum ſtudijs: proinde in illis, bilis iuxta ac appetitus libertatis, totum efficiunt: nullibi autem locus virtuti in eis, aut veri honoris cupiditati.

Hel. l. 1. Hiſt. Æthiop.

CAPVT

CAPVT. XXXVIII.

Duplex fortitudinis munus expenditur: quod nempe agendo tollerandoque perficitur.

CVm veri honeſtique patrocinia in ſe fortitudo ſuſceperit, tum eius eſt officij, in ea aggredi generoſo impetu, quæ illis opportuna, quantumuis difficultatis aut formidinis ſpeciem in mentem alicuius ingeſſerint: ſimulque, irruentibus inſtar denſi grandinis malis, animum confirmare, ne impatientia aut dolore ſuperatus, in partes doloris vel ſceleris aliquando impotenter conceſſerit. Illud quidem agendo, hoc vero patiendo, abſoluerit. Idem
Cic. Tuſ. 2 *Cicero* pronunciauit, affirmando, fortitudinem, timorem & dolorem contemnere. Timorem quidem cõtemnit vir fortis, dum eius vallo quodammodo egrediendo, in actionem irrumpẽs dolorem ſpernit, quando inconcuſſo pectore: quibuſuis pœnis afflictus aut territus, immobilis perſiſtit. Ad vtraque autem officia rite exequenda plurimum iuuabit, animo præmeditari quæ accidere poſſint; quod fortitudo ſtudioſa ſit, vigil ac prudens, vti retulimus, non impetuoſa, cœca, aut temeraria aliqua concitatio. Quæ vero mala cogitatione viri fortis præue-
Cic. l. 11. ep. fam. ep. 21 nienda, ea duplicis generis, de quibus *Cicero*: *Ego enim quæ prouideri poterunt, non fallar in iis: quæ cautionem non habent, de eis non ita valde laboro. Sim etenim impudens, ſi plus poſtulem, quam homini a natura tribui poteſt.*

2. Et quidem in vtraque fortitudinis parte terror ſe facit perpetuo aſpectabilem, illudque eſt, in quod fortitudo continenter depugnet. Terrificum enim homini, ea ſibi perficienda ac ſuperanda proponere, quæ ingentes labores, aut ſumptus ab eo requirunt: quæ ante contendentis ipſius oculos, inſtar velleris aurei, ſerpentibus ac tauris ignem efflantibus munita, extremis periculorum difficultatibus vndiquaque concluſa. Pariter quid terrore plenum, ac plane gorgoneum, excipere in ſe magna illa detrimenta ac acerba, quæ aliorum fraus, violentia, malitiaque, quantumuis immerito aut inſonti, poterunt incutere.

3. Quod ergo conſtet, homini ingenitam eſſe hanc vim iraſcibilem, quæ in difficilia tendat, cum inde liqueat, eum haud eſſe a natura procreatum vt ocietur, vt voluptatibus demulceatur, ſed potius vt laboret, delicijſque abdicatis, ſedulo actionibus, eiſque impeditiſſimis, impigre incumbat, depugnetque tanquam armatus in omne genus moleſtiæ, & iniquitatis. Quocirca incidente calamitate, vel ex aduerſo hoſte conſiſtente, non eſt quod quis animo crucietur, aut hæc ægre ferat, tunc enim in campum & aciem gloriæ inducitur præclara hæc naturæ cõdicio, cuius eſt, in huiuſmodi aduerſa fortiter, atque cum laude virtutis, dimicare. Enimuero triſtia ac infælicia, licet ex ſe deformem habeant ſpeciem, nihilominus huius facultatis contentione tractata & ſubacta, quodammodo inaurantur & pulcherrima nobiliſſimi conatus forma vel in ſordibus collucent. Fulminante cœlo, vt obſeruatum, aquilæ ſolum comparent, alijs volucribus ſe in locorum concaua interea loci recipiẽtibus. Sic pariter nobiles ac magni ſpiritus dumtaxat vires ſuas exerunt ſæuiente fortuna, hoſtilitate inuadente, obiecti facie territante, ac ſe homines tunc eſſe probant aquilis ſimilimos. Spinæ quas roſæ in præſidijs habent, raptum ſui digniorem & ſuauiorem, difficiliorem licet, reddunt: ſerpens & aurei velleris cuſtodes, eius præſtantiam commendantes, fortiores animos in prædam potentius incitabunt.

Peruigil ecce draco, ſquammis crepitantibus horrens
Sibilat, & toto pectore verrit humum. Ouid. Epiſt. Med.

Haud longe diſſimiliter homini a natura ipſa ſic comparatum, vt rerum arduitates ac diſcrimina, maiori ſpiritu accenſo ſtimulos ſubdant ad agendum acriores. Quæ enim machinæ iſtius ambitu complexa, ſuo genere potiora, ea a nobis remotius diſterminantur, ac pluribus impedimentis incinguntur: ad quæ nihil præter improbum laborem, poterit attingere. manifeſtum hoc in metallis auri & argenti, quæ in terræ viſceribus abſtruſa: in gemmis itidem, quæ in alto maris generantur. ac quantum ad intellectum, prima rerum principia, & cognoſcibilitatis elementa, procul a proximis eius proſpectibus, in metaphyſicam abdita, remouentur. Pari ratione non eſt quod reputet cuius, id obuium & iuxta ſe poni, quod ad gloriam ipſius, aut reipublicæ emolumentum maxime pertinet, ſed contra ampliſſimis quaſi ſpacijs a ſe diremptum, & infinitis obſtaculorum voluminibus & labyrinthis implicatum. neque eſt quod ad adſpectũ ſolis, radios fortius vibrãtis, inſtar degeneris pulli, oculos claudat, ſed potius, vt in honeſtum animo & voluntate ſemper intendat, quantumuis impedimenta, vultus horrificos vndiquaque oſtenderint.

4. Etenim vel ex eo Fortitudo, non virtus modò, quinimo *Cardinalis*, ſeu genere præcipua, quod circa difficilia occupetur, eiuſque vſus omnium prorſus virtutum officijs immiſceatur. Cuius ſublimitate quis eleuatus, ſimul ac eiuſdẽ conſtantia confirmatus, vel ipſis tyrannis potentibus, aut beſtiis, quouis modo crudelibus ſuperior fortiorque euadit. Inter cæteras idcirco virtutes requirit fortitudo animi indolẽ nobilẽ ac veluti cardinalẽ. nam vt ait *Boetius*: *Magiſtrorum raro inuenitur clemẽtia, rariorque in agone conſtantia.* Imprimis ex hac virtute rem bellicam adminiſtrante, reipublicæ vtilitas acquiritur, conſeruatur, augeturque: eiuſdem dignitas eadem illuſtratur ac propagatur. Spectabile ſanè, quempiam amore patriæ accenſum, ſe vel morti eius cauſa deuouere, in conſertiſſimos hoſtiũ cuneos vltro penetrare. mors etenim, quæ ſua terribilitate plane immanis, vni fortitudini ſuccumbit, & ad eius duritiem alliſa, in gracilem ſpumam, in vmbram, imo in ingentis lætitiæ materiam, ſæpius reſoluitur. Non eſt iſthæc virtus parui animi conſilium, non pectoris a voluptate deliniti tenera contentio, ſed ingentis potius, altique ipſius motus, qui ad rationis imperium, omnem in ſeipſo ſenſualitatis impetum Boet. de diſc. Schol. ca. 4.

rigide

rigide compoſuerit. Fortiter quidem egere, qui ne occaſio fugæ, animi cogitationibus obuerſata, ſollicitaret quempiam militum ad relinquendum ſtationem, aut decretum prælium declinandum, fugam reddidere impoſſibilem: quod præſtitere Troiani, ad oram Tiberis naues, quibus in Italiam inuehebantur, concremantes, te-
Plut. de virt. mulieb. ſte *Plutarcho*. Iidem id egit apud nos *Guilielmus Conqueſtor* dictus, ad Anglicanum littus a Normannia ſua appulſus. Veruntamen fuga manente adhuc in bellantium poteſtate, vt mihi videtur, fortius confligere, quam ea excluſa, deſperato conſilio pugnare. proinde mare, teſte *Ariſtoteles* quod omnes cauſas dilapſus amputet, locus non eſt idoneus forti viro, cum cunctos, quantumuis ſegnes timidoſque, ſui horrore pugnaces efficiat. Merito idcirco Romani emeritis militibus ſuis colonias & amplas poſſeſſiones conſtituere, quibus tantam in illis virtutem remunerarent.

Lucan. lib. 7 *Hæc eadem eſt hodie, quæ pignora, quæque Penates*
Reddat, & emeritos faciat vos marte colonos.

Ac inter reliqua difficilia, aſſultu aliquo fortitudinis expugnanda, locum habet inueteratus aliquis error, multorum applauſu defenſus, populorum delectu ſuſceptus: præſertim ſi impietati hæreſeos, atheiſmi, aut apoſtaſiæ vim aliquam idem contulerit. tunc enim præclarum fuerit, ciuium animis ſalutandis, ne dum eorum corporibus in libertatem vendicandis, quempiam neruos ſui ingenij meditando, diſſerendo, ſcribendo intendere, falſitatis præſidia, fallacias, fucos, ſophiſmata, mendacia diſſoluere: veritatis fundamenta, in alto dimerſa, ſtudioſe inueſtigare & elucidare; tametſi plurima vitæ incommoda ſtudia hæc aſſectentur. Hoc quidē genus fortitudinis vſui eſſe ſolet pacis tempore, poſteaquam bellicæ tempeſtates conquieuerint: vt intelligamus, locum inuenire ſui exercendi fortitudinem, ſiue animorum conceptus, ſiue corporum vires in honeſtatem aut veritatem hoſtiliter conſpirarint: ſiue arma inſonuerint, ſiue amænitates floruerint, ſiue draco, ſiue leo iter facienti obſtiterint. Cæterum quod fortitudinis opus ratione præeunte ducatur, non omnem fugam aut receptum a dimicatione protſus improbat, ſed illum ſolum, qui vero vel honeſto detrimentum adfert. interdum enim ſui ſubductio iſtis plus cómmodi adferet, quam pertinacior alicubi concertandi importunitas.

Athan. Apo. *Plus fuga laudatur Pyrrhi, quam vincla Iugurthæ.*

Greg. Naz. Apol. 1.
Claudia. de bell. Getico

5. Quod vero ipſo aggreſſu non ſemper veritas & honeſtas ſint protegendæ, aut inique inflicta, obiectaue mala actione ſtatim depulſanda, ne cum dedecore, adeoque communis aliquando boni clade turpis vnquam diſceſſus fiat ab officio, aut tranſitus in errorem, vel crimen, omnia ex fortitudine perferenda prius, ipſaque perpeſſione profliganda, adeoque mors ipſa animo toleranda. non quidem Borealium ritu vitam ipſam contemnentium, hoc præſtandum, vt diximus, ſed ex iudicio, veritatem & honeſtatem vitali auræ, quam ſcelus deſerti officij contaminaret, præferente. Quocirca ſicut in vniuerſum poſtulat munus fortitudinis animi conſiderationem, circumſpectionemque, ita eas exigit fortitudo, quæ moratæ nuncupantur: quibus inquiratur, an patiendum vel cedendum: vtrum perferenda moleſtia, vel potius ei reſiſtendum. Eleganter idcirco docteque *Homerus* recolit *Achillis* cor, dum ſeuerius ob ſui decretam ſubductionem, Troiæ expugnatione inſtituta iam a ducibus, ab *Agamemnone* Rege increparetur, cor eius διάνδιχα μερμήριξε in duas partes diuiſum: nempe deliberante ipſo, in illo æſtu, an in caput *Agamemnonis* diſtringendus gladius, vel patienter obiurgatio admittenda. Refert porro idem poëta, *Achilli* hæc trutinanti, dum ſententijs fluctuaret, adfuiſſe cœlitus *Palladem*, quæ ipſum docuerit, Regem nullu impetu ab ipſo violandum. quo pariter admonuit, in cauſa fortitudinis, argumentis, vtrimque facientibus animum perplexum, recurrendum a viro forti ad Deum, vt ab illo certa definitio, directioque hauriantur. Vnde *S. Thomas* egregie notat, inter reliquas virtutes, fortidinē dirigi a dono cōſilij quod circa melioris boni electionē verſatur. Ponitur itaque hæc pars fortitudinis, de qua inquirimus, in tollerantia malorum ac pœnarum, qua vitentur facta culpæ aut dedecoris. Qui ergo ſeſe cum *Catone* occidunt, imbecilles potius ſunt quam fortes habendi: iam enim e ſuo loco iniuſſu Imperatoris Dei turpiter diffugere; ſimulque quod impotentes ad perferenda, quæ eorum vitas afficerent, vtpote opprobria, contemptum, paupertatem ac reliqua, ideo ſeſe voluntaria morte, talia præoccupando ſuneſtant.

Hom. Iliad. 1.
S. Thom. 2. 2. q. 139. art. 1, ad. 3.
Cic. li. 1. off.

6. Adeo naturæ ipſi hoc officium in homine conſentiens, vti veteres omnes, licet cognitionis diuinæ expertes, eius præclara quædam exempla ediderint. Cum quædam contra iura diuina apud *Sophoclem* tyrannus vel a fœmina poſtulaſſet exequenda, ita illi reſpondit:

Nec iuſſa tanti ponderis tua æſtimo Soph. Ant.
Mortalis, vt perennia Deorum queas
Temerare iura inſculpta mentibus hominum.
Non hæc heri aut ſunt nuper edita:
Vixere ſemper: quoque tempore cœperint
Scit nemo. Non hæc debui ego hominis vllius
Perculſa ſceptro, aut arrogantiam timens
Violare, poſtmodum Diis pœnas graues
Penſura.

Romani hac in re celebres exſtitere. at præ omnibus Chriſti cultores eminentiſſimi.

Cæſaris vexilla linquunt, eligunt ſignum crucis Prud. periſt. Hem. & ch. & in cat. S. Laur.
Proque ventoſis draconum, quod gerebant palliis,
Præferunt inſigne lignum, quod draconem ſubdidit.

Huiuſmodi pariter fortiſſimæ fuere voces ac ſenſus, quos extulit ſæuiente tyranno *S. Romanus*.

Nec terret iſta, quæ tumes veſania. Prud. in cat. de S. Rom.
Quod vultuoſus, quod ſupinus, quod rigens
Fomenta lethi commináris aſperi.
Si me mouere rebus vllis niteris,
Ratione mecum, non furore dimica.

Spiritum hunc, omnium pœnarum patientiſſimum, patefecit in ſe *S. Eulalia* virgo ac Chriſti martyr, ita quæſtioni ſubiecta, vniuerſam gentiliſmi impietatem damnans.

Iſis, Apollo, Venus, nihil eſt,

Maximi-

Prudent. in carm. de S. Eulal.

Maximilianus & ipſe nihil.
Illa nihil, quia facta manu.
Hic, maxime, quia facta colit.
Friuola vtraque & vtraque nihil.

7 Reuincitur idcirco eorum error, qui hanc patientem fortitudinis partem duplici aſſerto vituperarunt. Principio affirmare auſi, eam nihil eſſe, quam pectoris & ſenſus abiectionem quandam ac veluti reſupinatam tabellam, quam tyranni notent & commaculent ſuæ crudelitatis monumentis. Deinde ſtatuere, hanc ipſam aduerſari omni generoſo impetui aggreſſiuæ fortitudinis, eiuſque neruos penitus, ignobili ritu ſuccidere.

8 Verumenimuero liquidum ſatis, pati, genuinum eſſe fortitudinis officium, adeoque nobiliſſimũ, ſimulque præſtare alteri eius officio quod in aggreſſione conſpicitur: quod optime probat *S. Ambro.*, & *S. Thomas*. Imprimis ex particulari quadam ratione difficultatis, qua impeditur, id confici poterit. Fortitudo quidem aggreſſiua illud ſibi ſummopere peragendum præſtituit, quo timore caſtigato, furens audacia ad normam rationis componatur. Paſſiua autem idem efficit, non vult enim hominem nimio timore trepidantem a decore aut iure recedere. Cæterum id præſtat aduerſante maiori difficultate. Difficilius enim teſte Philoſopho, timorem reprimere, quam audaciam moderari. Deinde cauſa timoris vrgentior in fortitudine paſſiua. *Periculum, quod eſt obiectum audaciæ & timoris, de ſe confert aliquid ad repreſſionem audaciæ, ſed operatur ad augmentum timoris.* Porro fortem, dum agit & irruit, conſolatur ſpes, opinionem adducendo, quod ipſum malum tandem expugnandum, vel euenturo bono recompenſandum. In fortitudine autem paſſiua nihil animo ſuccurrit præter certiſſimum proſpectum in malum acceſſurum, aut modo premens. ac reuera alteri homini ſubijci quo ad euidentem effectum perpeſſionis, quod in fortitudine paſſiua reperitur, moleſtiſſimum: vtpote conceptæ patientis dignitati maxime aduerſarium. Denique malum, quod fortitudini actiuæ aduerſatur, eſt futurũ: quod vero patientẽ reſpicit, eſt præſens: vehementius hoc ergo, & ſuperatu difficilius. & quidem actiua fortitudo externum malum intuetur, quod euincat: paſſiua immediate intendit in appetitus affectionem, quam ſuperet. nobilius autem ſe, quam alios debellare, idque durius; cum multi externorum hoſtium aut ferarum domitores, qui inſtar *Actæonis* ſubinde a ſuis affectionibus oppreſſi, inglorij deceſſere.

Ambroſ. lib. 1. offi. cap. 41. S. Thom. 2. 2. q. 123. art. 6.

Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 9

Ouid. Epiſt. Med.

Quaque feros repuli doctis medicatibus ignes,
Non valeo flammas effugere ipſa meas.

9 Ac vt in vniuerſum fortitudo patiens, quieto adeoque hilari animo ſuſtinet ærumnam, ſiue bono iucundo, ſenſui, ſiue honori aduerſariam, ita illius eſt, non ſolum mœrorem, ſed etiam ſuſpiria comprimere, ſi quid acerbi inciderit. Eccui bono vtile ſuſpirium, cum in ſe naturæ & vitæ contineat nocumentum? effectus quidem triſtitiæ ſuſpirium, malæ cauſæ vitioſum remedium. Cum enim triſtitia animi cogitationem in malum preſens detulerit, tum eadem partes interioris corporis plus iuſto propter exiguam reſpirationem incaleſcunt: ex quo dicit Sapiens, curam oſſa exſiccare. ad quem æſtum ſedandum, natura ſuſpirium, ad aerem refrigerantem attrahendũ procurat. ex quibus duplex incommodum vitæ dimanat. primum cernitur in intemperie ex triſtitiæ calore, alterum in motu pulmonum ſuſpirantium, non a natura, ſed a paſsione contra naturam excitato: quo etiã pulmones debilitantur, eo proinde lædi naturam neceſſe fuerit. Cum ergo fortitudinis ſit, bonũ naturæ protegere, & mala ei contraria ſuperare, ideo quod ſuſpiria oppoſita ſint bono vitæ, ac bono prudentiæ, a fortitudine ſuperanda. Non eſt certe viri fortis ſuſpirare ac ingemiſcere in malũ naturæ; niſi quando dolor licitus & commendabilis: qualis dolor ob peccata in Deum commiſſa, & compaſsio illa, qua Chriſto patienti condolemus.

Prouerb. 2.

10 Verum quidem eſt, patientem ac ſanguinolentam fortitudinem, non ita ad aſpectum oculorum fulgere, vt illa fulminea ac triumphatrix: nihilominus quoad mentis intelligentiam, miro quodam decore reſplendet.

Vulneribus pars nulla vacat, reſciſſaque cunctis,
Gloria fœdati ſplendet iactantior oris. Claudian. de bel. Getico.

Neque actiuæ fortitudini obeſt paſsiua, vt illi calumniantur. Recte enim *Tertullianus* inde intulit, in bellis gerendis Chriſtianos vere eſſe martios, quod tam libenti animo, veritatis aſſerendæ cauſa, adeo immania tormenta pertulerint. *Cui bello non idonei, qui tam libenter trucidamur?* Vnde notat *Cicero* fortiſsimas nationes Græcorum minus audere, quam barbaras, quietius tamen morbos aut vulnera tollerare, eoque eſſe fortiores.

Tertull. in Apol. cap. 37. Cicer. Tuſcul. 2.

11 Falſi pariter ethnici, qui in Chriſti cultoribus patientiam, charitatem, & caſtitatem, exiſtimabant fortitudini ciuili repugnare. Hine, vt ſcribit *S. Auguſtinus*, Chriſtianos inepte vocabant ſegnes, nullius cordis homulos. & apud *Prudentium* hæ fuere ipſorum in noſtros exprobrationes:

Auguſt. in Pſalm. 41.

An tenerum pietatis opus ſudatur in armis?
Aut pudicitia gelidum cor vtile bello eſt?

12 Et quis præter ferreum aliquem Romanum, priſci ac ferrei illius imperij ciuem, exiſtimaret, patientiam, charitatem & caſtitatẽ cum genuinæ fortitudinis ſpiritibus ignibuſque non poſſe conſiſtere? Sæpe admonuimus, fortitudinem non eſſe rabioſam, non eſſe immanem vel immitem, ſed potius tollerantiæ ac beneuolentiæ conſentientem. *Neque enim lupus, ait Ariſtoteles neque alia beſtia honeſtum periculum pugnando ſubibit, ſed magis vir bonus.* quid eſt ergo lam quod lupos, quod arenarios, quod circenſes, tanquam fortes nobis proponimus, ad iniurias quippe ſolum inferendas inſtitutos, totoſque horridos effectos ad aliorum internecionem? quorum mortis contemptores, ſibi necem vltro inferentes, in fortium album referemus? De quibus *Silius Italicus*.

Dan. 2.

Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 4

Prodiga gens animæ properare facillima mortem.
Namque vbi tranſcendit florentes viribus annos,
Impatiens æui, ſpernit nouiſſe ſenectam. Sil. Ital.

Yy Longe

Longe pariter abſurdum, caſtitatem obeſſe fortitudini. quinimo antiqui in rerum naturaa accuratius inſpicientes, virgines acres dixere: hoc eſt robuſte intentas in id, quod ſibi proponunt conſiciendum: ſiue literarum id fuerit ludus, ſiue belli negocium. Cum enim voluptates ac libidines a ſcipſis abdicarint, quamobrē precor, non eſſent incitatæ de reliquo in omnia genera actionum? vnde non inuenirentur ad ſe recollectæ, ac minime, vt alijs contingit, diſperſæ, diſtractæue? Imo *S. Auguſtinus* & *S. Thomas* egregie probant, ſtudium virginitatis officium eſſe quoddam fortitudinis. Verum quod alia adhuc ſint munia fortitudinis, de eis etiam pancis inquiramus.

Auguſt. lib. 1. ciui. cap. 26. S. Thom. 2. 2. q. 151 art 1. ad 2.

CAPVT XXXIX.

1 Quænam ſit a fortitudine animi caſtigatio, quæ etiam eiuſdem dulcedo, & ex ea vita tranquillitas.

FOrtitudo, de qua pertractamus, non tantum viam munit appetitui, ſeu voluntati concupiſcenti, omnia obſtacula amouendo, quæ earum facultatum progreſſus impedirent, ad idæam cuiuſdam præcuncis ſtipatoris: verum etiam nonnunquam in eaſdem ſeueri magiſtri partes agit; quas nunc iacentes excitat, ſubinde laſciuientes coercet, denuo exultantes deprimit, & quodam mediocritatis termino comprehendit. Vnde fortes viri, dum in eis fortitudo dominatur, neque ex lætis rebus ſeſe nimium efferentes inſoleſcunt, neque ex triſtibus moleſtati, turpiter inde dimittuntur. qualem deſcripſit *Lucanus.*

S. Thom. 2. 2. q. 123. art. 1.

Lucan. lib. 7

——— Nec te videre ſuperbum
Proſpera bellorum, nec fractum aduerſa videbant.

Idcirco euidentius ſignum dari non poterit, in quopiam ciuium deſiderari fortitudinem, quā ſi in proſperis turgeſcat, vel in aduerſis deijciatur: illud leuitati, hoc imbecillitati adſcribendum: & vtraque fortitudinis ponderi ac viribus omnino aduerſantur. Eſt quidem fortitudo, non modo magnanima in bonorum proſequutione, ſed etiam humilis in omnium affectuum moderatione; proinde humilem eſſe, fortem ac debitis ponderibus libratum eſt eſſe, modum in difficilioribus quippe recte obtinentem. Quemadmodum enim ventus, qui arundinem agitat, quercum non mouet: ita quo quis in virtute fortitudinis confirmatior, eo euentuum reſpectu, proſperorum ſcilicet, ſiue infelicium, immobilior, conſtantiorque reperitur. Exultationes nimiæ, ſpes leues, abiectiones viles, in virum fortem haud incidunt. earum idcirco omnes ſpecies a ciue diffugiendæ, ſi fortitudinis æſtimationem adipiſci cupiat.

2 Imprimis deprimit animum vera fortitudo ab omni ambitu vanæ gloriæ. hanc etenim præterit vt rem exilem, vt a laudantibus dependentem; in virtutis autem decus ac probitatem interim intenta, quæ expreſſa ſunt bona, dignaque, quæ a viro magnanimo propter ſe expetantur. Etenim ſi quis amore eſſet inflammatus vmbræ alicuius, is in duobus delinqueret. primo imbecillem ſenſum oſtenderet, cuius affectio in obiectū adeo vanum deferretur. deinde huiuſmodi amore plenus & præoccupatus, parum virium ſe retinere probaret ad proſequendum amore corpus ipſum ac ſolidum. Similiter humani applauſus ac ſplendoris cupidus, prodit ingenium anguſtum ac remiſſum, quippe delatum in quid valde tenue & vmbratile. porro etiam eodem ſe impeditum manifeſtat ab omni egregio amore, quem Deo, patriæ aut virtuti ſolertius impendat. quæ adeo ſunt conſpicua, vti ſuperbia ipſa, ad ſui conſpectum veluti ſuppudeſcens, humilitatis nobilem formam ſibi obtendere ſolet, quo aliorum oculis clanculum illudat. *Glorioſa res humilitas*, inquit *S. Bernardus*, *qua ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit ne vileſcat.* Magni itaque ſpiritus, ac genuine fortes, in ijs apparuere, qui honores ac dignitates vltro contempſere: vtpote in Chriſto Domino regiam amplitudinem, quantum ad vſum, a ſe reijciente, & alijs illuſtrioribus illius ſanctis, in potiora bona a terrenis excitatis, quam ſit vlla gloriola, hominum cultui præſtituta. Qui ergo fortis exiſtit, is non mouetur, non capitur aliorum laudibus, non venditat ſua, non ea de ſe prædicat, quæ ipſi haud inſunt, ſed ad expreſſiora & anguſtiora contendit: veram ſcilicet virtutem, beatitudinem, ac maiorem Dei gloriam: digna quidem viri fortis ſtudio ac labore. De alijs pronunciat cum *S. Auguſtino*: *Nec malam conſcientiam ſanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conuitiantis opprobrium.* Eſt itaque ſuperbia quædam animi abiectio, tumor inflationis, non plenitudo ſubſtantiæ: vt etiam diſſerit *S. Auguſtinus*: petulantia, non virilis altaue operatio: neruis & oſſibus plane deſtituitur, ac fortitudini prorſus contraria eius omnis incitatio. Quod ſi vir fortis ac magnanimus animo gaudium aliquando concipiat, dum ſe ab alijs laudari percipit, id nihilominus facit, vt notat *S. Gregorius*, non ex guſtu ſibi delatæ laudis, ſed ex amore vtilitatis in alijs: cum illis commodum, virtutes aliorum laudare, ac recte optandum ſit, virtutē debitis ſibi encomijs ab omnibus vbique celebrari. Licet tamen, neque id obeſt fortitudini, imo illi potius conſonat, exterioribus ſignis propriam dignitatem, maxime ſi inſultantes eam inique opprimere conentur, conſtanter tueri, & aſſerere. quo pacto ciuiliter confirmatus fuit animus *S. Auguſtini*, noſtratium Apoſtoli, qui quod ex officio Nuncius, ſeu legatus eſſet Apoſtolicus, noluit ſubmiſſiorem reuerentiam Epiſcopis Britannis exhibere: neque expediebat, Apoſtolicum præſulem, inferiorum ſuperbiæ ſe obſequentem quo humilis videretur, præbere, vt recoluit *Beda Venerabilis.*

Bernard. de grad. humil cap 9.

Marc. 7.

Auguſt. lib. 2 cont. lit. Petil.

Auguſt. lib. 1 de ſerm. dñi in monte.

Greg. lib 2. Moral. ca. 9.

Beda. lib. 2. Hiſt. cap 2.

3 Poſtquam vero fortis animi ſtatus contra leuitatem arrogantiæ humilitate ſeu ſpiritus paupertate munitus fuerit, in reliquis facilius modum tenere, ac quodam firmitudinis retinaculo, aduerſo vanitatis flatui vbitis reſiſtere.

Math. 5. Auguſt. lib. 1. de Serm Dō cap. 1. 2 3

reſiſtere. Quocirca cum ſæpius geſtiat in homine animus de re aliqua ſtatim iudicare, & arbitrari, aſſentiri vel diſſentire, & iudicium paucis perſpectis proferre, fortis fuerit, ſiſtere hanc mentis præcipitantiam, æſtum hunc comprimere, illiſque ſedatis, profundioribus ſtudijs idque ſuſpenſa cura, obſtinatius incumbere. hoc ſane grauis ingenij opus, ſicut alterum, leuioris & lubricitate quadam fragilioris commentum. Docti ergo viri ac ſolidi rerum æſtimatores, *Hercules* ſunt, in laboribus nempe aſſidui, in dubijs anxij, in liquidioribus temperati, in abſtruſis induſtrij, in dicendis ſententijs moderati, in addiſcendis prompti: denique contra impetum effundendi ſe, viriles & confirmati. Ac præter hanc intellectualem fortitudinem, reperitur generalis fortitudo, quæ affectum ſeu voluntatem cohibeat ac remoretur, ne quauis impreſſione facta a mente vel ſenſualitate, illico ad conſenſum ſe rapi permittat. in quo officio voluntas boni ciuis non debet eſſe muliebris, quaſi cerea aut prorſus eneruis ad reſiſtendum, ſed aliquid ferri potius eſt quod referat. quæ ſi fuerit prorſus mollis ac delicata, voluptatibus quippe excisa, conſequenter hac & illac, illecebra obiecta, vel terrore incuſſo, impotenter admodum in omnem partem ſe inflecti patietur. inſignis itaque fortitudo animi in eo eſt ſpectabilis, quo voluntas quod ad perturbationes animi, rigidior eſt & obſtinatior. Et quidem Dei reſpectu, cor ſeu voluntatem carneam eſſe conuenit, cæterum quo ad ſenſuum blandimenta, lapideam, adeoque adamantinam exiſtere nihil vetat. Huiuſmodi autem moroſitas animæ, duobus comparatur. animi ſcilicet contemplatione, intimas rerum expetendarum fugiendarumque naturas expendente, ſimul ac frequentatis actibus repudij ſeu diſceſſus ab eis, quæ iucunda paſſim proponuntur. eſt quidem in voluntate, quemadmodum in corpore, quidã fluor charitatis & mollitiei, vi cuius ab appetitu ſenſitiuo valde ductilis efficitur; qui proinde fortitudinis cultu exhauriendus, vt aduerſaria diſpoſitione eadem conſolidetur. Et quidem quantum ad contraria ſtudia, nihil tam efficax, quam amor Dei, qui voluntatem, inſtar ignis reſtam roborantis, ſtabilem contra omne lenocinium reddit & erectam.

4 Ex hac voluntatis fortitudine oritur pariter imperium in omnes animi affectus: ac in particulari eadem impediuntur vniuerſi, ne ſui iudicia edant manifeſtiora in corpore, fitque, vt repreſſis reſpondeat quædam moderatio externi geſtus, vel illis contrariæ ſignificationes interdum exprimantur. Hanc fortitudinem voluit Deus eſſe ſpectabilem in ſummo ſacerdote apud Iudæos, cui diuina lege interdictum veſtimenta luctus publici induere. ac in vniuerſum in ciuili more poſitum, non debere principes publice ſigna dare magni alicuius doloris. inde canit *Ouidius*, *Romulum* Regem, viſo fratris interfecti *Remi* cadauere, grauiores triſtitiæ ſolitos affectus in ſe repreſſiſſe:

Leuit. 21. Philo. lib 3. de monarc. Ge 1. lib. 14. cap. 15. Senec. conſol. cap. 15. Ouid. lib. 5. Faſtor.

Flere palam non vult, exemplaque fortia ſeruat.

Enimuero vt hoc præſtetur, opus eſt fortitudine, & duro imperio in ingenij lenitatem, mollitiem, vel etiam impetum in oppoſitum. Cuius rei argumentum, quod fœminæ ac pueri raro hoc efficiant, propterea quod naturæ indole ſint imbecilliores, & in ipſis ratio ſit minus fortis ſeu imperioſa. Imperatoris fuit hoc præſtitiſſe:

Talia voce refert, curiſque ingentibus æger
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem. Virg. lib. 1 Ænead.

5 Neque ſolum facultas in homine iraſcibilis, virtute fortitudinis inſtituenda, vires exerit in obſtacula ac remoras, quæ progreſſum repellunt concupiſcibilis, verum vt ſeuerus dux, & durus magiſter, ipſius concupiſcibilis motus caſtigat, & ſæpius genere quodam mortificationis penitus extinguit. Sicut enim ille mollis ac fluidus, qui permittit in ſe appetitum cõcupiſcendi laſciuire, & ad voluptates paſſim laxe diffluere, ita ille fortis, qui eundem coërcet, & rigore quodam diſciplinæ nonnunquam exacerbat. fortitudinis eſt, animam reddere veluti concretam gemmam, quæ ſubinde ſplendorem acriorem emittat, quæ illi neruos confirmet, quæ ab illa cauſas diſſolutionis ſeuerius abarceat. Cuius ſtudij fructus, quo ad vniuerſas animi operationes, ſupra recenſuimus. Cum namque fortitudinis omne munus in aſperis, in difficilibus ac periculoſis verſetur, tum vim appetendi eadem ſic educit ac informat, vt idonea ſit, quæ ad hæc inualeſcat, neque quicquam faciat, quod voluntatem ab eiuſmodi rebus abducat, ſeu ad ea ſuperanda ineptum flaccidumque reddat. Vt enim illi ciues haud idonei ad externum bellum gerendum, qui ciuili diſcordia inter ſe conflictantur, ita voluntas hominis parum fœliciter ardua, extra ſe poſita, profligabit, ſi modo inſitus appetitu concupiſcendi in illo rabide exæſtuet. Pacem vero tum inducit poteſtas in homine iraſcendi, quando ſenſualitatis conatus compeſcit & tranquillat: nam ſi permittantur ad ingenium excurrere, plane rebelles & tumultuoſi demum euadent, adeoque mutuo hoſtiles & infeſti. idcirco quando fortitudo ſuum *Iſaacum* a lacte abduxerit, tunc parens *Abraham*, nempe recta ratio, lautum inſtruet conuiuium, vt eleganter illud factum interpretatur *S. Auguſtinus*. Sola eſt fortitudo hominis, quæ officium peragit illius ciuis, qui in naturæ petulantiam pugnando, illa duo ab *Epicteto* Philoſopho recenſita, explet: *Suſtine & abſtine*. Suſtinet fortitudo, dura perferendo: abſtinet, delitijs iucunditatum ſponte carendo, vt docet *S. Hieronymus*. ob hanc cauſam vitam hanc appellat militiam *S. Iob*, idque declarat Apoſtolus *Paulus*: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem*. Militiæ autem proprium officium fortitudo, de quo *Sapiens*: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium*. Et quidem vbi defuerit hæc fortitudo, ibi creſcent non ſolum petulantia & leuitas, verum inſuper fortes erunt homines, bruta quadam violentia, in ipſam rationem incurſante: ita vt qui humano ritu fortes eſſe renuunt, ij bruto tandem, in

Gen. 21. Auguſtin. q. 50 in Gen. Hieró. Epiſt. ad Algaſam. Iob. 7. Galat. 5. Prouerb. 16.

ſui malum, robuſti venatores & *Nemrothi* euadãt. Prouerb. 29. *Qui delicate a pueritia nutrit ſeruum ſuũ, poſtea ſentiet eum contumacẽ.* Ambroſ. l. 3 de Virgin. *Qui dominari neſcit cupiditatibus*, inquit *S. Ambroſius*, *is quaſi equus raptatur indomitus, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Atque maiori fortitudine contra ſuas affectiones illi ciues indigent, qui ratione inſtituti proprij, verſantur in maioribus periculis, & occaſionibus frequentioribus delinquendi obijciuntur. Neque renera qui iſtius fortitudinis expertes ſunt, ſuis cupiditatibus ſeruientes, ij in pace degunt, aut ſolida iucunditate perfruuntur: enimuero illæ cupiditates intus fotæ & accenſæ, turbis ſuis & grauiſſimis afflictionibus haud viduantur. Quid precor; amarins pectore commoto, ardente, deſiderante, ambiente, iraſcente, libidinante? Iob 9. *Quis obſtitit ei, & pacem habuit?* Quemadmodum enim ſi pater familias ob timorẽ aut deſidiã, nullos depelleret ab ingreſſu in ſuas ædes, in eis vniuerſa pertubata ac violata demum inueniret, ita is, qui ob animi mollitiem, in animam ſuam omnes voluptatum choros admittit, nequaquam pace gaudebit, ſed ſingulæ eius facultates talibus hoſpitibus inquietabuntur, ac tandem vel vitæ ipſius tædio conficientur. Pſalm. 54 *Deſcendent in infernum viuentes.*

6. Hæc ipſa fortitudo, diligentiſſimus excubitor præ ianuis animæ, ſimulque paratiſſimus miles ad repellendum quemuis hoſtilem impetum, eiuſdem animæ ſaluti infeſtum: tentanonis impreſſioni obſtinate pariter reſiſtit, affectumque confirmando, non patitur eum vllo impuro lenocinio facilè abduci ab officio honeſtatis. Duo quippe in ipſa fortitudine conſpicua, quæ omni tentationi reijciendæ aptiſſima: vigilantia nempe & robur. eſt enim fortitudo Hier. ep. ad Euſtoch. *Argos* quidem, ſeu peruigil draco: proinde ad primum appulſum blandientis illectamenti, vires eueſtigiò exerit, & iam natam ſolicitationem turpem expedito opere veluti in ſemine profligat. Subinde impenetrabile facit animæ pectus, ſeu illud ictui ſubducat, ſeu in excelſũ locum excitet, ſeu impactam cuſpidem illico adamantina virtute reijciat, & in hoſtem retorqueat. Pſalm. 17. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum: & ſuper excelſa ſtatuens me.* Muliebre & eneruc eſt, ad prima incitamẽta voluptatum manus ſtatim dare, conſenſum tribuere, eo ſeſe impotenter cõmittere, quo ſolicitat & vocat libidinis ſuaſa impuritas. Neque ſolum animæ ſtatum exhibet ſtabilem hæc fortitudo, verum etiam vim eius auget, & maiorem indies pugnando reddit, velnti iam durã obijciendo hoſti, in quam nulla eius flãma aut labes penetrare aut inſinuare ſe poterunt: & eàde cauſa pronuntiat Apoſtolus, 2. Cor. 12. virtutem in infirmitate perfici: ſeu inde ſtabiliri & confirmari.

7. Enimuero ſalus ipſius animæ ab hac fortitudine plurimum dependet: niſi enim quis fortis fuerit, fruſtra bona virtutum ornamenta comparabit, fruſtra ea in ſa inferet: quorſum enim contenderet, vt ingentem vim gemmarũ congereret, & ſubinde eas omnes in caniſtro aliquo ſtramineo aut vitro poſitas, in publica via deprædandas exponeret? Similiter nihil proderit iuſtum eſſe, pium ac temperatum, niſi fortitudo has diuitias munierit: ſcilicet, niſi hominem earum poſſeſſorem quodammodo robuſtum ac rigidum contra omnes voluptatũ inſidias & incitationes ea virtus conſtituerit. Et quidem ſicut in corporum, ita in animarum viribus, magna intercedit inter ciues differentia.

8. In iſtis laboribus militiæ, quibus defungigitur fortitudo, ſi quæ ſit humanæ vitæ dulcedo, ea certe continetur, & inde affluentiſſimè in omnes vitæ actiones dimanat. Ex amaro dulce prodit, ex ſenticoſa ſtipite ſuauis roſa emergit, ex morte vita effloreſcit, ex ipſa maris turbulentioris ſalſugine, dulcis liquor, amabilis gemma exiliunt. Sola denique eſt fortitudo, quæ a pugna quieſcit, a funere reuireſcit & in cadauere occiſi leonis, ſuum fauum inuenit iucunditatis. Iudic. 14. Dulce viro forti, repulſa bruta voluptate deuicto peccati malo, ſaluas interius retinuiſſe virtutes, ipſamque iuſtitiam, ſanctimoniam, diuinæ auræ hauſtum, illibatas cuſtodiſſe. Eidem dulcis panis, quem ſudans ac ſanguinolentus comedit, vnde ille ſanguis oritur, ex quo victoriæ decus, triumphi gloria propagantur. Dulce ſentit, ſe decertando hominis partes defendiſſe, ſe brutis moribus eodem non ſuccubuiſſe, ſe loco ad impulſum impuræ libidinis minimè ceſſiſſe, ſe adamante vel ſilice duriorem, vim ſuam probaſſe, ac natiuum ſplendorem inter tenebras ſcintillando euibraſſe. Denique dulciſſimum ſenſum illi adſeret ea cogitatio, qua ſecum reputat, ſe in Dei Imperatoris ſui conſpectu egregie decertaſſe, hoſteſque tam honoris ipſius, quam propriæ ſalutis, generoſè debellaſſe. Enimuero huiuſmodi dulcedinis ſucco illi penitus priuantur, qui ſenſuũ dulcedines delinquendo perſequuntur, qui omni cera laxiores, ad eas diffluunt, omnique calamo leuiores, in earum delectus proni concedunt. Vt enim in lignis mollioribus citius generantur vermes, ita eorum conſcientiæ, quarum vires flaccidæ & eneruatæ, poſteaquam illecebras criminum in ſe admiſerint, repugnantis iudicij aculeis, tanquam vermibus interius conceptis, miſerum in modum vexantur, laceranturque. *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorũ.* Pſalm. 117. Vt enim eorũ corpora, ſaniora quæ exercitijs agitantur, & contra ocioſorũ, languentium, perpetuo recumbentium languida, pallida & murborum ſeminibus infeſſa: ita virorum fortium læti exiſtunt ſenſus, cum interim illi, qui quietem illecebroſam conſectantur, omnẽ in ſe facultatem ſubinde ipſo exitu exacerbari perſentiſcunt. *Opus meum vix hora*, dicebat *S. Bernardus*, *& ſi plus, præ amore non ſentio.* Bern. ſerm. 14. in Cant. Huius fortitudinis alacritate exhilaratus Propheta *Dauid*, Pſalm. 118. de ſe affirmauit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Viribus huiuſmodi fortitudinis confirmati *S. Martyres*, vt refert *Euſebius*, Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4. c. 5 lætis animis, & vultu amæno, ad tribunalia properabant: qui vero in eiſdem carceribus fidem negarant, adducti poſtea ad iudices, in omnium oculis deformem ſpeciem triſtis animi, & abiecti corporis oſtendebant. *Contritio & infælicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Pſalm. 13. Vt enim maris facies non ſplendet

349 b4 N

aut vibrat, niſi placide fuerit compoſita, ita in homine anima haud iucunda, niſi conſtantia quædam illam explanarit, ſolidaueritque.

9 Denique eadem eſt fortitudo, quæ animā trāquillat, eius motus tā nimiæ exultationis, quam triſtitiæ, ſiue mœroris, compeſcendo. quæ enim hac & illac diuerſimode, dum voluptati ſtudet, impellitur, inconſtans eſt, & in quodcumque vario delata impegerit, id ei cuſpis acutiſſima ad compungendum inuenitur. Renuit proinde vir fortis mali aliquid addere ærumnæ, quæ modo incidit: imo non tam euentu acerbo affligi & vri, quam ſuis proprijs manibus, ſcilicet impatientia ſua, ſua mœſtitudine torqueri, longe ducit in ciue turpe & indecorum. Huic potius animus, placide omnia perferendo, fortunæ iniquitatem, hoſtium ſæuitiam temperare, imo vincere & ſuperare, innata pacis ſuauitate omnem forinſecus illatam amaritudinem, ſi fieri poterit, extinguere. Si ſpes proſperitatis illi exciderit, iucundabitur ſeipſo contentus, ac Deo, ſub quo meretur. Si triſtia pulſarint, haud ſubiacebit triſtitiæ inutili, imo nociuæ tempeſtati: ſeſe potius in ſpinis, in ardente fornace, in æſtuante mari iucundum & immotum perpetuo exhibebit. longe ſane ab hominis virili dignitate abeſſe videtur, rerum viliſſimarum acceſſu vel defectu deijci, euinci, & tanquam prædam, omnia ipſius oſſa ac neruos ab illis deuorari. Seruus eſt ille eius rei, cui quis ſuccumbit, eidem inferior nempe ſubſi- Rom. 6. det, & ab illa ſtatum ſui omnem expetibilem deriuandum profitetur. Fortitudo autem plane deteſtatur hoc dedecus, quo quis ſeruus euadat perditæ pecuniæ, diminutæ famæ, amiſſæ dignitatis, charorum mortis, ac ſimilium rerum extra ipſum fortem poſitarum, ac procul ſub eius eminentia iacentium. *Qui autem non habita* Greg. l. 21. Moral. c. 14 *concupiſcit vt habeat*, inquit S. *Gregorius*, *aut adepta metuit ne amittat: & dum in aduerſis ſperat proſpera, in proſperis formidat aduerſa, huc illucque, quaſi quibuſdam fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium in mutabilitate verſatur.*

10 Turbari curis, angore exedi, gemitu, ac ſuſpirijs reſolui, quam imbecillis animi argumenta! *Triſtitiam longe repelle a te;* Eccleſ. 30. *multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.* Si natura malum, vtpote mortem, deuaſtationem ſegetum inceſſerit, quieto animo id perferet vir fortis, probe ſciens, inane eſſe decreto naturæ curſui inutiliter obluctari. Si fortuna aduerſitatem intulerit, adhuc immotum ſupererit illius pectus; delirium noſcens, leges inſano mari, vel cecæ fortunæ præſcribere. Si aliorum malitia nocumentum inſtruxerit, adhuc pacatus manebit, quod intelligat, turpe eſſe, ad impreſſionem iniuſtam concidere, adeoque, quaſi non ſufficeret illa iniquitas ad nocendum, ipſummet, in ſui nocumentum, inepte ſimul cum illa dolendo ac ſe perturbando, conſpirare. Sin vero Deus cladem immiſerit, lætabitur adhuc potius, quam vt angatur fortis, quod percipiat, clementem illam manum, quæ myrrham primam diſtillat, ſanitatem eo intendere, haud ruinam. Cant. 5. *Non eſt ſenſus, vbi eſt amaritudo.* Eccle. 21. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.* Prouerb. 25. Perturbationibus itaque reſiſtendo fortis, non modo eodem tranquillus eſt, verum etiam ex deformitate elicit pulcritudinem, ex penuria copiam, ex miſeria fælicitatem, & triſtibus virtutem. *Studioſus enim vir*, inquit *Ariſtoteles*, *& paupertate, & morbo, & alijs fortunæ aduerſitatibus laudabiliter vtitur.* Ariſt. l. 7 Pol. cap. 13.

11. Is autē fortius ac quietius vitæ diſpendū inter reliqua patietur, qui emolumēta iſtius vitæ iuſto iudicio trutinans, ea prius aut cōtēplerit, aut a ſe vſu morū abiecerit. Eſt enim, vt alias diximus, ſeuerior diſciplina genus quoddam mortis, cui anima aſſuefacta, identidem eadem mori æſtimetur. ex quo cum ventum fuerit ad momentum perferendi mortem, ſeu amittendi vitæ naturalis iucunditatem, anima conſuetudine auocata ab illectamentis ſenſuum, iam didicit quiete & patienter ſuſtinere vitæ damnum. *Sit quodammodo* inquit S. *Ambroſius*, *quotidianus vſus in nobis affectuſque moriendi, vt per illam quam diximus ſegregationem a corporis cupiditatibus, anima noſtra ſe diſcat extrahere.* Amb. de fid Reſ. cap. 7. Contra anima voluptatum guſtu quaſi immerſa in altum corporis, vt loquitur *Plato*, neque actione ſua abſtracta ab illectamentis ſenſuum, quando ventum Plato in Tym. ad tempus, in quo a corpore anima ſeparanda, cuius interuentu voluptatibus diu inhæſit, tunc maxima amaritudine perſtringi & vehementi timore concuti ſolet. Cæterum vero poſtquam vitæ derelictio alicui facilior euaſerit, aliorum ſubinde clades eidem parum adferent moleſtiæ aut in patientiam difficultatis. Vnde *Seneca*: *Ille nunquam miſer, cui facile eſt mori.* Senec. ep. 4 alioquin ſi paratus non ſit animus ſua fortitudine ad tollerandum mortem, acerbiſſimum ac miſerrimum fuerit, illius ictui ſubiacere inuitum, reluctantem, timidum. *Quam miſerum eſt neſcire mori!* neque hoc miſerum ſolum, quod ſenſui acerbum, Senec. Aga. ſed, quod animi & rationis reſpectu fatuum, & ſic illi quoque miſerum. *Dolori indulgere*, inquit *Plutarchus*, *& animo concidere, inutile eſt, & futile* Plut. lib. de cul. *& fatuum. Contemne mortem*, ait *Seneca*: *nihil triſte eſt, ſi huius malum effugimus.* Huic itaque forti- Sen. epl. 87. tudini nihil tam inimicum, quam nimius amor proprij corporis; qui delicatus plus æquo eſt, vt vllam aſperitatem perferat: plus iuſto ad ſe reſtrictus, quo minus hominem ad alia bona exire patiatur. imo non tantum aduerſatur honeſtati fortitudinis, ſed etiam omnis virtutis decori. *Honeſtum ei vile eſt*, inquit *Seneca*, *cui corpus nimis charum eſt.* Hoc autem munus fortitudinis tunc perfecte ab homine abſoluetur, quando is ad Deum fide ac pietate recurſum inſtituerit, vt id ſtatim a nobis oſtendetur. Sen. ep. 14 ad Lucil.

CAPVT. LX.

Chriſtiana ſpes, in Dei bonitatem delata, eximium fortitudinis in ſe robur continet.

NIhil eſt, quod tam in homine virtutis curſum contra aduerſantium impedimenta confirmat, ac ſpes certa in diuinam bonitatem, ſumma miſericordia ad bea-

neſaciendum, ad ignoſcendum ſuopte ingenio inclinatam. neque ſolum robur, quod ab illo fonte expectamus, inexhauſtis eis in Deo perſectionibus tantummodo continetur, quas Philoſophia mera contemplatur, verum inſuper Chriſti Domini humanitate, eius meritis, facilitate eiuſdem ac pietate, ad nobis ſuccurrendum multo efficacior, affluentiorque eadem ipſius benignitas ad dandum exhibetur. quæ anchora huic firmitudini comparabilis, quæ potentia huiuſmodi præſidio ſimilis, quæ charitas huic indulgentiæ æqualis? Quemadmodum enim ad heri alicuius nutum ac motum, familiares in procinctu exiſtunt ad eius mandatum perficiendum, ita volente Deo munus aliquod ſubſidij in nos conferre, illico occurrunt, cœlũ, Angeli, elementa, omnis denique creatura, quæ eius mandatum exequentia, nobis quoquo modo gratificentur. Alij quidem conciues nobis benefici, vel res nobis ſalutares, conſolatores etiam ſiue adiutores, proximè naſtra corpora dumtaxat, ſenſus demulcendo, afficiunt, at Deus animæ ipſi, mœſtitudine oppreſſæ, præ imbecillitate fatiſcenti, immediate iucunditatis ſenſum indit, ad agendum alacritatem inſpirt, ad perficiendum vires vbertimè illi infundit.

Math 9. *Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero.*

a Paralip. cap. 20. *Nolite timere nec paueatis hanc multitudinem, non eſt enim veſtra pugna, ſed Dñi. Non eritis vos qui dimicatis, ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos.*

Luc 21. *Cum ſteteritis ante Præſides & Reges propter me, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquamini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

2. Hinc venit, quod toties in ſcriptura Chriſtus dominus, & Angeli ipſius, bonis hominibus pacem denunciarint, timorem eis excuſſerint, nimiam anxietatem prohibuerint, quandoquidem indecorum iudicarint, ſub imperio ac præſidijs adeo clementis Principis Dei conſtitutos, pauere, conſternari, ſolicitudinibus perurgeri.

Gen 43. Luc 2. Ioan. 2. Luc. 11. *Pax vobis, nolite timere. Nolite ſoliciti eſſe.* Cum enim in Deo, inter alia ipſius attributa, miſericors bonitas præcipuè eluceat, tum ei ingratiſſimum, defectum aliquem illi imputare vexatos anxietatibus ac diffidentia exanimatos. Hoc vt oſtenderet Deus, ſæpius veluti

Num 13. *Moyſen* & alios ſeuère caſtigauit, qui in tanta abundantia ſpectabilis pietatis, in domo adeo vndique miſericordiæ donis referta, animos abiecere, ac deſperantes quodammodo tantis bonis obſtitere.

Num. 14. 20. *Vſquequo detrahet mihi populus iſte? quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam.* Quamobrem iſta Dei bonitate hauriendus ſpiritus fortitudinis, non ſolũ quando ad ſuccurrendum ea ſecundis cauſis videtur inſtructa, verum etiam quando natura ipſa nobis vndique a malis infeſta apparet, ac a noſtris commodis penitus diſceſſiſſe.

2. Paralip. 20. Iob 23. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Etiam ſi occiderit me in eum tamen ſperabo.* Quis eſt, qui Dei panopliam oculis ſuis penetrauit, vt de ſubſidio adferendo ſecum dubitet? quis ignorat, omnes creaturas Deo in ſuos vſus ſubijci, adeoque reſilire interdum mare, terrá tremere, ignem haud ardere, leones non ſæuire ad eius imperium?

Math 3. Ioel. 2. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem?* Parua erigit Deus ad magnos effectus educendos: imo contraria ita reflectit, vt mirandorum & inſolitorum cauſæ exiſtant. Quemadmodum enim recta orientem verſus nauigantes, tandem in Americam occidentalem appellunt, ita qui tibi videntur in aduerſa fortunæ feruido raptu deferri, eo ipſo in Elyſium inexpectato incidunt, & iucundioris euentus ſubeunt fælicitatem.

Ouid lib 4. de Pont.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ valuere ruunt.
Diuitis audita eſt cui non opulentia Crœſi?
Nempe tamen vitam captus ab hoſte tulit.
Ille Syracuſia modo formidatus in vrbe,
Vix humili duram repulit arte famem.
Quid fuerat Magno maius? tamen ipſe rogauit
Submiſſa fugiens voce clientis opem.
Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipſe magis.
Ille Iugurthino clarus, Cimbroque triumpho,
Quo victrix toties Conſule Roma fuit.
In cœno Marius iacuit, cannaque paluſtri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.
Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora fidem.

Quæ obſcecro, ſublimitas mortalium a Dei fulminibus tuta? quæ in eiſdem humilitatis depreſſio, incapax prorſus exaltationis, ſi ipſe ſuam manum vel inerti moli ſuppoſuerit?

3. Verum quidem eſt, hanc Dei bonitatem veluti per varios tubos, ad nos deriuare munera ſuæ gratiæ: vtpote per Chriſti Domini humanitatem, Sacramenta Eccleſiæ, aliorum bona exempla, merita & adhortationes, noſtram quoque pietatem: interuenit pariter ad virtutis donum noſtra cum diuina gratia libera cooperatio: nihilominus ſumma, prima, ac quo ad reſolutionem, vltima noſtræ ſpei ac conſolationis firmitas ac certitudo, ſolius Dei in nos benignitati innituntur. in quam, vtpote ſuapte ſponte ad nos fluentem, reſpicientes, tranquilli veluti in portu, ſecuri tanquam in arce, diuites perinde ac ſi ipſo Deo cum omnibus ſuis bonis potiremur, eſſe incipiemus. nulla gallina ſuper pullos ſuos alas expandens, aquila nulla ad volatum fœtus ſuos prouocans, mater nulla in vteri ſui prolem tenera & indulgens, Deo paterna in nos bonitate affecto, quantũ ad ſubſidium, comparari poterunt. [Math. 23. Deut. 32. Iſa 49.] *Spes noſtra*, ait S. Thomas, *attingit ad ipſum Deum, cuius auxilio innititur.* [S. Thom. 2. 2. q. art. 1.] nam ſi Sacramenta habeamus ad cõferendum gratiam efficacia, ſi nobis ſuppeditent munimina Sanctorum ſuffragia, eorumque exempla, ſi ſacra Scriptura nos informet ad rectè viuendum, ſi orationes noſtræ Dei dona obtineant, ſi merita noſtra gratiæ ac gloriæ prœmia conſequantur, ſi liberum noſtrum arbitrium Dei gratiæ hic cooperetur, hæc tamen omnia, cum ſint effectus diuini auxilij, referunt noſtrã totam ſpem, omne noſtrum robur, vniuerſam noſtram expectationem & conſolationem in

illud ipſum Dei auxilium ac bonitatem: faciet enimuero ad ciues tranquillandos plurimum hæc ipſa cogitatio; eademque ingentes vires tã ad agendum, quam patiendum fortiter eiſdem inſpirabit. *In Domino ſperans non infirmabor.* [Pſalm. 25.]

4. Neque ſane minima pars fortitudinis, aut exile argumentum tranquillitatis, quo ad effecta, quæ incidunt, eſt, circa ea miti animo, imo amanti verſari, quatenus nempe a Deo fiunt, & ab eius voluntate dimanant. Excepto quidem peccato, nihil plane exiſtit, quod hinc quodammodo non decoratur, adeoque dulcoratur [Eccle. 12.] affluctiſſimè. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas a Deo ſunt.* Imprimis hac in re fortitudo noſtra radices obtinet in Dei amore, ac in paſſionum animi noſtri mortificatione. quæ Duo, quod iucunda ſunt, quod pacifica, quod cõpoſita, non ſolum fortitudinem ſiſtent inter aduerſa, eamue ad vlteriora promouebunt, verum etiam dulciſſima quadam tranquillitate ac ſerenitate eius omnem motum temperabunt. Dei amans eo omni delectatur, quod Deus fieri decreuit, & in quo ſuam perfectionem elucere voluit: ſiue amarum id fuerit ei, ſiue dulce, ſiue proſperum, ſiue aduerſum extiterit. quam optabile, ferrum humani cordis magnete diuini cordis trahi, & illi pertinaciſſimè & ſummè delectabili complexu immobiliter inhæreſcere? Similiter qui eodem amore omnium paſſionũ æſtus in ſe ſemel compreſſerit, is ad caſum aliquem triſtem haud iactabitur cupiditate, dolore minime torquebitur; ſed in eo potius deliciabitur, quod Dei voluntati conſtitit educere, & in quo tanquam in aliquo veſtigio ſuam iuſtitiam ac prouidentiæ ſuæ rationem elucere illi complacuit. quamobrem precor, id homini non arrideret, quod Deo vt accideret decorum & rectum iudicatum fuit? cur eſt, quod equus bruteſcens, aliorſum a ſua auriga reſtitando diffugeret? & quæ cauſa, ob quam mortalis homo ſua libidine Dei facta incuſando, condicionem propriam deplorando, criminaretur, corrigeret? Satis ſit ad plenam tranquillitatẽ hoc vnũ, quod Deo viſum idoneũ, hoc incidere. color iſte cuncta ſuauia reddit, & plenum momentum ad inferendum patientiam, quod ægrotus aut pauper aliquis ex animo dicat cum *S. Iobo, Quoniam manus Domini tetigit* [Iob. 16.] *me.* non eſt hæc manus cœcæ fortunæ, non manus immanis violentiæ, non manus arte aut natura ad crudelitatem vel nocendum inſtructa, ſed manus Domini, omnium optabilium apotheca. eſt ergo quod nos inueniat Deus non modo ſecundum cor ſuum, ſed & ſecundum manum ſuam: nempe cum ipſius amantes tum pa- [Pſalm. 56.] tientes.

5. Quod vero ad conſtantiam fortitudinis conducat huiuſmodi voluntatis noſtræ cum diuina conſenſus, ideo pronunciat Apoſtolus, eo regnum quoddam a nobis comparari & adminiſtrari: quod proprium munus, & extrema perfectio, partis in homine iraſcibilis. *Non eſt* [Rom. 17.] *regnum Dei eſca & potus.* ſcilicet non reperitur hoc regnum in delicijs facultatis concupiſcibilis. *Sed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* nempe quando iuſtitia bonam vitam ſemel efformarit, tunc pax & gaudium in Spiritu ſancto efflorescunt: tunc anima in optimo ſtatu quietudinis quo ad vim iraſcibilem, perpetuo [Baſil in] veluti imperans, confirmatur. *Mihi autem adhæ-* [Pſal. 32.] *rere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Coniungere Deo, vt creſcat in nouiſſimo vi-* [Pſalm. 72.] *ta tua. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam,* [Eccle. 2.] [Pſalm. 4.] *quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* dormit vir fortis, & requieſcit ſpe in Deum ſolidatus. dormit, quia non exerit ſenſui ſui curioſitatem ad inueſtigandum cauſas diuinæ prouidentiæ. requieſcit, quia cum Deo, animo & voto in illud quod euenit, cõſpirat; atque eodem contentus, omni moleſta agitatione caret. *Timens in Deum forti intentione dirigitur*, inquit *S. Gregorius. quicquid ſibi in hac vita amarum ſit, dulce æſtimat, omne quod affligit, requiem putat, tranſire & per mortem appetit, vt obtinere plenius vitam poſſit. Iudicia tua iucunda.* Si in ſeipſis amara, vt tamen a Deo, iucunda.

6. Fortitudinis porro haud exiguũ munus, vrgente nos appetitu ſenſitiuo, illũque extimulante tentatione praua, perſiſtere in officio virtutis, cum patienter ferendo motum contrarium, tum eidem generoſe reſiſtendo. Hoc quidem habet appetitus in nobis ſenſitiuus, vti illecebra expetita priuatus, triſtetur, ſiue concupiſcendo ſiue iraſcendo in eam deferatur. quo modo videmus pueros dolentes, quando eis denegantur bellaria & huiuſmodi ſuauia: in quorum cupiditates proni; iuxta ac lacrymantes præ dolore, quando læſi, a vindicta ſumenda cohibentur. Quocirca durante in nobis tentatione, pariter triſtitia durare ſolẽt: quandoquidem ægre ferat, in nobis appetitus, virtute imperante, carere concupita ſua delectatione. qui quidem ſenſus triſtitiæ, aliquo etiam ſuo effectu ad ſuperiorem animi partem, vtpote acerbitatis moſu, grauedinis torpore, imo & ad corpus ferme ſemper peruadit. In hac ergo mœſtitudine, veluti vmbra, verſantur decus & ſplen- [Baſi. de ver.] dor fortitudinis. Dum ergo tentationi ſe oppo- [virgin.] nit fortitudo, perpetuo in duos aduerſarios depugnat: ſcilicet in amorem cupediæ, & in triſtitiam. *Cum paulatim* ait *S. Hieron. interior homo inter vitia & virtutes cœpit fluctuare, dicito quare* [Hieron. ep.] *triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* vtitur [22. ad Euſt-] itaque fortitudo ad compeſcendum tentatio- [och.] nem, armis aliarum virtutum, quibus imprimis amorem illicitum debellet; mox inde ortam triſtitiam expellat: præſertim, vt ait idem *S. Hieron.* amore Dei, & virtutũ: tunc enim vt ait ipſe, *Carnis amor ſpiritus amore ſuperatur, deſiderium deſiderio reſtinguitur.* Non ergo in nobis veluti iners quieſcit fortitudo, dum mala tentationis tollerat, aut patienter fert, ſed aduocat ad ſe honeſtum amorem, qui inhoneſtum euincat, ac inde oriundam lætitiam haurit, quæ illam prauam aut mitiget aut expellat. quo pacto fortitudo neque in ipſo conflictu in tentationem, omni priuatur iucunditate, quantumuis ſenſus doleant. verum peracta victoria tunc ſolet Deus illos admirabili ſuauitate recreare, qui prius angores perpeſſi tentationum. vt autem fortitudo ſit in nobis in tentationes efficacior, curandum, vt eius ſedes nempe anima,

ſit

diſciplinis quodammodo aridior, non mollis aut fluida ex vſu voluptatum. miles etiam fortiſſimus non pugnat feliciter in limo, ibi impotens cum ſit ad conſiſtendum. ita ſoli fortitudini non eſt relinquenda ſpes victoriæ in tentationem, ſed mortificatio appetitus adhibenda, vt in firmo ac ſolido depugnet noſter miles fortitudo.

7. Quocirca cum a Deo mutuanda præcipua vis conſtantiæ atque fortitudinis noſtræ, tum fortis fuerit, pietate orationis ſæpius hunc fontem repetere, feruore precum, qui a conſcientiæ humilitate ac puritate erumpat, a benigniſſimo parente gratiæ ſuæ robur, & militiæ arma inſtanter poſtulare. quæ alia herbarum ac fructuum maturitas, quā a fœcundo ſolis lumine? vnde infans confirmatos habet ſui corpuſculi artus, præterquam a materno vbere? quomodo concha gemmæ valore fœcundatur & ditatur, niſi a cœleſti inſtillato rore? ita pariter æſtimandum, neminem poſſe diu in officio virtutis perſiſtere, niſi a Deo ſpiritum hauſerit orando fortitudinis. Potuit quidem Deus inſtar nubis irrorantis terram, abſque omni eius connixu, in nos vim ſuæ gratiæ infundere nullo motu pietatis in eum excitatos. Cæterum vero, quod mente ſimus præditi, ac libero arbitrio inſtructi, quarum facultatum munus oratio, voluit vt nos ad eum accederemus rogantes, quo ab illo illuminaremur diſcedentes. hanc hydriam orationis a nobis exigit ad hauriendum aquam altiſſimi putei: Rhetoricam hanc ſpiritualem requirit, qua ad miſericordiam ac munificentiam ipſe a nobis inflectatur: imo neruos hos cupit amoris inueniri a nobis, quibus quodammodo ligatus, a nobis non ſit dimittendus, niſi *Benedixerit* nobis. *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* in quam ſententiam optime *S. Auguſtinus: Oratio iuſti clauis eſt cæli: aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio. Sicut ex carnalibus eſcis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs & orationibus interior homo nutritur & paſcitur.* Enimuero huic virtuti fortitudinis duo videantur particulariter conuenire, quæ eidem extrinſecus adueniant: ſcilicet donum conſilij ſeu prudentiæ, vt ſuperius relatum: ſimul ac gratiæ diuinæ beneficiū, propter eximiam quam habet in ſuis muneribus defungendis arduitatem, vt iam explicatum.

Bellarmin. lib. 1. de bon. Oper. cap. 7. Pſal. 33. Gen. 32. Math. 7. Auguſtin. in monit. ſalutar. ca. 28. & Pſal. 65.

8. Quod cum verum fuerit, inde conſequens, corporis animique humiliationes, quæ orationi adnectuntur, non eſſe viro forti ſeu magnanimo indecoras, vt vulgus hominum interpretari ſolet: nempe genuflexiones, proſternationes in terram, vultus dimiſſiones, pallores, cilicia, cineres ac ſimilia, quibus viri fortiſſimi cum Rege Niniuitarum, Rege Samariæ, & *Dauide* vſi ſunt. Certe huiuſmodi appendices pietatis multum Deo placent, de quibus *Tertullianus*: cui promptum, eorum petitis annuere, qui ita in eius conſpectu ſeſe luctu abijciunt ac deformant. non eſt magni animi magna contemnere, ſed potius illa agnoſcere ac obſequenter reuereri. idcirco ſpectat ad viri fortis officium magnas æſtimationes retinere de Dei perfectionibus, illaſque proinde conteſtari & fateri ſui contemptu, ac dimiſſione manifeſtiori. Hinc redarguitur pariter eorū exiſtimatio, qua nonnulli milites reputant, inſtante prælio indecorum eſſe militi, in oculis aliorum confeſſione ſacramentali ſua peccata ſacerdoti aperire & expiare, quandoquidem inde ſignificatio detur vt ipſi aiunt, militem illum mortem extimeſcere. at quis, niſi excors plane fuerit, non timet ad conſpectum Dei pro tribunali ſedentis apparere, ibique omnium factorum rationes ſtatim reddere? Certe vel ex principijs *Ariſtotelis*, qui neque mortem, neque Deum timet, ſtupidus eſt, haud fortis.

Ioan. 3. 4. Reg. 6. Tertull. lib. de pænitēt.

9. Vt vero fortis vir ad Deum orando opportunè accedat, ſunt aliqui Theologi, qui arbitrantur, illum prius fide theologica credere debere ſe id obtenturum, pro quo orat: ſimiliter ſpe theologica fidere, illud ipſum certiſſime expectando: Quod verbis Chriſti Domini & Apoſtoli *Iacobi* probare nituntur: *Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniet vobis. Poſtulet in fide nihil hæſitans.* Fidem hanc, & ſpem appellant ſpecialem: quandoquidem ad hunc particularem hominem pertinentem. Cæterum hæc opinatio, quoties de ea cogitauerim, toties multum mihi diſplicuit. Quod enim huiuſmodi fidei ac ſpei priuatis ſeu ſpecialibus locus non ſit concedendus, ſuadet imprimis vigens hæreſis, quæ fidei ac ſpei iſtius conditionis, phanaticè omne momentum attribuit ſalutis. Deinde communis ſenſus antiquorum Theologorum eſt, extra Scripturas, & Traditiones ſacras & vna ſit fides, non vagari fidei aut ſpei obiecta. Scripturæ autem & Traditiones non proponunt huic homini tanquam obiectum fidei, illud conſequendum, pro quo orat, vt liquet: vnde ergo fidei aut ſpei obijci id poterit? Rectè ergo docet *Card. Bellarminus*, orationem manare quidem a fide ac ſpe, ſed communibus, ac catholicis: quibus creditur ac fiditur, in Deo ſufficientem eſſe bonitatem, ad omne illud oranti conferendum, quod ipſe alto ſuo iudicio idoneum nouerit, & petenti proficuum. iuxta quam ſententiam verba Chriſti Saluatoris & *S. Iacobi* optimam referunt ſententiam. Putandum tamen ad proferendum orationes maxime efficaces, inijcere ſæpius Deum pijs perſuaſiones quaſdam valde vehemētes circa euentū eorum, quæ petunt: quæ perſuaſiones, non ſunt perpetuo actus fidei diuinæ, neque illius exæquant certitudinem: ſaltem quo ad ſubiecti diſpoſitionem, licet obiectum earum tam certum, vtpote a Deo decretum, eſſe poterit, ac illud, quod fide diuina creditur.

Ariſt. 6 Ethic. Marc. 11 Iacob 1. Vincent Lir in cont. hær. Bellarm. lib. 1. de Bon. oper. cap. 9.

10 Atque iſtis ſatis multa diſputaſſe videbimur de medijs ciuilis ac ſacræ vitæ, relatis ad virtutes, quæ partem in homine iraſcibilem bene inſtituunt. Verum quod lex a legitima lata auctoritate, inſtrumentum ſit omnis plane virtutis, habeatque pro fine, ciues bonos conſtituere, idcirco de ea, tanquam communi motum principio, aliqua differenda.

Ariſt. eth. cap. 13 ſ. & 1. 5, Thom. 1. 2. q. 90. art 2. q. 69. ar. 4

CAPVT

CAPVT. XLI.

Quomodo leges vitæ ciuilitati & ſanctimoniæ inſeruiunt.

Legum in vniuerſum vtilitates duo mala, quæ naturam noſtram conſectantur, omnino perſuadent, ignorantia videlicet & malitia: quorum proinde oppoſita bona in ipſis legibus in oculis noſtris elucent. quod enim in pleriſque actionis mediocritatem, iuxta ac eiuſdem rectam ordinationem ad bonum commune, haud animis aſſequamur, opportune ſuccurrunt leges, quæ nobis vtraque oſtendant, ſiue aliquid præcipiant, ſiue vetent. Cum porro nobis inſita nequitia, quo ad priuatas voluptates immoderate intenta, eodem pariter in aliorum iniurias & indecora morum ſit propenſa, commoda lex, quæ tam conſcientias ſua obligatione coarctando, quam corporibus pœnas minitando, a flagitijs ciues coërceat ac repellat. *Neque dubium eſt*, inquit *Cyrillus*, *quin leges conſtringant, & quod propenſum ad defectionem, vindictis remorentur, dirigant ad bonum, & a deterioribus recedere cogant eos, qui honeſti rationem alioqui non haberent.* In hoc genere, quo natura humana perfectior, virtuti adfinis magis, & philoſophia doctior, eo paucioribus mandatis ad eius inſtitutionem opus fuerit. Proinde florente ſtatu naturæ integræ, aut leges non extitiſſent, vel ad magnum aliquem numerum haud excreuiſſent. *Opus eſt*, inquit *Ariſtoteles*, *adiumentis quibuſdam ad bene viuendum, minoribus quidem illis, qui melius diſpoſiti ſunt, maioribus autem, qui peius.* Cæterum iam conſiderata conditione noſtræ naturæ, ad vitam ciuilem, ac ſacram, leges prorſus neceſſariæ. Vnde *S. Baſilius* aſſerit, ciuitatem, *ſocietatem eſſe congregatam, conſtabilitam, & legibus adminiſtratam*. Recte ergo de legis qualitate cenſuere *Diodorus* & *Xenophon* affirmantes, legem nō debere ſolum ciues punire, ſed etiam docere, tam parti in homine rationali, quam concupiſcibili, & iraſcibili in eodem conſulentem.

Suid. o Nó. Plut li. 9 de legib Ariſt. 5 pol. c. 5 1. pol. c. 2. Sen ep. 94

Cic. l. 2 cont Iul.

Rim li. cont Celotem.

Ariſt. 7. Pol 13. 5 ethic & 10.

B[illegible] pſal 45.

Diod. l. Bib Xenoph. l. 1

Soph. Aiace flag.

——— *Nec legibus*
Florebit vnquam, ſi metus deeſt, ciuitas,
Nec bene regetur vllus vnquam exercitus,
Niſi pudore, velut i valuis, & metu
Munitus.

Plat. dial 6. de legib.

Si homo, inquit *Plato*, *cum natura falici rectam quoque diſciplinam fuerit aſſequutus, in diuiniſſimum manſuetiſſimumque animal ſolet euadere. Sin vero non ſatis, aut non bene fuerit educatus, ferociſſimum omnium, quæ in terris naſcuntur, animal redditur.*

Ariſt. 2 Pol. cap. 6.

2 Verum, vt aduertit *Ariſtoteles*, vniuerſus boni honeſti circuitus lege ciuili, aut etiam iure gentium, haud ita comprehenditur, vt nihil plane probi, legi exemptum, naturæ bonitati in ciuibus relinquatur. impoſſibile enim, vt omnes plane veritates practicæ a lege principis doceantur, aut iubeantur. idcirco vt perpetuus ſit curſus honeſti in ſingulis, locus ſupererit naturæ, & conſcientiæ vniuerſalis æquitatis. Vnde idem concludit, in ciuibus requiri virtutes, quæ rectum modum in eis etiam rebus teneant, ad quas leges iubendo ac territando peruadere nequeant: quo fiat, vt ciues ſibimetipſis leges, quod Apoſtolus *Paulus* multis perſuadet. Rom. 2. Debent itaque in ciuili republica leges corruptionem naturæ, quantum fieri poteſt, adiuuare & corrigere, non vero numeroſitate, aut acerbitate eam nimis prodere. quamobrem quo paucæ leges ac mitiores ſint, curandum, vt ciues ex virtutibus ſint boni, ac minime indigentes tantæ multitudinis, adeoue multiplicis coërcitionis; ſemper enim meliores ciues, pauciores, facilioreſq; poſtulabūt, cū ſint ipſimet ſibi innatæ leges, vt loquitur Apoſtolus: ac proinde Beati in cœlo, nulla externa lege ad recte viuendum conſtringuntur. inſita quippe eo loci ſua beatitudine ad omnia bona affatim deſtinati. Hinc *Xenophon* & *Thucidides*, ingentem numerum legum, perinde indicare reipublicæ defectus & ſcelera aiunt, vt in eadē plurimi medici indicio ſunt variorū morborum, in ciues graſſantium. quibus *Ariſtoteles*, conſentit, affirmando legum animaduerſiones eſſe veluti medelas ac medicinas ægrotantium in ciuitate. Hoc ipſum *Tacitus* & *Diodorus* pariter adſtruunt. Quamobrem boni principis non tam fuerit [illegible] leges in maſſas cumuloſque congerere, quam efficere, vt ciues inſtructi ſint virtutibus, ob quas ad paucitatem redactæ leges [illegible]tis ſint idoneæ eorum ciuilitati procurandæ. & cum cogitur princeps leges quaſi infinitas condere, ſignum eſt, præceſſiſſe in regimine aliquam incuriam quantum ad ſtudia virtutum, præſertim pietatis atque diuinæ cognitionis. Porro vbi leges multum numero excreuere, ibi plures earum ex neglectu, aut nimio grauamine, facili lapſu in obliuionem & antiquationem recidunt: ſimul ac eas paſſim violari & eis illudi neceſſe. Vnius autem prætermiſſio aut neglectus, omnes in contemptum facile adducunt. Errant proinde illi politici, qui æſtu vindictæ in aduerſarios laborantes, ſtruem veluti legum ſtatim adparant ac moliuntur, quæ in moribus ciuium perennare aut confirmari diu non poſſunt. Vnde cum earum diminuta auctoritate; breui ſpatio exacto, extinguuntur, & inter errata politica tot Senatorum iudicia, indecore, meritò licet, recenſentur.

Xenop. l. Thuc. apud. St. Serm. 45

Ariſt 2 ethic. Cambin. in Thraſ. num 37. Azor Tō 1. lib. c. q. 7. Tacit lib. 4 Anal. Diod bibli. lib. 1.

3. Vt vero ſummatim hac de re dicam, ex tribus, legum multitudo propagatur: ſcilicet ex praua indole ciuium, ex eorundem malis actionibus; atque ex diuturnitate eiuſdem regiminis. prioris cauſa, teſte *S. Petro*, ceruicibus Iudæorum impoſitum diuinitus legum iugum intolerabile. cum enim ingenijs eſſent perquam refractarijs, multiplicibus iuſſionibus legum merito erant coërcendi. Deinde creſcente ciuium malitia, illi commode opponenda legum diuerſa impedimēta, æquali paſſu incedente accurata cognitione talis malitiæ apud principē, cū ipſa malitia apud populū. Denique nullū imperiū diu

Act. 15.

perdurans reperitur, quod variis caſibus rerum non ſit obuium: & ad quos præcauendos aut euitandos non poſtuletur legum diuerſitas. Ex quo liquet, iniquam eſſe hæreticorum Proteſtantium conqueſtionem, qua in Eccleſia Catholica criminari ſolent legum numeroſitatem. nam quod attinet ad leges, quæ omnes attingunt, teſte S. *Auguſtino*, numero ſunt paucæ & ſententia perſpicuæ. aliæ autem leges, quæ ſacris canonibus digeruntur, ad certas perſonas ſpectantes, creuere partim rei ſacræ magnitudine conſiderata, partim hominum fraudibus & iniquitate in vitæ ſimplicitatem incurſantibus. Proteſtantes autem in hac lite non niſi iniqui delatores, & probroſi inficiatores in nos reperiuntur: non enim mirum, ſi paucis legibus contenti, imo ſi prorſus exleges vagentur, cum nullam rei ſacræ maieſtatem apud ſe reputent, cum ex ſcelere nullam credentium reſpectu cladem extimeſcant: demum cum eorum ſynagogæ non niſi anguſtis terminis in orbe terrarum definiantur, neque ante *Lutheri* & *Caluini* tempora vllum alicubi imperium adminiſtrarint. Quod vero ad rem ipſam attinet, optimum *Platonis* noſtri conſilium, quo ciues admonet, vt ſic viuant, quaſi in ciuitate reperiri nollent medicos aut iudices: illud quidem corporibus, hoc animabus expedire recte iudicarit.

August. Epist. ad Ian.

4 Quoniam autem ſermo iam incidit de beneficio legis, quatenus ciues inſtruit, ac doctos facit, inde commode occaſio datur diſſerendi de legum prologis, & præambulis inductionibus. qui prologi non adhibentur alium ob finem a legiſlatore, quam vt æquitas legis magis conſtet eis, qui legi obſequuntur, & vt iuſtior vrgentiorque eiuſdem legis materia ſeu cauſa eiſdem comprobetur. Sunt, qui huiuſmodi prologos diuerſimode vituperant. imprimis aiunt, omnem legem eſſentialiter eſſe ſatis directiuam & illuminatiuam eo ipſo, quo abſolute aliquid ab ea iubetur, aut prohibetur. vniuerſa autem inſtructio a Prologo, legi eſt extrinſeca: neque tam iuriſdictionalis eſt, quam philoſophica, oratoria ſeu ſcholaſtica. Ex quo vlterius animaduertunt, maieſtati legiſlatoris detrahere vſum prologorum, dum eis ſignificatur, ſatis validum non eſſe nudum illius imperium, ac meram voluntatem, lege expreſſam, ad præcipiendum, niſi accedat prologus aliquid ſuadens, & veluti a ſubditis emendicans. Proinde primæ leges diuinæ, & aliæ decem tabularum, omnino ſine prologis editæ. Poſtremo addunt, prologos ſuſpicionem ſecum adducere, vix honeſtam ex ſe eſſe ipſam legem, aut probum animum legiſlatoris, quandoquidem prologi fucatum quoddam honeſtamentum legi præponatur: quod iuſta & æqua ſui vel oſtentu ſolo nequeat apparere. Hinc prologi longiores paſſim, & e remoto petiti, vt legis deformitas ſpecie honeſti opportunius cõtegatur, in more poni ſoliti. *Plato* in multis præludia adprobat, vtpote in cantu, in orationibus dicendis, at vero in legibus ferendis ſpectari non debere definit. *Verarum autem legum, quas ciuiles eſſe dicimus, nemo vnquã proœmium aliquod, aut pronunciauit, aut conſcriptum in lucem protulit quaſi nullum naturæ ſit.*

Exod. 20.
Cicer. lib. 1. de legib.

Proclamationes Ciceronianæ.

Plat. dial. 4. de legib.

5 Nihilominus interdum idoneum eſſe vſum prologorum, aſſerere nihil vetat. ac *Plato* ipſe hanc differentiam ponit inter tyrannum, & ciuilem principem, quod tyrannus continuo mandat, ciuilis princeps nonnunquam doceat, probet, ac ſuadeat. Præſertim vero ſi inueteratus aliquis error populi ſenſus obtinuerit, conſultum fuerit, legi prologum præponere, quo talis error eis excutiatur: vel etiam quando legis æquitas notiſſima quidem legiſlatori, ignota tamen populo: tunc etiam conuenit, aliquo prologo populum erudiri. *Vtilis lex*, ait *Poſidonius* apud *Senecam*, *ſi non tantum imperet, ſed doceat.* Paſſim autem prologos non eſſe vſurpandos ea oſtendunt, quæ iam diximus. *Seneca* prudenter ita admonet: *Legem breuem eſſe oportet, quo facilius ab imperitis teneatur; veluti emiſſa diuinitus vox ſit. Iubeat, non diſputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quam lex cum Prologo.*

Plat. lib. 6. de legib.

Senec. Epist. 94.

Sene. Ep. 94

6 Poteſtas autem ferendi leges deriuatur a Deo in perſonam Principis, mediante reipublicæ conſtitutione. Sicut enim omnis hominum cœtus in ſe vim habet inſtituendi principatum, & eo aſſequendi finem ciuilem, ita & facultatem obtinet tribuendi alicui, vel aliquibus, auctoritatem leges condendi, vnde inter eos principatus vigeat, & vitæ ciuilis finis ab eis commode acquiratur. ac quemadmodum principatus forma hæc aut altera, maior ſeu minor, immediate ab iſto cœtu diſcendit, ita ab eodem prouenit facultas legiſlatoria certa ſpecie & modo definita ac inſtituta. Vnde, cum in principe cernantur poteſtas ac voluntas procurandi per leges ciuium bona, viciſſim in ciuibus inuenitur erga illum ſubiectio, ſtudium illi obſequendi, illiuſque incolumitatem defendendi, tunc, vt ait *Cicero*, vinculum & ordo quidam ciuilis vitæ efficiuntur. Quænam autem fuerit forma Romæ olim ferendi leges, ita deſcribit *Dionyſius*: *Conſules & Patriciorum potentiſſimus quiſque aſperius cum illis egerunt, negantes ſe legum ferendarum poteſtatem eis permiſſuros, præſertim de quibus in Senatu præconſultum non eſſet. leges enim eſſe commune totius ciuitatis non partis alicuius in republica conuentum & pactum. An non certis conditionibus magiſtratum iſtum a Senatu impetraſtis, vt iniuriam aut vim patientibus pauperibus ſuccurreretis, nec aliud tentaretis præterea? De Auguſto* hæc *Xiphilinus*: *Multas leges condebat, non ſuo conſilio, ſed eas ad populum ferebat, atque omnibus eis, qui poſſent, emendandi faciebat poteſtatem.* Nihilominus hic idem auctor narrat, Romæ, ad declinandum tyrannidis inuidiã, nominibus Regum & Dictatorum exactis, Imperatores rem ipſam monarchiæ, eam conſequutos, exercuiſſe. *Igitur Imperatores his nominibus fulciuntur, vt omnia habere videantur conceſſa populi. Id vero ſibi vſurparunt, quod antea ciuium Romanorum datum eſt nemini, vt ſoluti legibus eſſe dicantur: hoc eſt, omnis legis neceſſitate liberati, nec eis, quæ ſcripta ſũt ſubiecti: Itaque dempta nominis acerbitate, regiam obtinent poteſtatem.* Erat enim Romanum imperiũ ad reipublicæ formã primitus compoſitum, tametſi

Cic. or. pro Cluent.

Dion. lib. 10 Ant.

Xiphil. in August.

tametſi imperatores, militum auxilijs freti, illud ad monarchiam inflectere ſæpius tentarint. Vnde ad radices Capitolij, in arcu *Septimij Seueri*, Inſcriptione ei præconia dicuntur: *Ob reſtitutam Rempublicam, Populique Romani imperium propagatum*. Populi, cuius maxima auctoritas in republica democratica, diminuta erat Romæ auctoritate Tribunorum plebis. poſtea verò Imperatores teſte *Dione*, ſingulis annis ſibi trubunatum vendicabant: adeo vt nihil fermè extra ſenatum; quod monarchia non gubernabatur.

Dio. li. hiſt. 51.

7. Expedit omnino inter principis poteſtatem & ſubditorum obedientiam, legem interuenire. lex enim conſtans agendi regula, eademque plurium ſententijs adprobata, quam principis ſola voluntas ſit multoties iniqua aut animi paſſionibus idemtidem ſubiecta. Vnde pronunciauit *Plato* tunc fuituram rempublicam, quando non legibus reges, ſed leges regibus obſequûtur. in quam ſententiam hæc *Ariſtoteles*: *Qui legem præeſſe vult, is velle videtur Deum ac leges imperare. qui autem vult hominem, is etiam belluam adiungit. cum præſertim talo quid ſit cupiditas, & iracundia, & magiſtratus, & optimus quiſque cum a recta via detorqueantur. quapropter lex eſt aliud nihil quam mens a cupiditatibus libera.* Animaduertit idcirco *Plinius*, *Romulum* ciuitatem prius legibus quam mœnibus muniuiſſe. Cæterum quod omnia expreſsis legis verbis digeri non poſſint, vt ſupra diximus, idcirco rationi, quæ in principe ſumma, plurima deiudicanda merito permittuntur. Dicamus modo aliquid de materia legum ciuilium ſeu municipialium.

Pal. 4. de Repub.
Ariſt. 3 Pol. cap 12. lib 1. mag. Moral.
Plin. li. 1 de. vir Illuſt.

8 Materia itaque, quæ legiſlatoris iuſſioni aut prohibitioni obijcitur, eſt eidem ita ſubiecta, vt ipſa legiſlatione ſua de ea præcipiendo diſponat. nam legiſlatio actus eſt iuriſdictionis in foro externo, & proinde materiam ſuam reſpicit vt ſibi dimiſſam, & veluti quoddam genus ſui peculij. Vt enim proprietarius Dominus habet peculium, de quo diſponat, ita multo magis Dominus iuriſdictionalis fori externi idem retinet. ob quam cauſam in caſu boni publici, magis diſponit princeps ſua lege de pecunijs ciuium, quam proprietarius ipſe priuata ſua voluntate. *Præcepta legis*, ait S. *Thomas*, *præſupponunt ſubiectionem cuiuſlibet præcipientis legem, ad eum, qui dat legem.* Inepte ergo quidam in Anglia Sectarius affirmauit, Summum Pontificem poſſe in rebus temporalibus præcipere quidem, non autem de eis diſponere. Enimuero diſpoſitio, ſiue quod ad habitum, ſiue quod ad priuationem rei, circa quam verſatur, fundamentum habet in dominio tam iuriſdictionis quo ad forum externum, quam in dominio proprietatis. quod ſi Confeſſarius aliquis iniungendo pœnitentiam confeſſo, agens ex iuriſdictione, præcipiat, non autē diſponat, id euenit, quia non eſt perfecta in eo iuriſdictio fori externi, propter ſecretum ſacramētale, qualitē intendat confeſſo, aut iuridice cogat illum iniunctam pœnitentiam perficere: iuriſdictio autem Eccleſiæ in temporalia eſt perfecta, & abſoluta idque in ordine ad forum externum: & contraria huic veritati aſſertio, fuit hæreſis *Marcilii Pataniui*, inficiantis iuriſdictionem externam Eccleſiæ. Et quidem negare Principibus vi alti dominij poteſtatem diſpoſitiuam quo ad temporalia, eſt error prorſus inciuilis & intollerabilis. Si ergo Eccleſiæ competat hoc altum dominium, ſeu dominium iuriſdictionale, legiſlatiuum; reſpectu temporalium, vt fides ipſa ſtabiliuit, quomodo non poteſt eadem de temporalibus diſponere? *Agere proprie dicimus*, ait *Ariſtoteles* ſeu imperare ac diſponere, *qui animo & cogitatione externis actionibus præſunt.* ideo enim omnis legiſlatio in vniuerſum circa res externas occupatur, illis præeſt, & illis mediantibus ad actus internos attingit, quia diſponere valet de rebus externis; quod docet etiam *S. Thomas*, dum aſſerit, Eccleſiam in homine prohibere officia ſenſuum externorum in bonum internum animæ. prohibere autem ea non poteſt ex iuriſdictione, niſi pariter de eis diſponat. ob quam cauſam *Ariſtoteles* ex vi coactiua legis colligit ineſſe legiſlatori auctoritatem, ſeu ſuperioritatem ad materiam ſuæ legis. qualis obſecro, ea demum auctoritas, vel ſuperioritas in foro externo, quæ legem ferendo non diſponit de eo, quod eadem mandat aut prohibet?

S. Thom. 2. 2. q. 16 ar. 1
Albē Pigh. de Eccleſ. Hierar.
Con. in Reg pec 2. p. 49. num 1 mol Tract. 2. de iuſt. diſp 3.
Ariſt. 3 eth. cap. 1
S. Thom. 2. 2. q. 108 art. 1 ad 1.
Ariſt 10. eth cap. 16. Suar l. 1 de leg c. 9. ſect. 71.

9 Porro legis materia iuſta eſſe debet: hoc eſt rectæ rationi ac ſacroſanctæ fidei conſentanea: adeoque talis, qualis ac publicum bonum efferendum conducat, ſiue a lege iubeantur quæ ſuo genere indifferētia, ſiue quæ virtutis certa natura comprehenduntur. *Et quo intelligi par eſt*, ait *Cicero*, *eos qui pernitioſa & iniuſta populis iuſſa deſcripſerint, cum contra fecerint, quam polliciti profeſsique ſint, quiduis potius taliſſe quam leges: vt perſpicuum eſſe poſſit; in ipſo nomine legis interpretando ineſſe vim & ſententiam iuſti & iuris colendi.* non enim aliam facultatem leges ferendi accepit princeps a Deo aut republica, quam quæ æqua, honeſta, & communi bono vtilia præcipiat. *Hoc enim munus* inquit *S. Gregorius Nazianſenus*, *mihi videtur Principis, vt opem ferat virtuti, malitiam vero impugnet, ſiue id incruento principatu, quemadmodum nos, ſiue cum gladio ac vinculis faciat.* non eſt enim ius ciuile penitus diſtractum a iure naturali, ſed ab eo potius vt fonte deducitur. Proinde ſicut ius naturale niſi in honeſtum intendit, ſic etiam ciuile non in aliud progreditur. Hac de cauſa finxere veteres, vt ſcribit *Plutarchus*, Ioui aſſeſſores eſſe *Iuſtitiam* & *Themis*: eo ſignificantes, Reges ac Principes, Dei vices in terris agentes, non debere aut poſſe aliud quam iuſtum ac rectum ſuis legibus decernere. *Pindarus* idcirco legem vocat Deorum & hominum reginam, vt refert *Cicero*. *Seneca* quoque ea ipſa de cauſa eandem ſcitiſſime nuncupat *Armatam virtutem*.

Cicer. lib. 2 de legib.
Greg. Naz. epiſt. 125.
Plut lib. de educ
Cic. li. 2 de legib.
Sen. ep. 60.

Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet,
Captaque ſint puro tradita ſacra coli.

Ouid. 3 Faſt.

Hæc apud *Platonem* *Ariſtides*: *Atque id quidem fatebuntur omnes, nullam ad rem aliam legibus opus fuiſſe, niſi vt nihil a nobis inuicem damni pateremur, nec mali & audaces probis potiores eſſent, verum ijs iure cederent. Tot tantiſque muneribus*, ait *Plutarchus*, *ac bonis, quæ Dii largiuntur,*

Plat. orat. 5.
Plutar. contr. Collotten.
Plut. l. de doct. Princ.
Stob. ſerm. de lege.

non licet nec frui, nec uti recte, ſi deſit lex, Iuſtitia & Princeps. Itaque iuſtitia legis eſt finis, lex autem principis opus, princeps vero Dei ſimulacrum; adminiſtrantis vniuerſa, nihil egens Phidia ſtatuario, neque Polycleto, neque Mirone, ſed ipſe ſeipſum per virtutem Deo ſimilem reddit: ac fabricatur ſtatuam omnium viſu iucundiſſimam ac magnificentiſſimam. *Plato* adhuc diſtinctius munus legiſlatoris proſequitur:

Plat. in Epi. & l. 1. de leg.

Finis legum tibi propoſitus eſt, vt Dei cultu, & vitæ puritate optimum atque pulcherrimum exitum conſequaris. Quare oportet, vt legum quoque lator hunc ordinem ſequatur, & mandet omnibus, vt ſemper ad hæc reſpicientes in ſingulis recte operentur.

10 Atque hoc modo dum principes leges ferendo ſe gerunt, non tantum populo vtilitates multiplices adferunt, verum inſuper ſtatus proprius, iuxta ac priuata bona eodem ſtabiliunt. nam vt aduertit *Plato*, huiuſmodi officio exhibent Principes ſuis ſubditis munia patris ac matris. viciſſim ciues haud aliter erga eos afficientur, quam vt proles in optimos parentes.

Plat. li 9. de legib.

11 Quamobrem quod leges ciuiles, ſeu certis ciuitatibus propriæ, non niſi rectum & honeſtum, ac illud, quod rationi conſentaneum ſtatuunt, ſunt qui arbitrantur, omnem eiuſmodi legem, quandam eſſe legis naturalis ac diuinæ concluſionem, ac eas in ſe implicare. de qua re *Cicero* quam plurima in hanc ſententiam diſputauit. etenim vt hi definiunt, poſitis principijs legis naturalis, ac animo conceptis, legitime inde concluditur, in hac vel altera re legi obtemperandum. illud autem quod ſic concludit, eſt recta ratio. Hæc autem quod perceptrix legis naturalis, ideo ex eius notione progreditur, dum aliquid ſtatuit. Alij contendunt, leges omnes ciuiles haud eſſe concluſiones deductas a lege naturali, ſed ſolum eius quaſdam determinationes ad peculiares materias. nam vti ipſi quærunt, quomodo ex principijs iuris naturæ conficitur, frumentum hoc precio vendendum in ciuitate, haſce veſtes vſurpandas, & alia indifferentia præſtanda; vtpote hanc formam regiminis ſeruandam, tot debere eſſe Senatores, ac reliqua? Verum enimuero tota hæc diſceptatio, vt mihi videtur, de ſolo nomine inſtituta. Si enim id omne concluſio dici poterit legis naturalis, quod eidem in certis circumſtantijs conſentaneum, tunc nihil vetat, quin cenſeantur omnes leges, concluſiones legis naturalis. Sin vero id ſolum legis naturalis habeatur concluſio, quod ab aliquo docto deduci vi argumenti poterit ex inſpectis ſolum principijs naturalis legis, tunc quod plurimæ leges ciuiles non videantur inferri poſſe commode ex illis, appellari poſſunt potius legis naturalis determinationes, quam concluſiones.

Cic. l. 3. offi.

Cic li. 1. de legib.

12 Ex his omnibus liquet, tantam eſſe vim legis, vti obſequentium conſcientias ad officia virtutum, & ad obediendum omnino adigat, eaſque ita conſtrictas teneat, vt ſine ſceleris nota ab illis prætermitti lex, aut violari non poſſit. etenim immediata regula agendi non eſt externa lex, ſed internum conſcientiæ dictamen, quod iudicat, legi obtemperandum ex gradus debito quodam, pro grauitate boni, quod in tali obedientia reperitur. oritur vero eiuſmodi dictamen ab ipſa lege, habente vim iuriſdictionalem ad informandum, ſimul ac ad obligandum, acceptam a poteſtate legiſlatoris, quæ etiam a Deo ipſo primitus manauit; quod pulchre ſane S. *Auguſtinus* explicauit. *Nam & inter homines pœnas luit & apud Deum ſortem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis ipſa veritas iuſſit.* Verum quidem eſt, quaſdam leges eſſe pure pœnales: illas nempe, in quibus ciuibus optio datur ſoluendi decretam mulctam, aut obediendi legi. & in hoc interuenit quoque aliqua conſcientiæ obligatio, quatenus vtrumque abſque ſcelere omitti nequeat; præſertim iudicis ſententia prolata. Aliæ autem leges, quæ in bonum reipublicæ ſimpliciter edicuntur, pro qualitate ac modo detrimenti aut commodi, quæ inferunt ſeruatæ vel prætermiſſæ, conſcientiam ita obligant, vt ſine peccato ſperni non poſſint: ſiue earũ materia ante legiſlationem vi iuris naturalis obligabat, ſiue ſolummodo obligare incipiat ad legis ciuilis promulgationem.

Aug ep. 166

13 Quod autem ſuperius diximus, legem duplici ratione ciuilibus moribus prodeſſe, dirigendo videlicet, & coërcendo: hoc poſterius dupliciter intelligi poterit. ineſt quippe legi duplex vis coërcitiua: vna ei eſſentialis, altera tanquam propria paſſio illam conſequitur. prior in hoc conſiſtit, quod lex conſcientias adſtringat eorum, qui officium præſtare dicuntur, ac ei dominetur coërcitiue, nempe a vetito ſub pœna peccati eas coërcendo. oritur vero hæc coërcitio ab anteriori legis iuriſdictione in materiam ipſam eiuſdem legis: quatenus reſpectu eius eſt dominatiua, ſuperior, ſeu auctoritatiua: & hoc legi eſt maxime eſſentiale, & in eadem fundamentale, tametſi nulla pœna ab ipſa lege ſtatueretur. Poſterior vis coërcitiua cernitur in poteſtate legis, pœnam aliquam illius violatoribus interminante. quæ quidem coërcitio propagatur a duplici illa coërcitione priori. & quidem ſi reſpiciamus poteſtatem legiſlatoris, omnis lex eſt eſſentialiter ſaltem in radice, coërcitiua ſeu pœnalis. nam impoſſibile eſt, vt legiſlator agens ex perfecta iuriſdictione & ſubiectione rei, quam præcipit in foro externo, non valeat punire delinquentes in eodem genere rei, in quo mandat. quid enim aliud requiritur ad punitionem in temporalibus, quam in ea Dominium iuriſdictionale, eorumdemque ſibi ſubiectio in foro externo? omnis enim ſuperior quo ad proprium peculium, & rem ſuam ſibi ſubiectã, punire in eodem valet inferiores. Nullus itaque in temporalibus ex iuriſdictione in foro externo lege imperat, niſi poſſit eorumdem temporalium punitione coërcere ac caſtigare ei ſubditos refractarios. At de iſtis ſatis: ſimulque in vniuerſum de omnibus medijs ad vitam ciuilem ac ſacram ineundam inſeruientibus. quæ quod virtutibus contineantur, tam intellectualibus, quã moralibus, vti vidimus, ſupereſſe ſolũ iudicetur, de virtutibus eorũ actiuis pauca dicamus, qui alijs imperant, ſicut antea

ſtatuimus

ſtatuimus de eorumdem virtutibus intellectualibus.

CAPVT. XLII.

Quæ ac quanta excellentia virtutum moralium in eo ſpectanda, qui in alios imperium obtinent.

CVm in omnibus ciuibus, quo ciuiles ac boni ſint, requirantur virtutes, vti ſuperius oſtendimus, tum in ipſo Principe, fonte & exemplari totius ciuilitatis ac Ariſt. l. 1. Pol. cap. 8. probitatis, virtus requirenda plane ſumma, & vt loquitur *Ariſtoteles*, *Architectonica*. Proinde qui diſputationem ineunt, quærentes, num maior ſit poteſtas regia ſacerdotali, conſultius facerent, meo quidem iudicio, inueſtigantes, num vi officij, iuſtitiæque diuinæ ſimul ac naturalis; maior debet eſſe virtus Regis, quam Sacerdotis. Vt autem hanc rem paucis diſcutiamus, intelligendum, duplices virtutes in principe viro deſiderari: vnas, quæ propriæ ipſius perſonæ honeſtatem continent: vtpote continentiam, temperantiam, fortitudinem & religionem. alias, quæ illi ex vi principatus ineſſe debent, quæ nomine iuſtitiæ legalis ſummatim comprehenduntur.

2. Poteſtas ciuilis in alios iure naturæ ſibi annexum habet, vt quid connaturale, debitum retinendi & excolendi virtutes: ita vt quo maior poteſtas ab aliquo adſumitur, eo maior virtus in eodem requiratur. Propter quam cauſam Græci ac Romani olim auerſi fuere a monarchis, ſeu Regibus abſolutis, eo quod deſperarint, in eis tantam virtutem reperiendam, quantam poſtulat eiuſmodi ſumma in eis poteſtas. Vnde virtus non ſolum eſt omni poteſtate præclarior, hominem Deo ſimiliorem conſti- Plutar. de Prin. doct. tuens, vt *Plutarchus* rectè diſſerit, & ex *Platone* i- in Ariſt. Au demoſtendit *Auerroës*, ſed etiam eadem rarior: in Platon. cuius raritatem efficit poteſtas ipſa adiuncta Rep. Phil. li. immunitati delinquendi. quapropter *Plato*, in de princip. ſua republica, non attribuit Regibus pecunias Sariſbur. l. 5. niſi vectigalium ſponte collatas, quod optimo cap. 6. ſuo debeant eſſe contenti: ſcilicet, quo inter omnes ciues honeſtiſſimi ratione loci habeātur, eoque aurū illud referant, quod inter alia me- Plat li. 3. de talla fingit *Homerus*, *Iouem* Regum ingenijs pe- Regno culiariter immiſcuiſſe. a qua virtutis dignitate Ariſt. 3. Pol. deficientem principem, belluam appellat *Ari-* cap. 9. 12. *ſtoteles*, nam vt in vniuerſum homo, quod rationе armatus, ſi virtute deſtituatur, omnium animalium peſſimum, ac ferociſſimum, ita Princeps in republica omnium deterrimus, & quaſi Dæmonis facta imago comparet, ſi poteſtate abuſus, a virtute præpoſtere deſciuerit. *Ariſtoteles* idcirco ita diſcrimen cōſtituit quoad Ariſt. 1. Pol. virtutes, inter vectigales, & Principem: *Itaque* cap. 8. *cum oporcet, qui præſit, perfectis & abſolutis virtutibus, quæ moregignuntur, eſſe præditum & ornatum: eſt enim munus & officium Architecti. ratio autem Architecti nomen obtinet: cæteros autem quantum quemque decet.* Quamobrem ſi hominum genera in certos gradus ordineſque diſtribuere velimus cōtinuo videbimus, iuxta altiorē ac nobiliorē quorundā qualitatē, in eiſdem maiores excelſioreſque virtutes iure optimo poſtulari. *An* Auguſt. l. 4. *non cernimus*, inquit S. *Auguſtinus*, *optimo cuique* cont. Iul. c. *dominatum ab ipſa natura cum ſumma vtilitate in-* 12. *firmorum datum?* quod & *Seneca* proportione quadam naturalis præſtantię in rationis expertibus obſeruauit. *Natura eſt enim potioribus dete-* Sen. ep. 90. *riora ſubmittere. mutis quidem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit. Elephantorum gregem excellentiſſimus ducit. Inter homines pro ſummo eſt optimus. animo itaque Rector eligebatur. Ideoque ſumma felicitas erat gentium, in quibus non potentior eſſet, niſi melior. Tantum enim, quantum vult poteſt; qui ſe niſi quod debet non putat poſſe. Illo ergo ſæculo, quod aureum perhibetur, penes ſapientes fuiſſe regnum Poſidonius indicat. Hi cōtinebant manus, & a validioribus tuebantur. Suadebāt, diſſuadebāt, & infirmiores vtilia atque inutilia monſtrabant. Horum prudentia, ne quid deeſſet ſuis, prouidebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat ornabatque ſubiectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum poſſet, aduerſus eos experiebatur, per quos cœperat poſſe. Nec erat cuiquam aut animus in iniuriam, cum bene imperanti bene pareretur: nihilque Rex maius minari male parentibus poſſet, quam vt abiret e regno.*

3. Quamobrem vt a ſole ſtellæ lucem mutuantur, & analogia quadam eius reſpectu lucidæ plus minuſue vocantur, Ita in ciuitate, qui principaliter virtute ex officio præditus, is Rex, reliqui magis minuſue virtute dicuntur imbuti, ex modo ſcilicet, quo participatione, aut ſimilitudinē, ad regiam præſtantiam accedunt. *Cum igitur accidit*, inquit *Ariſtoteles*, *vt aut ge-* Ariſt l. 3. *nus totum, aut etiam vnus ex cæteris, tantum excel-* Pol. c. vltim *lat virtute, vt & illius, & cæterorum virtutem ſuperet, tunc ius eſt genus illud eſſe regium, cuius ſit omnium ſumma poteſtas, eumque vnum eſſe Regem.* & Ariſt 5 eth. alibi: *Regum poteſtas eo comparata eſt, vt in populo* cap. 1. *præſidium eſſet conſtitutum. Et Reges ex bonis, propter virtutis præſtantiam conſtituti ſunt, aut propter virtutis actiones, aut certe pro huius generis excellentia & dignitate.* Hinc Doctor Angelicus ex ſententia *Ariſtotelis* ita diſſerit: *Ideo Philoſophus dixit,* S. Thom. 1. *quod eadem eſt virtus principis, & boni viri, non* 2 q. 92. art. 1 *autem eadem eſt virtus cuiuſcumque ciuis, & boni* ad. 3. *viri.* hoc etiam deducit ex facultate legiſlatoria Ariſt. 3 Pol. ſpectanda in Rege, qua valet in omni planè cap. 3. materia virtutis aliis præcipere. Cū enim Prin- S. Thom 2. 2 ceps præcipit in omni genere actionis bonæ, i- q. 47. art. 11. deo debet eſſe bonus vir: quam bonitatem, ci- Caiet. ibid. uibus, particularia obedientiæ munia exequentibus, non eſt neceſſe ineſſe ex eorum officijs. Hac obſeruata proportione maioris vel minoris poteſtatis in ciuitate, animaduertit *Ariſtoteles*, maiorē debere eſſe virtutē in marito, quā in vxore, in libero, quā in ſeruo, in quo minima virtus, vt ipſe ait, poſtulatur. ob quā cauſam *Homerus*, vt ſcribit *Clemens Alexandrinus*, dicere ſole- Clem. Alex bat; *Iouem* dimidium cerebri ſeruis abſtuliſſe. l. 4. Strom. *Euripides* narrat *Herculem* quæſiuiſſe a ſuo ſeruo Eur. in Alc. quo factum, quod homines ad moriendum geniti; ac ſibi ipſi reſpondiſſe: *Vnde enim id noſſe*

ſui malum, robuſti venatores & *Nemrothi* euadāt. Prouerb. 29. *Qui delicate a pueritia nutrit ſeruum ſuū, poſtea ſentiet eum contumacē.* Ambroſ l. 3 de Virgin. *Qui dominari neſcit cupiditatibus*, inquit *S. Ambroſius*, *is quaſi equus raptatur indomitus, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Atque maiori fortitudine contra ſuas affectiones illi ciues indigent, qui ratione inſtituti proprij, verſantur in maioribus periculis, & occaſionibus frequentioribus delinquendi obijciuntur. Neque renera qui iſtius fortitudinis expertes ſunt, ſuis cupiditatibus ſeruientes, ij in pace degunt, aut ſolida iucunditate perfruuntur: enimuero illæ cupiditates intus fotæ & accenſæ, turbis ſuis & grauiſſimis afflictionibus haud viduantur. Quid precor, amarius pectore commoto, ardente, deſiderante, ambiente, iraſcente, libidinante? Iob 9. *Quis obſtitit ei, & pacem habuit?* Quemadmodum enim ſi pater familias ob timorē aut deſidiā, nullos depelleret ab ingreſſu in ſuas ædes, in eis vniuerſa pertubata ac violata demum inueniret, ita is, qui ob animi mollitiem, in animam ſuam omnes voluptatum choros admittit, nequaquam pace gaudebit, ſed ſingulæ eius facultates talibus hoſpitibus inquietabuntur, ac tandem vel vitæ ipſius tædio conficientur. Pſalm. 54 *Deſcendent in infernum viuentes.*

6. Hæc ipſa fortitudo, diligentiſſimus excubitor præ ianuis animæ, ſimulque paratiſſimus miles ad repellendum quemuis hoſtilem impetum, eiuſdem animæ ſaluti infeſtum: tentationis impreſſioni obſtinate pariter reſiſtit, affectumque confirmando, non patitur eum vllo impuro lenocinio facilè abduci ab officio honeſtatis. Duo quippe in ipſa fortitudine conſpicua, quæ omni tentationi reijciendæ aptiſſima: vigilantia nempe & robur. eſt enim fortitudo Hier. ep. ad Euſtoch. *Argos* quidem, ſeu peruigil draco: proinde ad primum appulſum blandientis illectamenti, vires eueſtigiò exerit, & iam natam ſolicitationem turpem expedito opere veluti in ſemine profligat. Subinde impenetrabile facit animæ pectus, ſeu illud ictui ſubducat, ſeu in excelſū locum excitet, ſeu impactam cuſpidem illico adamantina virtute reijciat, & in hoſtem retorqueat. Pſalm. 17. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum: & ſuper excelſa ſtatuens me.* Muliebre & eneruẽ eſt, ad prima incitamēta voluptatum manus ſtatim dare, conſenſum tribuere, eo ſeſe impotenter comittere, quo ſolicitat & vocat libidinis ſuaſa impuritas. Neque ſolum animæ ſtatum exhibet ſtabilem hæc fortitudo, verum etiam vim eius auget, & maiorem indies pugnando reddit, veluti iam durā obijciendo hoſti, in quam nulla eius flāma aut labes penetrare aut inſinuare ſe poterunt: & eàdem cauſa pronuntiat Apoſtolus, 2. Cor. 12. virtutem in infirmitate perfici: ſeu inde ſtabiliri & confirmari.

7. Enimuero ſalus ipſius animæ ab hac fortitudine plurimum dependet: niſi enim quis fortis fuerit, fruſtra bona virtutum ornamenta comparabit, fruſtra ea in ſe inferet: quorſum enim contenderet, vt ingentem vim gemmarū congereret, & ſubinde eas omnes in caniſtro aliquo ſtramineo aut vitro poſitas, in publica via depredandas exponeret? Similiter nihil proderit iuſtum eſſe, pium ac temperatum, niſi fortitudo has diuitias munierit: ſcilicet, niſi hominem earum poſſeſſorem quodammodo robuſtum ac rigidum contra omnes voluptatū inſidias & incitationes ea virtus conſtituerit. Et quidem ſicut in corporum, ita in animarum viribus, magna intercedit inter ciues differentia.

8. In iſtis laboribus militiæ, quibus defungitur fortitudo, ſi quæ ſit humanæ vitæ dulcedo, ea certe continetur, & inde affluentiſſimè in omnes vitæ actiones dimanat. Ex amaro dulce prodit, ex ſenticoſa ſtipite ſuauis roſa emergit, ex morte vita efflореſcit, ex ipſa maris turbulentioris ſalſugine, dulcis liquor, amabilis gemma exiliunt. Sola denique eſt fortitudo, quæ a pugna quieſcit, a funere reuireſcit & in cadauere occiſi leonis, ſuum fauum inuenit iucunditatis. Iudic. 14. Dulce viro forti, repulſa bruta voluptate deuicto peccati malo, ſaluas interius retinuiſſe virtutes, ipſamque iuſtitiam, ſanctimoniam, diuinæ auræ hauſtum, illibatas cuſtodiſſe. Eidem dulcis panis, quem ſudans ac ſanguinolentus comedit, vnde ille ſanguis oritur, ex quo victoriæ decus, triumphi gloria propagantur. Dulce ſentit, ſe decertando hominis partes defendiſſe, ſe brutis moribus eodem non ſuccubuiſſe, ſe loco ad impulſum impure libidinis minimè ceſſiſſe, ſe adamante vel ſilice duriorem, vim ſuam probaſſe, ac natiuum ſplendorem inter tenebras ſcintillando eiibraſſe. Denique dulciſſimum ſenſum illi adferet ea cogitatio, qua ſecum reputat, ſe in Dei Imperatoris ſui conſpectu egregie decertaſſe, hoſteſque tam honoris ipſius, quam propriæ ſalutis, generoſè debellaſſe. Enimuero huiſmodi dulcedinis ſucco illi penitus priuantur, qui ſenſuū dulcedines delinquendo perſequuntur, qui omni cera laxiores, ad eas diffluunt, omnique calamo leuiores, in earum delectus proni concedunt. Vt enim in lignis mollioribus citius generantur vermes, ita eorum conſcientiæ, quarum vires flaccidæ & eneruatæ, poſteaquam illecebras criminum in ſe admiſerint, repugnantis iudicij aculeis, tanquam vermibus interius conceptis, miſerum in modum vexantur, laceránturque. *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorū.* Pſalm. 42. Vt enim eorū corpora, ſaniora quæ exercitijs agitantur, & contra ocioſorū, languentium, perpetuo recumbentium languida, pallida & morborum ſeminibus infeſſa: ita virorum fortium læti exiſtunt ſenſus, cum interim illi, qui quietem illecebroſam conſectantur, omnē in ſe facultatem ſubinde ipſo exitu exacerbari perſentiſcunt. *Opus meum vix hora*, dicebat *S. Bernardus*, *& ſi plus, præ amore non ſentio.* Bern, ſerm. 14. in Cant. Huius fortitudinis alacritate exhilaratus Propheta *Dauid*, Pſalm. 118. de ſe affirmauit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Viribus huiuſmodi fortitudinis confirmati *S. Martyres*, vt refert *Euſebius*, lætis animis, & vultu amæno, ad tribunalia properabant: Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4. c. 5 qui vero in eiſdem carceribus fidem negarant, adducti poſtea ad iudices, in omnium oculis deformem ſpeciem triſtis animi, & abiecti corporis oſtendebant. *Contritio & infælicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Pſalm. 13. Vt enim maris facies non ſplendes

aut

aut vibrat, niſi placide fuerit compoſita, ita in homine anima haud iucunda, niſi conſtantia quædam illam explanarit, ſolidaueritque.

9 Denique eadem eſt fortitudo, quæ animã trãquillat, eius motus tã nimiæ exultationis, quam triſtitiæ, ſiue mœroris, compeſcendo. quæ enim hac & illac diuerſimode, dum voluptati ſtudet, impellitur, inconſtans eſt, & in quodcumque vario delata impegerit, id ei cuſpis acutiſſima ad compungendum inuenitur. Renuit proinde vir fortis mali aliquid addere ærumnæ, quæ modo incidit: imo non tam euentu acerbo affligi & vri, quam ſuis proprijs manibus, ſeilicet impatientia ſua, ſua mœſtitudine torqueri, longe ducit in ciue turpe & indecorum. Huic potius animus, placide omnia perferendo, fortunæ iniquitatem, hoſtium ſæuitiam temperare, imo vincere & ſuperare, innata pacis ſuauitate omnem forinſecus illatam amaritudinem, ſi fieri poterit, extinguere. Si ſpes proſperitatis illi exciderit, iucundabitur ſeipſo contentus, ac Deo, ſub quo meretur. Si triſtia pulſarint, haud ſubiacebit triſtitiæ inutili, imo nociuæ tempeſtati: ſeſe potius in ſpinis, in ardente fornace, in æſtuante mari iucundum & immotum perpetuo exhibebit. longe ſane ab hominis virili dignitate abeſſe videtur, rerum viliſſimarum acceſſu vel defectu deijci, euinci, & tanquam prædam, omnia ipſius oſſa ac neruos ab illis deuorari. Seruus eſt ille eius rei, cui quis ſuccumbit, eidem inferior nempe ſubſidet, & ab illa ſtatum ſui omnem expetibilem deriuandum profitetur.

Rom. 6.

Fortitudo autem plane deteſtatur hoc dedecus, quo quis ſeruus euadat perditæ pecuniæ, diminutæ famæ, amiſſæ dignitatis, charorum mortis, ac ſimilium rerum extra ipſum fortem poſitarum, ac procul ſub eius eminentia iacentium. *Qui autem non habita concupiſcit vt habeat*, inquit *S. Gregorius*, *aut adepta metuit ne amittat: & dum in aduerſis ſperat proſpera, in proſperis formidat aduerſa, huc illucque, quaſi quibuſdam fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium in mutabilitate verſatur.*

Greg. l. 21. Moral. c. 14

10 Turbari curis, angore excedi, gemitu, ac ſuſpirijs reſolui, quam imbecillis animi argumenta! *Triſtitiam longe repelle a te; multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.*

Eccleſ. 30.

Si natura malum, vtpote mortem, deuaſtationem ſegetum incuſſerit, quieto animo id perferet vir fortis, probe ſciens, inane eſſe decreto naturæ curſui inutiliter obluctari. Si fortuna aduerſitatem intulerit, adhuc immotum ſupererit illius pectus, delirium noſcens, leges inſano mari, vel cæcæ fortunæ præſcribere. Si aliorum malitia nocumentum inſtruxerit, adhuc pacatus manebit, quod intelligat, turpe eſſe, ad impreſſionem iniuſtam concidere, adeoque, quaſi non ſufficeret illa iniquitas ad nocendum, ipſummet, in ſui nocumentum, inepte ſimul cum illa dolendo ac ſe perturbando, conſpirare. Sin vero Deus cladem immiſerit, lætabitur adhuc potius, quam vt angatur fortis, quod percipiat, clementem illam manum, quæ myrrham primam diſtillat; ſanitatem eo intendere, haud ruinam. *Non eſt ſenſus, vbi eſt amaritudo. Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.*

Cant. 5.
Eccle. 21.
Prouerb. 25.

Perturbationibus itaque reſiſtendo fortis, non modo eodem tranquillus eſt, verum etiam ex deformitate elicit pulcritudinem, ex penuria copiam, ex miſeria fælicitatem, & triſtibus virtutem. *Studioſus enim vir*, inquit *Ariſtoteles*, *& paupertate, & morbo, & alijs fortunæ aduerſitatibus laudabiliter vtitur.*

Ariſt. l. 7 Pol. cap. 13.

11. Is autẽ fortius ac quietius vitæ diſpendũ inter reliqua patietur, qui emolumẽta iſtiuſ vitæ iuſto iudicio trutinans, ea prius aut cõtẽpſerit aut a ſe vſu morũ abiecerit. Eſt enim, vt alias diximus, ſeuerior diſciplina genus quoddam mortis, cui anima aſſuefacta, identidem eadem mori æſtimetur. ex quo cum ventum fuerit ad momentum perferendi mortem, ſeu amittendi vitæ naturalis iucunditatem, anima conſuetudine auocata ab illectamentis ſenſuum, iam didicit quiete & patienter ſuſtinere vitæ damnum. *Sit quodammodo* inquit *S. Ambroſius*, *quotidianus vſus in nobis affectuſque moriendi, vt per illam quam diximus ſegregationem a corporis cupiditatibus, anima noſtra ſe diſcat extrahere.*

Amb. de fid Reſ. cap. 7.

Contra anima voluptatum guſtu quaſi immerſa in altum corporis, vt loquitur *Plato*, neque actione ſua abſtracta ab illectamentis ſenſuum, quando ventum ad tempus, in quo a corpore anima ſeparanda, cuius interuentu voluptatibus diu inhæſit, tunc maxima amaritudine perſtringi & vehementi timore concuti ſolet.

Plato in Tym.

Cæterum vero poſtquam vitæ derelictio alicui facilior euaſerit, aliorum ſubinde clades eidem parum adferent moleſtiæ aut in patientiam difficultatis. Vnde *Seneca*: *Ille nunquam miſer, cui facile eſt mori.* alioquin ſi paratus non ſit animus ſua fortitudine ad tolerandum mortem, acerbiſſimum ac miſerimum fuerit, illius ictui ſubiacere inuitum, reluctantem, timidum. *Quam miſerum eſt neſcire mori!* neque hoc miſerum ſolum, quod ſenſui acerbum, ſed, quod animi & rationis reſpectu ſatuum, & ſic illi quoque miſerum. *Dolori indulgere*, inquit *Plutarchus*, *& animo concidere, inutile eſt, & futile & fatuum. Contemne mortem*, ait *Seneca*: *nihil triſte eſt, ſi huius malum effugimus.*

Senec. ep. 4
Senec. Aga.
Plut. lib. de exil.
Sen. epi. 87.

Huic itaque fortitudini nihil tam inimicum, quam nimius amor proprij corporis; qui delicatus plus æquo eſt, vt vllam aſperitatem perferat: plus iuſto ad ſe reſtrictus, quo minus hominem ad alia bona exire patiatur. imo non tantum aduerſatur honeſtati fortitudinis, ſed etiam omnis virtutis decori. *Honeſtum ei vile eſt*, inquit *Seneca*, *cui corpus nimis charum eſt.* Hoc autem munus fortitudinis tunc perfecte ab homine abſoluetur, quando is ad Deum fide ac pietate recurſum inſtituerit, vt id ſtatim a nobis oſtendetur.

Sen. ep. 14 ad Lucil.

CAPVT. LX.

Chriſtiana ſpes, in Dei bonitatem delata, eximium fortitudinis ſe robur continet.

NIhil eſt, quod tam in homine virtutis curſum contra aduerſantium impedimenta confirmat, ac ſpes certa in diuinam bonitatem, ſummam miſericordiam ad beneſa-

ne faciendum, ad ignoſcendum ſuopte ingenio inclinatam. neque ſolum robur, quod ab illo fonte expectamus, inexhauſtis eis in Deo perfectionibus tantummodo continetur, quas Philoſophia mera contemplatur, verum inſuper Chriſti Domini humanitate, eius meritis, facilitate eiuſdem ac pietate, ad nobis ſuccurrendum multo efficacior, affluentiorque eadem ipſius benignitas ad dandum exhibetur. quæ anchora huic firmitudini comparabilis, quæ potentia huiuſmodi præſidio ſimilis, quæ charitas huic indulgentiæ æqualis? Quemadmodum enim ad heri alicuius nutum ac motum, familiares in procinctu exiſtunt ad eius mandatum perficiendum, ita volente Deo munus aliquod ſubſidij in nos conferre, illico occurrunt, cœlū, Angeli, elementa, omnis denique creatura, quæ eius mandatum exequentia, nobis quoquo modo gratificentur. Alij quidem conciues nobis benefici, vel res nobis ſalutares, conſolatores etiam ſiue adiutores, proximè noſtra corpora dumtaxat, ſenſus demulcendo, afficiunt, at Deus animæ ipſi, mœſtitudine oppreſſæ, præ imbecillitate fatiſcenti, immediate iucunditatis ſenſum indit, ad agendum alacritatem inſpirat, ad perficiendum vires vbertimè illi infundit.

Math 9. 2 Paralip. cap. 20.

Si tetigero tantum veſtimentum eius, ſalua ero. Nolite timere nec paueatis hanc multitudinem, non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei. Non eritis vos qui dimicatis, ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos. Luc 21. *Cum ſteteritis ante Præſides & Reges propter me, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquamini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

2. Hinc venit, quod toties in ſcriptura Chriſtus dominus, & Angeli ipſius, bonis hominibus pacem denunciarint, timorem eis excuſſerint, nimiam anxietatem prohibuerint, quandoquidem indecorum iudicarint, ſub imperio ac præſidijs adeo clementis Principis Dei conſtitutos, pauere, conſternari, ſollicitudinibus perurgeri.

Gen 43. Luc 2. Ioan. 2. Luc. 12.

Pax vobis, nolite timere. Nolite ſolicitiesſe. Cum enim in Deo, inter alia ipſius attributa, miſericors bonitas præcipuè eluceat, tum ei ingratiſſimum, defectum aliquem illi imputare vexatos anxietatibus ac diffidentia exanimatos. Hoc vt oſtenderet Deus, ſæpius veluti *Moyſen* & alios ſeuère caſtigauit, qui in tanta abundantia ſpectabilis pietatis, in domo adeo vndique miſericordiæ donis referta, animos abiecere, ac deſperantes quodammodo tantis bonis obſtitere.

Num 13. Num. 14. 20.

Vſquequo detrahet mihi populus iſte? quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam. Quamobrem iſta Dei bonitate hauriendus ſpiritus fortitudinis, non ſolū quando ad ſuccurrendum ea ſecundis cauſis videtur inſtructa, verum etiam quando natura ipſa nobis vndique a malis infeſta apparet, ac a noſtris commodis penitus diſceſſiſſe.

2. Paralip. 20. Iob 13.

Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Etiam ſi occiderit me in eum tamen ſperabo. Quis eſt, qui Dei panopliam oculis ſuis penetrauit, vt de ſubſidio adferendo ſecum dubitet? quis ignorat, omnes creaturas Deo in ſuos vſus ſubijci, adeoque reſilire interdum mare, terrā tremere, ignem haud ardere, leones non ſæuire ad eius imperium? *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem?* Parua erigit Deus ad magnos effectus educendos: imo contraria ita reflectit, vt mirandorum & inſolitorum cauſæ exiſtant. Quemadmodum enim recta orientem verſus nauigantes, tandem in Americam occidentalem appellunt, ita qui ſibi videntur in aduerſa fortunæ feruido raptu deferri, eo ipſo in Elyſium inexpectato incidunt, & iucundioris euentus ſubeunt fælicitatem.

Math 3. Ioel. 2.

Ouid lib 4. de Pont.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ valuere ruunt.
Diuitis audita eſt cui non opulentia Craſſi?
Nempe tamen vitam captus ab hoſte tulit.
Ille Syracuſia modo formidatus in vrbe,
Vix humili duram repulit arte famem.
Quid fuerat Magno maius? tamen ipſe rogauit
Submiſſa fugiens voce clientis opem.
Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipſe magis.
Ille Iugurthino clarus, Cimbroque triumpho,
Quo victrix toties Conſule Roma fuit.
In cæno Marius iacuit, cannaque paluſtri,
Pertulit & tanto multa pudenda viro.
Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora fidem.

Quæ obſecro, ſublimitas mortalium a Dei fulminibus tuta? quæ in eiſdem humilitatis depreſſio, incapax prorſus exaltationis, ſi ipſe ſuam nutum vel inerti moli ſuppoſuerit?

3. Verum quidem eſt, hanc Dei bonitatem veluti per varios tubos, ad nos deriuare munera ſuæ gratiæ: vtpote per Chriſti Domini humanitatem, Sacramenta Eccleſiæ, aliorum bona exempla, merita & adhortationes, noſtram quoque pietatem: interuenit pariter ad virtutis donum noſtra cum diuina gratia libera cooperatio: nihilominus ſumma, prima, ac quo ad reſolutionem, vltima noſtræ ſpei ac conſolationis firmitas ac certitudo, ſolius Dei in nos benignitati innituntur. in quam, vtpote ſuapte ſponte ad nos fluentem, reſpicientes, tranquilli veluti in portu, ſecuri tanquam in arce, diuites perinde ac ſi ipſo Deo cum omnibus ſuis bonis potiremur, eſſe incipiemus. nulla gallina ſuper pullos ſuos alas expandens, aquila nulla ad volandum fœtus ſuos prouocans, mater nulla in vteri ſui prolem tenera & indulgens, Deo paterna in nos bonitate affecto, quantū ad ſubſidium, comparari poterunt. *Spes noſtra,* ait S. Thomas, *attingit ad ipſum Deum, cuius auxilio innititur.* nam ſi Sacramenta habeamus ad cōferendum gratiam efficacia, ſi nobis ſuppeditent munimina Sanctorum ſuffragia, eorumque exempla, ſi ſacra Scriptura nos informet ad rectè viuendum, ſi orationes noſtræ Dei dona obtineant, ſi merita noſtra gratiæ ac gloriæ præmia conſequantur, ſi liberum noſtrum arbitrium Dei gratiæ hic cooperetur, hæc tamen omnia, cum ſint effectus diuini auxilij, referunt noſtrā totam ſpem, omne noſtrum robur, vniuerſam noſtram expectationem & conſolationem in illud

Math. 23. Deut. 32. Iſa 49. S Thom. 2. 2. q. art. 1.

illud ipſum Dei auxilium ac bonitatem: faciet
enimnero ad ciues tranquillandos plurimum
hæc ipſa cogitatio: eademque ingentes vires tã
ad agendum, quam patiendum fortitet eiſdem
Pſalm. 25. inſpirabit. *In Domino ſperans non infirmabor.*
4. Neque ſane minima pars fortitudinis, aut
exile argumentum tranquillitatis, quo ad effe-
cta, quæ incidunt, eſt, circa ea miti animo, imo
amanti verſari, quatenus nempe a Deo fiunt, &
ab eius voluntate dimanant. Excepto quidem
peccato, nihil plane exiſtit, quod hinc quodam-
modo non decoratur, adeoque dulcoratur
Eccle. 11. affluctiſſimè. *Bona & mala, vita & mors, paupertas
& honeſtas a Deo ſunt.* Imprimis hac in re fortitu-
do noſtra radices obtinet in Dei amore, ac in
paſſionum animi noſtri mortificatione. quæ
Duo, quod iuconda ſunt, quod pacifica, quod
cõpoſita, non ſolum fortitudinem ſiſtent inter
aduerſa, eamue ad vlteriora promouebunt, ve-
tum etiam dulciſſima quadam tranquillitate ac
ſerenitate eius omnem motum temperabunt.
Dei amans eo omni delectatur, quod Deus fie-
ri decreuit, & in quo ſuam perfectionem elu-
cere voluit: ſiue amarum id fuerit ei, ſiue dul-
ce, ſiue proſperum, ſiue aduerſum ex-
titerit. quam optabile, ferrum humani cor-
dis magnete diuini cordis trahi, & illi perti-
naciſſimè & ſommè delectabili complexu im-
mobiliter inhæreſcere? Similiter qui eodem a-
more omnium paſſionũ æſtus in ſe ſemel com-
preſſerit, is ad caſum aliquem triſtem haud in-
ctabitur copitate, dolore minime torquebitur;
ſed in eo potius deliciabitur, quod Dei volon-
tati conſtitit educere, & in quo tanquam in ali-
quo veſtigio ſuam iuſtitiam ac prouidentiæ ſuę
rationem elucere illi complacuit. quamobrem
precor, id homini non arnderet, quod Deo vt
accideret decorum & rectum iudicatum fuit?
cur eſt, quod equus bruteſcens, aliorſum a ſua
auriga reſtitando diffugeret! & quæ cauſa, ob
quam mortalis homo ſua libidine Dei facta in-
cuſando, conditionem propriam deplorando,
criminaretur, corrigeret? Satis ſit ad plenam
tranquillitatẽ hoc vnũ, quod Deo viſum idoneũ,
hoc incidere. color iſte cuncta ſuauia reddit, &
plenum momentum ad inferendum patienti-
am, quod ægrotus aut pauper aliquis ex animo
dicat cum *S. Iobo, Quoniam manus Domini tetigit*
Iob. 16. *me.* non eſt hæc manus cœcæ fortunæ, non ma-
nus immanis violentiæ, non manus arte aut na-
tura ad crudelitatem vel nocendum inſtructa,
ſed manus Domini, omnium optabilium apot-
heca. eſt ergo quod nos inueniat Deus non mo-
do ſecundum cor ſuum, ſed & ſecundum ma-
num ſuam: nempe cum ipſius amantes tum pa-
Pſalm. 56. tientes.
5. Quod vero ad conſtantiam fortitudinis
conducat huiuſmodi voluntatis noſtræ cum di-
uina conſenſus, ideo prononciat Apoſtolus, eo
regnum quoddam a nobis comparari & admi-
niſtrari: quod proprium munus, & extrema
perfectio, partis in homine iraſcibilis. *Non eſt*
Rom. 17. *regnum Dei eſca & potus.* ſcilicet non reperitur
hoc regnum in delicijs facultatis concupiſcibi-
lis. *Sed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſan-
cto*, nempe quando iuſtitia bonam vitam ſemel
efformarit, tunc pax & gaudium in Spiritu ſan-
cto effloreſcunt: tunc anima in optimo ſtatu
quietudinis quo ad vim iraſcibilem, perpetuo Baſil in
veluti imperans, confirmatur. *Mihi autem adhæ-* Pſal. 32.
rere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem me-
am. Coniungere Deo, vt creſcat in nouiſſimo vi- Pſalm. 72.
ta tua. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam, Eccle. 2.
quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Pſalm. 4.
dormit vir fortis, & requieſcit ſpe in Deum ſo-
lidatus. dormit, quia non exerit ſenſui ſui cu-
rioſitatem ad inueſtigandum cauſas diuinæ
prouidentiæ. requieſcit, quia cum Deo, animo
& voto in illud quod euenit, cõſpirat; atque eo-
dem contentus, omni moleſta agitatione caret.
Timens in Deum forti intentione dirigitur, inquit
*S. Gregorius. quicquid ſibi in hac vita amarum ſit,
dulce æſtimat, omne quod affligit, requiem putat,
tranſire & per mortem appetit, vt obtinere plenius vi-
tam poſſit. Iudicia tua iucunda.* Si in ſeipſis amara,
vt tamen a Deo, iucunda.
6. Fortitudinis porro haud exiguũ munus, vr-
gente nos appetitu ſenſitiuo, illũque extimulante
tentatione praua, perſiſtere in officio virtutis,
cum patienter ferendo motum contrarium,
tum eidem generoſe reſiſtendo. Hoc quidem
habet appetitus in nobis ſenſitiuus, vti illece-
bra expetita priuatus, triſtetur, ſiue concupiſ-
cendo ſiue iraſcendo in eam deferatur. quo mo-
do videmus pueros dolentes, quando eis dene-
gantur bellaria & huiuſmodi ſuauia: in quo-
rum cupiditates proni; iuxta ac lacrymantes præ
dolore, quando læſi, a vindicta ſumenda cohi-
bentur. Quocirca durante in nobis tentatione,
pariter triſtitia durare ſolẽt: quandoquidem æ-
gre ferat, in nobis appetitus, virtute imperan-
te, carere concupita ſua delectatione. qui qui-
dem ſenſus triſtitiæ, aliquo etiam ſuo effectu ad
ſuperiorem animi partem, vtpote acerbitatis
morſu, grauedinis torpore, imo & ad corpus
ferme ſemper peruadit. In hac ergo mœſtitu
dine, veluti vmbra, verſantur decus & ſplen- Baſi. de ver.
dor fortitudinis. Dum ergo tentationi ſe oppo- virgin.
nit fortitudo, perpetuo in duos aduerſarios de-
pugnat: ſcilicet in amorem cupediæ, & in tri-
ſtitiam. *Cum paulatim* ait *S. Hieron. interior homo
inter vitia & virtutes cœpit fluctuare, dicito quare* Hieron. ep.
triſtis es anima mea, & quare conturbas me? vtitur 22. ad Euſt-
itaque fortitudo ad compeſcendum tentatio- och.
nem, armis aliarum virtutum, quibus imprimis
amorem illicitum debellet; mox inde ortam tri-
ſtitiam expellat: preſertim, vt ait idem *S. Hieron.*
amore Dei, & virtutũ: tunc enim vt ait ipſe,
*Carnis amor ſpiritus amore ſuperatur, deſiderium de-
ſiderio reſtinguitur.* Non ergo in nobis veluti
iners quieſcit fortitudo, dum mala tentationis
tollerat, aut patienter fert, ſed aduocat ad ſe
honeſtum amorem, qui inhoneſtum euin-
cat, ac inde oriundam lætitiam haurit,
quæ illam prauam aut mitiget aut expellat.
quo pacto fortitudo neque in ipſo conflictu in
tentationem, omni priuatur iucunditate, quan-
tumuis ſenſus doleant. verum peracta victoria
tunc ſolet Deus illos admirabili ſuauitate recre-
are, qui prius angores perpeſſi tentationum. vt
autem fortitudo ſit in nobis in tentationes effi-
cacior, curandum, vt eius ſedes nempe anima,
ſit

diſciplinis quodammodo aridior, non mollis aut fluida ex vſu voluptatum. miles etiam fortiſſimus non pugnat feliciter in limo, ibi impotens cum ſit ad conſiſtendum. ita ſoli fortitudini non eſt relinquenda ſpes victoriæ in tentationem, ſed mortificatio appetitus adhibenda, vt in firmo ac ſolido depugnet noſter miles fortitudo.

7. Quocirca cum a Deo mutuanda præcipua vis conſtantiæ atque fortitudinis noſtræ, tum fortis fuerit, pietate orationis ſæpius hunc fontem repetere, feruore precum, qui a conſcientiæ humilitate ac puritate erumpat, a benigniſſimo parente gratiæ ſuæ robur, & militiæ arma inſtanter poſtulare. quæ alia herbarum ac fructuum maturitas, quã a fœcundo ſolis lumine? vnde infans confirmatos habet ſui corpuſculi artus, præterquam a materno vbere? quomodo concha gemmæ valore fœcundatur & ditatur, niſi a cœleſti inſtillato rore? ita pariter æſtimandum, neminem poſſe diu in officio virtutis perſiſtere, niſi a Deo ſpiritum hauſerit orando fortitudinis. Potuit quidem Deus inſtar nubis irrorantis terram, abſque omni eius connixu, in nos vim ſuæ gratiæ infundere nullo motu piepietatis in eum excitatos. Cæterum vero, quod

Bellarmin. lib 1. de bon Oper. cap. 7. Pſal. 33.

mente ſimus prædití, ac libero arbitrio inſtructi, quarum facultatum munus oratio, voluit vt nos ad eum accederemus rogantes, quo ab illo illuminaremur diſcedentes. hanc hydriam orationis a nobis exigit ad hauriendum aquam altiſſimi putei: Rhetoricam hanc ſpiritualem requirit, qua ad miſericordiam ac munificentiam ipſe a nobis inflectatur: imo neruos hos cupit amoris inueniri a nobis, quibus quodammodo ligatus, a nobis non ſit dimittendus, niſi

Gen 32. Math. 7.

Benedixerit nobis. *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* in quam ſententiam optime *S. Auguſtinus: Oratio iuſti clauis eſt cœli: aſcendit precatio, & deſcendat Dei miſeratio. Sicut ex carnalibus eſcis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs & orationibus interior homo nutritur & paſcitur.* Enimuero huic virtuti fortitudinis duo videantur particulariter conuenire, quæ eidem extrinſecus adueniant: ſcilicet donum conſilij ſeu prudentiæ, vt ſuperius eclatum: ſimul ac gratiæ diuinæ beneficiũ, propter eximiam quam habet in ſuis muneribus defungendis arduitatem, vt iam explicatum.

Auguſtin. in monit. ſalutar. ca. 28. & Pſal. 65.

8. Quod cum verum fuerit, inde conſequens, corporis animique humiliationes, quæ orationi adnectuntur, non eſſe viro forti ſeu magnanimo indecoras, vt vulgus hominum interpretari ſolet: nempe genuflexiones, proſternationes in terram, vultus dimiſſiones, pallores, cilicia, cineres ac ſimilia, quibus viri fortiſſimi cum Rege Niniuitarum, Rege Samariæ, & *Dauide* vſi ſunt. Certe huiuſmodi appendices pietatis multum Deo placent, de quibus *Tertullianus*: cui promptum, eorum petitis annuere, qui ita in eius conſpectu ſeſe luctu abijciunt ac defor-mant. non eſt magni animi magna contemnere, ſed potius illa agnoſcere ac obſequenter reuereri. idcirco ſpectat ad viri fortis officium magnas æſtimationes retinere de Dei perfectionibus, illaſque proinde conteſtari & fateri ſui contemptu, ac dimiſſione manifeſtiori. Hinc redarguitur pariter eorũ exiſtimatio, qua nonnulli milites reputant, inſtante prælio indecorum eſſe militi, in oculis aliorum confeſſione ſacramentali ſua peccata ſacerdoti aperire & expiare, quandoquidem inde ſignificatio detur vt ipſi aiunt, militem illum mortem extimeſcere. at quis, niſi excors plane fuerit, non timet ad conſpectum Dei pro tribunali ſedentis apparere, ibique omnium factorum rationes ſtatim reddere? Certe vel ex principijs *Ariſtotelis*, qui neque mortem, neque Deum timet, ſtupidus eſt, haud fortis.

Ioan. 3. 4. Reg. 6. Tertull. lib. de pœnitẽt

9. Vt vero fortis vir ad Deum orando opportunè accedat, ſunt aliqui Theologi, qui arbitrantur, illum prius fide theologica credere debere ſe id obtenturum, pro quo orat: ſimiliter ſpe theologica fidere, illud ipſum certiſſime expectando: Quod verbis Chriſti Domini & Apoſtoli *Iacobi* probare nituntur: *Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniet vobis. Poſtulet in fide nihil hæſitans.* Fidem hanc, & ſpem appellant ſpecialem: quandoquidem ad hunc particularem hominem pertinentem. Cæterum hæc opinatio, quoties de ea cogitauerim, toties multum mihi diſplicuit. Quod enim huiuſmodi fidei ac ſpei priuatis ſeu ſpecialibus locus non ſit concedendus, ſuadet imprimis vigens hæreſis, quæ fidei ac ſpei iſtius conditionis, phanaticè omne momentum attribuit ſalutis. Deinde communis ſenſus antiquorum Theologorum eſt, extra Scripturas, & Traditiones ſacras & vna ſit fides, non vagari fidei aut ſpei obiecta. Scripturæ autem & Traditiones non proponunt huic homini tanquam obiectum fidei, illud conſequendum, pro quo orat, vt liquet: vnde ergo fidei aut ſpei obijci id poterit? Rectè ergo docet *Card. Bellarminus*, orationem manare quidem a fide ac ſpe, ſed communibus, ac catholicis: quibus creditur ac fiditur, in Deo ſufficientem eſſe bonitatem, ad omne illud oranti conferendum, quod ipſe alto ſuo iudicio idoneum nouerit, & petenti proficuum. iuxta quam ſententiam verba Chriſti Saluatoris & *S. Iacobi* optimam referunt ſententiam. Putandum tamen ad proferendum orationes maxime efficaces, inijcere ſæpius Deum pijs perſuaſiones quaſdam valde vehemẽtes circa euentũ eorum, quæ petunt: quæ perſuaſiones, non ſunt perpetuo actus fidei diuinæ, neque illius exæquant certitudinem: ſaltem quo ad ſubiecti diſpoſitionem, licet obiectum earum tam certum, vtpote a Deo decretum, eſſe poterit, ac illud, quod fide diuina creditur.

Ariſt. 3. Ethic. Marc. 11. Iacob 1. Vincent Lirin. cont. hær. Bellarm. lib. 1. de Bon. oper. cap. 9.

10 Atque iſtis ſatis multa diſputaſſe videbimur de medijs ciuilis ac ſacræ vitæ, relatis ad virtutes, quæ partem in homine iraſcibilem bene inſtituunt. Verum quod lex a legitima lata auctoritate, inſtrumentum ſit omnis plane virtutis, habeatque pro fine, ciues bonos conſtituere, idcirco de ea, tanquam communi morum principio, aliqua diſſerenda.

Ariſt. 5. eth. cap. 1. 3. 5. & 1. 5. Thom. 1. 2. q. 90. art 2. q. 69. art 4

CAPVT

CAPVT. XLI.

Quomodo leges vlta ciuilitati & ſanctimoniæ inſeruiunt.

LEgum in vniuerſum vtilitates duo mala, quæ naturam noſtram conſectantur, omnino perſuadent, ignorantia videlicet & malitia: quorum proinde oppoſita bona in ipſis legibus in oculis noſtris elucent. quod enim in pleriſque actionis mediocritatem, iuxta ac eiuſdem rectam ordinationem ad bonum commune, haud animis aſſequamur, opportune ſuccurrunt leges, quæ nobis vtraque oſtendant, ſiue aliquid præcipiant, ſiue vetent. Cum porro nobis inſita nequitia, quo ad priuatas voluptates immoderate intenta, eodem pariter in aliorum iniurias & indecora morum ſit propenſa, commoda lex, quæ tam conſcientias ſua obligatione coarctando, quam corporibus pœnas minitando, a flagitijs ciues coërceat ac repellat. *Neque dubium eſt*, inquit *Cyrillus*, *quin leges conſtringant, & quod propenſum ad defectionem, vindictis remorentur, dirigant ad bonum, & a deterioribus recedere cogant eos, qui honeſti rationem alioqui non haberent.* In hoc genere, quo natura humana perfectior, virtutu adfinis magis, & philoſophia doctior, eo paucioribus mandatis ad eius inſtitutionem opus fuerit. Proinde florente ſtatu naturæ integræ, aut leges non extitiſſent, vel ad magnum aliquem numerum haud excreuiſſent. *Opus eſt*, inquit *Ariſtoteles*, *adiumentis quibuſdam ad bene viuendum, minoribus quidem illis, qui melius diſpoſiti ſunt, maioribus autem, qui peius.* Cæterum iam conſiderata condicione noſtræ naturæ ad vitam ciuilem, ac ſacram, leges prorſus neceſſariæ. Vnde S. *Baſilius* aſſerit, ciuitatem, *Societatem eſſe congregatam, conſtabilitam, & legibus adminiſtratam*. Recte ergo de legis qualitate cenſuere *Diodorus* & *Xenophon* affirmantes, legem nõ debere ſolum ciues punire, ſed etiam docere, tam parti in homine rationali, quam concupiſcibili, & iraſcibili in eodem conſulentem.

[Suid. in Nõ. Plut. li. 9 de legib. Ariſt. 3. pol. c. 8. 1. pol. c. 2. Sen. ep. 94. — Cic. l. 2 cont. Iul. — Min. li. cont. Colotem. — Ariſt. 7. Pol. c. 13. 3. ethic. & 10. — Baſi. in pſal. 45. — Diod. l. Bib. Xenoph. l. 1. — Soph. Aiace flag.]

——— *Nec legibus*
Florebit vnquam, ſi metus deeſt, ciuitas,
Nec bene regetur vllus vnquam exercitus,
Niſi pudore, veluti valuis, & metu
Munitus.

[Plin. dial. 6. de legib.]

Si homo, inquit *Plato*, *cum natura falici rectam quoque diſciplinam fuerit aſſequutus, in diuiniſſimum manſuetiſſimumque animal ſolet euadere. Sin vero non ſatis, aut non bene fuerit educatus, ferociſſimum omnium, quæ in terris naſcuntur, animal redditur.*

[Ariſt. 2 Pol. cap. 6.]

2 Verum, vt aduertit *Ariſtoteles*, vniuerſus boni honeſti circuitus lege ciuili, aut etiam iure gentium, haud ita comprehenditur, vt nihil plane probi, legi exemptum, naturæ bonitati in ciuibus relinquatur. impoſſibile enim, vt omnes plane veritates practicæ a lege principis doceantur, aut iubeantur. idcirco vt perpetuus ſit curſus honeſti in ſingulis, locus ſupererit naturæ, & conſcientiæ vniuerſalis æquitatis. Vnde idem concludit, in ciuibus requiri virtutes, quæ rectum modum in eis etiam rebus teneant, ad quas leges iubendo ac territando peruadere nequeant: quo fiat, vt ciues ſibimetipſis leges, quod Apoſtolus *Paulus* multis perſuadet. *[Rom. 2.]* Debent itaque in ciuili republica leges corruptionem naturæ, quantum fieri poteſt, adiuuare & corrigere, non vero numeroſitate, aut acerbitate eam nimis prodere. quamobrem quo paucæ leges ac mitiores ſint, curandum, vt ciues ex virtutibus ſint boni, ac minime indigentes tantæ multitudinis, adeoue multiplicis coërcitionis; ſemper enim meliores ciues, pauciores, facilioresque postulabũt, cũ ſint ipſimet ſibi innatæ leges, vt loquitur Apoſtolus: ac proinde Beati in cœlo, nulla externa lege ad recte viuendum conſtringuntur. inſita quippe eo loci ſua beatitudine ad omnia bona affatim deſtinati. Hinc *Xenophon* & *Thucidides*, ingentem numerum legum, perinde indicare reipublicæ defectus & ſcelera aiunt, vt in eadẽ plurimi medici indicio ſunt variorũ morborum, in ciues graſſantium. quibus *Ariſtoteles*, conſentit, affirmando legum animaduerſiones eſſe veluti medelas ac medicinas ægrotantium in ciuitate. Hoc ipſum *Tacitus* & *Diodorus* pariter adſtruunt. Quamobrem boni principis non tam fuerit coordinatione leges in maſſas cumuloſque congerere, quam efficere, vt ciues inſtructi ſint virtutibus, ob quas ad paucitatem redactæ leges, ſatis ſint idoneæ eorum ciuilitati procurandæ. & cum cogitur princeps leges quaſi infinitas condere, ſignum eſt, præceſſiſſe in regimine aliquam incuriam quantum ad ſtudia virtutum, præſertim pietatis atque diuinæ cognitionis. Porro vbi leges multum numero excreuere, ibi plures earum ex neglectu, aut nimio grauamine, facili lapſu in obliuionem & antiquationem recidunt: ſimul ac eas paſſim violari & eis illudi neceſſe. Varius autem prætermiſſio aut neglectus, omnes in contemptum facile adducunt. Errant proinde illi politici, qui æſtu vindictæ in aduerſarios laborantes, ſtruem veluti legum ſtatim adparãt ac moliuntur, quæ in moribus ciuium perennare aut confirmari diu non poſſunt. Vnde cum earum diminuta auctoritate, breui ſpatio exacto, extinguuntur, & inter errata politica tot Senatorum iudicia, indecore, merito licet, recenſentur.

[Xenop. l. Thuc. apud. St. Serm. 43. — Ariſt. 2 ethi. Cambin in Thraſ. num. 37. Azor Tō. 1. lib. 9. q. 7. Tacit. lib. 4. Anal. Diod. bibli. lib. 1.]

3. Vt vero ſummatim hac de re dicam, ex tribus, legum multitudo propagatur: ſcilicet ex praua indole ciuium, ex eorundem malis actionibus; atque ex diuturnitate eiuſdem regiminis. prioris cauſa, teſte S. *Petro*, ceruicibus Iudæorum impoſitum diuinitus legum iugum intollerabile. *[Act. 15.]* cum enim ingenijs eſſent perquam refractarijs, multiplicibus iuſſionibus legum merito erant coërcendi. Deinde creſcente ciuium malitia, illi commode opponenda legum diuerſa impedimẽta, æquali paſſu incedente accurata cognitione talis malitiæ apud principẽ, cũ ipſa malitia apud populũ. Denique nullũ imperiũ diu

tametſi imperatores, militum auxilijs freti, illud ad monarchiam inflectere ſæpius tentarint. Vnde ad radices Capitolij, in arcu *Septimy Seueri*, inſcriptione ei præconia dicuntur: *Ob reſtitutam Rempublicam, Populique Romani imperium propagatum.* Populi, cuius maxima auctoritas in republica democratica, diminuta erat Romæ auctoritate Tribunorum plebis. poſtea verò Imperatores teſtè *Dione*, ſingulis annis ſibi tribunatum vendicabant: adeo vt nihil ferme extra ſenatum, quod monarchia non gubernabatur.

Dio. li. hiſt. 53.

7. Expedit omnino inter principis poteſtatem & ſubditorum obedientiam, legem interuenire. lex enim conſtans agendi regula, ea ſemque plurium ſententijs adprobata, quam principis ſola voluntas ſit multoties iniqua aut animi paſſionibus identidem ſubiecta. Vnde pronunciauit *Plato* tunc ruituram rempublicam, quando non legibus reges, ſed leges regibus obſequuntur. in quam ſententiam hæc *Ariſtoteles*: *Qui legem praeſſe vult, is velle videtur Deum ac leges imperare. qui autem vult hominem, is etiam belluam adiungit. cum præſertim tale quid ſit cupiditas, & iracundia, & magiſtratus, & optimus quiſque cum a recta via detorqueantur. quapropter lex eſt aliud nihil quam mens a cupiditatibus libera.* Animaduertit idcirco *Plinius*, *Romulum* ciuitatem prius legibus quam mœnibus muniniſſe. Cæterum quod omnia expreſsis legis verbis digeri non poſſint, vt ſupra diximus, idcirco rationi, quæ in principe ſumma, plurima deiudicanda merito permittuntur. Dicamus modo aliquid de materia legum ciuilium ſeu municipalium.

Plat. l. 4. de Repub.

Ariſt. 3 Pol. cap 12. lib 1. mag. Moral.

Plin. li. 1 de. iuſ Iulluſt.

8 Materia itaque, quæ legiſlatoris iuſſioni aut prohibitioni obijcitur, eſt eidem ita ſubiecta, vt ipſa legiſlatione ſua de ea præcipiendo diſponat. nam legiſlatio actus eſt iuriſdictionis in foro externo, & proinde materiam ſuam reſpicit vt ſibi dimiſſam, & veluti quoddam genus ſui peculij. Vt enim proprietarius Dominus habet peculium, de quo diſponat, ita multo magis Dominus iuriſdictionalis fori externi idem retinet. ob quam cauſam in caſu boni publici, magis diſponit princeps ſua lege de pecunijs ciuium, quam proprietarius ipſe priuata ſua voluntate. *Præcepta legis*, ait *S. Thomas*, *præſupponunt ſubiectionem cuiuſlibet præcipientis legem, ad eum, qui dat legem.* Inepte ergo quidam in Anglia Sectarius affirmauit, Summum Pontificem poſſe in rebus temporalibus præcipere quidem, non autem de eis diſponere. Enimuero diſpoſitio, ſiue quod ad habitum, ſiue quo ad priuationem rei, circa quam verſatur, fundamentum habet in dominio tam iuriſdictionis quo ad forum externum, quam in dominio proprietatis. quod ſi Confeſſarius aliquis iniungendo pœnitentiam confeſſo, agens ex iuriſdictione, præcipiat, non autē diſponat, id euenit, quia non eſt perfecta in eo iuriſdictio fori externi, propter ſecretum ſacramētale, qualitē intendat confeſſo, aut iuridice cogat illum iniunctam pœnitentiam perficere: iuriſdictio autem Eccleſiæ in temporalia eſt perfecta, & abſoluta idque in ordine ad forum externum: & contraria huic veritati aſſertio, fuit hæreſis *Marcilii Patauini*, inficiantis iuriſdictionem externam Eccleſiæ. Et quidem negare Principibus vi alti dominij poteſtatem diſpoſitiuam quo ad temporalia, eſt error prorſus inciuilis & intollerabilis. Si ergo Eccleſiæ competat hoc altum dominium, ſeu dominium iuriſdictionale, legiſlatiuum, reſpectu temporalium, vt fides ipſa ſtabiliuit, quomodo non poteſt eadem de temporalibus diſponere? *Agere proprie dicimus*, ait *Ariſtoteles* ſeu imperare ac diſponere, *qui animo & cogitatione externis actionibus præſunt.* ideo enim omnis legiſlatio in vniuerſum circa res externas occupatur, illis præeſt, & illis mediantibus ad actus internos attingit, quia diſponere valet de rebus externis; quod docet etiam *S. Thomas*, dum aſſerit, Eccleſiam in homine prohibere officia ſenſuum externorum in bonum internum animæ. prohibere autem ea non poteſt ex iuriſdictione, niſi pariter de eis diſponat. ob quam cauſam *Ariſtoteles* ex vi coactiua legis colligit ineſſe legiſlatori auctoritatem, ſeu ſuperioritatem ad materiam ſuæ legis. qualis obſecro, ea demum auctoritas, vel ſuperioritas in foro externo, quæ legem ferendo non diſponit de eo, quod eadem mandat aut prohibet?

S. Thom. 2. 2. q. 16 ar. 1

Albé Pigh. de Eccleſ. Hierar.

Con. in Reg pec 2. p. 49. num 3 mol Tract. 2. de iuſt. diſp 3.

Ariſt. 3 eth. cap. 3

S. Thom. 2. 2. q. 108 art. 1. ad 1.

Ariſt 10. eth cap. 16. Suar l. 1 de leg. c. 9. ſect. 71.

9 Porro legis materia iuſta eſſe debet: hoc eſt rectæ rationi ac ſacroſanctæ fidei conſentanea: adeoque talis, qualis ad publicum bonum efferendum conducat, ſiue a lege iubeantur quæ ſuo genere indifferētia, ſiue quæ virtutis certa natura comprehenduntur. *Et quo intelligi par eſt*, ait *Cicero*, *eos qui pernicioſa & iniuſta populis iuſſa deſcripſerint, cum contra fecerint, quam polliciti profeſsique ſint, quiduis potius tuliſſe quam leges: vt perſpicuum eſſe poſſit; in ipſo nomine legis interpretando ineſſe vim & ſententiam iuſti & iuris colendi.* non enim aliam facultatem leges ferendi accepit princeps a Deo aut republica, quam quæ æqua, honeſta, & communi bono vtilia præcipiat. *Hoc enim munus* inquit *S. Gregorius Nazianſenus*, *mihi videtur Principis, vt opem ferat virtuti, malitiam vero impugnet, ſiue id incruento principatu, quemadmodum nos, ſiue cum gladio ac vinculis faciat.* non eſt enim ius ciuile penitus diſtractum a iure naturali, ſed ab eo potius vt fonte deducitur. Proinde ſicut ius naturale niſi in honeſtum intendit, ſic etiam ciuile non in aliud progreditur. Hac de cauſa finxere veteres, vt ſcribit *Plutarchus*, *Ioui* aſſeſſores eſſe *Iuſtitiam* & *Themin*: eo ſignificantes, Reges ac Principes, Dei vices in terris agentes, non debere aut poſſe aliud quam iuſtum ac rectum ſuis legibus decernere. *Pindarus* idcirco legem vocat Deorum & hominum reginam, vt refert *Cicero*. *Seneca* quoque ea ipſa de cauſa eandem ſcitiſſime nuncupat *Armatam virtutem*.

Cicer. lib. 2 de legib.

Greg. Naz. epiſt. 25.

Plut lib. de educ

Cic. li. 2 de legib.

Sen. ep. 60.

Ouid. 3 Faſt.

Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet,
Captaque ſint pure tradita ſacra coli.

Hæc apud *Platonem* *Ariſtides*: *Atque id quidem fatebuntur omnes, nullam ad rem aliam legibus opus fuiſſe, niſi vt nihil a nobis inuicem damni pateremur, nec mali & audaces probis potiores eſſent, verum ijs iure cederent. Tot tantiſque muneribus*, ait *Plutarchus*, *ac bonis, quæ Dii largiuntur,*

Plat. orat. 1. Plutar. cont. Colloten. Plut. l. de doct. Princ. Stob. ſerm. de lege.

non licet nec frui, nec vti recte, ſi deſit lex, ſiuſtitia & Princeps. Itaque iuſtitia legu eſt finis, lex autem principis opus, princeps vero Dei ſimulacrum; adminiſtrantis vniuerſa, nihil egens Phidia ſtatuario, neque Polycleto, neque Mirone, ſed ipſe ſeipſum per virtutem Deo ſimilem reddit; ac fabricatur ſtatuam omnium viſu iucundiſſimam ac magnificentiſſimam. Plato adhuc diſtinctius munus legiſlatoris proſequitur: *Finis legum tibi propoſitus eſt, vt Dei cultu, & vitæ puritate optimum atque pulcherrimum exitum conſequaris. Quare oportet, vt legum quoque lator hunc ordinem ſequatur, & mandet omnibus, vt ſemper ad hæc reſpicientes in ſingulis recte operentur.*

Plat. in Epi. & l. 1. de leg.

10 Atque hoc modo dum principes leges ferendo ſe gerunt, non tantum populo vtilitates multiplices adferunt, verum inſuper ſtatus proprios, iuxta ac priuata bona eodem ſtabiliunt. nam vt aduertit *Plato*, huiuſmodi officio exhibent Principes ſuis ſubditis munia patris ac matris. viciſſim ciues haud aliter erga eos afficientur, quam vt proles in optimos parentes.

Plat. li. 9. de legib.

11 Quamobrem quod leges ciuiles, ſeu certis ciuitatibus propriæ, non niſi rectum & honeſtum, ac illud, quod rationi conſentaneum ſtatuunt, ſunt qui arbitrantur, omnem eiuſmodi legem, quandam eſſe legis naturalis ac diuinæ concluſionem, ac eas in ſe implicare. de qua re *Cicero* quam plurima in hanc ſententiam diſputauit. etenim vt hi definiunt, poſitis principijs legis naturalis, ac animo conceptis, legitime inde concluditur, in hac vel altera re legi obtemperandum. illud autem quod ſic concludit, eſt recta ratio. Hæc autem quod perceptrix legis naturalis, ideo ex eius notione progreditur, dum aliquid ſtatuit. Alij contendunt, leges omnes ciuiles haud eſſe concluſiones deductas a lege naturali, ſed ſolum eius quaſdam determinationes ad peculiares materias. nam vti ipſi quærunt, quomodo ex principijs iuris naturæ conficitur, frumentum hoc precio vendendum in ciuitate, haſce veſtes vſurpandas, & alia indifferentia præſtanda; vtpote hanc formam regiminis ſeruandam, tot debere eſſe Senatores, ac reliqua? Verum enimuero tota hæc diſceptatio, vt mihi videtur, de ſolo nomine inſtituta. Si enim id omne concluſio dici poterit legis naturalis, quod eidem in certis circumſtantijs conſentaneum, tunc nihil vetat, quin cenſeantur omnes leges, concluſiones legis naturalis. Sin vero id ſolum legis naturalis habeatur concluſio, quod ab aliquo docto deduci vi argumenti poterit ex inſpectis ſolum principijs naturalis legis, tunc quod plurimæ leges ciuiles non videantur inferri poſſe commode ex illis, appellari poſſunt potius legis naturalis determinationes, quam concluſiones.

Cic. l. 3. offi.

Cic. li. 1. de legib.

12 Ex his omnibus liquet, tantam eſſe vim legis, vti obſequentium conſcientias ad officia virtutum, & ad obediendum omnino adigat, eaſque ita conſtrictas teneat, vt ſine ſceleris nota ab illis prætermitti lex, aut violari non poſſit. etenim immediata regula agendi non eſt externa lex, ſed internum conſcientiæ dictamen, quod iudicat, legi obtemperandum ex gradus debito quodam, pro grauitate boni, quod in tali obedientia repentur. oritur vero eiuſmodi dictamen ab ipſa lege, habente vim iuriſdictionalem ad informandum, ſimul ac ad obligandum, acceptam a poteſtate legiſlatoris, quæ etiam a Deo ipſo primitus manauit: quod pulchre ſane S. *Auguſtinus* explicauit. *Nam & inter homines pœnas luit & apud Deum ſortem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis ipſa veritas iuſſit.* Verum quidem eſt, quaſdam leges eſſe pure pœnales: illas nempe, in quibus ciuibus optio datur ſoluendi decretam mulctam, aut obediendi legi. & in hoc interuenit quoque aliqua conſcientiæ obligatio, quatenus vtrumque abſque ſcelere omitti nequeat; præſertim iudicis ſententia prolata. Aliæ autem leges, quæ in bonum reipublicæ ſimpliciter edicuntur, pro qualitate ac modo detrimenti aut commodi, quæ inferunt ſeruatæ vel prætermiſſæ, conſcientiam ita obligant, vt ſine peccato ſperni non poſſint: ſiue earũ materia ante legiſlationem vi iuris naturalis obligabat, ſiue ſolummodo obligare incipiat ad legis ciuilis promulgationem.

Aug. ep. 166

13 Quod autem ſuperius diximus, legem duplici ratione ciuilibus moribus prodeſſe, dirigendo videlicet, & coërcendo: hoc poſterius dupliciter intelligi poterit. ineſt quippe legi duplex vis coërcitiua: vna ei eſſentialis, altera tanquam propria paſſio illam conſequitur. prior in hoc conſiſtit, quod lex conſcientias adſtringat eorum, qui officium præſtare dicuntur, ac ei dominetur coërcitiue, nempe a vetito ſub pœna peccati eas coercendo. oritur vero hæc coërcitio ab anteriori legis iuriſdictione in materiam ipſam eiuſdem legis: quatenus reſpectu eius eſt dominatiua, ſuperior, ſeu auctoritatiua: & hoc legi eſt maxime eſſentiale, & in eadem fundamentale, tametſi nulla pœna ab ipſa lege ſtatueretur. Poſterior vis coërcitiua cernitur in poteſtate legis, pœnam aliquam illius violatoribus interminante. quæ quidem coërcitio propagatur a duplici illa coërcitione priori. & quidem ſi reſpiciamus poteſtatem legiſlatoris, omnis lex eſt eſſentialiter ſaltem in radice, coërcitiua ſeu pœnalis. nam impoſſibile eſt, vt legiſlator agens ex perfecta iuriſdictione & ſubiectione rei, quam præcipit in foro externo, non valeat punire delinquentes in eodem genere rei, in quo mandat. quid enim aliud requiritur ad punitionem in temporalibus, quam in ea Dominium iuriſdictionale, eorundemque ſibi ſubiectio in foro externo? omnis enim ſuperior quo ad proprium peculium, & rem ſuam ſibi ſubiectã, punire in eodem valet inferiores. Nullus itaque in temporalibus ex iuriſdictione in foro externo lege imperat, niſi poſſit eorumdem temporalium punitione coërcere ac caſtigare ei ſubditos refractarios. At de iſtis ſatis: ſimulque in vniuerſum de omnibus medijs ad vitam ciuilem ac ſacram iucundam inſeruientibus. quæ quod virtutibus contineantur, tam intellectualibus, quã moralibus, vti vidimus, ſupereſſe ſolũ iudicetur, de virtutibus eorũ actiuis pauca dicamus, qui alijs imperant, ſicut antea

ſtatuimus

ſtatuimus de eorumdem virtutibus intellectualibus.

CAPVT. XLII.

Quæ ac quanta excellentia virtutum moralium in eis ſpectanda, qui in alios imperium obtinent.

CVm in omnibus ciuibus, quo ciuiles ac boni ſint, requirantur virtutes, vti ſuperius oſtendimus, tum in ipſo Principe, fonte & exemplari totius ciuilitatis ac probitatis, virtus requirenda planè ſumma, & vt loquitur *Ariſtoteles, Architectonica*. Proinde qui diſputationem ineunt, quærentes, num maior ſit poteſtas regia ſacerdotali, conſultius facerent, meo quidem iudicio, inueſtigantes, num vi officij, iuſtitiæque diuinæ ſimul ac naturalis, maior debeat eſſe virtus Regis, quam Sacerdotis. Vt autem hanc rem paucis diſcutiamus, intelligendum, duplices virtutes in principe viro deſiderari: vnas, quæ propriæ ipſius perſonæ honeſtatem continent: vtpote continentiam, temperantiam, fortitudinem & religionem. alias, quæ illi ex vi principatus ineſſe debent, quæ nomine iuſtitiæ legalis ſummatim comprehenduntur.

Ariſt. l. 1. Pol cap. 8.

2. Poteſtas ciuilis in alios iure naturæ ſibi annexum habet, vt quid connaturale, debitum retinendi & excolendi virtutes: ita vt quo maior poteſtas ab aliquo aſſumitur, eo maior virtus in eodem requiratur. Propter quam cauſam Græci ac Romani olim auerſi fuere a monarchis, ſeu Regibus abſolutis, eo quod deſperarint, in eis tantam virtutem reperiendam, quantam poſtulat eiuſmodi ſumma in eis poteſtas. Vnde virtus non ſolum eſt omni poteſtate præclarior, hominem Deo ſimiliorem conſtituens, vt *Plutarchus* rectè diſſeruit, & ex *Platone* idemoſtendit *Auerroës*, ſed etiam eadem rarior: cuius raritatem effert poteſtas ipſa adiuncta immunitati delinquendi. quapropter *Plato*, in ſua republica, non attribuit Regibus pecunias niſi vectigalium ſponte collatas, quod optimo ſuo debeant eſſe contenti: ſcilicet, quo inter omnes ciues honeſtiſſimi ratione loci habeãtur, eoque aurũ illud referant, quod inter alia metalla fingit *Homerus*, *Iouem* Regum ingenijs peculiariter immiſcuiſſe. a qua virtutis dignitate deficientem principem, belluam appellat *Ariſtoteles*, nam vt in vniuerſum homo, quod ratione armatus, ſi virtute deſtituatur, omnium animalium peſſimum, ac ferociſſimum, ita Princeps in republica omnium deterrimus, & quaſi Dæmonis facta imago compareт, ſi poteſtate abuſus, a virtute præpoſtere deſciuerit. *Ariſtoteles* idcirco ita diſcrimen cõſtituit quoad virtutes, inter vectigales, & Principem: *Itaque cum oporteat, qui præſit, perfectis & abſolutis virtutibus, quæ meregignuntur, eſſe præditum & ornatum: eſt enim munus & officium Architecti. ratio autem Architecti nomen obtinet: cæteros autem quantum quemque decet.* Quamobrem ſi hominum genera in certos gradus ordinéſque diſtribuere velimus cõtinuo videbimus, iuxta altiorẽ ac nobiliorẽ quorundã qualitatẽ, in eiſdem maiores excelſioreſque virtutes iure optimo poſtulari. *An non cernimus*, inquit *S. Auguſtinus*, *optimo cuique dominatum ab ipſa natura cum ſumma vtilitate infirmorum datum?* quod & *Seneca* proportione quadam naturalis præſtantię in rationis expertibus obſeruauit. *Natura eſt enim potioribus deteriora ſubmittere. multis quidem gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit. Elephantorum gregem excellentiſſimus ducit. Inter homines pro ſummo eſt optimus. animo itaque Rector eligebatur. Ideoque ſumma felicitas erat gentium, in quibus non potentior eſſet, niſi melior. Tantum enim, quantum vult poteſt; qui ſe niſi quod debet non putat poſſe. Illo ergo ſæculo, quod aureum perhibetur, penes ſapientes fuiſſe regnum Poſidonius indicat. Hi cõtinebant manus, & a validioribus tuebantur. Suadebãt, diſſuadebãt, & infirmiores vtilia atque inutilia monſtrabant. Horum prudentia, nequid deeſſet ſuis, prouidebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat ornabatque ſubiectos. Officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum poſſet, aduerſus eos experiebatur, per quos cæperat poſſe. Nec erat cuiquam aut animus in iniuriam, cum bene imperanti bene pareretur: nihilque Rex maius minari male parentibus poſſet, quam vt abiret e regno.*

Plutar. de Prin. doct. in Ariſt. Au in Platon. Rep. Phil. li. de princip. Sariſbur. l. 5. cap. 6.

Plat li. 3. de Regno. Ariſt. 3 Pol. cap. 9. 12.

Ariſt. 1. Pol. cap. 8.

Auguſt. l. 4. cont. Iul. c. 12.

Sen. ep. 90.

3. Quamobrem vt a ſole ſtellæ lucem mutuantur, & analogia quadam eius reſpectu lucidæ plus minuſue vocantur, ita in ciuitate, qui principaliter virtute ex officio præditus, is Rex, reliqui magis minuſue virtute dicuntur imbuti, ex modo ſcilicet, quo participatione, aut ſimilitudine, ad regiam præſtantiam accedunt. *Cum igitur accidit*, inquit *Ariſtoteles*, *vt aut genus totum, aut etiam vnus ex cæteris, tantum excellat virtute, vt & illius, & cæterorum virtutem ſuperet, tunc ius eſt genus illud eſſe regium, cuius ſit omnium ſumma poteſtas, eumque vnum eſſe Regem.* & alibi: *Regum poteſtas eo comparata eſt, vt in populo præſidium eſſet conſtitutum. Et Reges ex bonis, propter virtutis præſtantiam conſtituti ſunt, aut propter virtutis actiones, aut certe pro huius generis excellentia & dignitate.* Hinc Doctor Angelicus ex ſententia *Ariſtotelis* ita diſſerit: *Ideo Philoſophus dicit, quod eadem eſt virtus principis, & boni viri, non autem eadem eſt virtus cuiuſcumque ciuis, & boni viri.* hoc etiam deducit ex facultate legiſlatoria ſpectanda in Rege, quã valet in omni planè materia virtutis alijs præcipere. Cũ enim Princeps præcipit in omni genere actionis bonæ, ideo debet eſſe bonus vir: quam bonitatem, ciuibus, particularia obedientiæ munia exequentibus, non eſt neceſſe ineſſe ex eorum officijs. Hac obſeruata proportione maioris vel minoris poteſtatis in ciuitate, animaduertit *Ariſtoteles*, maiorẽ debere eſſe virtutẽ in marito, quã in vxore, in libero, quã in ſeruo, in quo minima virtus, vt ipſe ait, poſtulatur. ob quã cauſam *Homerus*, vt ſcribit *Clemens Alexandrinus*, dicere ſolebat; *Iouem* dimidium cerebri ſeruis abſtuliſſe. *Euripides* narrat *Herculem* quæſiuiſſe a ſuo ſeruo quo factum, quod homines ad moriendum geniti; ac ſibiipſi reſpondiſſe: *Vnde enim id noſſe*

Ariſt l. 3. Pol. c. vltim

Ariſt. 5 eth. cap. 1.

S. Thom. 2. 2 q 92. art. 1 ad. 2.

Ariſt. 3 Pol. cap. 3.

S Thom 2. 2 q 47. art. 11. Caiet. ibid.

Clem. Alex. l 4. ſtrom. Eur. in Alc.

poſſet

poſſet ſeruus? Hoc ipſum de nobilibus & optimatibus aliorum reſpectu, quantum ad virtutis excellentiam, affirmandum. Quod ergo Princeps ſuprema inter omnes ſit auctoritate conſpicuus, ideo eidem aptè reſpondere debet prima virtutis dignitas, *Vt unius moribus*, quod ait *Plinius, viuamus.* *Tulli* Romani hæ fuere voces de Romanorum principum delectu ac virtutibus: *Magiſtratus, ſenatoria dignitas, & cæteri honores deferuntur apud uos, non iis, qui amplius poſſident opes, aut longam maiorum indigenarum poſſunt oſtendere ſeriem ſed iis, qui talibus honoribus ſunt digni. Nulla enim alia re quam virtute humanam nobilitatem conſtare ducimus. reliqua turba ciuitatis corpus eſt, roburque ac vires affert ad exequenda potiorum conſilia.*

Plin. paneg. Traiano.
Dionyſ. li. 3. Antiq.
Boet. lib. 3. Met. 6.

Ouid. ad Liuiam.

Quid deceat Druſi matrem, matremque Neronis
Aſpice, quo ſurgas, aſpice mane thoro.
Non eadem vulguſque decent, & lumina rerum:
Eſt quod præcipuum debeat iſta domus.
Impoſuit te alto fortuna, locumque tueri
Iuſſit, honoratum Liuia perfer onus.
Ad te oculos aureſque trahis, tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt principis ore tegi.
Alta mane, ſupraque tuos exſurge dolores,
Infragilemque animum, quo potes vſque tene.
An melius per te virtutum exempla petemus,
Quam ſi Romanæ Principis edis opus?

4. Huiuſmodi cogitatio duo efficere poterit in Principum animis. vnum, quo inuiti quodammodo accedant ad imperandum. alterum, quo abſtineant verbis factiſquè ſuperbis, maieſtatem quaſi in ſcena nimium pompaticè oſtentantibus. Prius iſtis indicat *Ariſtoteles: Debet enim & voluntate ſua, & inuitus venire ad imperium, is qui dignus eſt magiſtratu.* quis obſecro principum, de gradu virtutis, quo reliquis præpollere eum oportet, cogitans, ita confidenti de ſe eſt animo, vt ſecutus illum ſibi polliceatur? quis potius ad conſcendendum hunc apicem virtutis non reformidat? *Nec vero*, inquit *Cicero, imperia expetenda, ſed potius non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam.* ac *Plato* ſcribit, bonū Principem ita debere eſſe animo affectum quātum ad proprium ingenium, vt plus cupiat contemplationi priuatim vacare, quam regendis populis incumbere. *Traiani* quod ad hoc laudes ita recolit *Plinius. Recuſabas enim imperare. recuſabas quod bene erat imperaturo. igitur cogendus fuiſti. Illi, illi*, inquit *Pacianus, auide regna deſiderant, quos ſoluta legibus delectat vita, quorum crudelitas priuata capiendi, libido honeſta fœdandi ad impunitatem recurrunt.* de *Theodoſio* ita *Claudianus*:

Ariſt. 2. Pol cap. 7.
Cic. li. 1. off.
Plat. lib. 1 de Regno.
Dioniſ. l. 5. Antiquit.
Plin. in panegyr. Traian.
Pacian. pan. Theod.

———*& ſolus meruit regnare rogatus.*

Claud. paneg. in 4. conſu.

Si porro principes ſecum reputauerint, hoc ipſorum penſum, quod non niſi excellenti virtute abſoluendum, vt loco officioque ſuo digni videantur, nequaquam externis ſignis ſe plus iuſto amplificarent, veluti, teſte *Plutarcho*, ſi coloſſis eſſent ſimiles, forinſecus quidem altis & ſpecioſis, interius vero rudi ac deformi materia refertis, & ad ſubitaneam ruinam comparatis. *Diſcimus experimento*, inquit *Plinius*, *fideliſſimum eſſe cuſtodem principis, ipſius innocentiam.* *Titus* ob eminentes ſuas virtutes vocatus a Romanis, humani generis delitiæ. Apud noſtrates *Henricus* Quintus fortitudine ac victoria in Gallos clarus, tam fuit redux Angliam ex Gallia repetens, ſuis charus, vt cum eaſcenſurus eſſet naui, littus petiturus: quod narrat *Harpeſſeldus, Magnus numerus in ipſum ſe æquor pedibus immiſit, paratus præ amoris magnitudine humeris Regem in continentem efferre.* Cum enim tot ſint pericula, vitæ regum infeſta, tantæ occupationes eorum, quieti & ocio contrariæ, tot triſtes euentus, ipſorum votis aduerſæ, tot lubricitates, optatæ conſtantiæ funeſtæ, quid eſt, quo interim delectentur, quo recreentur, quo confirmentur inter hæc, præter eximium decus virtutis, ab illis impigre acquirendum?

Plut. in Ariſt.
Plin. paneg. Traian.
Harpeſf. li. 5. hiſtor.

Pompeiuſque fuit, qui nunquam miſta videret
Læta malis: felix nullo turbante Deorum,
Dilata fortuna manu.

Lucan. lib. 1

Neque timores vel ſuſpiciones depellunt regij apparatus, quinimo accerſunt potius, eiſque incrementa indies ſuppeditant.

Nec calidæ citius decedunt corpore febres
Textilibus, quam ſi plebeia in veſte cubandum eſt.

Lucan. lib. 2
Horat. lib 2 epigra. 1.

quod eis ab iſtis malis regijs tutamen, quod aſylum, qualis iucunditatis portus, ſi non in vna ac ſola virtute? Sine qua, ſi omnia externa ceſſarent, interni tamen ſceleratæ conſcientiæ angores, principes ex libidine imperantes diriſſimè torquerent, vel omni fulmine ipſis immaniores.

5. Ac quod in principe deſideranda inſignis virtus, ex eis id conſtat, in quæ illius virtus pugnare debet: ita vt eo liqueat, Principis virtutem acerrimam ac fortiſſimam eſſe debere. quēadmodum enim in prono mari curſus nauis facilior, quam in aduerſo, ita quod Principum ſtatus multa continere in ſe ſolet, quæ virtuti ſummo quodam gradu inimica, eapropter eius virtutem exertam, elaboratam, & ad ſupremum auctam eſſe conuenit, vt vitæ rationem inter tot violenta incommoda, ſicut Principem decet, inſtituat. Duplex itaque in homine ſpectanda voluptas, quæ virtuti infeſta: vna ſpiritus, altera Carnis: quarum ambæ ſpecies poteſtate, & diuitiarum copia, in Principe armari videntur robuſtiori quodam apparatu, quam in alijs: ſunt enim hoſtes virtutum, quibus nulla ferme occurrunt impedimenta. at quamuis dona ſint Dei poteſtas & diuitiæ, atque virtuti poterunt inſeruire, tamen inſpecta humana fragilitate, & communi mortalium clade, potius tanquam miſerias deplorandas, quā vt ornamenta ac vera bona exoptanda iudicauit ſapientiſſimus Card. *Bellarminus*: idque verū eſſe docet ex *S. Auguſtino*, affirmante plures miſerias Patres familias tollerare, quā ſeruos. qui Chriſtianam hanc Philoſophiam, animis, rerum terrenarum fumis obcœcati, non credunt verā eſſe, poſt paucułas horas veriſſimū comperient. ſcio *Heſiodum* in aliam ſententiam cecinisse; ſi tamen forte in aliam:

Bellarm. lib 2. De Gem. Columb. c. 5 5 Auguſt. li. 19. de ciu. cap. 6.

———Πλούτῳ δ᾽ ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.

Heſiod op.

Diuitias vero virtus & gloria comitatur.

Fateor equidem ita poſſe accidere, vt quis ratione diuitiarum & Potentiæ, virtuti ac ſibi quādam dignitatem conciliet: verum hoc rarum & perquam difficile. & proinde nō niſi excellentia

tis & regiæ virtutis opus id reputandum.

6. Quemadmodum ergo ex ſuprema poteſtate in principe rectè arguimus, ſupremam in eodem virtutem requiri, ita id etiam conſtabit ex publico ſuo officio, & cum alijs ciuibus neceſſitudine. Cum enim ciuilis vita, vt alias probatum, virtute contineatur, tum a principe, vt omnium capite, communi fonte, virtutum inſignia, & effectus ad reliqua membra corporis politici manare debent. *Vt cum cupiditatibus Principum*, inquit *Cicero*, *& vitijs infici ſolet tota ciuitas, ſic emendari & corrigi continentia. Quemadmodum*, ait *Plutarchus*, *oportet vt ipſa regula primum recta ſit, nihil habens obliquum, deinde cætera ſibi admota quatenus ſibi congruunt, exæquet, conſimili modo Princeps, poſtquam imperium in ſeipſo parauerit ac direxerit, vitamque ſuam compoſuerit, tunc debet ſibi coaptare eos, quibus imperat. Nec enim cadentis eſt alium erigere, nec ignorantis docere, nec incompoſiti componere, nec imperare eius, qui non pareat imperio.* Præclarè enimuero in hanc ſententiam *Philo*: *Sicut ignis quæcumque admouentur calefaciens, ipſe primum innata ſibi vi calet; nix contra ſuapte natura frigida infrigidat & alia, ſic iudex ipſe debet eſſe plenus iuſtitia, ſi aliis ius adminiſtraturus eſt. a quo veluti fonte promanant fluenta dulcia legum, & potabilia ſitientibus iuſtitiam.* & hoc fuſius oſtendit ex officio principis ad procurandũ bonum publicum *Ægidius Romanus*. *Vt ille, qui cuncta ambit oceanus*, ſcribit *Pacianus*, *quas ſuggerat aquas terris, recipit e terris, ita quod in ciues manat a principe, redundat in principem: & rei & famæ bene conſulit munificus Imperator.*

Cicer. lib. 3 de legib.

Plutar. de Princip. doct.

Philo. li. de Iudice.

Ægid. Rom. [...] de Regim. prin. ca. 9. 12. Pacian. in panegyr. Theod.

7. Contra vero ſi princeps libidini obſequutus, turpem vitam degerit, non ſui ſolius malo definietur tranſgreſſio, quinimo ad alios ciues, eluuiei inſtar & contagionis illos contaminatũ excurret. Comprimi nequit iſte æſtus, celari non poterit huiuſmodi deformitas. *Minima quæque* ait *Plutarchus*, *principum & rempublicam adminiſtrantium errata notantur, & pro magnis habentur.*

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Enimuero exiſtimarem, nullum genus violentæ tyrannidis exæquare illa mala barbariei, quæ prauorum morum in principe exempla in corpora animaſque ciuium inducunt: neque vllus tyrannus illi tyranno ſimilis, qui quoquo modo ſuorũ animas erroribus & vitijs funeſtat: quod & *Cicero* diſerte affirmauit. Princeps iuxta *Platonem*, publicus cuſtos ciuitatis: proinde ſi indormiuerit, ſi a loco receſſerit vigiliæ, quid fiet de ciuium incolumitatibus? Idem Princeps, caput ciuitatis: eapropter vt capitis morbi ſunt corpori periculoſiſſimi, ita principis flagitioſa vita vniuerſis maxime calamitoſa. De bonis cuſtodibus ſic *Plutarchus*: *Simul ac trucem audierint feram, timent non ſibi, ſed eis, quæ cuſtodiunt.*

Plutarch. de Iuſtit. ciuil.

Iuuenal. li. 5. Satyr. 8.

Cicer. lib. 3. de legib. Auer in paraph.

Plutarch. lib. de Princip. doct.

8. Vt autem aliqua de principum particularibus virtutibus dicamus, illud ſuccurrit, quod de ciuibus ſæpius *Plato* ingeminat: ſcilicet admonendo, illos debere eſſe fortes, & mites. Non eſt ergo principis ad omnem trucem ſpeciem timere, retrocedere, perturbari animo, vbi munus ſuum iuſtitiæ explendum inſtiterit, licet aduerſa fortuna reflauerit.

——— *ſicut cæleſtia ſemper*
Inconcuſſa ſuo voluuntur ſidera lapſu.
Fulminibus propior terræ ſuccenditur aer,
Imaque telluris, ventos tractuſque coruſcos
Flammarum accipiunt: nubes excedit olympus,
Lege Deum minimas rerum diſcordia turbas,
Pacem ſumma tenent.

Lucan. lib. 8

Haud mihi idonea viſa Regis apud *Senecam* quæſtio.

——— *dum excelſus ſteti,*
Nunquam pauere deſtiti, atque ipſum mei
Ferrum timere lateris. o quantum bonum eſt
Obſtare moli, capere ſecuras dapes!

Sen. Agam.

Huiuſmodi motibus agitãtur principes tyranni, haud virtuitbus inſtructi, aut in Deo confidentes. Deinde ne animoſitas in principe ferociat, mitis & clemens eſſe debet: hoc certe propriũ ipſius, omniumque verè nobilium ingenium. Vnde fiat vt princeps cuncta ſua referat ad bonum publicum ciuium, vt vniuerſa decernat ex iuſtitia, ex virtute, non ex ratione aureæ meſſis in tribunalibus colligendæ: ad quas ſeſe mutuo inuitabant *Stratocles* & *Damocles* Iudices, teſte *Plutarcho*. Denique ita principum ſenſus fide, religione, continentia, temperantia ac charitate informandi, vt Deo ſupremæ regulæ apte reſpondentes, ei in cunctis perplaceant, mereanturque vt ipſe eorum imperia ſtabiliat, diuturnet ac propaget: vt cum Regina *Saba*, *Salomonem* ſalutante, vectigales dicant: *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſraël, eo quod dilexerit Dominus Iſraël in ſempiternum, & Conſtituit te Regem, vt faceres iudicium & iuſtitiam.*

Ariſt. Ethic. 2. cap. 3. 5. c. 8

Plutarch. lib de Iuſtit. ciuil.

3. Reg. 10.

6 Quemadmodum vero principis eſt in omni genere virtutis excellere, ita vel maxime in charitate. Cum enim eius officium circa aliorum bonum verſetur, tum conſequens, illum charitate reliquis præſtare: quandoquidem huius ſit ingenium, animum emollire, & erga alios munificum ac tenerum exhibere. *Pelopidas*, ait *Plutarchus*, *Domo exiens lacrymante vxore, atque orante vt ſeipſum vellet ſeruare: hæc inquit, o mulier, oportet priuatis viris perſuadere: ſed non iis, qui magiſtratus gerunt, vt alios ſaluos faciãt.* Indita nobilibus natura ea eſt, quę facillime in alios amore incẽdatur, ſiue ad probis benefaciendum, ſiue ad innoxios protegendum, eorũ opera requiratur. Principes idcirco, inter nobiles quippe roſæ, hac ipſa charitate maxime flagrare debent, vt nihil in eorum moribus ea illuſtrius appareat. Feritas morum duo efficit inimica ciuilitati. primo hominem ad ſe retrahit, intra terminos propriæ perſonæ conſtrictum ignobiliter tenet. deinde in alios aſperitatem profert & inimicitiam: quæ non minus principis muneri aduerſantur, quã literas profitenti extrema ignorantia.

Plutarch. in Pelopid.

Greg. Naz. Orat. Mag.

10. Quod porro ſummus amor tanquam ciuilis ſtatus vinculum, ſit Principi a ſubditis deferendus, inde euidens, debere eumdem omni genere virtutis clarere. etenim ipſa poteſtas in illo aliorſum diſtracta a virtute, amorem hunc nequit incẽdere aut conciliare: eſt enim ea ſubdito potius ingrata, nociua & malum quoddam aculeatumque, ſi virtute deſtituta. talis proinde Principis ſceptrum non tam virga regiminis,

quam

LIBER QVARTVS.

DE MORIBVS REIPVBLICAE CHRISTIANÆ COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Quemadmodum Ciuilitatis perfectio, ita ab eadem declinationes, cauſas plerumque reſpiciunt in occulta Numinis prouidentia, ipſorumque ciuium voluntatibus.

QVi in ſententiam, Dei prouidentiæ omnino repugnantem, abiere, fatum aut fortunã rebus omnibus, vtpote aurigas aut conditores præficientes, ij varias ſortes ac viciſſitudines rerum publicarum & Imperiorum retulerunt in certas temporum periodos, perinde ac illorum, ſicut & corporum viuentium, currentibus annis progreſſiones occultæ fierent ad reciprocas mutationes, interituſque modos. huiuſmodi vero alternationum cauſas; hanc etiam vniuerſi fabricam habere, ſimiliter arbitrati, quarũ vi, vt inceperit, adoleuerítq́; aliquando, ſic etiam tandem conficienda; nunc eluuionibus, nunc poſtea exuſtione, ſtellis & oceano agentibus, immutanda.

Marcrob. lib. 2. in Som. Scip. cap. 16. Lucan. lib. 1.

Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sydera ſyderibus concurrent, ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolent,
Excutietque fretum. fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi, totaque diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi.

At alij ſtrictius de hac ipſa re ſunt philoſophati, definientes, ſtellarum ac planetarũ horoſcopis dominantibus, nunc res ciuiles florere, poſtea inclinari: nunc exurgere, ſubinde cadere ac decidere. Cuius certe dogmatis æſtimatio, a pietate in Deum, ſimulque a morum cura, mortalium haud paucos abduxit, vt poſtea oſtendetur.

2 Verumenimuero ſicut in ipſo orbe natura plurima extulit admiratione noſtra digna cum genere ipſo, tum eorundem diſſimilitudinibus, ita quo ad mores ciuiles, regnorumque ſtatus, ea apparet varietas, adeoque vnius eiuſdem imperij valde diſpares interdum vultus ſpectabiles ſe ingerunt in noſtros ſenſus, vti hos haud minus, quam illa, ſtupore quodã mentis colluſtremus. Quæ obſecro in humanis maiora aut ſtabiliora vnquam viſa quatuor Monarchijs, *Aſſyriorum* ſcilicet *Chaldaeorum*, *Græcorum* atque *Romanorum*? nihilo obſtante tamen concidere. Et quod ad Romanum imperium attinet, ſuis etiã temporibus *Zoſimus*, *Marcellinus* atque *Symmachus* acerbe conqueſti, funus illi propemodum inductum, omnia nempe eius decora in barbariem exſpiraſſe. Athenæ Græcorum ſcholæ, perennes olim æſtimatæ cum amore ſapientiæ, tum Ingeniorum contentionibus eo loci florentibus; hodierna nihilominus die omnia illa lumina ac decora, in ignorantiæ tenebras abiere. Quis ferme eſt, qui modo populoſum adit *Ægyptum*, qui iocoſi Nili delitias quærit, ſoli illius vbertatem auidius conſectatur?

Zoſim. lib. 1. Macellin. lib. 6. Symmach. Apol. pro Relig. vet.

Atque vetus Thule centum jacet obruta portis.

Plin. lib. 12. cp. 25. Claudian. Epigr. de Nilo. Iuuenal. li. 5. Satyr. 15.

Nobis vicina *Germania* antiquitus armis inclyta, & dominatione potentiſſima: neſcio quarum modo factionum ſegmentis in partes diſperſa, a priſtino valore ac dignitate defecit. *Gallia* olim martio impetu non tã orbi terrarum formidanda, quam in Aſia & Africa, imperioſa, vt tradit *Liuius*, vix proprio iam gaudet continente: ac in illo puncto, ſectarum ſtudijs membratim colluctando, ſeditoſe admodũ cum ſuis viſceribus conflictatur. Anglia vicinis regnis quondam infeſta, ab oriente vſque ad pyrenæum victrix. verum æſtuante oceano nunc incincta, non ſolum alienis terris excluditur, ſed ad ſimilitudinem ſui maris, animorum diſſidijs intus æſtuando, mirum in modum, quaſi reciprocantibus in ea fluctibus, a ſeipſa, *Penthei* inſtar diuellitur, Venetiæ non ita pridem Europæ emporio opulentæ, frequenti in Turcas victoria inclytæ, doctiſſimorum virorum ſcriptis, veluti vibrantis gemmæ flammulis, coruſcæ, neſcio cuius *Sirii*, feruente vapore, percuſſæ, inde nuper e tantis bonis excidentes, defloruere. Tempus fuit, in quo populi Septentrionales omni ferme ſæculo tanquam apum conglomerata examina, in longe diſtantes prouincias prædatum ac direptum ſeſe quam latiſſime diffudere: qui tamen noſtris temporibus, domi ſe continentes, niuibus ſuis cœlique rigori ſegniter immoriuntur. Factum auorum noſtrorum ætate, vt Chriſtiani principes, ingentes copias in Turcarum & infidelium ditiones quotannis immiſerint: cum etiamnum inteſtinis bellis mutuo exagitati, ſe fælices reputãt, ſi aliquantiſper a domeſticis motibus priuatim requieuerint. Nouere Hiſpaniam priora ſęcula in multa regna diſtributam, ſub alijs principibus

Liu. lib. 8. Dec. 4.

Nubrigẽ in Ricard. 1.

 paſſim

paſſim mœrentem, quæ nunc literarũ apices, rei militaris gloriam, ampliſſimique Imperij maieſtatem conſequuta. Vnde, quæſo, iſtæ rerum ac morum diſcrepantiæ, vnde hi regionũ Proteia? an e cœlo, an e ſolo, aut ſilo? quis vtrius huiuſmodi pugnantes fœtus conceptis ſeminibus ſeorſim coagmentauit, & ſua deinde edidit virtute? *Non perpetua*, inquit Seneca, *hiemis ſæuitia, non hominum ingenia ad ſimilitudinem cæli horrentia, transferentibus domus ſuas obſtiterunt. Athenienſis in Aſia turba eſt. Miletus ſeptuaginta & quinque vrbium populum in diuerſa effudit. Totum Italiæ latus, quod Infero mari alluitur, maior Græcia fuit. Tuſcos Aſia ſibi vendicat. Tyrii Africam colunt, Hiſpaniam Pœni, Græci ſe in Galliam immiſerunt, in Græciam Galli ſa to placuit, nullius rei eodem ſemper loco ſtare fortunam.* Et alibi. *Computa vrbium ſæcula, videbis quã diu non ſteterint, etiam quæ vetuſtate gloriantur.*

Senec. conſol. cap. 6.

Senec. conſol. ad Numin. Ep. 71. ad lucil.

Porro quantum ad mores, vbi loci inuenienda priſcæ vitæ ſimplicitas, honorum titulis deſtituta, curioſitate victus orbata: vbi fidelitas, nudis aſſertis ſatis ex ſe aliquando contra omnem fallaciam confirmata: poſtquam artium, rituum legumque cumuli, voluptati ac ſuperbiæ hominum vix poſſint modo ſatiſfacere, aut earum importunitatibus occurrere?

2 Leuiſſima mihi imprimis eorum hac in re ſemper viſa diiudicatio, quæ in ipſa temporum, & ſtatutos annorum decurſus, diſcrimina hæc, tanquam in altiſſimas cauſas, cenſuit referenda. Quid aliud, peto, in vniuerſum tempus, præterquam motus duratio, ſeu quædam illius fluens extenſio? forma licet per me reipſa concreta, tamen actiua, quæ aliquid rebus inferat, cogitari à quopiam haud poterit. Imo probabilius, tempus ſeorſim ſumptum à motu ac termino, qui motu acquiritur, nihil eſſe ſolidi, ſed mere animi noſtri comprehenſione motus fluxũ ambiente & colligente, duntaxat effingi. Ludunt ergo, vanitate ingeniorũ abuſi, qui circuitu centum vel mille annorum myſteria quædam fabricantur regnis & imperijs fauſta aut funeſta. *Ne dicas*, inquit, *Eccleſiaſtes, quid rei tandem putas cauſæ eſt, quod priora tempora meliora fuere quã nunc ſunt? Stulta enim eſt huiuſmodi interrogatio.* Verum quidem eſt, peculiaria penes Deum digeſta eſſe ſuo conſilio tempora, quæ ipſius tempora in ſacris literis paſſim appellantur: in quibus inſignes effectus, ſiue in magnis efficiendis, ſiue in eis euertendis occupentur, diuinitus fiunt: nihiloſecius omnis iſthæc mutatio & eductio non temporibus ipſis, nedum vel anno Platonico, ſed Dei Omnipotẽtiæ, Sapientiæque adſcribẽda: qui temporum interſtitia, ac dimenſiones ſuorum operum voluit affectiones eſſe, & circumſtantias non cauſas effectrices.

Eccleſ. cap. 7.

3 Neque certe probabilitati innititur eorum commentatio, qui iudicium ſequuti *Iulii Firmici*, ſyderum poſituris & reuolutionibus omnes has rerum & morum oppoſitiones attribuunt. Eſto, hinc vehementius modo inclinari ciues ac Principes in quædam actionum genera, ſeu practica, ſeu contemplatiua, nihilominus proximæ cauſæ humanorum conſiliorum, vtpote rerum euentus & occurſus occaſionum, non ſemper illis examuſſim reſpondẽt vna eademque facie, ſed diuerſimode. Quod porro libero arbitrio homines ſint prædit, Inde fit, eos induci non poſſe naturæ affectionibus vlla neceſſitare in hoc inſtitutum aliudue. Comprehendamus itaque, ſi placet, diſtincte vniuerſum illud ſpatium, quo increſcens cæpit Romanum imperium, & illud mox in quo floruit: primo nempe in ſubiuganda Italia, deinde in alijs prouincijs debellandis inſumpta, ac comperiemus omnino eo vigente, tales horoſcopos ſeu conſtellationes extitiſſe, quales exitiales ſubinde iudicatæ, & ſub quibus imperia aliquoties a ſua magnitudine defecerunt. Quid ergo faciunt horoſcopi aut ſtellarum coitiones, quibus æqualiter, res proſperæ ſimul ac aduerſæ, imperiorum ortus, progreſſus, iuxta ac eorum lapſus & ruinæ accommodantur? Centum annorum suo elaborata apud Romanos eloquentia, *Breui tempore, vt ait Cicero, ad nihilum ventura*, ad culmẽ perfectionis tandem deuenit. Vis eorumdem martiã per annos quingentos continuato curſu ad imperij amplitudinem & Majeſtatem ſeſe exercit, in quibus temporibus quaſdam conſtellationes huiuſmodi ſtudijs obſtitiſſe, neceſſe eſt illi fateantur, qui eiſdem tantum momenti, quod ad regnorum ſtatus, deferre volunt.

Iul. firmic. lib. de iudicijs cap. 4.

Cicer. queſt. 2. Tuſcul.

4 Neu ſane intelligi poterit, quomodo verum quod *Cicero* recenſet ex *Platone*, nimirum naturales quaſdam rerum publicarum eſſe conuerſiones, vel vt placuit *Seneca* definire, fatales. videntur exiſtimaſſe, cauſas quaſdã reperiri naturales, vt videre eſt in corporibus viuentium, ſic pariter immixtas negotijs & ingenijs ciuilibus, regna ad interitum ac mutationes perpetuo impellentes. quæ, obſecro, aut quales iſtæ cauſæ? quibus formis a fato in hos euentus præſcriptæ leges? cœlum, elementa mixta, nihil tale in ſe continent: neque vllo filo noſtri diſcurſus ex illis ad rerum publicarum certas conditiones ſtatuendas argumentari philoſophice poterimus. reliquum duo principia mutationum in iſtis ſtatuamus, Dei nempe occultam & ſingularẽ prouidentiã, iuxta ac ciuiũ ipſorũ mores ſeu inſtituta, liberis animi ſuſcepta conſilijs.

Cicer lib. 2. de quod di. ain. Senec. de Conſol. ad Numat.

5 Quod ad diuinam ſpectat prouidentiam, licet nobis liquido conſtet, ab eius imperio dependere regnorum ſtatus, iuraque, nihilominus nobis obſcurũ perſentiſcere modos omnes, quibus id efficiat, quod in iſtis decreuit: ac Dei quaſi laneis pedibus tacito ad nos aduentantis greſſus, vllo ſenſu deprehendere, plane impoſſibile. Nunc permittit rempublicam hanc omnino deiici, quo altius eadem deinceps aſcendat: neque raro alteram in altum dignitatis extollit, quo grauiori ruina ſubinde decidat.

Proloquar, atque vtinam patriæ ſim vanus aruſpex.
Frangitur ipſa ſuis Roma ſuperba bonis.
Suis & ipſa Roma viribus ruit.

Propert. lib. Eleg. 12. Horat. Epod. 16.

Securos de læta ſua fortuna ciues, quaſi oculos inde priuatos, parat ad præcipitium, timentes autem trepidanteſque ob indigentiã, confirmat ac promouet ad gloriam. cruento marte concurrere interdum facit gentes, quas æterno fœdere conſociandas decreuit.

——— *Tanton placuit concurrere motu*
Iupiter æterna Gentes in pace futuras?

Virgil Æneid. 12.

Atque

Atque in vniuerſum, duplex diuinæ prouidētiæ ratio, quantum ad rerũ ciuiliũ moderationes ſpectanda. vna à Dei ſola manat Sapientia, & omnes humanos actus vel eorũ cauſas, ſeu priores condiciones, prorſus abſoluta anteuertit. ad hanc reducuntur variæ animorũ informationes ac voluntatũ impulſus, ex quibus oriuntur multoties diuerſi rerum ciuiliũ ſtatus ac qualitates. Nunc etenim Deus animis mortaliũ lumẽ quoddam infert; nunc illud adimit, & eo potius caliginem illis offundit. primæ enim mentiũ conce-
Arift. in magnis Mo ral. lib. 2. cap. 8. ptiones, cum a voluntate hominis ſæpiſſime nō oriantur, Dei proinde ſingulari prouidētia, quod ſtudijs mortaliũ exemptæ, edeuuntur. ſimilis etiam prouidentia reperitur in rebus externis: vtpote in diſpoſitione iuxta ac occurſu obiectorum, ſenſus noſtros mouentium, in naturæ immutatione: quibus diuinitus digeſtis & conſtitutis tam quo ad principia actionum humanarũ
Auguſtin. in Pſalm 87. interna, quā externa, pro ſuo mero beneplacito multipliciter, adeoque obſcure, quantũ ad origines a nobis concipiendas, de regnis & imperijs Deus ſtatuit, ſiue inde ea ſecundet, ſiue infœlicitet. Altera vero ſpecies diuinæ prouidentiæ hominũ mores ſubſequitur: ſcilicet eorũ merita ac demerita, manifeſta, ſeu occulta, de quibus ſæpe loquitur *S. Auguſtinus.*

Prud. Hamart. *Nec mirum, ſi membra orbis concuſſa rotantur,*
Si vitijs agitata ſuis mundana laborat
Machina. ſi terras lais incentiua fatigat:
Exemplum dat vita hominum quo cætera peccent,
Vita hominum, cui quicquid agit veſania & error
Suppeditant, vt bella fremant, vt flaxa voluptas
Diffluat, impuro ferueſcat vt igni libido.

Ac quantum ad effectus huius generis, tametſi diuinæ gratiæ collatio, ac eius virtus, ſint occultæ, nobiſque hanc diuinæ prouidentiæ partẽ tenebris inuolutã reddant quæ in iſtis tranſigit, nihilominus eadẽ Dei prouidẽtia quo ad alia multa effecta, noſtris mentibus patentiſſima: nihil enim liquidius nobis, rerũ curſus, euẽtuſque cogitatione complectentibus, quã quod Deus bonos ciues ſæpiſſime proſperitate ciuili remuneret, prauos autem etiã euerſionibus rerũpublicarũ caſtiget, ac diſperdat. Docte admodũ ad-
S. Thom. li. 3. cont. Gẽt. cap. 79. uertit *S. Thomas* quod ad formã ſubiectionis ad Deum, alio modo ei ſubijci creaturas ratione præditas, alio vero ratione deſtitutas. priores quidem ita ſibi ſubiecit, vt cum ipſo ordinem quemdam in hoc vniuerſo conſtituant: poſteriores autem ſic, vt ei in executionẽ ſolum ſuorum decretorum inſeruiant. quando enim homo, qui ratione præditus, ordinem a Deo inſtitutum maleagendo prætergreditur, tunc ad efferendum ipſius iuſtitiam vindicatiuam, res eiuſmodi ratione carẽtes, illi præſto ſunt, quæ ipſius pœnalis imperata in eum exequantur. ſimiliter homine ſeſe recte gerente, eædem occurrunt, & ſe offerunt ipſius Iuſtitiæ remuneratrici; quo quod ipſa ſtatuerit, perficiant. *Zephyrus & Boreas* huic iuſtitiæ inſeruiunt. Et quidem quod vtroque modo Deus ſua prouidentia res noſtras adminiſtret, præter ipſa ſacroſãctæ fidei principia, probãt & oſtẽdũt hiſtoriæ, neq; manca multorũ, experiẽtia ad hoc ipſũ liquido ſatis renunciãdũ.

5 In humanis porro moribus, origines ipſas mutationum rerum publicarũ deſpicere ſæpius poterimus. ad tria autem, in iſtis conſideranda, reducuntur: ſcilicet ad id, quod in vnoquoque genere ſummum ſeu excellens: ad naturæ deinceps humanæ ex præſentibus, & ex conſuetudine faſtidium: poſtremo ad ciuium virtutes, atque vitia. quoad prius, cogitandum, ciues poſtea quam arte, ſcientia vel induſtria ad apicem perfectionis alicuius deuenerint, quodammodo reſpirare ſolere, perinde ac ſi ad editiſſimi montis cuiuſpiam ſummitatem fatiſcentes tandem peruaſiſſent. vnde nolentes eamdẽ contentionẽ vlterius extendere, vel deſperantes ad aliquorũ præcedentiũ admirabilem præſtantiam ſe poſſe pertingere, ad ſocordiam quandam ſua ſponte relaxati & feriari relabuntur, eoque a ſummo deficere incipiunt. Huius rei exemplum extat Cicer. li. 3. offi.
apud *Ciceronẽ* ex *Rutilio*, qui dicere ſolebat, *Neminem inuentum, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolueret. Oris enim pulcritudo reliqui corporis imitandi ſpem auferebat. Sic ea quæ Panetius prætermiſit, & non perſeciſſet, propter eorum quæ perſeciſſet præſtantiam, neminem eſſe perſequutum.* Ad gloriam etenim homines, quo toti ea ſplendeant, contendunt: refrigeſcunt autem ad eius ſtudiũ, quam primũ id quod in vnoquoq; inſtituto altiſſimum, ipſis præreptum viderint.

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari Horat lib 4 carm. od 2.
Iule, ceratis ope Dedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Hoc pacto acre illud ſtudiũ Eloquentiæ in vrbe Roma, ſpatium ferme centũ annorum non exceſſit: qui enim illius ſæculi celebres Oratores ac Poëtas ſequebantur poſteriores, quod crediderint, ſe nunquam potuiſſe priorum peritiam cõtendentes exæquare, intepuere quodãmodo ac languere voluerunt: idemque in rebus martijs deprehendi poterit: adeo id quod in vnoquoque genere ſummum, id ſtabilitati ac continuationi inimicum. imo *Cicerone* florente in medio veluti tẽporis curſu, in quo eloquentia iam Cicer lib. 2. offi.
pridem elaborata Romæ fulſerat, eam declinaſſe ad interitum ipſe *Cicero* notauit. *Admonebat me res, vt hoc quoque loco intermiſſionem eloquentiæ, ne dicam interitum, deplorarem.*

Venimus ad ſummam fortunæ. pingimus atque Horat. lib. 2. Serm.
Pſallimus, & luctamur Achiuis doctius vnctis.

Summorũ perennitates, vnius cœli flores ac fructus. Ea pariter eſt humani ingenij delicata quædã intẽperies, vt vel ex optimis, & florentiſſimis diutius deguſtatis, nauſeã quandã cito cõcipiat, eoq; cupiat ad alia ſuã appetentiã identidẽ diuertere. Poëſi egregie aliquãdo ſplendẽte, ac lenocinante, permulti ciuium haud ſemel diu eius ſtudio deliniti, ac capti fuere: mox vero ſatietatem quandã inde contrahentes, neruos, ſtudiaque illi diſciplinæ addicta, remiſere. Italia hoc verum eſſe ſæpius oſtendit, idque inter cætera alternatione in ſe Muſicæ & Poëſis. Cùm enim illa gens ab ingenio carere nolit diſciplinis ad delectandũ inſtitutis, tum eodẽ vſu venit, nunc Muſicam, nunc Poëſin ibi excoli & exerceri. in quo curſu Muſicæ in Italia noſtro æuo, poſtquã *Orlandus Laſſus, Praneſtinus, Lucas Merentius,* & *Victoria*, harmonicam Muſicam quaſi ad

culmen artis euexiſſent, paulo poſt ibidem dilapſus factus ab harmonia & ſymphonia ad leuiorem Muſicam vnius aut duarum vocum. Ex quo videtur muſica iam veluti langueſcens, inuocare poëſin in ſubſidium gentiliciæ delectationis. Vt enim emiſſarum ex arcu ſagittarum eſt impetus quidam, & poſtea earundem declinatio, ita pariter in hominum conatibus, eorumque effectis viciſſim inſunt ardor languorque. ſi hoc in ipſis epulis cernatur, quid mirū ſi idem in negocijs ciuilibus experiamur? vnde ſæpius contingit, ciues non ad ſuam indolem ſtudere, vel laborare, ſed, vt temporum fluxæ voluptati ancillentur, vires ſuas exerere: qua de cauſa haud proferunt quæ excellunt, ſed ſolum quæ placent, compendiumque ſibi reſundant. Ineptitudo autem hæc conantium, ſeu contra genuinam ipſorum *Mineruam* contentio, ad id quod palmare ac ſupremum adſpirare nequit. Inde defectio, remiſſio ac multiplicitas propagantur.

6 Hæc, quæ aliquem, ciuilia ſolum inſtituta perſequentem, mouere poterunt, vt ab excellenti, in ſummo collocato, declinādo deficiat, quod ad ſacra negocia tamen, ad honorem Dei, propriam, æternamque animæ ſalutem peculiari quadam vi conducentia, & ab aliquo ſuſcepta, nullo modo eum mouere deberent ad frigeſcendū, aut de eorum præſtanti propoſito & auſu aliquid remittēdum. Eſto, præceſſerint aliqui, quorum progreſſus, quorum in altum alluſus, exæquare nequiueto. quid? num ideo iacere debeo inferius, quod alij ad cacumen montis laborando deuenerint? num neruos ſomno, otioque laxandos me tradere oportebit, quod anteceſſores igneis contentionibus eos tetenderint? Num a præmio cœleſti, eam ſolum ob cauſam mihi cadendum, quod meæ ſortis homines ad immenſum illius gradum adſpirauerint? vilis ac degeneris eſt animi huiuſmodi commentatiu. Quod ſi ob amorem Dei, certam quandam vitæ regulam, diſtrictiori cura mores componentem, delegerim, cur inde ſolum, quod nouitiatu exceſſerim, quod multos annos ſub ea deſudauerim, mihi excideret tam ſancti conſilij aliquid feruoris? An ſol ſegnius e capitibus noſtris ſe mouet, quod iam per multa ſæcula curſum ſuum inſtituerit? an mare ſerius regreditur a refluxu, quod longo ſpacio morum ſuum in contraria reciprocauerit? Enimuero Deus hodierna die tam bonus, vſque adorandus, ac ad præmiandum me paratus, ac fuerit ab omni æternitate, ne dum ab illo tempore, quo ei primo deſeruire ceperim. nulla ergo cauſa, ob quam modo frigeſcens eum debilius amarem, ad mercedem oſcitantius contenderem: imo potius iuſta adeſt ratio, ob quam acrius etiamnum in hæc ſtudia incumberem, quandoquidē plura in me interea loci contulerit beneficia, excellentiores pro me parat coronas, ac fortaſſis maior iam inſtat neceſſitas, ob quā meo labore opus habere dignatur Dominus, quam hactenus. Enimuero in hoc genere deficientia, retroceſſio, vt periculoſæ, vt nociuæ, ita ab omni rationis luce, ob omni iudicij firmitate ac nobilitate animi alieniſſimæ. Quod in humanis ſolet morari aut mutare conſilia, [...]n diuinis locum habere non debet. horum e[...] auctor ſpiritus Dei: Qui, vt ait *S. Auguſtinus*, [i]gnis eſt, quo feruet charitas, vnde Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?*

Auguſti. in Pſalm. 115.

Luc. 12.

7 Ciuium autē virtutes intellectuales & morales, quemadmodum eorundem vitia eis oppoſita, in ſe complecti ſemina mutationum, non ſolum quo ad res priuatas, ſed etiam publicas, euidentiſſimum. Generalem vero hominum ad vitia progreſſum, quantum ad eius exordia & interſtitia, ita erudite recenſet *S. Thomas*. *Sicut autem in operibus vnius hominis ex hoc inordinatio prouenit, quod intellectus ſenſualem virtutem ſequitur, ſenſualis vero virtus propter corporis indiſpoſitionem trahitur ad corporis motum, vt in claudicantibus apparet; ita in regimine humano inordinatio prouenit ex eo, quod non propter intellectus præeminentiam aliquis præeſt, ſed vel robore corporali dominium ſibi vſurpat, vel propter ſenſualem affectionem aliquis ad regendum præficitur. quam quidem inordinationem nec Salomon tacet, qui dicit: Eſt malum, quod video ſub ſole, quaſi per errorem egrediens a facie principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi.* quæ verba ſancti Doctoris licet mores principū maxime attingāt, nihilominus alijs quoque ciuibus accommodari poterunt quantum ad mutationes rerum inter eos, tam publicarum, quam priuatarum: Enimuero ſi eadem reſpublica, quæ aliquando intellectum ſcientijs & artibus excoluit, aliaſque virtutes ſolerter exercuit, ſubinde brutas ſenſuum appetentias, rerum tam diuinarum, quam humanarum ignorantia eam interim opprimente, ſequatur, neceſſe fuerit, in illa maximam mutationem reperiri: præſertim vero, ſi princeps, deſerto imperio ciuili, tyrannidem induat: cuius peruerſitas ex appetitu concupiſcibili vel iraſcibili profecta, ſpreta ratione, eiuſque extincto lumine, erumpit. itaque rationea mutationum ſpectandæ aut in diſceſſu a ratione ad ſenſum, aut in receptu a ſenſu ad rationē. Conſequenter ſi quis velit rectum Iudiciū proferre de præſenti ſtatu alicuius reipublicæ, comparatione facta cum antecedentibus tēporibus, expendere is debet, num ciuium mores a ſenſu ad rationem ſeu virtutem ſeſe retulerint, vel an potius a ratione & virtute ad ſenſum, ſeu appetitum ſenſitiuum, iraſcibilem, vel concupiſcibilem, defecerint.

S. Thom. lib. 3. Cont. Gēt. cap. 81.

8 Et quidem Rerum publicarum ſtatus fundamentum retinentes in virtute, diutius manent immoti, quam qui in ſenſuum oblectationibus robur ſui collocatum habent. Cuius rei hæc ratio. licet virtus ratione ſuæ diſciplinæ ſit aduerſaria libertati ſenſus tam concupiſcibilis, quam iraſcibilis, & eo pacto moleſta etiam voluntati, quatenus bruteſcendo iam tranſierit quodammodo in formas eiuſdem appetitus ſenſitiui; nihilominus rectæ rationis, quæ in homine virtus quædā imperatrix, conſentiens, adeoque idonea ad multorū bonum cum pace & iucunditate inter ciues comparandū ac ſtabiliendum. ex quo vt conſtantior redditur, ita nunquam ſibijpſi diſplicet aut diſſimilis ſibi apparet. At contra voluptas amoris vel iræ, quantumuis in immenſum libertatis laxata, depugnat cū ratione:

Ariſt. lib. 7. Ethic. cap. 6 & 7. Ethic. cap. 14

ſi etiam

ſi etiá concupiſcibilis, tunc iraſcibili facultati acerba, ſi iraſcibilis, concupiſcendi libidini oppoſita. Eadem porro in homine facultas, quæ iam voluptate amoris, aut odij, ſeu iræ delinitur, ſubinde eam ipſam voluptatem faſtidit, fugit, ab ea abhorret. Quando ergo ſtatus reipublicæ operam impendit ſenſibus & voluptatibus, cũ inferiores ſolum animæ in ciuibus facultates ei applaudant, cumque in eas ratio, ac ipſæmet mutuo odio quodam impetum faciant, diu ſtare eiuſmodi ſtatus non poteſt. Vnde mulieres vulgo mutabiles æſtimatæ, niſi quod in eis debilis rationis vis coniungitur cum ſummo impetu ſenſualitatis? conſtans itaque ratio, appetitus vero, inſtar ſerpentis, varius ac lubricus. Continent porro ij ſtatus, qui voluptati addicuntur, multiplices cauſas iniuriarum in alias Reſpublicas ac in conciues ipſos: vnde odia ac bella ſæpius breui temporis ſpacio eis interitus adferre ſolent. Qua in re certe elucet ſingularis Dei in nos beneuolentia, quæ voluptæ acerbis effectibus a nobis perceptis, nos admonet officij, ſoli nempe virtuti, ac diuinis honoribus hic impendendi: ac inde docet, vnam virtutem cum ſua acerbiore diſciplina ciuilem eſſe, voluptatem autem cum ſua diſſolutione breuem, immanem, lubricam, ac barbaram. voluptas autẽ, vt docet *Ariſtoteles*, dupliciter mutationi obnoxia. Primo quando ipſa operatio cui ineſt voluptas deficit: non enim ſemper poteſt homo operari. Deinde quando obiecta mutantur, vtpote dum noua vetera euadunt, dum ſubiecto congrua, in eo ſtatu non ſemper permanẽt. Porro ciues, qui virtutibus incumbunt, ij incidente infortunio, libenter & fortiter illius perferunt malum, neque a ſe mutuo vlla animorum offenſione recedunt: quippe quibus ab vna virtute emolumentum & dulcedo abundè in quauis fortunæ infelicitate ſatiſfaciunt. contra ciues voluptuoſi & iraſcibiles, vt ſequuntur ſuis ſtudijs mutabiles condiciones obiectorum, quæ expetunt, ita voluptate, vindicta ac victoria priuati, ſecedunt & factiones ſuas illico diſſoluunt. & ob eandem cauſam, deficiente virtute in familia, eiuſdem iura, quibus maritus & vxor, famuli & Dominus deuinciuntur, breui temporis ſpacio violantur: a quibus culta virtus, eadem domeſtica iura reddit diuturniora. Affectionum ſenſitiuarum motus repræſentant ventorum ſpecies, in omnem partem facili opera aëris ſpirabiles: virtutum autem firmamenta terra ac cœlum ſuis ſoliditatibus inconcuſſis oſtendunt, & commendant.

Ariſt. lib. 10 Ethic, cap. 4.

9. Atque inter cauſas, quæ rebuſpublicis mutationes inferunt, nihil efficacius principum ipſorum in vtramque partem actionibus. Iudæorum, Græcorum, Romanorumque hiſtoriæ hoc manifeſtum faciunt: Neque opus earum monumenta hic recenſere. *Nam licet videre*, inquit *Cicero*, *ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcunque ſummi Ciuitatis viri fuerint, talem ciuitatem fuiſſe: quæcumque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in republica ſequuturam.* Hanc ob cauſam admonuere ſæpius principes viri ſapientes, eorum vitia ac virtutes, tanquam a capitibus, manare ad omnia reipublicæ membra: etenim vel ipſa vitia eorum perſonis nobilitari ac alijs inde ſuaderi pluribus videntur, quantumuis alioquin deformia: nec deerunt adulatores, vltra imitatores, qui eis tanquam virtutibus gnauiter applaudant. Hoc *Anglia*, Patria mea eſt experta, quæ ad quatuor ſibi ſuccedentium principum voluntates, etiam contra iuſiurandum publice ab aliquibus datũ, totidẽ vicibus religionem mutauit, ſimulque rerum ſtatus ciuiles, quatenus a religione dependebant, innouauit.

Cicer. lib. 3, de legib.

10. Prona eſt etiam ad mutationem ipſa peculiaris ratio gubernationis: nam cum moderata ſolum durent, vt dici ſolet, inde fit, quod imperium principum durius, quemadmodum, & laxior populi ſubiectio, mutationibus ſint valde obnoxia. Ex priori incidunt principes in odia ſubditorum, quandoque eorum coniurationibus expugnandi: ex poſteriori, ciues nimium inſoleſcunt, & audaces plus iuſto euadunt ad res nouas moliendas, & ad ciendas rebelliones. firmius itaque & diuturnius quod in medio conſiſtit. Multi inde vel ſuis præclaris factis veluti onerati ac eis nimium confiſi, ſubinde illiſmet oppreſſi, ſucubuere. hoc pacto *Miltiades*, Dux Athenienſis, qui in Perſas triumpharat, *Damnatus a populo Athenienſi*, vt ſcribit *Gellius*, *in vinculis publicis mortem obiit.* *Scipio* Africanus poſtquam Pœnos ſuis victorijs afflixerat, Romanumque imperium plurimum extenderat, in exilium pulſus ab ingratis ciuibus, adeptam gloriam amiſit. illud ipſum *Hannibali* pariter contigiſſe referunt hiſtoriæ. ante quæ tempora *M. Manlius*, qui Gallos a Capitolio depulerat, conuictus de regno occupando, vt narrat *Cornelius Nepos*, de ſaxo Tarpeio deiectus periit. Noſtro etiam æuo Dux *Albanus*, in Belgio ac Luſitania victorijs clarus, ſi non in carcere, ſaltem priuata perſona inglorius deceſſit.

Ariſt. lib. 5. pol. cap. 12. & ſequent.

Gell. lib. 17. cap. 21.

Æmil. Prob in Miltiad.

Plutarch. in ſcip. & in hanibal.

Gell. ibid.

Et grauius ſummo culmine miſſa ruunt.

Cornel. Gall Eleg. 1.

Ecquid tam in hac vita a mutatione, a ruina! Apud nos Rex *Henricus* ſextus, Sanctus dubio procul princeps, finem dedit ſtemmatis Lancaſtriæ quod ad imperium, Eboracenſis familię Principibus, ex illius ſanctitate & mundi contemptu occaſionem ſumentibus ſibi coronam vendicandi. *Alios* inquit *Boëtius*, *in cladem meritam præcipitauit indigne aucta felicitas.*

Boet lib. 2. cõſol. proſ. 6

11. Nihil autem inter alia ad mutationes ciuiles inducendas efficacius, mutatione fidei ac religionis, ſiue in eis apud ciues tepore & oſcitantia permiſſis. Nam præterquam quod in republica inſignis eſt numerus eorum, qui religioni addicuntur, quorumque magna auctoritas in reliquos ciues eſſe ſolet; accedit porro religionis in alias virtutes ciuiles maxima quædam poteſtas, vti diximus: ex quibus neceſſario conſequens, religionem mutari non poſſe aut negligi, abſque graui mutatione ciuilis ſtatus.

12. Neque inter cauſas, quæ in ſe continent ciuitatum mutationes, minimæ ſunt vicinorum regnorum qualitates, & cum eis inita commercia. Inde notat *Ariſtoteles*, Inſulam Coim diutius formam certi regiminis tenuiſſe, quam reſpublica Lacedæmoniorum. Ex quo putabatur, vi-

Ariſt. lib. 2. pol.

guiſſe eo loci egregiam quandam rationem politiæ: cæterum vero expugnata, conſtitit, debilem extinſſe ibi loci diſciplinas ciuiles, ac eo ſolum tam diu ſtetiſſe imperium, quo incolis cum externis rara eſſent negotia, quoque ratione ſitus inexpugnabilis appareret. Luculentum huius rei argumentum à religionibus Proteſtantum. Etenim natæ in Germania, ſeſe inſtar peſtis in vicinam Galliã illico transfudere: poſtmodum Galli ea corrupti, contagionem in Angliam inuexere: Mox Angli illud ipſum exitium ſeu ſcabiem, qua dolis, qua viribus, Scotis affricuere; tandem, & ſero, in diſtantem *Hiberniam* malum inde delatum fuit.

13. Per certos porro Gradus mutationes rerum publicarum fiunt, vno ſtatu in alium reciprocè excunte. ſupra dictum, quatuor eſſe inter homines imperia: *Diuinum* nempe, *Rationale*, *Cõcupiſcibile*, & *Iraſcibile*. *A Diuino* non fit diſceſſus plerumque, niſi errore ciuium animos prius obtinente: qui etiam a ſuperbia vt fit, aut voluptate in eis oriatur: quæ defectus ſunt voluntatis humanæ, vtpote concupiſcibilis & Iraſcibilis. Errore itaque graſſante, primo in ciuitate exſurgunt rerum diuinarum irriſores, quorum ſtudia, religionem ac fidem populo reddere contemptibiles. ſequuntur deinde inficiatores; tandem irrumpunt impugnatores, tam impijs factis quam ſcriptis in rem ſacram debacchantes. Protinus vero ac debilitatum fuerit inter ciues Imperium *Diuinum*, Rationale languеſcit, otiatur ac deliciari incipit: artes & ſcientiæ inde deſpiciuntur, ad voluptates maximæ exiſtunt ciuium progreſſiones. Cum autem inter eos voluptuarium imperium inualuerit, quod illimot, teſte Sapiente; qui coronant ſe roſis, poſtea cõſpirant ac dicunt, *Circumueniamus iuſtum, opprimamus eum*, vt notat *S. Auguſtinus*, tunc ad Iraſcibiles mores ciues tranſeunt, ac illis efferati, tumultuantur. Tandem propter incommoda vitæ, ciues iam pertæſi imperij concupiſcibilis, ſeſe denuo recipiunt ad Imperium diuinum ac rationale, vnde quietem tandem inueniant. formas autem declinationum ab imperio diuino vſque ad barbariem, deſcribit Sanctus Apoſtolus, loquens de vitijs Gentilium. *Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum*. Ecce primum impetum barbariei, deriuatum ab atheiſmo & impietate in Deum. mox ſubiungit: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. ſcilicet diuina haud curantes, ita ſe voluptatibus deinceps tradidere, vt a bonis moribus prorſus ab alienati, plane inutiles ſibi & alijs euaſerint. Demum concludit. *Sepulcrum eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant; venenum aſpidum ſub linguis eorum. quorum os maledictione & amaritudine plenũ eſt. contritio & infælicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt*. en iraſcibilis facultatis rabiem, maledicentia odijſque feruentem: quibus extrema barbaries, vt etiam notat *Seneca*, cõtinetur ac perficitur.

Sap 2.
Auguſt ſerm 316. de tẽp.
Rom. 3.

14. Cæterum vero duo præcipue rempublicam perturbant, mox euertunt: primum inæqualitas inter ciues, quod *Ariſtoteles* affirmat. Alterum inter eoſdem ſtudiorum contrarietas. loquimur autem de inæqualitate, non quacumque, ſed de ea, quæ æqualitati, parique cõditioni inter homines debitæ, opponitur. Hinc enim murmurationes, & inuidentiæ, demum hoſtilitates inter ciues gliſcunt & propagantur. Conuenit idcirco aliquando, quantum ad externos honores & emolumenta, Principem ſeruare æqualitatem, licet inter ſimilis ſortis ciues, virtutum ac meritorum reperiatur inæqualitas; vt aſſerta æqualitate, paci, concordiæ, & bono communi, quod præferendum etiam commeritis præmijs particularium ciuium, melius conſulatur. Ob quam cauſam paterfamilias, viſa vnius filij maioris natu probitate, nõ ſtatim quo ad veſtes & compellationes ponit diſcrimina, ne inde rixæ & inuidentiæ in familia oriantur, ſed potius in iſtis ſtatuit æqualitatem. Contrarietas ſtudiorum, vt pote concupiſcibilium, & iraſcibilium, niſi aliquid tertij acri imperio eminent vtriſque, prona de ſe eſt in alienationes animorum, & corporum diſſociationes. Hanc exiſtimarem Romano Imperio exitium attuliſſe. in quo ex vna parte, togatus Senatus paci ſtudebat, ambitum repellebat: ex altera, armati Imperatores, & militibus muniti, ſtrepitus quærebãt, per cædes ad abſolutum dominium, *Marte* & *Minerua* contraria mouentibus, adſpirabant. Viſus *Plutarchus* hoc prudentiſſime aduertiſſe. *Cum cætera calamitates multæ, tum ea, quæ Romanis poſt Neronis obitum accidit teſtimonio eſt, nihil eſſe in imperio formidabilius poteſtate militari, quæ indoctis vtitur abſurdiſque conſiliis. Itaque Demades Alexandro mortuo, ſimilem eſſe dicebat Macedonum exercitum excæcato Cyclopi, quippe qui illum intueretur multis moueri motibus perturbatis & prauis. At Romanorum Imperium ſi Demades inſpexiſſet, eiſdem affici agitarique malis comperiſſet, quibus Titanes ferunt: in multas namque partes diſcerptum & vndique in ſeipſum incurrens; non tam ex eorum dominandi cupiditate, qui Imperatores appellarentur, quam diuitiarum ſtudio, & luxuria militum, qui Imperatores inuicem veluti clauos extruſerunt.*

Arist. lib. 8. pol.
Plutarch. in Galba.

Armatæ nullus Diuum pudor, improba virtus.
Et pacis deſpectus honos, penituſque medullis
Sanguinis humani flagrat ſitis.

Statius Ital lib. 1.

15. Rerum quoque ſtatus mutantur, quando a proprio genere actionis, quo reſpublica aliqua incepit ac creuit, fit deinceps in aliud de mutatio, aut illius exiſtit declinatio. hoc modo imperia ratione ſtabilita, in rationem poſtea inualeſcente ignorantia, variantur: a voluptate conſtituta, mutationem ſubeunt, virtutis rigore præualente: ab ira efformata, ceſſante in exteros bello, priſtinum ſtatum relinquunt. *Fuit hoc quondam*, inquit *Cicero*, *proprium populi Romani, longe a domo bellare, & propugnaculis imperii Sociorum fortunas, non ſua tecta defendere*. proinde hoc ſtudio externi belli contempto, Romanum Imperium inteſtinis motibus conciſum interijt.

C. cer. pro lege. Manil. peri. Saty. de ſtatu. Reip.

16. Ob hanc cauſam, qui imperium iraſcibile ſeu bellicoſum tenuere, ij exiſtimantes impoſſibilem fore apud ciues eam virtutem pacificam, quæ illos effectu ipſo commode ad pacem inter ſe inſtitueret, pacem cum literis, mutationis vitandæ cauſa, arcuerunt. Quod ad

literas,

literas, animaduertere Romani, earum dulcedines, & ex eis abductiones animorum a ſtudijs tumultuoſis ac bellicis conſilijs, extitiſſe nociuas, vireſque Martias, quaſi inde marcidas factas, ab omni vigore ac rigore in mollitiem eliquaſſe. In cuius rei ac mutationis remedium Senatus Romæ hand ſemel Poëtas & Philoſophos vrbe expulere: veriti ne literæ Græcæ omnia ipſorum Quirinalia robora tandem debilitarent.

Sed virtus agitata domi, & ſocialibus armis
Perſius Cat. & an. Reip.
Ia freta Sicania & Carthaginis exijt arces,
Cæteraque imperia, & totum ſimul abſtulit orbem.
Deinde velut ſtadio victor qui ſolus Achæo
Langaet, & immota ſecum virtute ſatiſcit.
Sic itidem Romana manus contendere poſtquam
Deſtitit, & pacem longis frænauit habenis,
Ipſa domi leges & Graia inuenta retractans,
Omnia tunc bello terra quæſita, marique
Præmia conſilio & molli ratione gerebat.

Eamdem mutationem ſtatus ex literis & pace hodierna die veriti Turcæ, vtraſque ſua morum cruditate expellendas ac ciuibus interdicendas cenſuere.

17. At ſingulæ gubernationum ſpecies diſtinctas ac proprias habent veluti in ſuis viſceribus inſitas cauſas mutationum, adeoque terminorum, in quos progrediuntur. *Democratia* ex duobus præcipue mutationem ſubit: ſcilicet ex rerum copia, luxu, & inter ciues inæqualitate inimia. ex luxu euadit populus iners, ſuperbus, inuidus, rixoſus; vnde bono communi neglecto, partium ſtudia proferuntur.
Ariſt. lib. 5. pol. cap. 4.
Quemadmodum vero in omni ſocietate, retinet vnitas inter ſocios, vim quandam conſeruandi ipſam ſocietatem, ac eiuſdem bonum, ita diſſipatio, vnitati contraria, maxime infeſta ſocietati & illius bono. proinde quod in populari ſtatu tumultuante vel nulla vel minima, inter alias omnes ſpecies ſtatuum perturbatorũ vnitas reperiatur: iam enim in eo totius corporis omnia membra ſunt diſſoluta ac a nullo ſuperiori contenta, ideo in huiuſmodi ſtatu mutatio, valde periculoſa; commotio autem exitioſa. Hinc partes in populari ſtatu ſeparatæ ac diſiunctæ a ſemuicem, prius quam velint cedere alter utri propter ingentem vim æmulandi in ipſis, aliam formam plerumque ſtatuunt Regiminis: ac ferme ſemper de extremo ab ipſis ſtatu, ſcilicet de Monarchia ſtatuere ſolent. nã non habentes plures inter ſe quos diligant, propter tumultum popularẽ, de vno cogitant: præſertim ſi ille vtrimque indifferens ipſis viſus fuerit. quod ſi hunc vnum in ſuo cœtu reperire nequeunt, externum ſibi aliquem præficiendum curant. patet etiam plurimum popularis iſte ſtatus mutationibus, prouenientibus ab inuaſione externorum: cum enim raro ſint omnes animis coniunctis, tum facilius diſſipati, cedunt externorum armis.

18. Status autem *Ariſtocraticus*, quaſi in medio poſitus inter *Democraticum* & *Monarchicum*, mutatus & factionibus diuiſus in ſe, nihilo obſtante, complectitur maiorem vnitatem ad ſe præſeruandum quam *Democraticus*. nam eo tumultuante, reperitur ſaltem aliqua vnitas in populo, in aliqua ſæpius ſaltem parte Nobilium. Duobus autem malis plerumque turbatur & corrumpitur iſte ſtatus: videlicet Nobilium æmulatione, & inæqualitate, orta ex diuitijs, officijs, populi fauoribus; præſertim quando eidem inæqualitati non reſpondet inæqualitas virtutum, aut beneficiorum in Rempublicam ab illis collatorum. ſtatus *Ariſtocraticus* mutatione violatus plurimum reſoluitur in ſtatum popularem. ſtudent enim in eo Nobiles placere populo, & ægre perferunt ſibi aliquem vnum ex ſuis præponi. quod ſi aliquando reſoluatur in ſtatum monarchicum, id a populo potius prouenerit, quam ab ipſis Nobilibus.
Ariſt. 5. Pol. cap. 5.

19. Quod ad ſtatum monarchicum, ſi in eo per Monarcham, ex tyrannide fiat mutatio, nihilominus boni communis reſpectu, ſupereſt maxima vnitas, ſi comparatio fiat cum ſtatuum aliorum ſpeciebus: illa nempe, quæ populi ac Nobiliũ exiſtit: quod ſane hand parum alicuius reipublicæ ſtatũ monarchicum cõmendat, cuius quippa mutatio aut diſſolutio, minus funeſtæ ciuibus, & eorum Bono publico. Monarchis vero duo pernicioſa: libido & tyrannis. ex libidine euadit monarcha ſuis contemptibilis; ex tyrannide odioſus. neque tyrannis in eo ſolum ponitur, quod iniuſte bona ciuium ab ipſo auferantur, ſed etiam vel maxime quando eorum honores violantur: vtpote ſi peſſimi ac fœdi iuuenes immerito ab ipſo collocarentur in apice ſummæ dignitatis: ſi eiſdem ſupremi magiſtratus ab eodem committerentur. hinc enim alij ipſis meliores & digniores, perdunt honores ſuos ac iniuſte ad eorum obſequia deijciuntur. Cumque inter bona externa precipuo in loco habeatur honor, tum ob iniuriam Principis in eundem, vt notat *Ariſtoteles*, ſolent ſubditi maxime in inimicũ Principem commoueri. ac eodem iudice, iuxta naturæ ipſius decretum, honoris ſeu loci inæqualitas a Principe conſtituenda ex inæqualitate virtutis. *Monarchia* vero mutationibus grauiter afflicta, tranſire ſolet in ſtatum popularem: ſicut flos corruptus decidit in terram, vnde ortus.
Ariſt. 5. pol. cad. 9.
Ariſt. lib. 5. pol. cap. 5.

20. Reſpublicæ porro, quæ hæreſi, quod ad Rationem ſtatus, innituntur, vt diuturnæ eſſe nequeunt, ita mutationibus inſtar cubilium leporum, identidem ſubijciuntur. quod enim hæreſis in vniuerſum ſtatuat cuncta ex cenſura priuati ſpiritus, ſacras literas interpretantis, ideo tam reſpectu ipſius credentis, quam & aliorum, multiplex omnino in horas inuenietur. quis enim, quod ad hæc diuina, animo ex ſe adeo confirmato, vti ſibi perpetuo conſtet? quis ſuo in eiuſdem particulari delectu ita fælix, vt aliorum iudicijs ſemper arrideat? aut quis tam elatus, vt aliorum aduerſantia iudicia contemnat? proinde vacillans ac pugnax ſenſus, vt hereſi identidem mutationem adferunt, eodem modo etiam reipublicæ. *Clemens Alexandrinus* de hæreticis differens, ait: *Seſe inuicem deſpiciunt & irridem. & accidit, vt eadem intelligentia ab aliis, quidem ſit in maximo honore, ab alis vero damnetur amentia.* Contra rerum publicarum ſtatus imbuti fide catholica, ac ab ea directi, inde maiori ſtabilitate
Clem. Alex lib. 7. ſtrom

bilitate contra inouationes & mutationes confirmantur, vt enim talis fides, quæ ſtatus ciuilis fundamentum, eſt maxime credibilis, ita cum ſumma eccleſiæ authoritate eiuſdem credebilitas, muniatur, melius præualet contra internam diſſidentiam, iuxta ac externam repugnantiam. ob quam cauſam huiuſmodi ſtatus per hæreſim haud mutantur aut euertuntur, niſi ſubditi prius diſciplinæ & virtutum pertæſi ad libertatem carnis ac ſpiritus anhelauerint, quo tam corporum voluptatibus, quam animorum elationibus ſibijpſis intemperantiſſime gratificentur. Verum quod vitium in vniuerſum ſit ſui iuxta ac aliorum deſtructiuum, eodem modo & hæreſis. equidem haud nunc miror, fortunam dici ac inueniri volubilem, poſtquam vno pede ſuper ſummum rotæ verticem lubrica conſtiterit. Quocirca contra prudentem æſtimationem ab eo nihil animi ſententia ſuſcipietur, qui hæreſim, ſimulque Rempublicam ab ea inſtructam, continuo fore mutabiles definierit.

21. Denique quod Rerumpublicarum ſtatus non excedunt mortalium & humanarum rerũ notiones, quid miri ſi vi etiam ſua ad mutationes & exitia, non ſolum externa vi, rapti relabuntur? *Cecilius* apud *Gellium*, *Fauorinum* adloquutus, ita diſſeruit. *Non enim profecto ignoras legum opportunitates, ac pro vtilitatum præſentium rationibus, proque vitiorum quibus medendum eſt feruoribus, mutari atque flecti, neque vno ſtatu conſiſtere: quin vt facies cæli & maris, ita rerum ac fortunæ tempeſtatibus varientur.* Hæc ipſa diſſimilitudo rerum pullulat ex qualitate eorum, quæ ab homine deſiderãtur. in quibus duo cõſpicua: ſcilicet inimica contrarietas, & ad ſatiandum hominis cupiditatem infirmitas. ex priori, ſi quæ inciderint bona, poſtea malis appellentibus nobis eripiuntur. ex poſteriori, quod etiamnum placet, non placebit ſemper; & acuit potius ad vlterius expetendum, quam ſuo explet. hinc ſucceſſus contrariorum, hinc curſus ad alia, ſiue reipſa meliora, ſiue peiora. Nemo ſane vel ingenium animæ ſuæ ſequutus, amans fuerit iſtius viciſſitudinis, iſtius incertitudinis, quibus timor & ſpes dominantur. Omnes interim noſtri ſoles noctem, omnes flores noſtri hiemem, omnes noſtræ æſtates, ornamenta omnia, ſuous præſtolantur autumni. quod ſi cupiamus firmæ pacis exemplar intueri, linquamus terrena, luſtremus coelum.

Gel. lib. 20. cap. 1.

——————*aſtrigeris,*

Bellum diſcors exulat oris. (Boet. lib. 4. Met. 6.)

Proinde vt conſtantiam ſibi quiſpiam appetat, & firmum ſui ſtatum, eſt quod ad ea bona contendat, quæ adamantina, quæ ſuperna, quæ æterna, quæ nunquam conficienda: nec in alijs fluxis, ſiue admiratione, ſiue amore multum occupetur. Benedictus Deus, qui hac a nobis agnita rerũ mobilitate, nos ad ſe vocat, inuitat ad felicitatis centrum immobile, ſatietatis ſine termino terminum. Regia poteſtas, ſine dubio, dignitas inſignis. verũ ſi eam vitia comitentur, etiam eo gradu Regẽ turpiorem reddent, quoto ipſe a plebe dignitate ſecernitur. Vnde *Catullus* inquit *Boetius*, *licet in curuli Nonium ſedentem, ſtrumam appellat. videſne quantum dedecus malis adijciant dignitates?* & ſicut dignitates nequitiam quodammodo illuſtrant, & exaggerant, ita eadem nequitia, dignitates in odia aut contemptum cogit. *Verum non impune:* dicit *Boetius*; *reddunt namque improbi parem dignitatibus vicem, quas contagione commaculant.* quarum rerum euentu, Reipublicæ ſtatus, ſicut olim Romæ, ita modo mutationi obnoxius, non quidem vitio ſtatus, ſed Regum. qui quidem ſtatus firmius ſtabilitur Regum virtute, quam ſummæ poteſtatis ab ipſis arrogatione.

Boet. lib. 3. proſ. 4.

22. Atque in vniuerſum hæc dixiſſe de cauſis mutationum rerumpublicarum ſufficere videatur. Supereſt tamen, vt ad quaſdam ex illis adhuc particularius tractãdas accedamus. In quibus enarrandis oſtendemus, quænam inſtituta Ciuilitati maxime contraria ac congruẽtia Barbariæ. nomine vero barbariei non id intelligimus quod Græci primitus ac Romani ea voce ſignificare voluerunt; nempe peregrinum quid ſeu exoticum, ſed quod ijdem quoque poſtea eadem expreſſere, nempe alienum a præſidijs & ornamentis ciuilitatis, ſeu quod incultum & aſperum in vita politica. Vnde, ſicut Ciuilitas ex omnibus prorſus virtutibus, tã intellectualibus quam moralibus conficitur, ita barbaries ex vniuerſis eis vitijs exſurgit, quæ illis virtutibus opponuntur. *Multos Græcorum, ait Plutarchus, eſſe malos, & ido Barbaris, laude dignos, vt Indos, vt Armenianos, itemque Romanos, & Carthaginenſes, conſtat, quorum in magna ſunt admiratione reſpublicæ.*

Plut. lib. de Alex. Strab. lib. 1.

CAPITEL. II.

Atheiſmus, diuinorum ignoratio, ſeu de eis dubia, vacillanteſque ſententiæ, plurimum conferunt ad Barbariem.

NEmini dubium, quin ciuilitati morum iam conſtitutæ, ſicut & reliquis virtutibus alta vitia, ita barbares inſidias ſtruat, ac in illius perniciem aliquid artificij perpetuo machinetur. Hoc ad Philoſophiæ ſententiam egregie ſua fictione expreſſit Poëta *Heſiodus*. Refert itaque *Prometheum*, hominum animis inſerto igne, quem ex cœleſti fornace abſtulerat, eius vi docuiſſe illos artes, iuxta ac vitæ excellentem inſtitutionem, exactæ rationi & ſummæ induſtriæ reſpondentem. *Iupiter* autem, cum aliis prophanis Diis, huic noſtri generis felicitati inuidens, barbaricam quandam *Pandoram*, *Vulcani* ſeu ardoris opificinã excitauit, in quam omnes Dii ſua dona, plane mortalibus peſtifera congererent, quibus opulenta & armata iam facta, vitam ciuilẽ inter homines cœptam expugnaret. proinde in hunc finem *Mercurius* eã quod ad fraudulentiã adornauit, *Venus* modos libidinoſi veſtitus, *Mars* furores, *Pluto* auaritiam, *Vulcanus* luxuriæ æſtus eidem inſpirarunt. Quibus vitiis cũ homines tẽtaſſet ac ſuperaſſet, in illis ignem acceptæ doctrinæ ac ciuilis vitæ penitus oppreſſit. In hunc ritum nos, noſtra ſumma cum felicitate a Chriſto Domino, vero *Prometheo*, qui venit ignem mittere in terram, ad ciuiles mores perducti, paſſim culpa noſtra incidimus

Heſi. Theog. Luc. 12.

cidimus in *Pandoram*, Dæmonum ſeu Deorum odiis & artibus in noſtram perniciem inſtructã, quæ partim falſis opinionibus, partim voluptatibus, partim ira funeſtare in nobis ſatagit non ſolum ingentes fructus conſequutæ modo ciuilitatis, verum & ipſa ſemina ac tantorum bonorum fundamenta violare. eſt itaque *Pandora* in hunc finem athea, eſt *Pandora* libidinoſa, eſt *Pandora* furioſa, eſt *Pandora* verſuta, eſt *Pandora* hæretica: atque iſtis ſuis viribus in nos diuerſimode, iam ciuiles factos inuadit. Ac quidem noſtris ſceleribus libratis, æquum videbitur, permittat Deus *Pandoram* hanc adeo immaniter in nos graſſari. ſi abuſi donis ipſius, quam ob rem non ſumus eiſdem depriuandi, atque *Pandora* cuiuſdam truculentiæ, quandoquidem id velimus, merito committendi?

2. Præter illum ingenij rigorem, quibuſdam populis, qua cœli & indolis ratione inditum, qua brutis ipſorum moribus comparatũ, vnde mutuo efferari ſolent, alium eis injciunt atheiſmus, deque diuinis apud eos perplexæ hæſitanteſque opiniones. Quo ad hæc recenſet *Plato* tres errores in hominum iudicia quandoque incidiſſe. primus eorum, qui Deum omnino inficiati. alter eorum qui eius prouidentiam e medio ſuſtulere: poſtremus eorum, qui hominum criminibus Deum offenſum quidem exiſtimarunt, ſed facilem ad indulgendum duxere, ſi modo vel ceremoniola aliqua acceſſerit: Plato. dial. 10.

Ah, nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua! Ouid. 2. Faſtor.

Inter quos errores hoc diſcriminis idem aſſignauit: quod, vt ipſe dicit, plurimos nouerit, qui duos poſteriores admiſerint, ac in eis plane cõſenuerint: priorem vero, non niſi feruente Iuuenili calore, a quopiam ferme ſuſceptum intellexerit. *Profecto nullus eorum ab adoleſcentia vſque ad ſenectutem in hac opinione, quod Dii non ſint, perſeuerauit.* Ex quo cõjcere licet, quã agnatus ſit, quamque intime humanæ naturæ infixus ſẽſus aliquis Diuinitatis. Quod autẽ barbaries, quæ in facultate iraſcibili perficitur, ortum ducat ab errore aut defectu cognitionis in ipſa ratione, mirum haud fuerit, ſi homines, crudeles, intractabiles ac immanes reddantur, modo Dei cognitione, quæ inter cognitiones præcipua cũ genere ſuo, tum ad agendũ efficacia, deſtituantur. Plato. Sup.

Omnis at in magnos culpa Deos ſcelus eſt. Ouid. lib. 1. de Pont.

Ac inter cæteros mortales, qui iſtius pietatis ac Theologiæ maxime indigentes exiſtunt, Boreales ſunt, & quotquot moribus ab ingenio aſperiores. quarũ notiones ſimul ac excuſſerint, proni de reliquo excurrẽt per neglectum rationis, cuius vim haud percipiũt, per humanæ auctoritatis grauitatem, quam contemnunt, ad natiuã ſuam barbariem atque ſolutam truculentiam.

3. Atheiſmus iſte filia, parenſque barbariei. filia quod effectus vitiorũ eã in vita proferentiũ: parens, quod ea vitia inducat in mores ciuiũ, quæ in barbariẽ deſinunt. Mortales, dictãte dei cognitione, & in eũ fide in ipſis ſententiã ferẽte, cruciatus ſentiunt animorũ, poſteaquã multifariam deliquerint. proinde in has informationes, qua ſuſpicionibus, qua argumentis, qua ſententiis, qua creditis depugnant, quo immunes tandem redditi ab eiuſmodi tormentis exedentis conſcientiæ, de reliquo libere ac iucunde ſine omni ſenſu doloris pereant, dum in voluptatũ cœnoſas voragines ſeſe ſponte præcipitant. Hinc finxere veteres, cœleſtem virginem *Aſtream*, hominum ſceleribus fugatam, terras deſeruiſſe, ad ſtellas ſubinde euectam: quod nempe turpes mores diuinorum intelligentiam hominibus excutiant, inter eos, in terram & orcum pronos, ac ipſum cœlum, diuortium quoddam conſtituant. Heſiod. Theog.

Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum, cruenta cæde pollutas manus
Aſtrea virgo, ſyderum magnum decus. Senec. Agã.

Barbaries omnis quod ad mores graſſatoria, inſidioſa, ac ſanguinolenta, eadem impia prorſus & a numine auerſa. Cum enim duo ſint ductores humanę vitæ, amor ſcilicet, & timor, ſi modo hi affectus ad Deum non peruenerint, quid ſupereſt, niſi vt atheiſmus illos ad alia deducẽs, omnibus vitijs in ciuibus ſoboleſcat? *Neſcio Deum, & Iſrael non dimittam.* En quomodo atheiſmus immites in homines ſpiritus exibret! *Viſcera impiorum crudelia.* Exodi. 5. Prouerb. 12.

Quis mihi regnator cœli, quis conditor orbis!
Quis Deus, aut quæ iam merito metuenda poteſtas?

Hac vero neglecta ſubiectione, ſequitur,

Ibo per impuros feruente libidine luxus,
Inceſtabo thoros, ſacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquid ſine teſte propinqui
Depoſitum, tenues auidus ſpoliabo clientes,
Longæuam perimam magico cantamine Matrem.

At in hac barbarie, dũ Atheiſmus voluptatẽ ſpectat, fugientem tamen, veluti vmbrã *Narciſſi* ſequitur: atque ſub ſpecie in ea voluptatis, omnia demũ genus triſtitiæ, quouis ſerpentino aculeo dirius, conplicatum & abſtruſum, etiam in ſuis illecebris, inuenerit.

4 Illa porro neceſſitudine cum Deo, quã inter ipſũ & hominẽ decernit religio, athei deſtituuntur: ex quo neceſſe fuerit, in eodẽ alias quibuſcũ agunt, plurimũ exaſperari. ſuperius declaratur, quãnã vim habeat religio ad leniendũ omnem rigorẽ in parte iraſcibili: proinde qui religionẽ negligunt, eodẽ fouent in ſeipſis naturæ rudem quẽdã horrorẽ. enimuero quos cœleſtiũ meditationes, & erga diuina animi corporiſque ſubmiſſiones nõ emolliunt, illi ægre humanis diſciplinis ad teneritudinẽ, ad beneuolentiã inſtituentur. Natura, dubio procul, quæ hominis formã in cœlũ erectam eſſe voluit, ad hoc id præſtitit, vt ipſe agnitione & cultu cœleſtiũ molleſceret, ac vt religioſa lenitudine in ipſũ inducta, inde paratior euaderet ad excipiendũ ciuilẽ illã in conuictu dulcedinẽ & facilitatẽ. Quocirca quod atheus omnẽ ſuã cogitationẽ a diuinis auertat, humanas ideo, imo brutas voluptates ardẽtius quã par eſt proſequitur, vitæ inde turbis & procellis ſeipſũ penitus committit: & propterea quodãmodo tranſit in qualitates earũ rerũ, quas appetit; & ſic ad earundẽ ingenia aut mollis diffluit, aut irato quodam ritu perturbatur. vt enim nautæ perpetuo adſpectu turbidi maris, animis eſſent nimium ferocibus, ni huic in eis malo cœleſtium cognitio feroces in ipſis ſpiritus compeſceret, ita qui ſine omni officio reuerentiæ & notionis erga Deum inter homi- Cicer. lib. 1. de Nat. Deor.

nes verſantur,ij rebus humanis iactati,in ſe mutuo efferuntur,& incredibili immanitate ciuilis vitæ ſuauitates expugnant:ad exempla prorſus crudelium vrſorum,qui ſaturi , mellis fauos ſuis vnguibus fœde dilacerant. Et ſi atheis quid votis ipſorum contra incident , carebunt prorſus illa quietudine & dulcedine patientiæ, quibus pij in medijs afflictionibus recreantur. Dempta quidem cognitione & agnitione Dei,duo ſuperſunt , a quibus putaret quis omnes rerum euentus pendere ; ſcelicet fortuna & fatum: quorum quidem intuitu vel atheus, ærumnis vexatus , vtcumque animũ refocillare poterit.dicet idcirco, quorſum quæremonia inſurgerem in fortunæ cœcitatem & ſurditatem ? num preces meas & lamentationes curabit aut exaudiet illa Domina a ratione alieniſſima ? quod ſi fatum inexorabile me afflixerit, minime iuuabit mœrendo & lacrymis eius ferrum aut adamãtem lenire . Cæterum pius & Dei prouidentiæ conſcius, iſtis fortius quid & ſuauius habet, vnde in quauis afflictione etiam iucundetur & immobilis conſiſtat : dum nempe conſiderat, Dei voluntate & manu effici illa mala omnia, quæ alioquin deplorãda , & quibus ille torquetur. feciſſe Deum nouit id , quod maxime ſummam ſapientiam & bonitatem decet : proinde eodẽ ſic roſæ flagrantia delectatur , vt vix ſentiat adiunctæ ſpinæ punctionem. hoc dulcedinis firmamento deſtituuntur athei , interea loci cum ſua fortuna , & fato luctaturi. Affulget porro ſpes,quandoque hac ipſa prouidentia in Dei manu , infelicitatem fore depellendam, cuius exſpectatio animum impij nunquam ſubibit. Pij ſunt , qui hanc a *Boetio* ſuaſam ſententiam amplectuntur : *Nec mirum, ſiquid ordinis ignorata ratione,temerarium,cõfuſumque credatur. ſed*

Boet. lib. 4. conſ.Pros.5 *ta quamuis cauſã tantæ diſpoſitionis ignores,tamẽ quoniã bonus mundũ rector tẽperat , recte fieri ne dubites.*

5. Cæterum ſi Magiſtratus ipſe inter reliquos ciues huiuſmodi atheiſmo obcœcatus fuerit , ſi diuina ipſe ignorauerit,ſi neglexerit , nihil illo in ciuitate libidinoſius, efferatius nihil : quandoquidem in eo tam vis concupiſcibilis , quam iraſcibilis, ſicut varia in promptu obiecta parata habẽt ,ita nullo numine ipſum coërcente, immanius curſum libidinis ac furoris ſui conficiet.

Vnde obſecro, idoneus princips ad ciuilitatem inducendam ac ſeruandam inter ſuos , ſi non a Religione ab ipſo imprimis culta , ab opinione confirmata diuinæ prouidentiæ , ab eo ſuſcepta , ac profeſſa , illi tanta licentia delinquendi continuo arridente , ad malum inuitante , tantaque rerum copia vndique lenocinante? quem ſi vectigales ſacrorum incurium ac contemptorem ſemel deprehenderint , illico ad eius imitationem , propriæque voluptatis imperium,ſe omni prorſus ſenſu ciuinitatis pariter ſpoliabunt.

Vbi nunc pudoris
Euripid. in Iphigin. *Ac honeſti facies?*
Quid valent aut poſſunt
Quando impietas tyramidem
Occupat ,virtus autem poſt
Terga reclaſa, negligitur,
Cum licentia legibus dominatur?

Quod ſi diræ leges , Dei cognitione ſemel abdicata, prauis ciuium moribus interim vtcũque õbſtiterint , ſaltem vbi ſua luce & hominum oculis leges illæ non vtuntur, nihil facient, in ſecreto eluſæ , contra barbariem irrumpentia atheiſmi. ſi porro atheiſmus naturæ vim in aliquibus expugnauerit , ſenſum numinis eis adimendo, quid mirum, ſi etiam leges ipſas , iuxta ac ad eas ferendas datam hominibus diuinitus poteſtatem, demum profligauerit ?

6. Ad atheiſmum plurimum etiam conducit diuerſarum Religionum a Magiſtratu ſuſceptum patrocinium:hinc enim venit,ciues fore perpetuo dubitabundos de omnium veritatibus, ac eo pacto ſingularum regulis & obligationibus abſolutos. Vident enim impune in republica graſſari inter pugnantes religiones, contradicendi ac conuiciandi hoſtilitates , perinde ac ſi indifferens , hanc aut aduerſariam deligere. Saltem fieri non poterit , quin Zelus in hanc aut alteram multum eo debilitetur. quemadmodum enim illius principis apud ciues dignitas diminueretur , in quem publice opprobria iacerentur , nullo reperto qui reprehenderet , vel puniret tale quid facientes; ita euenire nequit , quin de religione vera ſemel a ciuibus ſuſcepta æſtimatio eleuetur, ſi ipſo principe,in quo fons ſapientiæ ſpectabilis, approbante , vituperia in eam paſſim dicantur : ſi cum notis abſurditatis ac falſitatis libere ac populariter traducatur. quamprimum idcirco, ciues inter oppoſitas religiones animis fluctuauerint , nulla religio deinceps magnum aliquod imperium in eos exercebit : potius, illis ſtudium aderit , certas voluptates incertis religionum dogmatibus vitæ actione anteferre . Nulla ſane ſpecies tyrannidis ea immanior , qua principum aliqui barbarice contendunt ſubditos diſſipare in multiplices ſectas religionum. Hoc enim pacto omnis religionis , ac vniuerſarum notionum de diuinis neruos exſcindunt ,ſuis ſenſum huiuſmodi diuinarum informationum penitus adimunt, illos interea committendo atheiſmo, & cunctis vitijs maliſque,ex eodem copioſe prouenientibus violandos. nihil Philoſophia paſſa Sen.in Iud.
diſpendium ,quod propter opinionum pugnas ac diſſentiones vulgus iudicauerit, nihil eſſe adeò abſurdum , quod non ab aliquo Philoſopho adſtrueretur : neu magis, rei veritate quam horologia , inter ſe conuenire Philoſophos. Idem prorſus futurum quod ad diuinã fidem , ſi eccleſia inſtruatur in ciuitatibus , non tam vt portus quieſcentium in diuinorum agnitione, non tam vt delitiantium apum aluearium , quam vt paleſtra digladiantium, ſtantium, cadentiumque theatrum. Cuius vero animum ac cor, Dei definita cognitio non emollierit , non purgauerit,ille in concines horridus prorſus erit , omnique iniuſtitia pleniſſimus. Vis concupiſcendi in eodem tota, ſummo impetu ad fæces deliciarum deferetur,vbi non adeſt Dei intelligentia , quæ eam cohibeat. facultas iraſcendi in rabiem exaſperabitur, ſi diuina fides rigorẽ & omne quod in ea ſcabrũ, illi haud detraxerit. neceſſitatẽ proinde ciuilẽ, ad agnoſcendũ vnũ Deum adſtruere

videtur

videtur neceſſitas naturalis primi mobilis in cœlo, aliorum orbium reſpectu. ſi enim tale primum mobile non exiſteret, tunc motu raptus ſubiecti orbes in vſus animantium & elementorum haud cierentur: dies & noctes, æſtates & hyemes, ad eorum incolumitates, minime reperirentur. pari modo Deo ab hominibus ignorato, aut neglecto, nihil ciuilis negocij ad commune bonum placide progrederetur: ſed potius quod a ratione, ab amore honeſto, ac timore deſtituti ciues, ex priuatis libidinibus ſolum cuncta ſeditioſe, confuſe ac truculenter peragerentur. Turba hæc Atheorum, olim in gigantes, ſeu Titanes excreuit: in filiabus itidem Dei, prodigioſa luxuria infamibus, vires
Virg. Æn. 6 oſtendit, vt animaduertit *Euſebius Cæſarienſis.*
Euſ. lib. 4. Ecquá maieſtatem in terris venerabũtur illi, qui
præpar. c. 4. omnem in cœlo deſpectui habent? Iſtius ingenij *Mezentius* Virgilianus, præter telum & dexteram ſuam, nullum numen pugnando agnoſcens:

Vir. Æn. 10 *Dextra mihi Deus, & telum, quod miſſile libro*
Nunc adſint.

7 Imo exiſtimo, ipſis Principibus nihil incommodius, quam in animos ciuium admiſſus atheiſmus. hoc prudenter admodum adnota-
Trai. ep. ad uit *Traianus* Imp. *Nunquam, ait, Reges ſecuri viuent,*
ſen. Guil. *ſi Dii non honorentur, nec templa ſeruantur.* ſi enim
12. diſc. ſummus cultus principi merito deferendus a ſubditis, quod in illo eluceat Dei imago, profecto Deum inficiari, nihili facient hanc ipſius imaginem in Principe. Quod etiam ingenio hominis moleſtum, obedire, honores cum ſubmiſſione ſui, alijs impertiri, ſi non adeſſet certa Numinis ſententia, eiuſmodi officia faciliter a ciue omitterentur, neque obſtaculum appareret, quo minus vnuſquiſque priuatorum ad imperium per fas, nefaſque contenderet.

Ouid. ſent. *Expedit eſſe Deos, & vt expedit, eſſe putemus.*
Dentur in antiquos thura merumque focos.
Nec ſecura quies illos, ſimiliſque ſopori
Detinet: innocui viuite, Numen adeſt.

Antiquitus obſeruatum, teſte *Heſiodo*, Reges atheos, ſeſe bellis mutuo contriuiſſe, Deo in ipſis
Heſio. Dies vindicante hanc ſui ignorationem.
& oper. Ἀλλήλους τρίβουσι θεῶν ὄπα οὐκ ἀλέγοντες

8 Atque inter alia incõmoda in vita ciuili ex atheiſmo, haud paruum, quod iuſiurandi ſacramento ac religioni detrahat atheiſmus. Naturæ vel inſtinctu nouere homines, lites alioquin vi legis interminabiles, iuramento finire, ſimulque promiſſa quæ aliunde ſtabiliri nequeunt, eodem iuramento inconcuſſa ac fir-
Heb. 6. ma exhibere, quod Apoſtolus *Paulus* adnotauit. vnde factum, iuramenti violationem, quod ipſi Deo iniuriam inferat, ac Deum cum dedecore falſi teſtem reddit, fuiſſe apud omnes gentes habitam dedecoroſam: maxime ſi in Principe viro reperta fuerit: ſimulque obſeruatum, Deum varijs inflictis cladibus huiuſmodi periuros in ſuis perſonis ac in poſteritate, confeciſſe. Cæterum qui athei fuerint
Heſ. Theog. ij nihili facient peierare cum vituperio in i-
& dies & pſum Deum, ac in alios ſumma iniuſtitia. vnde
ope. ſenſu religionis hac in re exacto, omnis conſtantia & honeſtas exulabunt, & extrema barbaries vniuerſa iura obtinebit.

9 Ad hoc genus impietatis, ſpectantis ad barbariem, reducitur illud quorumdam Principum inſtitutum, qui vt in reliquis voluntatem propriam ſibi conſtituunt Regulam ad gubernandum, ita in rebus Religionis ſequi omnino ſtatuunt voluntates populi: ad quod duo illos mouent. Primum ponitur in magnis laboribus, ſimulac periculis, quibus obnoxia eſſe poterit Regia incolumitas, ſi contra ingenium ſubditorum Rex aliquis mutare vellet religionem, plene iam imbibitam a populo. Cum enim ſenſu religionis nihil homini charius, tum nihil moleſtius fert quam eam, quem ſemel amplexatus, ei eripi, aut aduerſariam ſectam ante oculos ipſius impune permitti. Ex qua offenſione idem populus feruens valde in ſeditiones, principi aliter decernenti malum creare poterit. Alterum cernitur in vtilitatibus, quibus gaudeat Princeps, qui in hoc negocio Religionis, populo gratificatur. Hinc enim a populo Princeps pius habebitur, iuxta ac pronus fuerit idem populus in omne officium donationis, cenſus, & huiuſmodi expenſarum, quibus principis ærarium locuples euadat. ſtrategema hoc politicum exercuit quondam *Elizabetha* in Anglia Regina, poſtquam perſpexiſſet, populum ſuum prorſus plenum Caluiniſmo, Diuina admiſiſſe. De qua re cum ſermo aliquando incidiſſet inter *Baronem Bucharſtia*, Reginæ a conſilijs, & Nobilem Catholicũ, a quo ego hoc audiui: diſerte adfirmauit ille Baro, Reginam cum conſiliarijs ſuis, quod ad religionem, reſpicere præcipue ad populi præſentes mores & inclinationes: adeo vt inquit, ſi populus Anglicanus, quod ad maiorem partem hodierna die pronus eſſet in religionem Romanam, nos facile cum Regina in religionem Romanam pariter concederemus.

10 Verum in hunc modum de religione decernere, ſapit omnino impietatem & atheiſmum. *Infidelis autem eſt*, ait *Clemens Alexandri-* Clem. Alex
nus, cui voluntariam placet falſam. Non e- l. 2. ſtrom.
nim quod vult populus, ſed quod Deus per Eccleſiam definiuit, ſi religionem ſpectemus, id demum in more ac ritu ponendum. Neque ſimpliciter populo committendum imperium fidei ac religionis, inde ſolum, quod ex eo plurima commoda ab eodem populo Principi accreſcant: ſic enim etiam magia eidem permittenda ad eiuſmodi finem, ac ne labor cum periculo ex reformatione in ſtatum Principis ingruat. Certe ſi quis ingenium Populi Proteſtantici in Anglia, aut alibi expendat, is facile deprehendet, inde Religionis normam a Principe minime requirendam. Populus quidem, quem vt ſæpius audiui, Auus meus, vir ſatis verſatus in rebus ciuilibus, appellare ſolebat *Pecora Campi*, vt acumine parum valet ad iudicandum in rebus diuinis, ita in carnis libertatem inclinatus, libenter ea dogmata audit ac mordicus tenet, quæ eiuſmodi libertati applaudunt. ob quam cauſam iam Miniſtri Caluiniſtici in Anglia populo omnino grati, quod eis lubentia prædicantes proferunt. inde

enim audiunt, a plebe promiſcue legenda & diſcutienda Biblia, vnumquemque priuato ſpiritu arbitrantem, iudicem eſſe controuerſiarum fidei: nihil peccari eos poſſe e ſtatu iuſtitiæ & ſanctitatis per ſolam fidem adſequutæ dimouere. cæremonias religionis cum ſuperſtitione ablegandas, præſcripta ieiunia ſpiritus dignitate condemnanda, duram carnis tractationem reijciendam, laborioſa opera virtutum, vtpote totius Decalogi violatione conſtantia, homines eis inſiſtentes coinquinare. quibus ineſcatus miſer populus, ac ſi eſſent Miniſtrorum prædæ, ſuis miniſtris inhærent, ac noſtris omni impetu quo poſſunt, refragantur. Populi autem mores erga ſuum Principem plurimum dependent a moribus ipſius Principis. Hoc manifeſtum ſatis dedit nuper defuncti Regis *Iacobi* in Anglia modus viuendi. cum enim plerumque eſſet in receſſu, priuata ſua ſtudia & ludos indies perſequutus, tum inde populus anſam arripiuit ſuperbiendi & audendi: adeo vt, qui tempore *Elizabethæ*, minime præſentibus animis vel mutire de coronæ iuribus, de Regio in regimine conſilio, de eiſdem ſuperſtite *Iacobo*, libere obloquuti: creſcente præſertim illa vulgari fæce Caluiniſtarum. De quo Rege duo veriſſime pronunciare poſſumus. primum, nullum Chriſtianorum Regum in noſtra inſula tantundem auctoritatis in Rempublicam ſibi arrogaſſe: alterum, ipſo effectu eorum neminem adeo parum obtinuiſſe vel exercuiſſe. ſaxit Deus, ne paternus error immunitæ Maieſtatis, ſit filio *Carolo* nociuus. Proinde Princeps Chriſtianus non debet regi a populo quod ad fidem ac Religionem, ſed a Deo & Eccleſia Catholica: ideoque ſi populus vanis commentis illectus, in eis errauerit, principis fuerit, Eccleſiæ modum præſcribenti operam impendere, quo populus ereptus faucibus illorum Miniſtrorum ſeu crudelium beſtiarum, luci fidei orthodoxæ incolumis reſtituatur. Ac quod ad *Angliam*, *Scotiam* & *Hiberniam* attinet, res ſane non fuiſſet valde operoſa aut periculoſa, ſi placuiſſet Reginæ *Elizabethæ*, aut etiã Regi *Iacobo*, Catholicis libertatem ſuæ Religionis Catholicæ concedere: nam cum eis locis flos ipſe nobilitatis, ac præcipua ingenia addicta ſint fidei Catholicæ, facile fuiſſet, eorũ exẽplis & dignitatibus conceſſis, paulatim populũ auocare a ſua ſecta Caluiniſtica, & melius inſtructos transferre ad obedientiam matris Eccleſię. enimuero neu aliud obſtitit, quam in illis Principibus profeſſum publice odium in fidem Catholicam, quicquid alias coniecturæ ex iuramentis ſolemniter præſtitis, in contrariam ſententiam aliqui extulerint. Ac vtinam etiamnum populo in illis Regnis de religione diſponente, domi, in Parlamento, & foras, Regia auctoritas, tanto rerum pondere valeret, tantoque ſplendore æſtimationis fulgeret, quantis inclaruere olim noſtri Reges, dum fidem Catholicam profiterentur.

VVitacca lib. 2. & 3. de peccat. Origin.

11 Quod autem ſpectat ad rerum humanarũ ignorationem, ea multis nominibus barbarica. O prime aduertit *Plato*, Iuuenes & indoctos, propenſos eſſe in barbariem. Iuuenes quidẽ, quod animi affectionibus æſtuantes, ad agendum nõ niſi impetu quodam nimio efferueſcant, quod haud libratis rationibus, ſubitaneis conſilijs dirigantur. proinde iuuenes extitere, qui *Roboamo* conſilium dedere exercendi tyrannidẽ in populum: carent enim cognitione, quæ in virtutũ pulcherrimas formas exacte intenderet, literarum porro exortes nationes, ſemper etiam moribus horridæ extitere; quales olim Scythæ, Gothi, Longobardi, ac modo Turcæ. Vlterius qui literis deſtituuntur, ij ſic comparati, vt aliorũ vafricie in fraudes ac errores facile compellantur; maxime vt ab hæreticis decipiantur ijdem aptiſſimi. Quin enim tempore Arabes a *Mahometo* pellecti fuere in ipſius ſectam, omnium ferme rerum ignorantia laborabant, vt ſcribit *Leunclauius* cum aliis. quando pariter Græci errores ſuos in animum primum induxere, nihil ferme luminis literarii retinebant. *Luthero*, atque *Caluino* inuadentibus in Dei Eccleſiam, præter artem dicendi, rara extabant aliarũ ſcientiarũ in ſcholis orthodoxorum accuratoria exercitia. Ac quod ſpectat ad hæreſum repulſam, nihil inter ſcientias tã efficax, vt *Metaphyſica*, ſeu doctrina ſcholaſtica: adeo vt rempublicam hac priuari, ſit idem, quod ſpoliari ſummo præſidio contra omnes errores atque hæreſes. Occupatur autem ea non niſi in profunda rerum diſquiſitione, earumque reſolutione in ſua prima, altiſſimaque principia. in qua verſatum aliquod ingenium, vel ad leuiorem aſpectum hæreſis, eam protinus contemnet: clare videbit, probabitque, nullo ſolido ſubſiſtere poſſe. hac ſi noſtræ ſcholæ accuratius paulo illuſtratæ fuiſſent, recens concrepantibus ſuas hæreſes *Luthero*, ac *Caluino*, e veſtigio ſane omnis eorum dogmatũ fœda ac gracilis ſpuma fuiſſet a noſtris diſſipata. non patiuntur proinde hæretici regnare in ſuis ſcholis hanc reginam ſcientiarum: ex quo nihil adeo apud nos exhorrent, quam eam, inſtar ferri, ingenti impetu allidendam ad ipſorum aëreas nugas, vaniſſimaque dementati cerebri ad miſerã plebeculam commenta. Cæterum de hoc poſtea.

Plato dial. 3 de legib.

3. Regum. 12

Leunclau. Hiſt. Turcic. Septem. Caſtren. de Origin Turc. Cuſpin. de orig. Turc.

12 Quod ſi porro ignorantia ciuium intelligentias ſemel oppreſſerit, duce ac lumine deſtiterit, in eis voluntas, ad innatam indolem, qua appetendo, qua iraſcendo, conſequenter bruteſcet. quid enim aliud facerent, cum in incognitũ nulla ſit hominis progreſſio? bene idcirco de ciuilibus moribus meriti, qui olim academias extruxerunt, qui rationes aſſequẽdi diſcipilinas earum alumnis præſcripſerunt: qui honorarios graduum titulos eiſdem propoſuerunt, quibus ad ſtudia ingenuarum artium vehementius academici iuuarentur, ſimulque incitarentur. At de hac re alias ſatius viſi diſputaſſe, ac poſtea de eadem aliquid explicatius dicturi.

CAPVT

CAPVT. III.

Ciuilitatum, atque morum Sanctimoniam, quas vnius Dei agnitio ſtatuit inter ciues, de pluribus Diis, aut rerum Auctoribus opinio labeſactat.

DIctu & obſeruatu mirum, quanto artificio vſus, humani generis hoſtis, quo nobis vnius Dei cognitionem eripiendo, credulitatem noſtram ei ereptã, in plures Deos, pluraque principia vage diſpergeret. Hoc enim pacto non ſolum ab illo vno depulit cognitionem noſtram, religionem, ſpem, & charitatem noſtram, haſce virtutes membratim in partes diuidendo, quin imo homines quaſi in tenebris palpitantes, & veritatem diuerſimode inquirentes, inter ſe reddidit plane pugnaces, ac in factiones diſpertitos. Quemadmodum vero luxuriantes ſegetum ariſtæ, in quandam deueniunt inanitatem, ita veterum temporibus plurium deorum ab eis ſuſceptæ ſententiæ, illos in ſenſũ atheiſmi inducebant. Apud illos fuit in cõfeſſo, vniuſcuiuſque gentis proprios eſſe Deos priuataſque religiones, eis a particularibus locorum genijs ſuaſos, vt *Iulianus* & *Symmachus* ſunt commentati. in quo more Romani plane effuſi & multiplices extitere, Deus incolas, indigites, ſuperos, inferoſque venerati. Non prius ciuitatem aliquam expugnabant, quam conceptis verbis ſibi redderent illius Deos ſibi fauorabiles, obſeſſis autem aduerſarios. haud raro inter eos viri fortiſſimi, in hoſtes præliaturi, ſeſe *Dijs Manibus*, ſeu infernalibus, deuouebãt: hoc eſt religionis Sacramento ſtatuebant, eiſdem Dijs inde ipſis factis propitijs, aut ſe victoriam de hoſte reportaturos, aut in pugna morituros: ſi non hoſtium armis vel ſuis oppetituros: quod tres *Decios* præſtitiſſe, teſtatur *Cicero*. de *Publio Decio* conſule in *Samnites* pugnante, hæc *Plinius*: *Cornu inclinante, exemplum patris imitatus, aduocato M. Liuio Pontifice, haſtæ inſiſtens, ſe & hoſtes Diis Manibus deuouit*. Cæterum hac a prudentioribus tunc temporis inſpecta Deorũ turba, plane contrarijs conſilijs in factiones diſpertita, eis inde iniecta ſuſpicio, nullos prorſus eſſe Deos, ſed ſolum in fauorem ciuilitatis a *Cecropide* Athenienſi, & a *Numa* Romano vniuerſos excogitatos, atque in opinionem vulgi inductos, quod & *Plinius* admonuit. hoc ſapienter adnotaſſe viſus *Aurelius Prudentius*.

Cicer. lib. 3. cont. Iul. Symmac. pro. 3 et Relig.
Alex. Neapol. lib. 5. cap. 2 4.
Cicer. lib. 1. Quæſt. Tuſcul.
Plin. de vir. Ill. cap. 27.
Plin. lib. 2. cap. 7.
Prud. lib. 2. cont. Sym.

Hic putat eſſe Deum nullum, namque omnia verti
Caſibus, & nullo ſub Præſide ſacta rotari.
Hoc iter haudquaquam magno diſcrimine diſtat
Hiſce viis, quas vos teritis, qui Numina multa,
Et portenta Deum ſummum numeroſa putatis.
Simplicis ergo via dux eſt Deus; ille per vnam
Ire iubet mortale genus, quam dirigis ipſe,
Sublimem dextro celſa ad faſtigia cliuo.

Hanc vero ſimplicem viam ſapientiæ & pietatis ideo illi priſci haud nouere, quod omnium ex nihilo creationem: ex cuius notione colligerent vnum eſſe Deum, adeoque infinitum, aut ignorarunt, aut eam, ſuos Phyſicos ſequuti, inficiati. deficientes ergo a cognitione vnius Dei, ad multos ſe recepere: hique multi eoſdem ſubinde in atheiſmum adegere. *Ariſtoteles* de hac re commentatus, duos ordines Numinum conſtituit, naturales nempe Deos & fabuloſos. Naturales vult illos, quos natura ipſa in homine videtur inueſtigaſſe ac cogitando deprehendiſſe: veluti elementa, ſtellas, ſolem, lunam, intelligentias, ſubſtantias immateriales, incorruptibiles, cœlorumque motrices, viſæ enim cum eximijs formis præditæ, tum humano generi plurimum beneficæ. Fabuloſos ſtatuit, quos *Cecrops*, dynaſta Athenienſis, & poſt ipſum Poëtæ, ad imponendum populis graues religiones, excogitarunt: vtpote *Saturnum, Iouem. Cœlum, Apollinem, Martem, Venerem, Dianam, Plutonem, Herculem, Mercurium, Apollinem*, ac reliquam turbam fictitium Deorum, de quibus *Heſiodus*. Verum quidem eſt, Poëtas, naturas ipſas rerum primum inſpicientes, ſubinde ad Philoſophiæ cuiuſdam normam, ad eas ſymbolice & hiſtorice explicandas, figmenta ſua excogitaſſe. *Videtiſne igitur*, inquit *Cicero*, *vt a Phyſicis rebus bene, atque vtiliter inuentis, tracta ratio ſit ad commentitios ac fictitios Deos?* Duo autem præcipue hanc deorum pluralitatem inter mortales extulere: infirmitas nempe humanæ mentis, ſimul ac Poëtarum argutum ingenium. Ex priori admirati magnitudines eorum, quæ natura conſtant, iuxta ac eorumdem experti beneficia, vtpote Genios, ſtellas, planetas, elementa, in animos induxere credere, quod numina eſſent ac dij hominum ſtudijs præfecti.

Ariſt. 12. Metaph. cap. 4. Text. 30.
Lucret. lib. 1
Cicer. lib. 2. de Natu. Deor.
Auguſt. lib. 7. Ciu. cap. 15

Quicquid humus, pelagus, cælum, mirabile gignunt,
Id duxere Deos, vt colles, flumina, flammas.

Prudent. lib. 1 cont. Sym.

Mox Poëtæ vates haberi voluere, quippe a dijs edocti, vt ſcribit *Plato*: qui mentiendo, dulciaque carmina ſcribendo, in cultum plurium deorum omnes ferme mortales adduxere. *O facunda potens Græcia*, exclamat *Mamertinus*, *omnium tuorum Principum geſta in maius extollere ſola potuiſti, ſola factorum glorias ad verborum copiam extuliſti! Tu nauem vnam propter aurati velleris furtum, & virginis raptum, in cælum vſque ſublatum, ſyderibus conſecraſti. Tu puerum, inuentorem ſerendi, draconum alitum curru volantem, ſemina in terras ſparſiſſe iactaſti.* ſimile quid, quod de cratere *Ganymedis* inter ſtellas luſere, quod de *Berecinthiæ* coma in cœlo cecinit *Callimachus*.

Plato lib. 10 de Repub.
Mamertin in Panegyr. Iullian.
Calim. de coma. Berecinth.

Continuata locis tria ſydera Coruus & anguis,
Et medius crater inter vtrumque latet.
Quid imprecabor officinis Græciæ,
Quæ condiderunt gentibus ſtultos Deos!

Ouid. lib. 2. Faſtor. Prudent. lib. 2 cont. Sym.

Poëtæ in hoc idcirco gloriari, quod nouos Deos ſuis cantibus creare potuerint.

Dii quoque carminibus, ſi fas eſt dicere, fiunt.
Illa Deos omnes (longum eſt numerare) creauit.

Ouid. lib. 4. de Pont. li. 4 Faſtor.

Equidem facile crederem, Deum valde offenſum fuiſſe in Poëtas, qui plures Deos, ſeu vnius Dei virtutem, per diuerſorum Deorum fictas fabulas & commenta, diſtraxere. etenim ſceleris & impietatis incurij, poemata ſua componentes, non aliud ipſis in votis fuit, quam dulce-

dine cantus populi ingenijs applaudere, & ea, quæ apud ipſos in humanis in admiratione erant, transferre ad Deos ſuos illuſtrandos. Quod cum fecerint, cum ſumma iniuria in Deum, ſimulque gentium auocatione a cultu vnius Dei, tum æquum æſtimare, illos, hac vita exacta, in grauiſſimas inferni pœnas merito incurriſſe. De qua re hæc ſcribit *Lilius Gyraldus*.

Gel. de poet. Hiſt. Dial. 2.

Pythagoram ſcribit Philoſophus Hieronymus, cum ad inferos deſcendiſſet, Heſiodi animam vidiſſe ad columnam aream ſuſpenſam, adſtrictamque adeo vt ſtridere videretur: & cum ea Homeri quoque animam ſerpentibus vndique cinctam: ea videlicet ſolummodo cauſa, quod de Diis falſa ſuis Carminibus confinxiſſent.

Prud. lib. 2. cont. Sym.

Idola conflauit fallendi docta poteſtas.

3. Vniuerſaliſſime quidem per genus humanum vagata æſtimatio de Genijs, tanquam Numinibus: quæ eos etiam populos obtinuit, ad quos figmenta Græcanica numquam peruenere, vt hodierna die conſtat ex Indis, & Americanis idololatris: qui geniorum imagines licet horrendas, pro ſacris ſignis habent in ſuis lararijs, adeoque eas deinde circumgeſtāt veſtibus appenſas, vt narrat *Oſandar*. Imo Græcorum atque Latinorum impiam hac ex parte cupiditatem non expleuit fabuloſorum duntaxat Numinum cultus, quinimo ad genios quoque petuaſit, vt ex *Plutarcho* liquet, eorum religiones plurimum etiam ipſo hominibus ſuadente.

Oſand. lib. Nauigat.

Plut. de Soc. Dæm. de def. orac. de Iſid. & oſir.

Arno. lib. 3. cont. Gent.

De Romanis autem hæc retulit *Arnobius: Solebant Romani Deos omnes vrbium ſuperatarum partim priuatim per familias, partim publice conſecrare. ac ne aliquis Deorum multitudine, aut ignorantia præteriretur, breuitatis & compendii cauſa, vno Nomine cunctos Nouenſiles inuocabant.*

4. Imo qui vnum Deum faſſi, etiam ex Philoſophis, ij nihilominus plurium deorum idololatriam ſimul profeſſi. Etenim multi vnum Deum agnouere, qui tamen quorumdam actuum neceſsitatibus, in diuinam eſſentiam coëuntibus, eum adſtrinxere, vt notat *Plutarchus*. Ita vt nihil extra ſe vnquam egerit, aut intellexerit: cogitari enim non poteſt dicebant, Deum eodem, quo Deus, adigi neceſſario ad munus aliquod circa ea, quæ Deus non ſunt. Ex quo apud eos conſequens erat, cœlum, elementa, ſpiritu animata, genios aërios ac terreſtres, ſeu infernales, eſſe a ſeipſis; hominum naturis, vtpote earum cauſis, præſtare ac res ad eos ſpectantes ſuo quodā imperio obire: proinde ab homine tanquam Deos coli potuiſſe ac debuiſſe, ab illis veteribus hoc pacto deducebatur. In hanc Theologiam, idololatriam complectentem, & ei conſentientem, propenſa admodum, meo iudicio, *Ariſtotelis* Philoſophia. nam quod omnium a Deo creationem ex nihilo ignorauerit, nil vetat cum vno Deo principali, plures Deos, qui a ſeipſis orti, iuxta ac multiplicem eorum idololatriam, conſiſtere. *Hic vero* ait *Cicero, Quanta pugna eſt doctiſſimorum hominum negantium, hæc eſſe a Diis immortalibus conſtituta?* id extitiſſe olim idolatriæ fontē exiſtimarem. ob quam cauſam, non ſunt culpati illi priſci Iudæos, quod vnum Deum conſtituerint, ſed potius quod contra eius naturam, ac neceſsitatem

Plut. de Hō.

Virg. Æn. 6

Greg. Naz. orat. 1. de Theol.

Cic. li. 2. de diuin.

perfectionis, prouidentiam ipſius, cum iniuria etiam aliorum deorum, ad omnium rerum procurationes deduxerint; quod ex *Iuliano* quoque, teſte *Gregorio Nazianzeno*, nobis innoteſcere poteſt. affirmat enim, Deum fore ſua prouidentia crudelem, & nimium pro ſua innata bonitate irarum, ſi ea omnia perficeret, quæ ei, vtpote auctori, vetus teſtamentum adſcribit. At vero immanem hunc errorem paucis verbis, vt notat *Iuſtinus Martyr*, eliminauit *Moyſes*: *In principio creauit Deus cælum & terram.*

Greg. Naz. orat. 2. in Iuli. Cir. l. 1. in Iulian.

Iuſt. l. 1. cōt. Gen.

5. Cumque Deus inter omnia maxime vnus, tum eodem maxime diuiſus ab omnibus alijs & maxime in ſe indiuiſus: hæc enim duo a ſumma in ipſo vnitate proueniunt. quod ad prius, catenus Deus a reliquis diuiſus, quatenus ipſe ſolus infinitus, reliqua omnia finita: quatenus ipſe a ſe ſolo, reliqua ab ipſo, tanquam effectus a cauſa & principio. ex quo liquet, hanc Dei vnitatem, quam ex opere creationis *Moyſes* indicauit, omnino ex diametro cum idololatria, cum omni ſculptibili, quod pro Deo habeatur, aut colatur, pugnare. ita idcirco Deus in ſe vnus, vt eodem ſumme ſimplex, & ſua ſimplicitate perfectiſsimus; adeo vt nihil cogitari a nobis poterit, ne dum in vltimis rerum differentijs, Deo ſimplicius aut longius ab vnitatis indiuiſione recedens. Hoc egregie tractauit aliquando *S. Bernardus*, contra eos diſſerens, qui in Deo præter trium perſonalitatū diſcretiones, aliam diuiſionem fatebantur, qua, vt ipſe loquitur, *Quaternitas* quædam ſtatuitur. nam dixere, præter characteres perſonales, diſtingui in Deo *Eſſentiam diuinam*, & *habentem eſſentiam*: nempe in eodem diſtingui diuinitatem non multiplicabilem numero, ab hypoſtaſibus, numero ternario multiplicatis. hoſce autem omnino redarguit, vtpote diuinæ perfectionis & vnitatis inficiatores: quandoquidem id quod prorſus impartibile, eo omni perfectius, quod in plura partitur. quod ergo omnimodo impartibile, id Deo adſcribendum. Deinde ſciſcitatur ab eis, num omnia, in Deo ex æquo partita, an tantūmodo aliqua? ſi omnia, tunc ſequetur, dicit, in Deo nō ſolū reperiri *Quaternitatem*, ſed etiā *Centenitatē*: & reuera partiū ſeu particularitatū infinities infinitum numerū. ſin dicant, aliqua partita, non omnia: tunc fateri debent, reperiri in Deo perfectiſſimum & minus perfectum. *Vere iudicio*, ait, *natura ſimplex multiplici anteferatur. ſeuerius loquor, ne a quidem, qui vel duplex eſt, erit Deus meus: habeo enim meliorem.* porro ſine diuinitatis partitione & plurium Deorum aſſertione, affirmat, perſonalitatibus exceptis, numerum in Deo adſtrui non poſſe: *Non eſt ergo in Deo, niſi Deus. Quid? inquiunt, Negat Deum habere Diuinitatem? Non: ſed quod habet, hoc eſt. Negas diuinitatem Deum eſſe? Non: ſed non alia quam qua ipſe eſt. Dicimus magnum, bonum, iuſtum, & innumera talia: ſed niſi omnia vnum in Deo & cum Deo conſideres, habebis multiplicem Deum. Tam ſimplex Deus, quam vnus eſt etiam ſibi: hoc vero vnum, in quo nullus eſt numerus.* Videat itaque quomodo iſtis conſentiant, qui in Deo deſignant numerū numeratum, ſeu numerum obiectiuum *Formalitatum* vel *Virtualitatum*. ob hanc cauſam

Exod. 20

Bern. l. 5. de conſiderat.

Boet. lib. 4. Conſol. Proſ. 6.

ſam *Boetius* aſſerit mobiles eſſe rerum cauſas, *Ad prouidentiæ ſtabilem ſimplicitatem*. et cum abadſtruendo numero, extra tres perſonalitates in Deo, abhorreat animus *S. Bernardi*, inde ingenue fatetur, ſe non poſſe in hac vita rationem explicare, quare eſſentia diuina ſit tribus perſonis communis, non vero trium perſonarum hypoſtaſes.

6. Quod autem attinet ad Numina aſpectabilia, Auſtrales, apud quos ſol curſu diuturnior, radio potentior tam ad cōmodum quam etiam ad incommodum ipſorum, primario pro Deo eundem ſolem habuere. Septentrionales vero, quibus luna ſupra horizontē ipſorum, noctium longitudine familiarior, ſimul ac quo ad effectus vehementior, eamdem excellenti cultu tanquam Deam proſequuti. Denique haud pauci, abnuentes naturæ membra, tanquam numina ſuſpicere, cum *Heſiodo*, fatum ac fortunam ex omnium contextu ac ſerie propagata, Deos apud ſe reputare dumtaxat voluerunt.

Heſiod. lib. 5 oper. & dier.

7. Ad hanc ipſam diſſipationem humanarum mentium, deitatem quaquauerſum perſequentium, plurimum etiam cōtulit de duobus Principiis rerum ſuſcepta opinio: quæ etiam quam longiſſimè per hominum ſenſus & iudicia, vbique diffuſa imperauit. *Fide firma & indelebili*, inquit *Plutarchus*, *etiam in myſterijs tam Græcanicis quam barbaris receptum dogma, neque caſu ferri & a fortuna pendere vniuerſum, mente ratione, ac gubernatore deſtitutum: neque vnicam eſſe rationem quæ contineat id & dirigat tanquam clauum aut fræna moderans. ſed cum permulta e bonis iuxta maliſque ſint confuſa; imo nihil hac natura ſincerum, vt verbo dicam, proferat, non eſſe vnum aliquem promum, qui e duobus dolijs res nobis veluti aliquem liquorem, cauponis in morem diſtribuat atque miſceat. Ergo a duobus Principiis contrariis, aduerſiſque duabus facultatibus, quarum altera ad dexteram, & recta ducat, altera retorſum auertat atque reflectat, cum vitam eſſe mixtam, tum ipſum mundum: ſi non vniuerſum, eum ſaltem, qui ad terram eſt, & lunæ ſubiacet, inæqualiter ferri, variiſque & omnis generis motibus agitari.* horum duorum Principiorum aſſertoribus applauſere *Marcion* & *Manichæus* hæretici, in hoc conſtituentes beneficium incarnationis Chriſti Domini, quod ipſe mali Principij vires debilitando, boni Principium ad imperium ferme extulerit.

Heſiod, lib. 6. oper. & dier.

Prudent. Hamartin.

Vnus eis triſtis reſidet ſublimis in arce
Auctor nequitiæ, ſcelerum Deus, aſper, iniquus,
Qui quodcumque malum vitioſo ſeruet in orbe.
Seuit, & anguineo medicans noua ſemina ſucco,
Rerum principium mortis de ſemine traxit.
Ipſe opifex mundi, terram, mare, ſydera fecit,
Condidit ipſe hominem, luculenta & membra coegit,
Effigians, quod morbus edat, quod crimine multo
Sordeat, inferni tumulus quod tabe reſoluat.
Aſt alii pietatis amor, placidumque medendi
Ingenium, recreans homines, mortalia ſeruans.
Teſtamenta duo fluxerunt, principe vtroque:
Tradidit iſte nouum melior, vetus illud acerbus.

8. Ac quaſi iſta non facerent ſatis ad. diſtractionem animorum, diuinitatem inueſtigantium, acceſſere paraſiti, qui principes ſuos, ſeu ſuperſtites, ſeu vita functos, inter Deos collocarunt. qua in re *Plinius ſecundus* ita modum exceſſit, vt *Traianum*, funere elatum omnibus plane Dijs prætulerit. *Ciuitas*, inquit, *religionibus dedita, Deorum indulgentiam pie merita, nihil felicitati ſuæ putat reſtare poſſe, niſi vt Cæſarem imitetur.* In eandem ſententiam *Mamertinus* auribus *Maximini* & *Diocletiani* iſtis lenocinatus. *Itaque illud, quod de Ioue verſu cecinit Poëta Romanus, plena Iouis omnia eſſe, id ſcilicet animo contemplatus, quoniam ipſe Iupiter ſummum cæli verticem teneat, ſupra nubila, ſupraque ventos ſedens in luce perpetua, numen tamen eius & mentem totam infuſam eſſe mundo: idem nunc ego de vtroque veſtrum audeo prædicare, vbicumque ſitis, in vnum licet palatium conceſſeritis, diuinitatem veſtrā vbique verſari, omnes terras, omniaque maria plena eſſe veſtri.* Deinde eiſdem adſcribit, quod aura ſalubris afflet, quod terra fructus edat, quod res mortalium proſpere ſuccedant.

Plin. Panagyr. Traian.

Mamertin. in Geneth. Maximi.

——————*Nunc magni vocat exorabile numen Cæſaris.*

Papin. lib. 5. Siluar.

Cogitarunt quidam viri politici, ſpoliantes hoc pacto Deum ſua dignitate, eamque in principes iniquiſſime conferentes, eorum ſtatus apud plebem firmius inde ſtabiliri: quaſi ipſis, vel omne genus tyrannidis in eos effundentibus, reſiſtere, proinde eſſet infauſtum ac impium, atque in ipſos Deos arma nefarie Titanum aut Thracum ritu intentare. Cæterum quam hæc dogmata, cum noſtris collata, a morum ciuilitate diſcordent, iam videbimus.

9. Duo ſunt, quæ vitam ciuilem in ſe vel maxime continent, actionis ſcilicet honeſtas, ſimul ac ordo cōcordiæ, inter ciues firmiter cōtextæ: quæ ſicut in vno Deo a nobis agnito ad noſtram imitationē elucent, ac quodammodo nos inſtruunt, ita ad vitæ oppoſitā barbariem, eis contraria in pluribus Dijs facile cōſpiciuntur. Eo ipſo, quo non niſi vnicum Deum eſſe poſſe definimus, eodem, propter infinitam eiuſdem perfectionem, omne illud ambientem, quod in vniuerſo genere entis abſolutum ac ſummum, eminentiſſime amabilem iudicamus. Et cum natura iudice, noſtrum ſit, Deum, auctorem vitæ actione imitari, inde officium apud nos ciuile præſtantius, altiuſque apparet, quo talem infinitum & vnum Deum exemplar nobis obiectum, perfectius æſtimamus. hinc affirmat *S. Gregorius Nazianſenus*, ad omnes homines ſpectare, ex intuitu vnius Dei inchoare, quod in actionem ſuſcipiunt, & in eodem, operatione defunctos, acquieſcere. *Omnia*, inquit *S. Auguſtinus, quæ appetunt vnitatem, hanc habent regulam, vel formam, vel exemplum. Conditor legum*, ait *idem*, *ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum eſt.* Hanc vero perfectionem vnitatis contemplari nequiuere ethnici in ſuis Dijs, ſeu genijs, ſeu ſtellis, ſeu elementis, ſeu heroibus, ita numero diſcretis: animaduertere enim horū omnes perfectiones limitatas eſſe, reſtrictaſq;, neque poſſe ſingulorum in vnum coalitas exæquare illius vnius perfectionem, qui infinitate ſua Deus & eodem vnus. proinde deficientes hoc ritu, quo ad actionum ſuarum idæas, regulas, & incitamenta, nobis comparati, ad eā vim

Greg. Nazian. Apoſt. 1.

Auguſti. lib. de ver. Relig. cap. 31. & Ciu. Cap. 9.

& excellentiam ipſorum conatus pertingere haud valuere, ad quam noſtra ſtudia, vnius Dei cognitione inſtituta, ac prouocata, adſpirant. Porro cum Dei timor, vt iam ſatis dictũ, egregium ſit Ciuilitatis inſtrumentum, quandoquidem illi ethnici non niſi limitata, quo ad poteſtatem numina ſuſpexere, illa eo gradu reuerentiæ timere non potuerunt ſeorſim, vt nos vnum Deum Omnipotentem venerantes: conſequens, æſtimationem noſtram multis gradibus eſſe ciuiliorem.

50. Dum etiam vnius Dei agnitio homines non iſtius aut alterius prouinciæ, ſed totum genus humanum vndiquaque diſperſum, reuocat ad vnum commune principium ac finem, eo omnino ciuilis habenda. Quid enim ad concordiam ac mutuam charitatem in vniuerſi iſtius ciuitate ſeruandas hac cogitatione efficacius? Cuius inſpectu vt ciues videmnt vnius ciuitatis, ita nobis etiam commendari intuemur regimen monarchicum, quod in hoc genere imperij nobiliſſimum. *Non eſt bonum*, inquit *Ariſtoteles, pluralitas principatuum: Vnus ergo princeps. Rex vnus apibus* ait *Arnobius*, *dux vnus gregibus, in armentis rector vnus. Tu in cælo ſummam poteſtatem diuidi credas, & ſcindi veri illius ac diuini imperij totam poteſtatẽ, cum palã ſit, parentem omnium Deum, nec principiũ habere, nec terminum?* Hoc pacto Deus ſui vnitate mundũ ad vnitatẽ reduxit. deinde vnitate imperij Romani, eiuſdẽ mũdi vnitati cõſuluit. poſtea vnitate filij ſui in carne, eundẽ vnitate copulauit. poſtremo vnitate ſui Apoſtoli *Petri*, & eius ſucceſſorum, ex mundo vniuerſo vnam familiam condidit. Ab hac vnius Dei notione collapſum varijs erroribus genus humanum, inde ab exacta ciuilitatis norma ad barbariem defecit. Etenim a Deo vero diuiſi, ac ad varia idola diſperſi homines, a ſeipſis quoque diſcordes, ac ſibimet diſſimiles, ſeditioſe, hoſtiliter, ac rigide eodem diſceſſere.

Boet. de cõſol. Prof. 5.
Ariſt. 12 Metaph. Text. 55. Arnob. lib. 8.

Pallada Cecropidæ, Minoia Creta Dianam,
Vulcanum Ægypti terra Pilæa colit.
Iunonem Sparta, Pelopeiadeſque Mycenæ,
Pennigerum Fauni Manalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat, quia præſidet armis,
Arma feræ genti remque decuſque dabant.

Ouid. lib. 3. Faſtor.

Enimuero ad ingenia horum deorum, homines illos colentes, in partes hoſtiles pariter abiere. noluit *Saturnus* coli *Iouem*, quod ipſum e cœlo impie deturbaſſet, vt refert *S. Auguſtinus*. *Quæ porro*, inquit, *præcepta concordiæ in ſuis templis vnquam legenda cenſuerunt, quandoquidem miſeri quærere cogebantur, quonam modo ſine offenſione cuiuſdam, diſcordes inter ſe Deos ſuos colere poſſent?*

Auguſtin. li. de Conſen. Euangeliſt. cap. 25. Epi.

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.

Iunonis fuere voces, eius conſilia repellentibus Dijs,

——— *Fatis contraria noſtris,*
Fata phrygum.

Virgill. Æneid. 7.

Similia quæ *Turnus* ad manes protulit:

——— *Vos o mihi manes*
Eſte boni: quoniam ſuperis auerſa voluntas.

Virgil. Æneid. 12.

Imo hæc numina adeo inter ſe diſſidentia habebantur, vti hoſtes inter ſpolia gentis alicuius, reputarint penatum direptionem, & earum ad lares proprios tranſlationem: veluti in parte victoriæ & triumphi cenſerentur; ſcilicet,

Spargereque alterna communes cæde Penates,
Et ferre ad patrios præmia dira lares.

Propert. lib. 2. Eleg. 30.

At diſcutiamus, ſi placet, peculiaria numina culta a gentilitate, vt morum ciuilitatem inde prouenientem melius expendamus ac diiudicemus.

51. Genij, quos tanquã Deos ſuſpexere veteres, turbidis paſſionibus, vt notant *Lactantius* & *S. Auguſtinus*, prorſus obnoxij; vtpote libidini & iræ impotenter ſeruientes. Quorũ proinde ſacra, ad idæas in ipſis ingeniorum, omnino impura, horrendaque: iuxta ac monita ab illis data, ad cuncta vitia miſeros homines vrgebant. De genijs, in factiones diſtributis, apud omnea ferme nationes inualuit æſtimatio. hinc vt certa fama accepi, Hiſpanis & Hollandis nauali prælio in conſpectu Orientalium Indorum pugnantibus, dicere ſolent Indiani: *Experiemur iam, cuiuſnam gentis fortior exiſtat genius.* Romani, quod Genij penates eſſent in domeſticos mites, in externos vero truces, caninis ideo pellibus eorum ſtatuas in larario induebant, vt *Pierius* refert:

Lactant. lib. Inſt. Augu. lib. 8 Ciui. Plutarch. li. de ſuperſtit.
Pier. Vetb. Canis

Exagitant & lar, & turba Diania fures,
Peruigilantque lares, peruigilantque canes.

Ouid lib. 5. Faſtor.

Qui didicit adorare, inquit *Cyrillus*, *peſſimis omnibus irretitos, quis poſtea futurus ſit, dicere prætermitto.*

Cyrill. lib. 5 con. Iulian.

Perniciem veneratur homo, colit ipſe cruentum
Carnificem, gladiique aciem iugulandus adorat.

Pruden. Hã.

52 Cœli ſtructura & ornamenta, vniuerſi itidem iſtius elementa, pro numinibus olim habita, quid, præcor, benificii, quo ad morum ciuilitatem, hominibus largiri potuere? Cœlum nunc infeſtum terræ, nunc placidum eidem, pro Deo habitum, morum mutabilitatem ciuibus, ſtudiorumque diſcrepantias, inde commendauit. qui *Dianam* in Borealibus plagis venerabantur, in omnem extitere truculentiam exaſperati: *Diana* enim armata in cædem videbatur. qui Solem ſeu *Apollinem* vt numen intuiti, habitantes prope æquatorem, ij in libidines mirum in modum eo ardente exarſere: quibus ſane nullum remediũ contra malos mores a luna, aut Sole numinibus, ſed id beneficij ab vno Deo agnoſcendo, & inuocando, quo moribus miteſcerent, & eorum puritate eniteſcerent, expectandum ab illis fuit. Finxit *Homerus*, teſte *Macrobio*, *Iouem* cum reliquis Dijs: nempe Solẽ cum ſtellis profectum ad oceanũ, Æthiopibus eum ad epulas inuitantibus. cuius figmenti hanc ſententiam eſſe putauit *Macrobius*. exiſtimat itaque ſtellas & planetas, eſſe veluti totidem igneas lãmpades, ſenſu & animis præditas: & vt lampas humido calidoque nutritur, ita ſtatuit ſtellas ſuo natiuo calore lambere quaſi ingentem vim humoris, quam circa æquatorem ſurſum emittit oceanus, eaq́; veluti eſca ſuſtentari. ex quo deſcendere arbitratur viciſſitudines exuſtionum & inundationum, quibus ex hiſtorijs conſtat, mundum hunc fuiſſe aliquoties vexatum: ſcilicet calore cœleſti modo abundante fieri exuſtiones, humore vero oceani nimium ſubinde creſcẽte, eluuiones exiſtere. cæterum conſtat, Æthiopum regiones aqua oceani ac terreſtri abundare quidem, at non vt inde pabulum ſoli & ſtellis miniſtretur,

Homer. Iliad. 1. Macrob. lib. 2. in ſom. Scip. cap. 10. lib. 1. Satur. ca. 23.

ſed vt ibi locus ſit commodior ex diuina prouidentia animantium vitis & neceſſitatibus.

Claudian. Epg. de Nil

Sub torrente plaga, ne terras diſsipet ignis,
Nilus adeſt mundo, contraque incenſa leonis
Ora tumet, cancroque ſuam torrente Sienem,
Imploratus adeſt, ne campos liberet vndis,
Donec in autumnum declinet Phœbus & vmbras
Extendat Meroe.

Quod ſi eo ſenſu *Iupiter* ad conuiuium ſibi ab Æthiopis inſtructum peruenit, quo *Homerus* & *Macrobius* iudicarunt, cur ſuo radio conuiuas ſemi ſtultos effecit, eis ſpiritus vitales exhauriendo, ita vt iam noſtri *Hercules* nauigatorij Luſitani & Hiſpani, eos facili opere debellarint, auteaque *Heſperidum* poma cum libertate, eiſdem eripuerint? certe *Iouis* epulones in capitolio Romano, longe maioribus ingenij beneficiis fuere ab eo affecti. De elementis ſimile eſt prorſus iudicium. horum enim naturæ omnino contrariæ & pugnaces cernuntur: quæ proinde tranquillorum morum auctores aut exemplaria ciuibus commode eſſe nequeunt.

Alex. Neapol. lib. 3. Gen. Dier. cap. 16.

13 Fabuloſa autem numina apertiſſime barbariei patrocinabantur. eorum enim proſapia luxurioſa, inceſta, iniuſta: eorumque res geſtæ, vel teſtibus Poëtis, plane turpiſſimæ. *Quis eſt enim mortalium*, ait *Arnobius*, *tam impudicis moribus inſtitutus, quem non ad huiuſmodi furias deorum documenta prociteut? aut quis ſuas comprimere cupiditates a cognatis valeat, reuerendiſque perſonis, cum apud ſuperos ſanctum nihil in libidinum videat confuſione ſeruandum?* nec veretur *Ariſtoteles* affirmare, *Diis permiſſam laſciuiam*. Cæterum *Seneca*, *Plinius*, & *Ioſephus* recte definiunt, idem eſſe ad vitia ciues incendere, quod vitiorum auctores affirmare Deos. Quis enim id non libenter peraget, quod ſancte veneratur in numine, & quod colit? Inciuilis ergo hac ex parte veterum de diis cogitatio. qualia precor animorum iuxta ac corporum ex fœda libidine incendia procurarunt Deorum cogitatæ a mortalibus libidines!

Arnob. lib. 5. con. Gēt.

Ariſt. lib. 4. pol. cap. vlt. Seneca de vitæ breu. cap. 16 Plin. lib. 2. Hiſt. c. 7. Ioſeph. in prohem hiſtor. Augu. lib 1. conf. cap. 16.

Illic aſpicies ſcopulis hærere Sereret,
Et canere antiqui dulcia furta Iouis:
Vt Semele eſt combuſtus, vt eſt deperditus Io,
Denique vt ad Troia tecta volarit auis.
Quod ſi nemo exſtat, qui vicerit alitis arma;
Communis culpa cur reus vnus agor?

Propet. lib. 2. Eleg. 30.

Hinc *Lactantius* principium violatæ iuſtitiæ inter mortales reduxit ad Deorum ſibimet aduerſantium, aut mutuo diſſimilium multitudines. *Inde eſt quod ex eo tempore, quo multi Dii conſecrati ab hominibus colique caperunt, fugata eſt, ſicut Poëtæ aiunt, iuſtitia. ſic direptum eſt omne fœdus, direpta Societas iuris humani, cum ſibi quiſque conſulere, ius in viribus computare, nocere inuicem, fraudibus aggredi, dolo circumſcribere, commoda aliorum incommodis adaugere: non cognatis, non liberis, nec parentibus parcere, ad necem hominum pocula temperare, obſidere cum ferro vias, mare infeſtare, libidini autem, quo furor duxerit, fræna laxare, nihil denique ſancti habere, quod cupiditas infanda non violaret. Cum hæc fierent tum leges ſibi homines condiderunt pro vtilitate communi, vt ſe interim tutos ab iniuriis facerent. ſed metus legum non ſcelera comprimebat, ſed licentiam ſubmouebat. poterant enim leges delicta punire, conſcientiam non poterant. itaque quæ ante palam fiebant, clam fieri cœperunt.*

Lactan. Epit cap. 2.

14 Quæ vero Imperatoribus ac principibus a credulis attributa diuinitas, ea multis quidem nominibus extitit pariter inciuilis. Æſtimationem hanc primum peperere popularium adulandi immenſa libido, ſimulque ipſorum imperitantium portentoſa arrogantia, maximis licet ſceleribus coniuncta. quam impiæ voces *Apollinis* ad *Iulum* Troianum:

Virgil. Æneid. 7.

Diis genite, & geniture Deos.

Arnob. lib. 1 con Gent.

Tyrannos ac Reges veſtros, ait *Arnobius*, *qui poſtpoſito Deorum metu, donaria ſpoliant, populantur templa: qui proſcriptionibus, & ſuis cædibus nudant nobilitatibus ciuitates, qui matronarum pudorem, ac virginum vi ſubruunt atque eripiunt licentioſe, appellatis indigetes, & diuos. & quos odiis acrioribus conueniebat a vobis carpi, puluinaribus, aris, templis, atque alio inuocatu cultu ludorum, & celebritate natalium.* *Dicauit*, inquit Plinius, *Tiberius, Auguſtum, ſed vt maieſtatis nomen indueret: Claudium Nero, ſed vt irrideret: Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum: ſed ille vt Dei filius, hic vt frater videretur.* Imo vt idem recolit, eo dementiæ proceſsit *Domitianus*, vti inter Deos viliſsimos quoſlibet, vt poſtea *Traianus Antinoum* è ſuis conſecrarit. *Demens ille, verique honoris ignorans, qui crimina maieſtatis in arma colligebat, ſe deſpici & contemni, niſi etiam gladiatores eius veneremur! ſibi male dici, in illis ſuam diuinitatem, ſuum numen violari interpretabatur, qui ſe idem quod Deos, idem gladiatores, quod ſe putabat.* quis neſcit, auſum hunc ex parte regnantium eſſe ſumme ſuperbum, pariter vectigalium reſpectu, prorſus tyrannicum? cum enim deberent, principes ſibi hoc officij præſtituere, vt alijs in republica virtute præcellerent, illo omiſſo, opinione adeptæ diuinitatis ita ſatiantur, ſic inflantur, vt ſuam aſſertam diuinitatem ritu plane barbarico per omnia vitia liberrime traducant. Egregie proinde, etiam quantum ad ciuilitatem, principes Chriſtus Dominus inſtituit, eos ad humilitatem, cum ſuæ regiæ perſonæ exemplo, tum doctrinæ argumento, erudiendo. Contra vero principes opinione ſuæ diuinitatis turgeſcentes, incidere ſolent in graues Dei iras, vt etiam *Plutarchus* aduertit, eoque grauiores, quo a reliquis hominum vindictis ſecuriores conſiſtunt. Horrendum enim incidere in manus Dei viuentis. Immane ſcelus, vt ait *Minutius Felix*, *non tam in fidem numinis, quam nunquam apud cordates ſibi poterunt conciliare, quam ad honorem emeritæ poteſtatis*, diuinitatis faſtigium, Deo illudendo, ſuumque ius illi adimendo, barbarice arrogare. potius ipſis fuerit, ad proſpectum in diuinum tribunal trepidare, rationem tam ardui officij ibi quandoque reddituris: ad viſum Dei manus, ſub qua collocantur, humiliari & animis eſſe quam moderatiſſimis.

Plin. In pangy. Traian

Arnob. lib. 1 cont. Gent.

Plutarch. li. de Iſid. & oſir.

Minut Fœl. in octau.

15 Ob quā cauſam prudentes ac ciuiles principes

cipes ſe ac ſtatus ſuos ad Deum referentes tru-
tinandos æquæ rationis lance, omnem faſtum,
Boet. de cõ. ne dum diuinitatis in ſe ſenſum a ſe abijciunt. a-
ſol. proſ. 6. nimaduertunt terrã hanc: ſi vniuerſæ quis eo-
rũ dominaretur, nihilominus comparatione cœ-
li vix puncti molẽ excedere; regiamque in ipſis
poteſtatem ne dum ſcintillam illius imperij,
quo Deus cunctis præfulget. Enimuero non
minus Imp. auguſtiſſimus, Dei eſt ſeruus ac mã-
Pſal. 2. 9. cipiũ, quam minimus inter ſubditos *Codrus*. Deo
dante ſpirat, Deo auferente, deficit, Deo adſpi-
rante ſperat, Deo ſe auertente turbatur, Deo ſe
conuertente lætatur, Deo decernente huc vſque
vitã extendit, in mortem iam incurrit, Deo pro-
uidente pro meritis fœlix, pro peccatis miſer. Nõ
eſt quod a Deo elatus ad imperium, ſuperbiat,
verſatur enim eo in maiori diſcrimine lapſus
ſempiterni, prouinciamque ei impoſitam habet
proferendi maiores virtutes, quã quæ a reliquis
expectantur. ita Deus in illo roſas cum ſpinis
contexuit, altum periculo, lucidum opaco tem-
perauit: ac quod ad vitæ negocia, ab aliis quan-
tumuis independentem Regem, a ſe tamen inter
omnes alios maxime pendentem effecit. Quam
ergo prudentes, quam ſancti, quam ciuiles Iu-
Ioan. cap. 3. Iob. 16. deorum reges, qui coram Deo ſaccis induti ac
cinere conſperſi apparuere? cum enim a Deo
nihil obtinere potuere coronæ ipſorum, ſacci,
cineres ac lamentationes, multa, eaque præclara,
ab eodem quodammodo extorſere. Eſt quod
limpidiſſima gemma, a ſole irradiata, eidem ap-
plaudat, neu fæces quærat quibus contaminetur,
neu angulos, in quibus obtenebretur. pari modo
Principes tot fulgoribus a Deo illuſtrari, corã illo
illius amantes, illius cultores, illius imitatores
continuo verſari debebunt: ne a ſuo ſole quan-
doque auerſi, ſuperbiæ & impietatis tenebris,
traditi, denigrentur, omniaque in ipſis lumina
excellentiæ extinguantur. Apud homines quidẽ
coronæ in admiratione ſunt, apud Deum vtpote
res paruæ neutiquã: ne principes inde putarẽt,
ſe minus Deo debere quam alii. ipſorum vero
ſacci & pulueres apud ipſum plurimum valent,
& in eius oculis amabilem ſui ſpeciem probant.
idcirco eſt quod Reges animarum ſuarum ne-
gocia tractantes cum Deo, coronas deponant,
ſaccos vero & cineres, ſcilicet miſerias ſuas, &
intimos cõſcientiæ dolores eius oculis obiiciant.
indicia hæc talium affectuũ ideo Deo placent,
quia eiuſmodi adfectus ei arident: aliorum au-
tem oſtentus, irritatio potius diuinæ maieſtatis:
quæ maieſtatem, virtute & humilitate priuatam,
contemnit, damnat, nec loco maieſtatis habet.
Apoc. 4. Quocirca ſi in cœlo principes honoris cauſa
coram Deo coronas depoſuere, quidni id face-
rent principes in terris verſati, quorum condicio
ad gradum inferior ac ad lapſum infirmior?
16 Denique duorum principiorũ aſſectores
a norma ciuilitatis in barbariem deflexi, ſimili-
ter aberrarunt. Vt enim hæc duo numina cogi-
tantur de imperio rerum inter ſe perpetuo con-
fligere, ita ciues in ſe mutuo rabidi erunt ea co-
lentes, vtique talia ſuæ vitæ exemplaria, adeo
Inuicem infeſta, aſpicientes: imo a ſeipſis inde
diſcrepabunt, cum alio & alio, imo prorſus con-
trario ritu, ab illis placanda bina illa principia
conſtiterint. Fœdum porro & inhoneſtum,
mali auctori ſupplicem ciuem eſſe, & illi pre-
ces impie porrigere. Prudent. cõ. Marcion.
Dum putat eſſe Deum, qui praua effinxerit olim,
Et qui recta itidem condens, induxerit, ambos.
Extinguit pariter hæc opinatio omnem dignã
apud ciues in vniuerſum diuinitatis æſtimatio-
nem. qualis enim Deus, boni auctor, qui a mali
propagatore in dies vexatur & opprimitur?
qualis etiam Deus, mali auctor, qui ad omnia
nefanda præcipitat ſuos cultores?
17 Ex iſtis liquet, antiquitus inter omnes
mortales hac ex parte maxime ciuiles extitiſſe
Iudæos, vnum Deum agnoſcentes. qui licet an-
gelos quoque ac ſanctos homines, quemadmo-
dum & nos, pie coluerint, nihil tamen inde ab
illis morum ciuilitati detractum, imo potius plu-
rimum collatum, vt poſtea dicetur. Colebant e-
nim illos non vt Deos, ſed vt Dei amicos, vt e-
ius gratiæ ſingularia receptacula & inſtrumen-
ta: vt concordes cum illo, eique ſubiectas, reti-
nentes voluntates. Ex quo etiam liquet, quam
moribus ciuilibus contrarium, parparã de diui-
na natura arbitrari: quandoquidem quod de illa
ſentitur, id illico ad hominum mores deſcendit.
Vt enim malum in radice arboris conceptum, ſe
ad ramos propagat, ita quod minus idonee
mortales de Deo cogitarint, id ad vniuerſos i-
pſorum mores peruadit. Merito idcirco *Cicero* Cicer lib. 1.
affirmauit, Stoicos, opinantes, Deum ſeipſo cõ- de Natu.
tentum, nihil exterius moliri, ciuilibus moribus Deor.
plurimum nocuiſſe. *Hæc oratio*, inquit, *non modo*
Deum ſpoliat motu & actione diuina, ſed etiam homi-
nes inertes efficit. Etenim planę inertes Stoici,
partim otioſum ſuum Numen imitati, partim vt
ex proprijs, abſque externis adminiculis, ſe com-
mode vitam inſtituere poſſe viderentur, magi-
ſtratuum munia, artium inuenta, amicorũ con-
ſilia, præcauendi mala induſtriam, depellendi
ſtudiũ, dogmatis inſtinctu a ſe abdicarunt. Cum
itaque ciuilitatem illius notionis iam oſtendi-
mus, quæ in vnum Deum recta intendit, iuxta
ac barbariem eorum declarauimus, qui plures
Deos poſuerunt, ſequitur agamus de vnius iſtius
Dei prouidentia: nonnulli enim plus iuſto, quã-
tum ad actionum humanarũ adminiſtrationes,
cœleſtibus corporibus deferentes, vt a ciuilitate,
ita a veritate viſi quoque eodem declinaſſe.

CAPVT IV.

Diuinationes Mathematicæ ſeu Genethliacæ, inciuiles.

HOminum literas profitentiũ non-
nulli, partim ſciendi curioſitate
allecti, partim prudentiæ expreſ-
ſiori, ſapientiæ, diuiniſque collu-
ſtrationibus diffiſi, cum aſtrolo-
gantur ipſi, tum Aſtrologis patulas credulaſque
aures adhibent, quo tandem veritatem, quã cu-
piunt addiſcere, breui compendio, pauciſſimiſ-
que verbis declaratã aſſequãtur. Etenim quod
laborioſum ac moleſtũ, continuo ad prudentiæ,
ſapientiæque ſolidioris rationes ſtudia exigere,
ſimulque ad excipiendas diuinas notiones, opus
vt quis ſit animo puro ac trãquillo, contentionũ
harum

harum pertæſi, mathematicas diſciplinas eaſque paucis complexas, haud longiori argumentorum ductu comprobandas, delegere ſibi acquirendas, quibus imbuti, ſtatim pronunctient, quid euenturum, quid ſecus, quid in actionē ſuſcipiendū, quid minus. Iſtiuſmodi ineſt opinatio, quod in ipſis cœlis, tanquam vaſtiſſimis tabulis, ſtellæ ac planetæ ita infigantur, vt ſuo mutuo concurſu earum ſpectatoribus indicent non ſolum futuros naturæ euentus, quinimo & eas hominum actiones, caſuſque, qui a libero ipſorum arbitrio profecturi: Denique omnia ferme diuinæ prouidentiæ effecta illis monſtrent, illorumque ſententias recte ipſis perpetuo interprætentur.

2 Hic videmus, cœli ſimili intuitu, non omnes pariter ad veritatem perueniſſe, ſed illos quidem in eam vtpote Dei cognitionem, alios autem in errores, eodem impegiſſe. quod ſi hoc pacto vel cœli luminibus nōnulli abuſi, quid mirum ſi in alijs veritatis inſtrumentis ac literis, prauitate eorum operam obliquāte, aliqui ſimiliter hallucinati fuerint? *Simplicius* & *Theodoretus* narrant, viſum cœli, ab hominibus cum admiratione expreſſum, inania Numina, ſeu idola, primum perſuaſiſſe. In cuius itidem virtute animaduertere mortales aliqui, non ſolum pulcherrimam naturæ partem eo contineri, ſed præclarum etiam ac ineluctabile in inferiora imperium vigere. Superna etenim illa corpora nitidiſſime in oculis noſtris vt videmus, elegantiſſime efformantur, ſcitiſſime diſponuntur; adeoque annorum tempora ac ſtatus apud nos eadem motus incredibili celeritate ſingillatim conſtituunt, terram ſuccutiunt, mare fluere ac refluere faciunt. quorum ſubſtantiæ, quod a nobis longe diſſitæ, ideo, vt ait *Ariſtoteles*, ſicut earum accidentia pæne ignoramus, ſic ad eas percipiendas omnino cœcutimus. nihilominus vel ad tenuem aliquam earundem notitiam peruenientes, vehementius lætari ac geſtire animis ſolemus.

Simp. in Cō Epict. Theod. l. 8. De aff. Græ

Ari. l. 2. de Cæl. tex. 60

3 Sed quod ad diſciplinas mathematicas, ſeu Genethliacas attinet, de quibus modo diſputamus, nobiliſſimi Philoſophi, *Plato, Ariſtoteles, Socrates, Pythagoras* in huiuſmodi errores, quos vituperamus modo, haud inciderere, ſed alij dumtaxat poſteriores, ac nimoris notæ ſupernorum contemplatores. *Diodorus Siculus* Ægyptios proinde & Chaldæos harum ſcientiarum auctores profert, *vltra humanum ingenium*, vt ipſe loquitur, *inſpectione ſtellarum multa pronunciantes*. Contendunt alij, a prima origine aſtronomiam ab hebræis ad reliquos mundi populos manaſſe. quicquid autem ſit in hac re, de qua multi digladiantur, exploratum *Platonis* & *Ariſtoteles* teſtimonijs, apud Egyptios ac Chaldæos Aſtronomiam primitus floruiſſe: quam vt Græci plenius addiſcerent, ad eos ſunt ſæpius profecti. Et quemadmodum *Diodorus* attribuit Ægyptijs aſtronomiæ primam notionem, & in eadem excellentiam, ita apud eoſdem pariter definiuit incepiſſe religionem: exiſtimans, cultum cœleſtium corporum fuiſſe inter alias ſpecies ſuperſtitionis naturæ opere antiquiſſimā adeoq; originalē. *Plato* & alij exiſtimarūt præ alijs populis deditos Aſtronomiæ Ægyptios, quod eo ſitu terræ gauderent, qui prope æquatorē, ex quo tempora propemodum quod ad hiemem & æſtatem æqualia apud eos exiſtunt, ſolis ac ſtellarum curſus, ſi non perpetuo, ſaltem diutiſſime in eorum oculis, admirabili cœli ſerenitate adſpirante, verſantur. Aſſyrijs propter terræ planiciem hoc attribuit *Cicero*. pariter vt idem *Cicero* recolit, Babylonij in montē Caucaſum, qui in ſeptentrione ſitus, aſcendentes, *Cœli ſigna ſeruantes, numeris & motibus ſtellarum curſus perſequuntur*. Certum itaque, Aſtronomiam apud Ægyptios ac Phœnices exacte cultā fuiſſe. Cæterū vero de profeſſoribus mathematicæ iſtius diuinationis, præter quorumdam ærulcatorum ac circumforaneorū nomina, extra *Zoroaſtrum* magum, mirum vbique apud auctores ſilentiū. qui autem ex Chaldæis opinati, humanarum rerum actionūque fata, in ipſis ſtellis, numero triginta, quas, teſte *Diodoro*, *Deos conſultores* appellarunt, deſcribi, ac in eiſdem includi, ij paulo celebriores, impetante *Tiberio*, Romā confluxere: quos cū *Thracillo* familiariter tractauit ille Imperator:

Diod. l. 1. c. 2. l. 2. c. . 8.

Ioſ. l. 1. Ant. c. 8.

Plat. de al. Ep Ariſt. l. 2. pe Cæl

Cic. l. 1. Diu

——— Tutor haberi
Principis auguſta capreatum in rupe ſedentis
Cum grege Chaldæo?

Cic. l. 2. de Diu.

Iuu. l. 4. Sat. 10.

Verum non eſt nobis inſtitutum de Mathematicis iſtis augurijs in vniuerſum hic tractare: eſſet enim hoc voluminis alicuius argumentum, ſed ea ſolum eorum huc inferre, quæ ad mores ciuiles reuocentur. vulgo autem prædictiones iſtæ vocantur Mathematicæ, quod a quantitate numeroque cœleſtium corporum, ducantur: in quas rerum affectiones intendit Mathematica: Vnde teſte *Gelio* chaldæi paſſim nuncupati Mathematici. Dicuntur etiam genethliacæ, quandoquidem earum fautores volunt, ipſas hominum generationes, ſiue conceptus, quantum ad vim futuræ actionis, ſequi fatales quaſdam cœlorum influentias, aut poſituras, ac ab illis fatalitatem diuerſimode mutuari.

Gel. l. 1. Noct. at. c. 9

4 Primo itaque in loco contra iſtos Mathematicos ſit a nobis præſcriptio, quod vanitatis & arrogantiæ ſpeciem diuinantes præ ſe ferant, iuxta ac velint, popularium animos in eorum admirationem ambitioſius quam par eſt, impellere. Cum enim cœli facies, inter reliquas naturæ partes, tam ſitus altitudine, quam immenſitate ac ſplendore, excellat, præclarum ducunt iſti ſi modo vulgi ſuffragantibus ſententijs, peculiariter ac præ alijs mortalibus de ea Philoſophari videantur: non tam eo veraces, quam diuini haberi appetentes. Characterem hunc illis merito inuſſit *Plinius*. *Natam hanc matheſin o medicina nemo dubitat, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe velut altiorem ſanctioremque, quam medicinam. ita blandiſſimis, deſideratiſſimiſque promiſſis addidiſſe vires religionis, ad quas maxime etiam nunc caligat humanum genus*. ob hanc ipſam cauſam *Iſidorus* apud *S. Thomam* pronunciauit, quoſdam dici voluiſſe diuinitores, ſcilicet *Diuinos*, ea quippe denunciantes, quæ Dei ſecretis claudi a reliquis creduntur. quamobrem cum iſti nullis Philoſophiæ præſidijs nixi, de futuris iudicare hoc pacto præſumant, vt poſtea oſtendemus, rebus ciuilibus ideo prorſus contrariū, eos

Plin. l. 3. Nat Hiſto.

S. Tho 2 2. 4. q 5. art. 1

permittere in oculis popularium fraudulenter ſub ſpecie doctrinæ latentioris gloriari: falſo enim ſibi hoc pacto comparata cuiuſdam diuinitatis auctoritate, poterunt eoſdem etiam ad ingentia facinora ſuis diuulgatis nugis extimulare.

5. Enimuero qui in republica ſingularem de rebus magnis ſe aſſequutos cognitionem profitentur, interim abſque omni ſolida ſcientiæ ratione plurimum temporis ſtudijs earum impēdunt, ij rebus ac ſcientijs ciuilibus pernicioſi omnino exiſtunt. Huiuſmodi ſane mathematici. *Quid habet Aſtrologus*, ait *Cicero*, *cur ſtella Iouis aut Veneris cōiuncta cum luna, ad ortus puerorum ſalutaris ſit, Saturni Martiſue contraria?* quod vt dilucide a nobis oſtendatur, eorum omnia, vnde liquidius diſcutiantur, commode ad duo capita reducere poterimus: ſcilicet ad id, quod mathematicum genethliacum, & ad id, quod pure mathematicum. prius eos omnes ambit in ſe euentus, qui ſequūtur rationes generationis vel natiuitatis: quos cum animis dicant iſti coniectores iudiciarij ſe complecti, aſſerunt, vi certarum conſtellationum tunc præſentium ac ab ipſis cognitarum, ſe præſagire poſſe, qualis ita conceptus, vel natus futurus ſit, nempe bonus an malus, catholicus vel hæreticus, longioris vel breuioris vitæ, naturalem an obiturus mortem, vel violentam, proſper an miſer, quo ad ſingulos vitæ iſtius caſus. alterum indicat ſolum certas conſtellationes in decurſu vitæ alicuius, vtpote negociis belli, & pacis, naturæ ſimul ac fortunæ imminentes: ex quarum notione, Aſtrologi diuinare pariter ſibi aſſumunt de vniuerſis: veluti ſi tali tempore bellum committat, num victoriam reportaturus, vel debellandus: ſi aleis ludat, vtrum lucraturus, vel damnum paſſurus: ſi nauigationem aliquo inſtituat, an iter ei futurum ad vota, vel contra. Vt vero in vtroque genere ſuas conſtellationes nobis deſignent ac deſcribant, non ducunt tātum rationem poſituræ aut concurſus ſeptem planetarum, ſed etiam illius ſitus, quo ſignis in zodiaco certo modo planetæ reſpondent: qui quidem varius perpetuo eſt, tametſi ipſæ planetæ ſimiliter inter ſe conuenerint: proinde *Sol & Iupiter*, qui iam congrediuntur in *Piſcibus*, poſtea congreſſuri in *Ariete*. Ac quod pertinet ad conſtellationes determinandas, de ſtellarum extra zodiacum vagantium, aut fixarum motibus, ſeu coitionibus non videntur multum hi iudiciarii laborare: at qua ratione de eis ſilent, non dicunt.

Cicer lib 2. Diuinat.

Clauius l. s. Spheræ ad cap. 1.

6 Exiſtimare itaque poſſumus cœleſtia corpora rerum ſublunarium eſſe mera ſigna, vel etiam ſimul ſigna, & cauſas. Deinde res ſublunares a nobis conſiderandæ, aut ſunt ipſimet actus liberi arbitrij in homine, aut euentus, ab illis dependentes, vel prorſus res naturales: quales aëris diſpoſitio, terræ fœcunditas, ac ſimilia. verum priuſquam vanitatem ariolationis horum in vniuerſum oſtendam, lubet hic recolere, quam, quo ad ſcientiæ momentum, ſimiles ſint hi Aſtrologi *Paracelſianis* medicis, comparatis cum *Galeniſtis*, aut alijs ex ſchola *Hippocratis*. Illi ſi quidem *Paracelſiani*, paucis literis contenti, ac tota Philoſophia ab eorum *Apolline* ferme repudiata, ſatis ſe inſtructos fabulantur ad curandos omnes, quotquot ſunt in Noſocomio, morbos, quatuor vel tribus ſpeciebus mineralium, vno vel altero liquore, vel ſolo *Mercurio*, ex materia aliqua ſubterranea ſeu ſulphurea diſtillato. vnde ne aliqua bibliotheca eis ad artem ſuam neceſſaria videretur, plane Cynici inter medicos comparent, nempe omnia ſua ſecum portantes: vtpote vnam vel alteram pixidem in caligis habentes, quæ mille libros doctrina exæquet, eoſque præ omnibus alijs tanquam in re medica peritos rudi populo importune commendet. Denique indoctiſſimo quodam compendio, ſubito creant Doctores & Medici, ex vna, eademque olla, promiſcue omnibus ægrotis ſanitatem propinant. Simili modo iudiciarij hi Aſtrologi, *Platonis & Ariſtotelis* pronunciatis a tergo relictis, fabricantur in cœlis ſpectrales quoſdam horoſcopos, domunculas ſolis, congreſſus ſtellarum, & neſcio quæ alia ſimulacra, ex quibus mirifice ad imperitæ plebis admirationem philoſophentur, & de omnibus præcipitanter negent vel affirment. Quod cum notū eſſet *Ciceroni*, aperte dixit, mathematicos *Exoſam retinere philoſophiam*, & quod ſub eorum diuinationibus genus humanum ſuo tempore ingemuerit, affirmare haud dubitauit. ac fatetur *Cardanus* ipſe, harum diſciplinarum principia, & conſequentias, nulla ratione philoſophica, nullis certis ſcientiæ legibus conſtare aut probari poſſe, ſed innoteſcere dumtaxat ex euentu, prædictionibus examuſſim quam ſæpiſſime cōſentiente, idque vt ipſe nugatur, propter earum altitudines, & veluti ſublimia myſteria, in quibus abſtruſæ deliteſcunt. Dicamus autem primo loco de effectibus naturalibus ad haſce ſcientias relatis.

Cicer. lib. 2. de diuinat.

Cardanus lib. de Genit.

7. Doctiſſimi viri inueniuntur, inter quos *Alexander de Angelis*, meus quondam Romæ condiſcipulus, qui negant, ſtellarum aut planetarum vires aliquid magni momenti poſſe imprimere in ſublunaria aut etiam hominum corpora. quod quidem illis videtur manifeſtius, ſi nihil præter lumen & calorem efficere poterunt. Hoc vero ex duobus conficiunt, primo ex eo, quod cum ſigna zodiaci, & aliæ ſtellæ, plurimū diſtent a ſublunaribus, maxime ab aëre & terra, omnis earum actio valde debilis apparebit, adeoque vix pertingens ad opera adeo remota, vt earum influentijs probabiliter adſcribantur ſublunarium affectiones, mutationeſque. quod ad diſtantiam hanc inter cœlum ac terram ſignificandum, *Heſiodi* eſt coniectura aut fabula: incudem fabrilem, ſi e cœlo caderet, non niſi ſpacio decem annorum peruenturum ad terram: ac totidem annorum ſpacio a terra in orcum tandem caſurum. Deinde effectus ſublunares proximas ſuas cauſas habent in rebus ſibi mutuo vicinis: quæ cauſæ, ſtante eadem etiam cœleſtium influentia, variæ, vt liquet, ſimulque reperiuntur mutabiles. quo pacto conſtellatio, quæ pluuiam aut ventos hic cauſaret, alibi nequaquam tale quid efficeret, propter diſcrepātes qualitates terræ, & aëris, ſeu propinquarum cauſarum diſcrimina & mediū diuerſa diſpoſitiones,

Alexan. de Angel. lib. 4 cont. Aſtrol cap. 7.

poſitiones. idcirco nihil certi aut definiti ſtatuendum in hoc alteroue loco futurum, etiam inter naturæ euentus, ex vlla mera ſtellarum poſitura, aut coitione. Porro multa vel quo ad naturam ipſam contingunt interueniēte vſu humani arbitrij: vtpote terræ fertilitas? piſcationes cōmodæ, ſanitates corporū: arte enim & induſtria humana hæc interdū procurātur. quocirca ſicut perſpectis ſtellis nō fit diiudicatio actus liberi, ita neque eorū naturalium quæ ex illo emanant. Nihilominus omnium ferme mortalium animos ſubijt ſententia, quod ſtellæ ac planetæ plurimum faciant ad aëris temperiem, vtpote ad ſerenitates, ad pluuias, ad frigora, ad calores ac ventos, ad incolumitates, porro ac morbos viuentium, atque iſtis ſimilia: idque ſuarum influentiarum virtutibus:

Non inter Geminos anguis glaciale Triones
Ptolem. lib. de Iudicijs *Sibilet, immodica nec frigore ſæuiat vrſa.*
Non torua fremat igne leo, nec brachia cancri
Vrat atrox æſtas, madida nec prodigus vrna
Claudian. Panegyr. 2. lib. *Semina prærupto diſſoluat aquarius imbre,*
Phrixæas roſeo producat fertile cornu
Ver aries, pingues nec grandine tondat oliuas
Scorpius, Autumni mutaret gramina virgo
Lenior & granidis allatret ſirius vuis.

Cæterum non eſt certa coniectura neque de iſtis ex aſpectu ſolitario corporum cœleſtium: ſed vt diuinatio ſit probabilior, fieri debet ex comprehenſione quoque proximarum cauſarum & medij, quæ immediatius quam illa, ſublunares effectus attingunt.

8. Genethliaca autem futurorum prædictio prorſus inanis & vmbratilis. quæro enim cum dicant Aſtrologi, horoſcops & conſtellationes impendentes hominum natiuitatibus aut conceptionibus in vtero materno, num ſint cauſæ fatales omnium actionum euentuumque humanorum, nec ne; ſi inficiantur eſſe cauſas, aſſeram inſpectionibus non poſſe duci Aſtrologos in definitam prænotionem futurorum quo ad mores hominum, aut eorum progreſſus ſeu exitus: quandoquidem nulla ſit connectio inter illos horoſcopos, & ea quæ poſtea euentura. ſi dicant habere horoſcopos ſaltem connectiones ſignorum cum ſignatis: rurſus petam, vnde illis liquet, eſſe ſigna? ant enim vi rationis, aut reuelationis diuinæ indicatu hoc aſſequuntur. prius dici nequit. nam ſi philoſophia non iudicet ea eſſe cauſas, non iudicabit eſſe ſigna. poſterius autem eſt valde infirmum, quia aperte phanaticum & commenticium. reliquum fateantur, eſſe cauſas. Hoc autem ſic improbatur. Cauſæ eſſe nequeunt abſque actione, in ſubiectum aliquod recepta. agere non poſſunt immediate in animam, cum ſit hæc ſubſtantia immaterialis. quod vero ab illis in corpora infertur, id non poterit eſſe fatum euentuum futurorum a libero arbitrio animæ prouenientium. quomodo enim cogitanda aliqua qualitas ab horoſcopis, hominum, imo & brutorum corporibus impreſſa, quæ omnia eorum futura fataliter procuret? nam futura ita dimanant a voluntatibus hominum, qualiter excitantur varijs motibus proximis, vtpote certarum perſonarum improuiſo concurſu, peccatis interdum aut virtutibus ipſorum in vita expreſſis, elementorum qualitatibus aduenientibus, ſanitate aut morbo incidentibus, habitibus comparatis, materni vteri diſpoſitione accedente. quamobrem niſi illa qualitas ab horoſcopis transfuſa, exiſtat omniū iſtorum, adeoque ſimilium infinitorum, fatum quoque, nunquam poterit eſſe fatum vel alicuius vnius particularis humanæ actionis. Atque vt exemplum ſubijciam, veniat iam in mentem maritus aliquis, qui vxorem adulteram occidat. Euidens omnino, occiſionem iſtam non prouenire ab horoſcopo aut conſtellatione, aliquid transfundente in corpus occidentis vel occiſæ: quandoquidem non occidiſſet maritus, niſi fuiſſet vxor adultera. Ergo ſi illius fato occidit, eodem vxor adultera: quod ridiculum arbitrari. Cum ergo non ſit conſtellatio fatum omnium pertinentium ad aliquam actionem, ſeu euentum, nullorū fatum eſſe poterit. Quid? an non videmus ſub eadem conſtellatione natos, aliud & aliud in vita operari, aliter & aliter viuere ac mori? quid ergo ad hæc certa & ſtatuta facit conſtellatio?

9 Ludunt quoque Aſtrologi, iſtis natis definitos horoſcopos cōſtituentes, & pluribus ſimiles. nā vt horoſcopi vehementiſſimo motu ac celerrimo continenter labuntur, ita nunquā ſimiles redeunt, vel illi ipſi, vt *Cardanus* fatetur. In hac ergo pernicitate tranſitus, in hac varietate conſtellationum, vnde nā, precor, Aſtrologi poterunt diſtincte aſſerere, hanc inſtitiſſe huic nato propriā, ac mutuo reſpectu hunc cū altero nato cōuenire? homines etiā ipſi recens nati, non eodē modo ſubijciuntur conſtellationibus, vt æqualiter in ipſorū corpora illæ operētur, propter aliam atque aliam terræ deuergentiam, alios & alios parentum mores. occurſus ſtellarum, teſte *Ariſtotele*, ſicut lunæ cum *Marte*, ratione ſitus terræ innotuere Ægyptijs, qui alios omnes latuere. Habenda pariter ratio horizontum, vt notant *Cicero, S. Baſilius & Aulus Gellius*, quo de ſublunaribus diuinatio fiat. Nulla autem ars hæc omnia particularia aſſequi poterit. Baſil. hom. 6. in Gen. Cicer. lib. 2.

10. Idem prorſus argumentum contra Mathematicas prædictiones confici nil prohibet. Similiter enim petitur, vtrum duobus exercitibus pugnantibus aliquid inferat conſtellatio præſens in milites vtrimque, nec ne? ſi nihil, ergo omnes pares, neque iſtius quam alterius potius fatum erit conſtellatio. Si influat in iſtos peculiari modo, ſciſcitandum tunc, quodnam ſit genus illius qualitatis, quæ hos ſubinde in fugam compellat, illos ad victoriam promoueat? ridiculus ſane Iuuenalis:

Hæc tamen ignorat, quid ſydus triſte minetur Iuuenal. lib. 6. Saty. 2.
Saturni, quo læta venus ſe proferat aſtro.

Inſpectores iſti cœlorum, proximarum cauſarum obliuiſcūtur penitus, & ex vno cœlo, animis quaſi vnoculi & claudicantes, pronunciant.

Et graue Saturni ſidus in omne caput. Propert. lib. 1.

Animaduertimus incidere ſub eiſdem horoſcopis diſpares & plane contrarios euentus. Damnoſum itaque reipublicæ ad ingentum horum aſtrologantium, vera Philoſophia interim deſerta, tempus omne in nugis addiſcendis,

dis, ſeu potius recenſendis, conterere. Quod ſi dixerint, non ratione aliqua probari poſſe horum prædictiones, experientia tamen veraces in plurimis renunciari: affirmabo, hoc omnium eſſe leuiſſimum: nam cum ſint tantummodo, duæ partes contradictionis, nempe viuet iſte aut morietur, vincet aut debellabitur, luctabitur, aut damnum patietur, quid miri, ſi eorum effandi temeritas in veritatem aliquoties fortuito cadens impegerit? etiam quid miri ſi nimio appetētes veraces haberi ab alijs, quales ſunt Aſtrologi, ſi adeant dæmones, illorumque de futuris oracula tanquam ſua euulgent axiomata? Neque inter ſe conueniunt de ſignificationibus conſtellationum. aliqui enim hanc in iſtam ſententiam interpretantur, alij in contrariam: ac ſi irides eſſent, vel colla columbarum aliorũ oculis multifariam expoſitæ.

11. Hæc ipſa ars diuinatrix inter mala contra Ciuilitatem, quæ educit, in animæ humanæ dignitatem barbarice quoque debacchatur. Vt enim ſuis conſtellationibus locum parent in ciuitate Mathematici, contendunt, animam hominis eſſe materialem, cœli quippe influentijs diuerſimode alterabilem, adeoque libero arbitrio deſtitutam. nam quid faceret conſtellatio certo & definite quo ad mores & euentus humanos, ſi anima ſpiritualis & libero arbitrio exornata? eluderet enim facile anima, ſi huiuſmodi eſſet, omnem e cœlis impreſſionem. Verum illi hanc ſublimem condicionis ac libertatis condicionem ei eripientes, cœlis ſubiectam reddunt, eximia inde cum Deo ſimilitudine ſpoliant, denique mortalem exhibent: quo ciuilibus moribus nihil pernicioſius, infeſtius nihil. Enimuero quo loci iſte ſenſus Aſtrologicus præualuerit, ibi voluptas & ſuperbia, quæ ciuilitatis peſtes, in omnem vitæ honeſtatem præualituræ. Binæ ſunt enim æſtimationes, quæ ciuilium inſtitutorum veluti poli ac cardines videantur: nempe quibus iudicatur, Deũ exiſtere, & animam hominis eſſe immortalem: ſine quibus nullus principum moderate imperabit, nullus vectigalium modeſte vel obſequenter parebit. quam ergo inciuiles iſti Aſtrologi, qui fatũ quoddam, cæleſtibus corporibus implicatum, animæ actionibus præficiunt, perinde ac ſi anima eſſet vilis aliqua concreta gleba, eorum influentijs hac & illac inflectenda, adeoque tandem eiſdem diſſipanda?

12. Hinc etiam inhumanitatis accerſendi, quod hominum voluntates neceſſitati fatali dimittētes, eodē virtutis pulchritudinē extinguunt vitijque deformitatem diſſimulant: quod ciuilis vitæ officia, ſcilicet adhortationes ac diſſuaſiones, optimæ educationis rationes, e medio tollant, quandoquidem independenter ab iſtis omnes euentus ſuperius conſtellationes iam deſcripſerint, digeſſerint, ac decreuerint.

——————— Quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, ſordetque ingloria virtus. (Prudent. Hamart.)

Recte ſane cecinit *S. Gregorius Nazianſenus.*

Frange mihi vita leges, abſterge timorem (Gregor. Naz. Carm. de prouid.)
Sontibus, atque piis ſpem latam deme futura
Mercedis. Nam ſi fertur reuolubile cœlum,
Voluor ego motu rapido, quin ipſa voluntas
Non aliunde mihi, quam cœli exiſtit ab orbe.

Præpoſterum itaque, cum cœlum in hominis vſus creatum, illud hominis moribus præponere, eoque in nobis actionum decora expungere.

An quum te Dominus cunctis quæcunque crearat; (Pruden. Hamart.)
Præficeret, quumque arua, polum, mare, flumina, ventos
Dederet, arbitrium de te tibi credere auarus
Nollet, vt indigno libertatemque negaret?
Quale erat, electus magni rex orbis vt eſſet,
Non rex ipſe ſui, curto fœdatus honore?
Nã quis honos Domini eſt, cum mens ſibi libera non eſt,
Vna ſed impoſita ſeruit ſententia legi?

13. Imo inſurgit horũ inciuile dogma in iniuriam contra vim, charitatem, iuſtitiamque diuinæ prouidentiæ. ſi enim ſtellæ modo omnia ordinarint, quid ſupereſt Deo, quod ſuo fauore ac ſpeciali gratia hominibus vlterius cōcedat, quod eorũ pietati retribuat, quod ipſis miraculis efferat, quod merita remuneret, vitia caſtiget: iam enim vniuerſa rerum, ad hominem ſpectantium, procuratio, conſtellationes anticipauerunt, ſtatuerunt? Cum hoc in Deum ipſum Aſtrologi perpetrarint, nihil miri, ſi bonorum angelorum miniſteria, hominum commodis diuinitus adſcripta aut deleant, vel ſuis ſimiliter ſubijciant conſtellationum fatis.

14. Quinimo neque e re ciuilis ſocietatis fuerit, cum diſpendio aliarum ſcientiarum, adeoque pacis & tranquillitatis detrimento, impune permittere in ciuitate Aſtrologorum circa ſuas conſtellationes altercationes, nullo plane iudicio terminabiles. Enimuero fatentur iſti fatidici ſtellares, veteres in longe aliam ſententiam planetarum & ſtellarum concurſus interpretatos, ab ea, in quam eos moderni intorquent. hi volunt, futuros euentus conſtellationibus indicari ſolummodo, quantum ad eorum notiones vniuerſales: iſti autem, ipſamet particularia præmonſtrari eiſdem contendunt. volunt hi, ad prædictionem ſufficere conſtellationum intuitum. repugnant alij, affirmantes, præter conſtellationem, proximas etiam cauſas expendendas. hi diuerſa fata in cœlis conſtituunt, ita vt hoc fatum, alterius interdum fati vires exſcindat. alij id pernegant, definientes, vnamquamque conſtellationem eſſe abſolute fatalem, ratione habita ſui effectus. hi vnius regni vnũ fatũ ex ſtellis ponunt: hoc alij concedere renuũt, ſtatuentes, vnius regni alia & alia fata in cœlis reperiri. iſtis placet arbitrari, certis actionibus, vtpote matrimonijs ineundis, mercimonijs exercendis, itineribus faciendis, imperitare peculiare fatum conſtellationis. Deridet hoc alij, æſtimantes, præter fatalitatem vnius conſtellationis genethliacæ, nullam aliam ſupereſſe.

15. Hinc quoque vehementius perturbari ſolet genus humanum, curis, angoribus, ſuſpicionibuſque exedi plane ac deuaſtari. Si enim mala ſint euentura, quorſum accerſenda prædictio Aſtrologica, quæ diu ante quam inciderint, exſpectātes affligat? Si bona ac læta ſucceſſura, ſatis ea facient ad iucunditatem cum euenerint, neu opus homines eorum modo elato & geſtienti ſenſu moueri, eorũue ſpe vexari, aut anxia interim cogitatione ſuſpendi. Ecquis non feret æ- (Gell. lib. 14. cap 1.)

gro

gro animo Aſtrologis credens, ſibi cœlum infeſtum impendere, iam fulmina in ſuis voluminibus continere, quæ ſubinde in ipſius caput noxium ſiue innoxium deuibranda? quod ſi in ipſo cœlo cauſa ſolida exiſteret, eorum conqueſtio eſſet tollerabilior. Cæterum cum ſui aliam originem non habeat, quam in leui alicuius aſtrologuli cranco, deploratio incommodior, ciueque indignior. quam inconuenit, noſtrum gens iſtorum meris figmentis perpetuo exagitari ac conſumi? horum artibus eluſa quondam Mater *Vitellii* Imperatoris, a Mathematicis edocta, ſe filium infælicem genituram, hauſto veneno præ triſtitia, ne euentum videret, ſibi vitam funeſtauit.

Subbel. Ennead. lib. 3. pag. 210.

16. Quod ſi ciues egregium quid obire, votis iam deſtinarint, occurrent ex aduerſo fortaſſis Genethliaci, ac renunciabunt, omnia infælicitanda, funditus euertenda. Vnde gelido ſanguine circa eorum corda diſcurrente, decretis etiam optimis abſtinebunt, inani timori cedentes, illiſque credentes. Vt enim auiculæ, inter maturas ſagetes poſitas laruas diffugiunt, ita ciues ad aſpectum mathematicæ *Palladis*, ſeu *Gorgonis* confic̄ti in eius clypeo, pueriliter ab inceptis reſilient. Eodem euenire ſimiliter poterit, vt ciues nouarum rerum cupidi, ſtudioque ambitionis incitati, multa contra conciues, ac ipſum etiam principem audacter aggrediantur, poſtquam aſtrologi ex ipſis conſtellationibus ſpem ſucceſſus ipſis fecerint, animoſque ad ſcelus eodẽ indiderint. hinc Romani milites ſæpius ab aſtrologis lactati, in varia pericidia ſeſe armarunt ſibi promittentes optatos euentus, ad Aſtrologorum præſagitiones. Neque hi proni ad veritatem nudam diuinantes efferendam, ſed ad id dumtaxat plerumque promittendum, quod arrideat, ac mercede dignum habeatur. *Semper auidum pecunia eſt vatum genus*: vt ait *Sophocles*. quo pacto quaſi dulcem ex ſaccaro ſaliuam deglutientes, eodem peſtem exitiumque inſuxere. hoc genus hominum appellat *Cornelius Tacitus*, *Petentibus infidum, ſperantibus fallax*. Merito idcirco ſæpius vrbe Romana exularunt, vt idem teſtatur. ac *Tiberius* Imperator non alios eorum exilio liberauit, niſi qui promitterent ſe artem deſerturos, ac modo illam publice abiudicarẽt, vt narrat *Suetonius*. Exemplum *Tiberij* ſequutus *Vitellius*, qui pariter in hoſce mathematicos, vt pote ciuilis ſtatus perturbatores, diſtrictiſſime animaduerti curauit.

Sophoc. Antig.

Cor. Tacit. l. 4. Ann.

Suet. in Tib.

Cor. Tacit. l. 1. Ann.

17. Ipſimet etiam principes iſtis Aſtrologis plus iuſto attribuentes, ſæpius in acerbam fortunam deluſi corruere. *Quam multa ego Pompeio*, ait *Cicero*, *quam multa Craſſo*, *quam multa huic ipſi Caſari a Chaldæis dicta memini, neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi cum claritate eſſe moriturum: vt mihi permirum videatur, quemquam errare, qui etiam nunc credat ijs, quorum prædicta quotidie videat re & euentu refelli.* *Tiberius* in multorum odia ideo impegit, quod ciues neci dederat, quos ex genituris falſo ſuſpicatus, ſibi mortem quandoque intentaturos. *Emmanuel Commenus* Imperator Græcus, poſtquam prope Siciliam, claſſem amiſiſſet, Aſtrologo quodam ſibi victoriam nihilominus bellum reparanti promittente, aliam claſſem adornauit. Cæterum redintegrata pugna, in freto Siculo a *Rogerio* rege victus ac ſuperatus, vt recolit *Tyrius*. *Ferrandus*, Flandriæ dux, vt ſcribit *Gagneius*, aſtrologicis prædictionibus incitabatur ad inferendum bellum *Philippo* Galliæ Regi, At Pariſijs omnino profligatus, miſerias inſuper carceris expertus. *Petrus* Rex Caſtelli, cognomento *Crudelis*, vt narrat *Mariana*, a Iudæo quodam fatidico adductus in ſpem recuperandi regni, contra fratrem bellum commiſit. Verum a fratre captus eiuſque manibus occiſus. *Ludouicus Sfortzia*, dux mediolani, vt ſcribit *Cardanus*, Mathematicorum verbis fidem adhibens, ſe fortunæ delitias appellabat. Cæterum ſubinde in Gallorum manus deditus, & in carceres Lugduni compactus, ibi vitam miſeram finiuit. Et quidem vt in vniuerſum diuinatores iſti ſtatum rerum ciuilium perturbant, ita pariter principibus ipſis ſæpius documentum inferunt. Romæ haud ſemel Imperatorum fæ a Aſtrologi eo prædixere, vt ipſorum vocibus populus perturbatus eſſet, & Imperatores in graues animi vexationes coniecti. In hoc ſeditionis machinamentum ſua conferunt iudicia, qui viſis cometis, huius vel illius principis funus inſtare temere diuulgant. Inſanũ vero, quod hac de re memoriæ noſtræ prodidit Plutarchus in vſu poſitũ apud Spartanos *Si quando igitur ſtella ex parte aliqua diſcurrens in oppoſitam ſeſe partem contuliſſet, iudicium id eſſe putabant, Reges aliquid contra Deos immortales deliquiſſe, ac propterea magiſtratu illis interdicebant, quo ad ex Olympia aut Delphis referretur oraculũ interdictu Regibus afferẽs auxilium.* At VVicleuiſtæ hæretici in hoc quoque commenti in ſuos Principes proni.

Giel. 2. Diu.

Tyri. lib. 2 cap. 18.

Gagn. lib. 1. Hiſt. cap. 16.

Mar. l. 17. de reb. Hiſp. c. 14.

Cardan. ad Text. 14. Ptol. de Iudicijs.

Plutarch. Agis.

18. Denique cum alijs nominibus vituperabiles Mathematici, tum potiſſimum duobus, vt iam dicam: Principio, vt animaduertunt poſt *Auguſtinum*, *Eckius* & *Eſpencæus*, horum diuinariones valde affines apparent veterum theogoniæ falſorumque numinum idololatriæ. vix enim vllus exiſtimabit, ſtellas in ſe includere humanorum conſiliorum fata, ac de illis diſponere, niſi pariter exiſtimaret, eaſdem eſſe animatas, & quidem ſi mathematici quo ad ſtylum de illis loquũtur ac ſi tales omnino eſſent: vt pote dicentes, illas mutuo collætari interdum, ac denuo iraſci: offenſas modò in genus humanum, poſtea benignas. Cuius rei opinione facile induci poterunt homines, vt ſtellas colant, veluti nobiliſſimas ſubſtantias, natura quippe rationali conſtantes. Deinde Mathematici iudiciarij quo veridicorum auctoritatem ſibi concilient, dum aliquid prædicere inſtituunt, receptum multoties habebunt, reputantes ſecum, illos exacte ſtellarum vires intelligere, ac ſcire, quid ex illis aut aliunde euenturum. Saltem vt veraces habeantur, dæmones conſultores, vt ſint in admiratione populi, cupido conſilio ſibi adiungent. Propter quam cauſam inter ſpecies Magiæ recenſet *Tertullianus* Aſtrologiam: quod etiam faciunt *Euſebius*, *Auguſtinus*, *Plinius* & alij. Sanè multa prædicunt iſti, quorum indicia aut cauſæ in ſtellis ſpectari non poſſunt. Putandum idcirco, illos a dæmonibus edoctos aſtrologos.

Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſtian.

Eckius. lib. 1 de prædict.

Eſpen. li. de animat. cœlo.

Tertul. con. idol. Apol. cap. 35.

Euſeb. lib. 6 præp. cap. 2.

Cuius

Auguſtin. lib. 5. Ciui. cap. 7. Plin. lib. 30 Nat. Hiſt. cap. 1.

Cuius generis mihi videatur, quod vulgo refertur de iudicio aſtrologi, *Galeatio Maria*, vicecomiti mediolanenſi, narrato. Prædixerat ei ariolus fore, vt a ſuo ſubdito quandoque interficeretur. viciſſim vicecomes ab illo quæſiuit, quonam fato ipſemet extremum diem clauſurus. reſpondit, trabis caſu e ſublimi domus. vicecomes vt iſtis augurijs illuderet, iuſſit magum ad ſuſpendij locum illico deferri ſtrangulandum. quo cum duceretur ac eſſet in via, ingenti populo ſpectante, e palatio ducis, per quod forte tranſierat, eiuſmodi trabs dilapſa cum occidit. & non ita multum poſtea, vicecomes ipſe a ſuo vectigali interfectus. veram ſane de aſtrologis ſententiam protulit tandem *Hieronimus Cardanus*, etiam aſtrologus. *Aſtrologi vt diuinatores, peſſimi homines ſunt, deceptores, ac malorum morum. Philoſophi naturales, veritatis ſtudioſi ac probi. Ob hoc aſtrologus tantum verax eſt, ac probus, quantum in ſua diuinatione adhæret principijs Philoſophiæ naturalis.* Merito denique propter haſce cauſas primi Chriſtiani valde auerſi fuere a lectione librorum ſatidicorum, vt ex verbis *Aureliani* Imperatoris apud *Vopiſcum* licet colligere. *Miror vos virorum ſancti, tam diu aperiendis Sibyllinis dubitaſſe libris, perinde quaſi in Chriſtianorum eccleſia, non in templo Deorum eſſetis.* atque hæ ipſæ cauſæ ſatis iuſtæ, ob quas a ciuilibus ſtudijs arceātur diſciplinæ genethliacæ ac diuinatrices. At de magia, iſtis vicina, dicamus iam aliquid.

Cardan. ſec. 3. Aphor. 155

Vopiſc. in Aurel.

CAPVT V.

Artes magicæ omnino barbaricæ.

MAgiæ nomine hic duntaxat intelligimus neceſſitudinem pacti ac cultus, quæ inter hominem ac dæmonem ſeu prauum Genium intercedit: ſiue ea tacita fuerit, ſiue expreſſa. Veteres quidem nihil flagitioſi aut auerſi a Deo in dæmonibus ſuſpicati, dæmonium appellantes cum *Ariſtotele* Deum, aut Dei opus, magiæ officiis operoſe incubuere, exiſtimantes, Dæmonum excellentijs honorem ab ipſis iure præberi, ſimulque licitum, ab eis opem implorare, qui viribus, ſcientiaque polleant, propenſique videantur ad hominibus benefaciendum.

Ariſt. 5. Rhetor.

Eurip. Hecu

Quo me vertam?
Vbi quis Deus aut dæmon præſens
Ferat auxilium?

Plat. dial. 4. de legib.

Imo in hoc illi veteres, *Platonis* etiam ſententiam ſequuti, magnam pietatis partem ſi non totam collocarunt. Cæterum nos diuina fides aliter inſtituit. Credimus enim Dæmones immani ſcelere violatos, ab imperio ſupremi Numinis turpiter defeciſſe, humano generi inuidentes, teterrimos hoſtes eſſe, omnemque connixum nefarie adhibere, quo illud in eandem damnationis ſortem, praua quæque eidem ſuadendo, compellant. Diſplicet eis prorſus vel humana natura. Quemadmodum enim panthera, ex concepta in hominem maleuolentia, vel illius delineatam imaginem, vt fertur, ſi in eam forte inciderit, præ rabie dentibus, vnguibuſque dilacerat: ita dæmon maieſtatem ac ſanctitatem Dei deteſtatus, hominem illius imagine inſignitum, plane ex odio abominatur. ac inter reliqua extremæ in nos crudelitatis ipſius & inuidentiæ effecta, delectatur plurimum hominum ſordibus ac cædibus, præſertim ſi in cultum ipſius piacularibus ſacris peractæ fuerint, vt *Plutarchus* & *Lactantius* adnotarunt. *Talis eſt dæmonum multitudo*, inquit *Hieronimus*, *quæ per idola manufacta cruore pecudum & victimis paſcatur & nouiſſime ſaginatione quadam hoſtia, ipſius hominis morte ſaturatur*. Propter hanc cauſam, cum ſuæ perſonæ condicione, tum operum virture, ſe dæmoni prorſus contrarium præbuit *Chriſtus* Dominus, venitque ad nos, quod ipſemet dixit, vt opera diaboli diſſolueret: hoc eſt, vt diaboli vitijs, ſuam ſanctimoniam opponeret, eiuſdem fraudibus veritatis lucem obijceret; demum vt artes & machinationes, quas in noſtram perniciem nefarius ille inſtruxerat, diſſiparet, euerteretque. dæmon quidem dignitatis auidus, diuinitatem ipſam ſibi ſæpius vendicauit. Chriſtus vero humilitatis cupidus, ad ſibi ſubiectam humanitatem, hominesque, ſe Deum ſponte dimiſit. Dæmon in ipſum cœlum aſcendere præſumpſit: fruſtratus licet ſua cupiditate, in infernum corruit. At Chriſtus ad terram è ſublimi throno paterni ſinus deſcendit, ac inde reſiliens, ad cœli verticem ritu triumphali peruenit. Dæmon hominum ſocietates ſumma perturbatione miſcet, eorum mores peſſime deprauat, ira nempe accendit, libidine inflammat, ſuperbia effert: Chriſtus autem decenti ordine illos componit, honeſtate illuſtrat, moderatione continet, virginitate exornat, ſui dimiſsione inter fluctus & aduerſa huiuſce vitæ conſolidat. Quamobrem qui a Dæmone pacto vllo, vſuue cæremoniæ aliquid petit, eique honorem quouismodo defert, is perduellis, & a Chriſto perfuga, cum hoſte ipſius ſcelerate conſpirat; quem potius defugere deberet, verbo, operibuſque execrari, *Iam ergo* inquit *Tertullianus* ad Romanos diſſerens, *Subiecta Chriſtianis diuinitas veſtra.*

Baſil. homil. de Hom. dignit.

Plutarch. de Dæmon. Socrat. Lactan. lib. 2. diuin. inſtitu. Hiron. Epi. ad Damaſ. Ouid. lib. 6. Faſtor.

2. Is autem illicitum commercium init cum dæmone, qui illum conſulit de latenti aliqua veritate, qui quouis modo eius auxilium implorat ad id procurandum, quod expetit. Recte enim aſſerit *S. Thomas*, votū aut ſupplicationem alicui exhibitam, in ſe eius cultum quemdam continere: eo enim fit proteſtatio poteſtatis aut excellentiæ in illo, a quo aliquid rogatur: quod idem eſt ac ipſum colere, vt affirmat pariter *S. Auguſtinus*. Inde *S. Athanaſius* magiam exerceri non poſſe ait abſque infidelitate, aut ſtultitia, quandoquidem ea dæmonis cultum in ſe complectatur. Arbitratur autem *Caietanus*, dæmonis inuocationem non ſemper exprimere formalem ac proprium erga ipſum cultum, ſed Materialem dumtaxat. Etenim poterit aliquis hominum requirere auxilium ab aliquo ſe inferiori abſque eius cultu aut excellentiæ agnitione. Cæterum non video, quonam pacto is minime colat dæmonem aperte & expreſſè, qui eius opem quærit: hoc enim ipſo oſtendit ſigno externo, potentem eſſe dæmonē ad

Tertul. in Apol. cap. 23.

S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 3 q. 95. art. 2.

Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. Athanaſ. lib. con. Idol. Caiet. 2. 2. q. 95. art. 2.

ad illi ſuccurrendum, quod idem eſt ac ipſius excellentiam fateri atque prædicare: cultus enim conſiſtit in huiuſmodi excellentiæ practica ſignificatione, ac licet metaphyſice loquendo, aliud ſit quærere ab altero adiumentum, aliud illum colere, inde natam ipſius excellentiam denunciando, quod poteſtas ad adiuuandum, & excellentia diſtinguantur ſaltem formaliter, nihilominus moraliter, ac quantum ad praxim, a cultu & veneratione ſeparari nequit. Oſtendemus itaque in ſequentibus, quam ſit inciuilis promiſcuus dæmonum ſeu malorum geniorum cultus, ſiue cum illis vitæ negocia ciuem tractare, quam fuerit a ciuilibus moribus alienum.

3 Inane prorſus, quod ſibi quidam magi pollicentur, exiſtimantes, ſe conceptis verbis, ritibus, figuris, quas vſurpant, tantum abeſſe a Dæmonum cultu, vti illos potius ſibi tanquam mancipia quibuſdam artificijs hinc ſubiiciant, coram ſe ſiſtant, trementes, ſupplices, paratoſque ad omnia præſtanda, quo ipſorum imperata exequantur. Verum vt diſſerit *Toſtatus*, cum dæmones, ſubſtantia in homine, aut ab illo vi omni ſint ſuperiores, validioreſque: cumque ob immaterialitatem tangi aut affici non poſſint ab vlla re corporea, multo minus imaginaria, ad illũ pauorem, aut eas pœnas, adduci nõ poterunt, ad quas magi ſe illos adduxiſſe ſecum inaniter commentantur. Quando autem vere expreſſeque Eccleſiæ exorciſmis læduntur: quando ob timorem & dolorem in corporibus obſeſſis, eorum virtute adacti, eiulatus edunt, tunc non percelluntur energia rei corporalis, ſed diuina virtute, Chriſti meritis in eis occulte operantibus, vt aſſerit *S. Cyprianus*. Fingunt interea quidem dæmones, quo magis hominibus illudant, magoſque in exercitio ſuæ impietatis obſtinatiores & penitus irreritos reddant, ſe eorum verbis, characteribus, ſacrificijs compelli, vexari, & veluti in captiuitatem ante eorum pedes detrudi: totum vero hoc interim ſimulant, vt expetitis honoribus optabilius potiantur, ac nefando crimine ſuperſtitionis miſeros mortales illaqueatos diutius teneant ac contaminent. In hunc modum dæmon ineſcauit *Excestium Phocenſium* tyrannum, vt ſcribit *Clemens Alexandrinus*. Præſagiebat iſte duorum incantatorum anulorum ſonitu in vtramque partem futura, etiam & ſuam ipſius mortem, quæ poſtea ad eorum ſonitum examuſſim ſucceſſit, exiſtimans, phyſica quadam iſtorum anulorum qualitate ſe edoctum de ſingulis diuinaſſe. Cum itaque ex hominum certis relationibus oſtenderimus, quam ſint impura officia, quam ſordida, monſtroſa, auerſaque ab hominis dignitate, quæ dæmones a magis exigunt, tunc eodem intelligemus, quam abſonum ſit, quamque immane, ac a natura plane auerſum, cum illis ſocietatem inſtituere. Præſtare proinde iudicauit *Plutarchus*, credere nullos eſſe Deos, quam cum geniis iſtis *Sordidis* ac *Moroſis*, vt ipſe loquitur, neceſſitudinem expetere: quod *Scaliger* quoque affirmauit: *Sane & fœda & ſordida res cum cantiunculis, cadaueribus, funibus ſuſpendioſrum verſari*. Ex quo oſtendit *S. Thomas*, ab intellectu, ſeu mente recte inſtituta, manare non poſſe illa facinora, ac facta, quæ dæmones ſuis cultoribus præſcribunt: proinde deprauatum quid eſſe concludit, cum tam deprauatis ſubſtantijs negocium aliquod vitæ tranſigere. Ex quo percipiemus, quam a ciuilitatis nitore ac dignitate aberrent quorundum politicorum ingenia, in curioſitatem excitata, aut ad vindictam rabida, politiam ſuam a ſtyge euocantia, in penetrali Plutonico Deos infucntia, quos, dum populos regunt, inuocent ac venerentur. De huiuſmodi Geniis hæc *Plutarchus*: *Haud ſcio an ex vetuſtiſſimis quemdam maxima admirationis ſermonem cogemur admittere, quod viles quidam ac maligni dæmones cum viris bonis inuideant, eorum rebus gerendis obſtant, metus & perturbationes inducunt, virtutem conquaſſant, falluntque, ne cum ſtabiles integrique in honeſtate permanſerint, poſt ſupremum vita diem meliorem illis ſortem conſequantur.*

Toſt in cap 40. Iob.

Cyp. ad demetriad.

Clem Alex. l. 1. Strom.

Plut. l. de ſu.

Scal. exercit 327.

S. Thom l. 3 cont Gent. cap. 106.

Plut. in Dio

4 Principio intueamur impreſſiones illas, quas efficiunt dæmones in hominum corporibus, dum illis inſident, aut dum eorum animis enthuſiaſmos immittunt: vti hac ex parte inciuilitatem commercij cum talibus exploremus. Deus quidem ſeſe humanæ naturæ adaptans, ſiue id fiat copula perſonali, veluti conſtitit in Chriſto Domino, ſiue gratia diuinitus inſpirata, vti in alijs ſanctis apparuit, etiam vſque ad admirationem intuentium, præclaram quamdam formam externæ compoſitionis, & veluti ſui quamdam egregiam imaginem in eadem exprimere ſolet: haud aliter ac aureus ſol pulchre nubem, in qua inuolui videtur, ſuo radio depingit. Dæmon vero in hominem ſui præſentia inuadens, & in illũ totus immigrans, horrendam ſpeciem, quæ ſui ipſius idoneum eſſet ſimulacrum, qua vultus in illo deformitate, qua totius corporis monſtroſa figura, oſtendit: non aliter ſane, quam ſi carbo nigerrimus, aut bufo deformis in theca criſtallina aſpectabiles ſeſe oſtenderent. quo pacto actionum turpiſſimarum formas repræſentat dæmon, quibus ipſe contaminatus, quibuſque hominem fœdari vehementer concupiſcit. *Hi ſunt*, inquit *Minutius felix*, *& furentes, quos in publicum videmus excurrere vates, & ipſi abſque templo ſic inſaniunt, ſic bacchantur, ſic rotantur: pates in illis inſtigatio dæmonis argumentum diſpar furoris*. vidit *S. Paula*, teſte *S. Hieron.* a dæmonibus correptos *Vlulate more luporũ, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum mugire taurorum: alios rotare caput, & poſt tergum terrã vertice tangere, ſuſpenſiſque pede fœminis veſtes deſluere in faciem.* Iſtis ſpectaculis ac picturis dæmones delectantur, ac loquuntur inde quales ſunt, & quales homines eſſe velint. Huius ſortis erat illa fœmina, furiata plane ac tragica, vt ait *Plutarc.* quæ credebatur malus Genius *Dionis*, parum ante eius mortem ei apparens. De ſimili *Bruti* genio hæc idẽ *Plutarc.* *Is itaque ſecum aliquid recitans, ſibi ipſi intentus, aliquem ad ſe ingredientem præſentit: ad introitum aſpicit, horrendam & monſtroſam aſpexit imaginem corporis ſceri, atque terribilis, ſilentio ſibi aſſiſtere.* Qui etiam, veluti a longe, a dæmone afflantur, illo tamen pleni

S. Thom. 2. 2. q 173 a. 3.

Min. fæl. in octau.

Hier. epitap paul.

Plut. in Dio

Plutarch. in Bruto.

videntur ex ſuis horrendis corporis vultuſque deformitatibus.

Huc ego diffuſis erraui ſola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo. Ouid.Epi. Ariad.

Cicer.lib.1. diuin. Iambl.lib.1 de myſter. Ægypt. *Mantes* Athenienſes, de quibus ſcribit *Cicero*, excipientes in ſe dæmonum afflatus, vt tradit *Iamblicus*, adeo detorti, complicati, ac confuſi in aliorum oculis fuere, vt dormire viderentur, cum non dormirẽt, vitamque dæmonibus ſubijcientes, tanquam ſpectra, omnia immania in ſe referebant. Iudæus quidam, vt tradit *Nicetas*, Nicetas.l 3. Pythone diſtentus, *Inſtar pulli equini, & hominis furioſi diſcurrendo, ſaltando, inſanoſque geſtus edendo, ariolabatur.*

——————*Vidi egomet ſuccinctam vadere palla*
Canidiam pedibus nudis, paſſoque capillo Horat,lib.1. Cat. 8.
Cum Sagana maiore vlulantem: (pallor vtraſque
Fecerat horrendas aſpectu) ſcalpere terram
Vngue, & pullam diuellere mordicus agnam.

Ericthonem magam ita deſcribit itidem *Lucanus*. Luca.lib.6.
Diſcolor & vario furialis cultu amicta
Induitur, vultuſque aperitur crine remoto,
Et coma vipereis ſubſtringitur horrida ſertis.

De alio venifico hæc *Seneca*:
—————— *Ipſe funeſto integit*
Vates amictu corpus, & frontem quatit Sen. oedip.
Lugubris, imos palla perfundit pedes:
Squallente cultu maſtus ingreditur ſenex.

In Delo *Apollinis* vates, vt omnes fatẽtur, a dæmonibus in truces, vltra omnem barbarei aſperitatem, vultus effingebantur: licet *Plutarchus* & *Ammianus Marcellinus* non hoc adſcribant dæmonibus ipſis, ſed loci fatidici vapori, aut ſoli in vates feruenti. Plut. de def. orac. Amiā. l.21.Chron. Lucan,li. 5.

Spumea tunc primum rabies veſana per ora
Effluit, & gemitus & anhelo clara meatu
Murmura: tunc maſtus vaſtis vlulatus in antris,
Extremæque ſonant domita iam virgine voces.

Mox edito oraculo ad votum *Pompei*:
—————— *Illa feroces*
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cælo
Lumina, nunc vultu pauido, nunc torua minaci
Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora,
Liuenteſque genas, nec qui ſolet eſſe timenti
Terribilis ſed pallor ineſt, nec feſſa quieſcunt
Corda, ſed vt tumidus Borea poſt flamina pontus
Rauca gemit, ſic multa leuant ſuſpiria vatem.

Neque iſtis quicquam mitiores, aut pulcriores *Sibyllæ*, ſi poëtis credendum.

—————*Bacchatur demens aliena per antrum*
Colla ferens, vittaſque Dei, Phœbeaque ſerta
Erectis diſcuſſa comis per inania templi
Ancipiti ceruice rotat, ſpargitque vaganti
Obſtantes tripodas, magnoque exæſtuat igne,
Iratum te Phœbe ferens: nec verbere ſolo
Vteris, & ſtimulos flammaſque in viſcera cogis.
Ventum erat ad limen, cum virgo poſcere fata Virg.li.6 Æneid.
Tempus ait. Deus, ecce Deus; cui talia fanti
Ante fores ſubito non vultus non color vnus,
Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument, maiorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine.

En furiatas mentes, en odio incenſas voluntates dæmonum in eos, qui cum ipſis familiarius verſantur! De *Corybantibus*, iſtis omnino ſimilia tradunt *Diodorus* & *Strabo*. Enimuero Dæmoni admodum gratum, videre in hominibus fæminiſque, tanquam in ſua prole, mores ipſius, & veluti paterna expreſſa lineamenta. Diod.ſic l 1 & 5. Str.l.10. Quis ergo ſeſe iſtis genijs adiungeret, naturæ noſtræ, omniſque in nobis venuſtatis oſoribus & plane conſtupratoribus? niſi qui ſua ſponte velit ſtatum ſuum futurum in inferno hic in terris præludere, omneque facinus meditari.

Rabide ſi iubeat Theſſala cantu Papin.li.4. Thebaid.
Horret capillis, vt marinus aſperis
Echinus, aut currens aper. Horat. epo. Car.10 lan.

5 Audiamus tamen *Ammianum* pro ſuo *Plutone* ac *Megara* differentem. *Aperiunt tunc quoque ventura*, inquit, *cum æſtuant hominum corda, ſed loquuntur diuina. Sol enim, vt aiunt phyſici, mens mundi, noſtras mentes ex ſeſe velut ſcintillas diffunditans, cum eas incenderit vehementius, futuri conſcias reddit, vnde Sybillæ crebre ſe dicunt ardere, torrente vi magna flammarum.* Ammian.l. 21. Chron. Qualis, te precor *Ammiane*, iſte tuus ſol, qui animas ex ſuo gremio in hominum corpora inſpergit? Et cuius ingenij ignis ille ſparſus, qui futura elucidet, eaq; vel furioſis præmonſtret? num *Phœbus*, cum *Plutone* demum confundendus? putas ne etiam Bacchicos, vino epotos, quos *Homerus* [illegible] vocat, ſcilicet ſaltatores, eodem ſole adurente diuinaſſe?

6 Iſtis porro ſagis ac dæmonum adminiſtris Hom Iliad. Eur.in Bac. Strab.lib.10. Liui. dec.2. vſurpate illos ritus in ſuis ſactis ac præſtigijs mos eſt, qui a natura tota auerſi, auctoremque dæmonem deſignant non niſi abſurdis ac deteſtandis actionibus addictum. Eis conſuetudo, ait *Fabius*, exercere facinus, *Quod dicitur ſydera diris agitare carminibus, tumulos buſtaque ſcrutari, & amputatis cadaueribus, ipſos in ſcelera armare manes.* Fab. declam

Per tumulos errat ſparſis diſcincta capillis,
Certaque de tepidis colligit oſſa rogis.

Enimuero vt Deo inſtitutum, cœlorum decora in ſuo ſacro myſteriorum apparatu repræſentare: ita dæmonem libido ſubit, ipſam ſtygem, opera ſuorum myſtarum, quodammodo adnoſtrum adſpectum exprimere, ad quem exitum buſta, oſſa ſemiuſtulata, cineres, ſordes, tabus, & reliquæ abſque horrore non nominandæ fæces, illi in vſu ac delicijs. Ouid.Hipſ.

——— *Illi namque nefas, vrbis ſubmittere tecto,*
Aut laribus ferale caput, deſertaque buſta
Incolit, & tumulos expulſis obtinet vmbris. Lucan,li. 6.
Grata dijs Erebi, cœtus audire ſilentum,
Noſſe domos ſtygias, arcanaque ditis operti
Non ſuperi, non vita vetat. tenet ora prophana
Fœda ſitu macies, cœloque immota ſereno
Terribilis ſtygio facies pallore grauatur
Impexis onerata comis. ſi nimbus & atra
Sydera ſubducant nubes, tunc Theſſala nudis
Egreditur buſtis, nocturnaque fulgura captat.
Fumantes iuuenum cineres, ardentiaque oſſa
E mediis rapit illa rogis, ipſamque parentes
Quam tenuere facem: nigroque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, veſteſque fluentes
Colligit in cineres, & olentes membra fauillas.
Aſt vbi ſeruantur ſaxis, quibus intimus humor
Corpora, tunc omnes auide deſæuit in artus.
Immerſitque manus oculis, gaudetque gelatos
Effodiſſe orbes, & ſiccæ pallida rodit

Excre-

Excrementa manu: laqueum nodoſque nocentes
Ore ſuo rapuit, pendentia corpora carpſit,
Attraxitque cruces, percuſſaque viſcera nymbis
Vulſit & incoctas admiſſo ſole medullas.
Inſertum manibus chalibem, nigramque per artus
Stillantis tabi ſaniem, viruſque coactum
Suſtulit, & neruo morſus retinente pependit.

En panopliam dæmonis, & eius aulæ apparatum pluſquam barbaricum: nouit enim ipſa barbaries ſepulcra inuiolata præſtare, mortuis parcere, a feralibus cibis abhorrere, concubia nocte quieſcere.

(Papin. lib. 5. Siluar.)

——— Tacet & omne pecus, volucreſque feræque,
Et ſimulant feſſos curuata cacumina ſomnos.

Cæterum Theſſalæ iſtæ a dæmone percitæ, omnia peragunt contraria, naturæ ordinem ac leges aſpernatæ. Nouit probe nefarius dæmon, hominem, tam quoad corpus, quam animam, magno eſſe in precio apud Deum; ex quo delectatur, ſi illi ſeu ſpiranti ſeu mortuo, indignitatem, opprobriumque quoquo modo inferre poterit. De quo hæc *Apuleius* magorum inſtrumenta enarrans: quæ ſunt, *Infalicium nauium durantes claui, defletorum, & ſepultorum cadauera, expoſita multa ad modicum membra. Hinc nares & digiti, illinc carnoſi claui pendentium, ſiue ſuſpendio necatorum: alibi trucidatorum ſeruatus cruor, extorta dentibus ferarum trunca cadauera. His videlicet comparatis, ac decantatis fibris pecudum ſpirantibus, vario latice litabant, nunc rore fontano, nunc lacte vaccino, nunc melle montano, mulſa etiam libantes. Nam nec mortuorum quidem ſepulcra tuta dicuntur, ſed buſtis & rogis reliquiæ quædam & cadauerum præſegmina ad exitiales viuentium fortunas petuntur.* Neſcio ſane vtrum magis horum ſpurcitiem deteſtarer, quam admirarer impietatē: quomodo ergo in eis reſupinata, plane natura humana, quam ingens in eiſdem flagrant cupido vindictæ, aut lucri, qui hæc audent, qui hæc contra naturæ leges peragunt!

(Apul. lib. 3. Aſin. aur. & Miſcel. 2)

(Senec. Med.) *Tibi ſanguineo Ceſpite ſacrum*
Solemne damus: tibi de medio
Rapta ſepulcro fax nocturnos
Suſtulit ignes: tibi mota caput
Flexa voces ceruice dedi.
Tibi funereo de more iacens
Paſſos vincit vitta capillos:
Tibi iactatur triſtis ſtygia
Ramus ab vnda: tibi nudato
Pectore mænas ſacro feriam
Brachia cultro.

(Horat. Epod in Canid.) *Manet noſter ſanguis ad aras.*
Canidia breuibus implicata viperis
Crines & incomptum caput
Iubet ſepulcris caprificos erutas,
Iubet cupreſſos funebres,
Et vncta turpis oua ranæ, ſanguinem
Plumamque nocturnæ ſtrigis,
Herbaſque quas, & Cholcos Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et oſſa ab ore rapta ieiunæ canis,
Flammis aduri Cholchicis.

7 Huiuſmodi horroribus cæremoniarum ad immanitatem accedunt veneficia, præſtigiæ, maleficia dæmonum, magicis inſtitutis propagatæ, ex quibus intelligamus, quam deprauata ſint eorum ingenia, qui dæmonibus ſupplicare & obſequi ſecum abiectiſſime decreuerunt. Imprimis, quod notat *Plutarchus*, plane rabida dæmonum libido in puerorum ac infantum neces. de qua re ille diſſerens, affirmat, totum hoc præſtare dæmones, adactos amore in ipſis animæ, quam vt liberius poſſideant, ait, cupere, vt corporibus exutæ, plenius abſque obſtaculis deueniant in eorum poteſtates. quod ſi hoc illis fuerit denegatum, tunc affirmat, ſolere illos in omnia furere, in vineas nempe, in campos, in corpora. vidi ipſe in Gallia recens nato detractam pellem, in qua ſuos characteres vario lemmate magi deſcripſerant. De *Vatinio* hæc *Cicero*:

(Plutarch. de Socra. dæm. de orac. pyth.)

Puerorum extis Deos inuocare ſolebat. (Cicer. in Vatin.)

Extrahitur partus calidus ponendus in aris. (Lucan. lib. 6)

In Paleſtina idolum *Moloch* infantes incendio paſſim deuaſtabat. Ab iſtorum cædibus ad aliorum cædes progrediuntur magi, in vniuerſum demum genus humanum truculenter graſſantur.

Atque huc ades, qui purpurantem combibas (Eurip. hecu.)
Iura puellæ ſanguinem, quem tibi damus
Ego atque populus.

Deuouet abſentes, ſimulacraque cerea fingit, (Ouid. Hipſ.)
Et miſerum tenues in iecur vrget acus.

——— Micet in pectus (Senec. Medæa.)
Venaſque calor: ſtillent artus
Oſſaque fument.

Magicis deuinctionibus, inquit *Tertullianus*, *homicidium perpetratur.* an non ab omni ciuilitate exterminandi, qui familiares effici volunt iſtis in noſtrum genus adeo feralibus beſtijs? (Tertull. lib. de ſpectac.)

8 Quo magis etiam adhuc malitia horum geniorum, vt eam fugiamus, innoteſcat, animaduertere licebit, ea appetere eos a ſuis aſſeclis exercenda, quæ rationi, omniſque religionis decentiæ prorſus aduerſantia. hoc imprimis manifeſtum fecere cruentæ hominum mactationes in ſacris *Bellonæ*, in ludis Circenſibus ac theatralibus; in hominum ſacrificijs, in nefandis vel in ipſis templis conſtuprationibus. Hinc *Prudentius Honorium* Imperatorem iſtis compellat: (Prud. l. 2. cont. Sym.)

Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari.
Hoſtia concideret mactata mæſta parentis,
Exitus vt claſsis fœlix fauſtuſque daretur. (Sen. Agam.)
Prudens placaui ſanguine diuos. (Luc. l. 1.)
Tantum relligio potuit ſuadere malorum. (Hor. lib. 3.)

locum porro fœtidum appetunt dæmones, in quo habitent. *Aiunt quidam* inquit *Climachus*, *nulla re ita ac fœtore, dæmones delectari: inde nullo alio vitio ita delectantur, vt coinquinatione corporis noſtri.* Vnde fatetur *Porphyrius*, guloſorum corpora dæmonibus interdum domicilia. Sepulcrales cineres eiſdem gratæ, quo ſuperſtites informarent, teſte *Sedulio*, *Demortuorum animas in dæmones transformari.* Sacrificiorum nidores, exſanguia & rugoſa cilicetnia, denique ipſos porcos, vt notat *Victor Antiochenſis*, auide conſectantur. *Immunda ſordium obſcœnitate lætiſsimum, & olentis cœni ſemper amicitiis inuolutum, pro ſuo adire meritis impetrarunt: quippe niger, hirſutus, & humidus, pro-*

(Sat. 3.; Clym. l. de Caſt. Gra. 15; Prop. l. de Eſu. Carn.; Sed. l. 3 ope paſ. cap. 2.; Vict. in S. Marc.)

pria deformitati conſentaneam ſtuduit eligere manſionem. Quæ quod ipſis Ethnicis conſtituiſſent, dæmones nuncupabant *Canes telluris* cum *Zoroaſtro*, cum *Lucano Canes Stygis*,

Triſmeg. in Pyman. Lucan. li. 6. Egulin. lib. 8. cap. 28.

Stygioſque canes in luce ſuperna:

vel cũ alijs, *Canes terrificos*, cũ *Sophocle* canes *ἀφύκτους canes ineuitabiles, Dei carnifices, feras terreſtres.*

Virgil. lib 6 Æneid. Sophoc. Elect.

——— *Viſique canes vlulare per vmbram.*

En metuendi ſæuique canes,
Iuſti flagitiorum vindices.
Paſſim intima nunc atria obambulant,
Nullo fugiendi pede.

9 Homines porro, quos promiſſorum dulcedine ineſcatos, ſibi dæmones adglutinant, ad extremum miris dolis ludificant, ad altum ſpei elatos, deluſos poſtmodum ac miſeros, vitijs etiam grauatos, in imum dedecoris, vituperij, ac deſperationis ſubinde præcipitant. quod ſi quis minus verum, vtpote a nobis Chriſtianis dictũ, ſuſpicetur, aduertat is animum vel ad veterum ſcripta, & experietur, nihil expreſſius, affirmatius nihil ab eis proclamatum. *Omnis intemperantia*, inquit *Porphyrius*, *ſpeſque diuitiarum & gloriæ ex his innoteſcit: præcipue vero deceptio. mendacium enim proprium eſt huiuſmodi dæmonum. Præſtigiatoram* inquit *Arnobius munera. familiariam dirumpere charitates; vxoribus & liberis alienis. ſiue illi mares ſint, ſiue famiaei generis, inconceſſi amoris flammas & furiatas immittere cupiditates.*

Porph. lib. de Abſtinẽt. Auguſtin. l. 21. Ciu. c. 14. Arnob. lib. 1 cont. Gent.

10 Rerum etiam vſu obſeruatum, fallaces hoſce dæmones, ſuos ſequaces ad varias miſerias, præſertim paupertatem demum compellere. Hoc teſtantur Sagæ paſſim ad ſtipitem alligatæ pereuntes incẽdio: quibus vt ait *Theuetus*, pluſquam amatorijs poculis dæmones amaſij aliquando blandiebantur. Nefandi iſtius commercij princeps *Zoroaſtes*, Rex *Bactrianorum*, teſte *S. Auguſtino*, a *Nino* Aſſyriorum rege captus, regnoque exutus, miſerrime perijt. Atque vt obſeruaui, quædam exiſtunt hominum genera, quæ vulgo indigentia continenter conflictari ſolent: malefici nempe, Empyrici, Iudiarij, Aſtrologi, Alchimiſtæ, & Angli *Puriſani*: quod etiam in partem adnotarunt *Chirlandus*, & *Delrio*.

Theuet. lib. 8. Coſm. Auguſtin. li. 21. Ciu. c. 24. Chirland. l. de ſortil. q. 3 Delrio lib. 2 Diſq. 4. 13.

11 Denique iſti dæmones ita ciuilitatis legibus obſiſtunt, vt mutuo infeſti ac plane contrarij inueniantur. Hinc enim neceſſe, illorum iras ac diſcordias ad ipſorum cultores deuenire. Apud veteres, inquilini in ædem ingreſſuri, in qua mox habitarent, ritibus prius placabant eiuſdem lares, ne ipſis eſſent poſtea peſtilentes.

Sophoc. Elect.

Eamus intro, ſupplicemus patriis
Delubra quæcumque hac colunt penatibus.

Linius dec. 5. lib. 1. Sprenbergh 2 part. q. 2. Delrio lib. 2. diſq.

Idem mos in eundem finem inualuit apud Romanos ciuitatem obſidentes, vt ſcribit *Liuius*: vnde obſeruarunt *Sprenbergius*, & *Delrio*, aliquoties vnius malefici veneficium præualuiſſe, altero ab eodem occiſo: quaſi fortiore dæmone infirmiorem debellante.

Virgil. 7. Æneid.

Luctificam, Alecto dirarum ab ſede ſororum,
Inferniſque ciet tenebris, cui triſtia bella,
Iræque inſidiæque, & crimina noxia cordi
Odit & ipſe Pater Pluton, odere ſorores
Tartarea monſtrum, tot ſeſe vertit in ora
Tam ſæua facies, tot pullulat atra colubris.

Nihil ſane prius habuere dæmones, quibus veteres ſacrificabant, quam ſuos cultores non imputare modo, verum etiam miſerijs conficere, & immanitate efferare. *Crudeles*, ait *Clemens Alexandrinus*, Gentiles compellans, *maiuſque hominum hoſtes dii veſtri ſunt. Non ſolum amentia lætantur veſtra, verum etiam modo per contentionem certaminis, modo per cupiditatem victoriæ, animis veſtris incantantes, ad voluptatem ſuam immolationes hominum poſtulant.* De qua etiam re ſcribit *Euſebius*.

Clem. Alex. ex hiſt. ad Euſeb. lib. 4. præpar. c. 3.

12 Videant iam in rem ſuam nimis auidi politici, quale ſit officium, cum dæmonibus, Chriſti coniuratis hoſtibus, ſcelerum fautoribus, turpitudinum amatoribus, crudelitatis incentoribus, voluptatum doctoribus, humani generis illuſoribus, vitę negocia tractare. Cogitent ſecum, an ſordidi hi genij in ciuitatem ſuam admittendi, quos ſæpius *Roma* etiam ethnica, vt *Cicero*, ac *S. Auguſtinus* teſtantur, exturbauit. *Si* veritatis aſſequendæ ardor vos extimulet, monumenta fidei, ſacris literis exarata, diſcutite: puros a ſcelere animos diuino radio ſubijcite, vt diuinitus luce imbuamini. Si vindictæ cupiditas vos vrgeat, cogitate Deum, ac Parentem veſtrum, deſuper rebus veſtris ita proſpicere, vti inultos tandem nolit eſſe, qui iniuſte vos perſequuntur. porro leges habetis, ciuiumque amicitias, quæ veſtras fortunas contra vim inſidiaſque inimicorum ſtabiliant: ac miſſos facite hoſce Tartari canes, magos horrendos omni Schyta, adeoque tigride, immaniores, nocentioreſque. Cum autem prauus error Ciuium mentes obtinuerit, aut in eis lumen intelligentiæ oppreſſerit, haud mirum, ſi animus in eis, voluptate & ſuperbia furiatus, omne ciuilitatis momentum exſcindere conetur, vt poſtea oſtendemus.

Cicer. lib 1. de legib., S. Auguſtin. lib de Ciu. cap. 19. Dio Caſſ. lib. 37.

Ouid. lib 6. Faſtor.

Nocte volant, pueroſque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora capta ſuis.
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Hanc animam vobis pro meliore damus.

13 Cum itaque praui dæmones adeo ſint acres & exciti in noſtrã perniciem, commendanda plurimum Dei in nos bonitas, quæ bonos angelos ad noſtram cuſtodiam deſtinauit. quod officium angelorum, ſimulque Dei beneficium, etiam veteres, ſeu ratione ſeu experiẽtia inſtructi, agnouere. ob quam cauſam *Heſiodus* angelos appellauit *φύλακας θνητῶν ἀνθρώπων, Cuſtodes mortalium hominum.* Hi vero natura & moribus puri, Dei cognitione eximia illuſtrati, ſimulque amore illius accenſi, cupiunt ſuo ad nos appulſu nos reddere ipſis ſimiles: vt nempe eorum admonitione edocti, ſpiritualiter ambulemus, ac deſideria carnis haud perficiamus. Norunt magnum in nobis a carne pondus, in ima nos continenter vrgere, ac in multis efficere, vt in nobis ſpiritus, ſcilicet anima, vitæ genere tranſeat quodammodo in carnis ingenium. Norunt etiam huic ponderi innato vires ſuas conferre malignos ſpiritus, inuidentia in nos plane rabidos canes, & omni vafricie ad nocendum imbutos: proinde ne in nobis ſpiritus labatur, ne indignis modis corrumpatur, ipſi ſalutares & amantes ſpiritus ad nos accedunt. quod cum in gratiam ſpiritus præſtent libenter, tum id libentius peragunt ſcientes, filium Dei pro noſtris ſpiritibus redimendis emiſiſſe ſpiritum

Heſiod. dier. & oper. & Theog. Gall. 10.

tum ſuum: ſimulque ſuo diuino cruore eoſdem conſignaſſe, emundaſſe, ſacraſſe, quo a deuaſtantis angeli ictibus defenderentur. Hoc in nobis admirantur Angeli: hoc colunt & exoſculantur, non enim ita flos inuitat ad ſe apem, vt hic conſpectus cruor Angelum. Cruor iſte hominum redimendorum priuilegium extitit. ædes proinde hominum olim habebant ſuperliminaria & poſtes inuncta ſanguine, non tabernacula angelorum. in illo tamen ſanguine licet in abiecta ſorte ſuperliminaris, reuerebatur Angelus percutiens ſanguinẽ Chriſti, & noſtri generis dignitatem tunc agnouit. *Videbo ſanguinem*, ait Angelus, *& tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.* væ illis, qui mala vita, qui hæreſi, vt ait Apoſtolus, conculcant hunc ſanguinem Chriſti. quod ſi fecerint, non ſolum ab angelo exterminatore percutientur ipſi, ſed & permittet illos Deus auerſos a bonis angelis cadere tandem in fœdum magiæ ſtudium, vt cum turpiſſimis dæmonibus, cultu & moribus præludentes hic in terra æternam ſuam cum illis damnationem in inferno, verſentur.

Ioan. 19. — Exod. 12. — Heb. 10.

14. Et quidem hæretici, poſtquam ad exitum temporis ſucceſſu deuenerint, proni omnino in hanc magiam. Proteſtantes dum omnia fidei momenta reuocant ad ſolum iudicium priuati ſpiritus, inde, vt poſtea dicetur, ducunt homines in dubia, plane oppoſita fidei diuinæ certitudini. a dubijs autem interminis, tranſeunt ad apoſtaſiam vel atheiſmum. Dubitationes autem, quæ de rebus fidei ſuſceptæ admittuntur, valde inclinant homines in magiam. ob quam cauſam recolit *S. Auguſtinus*, eos ethnicos, qui doctorũ Chriſtianorũ in primitiua eccleſia ſcholas frequentabant, neque voluere in fidei noſtræ ſententiam concedere, magiæ ſectatores demũ euaſiſſe. Quod ad proteſtantum hac in re conatus, luculentũ omnino hodierna die in Scotia argumentum: vbi magi & veneficæ plane abundant. ex vna enim parte incolæ dubij quod ad fidei myſteria, & ſacramẽtis eccleſiæ deſtituti, ex altera, ocio diſſoluti, rerum penuria vexati, & extrema malitia efferati, magiam ſibi adſciſcunt. imo in huius aſſerti fidem, audiui etiam in Anglia hodierna die magiam in pleriſque locis in precio eſſe. Hoc Lituania, Tranſiluania, Cleuia, in quibus proteſtantes ſua venena hæreſum libere ſparſere, frequenti vſu magiæ verum eſſe teſtantur.

Auguſt. l. 2. Doct. Chriſtian. ca. 40.

15. Huc etiam reuocari poſſunt varia illa ſigna, ex quibus diuinare voluere olim veteres de Dei voluntate. Etenim non modò falſam plerumque inquiſitoribus illa dabant ſententiam, ſed etiam vitam humanam, quod ad ſua negocia, perturbabant, eam nunc inani ſpe lactando, ſubinde vero, ingenti timore percellendo; imo in contraria prorſus auguria eadem viſa interpretari ſolebant. Sit vnicum huiuſce rei exemplum deductum a quatuor equis, quos in campo vidit *Æneas* oræ Italicæ: ſtatim etenim *Anchiſes* inde præuidit acre bellum in Italos futurum:

Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur. — Virgil lib. 3 Æneid.

Poſtea autem ſecum expendens eorummet equorum iugalem tractum, quo frequenter conſociantur, pacis & concordiæ ſignificationem ab eiſdem accepit.

Sed tamen iidem olim curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, & fræna iugo concordia ferre.
Spes eſt pacis, ait.

16. Verum quidem eſt, Deum haud obſcuram interdum præbere mortalibus ſuæ voluntatis per externas rerum ſpecies, ſignificationẽ, vtpote olim per fulgores lapidum in Rationali ſummi ſacerdotis Iudaici, nonnunquam etiam per oſtenta monſtrorum, per prodigia ac ſimilia. Cæterum veteres non ſolum ſuperſtitioſe, verum etiam cum inquietudine vitæ humanæ, & boni publici incommodis, ſæpius de diuinæ voluntatis arcano ſenſu inaniter diuinarunt. Hinc crepitantes ex lampade flãmæ, aduſtæque lauri aut merii in foco ſtrepitus, habiti ab illis ſecretorum Dei interpretes: quaſi voluiſſet Deus, tam vilibus characteribus, adeoque incertiſſimis, ſua decreta conſignari, & hominibus indicari.

Ioſep. lib. 8. antiq.

Interea lumen, poſito nam ſcribimus illo,
Sternuit, & nobis proſpera ſigna dedit.
Ecce merum nutrix fauſtos inſtillat in ignes,
Cras erimus plures, inquit, & illa bibit.

Ouid Epi. Heron.

Eadem de cauſa illi veteres laurum appellabant [illegible] diuinatricem plantam, teſte *Heſiodo*: nempe ex ſuo ſtridore vario in ignibus. imo lauro comeſtæ dedere vim inferendi alicui poëticos enthuſiaſmos & futurorum prænotiones.

Heſiod. Theog.

——— venturi præſcia laurus. — Claudian. l. 1 in Ruffin.

Vera cano, ſic vſque ſacras innoxia laurus
veſcar. — Tibul. Eleg. De Sibil.

Qui domo, illis veterum temporibus egrediebantur, ex varijs obiectis captabant futurorum intelligentiam.

Cum foribus velles ad Troiam exire paternis,
Pes tuus offenſo limine ſigna dedit.
Vt vidi, ingemui, tacitoque in pectore dixi,
Signa reuerſuri ſint precor iſta viri.

Ouid Epiſt. Laodam.

In ſuis etiam Penatibus, vtpote eorum motu & ſono, neſcio quid præſagitionis iidem veteres deprehendere.

Crede mihi plus eſt quam quod videatur imago.
Adde ſonum ceræ, Proteſilaus erit.

Pariter exiſtimarunt in hoſtiarum extis deſcribi diuinitus futurorum euentuum rationea.

—— per te præſentit haruſpex,
Lubrica ſignauit cum Deus exta notis. — Tibul. lib. 3. Eleg. 5.

In hunc vſum prænotionis, veteres in motibus pullorum, quaſi legebant quid in vnoquoque cœpto fauſtum, infauſtũue exitu futurum inde recolit *Plinius Secundus*, *Aulum Hoſtilium Mancinum* profectum Numidiã, *Vetantibus auibus*. proinde quod ad ſenatum cogendũ, quod ad bellum ſuſcipiendum, quod ad magiſtratum creandum, denique quod ad omnia negocia publica & priuata, nihil illi priſci ſtatuere niſi ex augurijs pullorum, præſertim Melicorum & Chalcidicorum, vt tradit *Alexander Neapolitanus*. iſtis adiunxere auium cantus, quaſi diuinorum quoque oracula.

Plin. de vir. illuſt. cap. 59 — Alex. lib. 5. cap. 82. lib. 1 cap. 29.

——— ſibi deditus augur
Scit bene quid fati prouida cantet auis. — Tibul. lib. 1. Eleg. 1.

Huc referenda obſeruatio Romana, ſcilicet tonante cœlo, nullam condēdā legem in comitijs: eo quod ſi id fieret, omnia conſilia eſſent infelicitanda. *Ioue tonante*, ait *Cicero*, *fulgurante, comitia populi habere nefas: quod omnia, quæ tunc ſenatus populuſque Romanus decerneret, Dijs ſuperis diſplicere viderentur.* Habuere etiā Romani dies quoſdā nigros, ſeu nefaſtos: ſcilicet minime idoneos, in quibus negocia proſpere ſuſciperentur. quos dies eo titulo condebant, ex infelicitate aliqua aut maximis ſceleribus, in eos incidentibus aut perpetratis. inde *Plinius ſecundus* recolens *Fabiorum* in prœlio neces, eis a veientibus illatas, ait: *Dies, quo id factum, inter nefaſtos relatus. porta, qua profecti fuerant, ſcelerata eſt appellata.* vanum autem & inciuile ſine ſolido fundamento, diuinitus oſtenſo, conſtituere in huiuſmodi rebus diuinæ voluntatis indicia ſeu argumenta. quod qui non faciunt, non ſolum inde in vita, inquietantur, verum etiam plurimas prætergrediuntur occaſiones, reipublicæ bono procurando apte inſeruientes, leui religionis motu ac metu alio delati.

Plin de vir. Illuſt. ca.14

CAPVT VI.

Appetitiones voluptuoſa in ciuitate inſtitutæ, aut permiſſa, magnam in ſe a ciuilitate ad barbariem continent declinationem

IN vniuerſum qui boni communis extra ſe poſiti negligentes, ad bonū propriū ſiue ex voluptate ſiue honore oriatur, reſpiciunt, ij ſiue Principes ſiue ſubditi fuerint, totā vim ciuilitatis inde euertunt. hoc pacto Princeps omnia ſua cōſilia ad ſe referens ac ſuo definiēs, tyrrannus euadit, & quæ a populo recipiat, non quæ populo det, cogitabit. tales appellat *Heſiodus* Principes δωροφάγους *Munerum deuoratores*, ac ipſius populi deuaſtatores. ſimili ingenio affecti iudices, non quod iuſtum, ſed quod ipſis ſuaue aut compendioſum, ſuis ſententijs decernent. eodem imbuti milites, quæ ad ſtipendia accipienda conferunt, ea ſedulo ſecum penſitabunt, reliqua ad publicum bonum ex victorijs ſpectantia, parum habebunt. Mercatores quoque in vnum lucrum votis intenti, nihili facient detrimenta emtorum aut vendentium, ſed quodammodo ſanguinem inſugent eorum quibuſcum agunt. Quocirca generalis origo intemperiei in ciuibus, quæ aduerſatur harmoniæ ciuili, & communi Bono, cernitur in priuato amore boni voluptuarij aut iucūdi, quo armati videntur in demolitionem Boni honeſti, ſimul ac ſocietatis ciuilis. Tota autem hæc vis adeo contraria Bono communi, luxuria & ſuperbia continetur.

Heſiod. dies & oper.

2. Voluptatis appetitum magnam vim obtinere in hominis mores, imprimis inde conſtat, quod per omnes animæ ipſius vires, etiam eas, quæ naturæ ingenio quodammodo acerbeſcunt, quam latiſſime diffundatur. Etenim dulce, vel tragœdiarum luctus motuſque horrendos audire vel intueri. Dulce ingentem lacrymarum copiam doloris vehementia exprimere; atque cum *Adimeto* vxoris mortem deplorante immoderatius, dicere: *Dolendi voluptas me huc rapit.* Plut. lib. de volup.

Cumque vt ait *Ariſtoteles*, ſit voluptas *Generatio ſenſibilis ad naturam*, ſub ſpecie perfectionis naturalis frequenter decipit, ac eo in ſui complexū mortales rapit vehementius. Ariſt. l. 7. et. cap. 11. Videtur enim perfectio tactus, deliniri dulcium acceſſu, olfactus, odoribus delectari, viſus, ſpecioſis obiectis capi, auditus, ſuaui concentu demulceri: maxime cum ſenſus in hæc bellaria inſita ſibi a natura, vi deferantur. ex quo perfectio inde capienda vt naturalis, ita commendabilis potius quā vituperabilis iudicetur. Hoc, vt vis ac neruus eſt voluptati, ita eidem faſcinij loco inſeruit. Nihilominus hæc voluptatis ſenſitiuæ immenſitas coercenda, eius impetus repellendus, ne anima vtriſque erumpat in vitæ barbariem & aſperitatem. ad hoc autem imprimis conducit decreta quædam cognitio vilitatis, ex eo obiecto hauriendæ, circa quod voluptas verſatur: ratione cuius quod ea homini cum bruto communis, hominem accedere facit ad *Bruti* conditionem, vt *Seneca* docte patefecit. Sen. ep. 123. Neque hunc ipſius deſcenſum impediunt colores aut ſplendores, qui voluptati etiam ab ea paſſim inducuntur: vtpote *Cleopatræ* eborata nauigia, cum auratis funibus nauium vela; exquiſitæ res, arte comparatæ, ingenti ſumptu coēmptæ, ocdū vel Indiana illa ſpecies oblectamentorum, oculis ac ſenſibus quantumuis lenocinantium, de quibus cecinit *Lucanus*. Pacian pro Theodoſ.

Quique bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos, Lucan lib. 3.
Et qui tingentes croceo medicamine Cindon,
Fluxa coloratis adſtringunt carbaſa gemmis.

Enim verum, quod dici ſolet, *Simia ſemper ſimia, licet aureis veſtibus exornetur.* Eleganter idcirco *Homerus* finxit, Sirenum inſulas mortuorum oſſibus conſperſas: quod nempe homines, voluptatibus diſſoluti, vt inquit, *Pauſanias*, *Audita Sirenarum cantilena*, *tabeſcunt putreſcunt*, pro exitu deliciarum, rationis in ipſis mortem, ſimul ac dedecoris cōtra honorem fœtorem ſortiti. Pauſ. in ph. quam ſui vel ad morticina, voluptatis conſuetudine, abiectionem, homo naturæ indole animaduertens, peracto decurſoque eius hauſtu illico ad facti cogitationem ſeſe conſiderans, ſuppudeſcit, & quadam triſtitia afflictim exacerbari ſe intus ſentit. hinc *Cupidinis* tela, nectare licet delibuta, acuta tamen ad nocendum, apud *Euripidem*. Eur. Med. Neque ſolum fœda voluptas ad illecebræ contumeliam, animam deprimit, verū & corpus ipſum, omneſque ferme vitæ actiones, deijcit ad aſpectabilis quamdam opprobrij abyſſum. Videmus enim voluptati intemperantius deditos, ipſis plane ſordibus cum *Copronimo* delectari, corporis ſui mūdiciem cultumque penitus aſpernari. præſertim vero vſo venit Borealibus, in craſſiores voluptates ſemel delatis, protinus venuſtatem omnem corporis, ac nitorem actionis amittere, ſocietatem eligere ſordidam plane, mores penitus tranſferre ad fœditatem, ad linguæ nempe procacem turpitudinē, actionumque externarum næuos plane ac dedecora. quibus ſi adfuerit vilis aliquis ſeu venalis famulus, qui ipſis aduletur, is magno in precio

cio apud eos fuerit, ac in vita pene ſocius, ſi nō breui dominus. eorum vero interim conſortia penitus declinabunt, qui ciuilitate ad honores politi, eiuſmodi mores ducunt vituperabiles. quamubrem inter alios inciuiles effectus vo-
Plut.Dial.4. de Regno. luptatum, recenſet *Plato* etiam mollitiem quamdam, & diſſolutionem.

3. Illa etiam mollis ac delicata ſpecies in corpore, quam ex ſe immittit interius concepta voluptas, potius deformis ac turpis quam decora. Etenim cum decus corporum conſiſtit in apta partium in eiſdem proportione ac conſonantia, eorumque contra, deformitates, oriuntur ex earumdem partium improportione & diſconuenientia; inde conſequens, voluptatem deformē reddere hominem, quippe ordinem partium in illo inuertentem. principio, generali quodam, modo parit in homine voluptas quamdam improportionem. Cum enim homo ſit a natura ita iuſtitutus, vt viuat ex rationis diſciplina, nō ex ſenſuum petulantia, tum illa in corpore delicata forma oſtendit, ex imperio ſenſuum vitā eſſe potius definitam, quam ex imperio rationis: proinde eiuſmodi improportionis oſtentus in corpore, turpis & dedecoroſus videtur iudicijs aſpicientium. Deinde ex ciuibus plerique profitentur eam vitæ legem, quæ rigorem laboris, auſteritatem actionis requirit: proinde luxurioſus, comptus ac nimium floridus corporis habitus, turpitudinem improportionis aliorum oculis obiectat.

Ouid.Sent. *Candidus in Nauta turpi eſt color: æquoris vnda*
Debet, & a radiis ſideris eſſe niger.
Turpis & agricola, qui vomere ſemper adunco,
Et grauibus raſtris ſub Ioue verſat humum.
Et tu palladia petitur cui fama corona,
Candida ſi fuerint corpora, turpis eris.

Eo quā deformis voluptas, etiā dum formæ vel maxime cōſulere videtur: ornādo deturpat, poliendo corrumpit, adiungendo ficticiū colorē, veram pulcritudinem deflorat. certe ſi quis in hoc ſpeculo Philoſophiæ, voluptati deditus ſe adſpexerit, in fucis ſuis, in læuoribus, in auro ac gemmis, in cirris maximas deformitates deprehendet, ſiue Martius, ſiue Palladius, ſiue in quouis genere ex profeſſione induſtrius, fuerit. Huiuſmodi itaque vituperabiles voluptates modum naturæ excedunt, tametſi in ſui leuamen ſibi natura quaſdam voluptatum formas conceſſit.

Prud. carm. de Ieiun. *Lex hæc data eſt caducis*
Deo iubente membris,
Vt temperet laborem
Medicabilis voluptas.
Verum ſi terminos exceſſit,
Prud. periſt. *Carnis voluptas omne per nefas ruit.*

4. Quod ergo voluptates tam animam, quam corpus a ſtatu altitudinis ſuæ ac decore vrbanitatis abijciant ad infima quæque, adeoque fœdiſſima, conſequens, eaſdem ciuilem dignitatem in qualibet perſona, maxime autē in principe, debere diffugere. quis enim eſt, qui laſciuiam, qui ebrietatem, qui verborum fæces, non contemnit tanquam actionum ſordes? idcirco ſi magiſtratum gerens, populi iudicio illis contaminetur, nulla purpura, quantumuis flagrans, nullæ illuſæ veſtes, quouis artificio commendabiles, ſceptrum nullum, licet rigidiſſimū, a dedecore, a deriſu, vel ſcommatibus ſplendorem vel maieſtatem ipſius vendicabunt. Sæuus *Nero* cunctis horrori fuit, nihilominus volup- Suet.in
tatum fæcibus coinquinatus, omnem vim contumeliæ in ſe a plebe coniectam excepit: eamque in eum iacere, ſaltem in occulto, nullus vel popularium reformidabat. *Ageſilaus*, idcirco, Plut.Apoth.
teſte *Plutarcho*, aſſidue in ore habebat, *Ducem* lacon.
non mollicie & luxu, ſed tollerantia & fortitudine debere ſubdita anteire.

5. At vt diſtinctius ciuilis vitæ clades recenſeamus, ei a concretiori voluptate incuſſas, principio cogitandum, hoc eam in ſe habere, vt ingenia hæbetet, abreptaque a puritate & vigore intelligentiæ, transferat ad rerum particularium anguſtias, adeoque ſenſibilium formas infimas: quod *S.Thomas* a Philoſophia ducta
ratione luculenter comprobauit, affirmando, S.Thom. 2.
Delectationem ſenſus rationi contrariam, impedire 2.q.4.art. 1.
æſtimationem intellectus ſpeculatiui. Ariſtoteles pari- ad 3. 1.55.art 6
ter idem docuit. *Quæ enim muneris functio iucun-* Ariſt.lib.10
dior eſt, ea depellit ac diſcutit alteram: eoque magis, Ethic cap.5.
quo maior ſit illius voluptas, adeo vt in altera re ſuo muneré fungi non poſſit. Ob hanc ipſam cauſam,
Heraclides Venerem, dictam ἀφροσύνη videlicet ſtul- Her. Alleg.
titiam, recte autumauit: quod nempe animi lumen eius libido vel debilitet, vel extinguat. Quā autem ingens malum contra ciuiles mores, & bonum publicum, ciues ignorantia retardari, prægrauari, indociles eſſe, incapaces reperiri intelligentiæ, qua fraudes in ſuam perniciem inſtructas perſentiſcerent, qua proprij commodi rationes aſſequerentur, patentius eſt, quam vt vlla indigeat commentatione. Videtur voluptas noſtra prorſus *Nilo* diſſimilis. *Nilus* enim non ad ingenia aliorum fluminum, quæ vaporum ἀτμοὶ ſeu fontes: ſed dictus ἀνίφελος expers ſcilicet vaporis, ex quo ſurſum elato pluuia in tenebris oritetur. voluptas autem apud nos percuſſa ac mota ab ardente in nobis ſole concupiſcentiæ, tanquam fluuius currens, ſuos vapores exhalat ſpiſſos quidem, qui ad animæ oculum aſcendant, eumque plurimum infuſcent. Purior autem *Nilus* voluptatis, qui alienus prorſus ab omni obſcuro vapore, in cælo tandē inueniendus: vbi torrens voluptatis erit, ſine vapore perturbante & ſumma ebrietas abſque defectu intelligentiæ. Ipſa etiam virtus in hac vita iuxta quandam proportionis legem, nobis exiſtit huiuſmodi, futurum præludens, *Nilus*, obnubilante vapore deſtituta. aliæ autem ſenſuum noſtrorū voluptates, quod *Nili* non ſint, e ſuis lacunis emittunt craſſiores vapores: a quibus intelligentiæ in nobis lumen, veluti inter imbres morborum caligine obfuſcatur.

6. Si quis porro naturæ vigor animo aut corpori ſit inſitus, illum veluti ardenti radio diſſoluit plane voluptas.

Liquitur, vt quondam zephyris & ſolibus iſtæ, Ouid, ad Iu
Soluuntur teneræ, vere tepente, niues.

Haud aliter animus voluptate molleſcit, quam caro, ſagina nimia obeſa. Nullius ſane hominis fortitudo ita confirmata, quam voluptas nequit excindere ſocordia, vel timore eā opprimendo.

mendo.

Fortem vocemus, cuius ex humeris leo,
Sen. Hercul. Fur. *Donum puellæ factus, & claua excidit,*
Fulſitque pictum veſte Sidonia latus?
Fortem vocemus, cuius horrentes coma
Maduere nardo?

Apposite proinde vel ad Philoſophię legem *Hector* à pugna ad ſuos in vrbe reuerſus, aromaticum vinum ei à Matre oblatum repudiauit.

Hom. Iliad. *Mellitum mihi, chara Parens, ne porrige vinum,*
Ne me debilites, roburque a corpore demas.

Vnde *Menelaus* pugnaturus cum *Paride*, certo ſibi victoriam pollicitus, ſtatim ac illius cultum delitiaſque animo reputaſſet.

Non cithara pulſus, Veneris nec dona iuuabunt,
Nec coma, puluereis quando miſcebere campis.
——————*da ſternere corpus,*
Virgil. Æneid. 2. *Loricamque manu valida lacerare reuulſam*
Semiuiri Phrygis, & fœdare in puluere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.

Neque cor eſt, quantumuis ferreum, quod ad hos voluptatum ardores non liqueſcat.

Claud li. 1. Rapt. Proſe. *Ferrea laſciuis molleſcunt corda ſagittis.*
Effigies non vna Deis, ſed ferrea martis
Ariſt. 2. pol. cap 7. *Forma nitet, venerem magnetica gemma figurat.*
Flagrat anhela ſilex, & amicam ſaucia ſentit
Materiam, placidoſque chalybs conquirit amores.
Sic venus horrificum belli compeſcere Regem,
Et vultum mollire ſolet, cum ſanguine præceps
Æſtuat, & ſtrictis mucronibus aſperat iras.

Sen. ep. 52. *Si faceremus*, inquit *Seneca*, *quod fecit Hannibal, vt interrupto curſu rerum, omiſſoque bello, fouendis corporibus operam daremus, nemo non intempeſtiuam deſidiam, victori quoque, nedum vincenti periculoſam, merito reprehenderet.* *Cæſar* ipſe in bello Pharſalico incredibili rigore induratus, ſubinde ad *Cleopatræ* delicitias, à victoria ac cæde concedens, vel fœmina imbecillior euaſit, ad meram quippe famam aduentantis hoſtis extimeſcens, ſeſeque in cubiculi ſecreta turpiter abdens.

——*quem non violaſſet Alanus,*
Claud. li. 20 *Non Scytha, non fixo qui ludit in hoſpite Maurus,*
Hic, cui Romani ſpacium non ſufficit orbis,
Paruaque regna putat Tyriis, cum Gadibus Indos,
Seu puer imbellis ſeu captis fœmina muris
Quærit tuta domus, ſpem vitæ in limine clauſo
Ponit, & incerto luſtrat vagus atria curſu.

7. At voluptas etiam aſpera ac biloſa, in principe quidem crudelia ac tyrannica, in ciue inuidioſa ac rixoſa; in omnibus prona in iniuriam, in contumeliam incenſa. Veræ autem ac genuinæ fortitudinis inſtrumentum non eſt: ſolum diſcordiarum, procacitatum, litis & iræ incitamentum.

Sen. Hipol. *Diua non miti generata ponto,*
Quam vocat matrem geminus Cupido,
Impotens flammis, ſimul & ſagittis
Iſte laſciuus puer, acre nitens,
Tela quam certo iaculatur arcu!
Venere inſtincti, quam magna gerunt
Grege pro toto bella iuuenci
Si coniugio timuere ſuo,
Poſcunt timidi prælia cerui,
Et mugitus dant concepti
Signa furoris. tunc virgatas
India tigres decolor horret,
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper & toto eſt ſpumeus ore.
Pæni quatiunt colla leones,
Cum mouet amor: tum ſilua gemit
Murmure ſæuo.

Obſeruat *S. Thomas*, voluptatibus deditos ex timore eas amittendi, vehementer ad iram & crudelitatem commoueri. vt enim vſu voluptatum perceptarum ipſæ voluptates maiores euadunt, & in eas ſenſus acrius intendunt, ita pari gradu timor, ſuſpicio & ſæuitia cum eis excreſcunt, donec ad inhumanitatem, voluptate mandante, peruenerunt. Ciues autem inter ſe rabidos eſſe & æſtuoſos, inciuile. S. Thom. 2. 2. q 10 art 1 & 2.

——*cernis hos tumulos Ducum,*
Et nuda totis oſſa, quæ paſſim iacent Senec Tro.
Inhumata campis? hæc Hymen ſparſit tuus.
Tibi fluxit Aſia, fluxit Europa cruor.

Indolentes pariter ad aſpectum miſeriæ in alijs, ſunt voluptatum appetentes. vident enim, inquit *Ariſtoteles*, ſe iam munitos eſſe fortunæ bonis, quo minus ab iniquitate caſuum perſtringātur: Ariſt. l. 2 et. ac proinde eorum ſenſus in alijs minus curant. Quis non indicabit *Vedium Pellionem* in ſilicem plane induruiſſe, cum famulorum ſanguine ſaginare voluit ſuas murenas in delicatiorem comeſtionem: *vt de Viſceribus earum* inquit *Tertullianus*, *aliquid de ſeruorum corporibus & ipſe guſtaret?* Tert. Apol. *Nero* omnium mortalium crudeliſſimus, itidem omni generi voluptatum deditiſſimus. *Mithridates* Rex Ponti ob immenſitatem ingluuiei & potationum, cognomento *Dionyſius*, præter cædem, quam fecit centum & quinquaginta Romanorū, inſuper vt narrat *Rhodiginus*, *Matrem, fratrem, ac filios tres impuberes*, Titi *denique filias interfecit.* Rohdi. l 29. cap 18

8. Quam autem in vniuerſum nocens ſit voluptas in ſtatum reipublicæ, intelligere poſſumus ex cōdicione vel vnius duntaxat familiæ, quam ea ſemel corrupit, ac ſordidam effecit. paterfamilias, ſi voluptati ſtudeat, in vtramque aurem indormiſcens, nullam rationem habebit redituum vel expenſarum: id ſolum auide arripiens, quod iucunde aduenerit. filij ſubinde parentum luxum imitari, nihil non facient, quo congeſta bona ab ipſis breui diſſipentur ac conſumantur. famuli in delicias effrænea, quæque ſibi opportuna illico deuaſtabunt. Vnde pereunte domus nitore, ſupellectile defluente, debitis contractis, cum omnia ad ſordes ac inopiam reciderint, impinget demum ſenſus, voluptatem inſequens, in illos exitus, & fines, qui vel maxime voluptati contrariantur. par omnino caſus reipublicæ, poſteaquam voluptatibus penitus immerſa fuerit. Sunt enim voluptatum negocia confuſa, prædatoria, ſubdola, irata, & ad extremum, felle, ex melle exeunte, amariſſima.

9. Maximas idcirco voluptates vel natura ipſa a ciuibus longe remouit, vtpote artium ſpacijs ab ipſis ſeparatas, naturæ repagulis ab eorum aſpectibus ſecluſas, ſumptuum damnis ac magnitudinibus munitas, quo minus ad illas vel petulantia eorum ingenia quandoque contenderent. Hinc gemmæ in alto maris abſtruſæ: aurū

præſidio draconum quaſi ac taurorum, vel ignem efflantium, cuſtoditum.

Lactãt. lib. 4. Diod. ſic. lib. 4. Virgil. Æneid. 4.

Aureaque Heſperidum ſeruans, fulgentia mala
Aſper acerba tuens immani corpore ſerpens,
Arboris amplexus ſtirpem.

Infælices ſane, ſi non ſibi, alijs tamen, illi *Iaſones* ac *Theſei*, qui harum rerum voluptatibus deliniti, in earũ poſſeſſionibus primi voluerunt deliciari:

Boet. lib. 2. Met. 5.

Heu primus quis fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmaſque latere volentes,
Precioſa pericula fodit?

Plato ea propter æquum exiſtimans, ciuium voluptatem in aurum delatam, compeſcere, ſua ciuitate pecunias vel omnino expulit, vel earum peculium magiſtratum gerentibus interdixit vt ex eius ſententia *Auerroes* diſputauit.

Auer. in Pa rap. 3. Ra. 2.

10 Multa quidem mala hominibus eueniunt ac eorum negocijs imminent, quæ eo tamen leuiora mala, quo homines naturæ ductu cadẽ diligentius vitant, ac a ſe repellunt: quis enim a malo non fugit, ſicut bonũ proſequitur, tametſi fugerit? proinde illud genus mali, quod ab homine ex naturæ ipſo ingenio deſideratur, quod ab illo libenter, amanter, & arcte ſtringitur ſi præſens fuerit, & ſi abſens, ſedula opera experitur, illud inter mala peſſimũ cenſeri poterit. ob hanc cauſam fingit *Heſiodus*, iratum Deum, quod *Prometheus* ex ſuo igne, ipſo inconſulto, hominibus dediſſet, ſtatuiſſe pœnas non ſolum in *Prometheum*, ſed & in omnes homines: quas inde dixit eis fore nocentiores, quod κακὸν ἀμφαγαπῶντες: ſcilicet quod animis ſuis eſſent oblectaturi, dum malum ſponte amplecterentur. Hoc enim eſt, ac ſi quis dedita opera furem in ærarium, ignem in horreum, venenũ in ſtomachum admitteret. Iſtud vero genus mali pernicioſiſſimi eſt voluptas cum pronitate naturæ in eius labem. cum enim nihil plus lædat quam voluptas, tũ eadem fucum faciens, maxime flagrat in mortalium votis. Malum enimuero ſic componi vt ametur, vt appetatur, vt ambiatur, vt voraciter deglutiatur, eo duplex ſane malũ videatur. Recte ideirco dixit *Heſiodus*, illud malum grauiſſimum eſſe ac maxime nociuum vitæ boneſtati ac quietudini, quod ita falſatũ, vt ab hominibus incredibili animi ſtudio ſit vltro amplexandum. quale hoc malum voluptatis, quod amabile, ac imperio quodam armatum in hominis cæcitatem & imbecillitatem: nihilominus malum, ac inter mala peſſimum! Huius rei conſcius Dæmon, qui & vera *Pandora*, ea nobis libentius adfert mala, quæ nos noſtro ingenio deſideraturi, quam quæ odio habituri. libentius proinde *Dauidi Berſabeam* proponit, quam *Iobo* incendium aut vlcus incutit. Nihil enimuero dirius, nihil truculentius iſtis verbis, a quibuſdam ex dæmonis inſtinctu vſurpatis: *O meum, o charum, o dulce malum!* Dæmonis meridiani: hoc eſt in aperta luce fallentis, malum iſtiuſmodi, telum eſt. Maiori odio inquit *S. Chryſoſtomus* proſequimur actum in furorem a voluptate, quam poſſeſſum a Dæmone ac inde furentem: quinimo huius miſeremur, illum deteſtati: *Quid ita tandem? quia ſpontaneum ad ſe trahit furorem, & oculos, & nares, & omnia generaliter diuerſoria, ductus & riues facit furoris.* Eſt itaque voluptas præſertim venerea, duplici ratione ingens malum. primo quod ſit malum animæ, cum alia mala corpus ſenant, animam potius nobilitant. Deinde corporis mala, vt paupertas, naufragiũ, & aliæ infelicitates, hominum viribus plerumque arcentur ac præcauentur: *Pandora* autem venerea, ſeu malum libidinis, inuitatur, emitur, ac varijs modis ſpõte procuratur. Ex cuius mali in nobis inſpectu non riſit Deus noſter, quaſi vltione delectatus, quod fecit Deus *Heſiodi*: ſed, dolore cordis tactus intrinſecus, imo lacrymatus, & ſanguine roridus, tantum malum in nobis extinguere laborauit. Hanc ipſam in nobis mali cauſam, ſeu ſpontaneam eius electionem, apud *Gellium* diſcutit *Pythagoras*. Inciuilis itaque voluptas: nec minus ciuium ſuperbia, vt iam manifeſto apparebit.

Heſiod. Oper. & Dies. — Pſal. 42. — Chriſoſto. Homil. 71. ad pop. — Gen. 6. — Ioan. 20. — Gell. lib. 6. cap. 2.

CAPVT VII.

Superbiæ motus, ſiue in faſtum, ſiue in iram eruperint, moram Ciuilitati contrarij.

SVperbiam illum animi motum eſſe intelligimus, qui cõtra ordinem rerum a Deo ſtatutum, altius quam oportet, excellentiam appetendo, aſcendit. quæ quidem excellentia a ſuperbia concupita, non cernitur ſolum in ipſis dignitatibus, ſeu forenſi auctoritate, ſed inſuper in qualibet præſtantia ſiue naturæ, ſiue doctrinæ, ſiue cuiuſlibet induſtriæ, modo quodam præpoſtero ab ambiente aſſerta ac vendicata. Cuius vitij in humanam voluntatem vim ex eo poſſumus intelligere, quod totius naturæ varias energias ad ſe compellat, id vnicuique in ea facultati ſeorſim proponendo deſiderandum, quod ei maxime gratum & opportunum æſtimauerit: perinde ac ſi eſſet machina plane multiplex, omnes naturæ facultates ſimul impetens, & concutiens. Sæpius diximus, in homine vniuerſam ad agendum poteſtatem, rationalem eſſe, concupiſcibilem & iraſcibilem. Quod ergo ſuperbia illud homini obijciat, quod partim rationale, partim concupiſcibile, partim iraſcibile conſequens, eam toti naturæ in eodem potentiſſime oblandiri, & in eandem diuerſimode, & ex omni parte impetum facere. Etenim ſuperbiæ obiectum quodammodo rationale: ſcilicet id quod bonum rationis ab *Ariſtotele* nuncupatum, quod nempe ratio ſola illud apprehendat ac diiudicet: ad cuius perceptionem brutorum apprehenſiones haud inſurgunt. qua quidem multiplici forma Superbiæ obiectum illuſtratum, perinde ac ſi hominis dignitati eius appetitio recte conueniret, vehementius hominem in ſui cupiditatem accendit. aſſeritque quodammodo, ac penitus perſuadet, id ita eſſe, ſcilicet nihil magis docere excellentẽ naturã rationalem, quã boni rationalis appetitũ. Idẽ porro Superbiæ obiectũ ſub ſpecie boni concupiſcibilis, hominis volũta-

Ariſt. 3. Ethic. cap. 7.

ti pariter illudit: bonum enim excellentiæ, poteſtatis, etiam ſenſui, vt conſtat, iucundiſſimum. Qua quidem ſua dulcedine mirifice vel languentia ingenia oblectare, excitare, eiſque imperitare aſſolet. Denique illud ipſum obiectum iraſcibile exiſtit: hoc eſt quadam arduitate obſeptũ, quod nõniſi ab irato, confirmatoque animo conſequendum. Ob quam cauſam affirmauit *Ariſtoteles*, *Arrogantem eſſe audacem*: quo enim is expetito ſuo difficili bono ponatur, fortitudinis quandam ſpeciem ſibi obtendit, viribus quodammodo ac ſpiritu in omnes obices & impedimenta præuſliturus. Hinc S.

S. Thom. 2. 2. q. 162. ar. 3

Thomas huic vitio ſuperbiæ ſedem in hominis anima aſſignat, quæ iraſcibilis. ſuperbia enim iram profert: hæc autem particula eſt odij, vt

Ariſtot. 5. Pol. cap. 10.

ait *Ariſtoteles*, adiunctum etiam habens dolorem: vnde vehemens euadit. Ex quo ſequitur, hanc ipſam ſuperbiam plurimum ad barbariem conducere, quod vti diximus, iraſcibilis appetitus deprauatione perficiatur, cuius corruptrix, ſuperbia, de qua agimus, reperitur. Eleganter

Prud. in pugna ſuperbię & humil.

idcirco *Aurelius Prudentius* ſuperbiæ adſcripſit equum, leonina pelle tectum, eidemque aſſeclã contra humilitatem fecit iram, ſeu rancorem.

Forte per effuſas inflata ſuperbia turmas
Effreni volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, & validos villis onerauerat armos.
Hanc procul ira tumens ſpumanti feruida rictu
Sanguinea intorquens ſuffuſo lumine felle,
Vt belli exortem, teloque & voce laceſcit,
Impatienſque moræ, conto petit, : increpat ore,
Hirſutas quatiens galeato in vertice criſtas.

Gregor. Niſſen. de beatitud.

Recte proinde iudicauit *Gregorius Nyſſenus*, valde homini eſſe difficile, virtute humilitatis expugnare hoc vitium ſuperbiæ, cum ſit iam in eo natura quod ad ſpiritũ ſimulque carnẽ corrupta.

2 Huic porro vitio ſuppetias ferunt eorum ingenia, quæ acria, quæ ignea, ac vehementia: adeoque vel in eis, in quibus etiam ætas diuturnior, ſtudiumque philoſophiæ alios animi impetus tranquillarint, plerumque efferueſcit ſuperbiendi auſus, ſenes, doctos inſequutus ad funus vſque: tam incitata ac perennis gloriæ vel honoris apud eos flagrat cupiditas.

Æneas Sil. lib. de Europ. cap. 8.

Æneas Siluius recolens celebrem illam Chriſtianorũ in Mahumetanos bellantium, & Conſtantinopolim recipientium victoriam, ita ſcribit: *Auctores victoriæ tres Ioannes habiti, Legatus Cardinalis, cuius auſpicio res geſta eſt: Huniades, & Capiſtranus, qui prælio interfuere. verum neque Capiſtranus Hunniadis, neque idẽ Hunniades Capiſtrani mentionem fecere in ſuis litteris, quas de obtenta victoria, ſiue ad Romanum Pontificem, ſiue ad amicos ſcripſere, ſed per ſuum quiſquam miniſterium Deum dediſſe Chriſtianis victoriã affirmauit. Auariſsima honoris humana mens. Facilius regnum & opes quam gloriam partitur. Potuit Capiſtranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem ſubigere, gloriam vero ſpernere non potuit.*

3 Quinimo eadem ſuperbia, quo potentius in ciuiles mores præualeat, ſecum in comitatu omnia plane vitia adducit, vtpote eorum cauſa: in intellectu videlicet ignorantiam vel præcipitantiam, in appetitu concupiſcibili laſciuiam, in iraſcibili furorem, in voluntate abiectam adulationem: veluti ſi gregarios milites ſibi cumpararet: vel potius ac ſi vnum idemque animal, conflatum ex porco, lupo ac cane ciues vna aggrederetur. *Plerumque*, inquit *S. Gregorius*, *virus libidinis de radice naſcitur elationis*. verum quidem

Gregor. lib. 14. Moral. cap. 18. in c. 52. Iob.

eſt, ſuperbos, quo ex vitæ honeſtate ſeſe commendent, dignoſque expetitis honoribus probent, externas libidinum formas interdum defugere.: imo aliquando tam operoſe incumbere in ſtudia excellentiæ, vt parum vel nihil concedant temporis craſſiori voluptati: nihilominus interiores cauſas eam expetendi exaggerant potius ſuo faſtu: & ſi occaſio, ſecretum pollicita, occurrerit, per aridæ tunc ſtipulæ deflagrationem, ardor flammaque in ipſis erumperent: ſi anxietates in eis mentem non obtinuerint, libere in delitias carnis illico excurrẽt. Sunt enim ſuperbi extremo quodam gradu ſui amantes: & plerumque corporis complexione delicati, ac feruidi: ex quibus duobus libidu & luxus vel maxime dimanant. idcirco S

Tertull. lib. 4. cont. Marcion.

Gregorius, *Tertullianum* ſequutus, omnibus donis Spiritus Sancti vnã oppoſitã inducit ſuperbiã.

4 Deſcriptis itaque viribus arrogantis & iratæ appetitionis, facile deinceps videre erit, quã eadem ſit ciuilibus moribus infeſta. Animaduertit *Plutarchus*, nihil magis animi intelligentiæ nociuum ac ſuparbia. Imprimis enim perſuadet ciuibus hoc crimen, omnem vel tenuẽ in eis conceptam mente cognitionem, ſummam eſſe, cui addi quicquam non poterit, deinde quæ ab alijs dicuntur, idem parui pendit, nec audire quidem præ moleſtia & contemptu inſtituit. vnde neceſſe, tam interius quam exterius intercipi viam, per quam luculentior expreſſiorue eruditio ad animam perueniret. Hinc refert idẽ

Plutarch. de Iſid. & Oſir.

Plutarchus, Ægyptios finxiſſe *Iſidi τῦφον* ſeu ſuperbiam, aduerſari: *Quod erroribus & ignorantia Typhus inflatus, diſcerpat aboleatque ſacram doctrinam, quam Dea Iſis collegit.*

5 Diſtrahit porro ſuperbia ciues in factiones: imo eoſdem nonnunquam Stoico ritu in quandam ſolitudinem adigit, cum eos credere faciat, quod amaltheam quandam ipſi apud ſe retineant, ſeu omnium rerum copiã, adeo vt haud indigeant cum alijs conſortio, quo ad ſapientiã ac virtutem deueniant. ingens ſane hoc malum contra mores ciuiles. huiuſmodi enim ſuperbi, ab alijs ex opinione ſuæ perfectionis, auulſi, ſolida non ſunt interim inſtructi rerum cognitione, ſed quadam leui & apparente: de qua tamen ſibi in ſinu proprio mirifice blandiũtur. Superbus aut ſolus, aut inter alios ſuo iudicio primus: ſi hoc illi denegatum, alterum ſibi, quo nempe aliorum ope ſe non indigere ſignificet, auide arripiet: continuo proinde aut *Cæſar* aut *Bellephoron* in ciuitate ſuperbus apparebit. Aliud conſi-

Sen. Epiſt. lib. de tranquil.

lium tradidit *Seneca*: *Recede in teipſum quantum potes: cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt. illos admitte, quos tu potes facere meliores.* Nunquã vt ego puto, ſeſe extulere in orbe Chriſtiano tot indicia ſuperbiæ: nẽpe ex veſtibus, ex titulis, ex conuiuijs, ex rhedis omni faſtu quaſi in ſublimi turgentibus, ac modo; eodemq; iudico, nunquã extitiſſe in eo minus charitatis aut plus odij inter ciues, ne dũ externorum regnorum incolas. niſi hæc immanis ſuperbia diſciplinis Chriſtia-

nis

nis & ciuilibus fuerit compreſſa, eo breui ſine dubio erumpet, quo erupiſſe deplorabimus.

6 Quos etiam honoris ac poteſtatis ambitio ſemel obtinuit, illi refractarij omnino futuri, ad obediendū, inſtar quercus, duri, ad rebellandum peruicaces, ad gratificandum tardi, ad condolendum immites, ad conſerendum in commune reluctantes, ad vlciſcendum incenſi: denique ad omnes partes ciuilitatis obeundas eodem ineptiſſimi. Quod ſi ciues ad egregis encomia per egregias maximaſque virtutes contenderent, eſſet in ipſis laudabilis quædam ad ſumma aſpiratio. Cæterum ſuperbi ſuo vento, quo diſſlantur, ſuis vmbris, quibus inuoluuntur, nihilo ſuo, quo ad inanitatem plane rediguntur ſuprema ſibi omnino deberi ſecum ſtatuunt, Proinde, quo perueniant ad præmeditata culmina, ſolidis medijs deſtituti, vel fraude, vel viribus ad ea ingreſſum ſibi parant inhoneſte. Cicer. lib. 1. off. c. *Cauenda eſt*, vt admonuit *Cicero*, *gloriæ cupiditas, vt ſopra dixi: Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio.* Quibus vero armis inſtructa ſuperbia, furiata quodāmodo in ciuilitatem debacchatur, ita recenſet *S. Gregorius*: Gregor. Homi. 43 in Iob. *Cunctis ſuperba apud ſe cogitatione tumentibus ineſt clamor in loquutione, amaritudo in ſilentio, diſſolutio in hilaritate, furor in triſtitia, inhoneſtas in actione, inhoneſtas in imaginatione, erectio in inceſſu, rancor in reſponſione. Horum mens ſemper eſt ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad laceſſendos vero alios importuna. Inter terram & cælum feruntur: quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec tamen ad ſumma pertingere ſeſe extollendo praualent.*

7 Et quidem auſus ſuperbiæ in vniuerſum is eſt, quo ad prima ac præcipua immerito contenditur: ideoque multiplex ac diſcreta pro diuerſitate iudicij in hoc illoue populo, eiuſmodi prima ac præcipua decernente. Sunt enim aliqui, qui hæc ſumma admirantur in robore corporis, in poteſtate pugnandi, alij in auctoritate terrorem incutiente: qualis æſtimatio in Borealibus frequentius vigere ſolita. ita affectos etiam Romanos, ſuperbia quondam extimulauit ad ludos theatrales, ac circenſes, ad ludos gladiatorios, ad omnem denique exercendam immanitatem, quo in ea perficiēda Senec. Epi. 7 excellere viderentur. *Nunc amiſsis nugis inquit Seneca, mera homicidia ſunt: nihil habent quo tegantur: ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtra manus mittunt. Mane leonibus & vrſis homines, meridie ſpectatoribus ſubijciuntur. Interfectores inter ſe iubentur obiici, vt victorem in aliam detineant cædem. exitus pugnantium mors eſt: ferro & igne res geritur.* Alij, quibus haud ineſt ingenium adeo ferreum, excellentiam appetunt in re literaria, ſiue illa ſecretiori ſiue externa & populari: in diſſimulationibus vel inſtruendis, vel eludendis, ac ſimilibus; qui interdum in iſtis haud minus ſuperbiunt, quam in ſuis, priores: & fortaſſis æquis viribus ciuilis ſocietatis vtriuſque modi concordiam diſſoluunt. Quomodocumque vero homines ſuperbierint, in eo genere quo ſuperbiunt, ſunt eodem parati ad nocendum alijs & bono communi. *Facillime* ait *Cicero*, *ad res iniuſtas impellitur, vt quiſque eſt altiſsimo animo & gloriæ cupiditate.* Cicer. lib. 1. Offi. & alibi: *Non ſolum ipſa fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa eſt. itaque illi efferuntur faſtidio fere & contumacia, neque quicquam inſipiente fortunato intollerabilius fieri poteſt.* Cicer. de Amicit.

9 Non itaque mirum, ſi permiſſa ſuperbia, reſpublica deficiat a morum ciuilitate ad barbariem. quocirca ad retinendum ſtabiliendumque eandem ciuilitatem, reprimendus iſte ciuium tumor, & in eorum ſenſus moderatio & humilitas inducendæ. atque vt triplex eſt animi faſtus, vti diximus, rationalis, concupiſcibilis & iraſcibilis, ita illi triplex opponenda ſui dimiſſio, mente ſcilicet, concupiſcentia, & ira in ciuibus repreſſis ab omni elatione ac faſtu. Præſertim vero, quod arrogantia voluptuoſa & irata, oriatur ab illa, quæ rationalis, ſeu rationis fuco adornata, cauendum, ne ciues ex aliqua animi intelligentia inſoleſcant. prætterquam enim quod in iſtis facultatibus motus altiores & inflatiores res ciuiles perturbent, porro Deo ipſi maxime diſplicent, vt incapaces plane ab eo eis agitati iudicentur, in quos imbres ſuæ gratiæ dimittat: ſed permittit potius illos tanquam arida ſaxeaque montium iuga, abſque omni ſucco cœleſti ſterileſcere. Propterea doctrina illa, quæ diuina reuelatione nobis innoteſcit, eatenus præcipuo nomine cenſenda ciuilis, quatenus efficaciſſime ad humilitatem & obedientiam nos componit, ac præſertim 2. Cor. 10. dum intelligentiæ criſtam Deo ſubijcit, omnemque eius ſuperbiam in dicta obſequentia repellit, Quid aliud in ciuitate tumultuoſum, præter illud, quod inter ciues inæqualitatē ſingularitatis conſtituit, vt pluribus in locis docet *Ariſtoteles*? Ariſt. lib. 2. Pol. ſuperbia autem ciues extimulans ad excellentiam, ſeorſim ac priuatim ſpectatam, adeoque non debitam, feruet omnino ad inæqualitatem in cunctis excitandam, & conſequenter ad odia, ſimultates & iras prouocandas. Idem certe in corpore politico ſuperbia, quod in naturali febris: quippe quæ inter alia vitia vel maxime intemperiem inæqualitatis inter ciues procurat, vnde diſſentiones, noua ſtudia, & mutationes ſtatuum ciuilium oriri ſolent. Nil dubito quin olim illi Magnates fuerint alijs valde odioſi, qui loqui non dignantes, quid mandarent, id digitis concrepantibus, illis ſignificabant, vt refert *Cicero*. Cicer. lib. 3. offi. Ac licet omni ciuili ſocietati infeſta hæc ſuperbia, præcipue tamen *Ariſtocratiæ* & *Democratiæ*, in quibus inæqualitas inter ciues pericoloſior. Seruandæ idcirco in *Ariſtocratia* æqualitati, Athenienſes Ariſt. 5. Pol. cap. 10. *Oſtraciſmum* adhibuere, de quo *Plutarchus*: Plutarch. in Ariſtid. *Oſtraco autem quiſquis vel gloria, vel generis nobilitate, vel eloquentia maxime præſtaret, eiiciebatur.* qua etiam in re Venetorum morem enarrat *Paulus Iouius*. Paul. Iou. lib. 1. cap. 3. *Nec quemquam temere ex optimatibus, qui vel inſigni virtute, vel ſpiritu in gerendis rebus cætera antecellat, nimio plus creſcere, vel collecta gratia potentem & clarum fieri, patiantur.* Hinc venit haud diu ſolere permanentes reperiri, quo ad eandem rerum faciem *Ariſtocratiā* aut *Democratiam*, tum quod in eis ciues valde obnoxij ſuperbiæ, tum quod eadem ſuperbia in

illic ſit ciuibus ſummopere exitioſa. Quod ſi
iſte motus non ſolum in conciuium cõtemptũ,
ſed etiam Dei eruperit,tunc grauiſſima mala de
cœlo deuocare ſolet ſuperbia,ac ad imum quaſi
locum in tartaro detruſa, tandem inter *Titanes*
Heſio.Theog. ſqualet horretque.

Titania pubes
Virgil. Æneid 6, *Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo.*

Vbi autem partes ciuitatis diſpares, inæquales,
imo repugnantes extiterint,ibi nunquam ciues,
tanquam aptati lapides, vnum murum veluti
aut fornicem ciuitatis concinne abſoluere pote-
runt. ob quam cauſam veteres Romani teſte
Macrob.lib. 1.Saturi. cap.11. *Macrobio*,nomenclaturæ lenitate hanc inæqua-
litatem moderabantur, *Dominum patrem familias*
ſeruos familiares appellantes. Commoda idcirco
vitæ ciuili humilitas, quæ ciues inter ſe concor-
des cohærenteſque reddit,& tanquam topiaria
textura omnes in vnitatis conuenientiæque
ſeriem & ordinem inflectit.huius vi, clamores,
rixæ ac diſſentiones reiectæ,paci ſuauiſſimæ lo-
Pſalm 85. cum,imperiumque conceſſuræ. Hoc pacto,iux-
ta verba Prophetæ, *Veritas de terra eſt*: quando
nempe de terrena ac infirma noſtri fabrica re-
ctum iudicium efformamus; ſubinde Iuſtitia
de cœlo proſpiciet: cum ſcilicet diuina dona
S.Thom, 2. in aptum ex humilitate receptaculum animæ
2.q.106.art. deciderint. *Vnde humilitas*, ait *S.Thomas*, *præcipue*
2.5. *videtur importare ſubiectionem hominis ad Deum.*
Auguſt. in Debite autem Deo ſubiectus, alijs non ſe vn-
Pſalm.85. quam præferet inſolenter,aut ſubiacebit turpi-
ter. Contra ſuperbia renuit Dei ordini con-
ſtituto ſubeſſe: eoque in numen ipſum gigan-
team quandam profert rebellionem. A Deo au-
tem transfuga ſuperbus,nunquam cum ſocijs in
Prud.Pſych. ciuili vita placide cohærebit.
1.Pet.5. *Peruulgata viget noſtri ſententia Chriſti,*
Scandere celſa humiles,& a dima redire feroces.

10 Inquietũ porro ingenium ſuperbiæ, ſem-
per ad vlteriora contendentis. Hoc in *Cæſare*
Plutarch. in Cæſar. furens, animos illi indidit ad quæque auden-
dum ac tentandum, *Cuius* inquit *Plutarchus*, *in*
ſuſcipiendis periculis ſtudium, haud adeo,propter in-
gentem quandam honoris & gloriæ cupiditatem,ad-
mirabantur.Opus ergo, vt compreſſa ſuperbia,
amor caducorum bonorum diminuatur, indu-
ctaque animi humilitate, maiora ac diuiniora
Paulin.Ep.2 ciuium præſint affectionibus. Hinc ſanctam
quandam ſuperbiam probat *S. Paulinus*, & ini-
quam damnat humilitatem. *Eſt autem & ſancta*
ſuperbia, & humilitas iniqua: nam & iuſtificatur
ſuperbia, quæ huic mundo ſuperbit, & contemnit hoc
ſæculum cum omnibus magnis eius ac dulcibus, ac
ſpecioſis,nec vtitur, intenta cœleſtibus rebus.Contra
vero illa humilitas condemnatur, quæ non ex fide, ſed
ex ignauia mentis hominibus addicitur, & huma-
nam gratiam magis,quam ſuam ſalutem quærit. Ha-
Caſſiodor.l. 6,cap.20. *bent boni pauperes*,inquit *Caſſiodorus*, *diuitias ſuas.*
Illud ergo a te quæritur, quod in pectore humano naſ-
citur,non quod terra viſceribus continetur.

11 Verum quidem eſt, hanc ipſam ſuperbi-
am quadam ſui parte humilem ſe oſtendere, a-
deoque ſeruilem: quippe quod ſe induat ſæ-
pius in ſpeciem virtutis, vtpote charitatis in pa-
triam,amicitiæ & iuſtitiæ. Cæterum iſtæ exu-
uiæ,ſolum nubes ſunt,in quibus barbariei tem-
peſtates inuoluuntur: inſtrumenta ſunt eiuſ-
dem barbariei, quorum adminiculis aptius ſpe-
ctatum finem conſequatur. De *Alexandro*, Senec.Epiſt.94. ad Lucil.
ſuis armis orbem cruentante, hæc *Seneca*. *Age-*
bat infelicem Alexandrum furor aliena vaſtandi, &
ad ignota mittebat.an tu putas ſanum, qui a Græciæ
primum cladibus, in qua eruditus eſt, incipit, qui quod
cuique optimum eſt, eripuit: Lacedæmona ſeruire iu-
bet, Athenas tacere? Non contentus tot ciuitatum
ſtrage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, &
alias alio loco proijcit,& toto orbe arma circumfert:
nec ſubſiſtit vnquam laſſa crudelitas, immanium fe-
rarum modo, quæ plus quam exigit fames, mordent.
Iam in vnum Regnum multa Regna coniecit. Iam
Græci, Perſæque eundem timent: iam etiam a Da-
rio liberæ nationes iugum accipiunt. ire tamen vult
vltra oceanum,ſolemque: indignatur ab Herculis Li-
berique veſtigijs victoriam flectere. Ipſi natura vim
parat.Non ille ire vult,ſed non poteſt ſtare: non aliter
quam in præceps deiecta pondera,quibus eundi finis eſt,
iacuiſſe.C.Marius in *Syllam* & alios rabidus, præ-
tendebat quidem ſuis conſilijs reipublicæ liber-
tatem: ſed, vt ait idem *Seneca*, *Marius exercitum,*
Marium ducebat ambitio. certabant inter ſe *Pom-*
peius & *Cæſar*,quis alterius in reipublicæ dignita-
tem, motam ambitionem comprimeret: at vter-
que in eandem, dominatum ſibi expetebant.
Quid C.Cæſarem, ait *Seneca*, *in ſua fata pariter ac*
publica immiſit? gloria & ambitio & nullus ſupra
cæteros eminendi modus. vnum ante ſe ferre non po-
tuit,cum Reſpublica ſupra ſe duos ferret. Vnde ex
horum diſſentionibus ita debilitatæ fuere Rei-
publicæ vires, vti paulo poſt vnius *Auguſti* imper-
rio,dominioque parere, ab exactis Regibus,no-
uo ritu coacta fuerit.

12 In eundem finem ruinæ in Republica,
ſpectant offenſiones graues, & iratæ vindictæ
nimium ardentes cupiditates.aliquando enim
Principes aut viri magnates, adeo ſe reliquis
eminere arbitrantur, vti extra iactum contu-
meliæ poſiti, quiduis in alios contumeliæ aut
iniuriæ audeant committere, maxime in infe-
riorum honorea. ex quibus illatis incommo- Ariſt. lib.5. Pol.cap.1.
dis,memoriæ prodit *Ariſtoteles*, aliquando inte-
gras Reſpublicas corruiſſe. Huius rei luculen-
lentum exemplum apud *Iudæos* in defectione
Samaritana ab imperio Hieroſolymitano. *Iero-* 3.Reg.12
boam enim Rex rebellium in *Samaria*, adeo
ſummo odio proſequutus eſt domum *Dauid*,
vti,ne aliquis ex ſuis ad eum tranſiret, vniuer-
ſum populum idololatria & ſuperſtitione vo-
luerit temerare, & ipſam Hieroſolymam deua-
ſtare,ſedem legis & regni. Hæc ipſa immanis
rabies excitauit animum Regis *Mithridatis*: cu-
ius iuſſu in Aſia ad dictum diem Romanos o-
mnes adeoque mulieres ac pueros ex eis oriun-
dos occidi curauit: numero occiſorum exiſten- Plutar.in
te centum quinquaginta millia: quod *Plutar-* Silla.
chus narrat, & *S. Auguſtinus* merito deploran- Auguſtin.li.
dum proponit. In quo genere, vt omittã anti- 3.ciui ca.22.
quiora, ſuccurrit modo quod egit in Hiſpania
Comes *Iulianus*. *Rodericus*,ex progenie Gothica,
vltimus Hiſpaniæ Rex, illius comitis *Iuliani* non
longe habitantis a Gadibus, ſororem per vim
violarat. proinde in Regis libidinem, impati-
ens dedecoris *Iulianus*, ita exarſit, vti nullo alio
modo

modo vindictæ ſatiari potuerit eius animus, niſi quo ipſe homo Chriſtianus, ex proxima Mauritania accerſitet prophanos Mauros in Hiſpaniam, ac per ipſius obiacentem ditionem, in eam aditum hoſtilem illis præberet. idque tandem effecit cum miſera Hiſpaniæ depreſſione, adeo vt *Galicia*, & *Bætica* exceptis, continuis bellis attrita, ſub iugo barbarico per quingentos annos ingemuerit. Cuius eladis momentum ſatis luculenter expreſſit epitaphium *Roderici* Regis; quod in *Viſeo* Portugalliæ ciuitate, inuentū
Guinar. lib. e lj. 7. recolit *Guinarra*.

Hic iacet Rodericus vltimus
Rex Gothorum. Maledictus furor,
Impetus Iuliani, quia pertinax,
Et indignatio quia dura. veſanus
Furia, animoſus indignatione.
Impetuoſus furor, oblitus fidelitatis,
Immemor religionis, contemptor diuinitatis
Crudelis in ſe, homicida in Dominum,
Hoſtis in domeſticos, vaſtator in
Patriam, reus in omnes. memoria
Eius in omni ore amareſcet, &
Nomen in æternum putreſcet.

13. Quod porro illud ſpacium, quo genus humanum continetur, ſit veluti vna reſpublica Deo ſubiecta: cumque omnes Chriſtianorum Prouinciæ, vnam Chriſti Eccleſiam componāt, idcirco principum fuerit, a ſuis conſilijs abigere ambitionem, æmulationem & iram: ne pulchrum hoc opus ciuilitatis & Sanctimoniæ, quarum flores in pacis æquitate renitent, horrida barbarie armorum ab ipſis perturbētur. quibus malis, in ciuilitatem inſtructis, non ſolum apertæ actiones hoſtilitatis, verum etiam clandeſtinæ irruptionum permiſſiones ancillantur. hoc vero omnino admonendum duxi, propterea quod ſint aliquando ex Principibus Chriſtianis, qui poſt pactum iuratumque fœdus pacis & amicitiæ, permittunt ſuos inuadere in ditiones confœderatorum, inibi cædes perpetrare, perduellibus ſe coniungere, omnique belli furore cuncta peruia deſtruere. Ego ſane non intelligo, vnde iuſte mala ſint ab ipſis permittenda, quando impediri ab ipſis poterunt, niſi ratio euitandi maius malum occurrerit. at quod grauius malum, quam vicinorum Principum offenſiones procurare, quam ſinere, vt ſui, qua occidendo, qua latrocinando, orbi peſſima de ſe exempla iniuſtitiæ præbeant? & rogo, quamobrem attinet, Principes inter ſe de pace ſeruanda, de non inferendo malo, ſacramenti iure conuenire, quum non obſtante huius vinculo, poſſint ex ſuis aliquos permittere, qui in externos Principes omnes modos hoſtilitatis exerceant? an non hinc ſatis aperte produnt animos hoſtium, ac peſſime illis cupientium? Sciſcitor porro, num Principes hoc ritu permittentes ſuorum excurſiones, ſint ne illorum Domini nec ne? ſi dicatur quod Domini ſint: tum ipſe
Ariſt. lib. 2. Pol. cap. 1. affirmabo, ipſorum eſſe, efficere, vt boni viri ſiot, non vero permittere, vt exerceant facta piratarū, incendiariorum, homicidarum vel latronum: & abſurdum, illos profiteri, ſe domi non poſſe aut foras agere ſuam rem ciuilem bonis auſpicijs, niſi permittant ſuos euadere nebulones, & vario crimine contra iuſtitiam facinoroſos. quod ſi Princeps abdicet a ſe omne in illos dominium, cuius reipublicæ peto tunc ſunt ciues, an potius vagabundi & nullius? vera Ariſt. lib. 10 Ethic. cap. 7.
omnino ſententia *Ariſtotelis*: *Videtur crudelis ille atque ſanguinolentus penitus eſſe, ſi faciat amicos hoſtes, vt pugnæ cædeſque fiant.*

14. Hoc enimuero genus *Permiſſionis* aduerſatur penitus charitati & concordiæ inter Principes, ſimul ſe diffundit ad omnes iniurias & nocumenta etiam inter priuatos ciues. ſi Rex Galliæ, magnitudinem imperij Anglicani non ferens, permitteret ſuos cum neruis & munimentis belli in Scotiam rebellantem proficiſci militatū: viciſſim ſi tumultuantibus Gallicanis Hugonotis, permitteret Rex Angliæ, ad impediendum felicitatem imperij Gallicani ex cultu verius religionis catholicæ oriundam, ſuos ſeſe in acie Hugonotis adiungere, quæ obſecro, amicitia, quæ charitas inter hoſce Reges reperiretur? Iu iſtis porro rebus *Permiſſiones* fieri a Principibus, poſtquam ſubditi animaduerterint, incipient ipſi quoque *Permiſſiones* in negocijs ſuis exercere. inde Medici morbum, chirurgi vulnera ingraueſcere permittent, vt ex qualicumque morata curatione, copioſius ipſis pecuniæ accreſcant. In Bello duces permittent priuatos milites infeliciter occumbere, vnde ipſi eorum ſtipendijs gaudeant. Fiſci Regum permittent vectigales, debitos cenſus occultare, quo ipſi ex eis diteſcant. vxores denique multa permittent, ac etiam viciſſim mariti, quo ex fœda voluptate, in leges matrimonij committantur ab ipſis crimina. neque quicquam valet quod a quibuſdam politicis dicitur; nempe iſtis *Permiſſionibus* Principum, bonum commune alicuius regni procurari: quandoquidem hoc bonum non quibuſcumque modis procurandum, ſed ſolum legitimis: ni boni communis ergo, nō ciuilem politiam, ſed immanem barbariem, inter Chriſtianos adſtruendam iudicemus.

15. Verum alij Principum, hunc ritum vexandi vicinos Principes recuſantes, alium tamē ineunt: nempe quo ſuas copias expenſaſque alteri tradunt, vt ipſe ſuo nomine eis bellum inferat, quibus officere ſtudent. in quo ſe nihil contra æquitatem aut iuſiurandum aiunt delinquere, quandoquidem non ipſi, ſed ille alius, bello ſit Principibus infeſtus; verum ſi ſacramento data fides tam faciliter eludi poterit inter Principes, quodnam precor fœdus eos aut etiam alios firmiter continere poterit in officijs charitatis & æquitatis? cum ſemper aliquis aderit, cui ſua belli munimenta tradant? Neque dici poterit, eorum dumtaxat culpis iniurias cædiū & rapinarum tribuendas, per quos talia facinora ſtetere, non vero Principibus eos inſtruentibus. inepta etenim excuſatio. nā tametſi liceat alicui Iudæo ouē vendere, quem ſciat velle eā ſuperſtitioſe immolare, non tamen integrum, furenti gladium dare, parato in incendia, ignea ſuppeditare: etenim ouis venditor ſolum ſpectat communem vſum rei venditæ, quæ in eſu conſiſtit, non illud, quod ex particulari emptoris impietate prouenit. ſed iam in procinctu hoſtili conſiſtenti alicui, in ſuum Principem rebel-

li & proditori : quales nuperin hiſce partibus
Miſhagius ille barbarus gladiator & incendia-
rius, iuxta ac ille Notbus Lutzenburgenſis &
toties ex acie tranſfuga : apta certè caluiniſti-
cæ in Anglia patellæ, coniutatis nempe boſtibus
in matrimonium noſtri Principis cum domo
Auſtriaca opercula: belli copias committere,
aperta ſuit ininria & boſtilitas in Regem Ca-
tholicum;adeoque nulla ab eodem Rege accep-
ta iniuria.

16. Adhuc vero perniciofius & inciuilius,
quando ad partes hæreticorum rebellium per-
mittunt Principes Catholici , aut volunt , ſuos
excurrere eis armis opitulatum. mitto eos haud
animis intendere inde hæreſis augmentum aut
ſtabilimentum : nihilominus quando bic effe-
ctus futurius eiuſmodi conſiliorũ,dubio procul
impietatis, ſacrilegij & hæreſis rei inde agendi.
qui enim cauſam ſtatuit, eodem cauſæ euentus,
morali neceſſitate conſequentes , decernit , vt
(S.Thom.1.2 q.20.art.5.) docet *S.Thomas*. volunt itaque iſti regnum Chri-
ſti diminui, Antichriſti vero macellum dilata-
ri : volunt Sacramenta Chriſti eliminari, Anti-
chriſti venena muniri: volunt multarum anima-
rum æternam damnationem,cœleſtis autem re-
gni ſpolia & detrimenta. Quam vero Deo diſ-
pliceat boc genus impotentis,ignobilis & atheæ
vindictæ eotũ, qui illud profitentur, infælicitate
etiam in hac vita,diuinitus,idque ſæpius oſten-
ditur. Hinc nominis ipſorum apud pios vbique
odioſa nota, hinc ditionum ſuarum perturbati-
ones & defectiones, binc ſobolis deſtitutio,quæ
in imperio ſuccedat, binc immatura funera pro-
pagantur. Num Hiſpanus,qui diuino fauore,re-
bus, conſilijſque ſuis adſpirante, etiamnum flo-
ret, rebellantibus in Gallia Hugonotis militem
vel auxilium aliquando ſubminiſtrauit? num in
Venetos, Germanos hæreticos immiſit : num in
regiones Chriſtianorum veluti in prædã ferales
Mauros aut Numidas , quod ſæpius potuit, in-
duxit?certe illius imperium hac ex parte totum
aureum,purum ,ſulgidumque: ac cæteris datum
videtur in idæam ad imitandum ; in cu-
ius præſenti gloria, Dei etiam ſingularem in ſu-
am Eccleſiam prouidentiam contemplentur.

17. Et quod attinet ad inſtans bellum,quod
in procinctu gliſcit, & effectu bacchatur , eui-
dentiſſimum, iniuſtum, impiumque eſſe conſi-
lium, Hollandis rebellantibus in ſuum Regem,
iuxta ac eccelſiam Dei , arma ſuppeditare,qui
hoc agunt, quid alind agunt, quam vt ſui inde
animos haurian t quoque rebellandi, poſtquam
viderint, ſnos Principes, rebellibus opẽ ferre?
qui boc agunt , quid alind agunt, quam vt Sa-
cramentis Chriſti eiectis , ludibria religionis
ſummam habeant , quam vt matrem eccleſiam
mœrore cõficiant,prole denudent, ſatanæ vero
proſapiã in terris dilatẽt?Et quod attinet ad cau-
ſam ac caſum *Frederici* Principis quondam *Pala-
tini* ad Rhenum , legi ipſe hic *Brugis* libellum
ſcriptum a Rege *Iacobo* & *Londini* impreſſum,
in quo diſerte dicitRex, coronã tam *Bohemicam*
quam *Hungaricam* fuiſſe *Iniuſte vſurpatas*. ſi iniu-
ſte vſurpatæ a dicto Principe , ſicut a *Gaboro*,
conſequens , iuſtam eſſe pœnam *Depriuationis*,
latam in Camera Imperiali in principem *Frede-
ricum*. ſi iuſta pœna,tunc iniuſtum bellnm ab eis
ſuſceptum, qui vi & armis contendunt illum in
integrum reſtitui,ab omni pœna immunem:eſſe
ni dicamus, poſſe æquitatis iure externos Prin-
cipes, illos ſubditos a decretis pœnis ſuis armis
liberare, qui acti perduellionis rei ,capitali aut
alia Pœnali ſententia a ſuis Principibus da-
mnantur.

18. Atque ne bellum ſit prorſus immane ac
barbarum, duo præcipue requiruntur ad eiuſ-
dem æquitatem ciuilem : ſcilicet cauſa belli iuſta,
orta ex iniuria ſeu damno iniuſte illatis: itidem,
ſumma quædam probabilitas a,rmorum vi reſar-
ciendi detrimentum, bono communi ab hoſte
inflictnm. Enimuero qui belli varia incommo-
da ſecum penſitauerit, iudicabit omnino , hæc
duo ad id poſtulsri. Imprimis flagrante bello,
ciuium res extenuari ſolent,iuxta ac mercimo-
nia vbique ceſſare. deinde milites ad bellum
conſcripti;præſertim vt in Anglia fit,ſolius Re-
gis imperio ad militandum coacti , cum ſele-
cta in Republica iuuentute conſtent ,inde ma-
ioribus cladibus ac miſerijs tam in apperatu
quam in ipſo conflictu, obijciuntur. Hoc ſatis
luculento ac plane tragico exemplo nuper con-
ſtetit noſtratium militum, intempeſtiuo hiemis
tempore,ad numerum duodecim millium,iuſſu
Iacobi quondam Regis,in naues cõpactorum &
deinde in Hollandiam nauigantium,qui ſe Hol-
landicis copijs in ſuum Regem rebellantibus
adiungerent. hi enim miſeri quaſi vi eiecti ex
ſolo ſuo paterno,& ſubinde ab ipſiſmet Hollan-
dis inhumaniter depulſi, in ſuis nauibus interea
loci plane contabuere;adeo vt,quod mihi qui-
dam Anglicanus miles, qui tunc aderat, nar-
rauit,ſingulis ferme noctibus centum,& aliquo-
ties bis centum eorum cadauera in mare fuere
deturbata: quorum poſtea fluitantium fœda
ſpectacula , paſſim vbique littus Flandricum
ſuis exhibuit : & ex illis duodecim millibus,cre-
dũtur haud ſupereſſe modo tria,qui integris ſint
viribus ad præliandum . ita hodierna die in ſan-
guine Anglicano ludunt hæreſis & furor.

Terra parum fuerat;terris adiecimus vndas: (Proper. lib. 4. Eleg. 6.)
Fortunæ miſeras auximus arte vias.

Temere ait *Cicero in acie verſari, & manu cum hoſte
confligere, immane quiddam & belluarum ſimile.* (Cicer. lib.1. offi.)
Fortitudinis facinora non ſunt θηριώδη ἔργα
ſed diſcreta potius & ad circinum iuſtitiæ com-
poſita. Iſtis ſi adiungamus innocentum cædes
& calamitates peractas in bello iniuſto , cum
contumelia veluti in genus humanum , videbi-
mus,belli cauſas debere ex æquitate eſſe vrgen-
tiſſimas: ex cuius defectu ſolet ipſe Deus, Regũ
Rex & Dominus, ſuorum clades etiam in victo-
ribus , vindicare ſeueriſſime. *Turbabuntur a fa-
cie eius, Patris orphanorum , & iudicis viduarum.* (Bellar. lib. 2 de Gemit. cap. 1. Pſalm 67.)
Dolendum ſane, minus Charitatis in externos
inter nonnullos Principes Chriſtum profeſſos,
reperiri,quam olim in imperio Romano. *Regum,
populorum*, ait *Cicero, nationum portus erat & re-
fugium Senatus: itaque illud patrocinium orbis terræ* (Cicer. lib. 2. off.)
verius, quam imperium poterat nominari. Hæc ira-
ſcibilis imperij immanitas , longe aliena a ciuili-
tatis lenitate: & vt inter bruta, nullum animal
leone plus diſtat ab vrbano congreſſu , ita vete-

res

res lupos Marti conſecrantes, indicarunt lupina & inciuilia in eis ingenia reperiri, qui bellis delectantur.

Hora: lib. 1. Carm. od. 17

Nec Martiales hædilia lupos.

CAPVT VIII.

Vtrum ciuili vitæ infeſtum magis imperium ex concupiſcentia decretum, quam illud ex ira.

Plato Dial. 1. de legib.

PLato noſter quæſtionem hanc diſcutiens, ita demum definiuit: *Eum arbitror ſtatum reipublicæ deteriorem, qui ſuperatur a voluptate.* Cuius ſententiæ præcipuum fundamentum intuebatur *Plato* in eo, quod voluptates ita abijciant ciues, vti eos reddant ſeipſis quodammodo inferiores: quam quidem indignitatem, ſeu ciuium depreſſionē infra ſortem humanæ naturæ, in ſæuis, incultis, & aſperis aliorum moribus licet, non quoad eundem gradum, deprehendebat. *Clemens Alexandrinus* poſteaquā quatuor ſpecies imperij enumeraſſet, nempe Diuinam, Rationalem, Concupiſcibilem, & Iraſcibilem, duas poſteriores quoad malos effectus inter ſe contendendo, ita iudicium tulit: *Quarta autem regnandi ſpecies eſt omnium peſſima, quæ ſtatuitur ex cupiditatibus: vt regnum Sardanapali, & eorum, qui hunc finem ſibi proponunt, vnde plurimum indulgeant cupiditatibus.* Vt nos hanc ipſam veritatem melius elucidemus, tripliciter ciuem conſiderabimus. Primo abſolute ſumptum: vtpote hominem ex animo & corpore conſtantem. Deinde vt relatum ad conciues, finemque boni publici: poſtremo veluti ordinem aliquem habentem ad Deum ac diuina.

Clem. Alex lib. 1 Strom pag. 12.

2. Principio quidem tametſi voluptates humanitus admittuntur in leuamē quoddam naturæ, ac vt illa a moleſtis officijs reſpirans, aliquantiſper iucundetur, nihilominus ipſo exitu, ſi modum ſuperarint, triſtitias potius illi adferunt & varias ægritudines, quibus ciuium animi diriſſime vexantur, omnique ſpoliantur tranquillitate. Duplici autem methodo affliguntur voluptatū cupidi: primo quidem deſiderio ac fiducia, ſemper vlterius indefinite cum anxietate & timore eos ducentibus: quandoquidem nullus ſit certus terminus nimium amatæ voluptatis. Deinde vſu ipſo exacerbante moleſtantur: ſiue ex eo id contingat, quod corporis ſpiritus fatiget & exhauriat voluptas, ſiue inde, quod triſtiſſimum peccati ſtimulum in animum latenter infigat. Ipſaque etiam voluptas non vera plerumque eſt & ſolida, quæ in votis habetur vel qua quis fruitur, ſed, vt loquitur *Plato*, *Helena* quædam conficta, ſeu vanum voluptatis ſimulacrum, mera animi apprehenſione, quaſi per ludum aut ſomnium commētante, expreſſum. Quam proinde falſatā & caſſam ſequuntur duo effectus, vt ait *Plato*: Dolor ſcilicet & Pœnitudo. *Neceſſe eſt eos*, ait *Socrates*, *voluptates perſequi mixtas doloribus, quæ ſimulacra voluptatis veræ & vmbra ſunt: vſque adeo inuicē doloris inquiſitione mutua inquinata, vt & voluptates, & dolores ex ea acquiſitione vehementiores appareant, amoreſque ipſarum voluptatum rabidos inſipientibus reddāt animos, inflammentque ad pugnam. quemadmodum Steſichorus ait, Troianos, veræ Helenæ ignaros, de Helenæ imagine decertaſſe.* Naturæ viſa ſua ſponte hoc ominaſſe futurum in curſu vitę humanæ, quę voluptati impenditur. Infantes enim, vt aduertit *Plato*, loqui neſcij, ſuos amores & cupiditates clamoribus & lacrymis primum ſignificant: quæ duo appellat *Signa minime fortunata*: illis enim præſagire videntur, fore omnibus nociuas; quas appetimus voluptates, adeoque lacrymis & eiulatibus ſubinde a nobis adultis deplorandas.

Plato. Dial. 1 de Repub

3. Verumenimuero, qui abdicatis iſtis voluptatum lenocinijs, gymnaſticam ſolummodo, ſeu auſteram, ac quodammodo rudem degunt vitam, carent omnino huiuſmodi angoribus ac timoribus: ſecurius hi lœtiusque bibunt ex ligno quam illi ex auro. hoc, inter alia indicia, innoteſcit vel ex ſomnis duriter vitam agentium, & aliorum delicianiium: dulcius enim & quietius dormiunt agreſtes, laboribus defatigati, paucorum appetentes, quam ocioſi, quam peregrinis voluptatum artibus obſeſſi, & in omni genere iucunditatum immerſi. *Vbi multa ſunt ſomnia* ait *Eccleſiaſtes*, *plurima ſunt vanitates & ſermones innumeri.* leuiores autem ſopores ſequuntur ſomnia, non altos & profundos. ſomnijs vero plus occupantur ocioſi & voluptuoſi, quam induſtrij & durioris vitæ ſectatores. Fauum quidem non habent iſti, quo illi: at minime verſantur in eodem periculo aculei, vt illi. Ingenium eiſdem ineſt non tam exercitatum: verum eorum ſimplicitas ſibi interitum arte haud adſciſcit, vt faciunt iucunditates apud eos arte conquiſitæ. riſu non diſſoluuntur vt illi: Cæterum eo a lacrymis longius abſunt, quas riſus ad extremum parit. Coloribus ac ſplendoribus deſtituuntur: quibus illi abundant, nihilominus inde ſiluarum denſa, loca concaua, pixides deceptrices in vita declinant, in quibus hoſtes ac venena latitant, in voluptuoſorum ruinam ſubdole comparata. Neque voluptatibus emolliti ſeſe ſolummodo exponunt pluribus ſolicitudinibus, afflictionibuſque, quam martij, ac quodammodo aſperi, verū ita ſe effingi ac tēperari a delicijs permittunt, vt inde teneriores mollioresq; indies euadāt ad perferendum impetum doloris alicuius aut trepidationis: ipſiſque ita diſpoſitis accidunt triſtes & inuiſi euentus acriori quadam vi, altiuſque illinc penetrant, idque ad penitiorem in ipſis animi ſenſum. Nam aduerſitas, quæ indurato pectori, & voluptati inſueto nullam prorſus impreſſionem inferret, illa ipſa delicatum aliquem ac voluptuoſum vel leuiter attingens, lacrymas, ſanguinem, ac pœne vitam ipſam eidem excuſſerit. Videmus enim acerbos caſus turbulentius cōmouere animos mulierum ac puerorum, quam hominum & adultorum, propter eorum nempe quandam mollitiem, & horum firmitudinem: ideoque aulici ex infortunijs grauius percelluntur, quam agreſtes.

Cicer. Tuſ. 21

Eccl. 5.

——— *ignu fuluo*
Clauſus in auro latet obſcurus.

Senec. Medea.

4 Quod ſi lumen rationis in homine conferamus ad vtrumque ſtatum, conſtabit, illi magis officere

officere extremas voluptates, quam extremam duritiem. Illecebra, vti antea diximus, duplici poteſtate ingenio infeſta. primo quidem propter ſingularem cōditionem obiecti craſſioris, cum delectatione ſenſus pulſantis & ad ſe inuitantis: cum mentis interim & rationis obiectū, ſit quid altius, contemplabile, & a particulari concretione ſegregatum. Deinde, poſteaquam ſenſus quadam vehementia voluptas obſtrinxerit, captiuum tunc tenet quodammodo intellectum, quod ad operationem a ſenſu, maxime ab imaginatione, dependentem. Vita autem inculta ac irata hæc duo, inimica rationi, pari modo in ſe non complectitur; docetque experientia, potius eo ingenio multos pollere, quo deſerti a voluptatibus, cum varia neceſſitate, & fortunæ iniquitate, ingenioſe cōflictātur. quibus quoque inter reliqua adeſt corpus magis ſiccū, quod vti aſſeruimus, inſigne ingenij ac mētis inſtrumētū. Accēduntur porro iſti feroces maiori æſtimatione ſeu cupiditate honoris, & magnarum rerum ſtudijs, quam voluptatibus dediti. Etenim materia terrenæ ac fœdæ voluptatis cū ſit ſenſuū infimorū cupiditatibus opportuna, non ſinit animum aſſurgere in cogitationem aut voluntatem honoris ac gloriæ, quorum rationes omni ſenſus comprehenſione altiores. Proinde *Sardanapalo* ſatis fuit, ſuo ſepulcro inſcripſiſſe, ſe in vita laute & opipare comediſſe ac bibiſſe, omneque de reliquo iſtis adēptū tempus perdidiſſe. Cū tamen pleræque gentes barbaræ & efferæ, ſeſe excitarint ad maxima facinora, famæ & honoris ambitu vehementius extimulatæ.

Cicer. tuſc. 1.

Pap. l. 2. Th.

Diua ferox, magni decus ingeniumque parentis
Bellipotens, cui torua genus horrore decoro
Caßis, & adſperſo crudeſcit ſanguine Gorgon.

Hoc porro in ſe habet voluptatis appetētia, quod homines plerumque cogat in angulos, ac vt ad ſecreta loca ſe recipiant; nihil tam exhorrentes, quam ſolis radium, aliorumque conſpectum. At vero famæ honoriſque amantes, aperte prodeunt, ſeſe hominum oculis vltro obijciunt. Vita autem aſpera non ita obſcura luſtra perſequitur ac illa, quæ voluptate delibuta, eneruatur. melius proinde ea ad gloriam, famamque comparatur quam altera.

Ouid. epiſt. Deian.

Plus tibi quam Iuno nocuit Venus: illa premendo
Suſtulit, hac humili ſub pede colla tenet.

5. Voluptates etiam pluribus virtutibus opponuntur, & magis improbæ conſiſtunt in vniuerſam vitæ honeſtatem, quam in moribus rigor, ſæuus licet ac pæne barbaricus. Voluptas imprimis, quod modo retulimus, ſcientiæ ac prudentiæ omnino inimica: temperantiæ, continentiæ prorſus ex diametro contraria: eadem, fortitudini exitioſa, iuſtitiæ quoque, quæ virtus rationalis, vt docet *Ariſtoteles*, prorſus oppoſita: charitati, miſericordiæ, beneuolentiæ aduerſaria: quādoquidem ſeſe multum ex voluptate amantes, alium neminem amare ſoleant. Hoc *Cicero* quoque adnotauit. *Neque enim bonitas, nec liberalitas, nec communitas eſſe poteſt non plus quam amicitia, ſi non per ſe expetantur, ſed ad voluptatem, vtilitatemue referantur.* maxime ergo voluptas contraria virtutibus ciuilibus ſeu iuſtitiæ, & eius partibus, & conſequenter bono publico. Alterum autem vitæ genus Gymnaſticum nempe ac crudum, quale profeſſum a *M. Regulo* & vtriſque *Catonibus*, tantis bonis ex æquo non eſt fatale aut peſtilens: & ob hanc cauſam definiunt Philoſophi, difficilius eſſe, ex præſcripto virtutis ciuilis mores inſtituere, pace amænitates & iucunditates vitæ proferente, quā bello furente, quando excreſcens ira, omnes voluptates profligare ac depulſare ſoleat ab hominum vſibus.

Ariſt. lib. de virt. cap. 1.

Cicer. lib. 3. off.

6. Ac quod ad hoc caput diſputationis attinet, voluptates pariter vitæ humanæ dignitatem magis eleuant & extenuant, quam iræ & aſperitates. Teſte *Plutarcho*, illa vitæ humanæ condicio præſtantior, quæ reſpectu ſui finis conſequendi plenius ex ſe eſt ſufficiens, ac non niſi paucorum indigens. Ex cuius rei notione intelligimus, Deum eſſe perfectiſſimum, nullius quippe rei, extra ſe poſitæ, ſubſidium requirentem: perfectiores propter eandem rationem angelos, quam homines, adultos quam pueros, viros quam mulieres, ſanos quam ægrotos. voluptatum autem cupiditates, cum in extrinſeca & acceſſoria bona totæ deferantur, tum cōſtituunt hominem in multorum varie procurandorum neceſſitatibus. Cum interea loca duritiei, paucis contenta abſolutaque, naturam ad pauciſſimorum vſum ex ipſius præſtantia reducat. Videndum modo vtrum hoc ipſum, quod aſſeruimus, iuxta verum ſit, ciue cum conciue collato, conſertoque.

Plut. lib. de tranquill.

7. Virtutes ad actionem relatas, ſuperius diximus, quaſdam deſtinari ad moderationem affectuum appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis; alias, ad rectam inſtitutionem voluntatis, quantum ad illud bonum, quod aliorum eſt, adeoque alijs certa quadam æquitate retribuendum. Quocirca voluptas, quæ vtriuſque generis virtutibus interitum machinatur, earum præſertim, quæ circa aliorum bona occupantur, conſequens, eandem vniuerſæ ciuitati fore nocentiſſimam. Enimuero qui gulæ voluptates aſſectatur, is communis boni notitiam & amorē penitus a ſe depellet, cuncta aſpernatus præter ea quæ in ventrem dimittenda. Qui pariter promiſcuas libidines concubitus quærunt, præſtabunt demum, vt deflorata paſſim virginitate, matrimonijs conſtupratis, omnia in ciuitate ardeant tam inimicitiarum incendijs, quam luxuriæ flāmis. Nulla ſane ferocia ita deſæuiet in pacem reipublicæ, in fidem ciuium, in familiarum rectam inſtitutionem, in prolis educationem, ac venerea hæc voluptas, poſtquam in immenſum laxe & impune excreuerit. *Recte* idcirco *Plato* prætulit Cretenſium rempublicam alteri Lacedæmoniorum: quod illi diſtrictius leges matrimoniales decernentes, eo fœdam voluptatem exactius a ciuium moribus depulerint. Ob hanc cauſam ciues in republica iraſcibili, vtpote Lacedæmones, magis ſeſe mutuo amant & bonum commune, quam ciues dediti delitijs, vt notat *Plutarchus*.

Plat. dial. 1. de legib.

Plut. in Lac.

8. Etenim in Republica, quæ a libidine in tranſuerſum acta, inueniuntur ciues diuiſime ſuis appetitionibus exagitati ac vexati, adeo vt

minus

minus quietis habeant, quam qui in bella inflammantur. Recte ad rei naturam finxit *Heſiodus*, *Venerem* φόβον καὶ δεῖμον timorem & metum genuiſſe. hoc experiuntur, qui virginibus conſtuprandis, qui aliorum vxoribus adulterandis operam nauant. penes quos non a ſpinis roſeus flos expirat, ſed a flore, ſcilicet ab ipſa libidine, ſpinæ infinitarum ærumnarum proſiliunt. Imo qui forti animo fuere, dum continentes eſſent, iidem rebus poſtmodum venereis dediti, adeo abiecti euadunt, vt ad omnem ſpeciem periculi trepident, & exanimentur. vniuerſũ ſane animi robur filijs *Veneris*, nempe Timore ac Metu emaſculatur. Ne ſint ergo ciues imprudentes piſces, qui in eſcam ſolummodo intendunt, non in hamum. voluptas venerea, dulcis apparet appetitus eſca: & quod idem appetitus proprio ingenio cæcus, ideo nihil mali in eſca, ſuſpicatur. Cæterum in hac ipſa eſca hamus ineſt vtrinque acutus ad lacerandum: nempe timore & metu armatur in guſtantis perniciem. ſterilis non eſt *Venus*, proinde ſemper pariet timorem & metum.

Heſiod. Theog.

9 Imo hæc ipſa voluptas in conciues petulantior, magis etiam irritabilis & rabioſa exiſtit, quam vitæ durities bellicoſa. *Nobis profecta videtur* inquit *Plato*, *delicias*, *difficiles*, *moroſos*, *iracundos*, & *leui de cauſa excitabundos iuuenum mores efficere. Contra vero nimia ſeueritas atrox*, *cum abiectas & illiberales*, *tum humana perioſos facit*, & *ad humanam conuerſationem ineptiſſimos reddit.* Verum, licet voluptatibus deliniti, libentius aliorum colloquia appetunt, quam irati, & feroces, nihilominus in conuictu ſunt illi multo iſtis ad iram, idque leuioribus ex cauſis, promptiores. Quam autem ſit moleſta cohabitatio aut conuerſatio cum huiuſmodi cholericis, ſatis vnicuique manifeſtum. De voluptatis etiam crudelitate hæc *Macrobius*: *Vt cætera taceam crudelitatis genera*, *ſunt*, *qui ſe dum menſa copiis*, & *auiditate diſtendunt*, *circumſtantibus ſeruis mouere labra*, *ne hoc quidem vt loquantur*, *licere permittunt.* Qui vero a voluptatibus auerſi, iratum genus vitæ profitentur, plerumque in hoſtes & externos omnem ſuam vim immanitatis effundunt, cum ciues voluptuoſi mutuo ſoleant eſſe fraudulenti, contumelioſi ac rixoſi, ipſas ciuiles ſedes mira quadam bile ex inteſtinis odijs vbique inficientes.

Plato Dial. 7. de legib.

Macrob. l. 1 Satur. cap. 6

10 Doli porro & aſtus, quos ciuibus pernicioſos eſſe infra oſtendemus, parantur plerumque copioſius in pectoribus voluptuoſorum, quam bellicoſorum, aut Gymnaſticorum. nam cum illi familiarius quam hi inter ſe viuant, ſtrictioribuſque legum iuribus teneantur, tum impediantur quo minus expetitas voluptates lucri, honoris, ac poteſtatis conſequantur, miras ex eo fraudes in conciues comminiſcuntur. Conſilia autem fortium & exercitatorum, apertiora ſunt, neque tanta neceſſitas, vt ſuos fines adipiſcantur, eos vrget ad diſſimulandum. conſequenter etiam carent illis moleſtijs, quæ dolos & fraudes comitantur. Habet in ſe voluptas quid vulpinum perpetuo, & in medijs delicijs ingenia euocat & acuit ad concinnandas fallacias, inſidiaſque. Si enim gentes Græcæ & Aſiaticæ in iſtis excelluerunt, totum hoc debuere ſuis voluptatibus, quæ eas in ciuitatibus degentes, a recto ac ſimplici ad mæandros & inuolucra deceptionum tranſcripſere.

11 Huius autem aſſerti vim melius percipiemus, ſi omnes ſpecies voluptatum ſeorſim diſcuſſerimus. Quinque ſenſuum externorum obiecta, voluptatem eiſdem ſenſibus inferunt, licet diuerſimode. voluptates, quæ ad viſum, odoratum & auditum appellunt, cenſentur innocuæ, niſi earum exceſſu animus nimium diſſoluatur, & eiſdem, veluti diſpoſitionibus, paretur ad libidinem & intemperantiam, quæ ad guſtum & tactum referuntur. At voluptates, quas pariunt auaritia & ambitus, aridiores æſtimantur: proinde principium ſortiuntur in voluntate & imaginatione: ſunt tamen iucunda ſenſibilia; nempe cupido habendi, iuxta ac poteſtatis, & honoris appetitus. Iam vero in vniuerſum omnis huiuſmodi voluptas, doloſa, quatenus operantem inſtruit ad dolos, quibus comparetur. ac in eis communis eſt principium decori, ſpecies quædam perfecti modi ſe habendi ſeu refocillationis in natura, de quibus *Ariſtoteles*: proinde ſub hac apparentia, fraudulentius irrepit in hominum pectora: naturaliter enim omnes cupiunt perfectum modum & recreationem naturæ. verum præter hoc, in voluptate concubitus & intemperantiæ, cernitur peculiariter, vt ait *Cicero*, quædam *Lenitudo*, ſeu erga alios *Amor beneuolus*: nam laſciui oſtendunt formam ad alios gratificandum inſtructam, & intemperantes in conuiuijs quærunt ſocios, quibuſcum iucunde agant; ſub quorum inuolucris clam ſerpit voluptas, & aditum ſibi parat quodam veritatis & amabilitatis oſtentu, & ex eis deceptrici faſcinatione, quibus, amoris, & erga alios blandimenti fucis, quod voluptates auaritiæ & ſuperbiæ careant, inde alijs ſunt odioſiſſimæ.

Ariſt. lib. 10 Ethic. cap. 4

Cic. l. 2. de legib.

12 Quod porro rebus ciuilibus multum proſint conſtantia, ſiue in propoſitis exæquendis, ſiue in amicitijs ſeruandis, conſequens, inciuilem eſſe voluptatis incontinentiam: quippe perpetuo variabilis ac mutabilis in omnibus reperiatur. *Incontinens enim*, ait *Ariſtoteles*, *non perſiſtit in ratione*; *quia magis quam oportet*, *voluptatibus delectatur.* quam primum enim pericula, arduitates ac dolores, quæ voluptati contraria, adeſſe videntur, aut ea quæ prius delectabilia, modo non æſtimantur talia, ſtatim voluptuoſus mutat ſententiam, ac ab inſtituto reſilit: ſicut accidit *Neoptolemo* apud *Sophoclem*, cui ab *Vlyſſe* perſuaſum Mentiri. Quod ſi huic incontinentiæ in ciue accedat tenue & lubricum ingenium, nihil illo leuius aut mutabilius cogitari poterit; cui neque iuranti fides adhibenda: varium ſane & impium ingenium ac imperium voluptatis. quocirca ex mutabilitate delectabilium, recte concluditur, voluptatis amatores eſſe pariter mutabiles & deſultorios. *Neque enim*, ait *Cicero*, *fidum poteſt eſſe multiplex ingenium & tortuoſum. Neque vero qui non eiſdem*

Ariſt. lib. 7. Ethic. cap. 9

Soph. in Phil.

Cice lib. de Amicit.

rebus mouetur, & natura conſentis, fidus aut ſtabilis poteſt eſſe.

13 Tertio in loco, quo comparationẽ iſtã abſolueremus, ſubiunximus ciuium conſiderationem, quatenus bonum commune ſuis muneribus ſinguli eorum reſpiciunt. & quidem quantum etiam ad huius procurationem, peiores exiſtunt voluptuarij gymnaſticis. Imprimis vo-
Prou.12. luptuarij magis ad ſeipſos coërciti ac reſtricti vi amoris vehementioris, quo ſe diligunt, quam ſint Gymnaſtici & irati, vt conſtat, & id diſer-
Plut.in Lic. te aſſerit *Plutarchus*. Vnde neceſſe eſt, illos minus curare bona aliorum quam iſtos. deinde voluptatum aſſeclæ nihil difficile aut cum periculo coniunctum in actionem vnquam ſuſcipient, impares quoque inuenientur ad repellendum impetum hoſtilem, qui in reipublicæ cladem forte ingruerit. cum contra audaces & animoſi, auerſi a delicijs, maximarum rerum auctores paſſim reperiuntur, & fortes in quamlibet machinationem violentam, quæ patriæ nocumentum adferat. Si porro firmamenta ſtatus ciuilis, pecunijs ſumptibuſque ciuium ſint propugnanda, cum eas voluptatum mancipia, qua comedendo ac bibendo, qua lihidinando, qua ſe veſtiendo & ornando, abſumpſerint, nihil in priuato, vel etiam publico, apud eos ſupererit, quod in vſus defendendi aut propagandi patriam iuſumatur. huiuſmodi autem abliguritio non eſt familiaris duris & aſperis ciuibus: in quibus, cum ſuis ingentibus viribus animiſque, pauciores etiam pecuniæ ad patriam ſeruandam requiſitæ. Hinc
Plut.in Lic. legiſlatorem optime admonuit *Plutarchus: Ad id vero prorſus aſſuefecit ciues, vt neque vellent, neque ſcirent priuatim viuere, ſed veluti apes, ad rem communem conſererentur ſemper, & vna omnes circa Principem agerent, ſicque ab ſeipſis ferverent afflatu quodam diuino, & honoru ſtudio ſeparati, toti ſe patriæ dederent, vt licet etiam ex dictis quibuſdam hoc prorſus coniectare.* At ciues voluptatibus dediti, in ſeipſis veluti incluſi, foras ſuis conſilijs haud ſpatiantur ad ſocios, aut commune aliorum bonum, vti diximus. proinde horum imperium, aliud diuturnitate nequit exæquare. Ciues idcirco delitioſi nunquam tam diu imperium tenuere, ac alij à deliciis vitæ rigore abalienati. Quo ſane tempore longiori, imperio floruit Roma, dura eadem fuit, non delicata, irata, non concupiſcens.

14 Denique aſſeruimus, vt in hac re exacte diiudicetur, adhibendum ciuium quemdam intuitum, quo perſpicitur, eos ad Deum ac diuina ordinari. Quamobrem intelligendum, voluptates peculiari quadam ratione Dei agnitioni ex fide, eius dilectioni, ac cultui, aſſertis in ciuitate aduerſari. Et quidem ſicut Dei cognitio, tanquam frænum, perpetuo reuocat, cum conſcientiæ acerbitate, homines à nefariis voluptatibus, & triſtitiam quandam eis eodem incutit, qui contra leges Dei ac naturæ illis indulgent, ita è regione voluptas omnium vitiorum metropolis, laborat hoc frænum ore excutere, ſupernum ſcili-
Clem. Alex. 3. ſtrom. cet Numinis cogitatum imperium, quod cum maieſtatis horrore ciuibus impendit, obliuione, errore, aut ignorantia, penitus è mente delere, ne qua ſit in hominibus, ex illo guſtu voluptatis, afflicti animi redargutio aut acerbitas. Vult quidem Deus, vt ciues ad ipſius notitiam ſeſe profundius dimittant: At renuit in eidem voluptas hoc facere, quæ nihil magis quam dulcedinem ſuperbiæ ſecum meditatur. mandat idem Deus hominibus craſſiores voluptates a ſe diſpellere, quo ſincerius & ſanctius ipſum diligant. Cui legi peruicaciter etiam ſe opponit voluptas, nihil aliud apud ſe inſtruendo, quam ſuiipſius per varias fæces ſeu delicias, fœdam quamdam diſperſionem. A Deo prodeunt voces, quæ nos iubent, aliquid temporis, negocijs popularibus ereptum, eius cultui & amori impendere. Cæterum reclamat voluptas, neque fert, vel tantillum ſpacij in eiuſmodi vſus ab homine collocari. Ad extremum hoc habet voluptas, vt ciues reddat vnius terræ admiratores ac ſeruos, cœli autem & ſupernorum prorſus incurios. Agreſtium autem vita non ſolet ita ſolui in impietatem, in atheiſmum, cum plurimæ extiterint, etiam barbaræ nationes, quæ tamen iura diuina omnibus animi, corporiſque officijs, ſedulo obſeruarunt.

15 Quod etiam voluptatibus effæminati magis Deo diſpliceant, quam campeſtri ruditate horridi, id ex eo inter alia innotuit, quod hiſtoriæ nobis referunt, ad caſtigandos nempe populos voluptatibus deditos, diuinitus aliquoties excitatas fuiſſe ad vindictam gentes efferas, ab omni voluptate vitæ genere alienas. Iudæi hinc ſæpius a Septemtrionalibus vexati, tandem didicere ab Aquilone, ſcilicet mundi rigoribus, omne malum pandi. *Gens enim aſcendet ſuper terram,* Ier.5. Iſa.41. Ioel.1.
inquit *Ioel* Propheta, *Fortis & innumerabilis. Dentes eius vt dentes leonis, & molares eius vt catuli leonis. Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decorticauit: inundans ſpoliauit eam, & proiecit, albi facti ſunt rami eius.* Deuaſtationem eorumdem Iudæorum iſtis præſignauit Deus: *Beſtia quarta terribilis, atque mira-* Daniel.7.
bilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans. Cum orbis Chriſtianus luxuriaretur, vt multi notarunt, en tibi Gothos, & Wandalos, gentes voluptatum exortes, vt obſeruat *Saluianus*, in Græ- Sal.l.1. Oroſ. l.1. Aug. l. 1. de Ciu.
ciam, Aphricam, Italiam, Hiſpaniam, ac Galliam incurſantes, ac de illis, vtpote Dei miniſtros, grauem vindictam ſumentes. Animaduertit etiam hoc quidam *Stratonicus* apud *Plutarchum*. *Ad quod quidem Stratonicus* Plut. in Lic.
facete cauillari viſus, Statuens Athenienſes, iubenſque, myſteria & pompas agere; Elienſes vero ludos exercere, tanquam hoc pulcherrime facientes: Lacedæmonios vero, ſi hi peccauerint, cadere. Non ergo ita Deo inuiſa iſtorum rudis auſteritas, ac aliorum venuſtates, atque mollitudines, mille vitijs conſtupratæ. Lepide pro- Plut. in Ant.
inde, atque ad rei naturam accommodate, iocati ſunt in *Antonium* Alexandrini: videntes enim immenſos ipſius luxus, dicebant, Dubium

haud

haud eſſe, daturum ipſis breui comœdiam, qui Romanis iam tragœdiam exhibuerat. Contra gloriari ac dicere ſolebat *Ageſilaus*, Spartanorum Rex, *Fumum hoſtilem Spartana fæmina nunquam viſum.* Animaduerſum porro, diutius durare ſolere imperia iraſcibilia, quam concupiſcibilia. Hoc probat *Plutarchus* exemplo reipublicæ inſtitutæ a *Lycurgo*, eam comparans cum Regno Romano, condito à *Numa Pompilio*. *Quo factum eſt, vt ſupra quingenteſimum annum validiſsima illius conſtitutiones & maxima perdurarint, quippe cui velut color vehemens & acer inuſtus eſſet. Qui vero ciuilis conſtitutionis finis fuerat, vt in pace & amicitia Roma exiſteret, ex templo cum Numa vna defecit. Quid igitur quiſpiam dixerit, nonne ad ſummum vſque in melius Roma rebus bellicis proceſſit?* Similis itaque reſpublica voluptuaria, naui in æſtuoſo mari velis ex byſſo inſtructæ, & vndique deauratæ, qualis erat illa *Cleopatræ*, veloci curſu ad ſcopulos procurrenti.

Plut. in Ag.

Plut. comp. Num. & Lic.

Plut. in Ant.

16 Nil porro aliud voluptuoſos delinquentes manet præter extremum exitium; cum duri illi & inculti immittantur in agros ac ciuitates luxurioſe, molliterque viuentiū; qui in illis ſubinde dulcore ſpiritus miteſcant, & eorum affluentijs potiantur. Videntur enim voluptuarij ad ipſos terminos malorum, & odii Dei modo deueniſſe, ac proinde commerito exitio non tam puniendi, quam penitus exterminandi. Quod enim in ipſis mentis acumen & iudicium voluptates immenſæ iam hebetauerint, iuxta ac conſuetudines, ſenſibus blandas, pœne in naturā conuerterint, ad reſipiſcentiam, ad pœnitentiam, ad vitæ correctionem regreſſus in eis exiſtunt difficillimi. *Væ qui conſurgitis*, clamat *Iſaias* Propheta, *Mane ad ebrietatem ſectandam, & ad potandum vſque ad veſperam, vt in vino æſtuetis. Cithara & lyra & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis.* Ac certe nullum certius indicium, futurum breui alicuius reipublicæ diuinitus exitium, quam a voluptate immoderate per omnes ciuium ſenſus inundante. Aſperi quidem homines ſubigi, & in teneritudinem ciuilem tandem ſolui poterūt: at voluptatibus madentes, vna ruina ac interitu potius videntur extinguendi quam emendandi.

Isai. 5.

17 Cum itaque voluptuoſum imperium deterius ſit Iraſcibili, caueant, ac prohibeant ciuiles magiſtratus illum apud ſe veluti ciuilitatis exceſſum, qui nimias voluptates in ciuium mores effundat. Ne blandiantur ſibi, quod artes mechanicæ in ipſorum ſedibus ad ſummum peruenerint, quod quorumdam dignitates exquiſitis honoribus aliorum percolantur: quod omnia auro, argento ac gemmis niteant, cuncta facilitatibus expediantur: Nam ſub hac *Helena* latitant dira barbaries, lethales peſtes ciuilitatis. Clanculum quidem, & ſub illuſtri ſpecie hoc efficiunt ciuium omnium docta & educta ingenia: ſed eo malum grauius, quo dulcius influit, quo ſub maiori ornatu deliteſcit, quo artificioſius nomen ac numeri vrbanitatis ementitur. Conſultius certe ciuium ſaluti, ſi extremæ & nimium elaboratæ ciuilitatis pars aliqua reciſa aut impedita fuerit, tanquam putridum in corpore membrum, quam ſi ea, in exceſſum tumeſcente, in immenſum vſus voluptuarij pariter eodem excreſcere permittantur. Et quidem in iſtius cladis periculo nulli ita verſantur ac nos Chriſtiani: quippe penes quos aër in Europa purior, temperatior, artes perfectiores, mentes excultiores, congreſſus frequētiores, beneuolentiæ faciliores, ciuiles mores ſuauiores: ne hæc omnia in fæces voluptatum tandem à genuina ciuilitate degenerent. habeat vrbana iucunditas ſal ſuum, abſynthium ſuum, & falcem in manu teneat regina ciuica, quæ inutiles ac noxios luxuriantis ciuilitatis flores demetat, & ariditate diſciplinæ tempeſtiue deuaſtet.

18 Cæterum haud me latet, hiſce a me diſputatis de voluptate, popularem ſenſum penitus repugnare. etenim dicunt, in ea republica, quæ voluptatibus dedita, talia bona ornamentorum & lenociniorum reperiri, quæ ab ingenio barbariei penitus diſſentire merito iudicentur. nam vt ſatis liquet, vbi loci voluptas floret, ibi omnia amœna potius & iucunda inueniuntur, vtpote veſtes ſplendidæ, tituli in immenſum honorarij, conuiuia lautiſſime inſtructa, ſuauiloquentiæ zephyri continuo ſpirantes, conuerſationes vel talpino vellere molliores, artes omni venere vberrimæ. denique Regina voluptas, vbi ad imperium adſpirauerit, ibi ad ſe conuocat innumeras inuentiones, quibus vita humana recreatur & facilitatur, neque vel acceſſum patitur ruditatis alicuius aut in conuictu aſperitatis. quo ergo modo in iſtis delicijs, ſub iſtis floribus deliteſcere poterunt morum horrores, aut barbaries? verum hæc ipſa lenocinia, cruda & barbara ſunt; non quod ſtatim exaſperent ciuium animos, ſed quod ciuilitatis firmamenta ſenſim, & ſpecie nihil minus præ ſe ferentia, diſſoluant: ex quo neceſſe eſt, conſumptis iam dapibus, & virtute exciſa, illos indurari & exaſperari quadam ingenij diritate. nihil ergo inconuenit, quo minus iudicemus incipiliorem citharam *Paridis*, *Herculis* claua, ſimulaturis caduceum, militis haſta, aulicum ſociali. de *Hannibale* hæc *Prudentius*.

Baianis reſolutus aquis, duriſsima luxu
Robora deſtituit, ferrumque libidine fregit.

Prud. lib. 2. cont. Sym.

19 *Ariſtoteles* quod ad ciuile bonum, conferens incontinentiam iræ cum incontinentia voluptatis, hanc pronunciat turpiorem & ſtudiis bonorum morum infeſtiorem: quod ſtrictim more ſuo ex quatuor conficit capitibus. Principio aſſerit, iram aptam natam, quæ rationi & virtuti inſeruiat, præſertim fortitudini & amori honeſti: cum voluptas ſuo ingenio ſpectet ſolummodo ducatū ſenſuum, & inimica conſiſtit rationi. Deinde ira, vt ipſe diſſerit, propius accedit ad naturæ vim ac legem, quam voluptas, quandoquidem ira malum naturæ depulſare laboret, voluptas autem ad delicias longe poſitas a naturæ lege contendit. Mox ira, ait, apertā viam ingreditur ſui conſilij:

Ariſt lib. 7. eth. cap. 6.

cum voluptas doloſa & fucis perpetuo diſſi-
mulata, ob quam cauſam *Homerus* balteum ad-
ſcribit *Veneri*, fraudibus inſtructum. Poſtre-
mo ira, vt ille philoſophatur, ſi iniuſte agat ra-
piendo, vlciſcendo, id facit dolens quodammo-
do: voluptas autem continuo procax & impor-
tuna in iniuriam. Habet quidem in ciuitate vo-
luptas ſpeciem quandam ſummæ ciuilitatis,
quatenus nempe vtitur exquiſitis artibus &
fulgoribus, quæ a ciuili & florenti rerum ſtatu
proueniunt: in inculta enim barbarie, hæ tales
artes & ſplendores non inueniuntur: nihilomi-
nus ſub hoc ipſo fuco magis nociua exiſtit
virtutibus ciuilibus; ſic enim decipiendo, ciues
a ciuilitate abducit.
20 Ad hanc voluptatis appetentiam referun-
tur etiam honoris ambitus, cupiditaſque ha-
bendi pecunias; ſpectant enim hæc bona dele-
ctabilia, eademque ratione concupiſcentis in
homine partis illectamenta æſtimentur. verum
quod ſuperbia attribuatur facultati in homine
iraſcenti, duplex genus honoris cogitandum:
ſicut ex eodem duplex voluptas capienda. Pri-
mum illius honoris eſt, qui quodammodo mu-
liebris & delicatus, quippe facile & ſine ma-
gno aliquo periculo comparabilis: qualis cer-
nitur in ſplendoribus ædium & menſarum, or-
tis ex copijs patrimonij aut legationis: in offi-
cijs porro ex cæremonijs exterioris cultus & re-
uerentiæ. Alterum vero genus, quodammodo
virile & contentioſum, honores ſibi proponit
comparandos ex egregijs animi corporiſque
actionibus, ſiue *Marte* ſiue *Mercurio* conſtiterint:
tametſi arduitates & pericula expetitum finem
denſiſſime obuallarint. Ex quo conſequens, du-
plex itidem genus eſſe ſuperbiæ; & ex vtra-
que duplicẽ notionẽ voluptatis ex eis deriuan-
dæ reperiri. Qui ergo ciues, ratione ſui ſtatus
nobilis, opulenti, & ex tranquillitate reipubli-
cæ, in qua degunt, per ocium voluptates exſpe-
ctãt, illi in honores abſque ſuo graui & impedi-
to opere parabiles, exiſtunt valde incitati. Alij
vero qui ſibimetipſis eſſe volunt primi aucto-
res boni in hoc genere delectabilis, animad-
uertentes, externa emolumenta & adiumenta
deeſſe, honores cupiunt in difficili poſitos, &
ex eis delectationem capiunt. quod ad prius
genus attinet, optarem, Chriſto Domino de-
uotos, admonitos ſaltem funeſtis delicijs Aſia-
norum, longius ab eo ſe recipere, quam viſum
multis, id eos non facere. Enimuero in hoc ge-
nere, mollis, luxurioſa, imo ſeditioſa, & boni
communis incuria exiſtit honoris cauponatio:
adeoque eadem vani non ciuilis ingenij certa
ſignificatio exhibetur. quorſum precor, veſtes
vltra corporis menſuram prodigioſe diffluunt?
quorſum ad porrectos cyathos, in meridiana lu-
ce, accenduntur tædæ? quorſum in triclinijs in-
ſtructo conuiuio, pauimenta odoratis pulueri-
bus ſparguntur? quorſum ambulantes neſcio
quibus famulorum ſuſtentaculis firmandi, ac ſi
natura eis vires ad incedendum denegaſſet?
quorſum currus, qui olim triumphantium ſo-
lum vehicula, iam communes ſedes ciuium etiam
vul[g]arium, per plateas incedentium? quorſum
ped[ites] euntes vectos curru admirantur, viciſſim
in curru ſedentes, pedeſtrem turbam conte-
mnunt? Quorſũ odia & inuidiæ in hac fortunæ
diſſimilitudine? Huiuſmodi honorum affecta-
tio plerumque, ſi non ſemper, odioſa alijs, aut
ridicula: & ex diametro pugnat cum Chriſti Do-
mini moribus & inſtitutis ab eorũ iuxta decori
bus, qui egregie factis hactenus in orbe claruere.
21 Hinc haud ſemel accepi ab alijs relatum,
qui varijs itineribus ad celebriora orbis loca
peregre profecti, quibuſdam voluptatum ſeu
deliciarum modis, Chriſtianæ fidei in Europa
profeſſores, reliquos mortalium poſt ſe relin-
quere. ad primum rumorem, vt verum fatear,
quo minus fidem dictis haberem, difficilem ſa-
tis me exhibui. at multorum ſubinde narrationi-
bus valde animo præoccupatus, vtcumque ve-
ritati conſentire narrata ſuſpicatus, mecum co-
gitaui, quæ nam ratio ſubeſſe potuerit huiuſ-
modi famæ per tot hominũ ora traductæ. Ad
ingreſſum meæ hac de re meditationis, cogita-
re cœpi, partim inſtituti vi, partim fraude dæ-
monum, optimas vitæ normas, ad delicias, aut
ad faſtum ſæpius deduci: non vitio quidem ea-
rum, ſed aliunde. Hoc pacto cum ſingulari
Dei fauore, in bonæ vitæ auxilium ſoli Iudæi a
a Deo legem diuinitus deſcriptam accepiſſent,
eueniebat, illos poſtea fide Chriſti imbutos, quod
recolit *S. Lucas*, vt deſpicerent viduas Græco-
rum. cæterum quod ad noſtra attinet, ſcilicet Act. 6.
iſtam propenſionem in mollius ſuauiuſque
vitæ genus, primo loco hoc ſuccurrit, quod iam
dicam. Notum eſt, noſtrorum dogmatum inge-
nia & ſententias, quæ humilitatis depreſſiones,
charitatis odoratos ardores, iuxta ac pœniten-
tiæ dolores ſuadent, eodem in nobis facultatis
iraſcibilis rigorem mitigare. qua facultate hoc
ritu veluti exarmata, illico facultas concupiſci-
bilis, ſua iam ſuauitate affluens, procliuior eua-
dit ad omnes ſpecies dapum, quarum formæ ei
proponuntur. inde *S. Apoſtolus* tanquam ſtultos
quoſdam taxat, qui cum ex ſpiritu mores expri-
mere inceperant, poſtea in carne, colophonem
ſui deſiderij collocarunt. *Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpi-* Gal. 3.
ritu cœperitis, nunc carne conſummemini? quæ licet
intelligantur de libertate Euangelij, & carnali
obſeruantia veteris teſtamenti, nihilominus ſen-
ſum habere poſſunt quem diximus. Deinde me-
cũ reputaui, homines profeſſionis noſtræ, cupi-
entiſſimos eſſe congreſſuũ ciuiliũ, in quibus ope-
ra charitatis, qua largiendo, qua inſtruendo,
exerceantur. Sub quorum formis aliquando la-
titant ſubdolæ carnis & dæmonum artes, a
quibus in partes voluptatum pertrahamur.
Mox in animũ incidit, quod cultorum Chriſti,
præ omnibus alijs, ingenia, ſint exercitatiſſima:
ac proinde diuerſas voluptati & facilitati vitæ
inſeruientes artes excogitare ea potuiſſe, qui-
bus effæminarentur. poſtremo nemini obſcuri,
Chriſti cultores, eas orbis partes impulere, quæ
maxime omni rerum copia redundant: ex qua
oriri potuit illa lautitia, quam externi homines
nobis vitio vertunt.
22 Cæterum vero hæc non proueniunt ab ar-
gumentis ipſis noſtræ ſanctiſſimæ fidei, ſed de-
foris, vti diximus. quæ obſecro, doctrina con-
tra prurientem voluptatum *Scaliem*, vt loquitur
Cicero

Cic. Tuſc. 2. *Cicero*, fortius declamat, quam noſtra fides? hoc ſatis inter alia, multis innotuit in primitiua Eccleſia, ex cupiditate, qua chriſtiani feruebant ſubeundi martyrij. quod cum ſecum expendiſſet *Iuſtinus Martyr*, illico pronunciauit, Chriſtianum dogma, & illius aſſertores, valde auerſos Iuſtin. Dial. 1 ad. 1 ınſt. cap. 3. 19. eſſe a voluptatum inquinamentis. *Nam & ego ipſe Platonis diſciplinæ ſectator, cum calumnioſe audirem, Chriſtianos deferri: intrepide autem ad mortem, & alia, quæ terribilia cenſentur omnia, adire conſpicerem: ſtatim ipſemet animaduerti, fieri haudquaquam poſſe, vt illi in vitiorum prauitate & voluptatum amore viuerent.*

23\. Explicatis iam Principijs, ex vitio naturæ in hominibus profectis, mutationem ciuilis ſtatus inducentibus, expendenda modo alia detrimenta; quæ ex artibus pſeudopoliticis pullulare exiſtimentur.

CAPVT IX.

Imperium pure deſpoticum ſiue ex ſententia Ariſtotelis Barbarum ac tyrannicum, magnum momentum habet contra Imperium Ciuile ac Chriſtianum.

NOmine imperij deſpotici illud intelligimus, quod denotat ſignatque in principe omnium ciuilium bonorum ſupremum dominium proprietatis, ſiue quantum ad eorum ſubſtantias, ſiue vſus, fructuſque: adeò vt illius vi ſolus Princeps ſit abſolute Dominus proprietarius, ſubditi vero ad eius nutum inuitiſque ſerui interim ac mancipia habeantur. hoc genus imperij appellatur tyrannicum, ciuili oppoſitum, a Philoſophis, intelligentibus nomine tyrāni nō ſolū abuſū poteſtatis in aliquo, aut nō debiti in eodē vſurpationē, ſed certum regimen ex ſuprema dominantis poteſtate profectum: Olim enim Tyrannus, Rex, & Dominus tam apud Græcos, quam Romanos, idem ſonabant. in quam ſententiam vidi a ſeruo ſeu famulo, ſepulcralem inſcriptionem hanc lapidi inciſam in hortis *Peretinus, Tyranno ſuo chariſſimo*: quem titulum in memoriam ſui domini defuncti ordinauerat. Idcirco Principes, qui ſe reputabant proprietarios omnium bonorum penes ſubditos, apud quos nihil eorum inuenitur præterquam vſus fructus, iſque ad dominorum arbitria, ij ſe tyrannos vltro oſtendunt; & genus regiminis ab eis vſurpatum eſſe tyrannicum: quod Philoſophi hactenus omnes barbarum vocarunt, & a ciuilitate alienum aſſimarunt. Cæterum ad melius intelligendum hoc deſpoticum imperij genus, ciuium bona ſingillatim expendenda, vt inde luculentius percipiamus, quænam ex illis eiuſmodi imperio pareant, ſimul ac quæ illi dimitti non poſſunt. Inter quæ bona, primo loco occurrit ipſa vita, qua viuunt ac ſpirant ciues. Et quidem certiſſimum videtur, ciues ipſos non potuiſſe transferre in principem imperium abſolutum in ſuas ipſorum vitas, quandoquidem Dei ac naturæ lege non ſint ipſi ſuarum vitarum domini, ſed tantummodo cuſtodes: proinde non ſimpliciter ac indefinite commiſere ciues ſuis Principibus poteſtatem in vitam ac necem, ſed reſtricte tantum, ac quo ad certos caſus ſcelerum ac delictorum: id poſtulante ab ipſis boni communis procuratione, per Principem tranſigenda. Non ergo cauſari poterunt tyranni, deſæuientes in ſuorum corpora, quod in rem ſuam ſolummodo incrudeſcant. Quamobrem ad tria reuocari poterint omnia alia bona, in quæ cogitet quiſpiam ius deſpoticum ad Regem pertinere, ſcilicet ad corporum actiones poſitiue aut negatiue ſumptas: ad ipſa externa emolumenta, poſſeſſionibus ciuium obnoxia, & eorum vſus, fructus, ſeu quaſlibet ex eis prouenientes vitæ ciuilis commoditates.

2 Diſtinguere autē debemus Dominium *Altum*, à *Iure Proprietatis*, quod egregie *Seneca* docuit. *Ad Reges poteſtas omniū pertinet, ad ſingulos proprietas: ſub optimò Rege omnia. Rex imperio poſsidet, ſinguli Dominio.* Sene. l. 7. de Benef. ca. 4 Hoc autem altum Dominium peruadens ad omnia ciuium bona, in quibus lex Dei vel Eccleſiæ exceptiones non interponunt, cuncta gubernat, per reſpectum ad bonum commune, neu aliter. Cui non repugnat *Ius Proprietatis*, quod ſingulis ciuium competat. ideo enim illud altum dicitur, quod huic Proprietario emineat, quod de iſto diſponat, quodque circa nobiliorem finem, nempe bonum totius ciuitatis occupetur, non vero quod penitus Dominium proprietatis in ſubdito exterminet. Dempto autem a ciuibus Dominio proprietatis, nihil reliqui in eis præter ſeruitutem ſupereſt: cū qua ſola, ciuitas conſtare non poteſt, vt docet *Ariſtoteles*. *Non enim ciuitas poteſt eſſe ex pauperibus; quemadmodum nec ex ſeruis.* Ariſtot. l. 2 Pol. cap. 18 Ciues enim ij, qui in aliquo Bono communi conueniunt; quod non faciunt, ſi in illud iure omni deſtituantur. ſeruorum autem nullum eſt ius ſiue inter ſe, ſiue cum Principe.

3 Tribus autem medijs diuinare quis poterit, ad Principis perſonam vnde cumque traduci in hæc bona imperium Deſpoticum. Primo iure diuino, deinde ſubditorum voluntatibus, poſtremo ipſorum Principum Dominationibus. Non deſuere, qui iure diuino, in ſacris litteris diuulgato pronunciarunt, omnes Principes, ſeu Reges abſolutos, Dominos eſſe deſpoticos; illoſque conſequenter non liberis, ſed ſeruis duntaxat ac mancipijs imperitare. Serui autem & Ariſt. l. 1, po mancipia illi ſunt in ciuitate, qui omnium rerū carent Dominio, de nulla tanquam proprietarij poterites diſponere: ac qui, ſi quid lucrantur ſua induſtria, id non ſibi, ſed Domino Principi lucrantur. Ius autem hoc diuinum, quod immediate à Deo in Reges deſcendat, dicunt eis verbis contineri, quibus declaratum, futurum, vt *Saul*, à Deo conſtitutus Iudæis in Regē, ve- 1. Reg. 8. ctigalium agros, equos, aſinos, ſeruos, ancillas, vineas ac huiuſmodi, ſuo peculio eſſet deſpotice ſubiecturus. Quantum vero ad liberas voluntates ipſorum ciuium, verum, quod dixit *Alphonſus Caſtrenſis: Hanc iam prodigam ſuæ poteſtatis ac libertatis effuſionem, vix credi poteſt, populum aliquem feciſſe.* Caſtr. l. 1. de leg. pœn. c. 1. Tertio autem modo, extra Græcia, ferme omnia relapſa ad tyrannidem imperij deſpotici: præualente in populos principum nimia auctoritate, ſiue viribus ea primo acceperit.

rit. *Alexandro* perpetuo adetat aliquis *Anaxarchus* qui hoc apud Principẽ Philoſophatetur: *An ignoras, proinde fas uſque cominus aſſidere Ioui, vt quicquid Reges perpetrauerint, licere, iuſtumque eſſe intelligas?* Cur autem hoc ipſum imperium deſpoticum ab *Ariſtotele* ſit appellatum barbarum ac tyrannicum, poſtea explicabitur.

Plut. in Ale.

Cic. l. 2. Off.

4. Imperium autem ciuile ſeu liberum, illud appellatur, in quo priuati ciues domini quidẽ exiſtunt ſuorum bonorũ, fructuum, vſuumque pariter ex eis manantium: Ita vt contractus inter ſe exercentes de ſuis rebus tranſigant ac diſponant: ex eis lucra pariter conſtituentes, ſibi & ſoboli lucrentur, & vtilitates mutuo acquirant, Ciuile hoc dicitur imperium, propterea quod a natura ipſa oriatur, cuius vi omnes homines liberi, inter ſe æquales in ciuilitatem propenſi: proinde quo ad aliqua bona ciuibus conuenit libertas Dominij ex proprietate: ita vt ſicut homo poteſtate arbitrij eſt dominus ſuorũ actuum, ſic etiam vt ciuis, ſit dominus vel naturæ munere bonorum externorum. Proinde ſi hoc dominio penitus deſtituatur, haud id fiet certe naturæ ſolius iuſtitutione, qua homo animal ſociale ac ciuile, ſed forinſecus aduentante arte tyrannica, & ius ciuile exterminante euenerit. hinc id, quod ciuile, idem naturale: quod autem barbarum ſeu tyrannicum, id contra naturam, ac conſequenter violentum dici debet: Ciuis vero eſt ad naturæ ingenium, contra mãcipium ad normam alicuius pœnæ, aut ad artis cuiuſpiam innaturalis decretam truculentiam. Ciuitas a natura, non autem ſeruitus: proinde illa ciuilis ſubiectio, quæ a condicione ſeruitutis remouetur, ac cum qua optime cohæret dominium proprietatis, vt docet *Seneca*. Et quid aliud ciuile hoc expugnat ſeruili ſtatu præter tyrannicum ac barbarum imperium, natutali ciuilitati prorſus contrarium? Chriſtianum quoque merito æſtimatur imperium hoc ciuile. Etenim libertas Chriſtiana, dignitas Euangelij, precium redemptionis noſtræ, non permittunt omnes ciues alicuius regni, extra perſonam vnius Regis, ſeruos eſſe & mancipia. Quomodo autem vituperabile ſit hoc Imperium deſpoticum & quibus nominibus ciuilitati codẽ exitioſum, iam delcarabimus.

S. Thom. 1. 2. q. 5. art. 3.

Sen. li. 7 de Ben. cap. 4.

Dried. l. 1 de lib. Chriſtiã

5 Primo, qui Principes hoc genus deſpotici imperij vendicant in ſubditos, illudque profitentur, ij vt ciuium ſaluti haud eo rectè conſulunt, itaque neque ſuæ. Videntur enim velle alijs vltra imperia *Manliana* imperare, non ex æquo ac bono virtutis, non exemplis virtutum, in ſuis ipſorum Perſonis relucentibus, non ex ratione boni communis, ſed quadam diritate, veluti ac ſi Rex idem eſſet, quod Dominus, ſubditus quod mancipium. Proinde quo curſus tyrannidis tutior ac munitior ſit apud ipſos, ſeſe in alto conſtituunt abſolutos dominos, ſubditos vero infra collocant in ſeruitutis infimo. Quod quidem ipſis præſtare minime neceſſe fuerit, ſi illis animus adeſſet regnandi non immanitate libidinis, ſed ex virtutis lege & moderatione. hoc illatum generi humano dedecus, quis non videt regiæ dignitati plurimum etiam detrahere?

Liu. l. 8 Dec
Gell. l. 9. c. 13

—— *virtus & ſumma poteſtas*
Non bene conueniunt. Luc. lib. 8.

6. Nociuum porro ſibi iudicabunt ciues, ſe, a natura libertate donatos, Principi, ita ſubeſſe modo, vt haud ciuili ritu, ſed barbarico ac tyrannico non tam ab ipſo gubernandi, quã proſternendi ac deprimendi. Verum quidem eſt, inter ipſos ciues reperiri quoſdam, vtpote mente parum valentes, *Quibus*, vt ait *Ariſtoteles*, *vtilis & iuſta ſeruitus*; nihilominus ab hoc longe abeſt omnium ciuium ſeruitus, cuius condicione ſpectata barbarum ac tyrannicum imperium inter eos promiſcue ſtatueretur. Domini autem in ſeruos non eſſe ciuile imperium conſtat: *Atque hoc etiam*, ait *Ariſtoteles*, *non eſſe idem ius herile, quod rationem ciuilem: hæc enim liberorum eſt natura, illud ſeruorum.* Ius vero herile, ſeu tyrannicum, non eſſe ſecundum naturam, affirmat, ſed eius ingenio potius infeſtum. Ciuile autem imperium in hoc poni definit, quod rerum proprium ius & Dominium ſubditis attribuendo, eis inde concedat etiam aliquam partem regiminis: *Cum ex ſimilibus ciuitas conſtet, ſi vim communis natura in omnibus ſpectemus. Ex his quæ dicta ſunt patet, quod in ſimilibus, & paribus, nec vtile eſt, neque iuſtum, vt vnus ſit Dominus omnium.* hoc eſt quod affirmat etiam *S. Thomas*, dum de ſubditis in ciuili imperio dicit, *In aliquibus habent propriam voluntatem.* & alibi: *Circa bonam ordinationem Principum in aliqua ciuitate vel gente, duo ſunt attendenda. vnum eſt, vt omnes aliquam partem habeant in principatu: per hoc enim conſeruantur populi, & omnes talem ordinationem amant & cuſtodiunt*, vt dicitur in 2 pol. *Patet igitur eſſe melius, vt propria ſint res, ſed vſu facere illas communes.* Ex rerum proprietate apud ciues oritur ius ciuile, vt in earum rerum adminiſtratione ipſi aliquas partes obeant, quarum Domini proprietarij exiſtunt. hoc ipſum deducit idẽ *Ariſtoteles* ex æqualitate naturali, qua omnes ciues pares inter ſe reperiuntur. *Propterea quod omnes natura ſunt pares, ſimul eſt iuſtum (ſiue bonum, ſiue prauum ſit, gerere magiſtratum) vt omnes huius muneris participes fiant, & in eo imitari viciſſim æquales, cedendo inuicem alios alijs: vtpote qui ex Principiis ſunt æquales.* Recte autem *Ariſtoteles* ſubiunxit, debere res priuatorum Dominorum vſu eſſe communes: ſcilicet ab eis referendas in vtilitatem boni publici, ſimulque alto Dominio Principis ſubijciendas. Neque cum hac proprietate apud ciues pugnat altum dominium Principis, quo ipſe quandoque ratione boni communis, ſua lege imperioque diſponit ac tranſigit de priuatis bonis ciuium: Dominium enim proprietatis in imperio ciuili ſubordinatur alto Dominio Principis: cuius tota vis mandandi deducitur a ratione boni publici: vtpote quando Princeps ciues malefactores punit, quando a ſubditis exigit pecunias bello conficiendo idoneas: ac ſimilia præcipit.

Ariſt. lib. 1. pol. cap. 3.
Ariſt. 1 pol. cap 12. li. 7. cap. 14.
S. Thom. 1. 2 q. 56. art. 4 q. 105. art. 1.
Ariſt. lib. 2. pol. cap. 1. 3.
Ariſt. 2. pol. cap. 1. 3. pol cap. 3.

7. Quamobrem non poſſunt ciues non ægre ferre, eis impoſitam a Principe qualitatem ſeruorum ac mancipiorum, nullius rei iure proprietario in ciuitate gaudentium. ac iuſte ſane ſuum ſtatum deplorabunt, animis cogitantes, ad ſuam depreſſionem ac cladem non ſufficere in

re in ipſis affectionum intemperiem, eos peepetuo affligentem ac fatigantem, acerbioris fortunæ multiplices caſus, eoſdẽ cõtinentee aut territãtes aut pulſantes, ſed adhuc ad ærumnã & miſeram abiectionem augendum accedere a Principe truculentũ illud imperium deſpoticum, & inciuile hoc dominationis ferrum, quo in ordines ſeruoeum ac mancipiorum rediguntue: etiam vt ſanguinis Chriſti precio redempti & ornati, cœleſtis beatitudinis areha donati, In ipſũ cœlum quandoque Principes ſummi ingeeſſuri ac ibi dominaturi, ſub huiuſmodi graui imperio ſordeant, ingemiſcant ac lamententur in terris.

Claud. li. 1. in Ruf.

—— Dominoque parabat
Exitium facundus ager, metuenda colonis
Fertilitas.

Neque exiſtimandum fore, vt ciues reluctantis naturæ vim banc penitus retundere in ſe velint: quinimo potius ad naturalem libertatem & dignitatem, ad imperium nempe ciuile a barbaro hoc & tyrannico, animis, coeporibuſque indeſinentee adſpitare tentabunt. *Non eſt quod credam*, ait *Seneca*, *quemquam fieri aliena infalicitate falicem.* [Sen. Ep. 93.] Etenim non niſi gentes barbaeas, & ad ſeruitutem natas, reperiri aſſerit *Ariſtoteles*. *Quæ haud grauate ferunt Domini Principatum.* [Ar l. 3. pol. cap. 10.] Hinc neceſſe fuerit, politicos huius imperij deſpotici fautores, ingens quoddam odium a multis conflare monarchis & Regibus abſolutis: cum tamen monarchia ſit præſtantiſſima, & ab omnibus expetenda forma Reipublicæ. Nam cum vel ipſi natuex aduerſetur, repugnetque ciuili regimini hæc ſpecies imperij deſpotici, vt dixi, conſequenter inamibilis ſẽper fuerit humano generi, adeoque illi deteſtabilis apparebit. Proinde qui illo premuntur, admirabuntur & laudabũt Ariſtocratiã, aut Democratiã aliorum ciuium, in quibus liberi ſaltem homines degunt, non, vt ipſi, ſerui ac mancipia aggrauantur.

8. Ille certe rerum ſtatus in ciuitate haud conſtituendus, qui eum vectigalium nimia abiectione, nobiliſſimo pariter ciuilitatis inſtrumento, nempe virtuti, officit, detrahitque. Enimuero non alium ob finem ciues confluxere, vt alias intulimus, quam vt inita ab ipſis ſocietas, virtutem eiſdem redderet parabiliorem, vt parta ac culta virtus, res ciuiles conſtitueret apud eos meliores & ſtabiliores. *Qua in ciuitate*, ait *Ariſtoteles*, *non maximus virtuti honos tribuitur, in ea optimus ciuilitatis ſtatus ſtabilis & firmus eſſe nullo modo poteſt.* [Ariſt 2. pol. cap. 9.] Virtutem ſpecialem eſſe effectum gubernationis ciuilis idem definit. [Ariſt. 4. pol. cap. 8.] *At non viuendi potius: eſſet enim aliter ſeruorum, aliorumque animantium ciuitas. Nunc autem nulla eſt, quod ſerui ac belluæ beata vita non ſunt compotes, neque eius vita, quæ iudicio ac ratione degitur.* Imperium autem deſpoticum tam virtutes Principis, quam vectigalium diminuit & extenuat.

9. In domino deſpotico, iure ſui ſtatus, non eſt tam excellens virtus ſpectanda, ac in ciuili. nam ſi minima virtus, ratione ſtatus, requirenda in ſeruo, vt poſtea dicetur, conſequens, minimam pariter debere ineſſe Domino deſpotico. Eſt enim in vniuerſum Dominus quiddam excellens, exemplar omnium virtutum poſtulandarum in ſubditis. [Ariſtot. l. 3 Pol. cap. 1.] Nobilitas autem, ſeu excellentia exemplaris, deſumenda ex reſpectu ad ea, quæ a tali exemplari dirigantur & illuſtrantur. Proinde ſi forma virtutis in ſeruis, ad quam Domini virtus, vt exemplar, refertue, non ſit maxime eminens, neceſſe fuerit eiuſmodi Domini ex officio debitam virtutem, eodem deficeeo a culmine ac præſtantia virtutis ſummæ & exemplaris. hinc Princeps, qui liberis ciuibus præeſt, adeo, quo ad virtutem mores profitetur exemplares, vt dijs quodammodo præeſſe ac Dominari eum, teſte *Ariſtotele*, dici poterit: qui vero ſeruis imperat, eis præſidet, qui ad condicionem brutorum valde prope accedunt. [Ariſt. l. 1. 6. eth. cap. 13.] Vult etiam *Ariſtoteles* eximiam hanc præſidentium virtutẽ obediendo prius comparari: [Ariſt. lib. 3. pol. cap. 9.] at ſi in ſeruis ac mancipijs virtus ſit debilis, ex ea oriri nequit Principis virtus, quæ ſit ſuprema, quemadmodum non eſt eadem prudentia ductoris pecorum, quæ ductoris leonum. *Imperium* inquit *Ariſtoteles*, *liberorum melius eſt, ac magis ex virtute, quam Dominari vt ſeruis.* [Ariſt. lib. 7. pol. cap. 14]

10. Illa porro virtus, quæ ſpectat ad Dominum deſpoticum, eſt eidem valde difficilis, impunitate delinquendi, poteſtate quidnis iubendi, eius libidini perpetuo ſecundantibus. Iſtis exſtimulatus fuit *Cæſar* Dictatoe, teſte *Cicerone*, ad eam condendam legem, qua iubebatur, licite occidendum accuſatum ciuem etiam cauſa indicta. [Cic. l. 1. de legib.] *Ius aut commodum tyrannorum*, vt ait *Ariſtoteles*, *non eſt naturale*, *Non oportet magnos meroſque Principatus conſtituere*, ait *Plato*, *illud ſemper memoria tenentes*, *quod liberam ciuitatem & prudentem, & ſibi amicam eſſe oportet.* [Ariſt. 5. pol. ca. 12. 2. pol. cap. 7. dial. 3. Plat legib.] Iudicauit idcirco *Ariſtoteles*, monarchiis addendas varias moderationes: quales videmus in monarchia eccleſiaſtica, quam iura diuina quo ad multa cohibent atque reſtringunt. vnde affirmauit, abſolutum imperium, naturæ debilitate conſiderata, *Maioris eſſe virtutis, quam vt ea in hominis naturam cadat. neque eſt tuto huius rei fides. eſt enim id perdifficile. Debent ei copia dari, ſed tanta, vt eis vnumquemque ac plures vno coërceat. A multitudine autem coërceatur. Quod veteres obſeruabant ii, qui conſortem dederunt, tum cum quemdam in ciuitate delegerunt, quem Aſymneten aut tyrannum appellabant. Et Dionyſio cum cohortem peteret, conſilium dedit Syracuſis quidam, vt tantum darent. Qui ergo legem præeſſe vult, is velle videtur Deum, ac leges imperare. Qui autem vult hominem:* [Ariſt 2. pol. cap 11. 5. li. cap 11.] Hoc eſt Regem nullo modo temperandum, *etiam belluam adiungit: cum præſertim tale quid ſit cupiditas, & iracundia, & magiſtratus optimum quiſque a vera via detorqueatur.* Neque exiſtimauit *Ariſtoteles* halce moderationes ciuiles Regum dignitatibus nocumentum adferre, ſed potius decus ac præſidium. *Quo enim ait minor eſt poteſtas eorum, qui imperãt, eo diuturnius, ſtabiliuſque omne ſtat imperium. Nam & minus ad dominationem inſtructi ſunt, & magis pares ſunt moribus, & minus eorum, qui ſe ipſorum imperio ſubiecerunt, flagrant inuidia. Adijce nunc* inquit *Seneca*, *quod qui timetur timet. Nemo potuit terribilis eſſe ſecure.* [Sen. ep. 104. Ariſt. 5. eth. cap 7.] Concludit *Ariſtoteles*, *Propterea non ſinimus dominari hominem, ſed rationem: eo quod qui ſibiipſi id facit, is tyrannus euadit: Eſt autem qui dominatur iuris ipſius cuſtos, ac ſui iu-*

tu

ris, aqui etiam. Illa itaque inæqualitas, quæ Dominum deſpoticum diſcriminat a ſubdito, qui ſeruus & mancipium, inciuilis eſt vel habita ratione virtutis in ipſo domino, ſiue etiam pacis inter ciues: quæ tamen ciuibus ad virtutem maximo commodo eſſe ſolet.

11 Hoc ipſum deſpoticum imperium ciuilibus virtutibus, in ipſis ciuibus deſiderandis, ſimuliter multum aduerſatur. Rectam ſententiam protulit *Ariſtoteles: In ſeruo cum non ſit ea pars, quæ valet conſilio, idcirco & perſpicuum eſt, in eo & virtutem paruam deſiderari: & tantam, vt neque propter ignauiã officio deſit.* (Ariſt. 1. pol. cap. 8.) Quod ſi ciues nullo gaudeant externorum bonorum peculio ac proprietate, ſerui fuerint, eoque incapaces prorſus excellentis alicuius virtutis. Quis ciuium ingenuorum hoc audiens, ſponte ſubibit, ſub Principe tyranno, condicionem ſerui, quo virtutis etiam perfectioni profitendæ ineptius eodem iudicetur? qualis demum illa reſpublica, cuius omnes ciues ſerui, a virtutis apice abiecti, eodemque ad ſordidam tam animorum, quam corporum condicionem depreſſi iacent ſordiſſime? eſtne Dominatio, quæ naturæ lege in bonum ſubditorum inſtituitur, eorum virtutibus, adeoque in cœlo Beatitudinibus, oppoſita? num ex tyrannide res commoda, hoc pacto deſæuire Principes vel in animas ſuorum vectigalium? Atque vt de particularibus virtutibus iudicium feramus, intelligendum, res externas ad virtutum munera plurimum opus conferre: vtpote ad charitatem, ad amicitiam, ad pietatem, ad iuſtitiam ac fortitudinem. Verum ſi earum Dominijs ex Principis ſui iure ſpolientur ciues, quomodo poterunt expenſis pecunijs aut aliunde, patriæ commodis opitulari, vel egregium aliquid perficere quod cum aliorum ſalute & vtilitate ſit coniunctum? *Nemo plus*, ait *S. Hieronymus*, *impetrat a libero, quam quo ſeruire non cogit.* (Hier. de Err. Ioan. ad Theophi.)

12 Atque inter reliqua vitæ ciuilis ſubſidia merito cenſetur vnum, amicitia, vt alias diſſeruimus. Imperium autem deſpoticum amicitiam tam inter Principem & ſubditos, quã inter ipſos met ſubditos, penitus exterminat: proinde inciuile, barbarũ, minimeque ferendum. *Amicitia*, teſte *Ariſtotele*, fundamentum reſpicit in aliquo bono, in quo amici conueniunt: ſerui autem, cum domini non ſint ſuorum bonorum, nullum retineant bonum, in quo cum Principe, aut cum alijs conſeruis mutuo conueniãt: proinde neque cũ Principe, neque inter ſe amici eſſe poterunt. *Erga inanimata neque amicitia vlla eſt, neque ius, neque erga equum aut bouem, neque erga ſeruum, quatenus ſeruus eſt: Nihil enim habet commune.* (Ariſt. 8 Ethic. c. 11.) Quanta itaque dementia inualit animos quorumdam politicorum, laborantium ſtabilire inter Chriſtianos imperium hoc deſpoticum, cum graui nocumento in ipſum genus humanum tã quod ad virtutes ac fælicitatem ſempiternam, quam quod ad externa iſtius vitæ emolumenta?

13 Quod vt perficerent, vel in apertam iniuriam ac blaſphemiam in Dei prouidentiam incidere voluerunt. Proh nefas! diuino mandato illud genus imperij apud chriſtianos aſcribere, quod barbarum, quod tyrannicum, quod naturæ infeſtum, quod virtuti & fælicitati cœleſti nociuum: quaſi vellet Deus, Regum abſolutorum ſubditos, etiam Chriſtianos, inter omnes alios in peſſimo ſtatu collocari, idque quantum ad virtutem ac ipſorum beatitudinem. Quod vero afferunt in ſuam ſententiam de imperio *Saulis*, multis nominibus enimuero inſulſiſſimum: Eſto, voluiſſe Deum, Regem Iudæorum obtinere ius deſpoticum, ac Iudæos ſeruos debuiſſe eſſe ac mancipia ſuorum Regum: quid hoc precor, ad Chriſtianos, ac reliquos, ad quos mediante a Chriſto libertate, nulla vis legum illarum iudicialium pertingit? (1. Reg. 8.) Deinde ſaluſſimũ, hoc ius deſpoticum inter Iudæos Deum condidiſſe; ſolum enim Iudæis recenſuit futura mala ex Regia poteſtate apud ipſos, cuius deſiderio, contra ipſius beneplacitum, tantopere tenebantur. Prius enim, vbi peccatum non dederat cauſam cladi, viguit apud eundem populum multiplex ſpecies imperij ſine huiuſmodi ſeruili condicione ipſorum. Etenim in *Moyſe* ſpectabilis erat Monarchia, in ſeptuaginta duobus Senioribus Ariſtocratia: denique in populo principẽ eligente Democratia apparuit, vt eleganter docet *S. Thomas*. Optimum ciuilis imperij modum idem ſtatuit in quadam commixtione illarum formarum: ita vt earum extrema ſeſe mutuo cohibeant & caſtigent. *Talis eſt enim optima politia bene commixta ex regno, in quantum vnus præeſt, & Ariſtocratia, in quantum multi principantur ſecundum virtutem: & ex Democratia, id eſt, poteſtate populi, in quãtum ex popularibus poſſunt eligi principes, & ad populum pertinet electio principum.* (S. Thom. 1. 2. q. 105. art. 1.) Temperaturam hanc futuram in Dei Eccleſia videbatur præſagire triplex illa forma regiminis in Dei populo, vt innuit *S. Doctor*. Deſpoticum autem imperium fundamentum habet ſui ſolum in tyrannorum libidinibus, & in adulatorum lenocijs: de cætero vniuerſa ſacra pagina, tota philoſophia, adeoque inſitæ nobis naturæ vires illi vehementiſſime reluctantur. Ac quod ad Chriſtianos attinet, arbitrantur theologi, condicionem mancipiorum quod ad omnes in republica, contrariam eſſe Chriſtianæ libertati. *Hoc enim*, inquit *S. Gregorius*, *inter Reges gentium, & imperatores Romanos diſtat, quia Reges gentium Domini ſeruorum ſunt, Imperator vero Romanorum, Dominus liberorum.* (Greg. l. 11. Ep. 12.)

CAPVT X.

Recenſentur colores aliquot ac fuci ſub quibus ars tyrannica boni communis cladem ſubdole machinatur.

VErum, quod vulgo dictum, neceſſitatem nempe, matrem eſſe artiũ. Nec ſolum artificioſa reperitur ea neceſſitas, quam honeſtus rerum caſus, hominũq; condiciones ciuiles pariunt, ſed inſuper neceſſitas a ſcelere, a voluptate decreta: quæ vt ad optatum exitum perueniat, ac impune graſſetur, arte indiget, quæ ſub ſpecie boni, id, quod optimum, expugnet deuaſtetque. Si enim inter alia nocua, tyrannis ſine inuolucro probitatis euolute ſeſe vi ſendan-

ſendam præberet, nullum ſane monſtrum ea fœdius, nulla beſtia ea truculentior in oculis mortalium compareret. Propoſitum quippe ac finis tyrannidis, proprium commodum ſtatuere ex publici ruina: quod cum ſit ipſo aſpectu horrendum, quandoquidem numeroſiſſimorũ ciuium communis clades, neceſſe eſt, tyrannidem rem eſſe odioſiſſimam, ipſique tyranno, ni id caueat, periculoſiſſimam. Vt ergo tyrannus ſcopum ſuæ priuatæ vtilitatis collineando attingat, occultetque ſuarum legum ac permiſſionum iniquitates, artem quandam ſibi comparauit, qua bene agere, optimeque tunc imperare a vulgo æſtimetur, quando vel maxime ſcelerate & barbarice ſe gerit. Neque hoc ſolummodo efficit externa bona ciuium debilitando, ſed etiam eorum virtutes, animi bona impugnando, vitiaque omnia in eorumdem animas ac corpora, quibus effæminentur, quibus deſipientes reddantur, peſſimeque inter ſe cohærentes, rixentur, ac in factiones diuidantur, inuehendo. Quo inſtituto cum maximus fiat receſſus à ciuilitate, tum æquum eſt, ciues noſſe fictitias illas formas æqui ac boni, ſub quibus in eorum perniciem tanta peſtis, tamque immanis barbaries a tyrannide erumpit.

Ariſt. lib. 5. pol. 2 *Ariſtoteles* artis tyrannicæ præcepta tradendo, tyrannorum fucos ſingillatim recenſet, quibus ſuffulciatur ille princeps, qui non ex lege virtutis, aut boni ciuilis, ſed ex cupiditate ſuæ libidinis, ocij, luxuſque ſtudijs, dominari inſtituit. hos verò latè explicat, illoſque ſuadet Machia. lib. Princip. enixe *Machiauellus*. eoſdem repetunt *Platina*, & Platina lib. de opt. Ciu. alij, vt eos excutiant, & ſedibus noſtris eliminent. Ferrea hæc glans mox explodenda, in imo certe tormenti latet. boni & honeſti omnino faciem referre debet illa hoſtilis principis machinatio, cuius inſtrumentorum virtus fallata, in expreſſam virtutem impetum clam faciens atrociorem. efficitq; vt barbaries, ciuilitatis coloribus picturata, animique conſilio digeſta, genuinam ciuilitatem calamitoſius ipſo euentu labefactet. Apud Turcas quidem, *Perſas* ac *Muſcouitas* apertè caput exerit huiuſmodi tyrannis, quæ ciuilitatis decora commodaque vaſto quodam hiatu publice abſorbet, neque ad id artis ibi eget tegumento.

Virgil 3. Æneid.

——————— Læuum implicata charybdis
Obſidet: atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſq; ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat vnda.

Cæterum penes nos occultatur arte quadam tyrannus: imò probitate inſignitur, vt noceat, auctore ac magiſtro interim illæſis.

At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertantem, & naues in ſaxa trahentem.

3 Magnam in primis tyrannicæ politiæ vim confert religionis popularis quædam oſtentatio, dum inde datur ſignificatio, omnia non niſi dei ipſius iuſſu, ac diuinorum reſpectu, ciuibus auſpicatò quaſi prælegi. *Religioni autem*, inquit *Ariſtoteles*. Ariſt. lib. 5. pol. cap. 2. 11. *Deorum, tyrannum præ cæteris operam dare debet: quod ita minus verentur, ne in ſe contra leges princeps male conſulat, ſi eum vereri Deos ac curare arbitrentur, minuſque in eum impetum faciant, qui deos etiam adiutores habeat.* Huius virtutis ſpecie inſtructi & armati Græci, vrbi Troianæ equum ligneum, *Palladi* ſacrum licet, funeſtum tamen reddidere. *Vlyſſes* hac ipſa arte, Hectorianam ſobolem deteſtatus, *Aſtianaxem* diro ſacrificio deuouit.

——————— Vatem & inſontes deos Senec. Troa.
Prætendis? hoc eſt pectoris facinus tui
Nocturne miles, fortis in pueri necem.

Atque vt relictis antiquis hiſtorijs, ad recentia, quæ magis ſenſus feriant, deueniamus, huius aſtus egregiam vim prodidit apud noſtrates *Henricus* octauus. Cum enim deſe Sander. de Schiſm. Ang. profiteretur ſemel, quòd Regnum à tyrannide Romani Pontificis fauſte liberaſſet: quòd monachis, tanquam otioſis fucis, erepta bona, ad vſus ciuiles tranſtuliſſet; tunc liberè & impunè in nobilium ſanguinem eſt debacchatus: tunc abſque omni modo libidini fræna laxauit, tunc vectigalium pecunias frequentibus grauiſſimiſque exactionibus in ſuum peculium adduxit: tunc violato ſacri Matrimonij iure, nobiliſſimam, ſanctiſſimam, optimamque vxorem *Catharinam* Reginam repudiauit: Tunc *Annam Bolenam* Regij thori, contra ius faſque, conſortem fecit: tunc demum ad ipſum tyrannidis apicem, ſanguine cruentatus, voluptatibus euitatus, fælici quadam infælicitate adſpirauit. Subinde filia ipſius *Eliſabetha*, eadem vafricie confirmata ac contecta, per maxima facinora ad mirabiles quoſdam ſucceſſus, communi bono ciuiũ funeſtiſſimos, ex votis, animique ſententia peruenit. Ita idcirco hæc pharetrata *Diana* ſe comparauit, vt noui Euangelij noua ac prima propugnatrix in ſuorum oculis elucerer. Quo faſcinio ſplendoris ex ſe ſemel emiſſo, eodem tanquam quædam æſtimata Diua cœlitus dimiſſa, horrendam ſpoliationem & carnificinam in orthodoxos omnes exercuit: Hiſpaniæ & Galliæ Regibus ingentes iniurias ſæpius intulit: aulam ſuam *Veneris* illiciis corrupit: primatum Eccleſiaſticum ſibi arripuit, & in ſexu fæmineo tantum dignitatis robur emaſculauit: nunquam interea loci tamen viſa deuote aut pie Deum orare, vt mihi narrarunt aliquot, qui cum illa familiarius per multos annos vixerunt. Cuius impuritatem optime conteſtari potuiſſet *Gualterus Raaleius*, Eques ipſius, ſi tantundem ſtudii ponere voluiſſet in eius vita enarranda, quantum inſumpſit in tyrannide *Henrici* octaui, eius parentis, deſcribenda. Nihilominus quod ordinum ſuffragils iudicata puri Euangelii, ſcilicet Caluiniſtici, defenſatrix, quod recens natæ Eccleſiæ Papiſſa; quod in iſtis prima, neminique ſecunda floruerit, adeo erant ciues horum intuitu & agnitione dementati, vt illius Reginæ neque damnatam progeniem, neque luxus immenſitatem, neque impietatis in illa voraginem, neque crudelitatis diritatem, neque ſuperbiæ tumorem, neque in Regis *Iacobi* ſanguinem per Comitem Leceſtrenſem, per legatum ipſius in Scotia *Boueſium*, truculentiam, vel in matris eiuſdem necem,

immanitatem, deſpicere potuerint.

4 Fraudem porro in hoc inſtruunt tyranni, quod ſe boni communis curatores laborioſo quodam ſchemate, omnique capta occaſione, populo frequenter venditent: adeoque id tunc maxime faciunt, quando aliquid bono communi plane oppoſitum præcipiunt. Quomodo, teſte *Cicerone*, ſe gerebant Romæ ærarij publici expilatores, qui eiuſdem tamen ærarij cultores, propugnatores, ac pro illo acerbi a populo exactores videbantur. hoc cum ſemel tyranni præſtiterint, promptos deinde habebunt ſubditos ad parendum, ad contribuendum, eodemque plane animo, quo in boni communis ſtudium propenſiores fuerint: licet ſua obſequentis eiuſdem boni communis cladem, infoq; exitus ipſius, operentur. *Tyrannus*, inquit *Ariſtoteles*, *ita ſe gerere debet cogendis tributis, & vectigalibus, vt ea reipublicæ cauſa cogere videatur.* ac in reliquis dat ſignificationem, ſe, *Non tyrannum, ſed patrem familias, Regem, non vindicatorem, ſed tutorem eſſe: vtque moderatum viuendi genus non effuſum delegiſſe videatur.* Huic prætextui adſtipulantur prolixiores legum prologi, qui veritatem ac virtutem ornatius, copioſiuſque ementiantur & prælndant.

Cicer. Act. in ver.

Ariſt 5. pol. cap. 11.

5 Vim etiam maximam ſibi parant tyranni ex ea fraude, qua mites erga ciues, qua auerſos a voluptatibus, qua doctos, ac literatorum amatores ſe præbent & oſtendunt. hac arte *Phalaris* immanis licet tyrannus, propter elegantiam ſuarum epiſtolarum, vt ſcribit *Plutarchus*, vbique laudabatur. *Honores quidem*, ait *Ariſtoteles*, *ipſe tribuet, pœnam aut atque ſuppliciorum rationes aliis magiſtratibus aut iudicibus committet.* ac quantum ad voluptatem, cum nihil hac principem populo contemptibiliorem reddat, de eius lenocinijs principes ſic admonet *Ariſtoteles*: *ſed imprimis his modus adhibendus eſt. ſin minus, certe ei adferenda opinio eſt, ab eis ſe abhorrere. Neque enim impetus fieri ſolet in eum, qui ſobrius eſt ſed in eum, qui ebrius, neque in vigilantes, ſed in dormientes. Quod de contemptu eodem modo iudicandum eſt.* Dum vero ſe eruditos, aut eorum Mecœnates, manifeſtant principes, eodem non ſolum ſapientes, verum etiam clementes ſe eſſe arguunt: quandoquidem, vt ſupra diximus, cognitionis effectus in animi ingenuitate ac benignitate elucere aſſueuerit.

Plut. in Pha

6 Iſtis accedunt fictiones incurſionum hoſtilium, priuatarum coniurationum, ſpiſſæ declamationes in malitiam rebellionis, in eandem ardentes minæ apertius euulgatæ: perinde ac ſi velint tyranni, omnibus alijs vitiis in moribus ciuium dominantibus, vnam ab eorum moribus arcere renitentiam, qua ipſorum imperatis obedire detrectarent. Et quidem experientia docet, in decretis & edictis principum, ciuiliter ex ſententia fidei Catholicæ regentium, toties non inculcari odioſum illud nomen inobedientiæ, factionum, rebellionum, refractariorum ciuium, quoties ingeminatur a tyrannis, & ab eis, quorum ciues non ſunt vſque eo virtutibus præditi: eaque de cauſa tyrannidis vafricie frangendi ac decipiendi proponuntur. Inter alias tyrannidis notas hæc vna. Si enim in republica expreſſæ virtutes vigerent, non eſſet opus, ad eliciendum obedientiam, tam frequenter vitium defectionis, ac peruicaciæ ſubditis exprobrari: cuius ſceleris enormitas potius æterno ſilentio in bona republica damnanda, quam toties inculcanda.

7 In iſtis itaque atque ſimilibus ſtrophis ſpem ſibi faciunt tyranni, tuto omnia perficiendi ex ipſorum ira & libidine: nempe, ſe vniuerſa vitia, & peſſimas eorum conſuetudines, quandoque inducturos in rempublicam: ſe cuncta ciuium bona, adeoque ipſorum corpora, ſubiecturos ſuo luxui ac vindictæ. cum enim hæc, vt ſunt peſtifera, ita maxime odioſa iudicantur a ciuibus, opus habet tyrannus arte, quo minus ipſimet euadant eadem periculoſa & exitioſa: totus proinde tyrannus in fraudibus ac fucis componendis: vt ſi aliquid contra veritatem machinetur, ſimulet ſe pro veritate & iuſtitia deſudare: ſi quid contra publicam vtilitatem conetur, fingat ſe ducta ratione eius id moliri: ſi quid contra bonum commune meditetur, colorem adhibeat, quo alijs appareat, ſe boni cummunis ſtudio potius vehementer ſollicitari: ſi quid contra honeſtatem ab ipſo perficiendum, ſe honeſtatis cura ſummopere tangi, alijs in ſpeciem fidem adſtruat.

7 Recte ſane *Plato* haſce doloſas machinationes in rebus publicis comparauit Sophiſmatibus, quæ Syllogiſmos logicos imitantur. vt enim illa Sophiſmata non ſunt Syllogiſmi Logici, ſed illos ſolum quod ad fucatam formam ementiuntur, ac interim peccant tam quod ad idoneam formam, quam certam materiam, ita aſtutæ & falſatæ actionum inter ciues inſtructiones, genuina non exiſtunt inſtituta politica, ſed ad eorũ rationes ſimulata dumtaxat ſtratagemata. Quemadmodum porro Syllogiſmi Sophiſtici indoctos decipiunt, eos in errorem, veritati contrarium, inducentes, propter apparenticiam quamdam ſpeciem idonei argumenti quam præ ſe ferunt, ita cum aſtuti homines in ciuitate tegant ſuos conatus obtentis ſimulacris virtutum, propter eorum externas facies habẽtur in numero a nõ nullis politicorũ conſiliorum. Quæ comparatio inita a *Platone* non aſtus & dolos comprehendit ſolum, quinimo omnes etiam Rationes ſtatus, quæ in Regno voluptuario ac violento reperiuntur. ſicut enim a recta ratione & virtute horum Regnorum ſtatus & eorum rationes ſtatus recedunt, in quas omnis genuina politia collimat, ita a veris politicis decretis degenerant, ac in ciuiliũ Sophiſmatum modos ingrediuntur. eas proinde non aliter fugat ciuilis politia, quam Germana Logica repellit Sophiſmata. Plat. lib. 10 de Rege.

Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas. Cant. 4.

8 Quæ quidem fraudulentiæ artes cum præualuerint tam in moribus principum, quam ſubdi rũ, neceſſe eſt, barbariem in rempublicã eodẽ gruere, omniaque in ea contra fieri, quã veræ rationes ciuilis imperij decernunt. Quid precor, inter homines barbarum ſi nun vitium, ſi non in vectigalibus fortunarum depopulatio,

populatio, boni communis deuaſtatio? hoc vero luculentius conſtabit, poſt quam peculiares quoſdam effectus iſtius artis tyrannicæ diſtinctius ad iudicium reuocauerimus.

CAPVT XI.

Barbarum illud Imperium, in quo ciuium vitia, neceſſaria ducantur media ad obedientia ipſorum ſubiectionem: in quo bonis ciuibus depulſis, mali funguntur magiſtratu: in quo curatur vt ciues animis ſint abiectis, vt eorum pecunia ac res debilitentur: in quo partium ſtudia contra charitatem excitantur & confirmantur: in quo cauetur, ne ciues vllo genere ſodalitatis inter ſe conueniant, aut conſocientur.

BArbarum imperium cum ſit a ratione tota auerſum, tum ad ſimilitudinem appetitus ſenſitiui, cupiditate vel ira feruentis, in damnum communis boni, ciuibus, tanquam ſeruis, dominatur. Eius vero ſpeciē duplicē recenſet *Ariſtoteles*. *Vnam eorum tyrannorum, qui regium imperium obtinent ſeditionibus. alteram eorum, qui adminiſtratione nimium tyrannica, cum plura ſui iuris eſſe volunt, idque contra leges.* In vniuerſum autem tyranni reipublicæ malum creant, vt idem notat, ex libidine, aut ex fraude. Vt ergo ex libidine vel ira imperantes, cum boni communis exitio, ſimul ac priuatorum ciuiom damnis, proſperi & illæſi fines ſuos conſequantur, adeo fœcundi ſunt vitiorum cauſis, vt eorum artes in eum finem, teſte *Ariſtotele*, omnia plane ſcelera ſuo ambitu complectantur.

Ariſt. 5. pol. cap. 12.

Ariſt. 4. pol cap. 2.

2 Commodum itaque ducunt, ciues vitijs in vniuerſum contaminare: præſertim craſſioribus luxuriæ ac crapulæ coinquinamentis: eoſdem prauorum conſuetudinibus pariter irretire, omneſque in eis ad virtutem vires ac indolem, quantū poterunt, comprimere. Quemadmodum enim nullus merito timet ebrium aduerſarium, neu pedibus conſiſtere haud potentem, ita ab ignorante ſubdito, a ſordido, timido ac bruto, nullus tyrannus, vel meticuloſiſſimus, ſibi magnopere cauendum anxie ſecum arbitrabitur. Statim enim atque vitijs fuerint violati ciues, omne in ipſis robur animi ac corporis excidetur: nullus alteri fidem habebit: cuncti denique in ſeruitutem dati, turpiter cuiuſlibet tyrannidi, reſupinati prorſus ſubiacebunt.

3 Cæterum licet hoc ad finem priuatim, ſpectatum a tyranno, plurimum interdum conducat, nihilominus quam ſit id immane, quam horrendum, quamque a natura ipſa alienum nemo eſt, qui non facile animaduertat. Principatus eo inſtitutus, vt ciues ad virtutes, qua principis legibus & monitis, qua vitæ ipſius exemplis, promoueantur, teſte *Ariſtotele*. iam vero, natura euerſa, Dei ſanctione violata, ſummo ciuium bono, quod ex virtute conſurgeret, repulſo, princeps, vt impune laſciuiat, o-

Ariſt. lib. 2. Eth. cap. 1.

cietur, aut iraſcatur inter ſuos, tranſire debet in qualitatem dæmonis, quo ſubditi omnibus vitijs eius opera deformentur ac corrumpantur: quo eis nerui vel vnitatis ac virilitatis excindantur: detrudantur demum in viliſſimum ſtatum mancipiorum, & in Deum ipſum grauiſſime delinquentium. quale ergo iudicium apud ſupernum tribunal eos principes manet, qui nihil tam ſpectant, quam vt ſubditos ſceleribus funeſtent: qui hoc pacto ipſi Deo contrarij partes Dæmonum interim conſequuntur! En parentem, vltra *Saturni* rabiem, qui liberos, quos educandos ſuſcepit, venenis extinguit: en paſtorem, qui oues ſibi creditas fœda lue deuaſtat! en Dei imaginem in cacodæmonis ſpectrum demutatam: En hominis monſtrum, qui tot deſpecta millium ſalute, eorum ornamentis peſſime inſumptis, ſibi impunitatem luxuriandi comparauit: En crudum & circeum tyrannum, qui ſuos vectigales in condiciones aſinorum ac porcorum miro artificio demutauit, quo immunis ac tutus dominando libidinetur. Diſcrimen hoc aſſignat *Plutarchus* inter *Syllam* & *Lyſandrum*: quod ille vitijs corrumpebat rempublicam, quibus ipſe infectus: Iſte, *quod ſeipſo deteriores ciues eius efficiebat.* Plut. comp. Lyſ. & Syl.

4 Idem porro tyrannus, dum priuatis rebus ſtudet, bonis ciuibus bellum aperte indicit, ingloriosque proinde manere vult, & vndiquaque vexatos. Malos autem, adeoque turpiſſimorum factorum infamia laboraotes, facinoroſos iuuenes, *Capriludiones*, ad honores ac publica officia interea loci ſublimat. *Ariſtoteles* de fine a tyranno præſtituto diſſerens, ſic loquitur; *Quocirca neceſſe ad hoc perficiendum, vt tyrannus cum bonis inimicitias exerceat: quod eius imperio obſtent, non ſolum quod parere nolint vt ſerui domino.* Boni quidem indigne ferent, vnius tyranni libidine aut ſecuritate bonum commune conſumi. pati nunquam poterūt ob animi in ipſis magnitudinem, pondus imperij deſpotici, quo tanquam ſerui Domino imperanti abiecte dimittantur. imo quo fuerint meliores, eo ad hæc mala a tyrannide profliganda, erunt acriores ac fortiores: cum interea loci vitijs ſordidati ciues, ad nullam indignitatem ipſis a tyranno illatam ſe commouebunt, aut publici boni deuaſtationem magnopere curabunt. Quod etiam ſoli boni viri ſint reuera prudentes ac fortes, quod ſoli ſibi mutuo fidant, adeo oppoſiti apparent rebus ac votis tyrannicis, vt neceſſario iudicet ars tyrannica expugnandos, deprimendos, ab omni publica dignitate arcendos. Vnde familiare tyrannis, teſte *Ariſtotele*, *Sapientes tollere, primores ciuitatu interficere.* mali autem aptiſſimi, quibus vtatur tyrannus ad finem propriū conſequendum cum excidio virtutis & communis vtilitatis. Imprimis inſitum malis, ſeruorum in ſe ſponte admittere condicionem, & paratos exiſtere ad id omne exequendū, qualecumque demum fuerit, quod Dominus tyrannus præceperit: licet inde tota *Troia* in cineres funeſte redigatur. Deinde, quod ijdem conciuibus odioſi, quod dedecore ſignati, nullos ſibi poterūt ſocios honoratiores conciliare, quo do-

Ariſt. 5. pol. cap 12.

mino tyranno, ſi rebellare ſtatuerint, quicquam adferant nocumenti. Poſtremo, poſteaquam rapinis pleni & opulenti euaſerint, facile fuerit Domino tyranno malas eorum artes prodere, & ſic cum laude etiam iuſtitiæ eiuſmodi ſpongias premendo, omnes eis, cum loco & officijs, pecunias exprimere. Plin. pan. Traian. *Plinius ſecundus Traianum* alloquutus, in Romanis Imperatoribus huiuſmodi ingenium tyránicum detexit ac traduxit. *Et priores quidem principes, excepto patre tuo, præterea vno aut altero: & nimiũ dixi, vitijs potius ciuium quam virtutibus ſe tuebantur. Primum quod in alio ſua quacumque natura delectet. deinde quod patientiores ſeruitutis arbitrabantur, quos non decoret eſſe niſi ſeruos. horum in ſinum omnia congerebant: bonos autem otio aut ſitu abſtruſos, & quaſi ſepultos, non niſi delationibus & periculis in lucem ac diem proferebant.*

Hor. Epid. 5 *Dat veniam coruis vexat cenſura columbas.*

5 Verumenimuero opus haud fuerit iſtius conſilij nequitiam pluribus inſectari, cum omnis ciuilitatis, ac virtutis notiones in aperto penitus expugnat. quid? num homines natura incitatrice primum conuenere, vt in gratiam libidinis ac luxus in ſolo principe, vitia eſſent apud illos in precio, vt florerent, dominarentur, virtutes interim deſpicabiles ſorderent, loco omni ac dignitati penitus exciderent? Prauos, Ariſt. 6. Eth cap. 8. inquit *Ariſtoteles. nequaquam tutum aliis præficere, cum ipſi potius indigeant cuſtodia & carcere, cum alios deberent cuſtodire.* Hoc idcirco vel naturam ipſam eſt inuertere, quo praui tyranni iuſſu, dignitate pollent, diuitijs ſplendent: boni vero inertia loci, perpetuis iniurijs affliguntur, aut in abiectiſſimis tenebris abſconduntur. Cæterum quod vitium ita ſit proprio ingenio rabidum, vt etiam ſeipſum tandem conficiat, fieri nequit, quin breui illa reſpublica corruat, in qua vitioſis honores ac magiſtratus decernuntur: in qua ſcelera ſulgent, virtutes autem ſquallent ac contabeſcunt. Natura ſemper exoſum habebit illum principem, qui vitijs fauet, & in virtutes effetatur: qui tanquam in imaginibus, ſic in magiſtratuum a ſe conditorum teterrimis formis, monſtri inſtar, repræſentatur. Eſto, rempublicam a prædonibus adminiſtratam, opem & ſecuritatem adferre principis tyrannidi, nihilominus adeo demum erit diſſoluta & eneruis facta inteſtinis vitiorum ſuorum malis, vt nequaquam poterit hoſtilibus incurſionibus opportune diu obuiare, vel fortiter reſiſtere. Proh extremitatem humanæ malitiæ, quando reperiri poſſit vnus homo, qui ſtudioſe cupiat, imo qui id operoſe conetur, tot millia ciuium bono communi ex virtute intellectuali ac morali, ex ſpe æternæ beatitudinis, ex animorum tranquillitate, ex mutua inter ciues charitate manaote, deſtitui, vt interim ipſe impune in immenſum voluptatis ſe dedat ac præcipitet! Conſpici poſſe hominem adeo a natura ac Deo ipſo abhorrentem, vt virtutes ciuium ducat expugnandas, eorum autem vitia nobilitanda: cœlum ſpoliandum, ſtygem vero ex ſuis, damnandorum ingenti numero, locupletandam ſibi proponat! eo quidem ipſo, quo prono curſu immittit vectigales ſuos in voluptates princeps, eos in vaga, in immenſa, ſine menſura, aut fine, ſtatuit deſtinandos. honeſti quidem ſunt certi fines, ac ex illis decretæ iucundæ quietudines. voluptatum autem nulli ſunt modi, ſatietates nullæ, vel termini cogitandi. *Naturalia deſideria*, ait *Seneca* *finita ſunt: ex falſa opinione naſcentia, vbi deſinant non habent. Nullus enim terminus falſo eſt. via eunti aliquid extremum eſt: error immenſus eſt.* Sen. ep. 15. ad Lucil. Ciues itaque ad errandum a principe ſoluti, fluctibuſque continuis ſuarum cupiditatum iactandi, vt alijs moleſti fuerint, ita ſibimetipſi oneroſi, ac ſub oneribus perpetuo curſu conficiendi. Enimuero vbi voluptatea affluenter abundarint, ibi pariter dolores confertim in corpora animaſque graſſabuntur. *Ipſæ voluptates*, inquit *Seneca*, *in tormenta vertuntur.* Sen. Ep. 24. ad Lucil. voluptates venereas ſequuntur dolores anxietatum, paupertatum & morborum: intemperantiam mentium ſtupores, artuum podagræ, ac grauedines.

6 Porro notum, animum excelſum, erectum, ad præclara facinora egregium adferre momentum: ac contra, animos fractos ac dimiſſos languere plane ad optima quæque difficilium ac maximarum rerum conſilia. Tyrannus autem renuit omnino hanc animorum erectum ſtatum in ciuibus permittere: proinde qua voluptatum conſuetudinibus, qua timore ſuppliciorum, qua exhauſtis eorum pecunijs, qua ſeruitutis ſuæ opinione, conatur eorum animos deijcere, nulla aliam re fiduciam habituros, præterquam in ſeruili ipſius adulatione. qualis omnino ſenſus illi adſuit, qui *Elizabethæ*, quondam Angliæ Reginæ, auribus hæc verba dedit: Camd. Deſ. Brit. *Sed longe maximum huic regioni decus eſt diua noſtra Elizabetha, quæ ſic fœliciſſimis auſpicijs in lucem edita, vniuerſæ Britanniæ, imo vniuerſo orbi terrarum tantam lucem regiæ virtutis ſplendore affudit, vt iam omni laude maior ſit, & adoranda, non adornanda credatur.* Sanctorum martyrum, Epiſcoporum, Monachorum, ac virginum virtutes, caſtimoniæ, ſanctitates in noſtra Inſula, ab hoc vno terrægrapho deridendæ, impioque ipſius ſtylo conſpurcandæ impune proponuntur; Solius *Elizabethæ* maieſtas, iudicio Parlamenti Anglicani ex adulterio vel inceſtu prognata: tot innocentium ſanguine cruentata, tantis libidinum flammis denigrata, tot furijs in Regem Catholicum, in Reginam Scotiæ *Mariam*, in eius filium *Iacobum* furiata, ab iſtu non adornanda, ſed adoranda! adornari ſane non potuit ſine mendacio: nec adorari licuit abſque ſacrilegio. Mendax idcirco iuxta ac ſacrilegus, qui ritu ignobili vtraque grammatice perfecit. Cum vero tyranni hoc pacto animos ciuium eneruarint ac depreſſerint, in nullis de reliquo paratos habebunt ad bonum commune procurandum, ſed in ſordidis tantummodo ac minutis occupatos: quod ſane rebus ciuilibus contrarium. Satis tyranno fuerit ſi ciuium concidentes ſenſus, nihil contra ipſum meditentur: cum teſte *Ariſtotele*, ſerui ac mulieres in neminem impetum facient. Hinc affirmat Cic. ep. 1. ad Quint. fratr. *Cicero*, Græcos diuturna ſeruitute *Ad nimiam aſ-*

ſentationem

ſentationem eruditos. neque iam fideles ſunt, cum etiam audent aduerſari noſtris voluntatibus. Et vers inuidunt non noſtris ſolum, ſed & ſuis.

6. Inciuile etiam ac tyrannicum, ciues redigere ad paupertatem fortunæ. Sicut enim virtus,
Cic. l. 2. off. & honeſta oblectamenta, non ſolum ad Principem Dei ac naturæ muneribus ſpectant, ſed etiam ad ciues, ita pecuniæ, eorum inſtrumentum, ciuibus nedum Principi tantum concedendæ. Miſeria autem indigentia quam ſit res triſtis & acerba quam ingenijs & animi magnitudini inimica, quis non videt? *Pauperes efficere,*
Ariſt. 2. pol cap. 2. 5. ait *Ariſtoteles, tyrannorum proprium eſt: vt nec præſidium alatur, & quotidianis operibus occupati, non vacet impetum facere.* Verum, licet hoc conducat ad ſtabiliendum tyrannidem, nihilominus multis nominibus eſſe inciuile manifeſtiſſime liquet. Imprimis iſto admiſſo in quacumque republica, de ea verum fuerit, quod de Romano
Cic. l. 2. off. imperio id agente pronunciauit *Cicero*: ſcilicet *Vt imbecillitate aliorum, non noſtra virtute valeamus.* Extenuatis porro & exhauſtis ciuium fortunis, impotentes inde euadent ad extruendas & fundandas academias, ſcholas publicas, ad ſumptus faciendos bello neceſſarios. Vnde non modo ſibi mutuo erunt inutiles, ſed inſuper externis ludibrio. Illibentes etiam, cum ſalus Principis in diſcrimen adducitur, vitas ſuas periculo pro eo exponent, quem nouerint ad ſe rapuiſſe omnia ipſorum bona ac viſcera, ſe in illo, tanquam in voragine, jam cum
Ariſt. 2. pol c. 4. 4. pol. cap 7 Mor. in Vtop. omnibus ſuis periiſſe. Recte porro *Ariſtoteles, Egeſtas ſeditiones & delicta parit.* ac horum pauperum ex tyrannide ingenia ſic deſcribit: *Occulte ſunt praui, & in rebus exiguis fraudatores: iniuria vero inſeruntur, quandoque per contumeliam, quandoque per dolum.* ſint res ciuium vi tyrannidis exciſæ, adhuc tamen illis ſupererunt odia & linguæ, quæ in honorem Principis dedecora paſſim diuulgent, & eius famam commaculent. Naturæ porro aduerſatur, opes vectigalium nimium diminuere. Num precor, Deus ac natura, bona ſua in omnium conſpectu effudere eo fine tantum, vt Principes ſoli eis abundarent? Denique huiuſmodi ſubditorum expilatio plerumque ad extremum ipſi tyranno perniciosa.
Sen. l. 1. de Clem. c. 18. *Errat*, inquit *Seneca, ſi quis exiſtimat ibi tutum eſſe Regem, vbi nihil a Rege tutum eſt.* Luculentum huius exitus exemplum in ſubditis *Sauli* ab eo afflictis, ad quem expugnandum, vt ait Scriptura, *Conuenere omnes, qui erant in anguſtia conſtituti & oppreſſi ære alieno & amaro animo.* eſt hoc naturæ inſitum, vt in eos virtute partis iraſcibi-
1. Reg. 21. lis incraleſcat, qui concupiſcibili parti debita fomenta & iucunda bona eripiunt. Quod cum agat tyrannus, ecquid mirí, ſi in eum ciues in-
Cic. l. 3. off. ſurgant rabidiſſime? contra vero, vt ait *Cicero, Singulorum facultates & copiæ, diuitiæ ſunt ciuitatis.* Non itaque permittet tyrannus quempiam ſuorum ad magnam aliquam potentiam, ſeu auctoritatem deuenire, ſiue ex diuitijs, ſiue ex virtute, ſiue ex nobilitate ſanguinis, eiuſmodi di-
Ariſt. 2. pol cap. 2. 5. gnitas ipſis acceſceret. *Cui abſolute ſtudium,* ait *Ariſtoteles, vt nulli potentes ſint.*

7. Quin etiam tyrannus validior fiat in vires ſubditorum, operam enixe ponit ad hoc, vt ipſi mutuo ſint infidi, vt inimicitijs inter ſe in factiones diſtribuantur, quo tyrannus ipſe omnia eorum conſilia reſciſcat, & eo vniuſcuiuſque potentiã, quæ ipſi eſſet periculoſa, opportune diminuat. *Curare debet tyrannus*, inquit *Ariſtoteles, vt alteri alteris infidi ſint. Neque enim tyrannorum potentia antea euertitur, quam aliqui conſpirent. fidique ſint inter ſe.* In hunc finem, religionum etiam diſparitates cenſuerunt aliqui Principes, cum Ariſt. 5. pol. cap. 11.
Iuliano Imperatore, in ſuis ditionibus permittendas, quo ciues inuicem offenſi, nihil cogitent, nedum moliantur contra voluntates ipſorum, licet ſummo gradu tyrannicas. *Hieron*, inquit *Ariſtoteles, qui auribus perciperent quod diceba-* Ariſt. 2 pol cap. 2.
tur, mittebat, vbi conuentus aut cætus aliquis hominum erat. Minus enim libere loquuntur horum metu, aut ſi libere dicunt, minus latet, quod dicunt. Præterea ait, tyranni eſt inter ipſos ciues, & periculum creare, concitare odio animos inter ſe, & plebem cum patricijs, & locupletes inter ſe. Cæterum ſi artes iſtæ præualuerint, quis demum bonorum ciuium quietam vitam aget: vt admittamus, ciues nullam ex conuictu iucunditatem percepturos? quis non verſabitur in ſummo periculo, etiam innocentiſſimus, quando fraudi ac malitiæ malorum omnis ciuium ſubſtantia, adeoque vita ipſa, obuiæ fuerint? quando non ſolum malitia impetiti, ſed & malitioſi ipſi in furores plane adiguntur? *Malitia ipſa*, inquit *Seneca, maximam partem veneni ſui bibit.* Recte idcirco affirmauit *Ægidius Romanus*, vanam eſſe tyranni, in bonos ciues, tyrannidi ipſius reſiſtentes, tanquã in factioſos homines, declamationem, dicendo: Sen. Ep. 81. ad Luci. Ægid. l. de Reg. prin. c. cap 15.
Magis autem tyrannus ſeditioſus eſt, qui in populo ſibi ſubdito diſcordias & ſeditiones nutrit, vt tutius Dominari poſſit. Hoc enim tyrannicum eſt, cum ſit ordinatum ad bonum proprium præſidentis cum multitudinis nocumento.

8. Denique, quo ciues rerum ignorantes euadant, quo minus inter ſe noti, quo de bono ipſorum publico haud deliberent, ſodalitates & concurſus academicos vetat prorſus ac proſcribit tyrannus. *Conuictus*, ait *Ariſtoteles, pati non debet tyrannus, nec quicquam tale: ſed ne ea fiant cauere; vnde effici duo ſolent, prudentia, & fides. nec ſcholas, neque conuentus alios aptos ad ceſſationem ſinere, & omnia perficere, vt quam maxime ignoti inter ſe omnes ſint: notitia enim fidem inter ſe faciet.* Ariſt. lib. 5. pol. cap 11.
Quis non animaduertit bono communi, quod ex ſingulorum ciuium bonis conſurgeret, hæc cõſilia penitus repugnare? valeat itaque cũ *Orphei* lyra, cum *Virgilij* fauo, vitæ ſuauitas, valeat morũ comitas, valeat amicitia: *Qua*, vt inquit *Ariſtoteles, nihil maius aut melius ciuitatibus dari poteſt*: valeat eruditio, animi decus ac cœleſte pabulum: valeant in foro, in academijs commercia: valeat charitas, valeant mutuæ beneuolentiæ, largitiones, ſi hoc ritu barbarico ciues a ſuis principibus tractandi. Ariſt. 5. po cap. 2.

Sen. Agam.
Da frena, & omnem prona nequitiam incita.
Per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter.

Hoc ſane, quod ingenium tamen ciuilitatis, non eſt homines congregare, ſed potius, quod barbariei proprium, illos diſpergere, & in iratas ferarum naturas coalitos demutare.

9. Hæc vero, atque iſtis ſimilia, inde cogitur

tyrannus

tyrannus præſtare, & haſce artes barbaricas profiteri, quod tenuat ex imperio veræ fidei ac virtutis imperare: quod ſuos luxus & crudelitates bono communi præferre ſtatuerit, in hoc ſolum ingenioſus, quo hæc monſtroſe deformia, virtutis, æqui ac boni formis vtcumque ab ipſo colorentur, ac ſuis, talibus nominibus falſo commendentur.

Virg. 3. Æn.

Prima, hominis facies, & pulcro pectore virgo
Pube tenus: poſtrema, immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas vtero commiſſa luporum.

Atque in iſtis exercendis acriores cernuntur illi Principes tyranni qui præ cæteris plus voluptatibus dediti ac corrupti, ab indole ijdem timidiores: etenim vt voluptatibus potiantur, omnia tentabunt: quod verò meticuloſi, vehementes inde erunt harum artium executores: ſcelerum enim ſuorũ conſcij, & ad omnes ſtrepitus trepidãtes, quo in tuto luxurientur, bonos ciues, eum ipſorum bono communi, ſedulo conficiẽt, ne qua a virtute & honeſtate ciuium ipſis aliquod creetur periculum. Cæterum ars mierdũ vel artifici ipſi exitium parit & tormentum.

Claud. pen. in 4. conſul Hamor.

Qui terret plus ipſe timet, ſors iſta tyranni
Conuenit, inuidere claris. forteſque trucidant,
Muniti gladiis viuunt, ſeptique venenis,
Ancipites habent arces, trepidique mouentur.

CAPVT XII.

Aſtus, fraudes, mendacia ac periuria, quantumuis virtutum nominibus, aut amphibologia ſinuoſis ambitibus honeſtentur, barbarica habenda conſilia.

Baſil. in pſ. 33. Hom. in Princ Prou. Aug. in pſa. 49 l. 4. cont. Iul. 120. Amb. l. 3. off cap. 9. Cicer 3. off.

IN vniuerſum iuxta S. *Baſilij* ſentẽtiam id doloſum, quod *Maleficum occultum, proximo oblatum ſub prætextu & ſimulatione rei melioris.* cui itidem conſentit S. *Auguſtinus.* huiuſmodi ſimulatio rei melioris non verbis tantum, ſed & ſcriptis, alijſque viſibilibus aut ſenſu perceptibilibus indicijs multifariam perficitur. Quocirco notauit S. *Ambroſius*, dolum in ſe implicare bonum ſimul ac malum, verum iuxta ac falſum. qui enim data opera fallit, ſpeciem is obtendit verbis aut factis alicuius virtutis, veritatis, aut erga alterum vtilitatis: licet ſpectatus ab ipſo finis ſit proprium emolumentum cum damno eius, cui ſimulatio obtenditur. Vt ergo euiuſmodi dolus effectum opportunius ſortiatur, quatuor requiri videntur. Primũ in diſſimulante ingenium, cuius intimus ſenſus, ob vim externi coloris ab alijs facile non detegatur. Deinde adeſſe debet prauitas voluntatis in doloſo, priuatum commodum ſtatuente ex alterius iniuſto nocumẽto. Tertio poſtulatur ignorantia in ipſo decipiendo: ſiue ea ex animi in ipſo ingenuitate διὰ τὴν ἀκακίαν ſiue in experientia, ſiue aliunde oriatur. Poſtremũ vt notat *Cicero*, adeſſe, debet illa animi diſpoſitio in eo, cui palpum obtruditur, *Qua maxime ipſe aſſentetur, & ſe maxime ipſe delectet.* Quocirca, quod ſint nonnulli, qui nequeant, aut nolint vera ſapientia, ſolidaque virtute fines ſuos conſequi, ad doloſas machinationes ſe recipiunt;

S. Thom. 2. 2. q. 55. art. 4.

Dion. Epiſt. ad demoph

Cic. de Am.

perinde ac ſi non cum hominibus in ciuitate ad veritatem explicatis, verſarentur, ſed cum auibus ac feris in campis & ſiluis, quas in ſua retia, prædæ cauſa aſtute compellerent. Nec ſane horum fraus, in alti ſilentij tenebris quantumuis abſtruſa, genuina ſapientia politica æſtimanda, vt *Plato* ac *Cicero*, rectè docent: nam affirmant, cognitionem practicam ſine iuſtitia, nec eſſe ſcientiam, nec ſapientiam, neque prudentiam, ſed meram animi ex ſophiſmate calliditatem. Hinc doloſi in ſcripturis ſacris comparantur ſcorpionibus, qui ſub lapidibus latitant: laqueis itidem in via occultis: denique ſagittarijs, qui ibi nocent vbi non ſunt, & vbi interdum non videntur, quo inſtructa in mente fraus ſcopum fælicius attingat.

Plato Dial. 7. de legib. Cice. l. 1 off. Eccl. 26. Pſal. 9 Pſ. 10

Subdola cum ridet, placidi pellacia ponti.

Luc. lib. 2. Ariſt. l. 1 po l

Vere dixit *Ariſtoteles*, hominẽ virtute deſtitutũ omnium animalium eſſe maxime malitioſum: quippe in quo ab ingenio complitæ fraudes, infinitam vim adferant decretæ ab ipſo malitiæ. Recte *Plutarchus*: *Sane vrſorum catuli, luporum & ſimiarum ſtatim ſuam oſtendunt indolem, nulla velatam aut oblitam re. Humanum vero ingenium in mores, opiniones, legeſque ſe coniiciens, ſæpenumero vitiis occultatis bona imitatur, vt aut tandem eluat innatam vitii maculam, aut verſutia, tanquam eximio quodam tectum, longo tempore deliteſcat, ac nos fallat.* Solent paſſim nauigantes, legenteſque externa littora, propria illorum locorum vexilla erigere, & ab alto explicare, quo minus in ſuſpicionem hoſtilitatis incidant; ita ciuilia negocia peragentibus affatim vexillorum eſſe ſolet, quibus ſua diſſimulent, & alijs adulentur. In duo autem intendit doloſus ciuis: nempe in falſam opinionem, iuxta ac in incommodum animi affectum, in conciue varijs artibus procurandas nempe vnde is id ignoret, quod aliter ſcire poſſet, falſo de eo pronunciet, quod aliter nequiquam faceret: demum vt is amet, odio habeat, timeatque contra quam ab ingenio vellet, reique veritas poſtulat. Hoc pacto fraudibus inducuntur ciues vt illud pro honeſto ducant, quod peſſimum: vt inique erga eos afficiantur, erga quos amantet potius affici deberent.

Plut. in Sill.

2. Primo itaque in loco, vt fraudum inciuilitatem prodam, oſtendam ex degeneri omnino vilitate animi in eo, qui eiuſmodi fraudibus operam impendit, eam oriri. Id ſane vile, quod contra animi dignitatem turpis quædam eiuſdem ad quandam ſeruilitatem abiectio: Talis dubio procul, fraudum concinnatio, vt oſtẽdit *Dionyſius*. ad hoc indicandum, nobiles pueri apud Romanos, pretexta & bulla donabantur. Bulla ad pectus pendebat, figuram cordis gerens: nimirum vt eius inſpectu intelligerent, omnia agenda ex conſilio, cuius ſedes pectus, & ex cordis præſcripto, ſeu ſinceritate. in eundem finem Reges Perſarũ Saphirum in pectore geſtabant: vtpote vernantis veritatis ſymbolum. Ita eſt enim a natura in homine comparatum, vt animi internus ſenſus verbis factiſque conſentiat: ſine quo ipſa natura in eodẽ eſſet a ſeipſa quodammodo diſtracta, & oppoſita illi in ipſa munera inconcinne, adeoque pugnantet, inſtructa: quod etiam ſine maxima perturbatione inquietudine

Dion. lib. 2. Hiſt.

Alex. l. 5. cap 18.

inquietudine ſumma, ac confuſione in vita fieri nequit. Natura autem tam perturbationem quam diſſentionem, confuſionemque in ſeipſa plurimum fugit & deteſtatur. Oſtendit etiam experientia, nullos adeo doctos in fraudibus inſtruendis ac pauperes, & extremis preſſos ne-
Ariſt. 4. Eth. ceſſitatibus. Vnde *Ariſtoteles*, dicit, adulatorem
Luc. lib. 1. dici δοῦλος ſeruum.
Mam. in Iul. *At ſecura quies, & neſcia fallere vita.*
Seruile vitium, mendacium, vt ait *Mamertinus* & non tantorum animi patui commentum: cuius
Cic. de ami. duæ plerumque origines, inopia & timor. *Aperte odiſſe*, ait *Cicero*, *alium magis ingenuum, eſt, quam fronte occultare ſententiam.* Ob hanc cauſam
Phil. de pri. *Philo* affirmat, neminem in ciuitate minus decere fraudem quam Principem: eique proinde in-
Rabi dan. de terdictam omnem fraudem iure diuino ac na-
inſt. Princip. turali. Vnde Reges Ægyptiorum inter cætera regia inſignia, collo ſaphirum, qui veritatis per-
Mach li. de petuo virentis ſymbolum, appenſum portabant.
pr. cap. 8. 15 *Nefas*, dixit quidam apud *Zonoram*, *purpura ineſſe mendacium*. Si ergo velint politici ciuilem ſuam prudentiam meris fraudibus conſtare, neceſſe fuerit, ab eorum inſtitutis excludenda cũ meliora, tum nobilium virorum ingenia: denique ſeruos dũtaxat, ingenuis abdicatis, admittendos in Senatum: imo etiam dæmones eo aduocandos, qui vt hominum naturam inuerterent ac corrumperent, eos arte mentiendi ac diſſimulandi, vt canit *Prudentius*, primum imbuerunt.

Prud. Hama. *Simplex lingua prius, varia micat arte loquendi,*
Et diſſciſſa dolis reſonat ſermone triſulco.

Apud Iudæos, quorum ſancta lex & idioma ſacrum, ad verborum abuſus ex fraude depellendos, idem verbum, quod ſignificat ſermo-
Gen. 24. nem, etiam ſignificat voluntatem. *Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem*: ſcilicet *Os eius*, & quod verba factis debeant conſentire, idcirco *Damar* ſignificat dictionẽ & iuſſionem. hinc
Cic. l. 2. de veteres, teſte *Cicerone*, dolum ac fraudem, *Erebo*
Nat. Deor. *& Nocte natos ferunt*. quippe ex tenebris ſecretorum, ſeu hoſtibus infernalibus generis humani prognatos: quæ enim a dolo & fraude ficta, eadem vmbrata, non ſolum ſua vanitate vmbram imitantia, verum & obſcuritatem eiuſdem exprimentia: etenim ipſemet ſplendor aſſentationis, quibuſcumque verborum coloribus picturatus, ſi ad abditum in animo conſilium blandientis & obſequentis referatur, vmbra eſt obſcuritatis cuiuſdam, & tegumentum intercipiens adſpectum in nobis veritatis.

3 Conuerſationi etiam ciuili, cui inſtituendæ ac conſeruandæ ſtudet prudentia politica, penitus aduerſatur hic idẽ dolus. Si enim omnes ciues, quod ad ipſorum facta & verba, mutuo appareant tanquam totidem irides, columbarum colla, vel pixides in officinis pharmacopolarum, quorum ſermo triſulcus, vt cecinit *Prudentius*, quid vnquam fiet ab ipſis conſtanter & incunctanter quantum ad bonum commune vel priuatum? paradigma huius rei ido-
Plut. lib. de neum, quod *Plutarchus* de ſermone habito inter
Amor. frat. lunam ac eius matrem refert. Voluit luna ſibi a matre tunicam parari. illi vero reſpõdet mater, hoc commode fieri non poſſe vnius tunicæ ſumptu aut apparatu. nam dicebat, nunc cornuta, poſtea rotunda, nunc exigua, ſubinde magna videris: proinde quomodo vna tunica iſtis aduerſis tui formis aptanda, nequaquam percipio. Ita omnino cum diſſimulatoribus, in varias ſpecies ſeſe componentibus, quo demum conuerſationis certo filo, aut qua facie ſit conueniendum, definiri ac ſtatui minime poterit. Proinde vt hoc argumento luna caruit tunica, ſic falſarij aliorum amore ac fide plerumque deſtituuntur. Cogitemus modo non Principem ſolum, & eius conſiliarios, hac arte fingendi fucatos, ſed in vniuerſum omnes ciues, cunctos eorum ordines, & tunc videbimus, an ſit politicum, & non potius barbarum, fraudes ac technas in ſocietate inſtituere. De quibus *Seneca*: *Quidam al-* Sen. ep. 20.
ternis Vatinij, alternis Catones ſunt. & modo parum illis ſeuerus eſt Curius, parũ pauper Fabricius parum frugi & contẽtus vili Tubero. modo Licinium diuitiis, Apicium cœnis, Merulum delitiis prouocant. Maximum indicium eſt malæ mentis, & inter ſimulationem virtutum, amoremque vitiorum, aſſidua iactatio. Si parentes quid conſilij liberis dederint, illico ſuſpicabuntur liberi, politicum neſcio quid: ſcilicet prætextu pietatis ſe fore a parentibus decipiendos. Si mariti vxoribus, aut iſtæ illis quid ſuggeſſerint, id omne interpretabuntur fraudulentum ac politicum, in mutuam perniciem omnino inſtructum. Si amici inter ſe aliquid conſtituerint, eorum cogitationibus ſtatim ſuccurret ſpecies quædam cuiuſpiam politici: nempe cladem aliquam inferendam ſub fuco amicitiæ timebunt. Si heri famulis aliquid mandarint; ſi bi illis aliquid policiti, eueſtigio certe politicum hoc vtrimque eorum animis obuerſabitur ſuſpicio nempe fraudis obtentæ eos diriſſime vexabit, ac continuo perplexos habebit. In hac diffidentia & anxietate, quæ obſecro, ciuilitas, quæ amicabilis coalitio ſpectari poterunt? imo potius iſtis quanta rerum turbatio, & conſiliorum turbulentia inſunt? vt enim alias ad notaui, duplici damno affligit dolus: Vno, quo res in prædam cadit, altero quo ingenium ipſius decepti, eiuſque expectatio a doloſo ſuperantur. Vnde demum fidelitas omnis violatur, *Venerabi-*
le numen, vt loquitur *Valerius*, *& certiſſimum hu-* Val. li. 6. c. 6
manæ ſalutis pignus. cuius fidei cultores egregij fuere olim Romani: & inde illius templum a temporibus *Numa* celebre habuere, vt narrat *Blondus*.
quã tanti fecit *Attilius Regulus*, vti ex captiuitate Blond lib. 2
Punica ſolutus, maluerit ob promiſſionẽ datam Triu. Roma.
ad crudeles Afros remeare quam Romæ cum Cic. li. 3 off. Plin. de vir.
ſuis viuere, vt *Plinius* recolit. Egregia ſane ars, Ill. cap. 40.
huic fidei fraus contraria, quæ coniuges doceat ſub quo inuolucro ſtupra tuto committant. quæ ſeruos admoneat, quo ſtratagemate dominorũ bona depilent ac prædentur: quæ charitatem & amicitiam ciuilibus rebus penitus eripiat: quæ ciues animorum tranquillitate priuet: quæ eorum corpora animoſque furijs timorum & horrorum perpetuo exagitet. Fælices ſane horũ reſpectu, palantes Schythæ, Exleges Heruli, per montium deuia oberrantes, quibus ſimulatæ virtutes, ementiti doli, angores non infligunt: quibus, cum vitæ rudis ſimplicitate, pax & quies vbertim affluunt.

—— nullo docuit lineſcere fuco,

Claud pan. 2. Stiliconi. *Numquam falſa loqui, nunquam promiſſa morari,*
Iniuſos odiſſe palam, non virus in alto
Condere, nec latam ſpeciem prætendere fraudi,
Sed certum, mentique parem componere vultum.

4. Qui porro aſtus ſecum cogitant & exercēt, id faciunt ducti cupiditate priuati cōmodi. Proinde imodicus amor ſui, inter alios prauos effectus, quos profert, mēdax ſemper eſt ac doloſus. qui enim ſui amore in immenſum flagrunt ij, vt alias dictum, parum ſunt ſoliciti de aliorum bonis, aut de illo, quod omnium commune. imo horum dilapidatione ac proditione priuatum lucrum peſſimam poëſin in ciuitate exercentes, ſibi parabunt. Ouid eleg. ad Ilid.

De Niobe ſilicem, de virgine fecimus vrſum,
Concinit Odryſium Cecropis ales Itym.
Iupiter aut in aues, aut ſe traſſormat in aurum,
Aut ſecat impoſita virgine Taurus aquas.
Prothea quid referam, Thebanaque ſemina dentes,
Qui vomerent flammas ore fuiſſe boues?
Flere genis auriga ſuus Electra ſorores,
Quæque rates fuerant nunc maris eſſe deas.

Quamobrem cum varijs formis ad figmenta Deorum, inter ciues fides fuerit ſemel contu- Dam. l. 4. ca 12. prata, barbariem, exciſa ciuilitate, neceſſe eſt inde inualeſcere: quod *S. Damaſcenus* & *S. Auguſtinus* egregie docent. Aug. lib. de. vtil cred. cap. 14. *Mendacium* inquit Plat. dial. 2. Repub. *Plato, non Dijs ſolum, ſed etiam hominibus odioſum.* Doli etiam artificium, ipſimet auctori plerumque noxiū. cū enim ciues animaduerterint aliquē inter eos verbis inſtruere fraudes aut mendacia, illico ob violatum ab eo naturę inſtitutum, eum valde deteſtare & fugere ſolent. neque ſic fraudes, mendacia, ſimulationes diu latere alios poſſint, vt non videantur a tam multis oculis, qui in ciuitate vigent. quorum ſi vel vnus rem perſpexerit, ille ſatis potens, qui emiſſa fama in omnium conſpectu mendacem & ſubdolum denigret. amiſſa autem hoc pacto fidelitatis opi- Eccl. cap. 37 nione, nullus de reliquo locus ei ſupererit ad ciuilitatis munera in ciuitate obeundum: veriſſime ſane pronunciauit *Sapiens: Qui ſophiſtice loquitur, odibilis eſt: in omni re defraudabitur. non eſt* Cic. de Ami *illi data a Domino gratia: omni enim ſapientia defraudatus eſt. Nihil enim ſtabile eſt*, ait *Cicero quod infidum eſt.* Verum enimuero haud iuuat, quempiam eſſe artificioſum in propriam perniciem: ad mala nempe ſibi comparanda cum a Deo, tum ab hominibus quandoque infligenda, ingenio, ſolertiaque accurate inſtructum, in publicum prodire. Nihilominus ad reſiſtendum impugnationi iniuſtæ, inhoneſta non erit aliquādo diſſimulatio. in quo genere ex hiſtorijs ni- 1. Reg. ca 21 hil efficacius deprehendi ſimulatione ſtultitiæ. Plut. in vit. Cic. l. 3. off. huius artificio fretus *S. David* inſanientis ſpeciēs coram Rege *Achis* induit, vnde perſonam celando, vitæ diſcrimen euitaret: illud ipſum vſurpauit *Vlyſſes*, teſte *Plutarcho*, qui ſalem tanquam ſemen ſparſit in terram, quo inſanus, & profectioni bellicæ ineptus haberetur. idem Plin. de vir. Illuſt. ca. 10. conſilium ſequutus *Iunius Brutus*, vt narrat *Plinius* ſecundus qui *Cum eandem fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam fuerat ab auunculo occiſus, ſtultitiam finxit: vnde* Ouid. 2. faſt. *& Brutus dictus.*

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, vt eſſet
Tutus ab inſidiis dire Superbe tuis.

5. Verū, vt in vniuerſum dolus ſimul ac mendacium in ciuiles mores peſtifera, tum vel maxime nociua & inurbana, quæ in falſato Dei cultu, fideque diuina ſimulata aliquando reperiuntur. Cum enim iſtæ virtutes, vti diximus, ſint morum ciuilium baſes ac fundamenta, conſequens, eis eluſis, & ad vmbras extenuatis, ipſam ciuilitatem eodem concidere, euaneſcere. Quamobrem non ſolum impium, ſed etiā barbarū *Gnoſticorum & Helchiſitarum* hæreticorum inſtitutum, impunitatem animæ largientium cuiuſuis ſectæ externæ profeſſioni, veræque fidei, in contemptum martyrij, abnegationi. Qualis ſenſus quibuſdam ethnicis pariter adfuit, iam florente Chriſti Domini relligione, vt Greg. l. 5. in Iob. cap. 5. teſtatur *S. Gregorius. Quia nempe magnates illos religionem venerari conſpiciunt, ipſi cultū religionis aſſumunt, & bonorum vitam ſub deſpectis veſtibus, iniquis moribus premunt.* Verum enimvero inter noſtrates quidam hiſtoriographus ob hanc ipſā, quod ad religionē ac fidem egregiam ſimulationem, miris laudibus effert *Eliſabetham Boleinam*, imperante eius ſorore *Maria*, quæ catholicam ac Romanam fidem profitebatur, feceratque, vt id tota ſua Anglia ſecum præſtaret. Eo- Camd. in Appar. Eliſ. dem inquit, tempore, *Illa, vt nauigium ingruente tempeſtate, ſeſe moderans, ad Romana religionis normam ſacra audiret, & ſæpius confiteretur: Imo Cardinale Polo aſperius interpellante, ſe Romanæ Catholicam præ terrore mortis profiteretur.* Hi fuere tunc mores politici, hæc pietas deſertæ pietatis *Elizabethæ*, *Maria* Regina in Anglia regnante.

6. In hoc ſane nauigio videor mihi rediuiuū ſeu reſtitutum aſpicere *Dionyſij* ſacrilegi nauigium, quod *Locris*, poſtquam fanum *Proſerpinæ* ipſe expilauiſſet, ſoluit, ac Siracuſas fæliciter ap- Cic. l. 3. de Nat. Deor. pulit: iuxta ac a nauigatione, eiuſdem *Dionyſii* voces audite, quibus ſuos compellauit: *Videtisne amici, quam bona a Dijs immortalibus nauigatio ſacrilegis detur?* Cæterum quale iſtis ingenium! non ita pridem data eius rei iuſta occaſione, quidam ex noſtris in Anglia ſacerdotibus, iuxta ac ex S. I. Religioſis, affirmarunt, nonnunquā vſum æquiuocationis aut mentalis Reſeruationis licitum, adeo & veræ prudentiæ conſentientem: ſcilicet quando quis ab eo interrogatus in iniuſtum ſuum damnum, aut aliorum, qui nō ex forma iuris interrogat, nec reuera, vtpote de occultis ius habet interrogandi. Huic a noſtris pronunciato Miniſtri in Anglia, etiam Iudices, & Magiſtratus cum reliqua indocta inibi turba, adeo ora ſua oppoſuere, vti nomine & opprobrio *Æquiuocatorum* noſtros defamarunt, adeoque *Horribilis & infernalis* æquiuocationis patronos paſſim vocarūt. ecquis penes nos doctorum, qui non nouit, hoc ipſum quod ſtatuimus hac in re, adſtrui ſententijs omnium Theologorum, Iuriſprudentium ac Philoſophorum? vti demirer Anglos aduerſarios eo Theologiæ Iuriſprudentiæ, & Philoſophiæ voluiſſe penitus ignorantes apparere, quo ſententiam hanc nobis vitio vertere decreuerunt. Quod vero attinet ad fidem & Religionem, etiam & ciuiles congreſſus, omnino reprobamus ritum æquiuocandi.

uocandi. At ecce hic Argonauta vel in materia religionis ac fidei, cum præconio nautico & celeuimate inducit Reginam ſuam cum *Æquiuocam*, tum *Æquiuocantem*! Quo enim modo non erit Regina Æquiuoca, quæ Regina & non Regina: ſcilicet quæ Regina *Facto*, non Regina *Iure*, quandoquidem notha, & a B. Memoriæ *Pio Quinto* excommunicata, iuxta ac iure imperandi priuata: ſimiliter vnde haud habenda Regina Æquiuocans, quæ ſimul Catholica & non Catholica? Catholica, quod exterius religionem Catholicam profeſſa: non Catholica, quod intus & in animo hæreſim fouerit, & a Catholica fide penitus abborruerit.

7 An non egregie de nauigio, ſalſi maris ſentinoſum hoc mancipium, philoſophatur? De nauigio dico non tam Chriſtiano, ac Theologico, quam Geographico, Halieutico, protestantiſmi pleno, prorſus barbaro? At heus tu, quale precor, reputas nauigium *Eliſabethæ* tuæ animam, quali prudentia libratam, quo cœleſti ſpiritu, vela extendentem, impulſam, quę ad vitandam mortem, fidem & religionem erga Deum prorſus exuit, ſuperſtitionem vero, adeoque idololatriam, vel te Iudice, ſub tyrannide Antichriſti interim induit? quando imperium capeſcens, iurauit ſe defenſuram fidem Catholicam Romanam, nihil minus animo id tunc cogitans? num etiam periurijs & ſacrilegijs onuſto nauigio aura tua politica proſpere collusit & adſpirat? Nauigio huic erroribus & ſcelere grauido, tuis tamen calculis inter aduerſæ fortunæ fluctus fæliciter, ſapienterque ad portum ciuilis compendij decurrenti, applaudis. O quale tuum nauigium politicum? & qualis tu? quam præclara eius ſulcatio, quam deprædicas? Num deo charum nauigium, quod officina hæreſeon, quod vterus ſerpentum, quod diuinorum profanationibus refertum! Præconio tuo hiſtorico incitentur modo ciues, ad exemplar illius virgunculæ, aduerſante ac reflante fortuna, fidem, religionem, adeoque Deum ipſum deſerere, eiurare: id enim poſtulat tui nauigij dextra ac ſecunda fluitatio. Fingas cum animo tuo, hodierna die nos omnes in Britannia, a te laudata eſſe totidem nauigia, pictas aa fictas ab Alexandria naues: quales tu encomijs politicis tibicina celebras: ac tunc mihi dicito, quonam in loco reſtabit fidei ac religionis puritas: vbi reperienda eius conſtantia, quæ vel martyrio quandoq; conſignetur, poſteaquã e gloria fuerit tui nauigij, quo ad portum demum quoquo modo appellet., in iſtis fingere ac mentiri? Sapiens meminit iſte profanus, ab hac ſua *Eliſabetha* conſtitutos in Anglia carceres ad pontificios, vt ipſe loquitur, coërcendos, at quo iure, qua æquitate, amabo te? An non ex animi ſententia id pontificij fecerunt, quod ex ſimulatione peractum in *Eliſabetha* tua, celeuma cantando, deprædicas? Si illa cum laude prudentiæ, repugnante interno animi ſenſu, diſſimulauit, falſum, impiumque vſurpando; cur non maiori laude digni pontificij, qui conſulto, idque ex regula traditionis paternæ & Eccleſiaſticæ idem peragunt? an te cenſore, plus gratiæ meretur mendacium, quam ex ingenuitate & veritate conſilium? Verum caueris tu quoque, ne ad extremũ eadem ſirte abſorbearis, qua tuum iam olim perijt nauigium. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto in inferna deſcendunt.* Quamobrem precor, eis carceres decernendi ab illa Regina, ob ea ſolum facta, quæ eorum maiores, literis, virtute, armis & imperio clari, in ſacris ac diuinis habuere: quæ etiamnum maior pars Chriſtianorum cœleſtia appellant officia? Num in tuo tribunali grauiſſimæ ſtatuuntur pœnæ, vbi nullum delictum interuenit, ſed potius vbi virtus Hæroica ſe oſtendit?

Iob. 21.

8 Quod vero hoc ſcelus diſſimulationis in peſtem ciuilitatis lateat, neque tribunal forenſe eius conſcium eſſe poterit, ideo, quo a tam nefario effectu educendo depellamur, quod ſacra eloquia paſſim teſtantur, doloſos ac perfidos ciues, vt ingenti odio perſequitur deus, ita frequenter inſigni clade eoſdem vlciſcitur. *Os bilingue deteſtor. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur dominus.* Ideo autem dolus cum homicidio hoc in loco copulatur, vt inde doli deformitas, & enormes euentus ex dolo ſignificarentur. *Ageſias* vt ſcribit *Polienus*, cum audiuiſſet hoſtes Perſas, datam fidem violaſſe, plurimum inde lætabatur, ſibi pollicendo, tunc fore ipſis Deum offenſum, ac in eos breui vltorem. Non enim prius doloſi alios lædunt, quam in ſeipſia naturam ipſam violarint, alioque eam deſtinarint, quam quo deus, eius auctor, illam referri primitus inſtituit. Sunt etiam deo charißimæ veritas & virtus, quibus plane doloſus abutitur, perinde ac ſummi ſacerdotis Rationali, cui *Vrim*, ac *Thummim*, iudicium, ac veritas, inſculpebantur, quis per maximum ſcelus contra dei leges profanaret. Omnes virtutes deuouet dolosus falſitati ac rerum ſordibus: quod quidem genus ſacrilegij, dubio procul, deo valde inuiſum. Neque aliud quam eidem deo ingratum ſpectaculum, naturæ, quam ipſe cum rationis dignitate, tum redemptionis pondere ſublimauit, quædam ex dolo depreſſio ad turpiſſima officia exequenda: adeo vt doloſus in dei conſpectu vix homo dici poterit, ſed potius vulpecula, ne dum ab omni animi ingenita magnitudine alienus. *Magnanimi*, inquit *Ariſtoteles*, *videtur id, quod in vnaquaque virtute magnum eſt. nulloque pacto ei conuenit, vt ſuaſione aliqua fraudulenter vtatur, fingat, aut iniuſte agat.* Ipſa bruta, quo ingenio nobiliora, vt pote leones & elephanti, eodem minus fraudem experta: timidiora vero ac fugitiua animalcula ad dolos inſtruendos paratiora. Hanc in homine ex dolo indignitatem ægre ſane feret deus. Denique illi vehementer diſplicet, hominem, ſui imagine inſignitũ, dolos machinando ad condicionem dæmonis accedere, ac in eius paleſtra diſcipulum inueniri: non enim nos ſoli ſacris literis edocti nouimus, falſitatem a dæmone manare, ſed etiam veteres id vtcumque percepere. proinde *Claudianus* artes *Megæra* recenſendo cantat:

Proverb. 12. Pſalm. 5.

Polien. lib. 2. ſtratagem.

Exodi 28.

Ariſto. lib. 4. Moral. cap. 3.

Claudian. in Ruffi.

Me tradente dolos, geſtus, arteſque nocendi
Edidicit ſimulare fidem, ſinuſaſque minaces
Prætegere, & blando fraudem prætexere riſu,
Plenus ſaeuitia, lucrique cupidine feruens.

Atque inter alias pœnas, diuinitus doloſis

 inflictas,

inflictas, hoc vnum; quod Deus ſæpenumero doloſos permittit ruere in illos dolos, ex quibus omnem apud alios amittunt fidelitatis auctoritatem: enimuero maximæ fraudes, quarum exitus & effectus notabiles, diu alios celari non poſſunt, vt cum alijs notat *Cornelius Tacitus.* fama autem, vt ait *S. Auguſtinus*, aliorum bono neceſſaria, ſicut conſcientia proprio. Proinde principes ad imitationem *Auguſti* Imperatoris ſtudere debent, vt apud alios opinio ſuæ potentiæ ac fidelitatis numquam debilitetur, aut imbecillitate aliqua laboret.

Tacit. lib. 1. Annali.

9 At nefandum prorſus genus doli, quod in periurijs inuenitur. Hoc enim dum falſitati impenditur, cum ſumma iniuria in Deum, fini etiam iurandi, adeoque iuſtitiæ inter ciues ſeruandæ, omnino aduerſatur, vt bene diſſerit *Valerius maximus.* Superius explicatum, quantam vim ad ciuiles mores, adferat idonea cum reuerentia de Sacroſancto Numine æſtimatio. Vnde conſequens, illud barbarum prorſus vitium habendum quod hoc Numen ludibrio habet, tantamque eius maieſtatem ac ſanctitatem publice vituperat. Cum enim deus non ſolum ſit in ſe veriſſimus, ſed etiam in teſtificando, adeoque ipſa veritas, ac proinde a mortali abſque humili ſui ſubmiſſione neque nominandus, neque cogitandus: tum immane dedecus ei illatum videbitur, cum in teſtimonium inuocatur non dico rei vilis ac minimæ, ſed falſitatis atque peccati. Si Imperatores, ductu vel a ratione ſpectandi ſui honoris, legibus diſtricte cauerint, ne imagines ſuas quis ſecum in loca fœda ſeu inhoneſta inferret, neu per ſua numina, vitam, Genioſue ipſorum peierarent, quale tandem ſcelus reputandum, diuinam maieſtatis ſanctimoniam, ad cuius conſpectum vel ipſi angeli contremiſcunt, ſignaculum exhibere ac teſtem falſæ ac iniuſtæ aſſertionis? Hoc ipſum porro, modo quodam peculiari, Dei ſanctitati repugnat. Is enim, qui inuocato numine falſum deierat, deum inducit vt auctorem publicum, vt fautorem erroris & iniquitatis: nomini eius ſanctiſſimo falſi patrocinium affingit, & eodem innocenti homini iniuſtum detrimentum ſæpius infligit. Quocirca non vt cætera vitia periurium quaſi contemptim per ipſum numen tranſit, eius ſanctiſſimas leges prætergrediendo, quinimo violentas ac impuratas veluti manus auſu aperto quodammodo illi inijcit, quibus vel reluctans ad ſententiam dicendam pro falſitate, pro iniuria, pro turpitudine contra religionem, vt ait *S. Thomas*, ab impio homine pertrahatur. Quo ſane, vt nihil ſceleratius, ita neque efferum magis barbarumue.

Valer. lib. 2. cap. de iuram.

Eſa. 6. Ezech. 1.

S. Thom. 2. 2. q. 98. art. 2.

Etiam vlterius inter reliqua flagitia, peculiare quid inciuilitatis obtinet periurium. Etenim teſte Apoſtolo, iuramentum ideo ſuſcipitur vt iuranti conciliata fide, controuerſiæ ac lites ex iuſtitiæ norma definiantur: ſupponitur enim nolle hominis aliquid in ſe habentem, inuocato diuino numine, falſi quid atteſtari. Cæterum ex periurijs omnia contra accidunt: eis enim admiſſis, ac perpetratis, vt litigium debito termino inde carebit, ita humana fidelitas vacillabit. Cuius rei exitus in malorum contra bonos iniurijs frequenter conſtabit. Neque ſiſtit periurij malitia in diuini Numinis contemptu, quinimo ad neglectum quoque principis, qui Dei imago, tranſibit. Quo enim pacto ius principis inuiolabile in ciuitate manebit, quando ius dei ipſius a ciuibus paſſim infringitur ac dehonoratur? Facile ergo, vbi impunitas in ſecuro, periurium in principis etiam contumeliam, adeoque in ipſam rebellionem, erumpet.

Heb. 6.

11 Ex quibus manifeſte patet eorum error, qui in fraude artificioſe inſtructa, in dolo, virtutis colore falſato, omnem ingenij politici vim ac momentum collocant. Si enim ad ciuilitatem aut politiam referri huiuſmodi ſtratagemata poterint, quis inficiabitur, piratas, prædones, incendiarios ac fures eſſe dextere politicos, quorum quippe aſtus altiſſime doctiſſimeque digeſti? exſtunt potius barbariei origines: quippe cauſæ inimicitiarum ac diſceſſuum in republica: Denique comparata ſunt artificia, quibus bonum ciuile penitus expugnetur. *Quid autem turpius, ait Cicero, quam illudi?*

Cicer. de Amicit.

CAPVT XIII.

Fides Catholica ingenium poſtulat mite ac ciuile: contra Hæreſis in vniuerſum inſita ſibi vi barbara ac rabioſa: indeque idonea, quæ rempublicam perturbet, immanemque reddat.

TRia ſunt ad fidem orthodoxam ſpectantia, quorum vi, ea imbuti ciues, mites ac tractabiles inde euadunt. Primum eſt, externa prædicantium fidem certa auctoritas, quæ auditu percepta ad obediendum deo, ſimul ac eccleſiæ, homines dociles permoueat. Affirmat enim Apoſtolus, fidem ab auditu propagari: *Fides ex auditu.* atque auditum in illis pro obiecto ſortiri verbum Chriſti prædicatum. *Auditus autem per verbum Chriſti.* Neque hoc verbum Chriſti adſtringit Apoſtolus ſolo verbo ſcripto, quod legatur aut audiatur lectum ab aliquibus: quandoquidem quando hæc proferebat Apoſtolus, nondum erat ſcriptum Nouum Teſtamentum. Porro qui olim, etiam Apoſtolo teſtante, Deo credidere, id fecere Patriarchis & Prophetis, priuſquam illud verbum Chriſti ſcriptum extaret, fidem adhibentes: ſimiliter barbaræ nationes, omnis prorſus verbi ſcripti expertes, ab Apoſtolis ſuis inſtructæ & conuerſæ, ex auditu verbi Chriſti, vt docet etiam *S. Irenæus*, diuinam fidem animis conceperunt: quod in eis etiamnum conſtat externis regionibus, quæ literarũ neſciæ, noſtro ſeculo

Rom. 10.

Iren. lib. 3. cap. 4.

ſæculo ad fidem Chriſti perducuntur. Propter quam cauſam eleganter ac ſolide *S. Auguſtinus* fidei robur attribuit externæ auctoritati inſonanti, ſiue ea Eccleſiæ expreſſe fuerit, ſiue fidem docentium: quemadmodum ſcientiæ momentum rationi idem concedit. Cum ergo in diuinis aſſuefacti fuerint ciues, duci obſequenter ac inſtitui a ſuis etiam conciuibus, eiſque paſtoribus, inclinati eodem erunt, vt etiam in ciuilibus facile morem gerant ſuis principibus: auctoritas enim Eccleſiaſtica iam eorum ingenia diuina quadam virtute emolliuit, ſubiecit, & in vniuerſum ad admittendum obedientiam tam dogmatis quam actionis optime comparauit ac diſpoſuit.

Auguſt. lib. de vtil. cred. cap. 1.

Rom. 6. Heb. 13.

2 Hæc eſt noſtræ fidei humilis vis ac firma celſitudo, quibus Eccleſiæ traditioni tanquam ſuæ regulæ ſit obſequens ac morigera. Quæ, vt ait *Tertullianus, vbique eiuſdem Sacramenti vna traditio.* vnde duo eiuſdem fidei ingenio conueniunt, ſcilicet quid infantile, & Simplicitas. De priore hæc *S. Petrus*: *Sicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite.* Eſt enim noſtra fides lac paruulorum in hac vita, ad virilem ætatem in alia peruenientium. Eſt lac propter candorem doctrinæ, quam inſtillat, eſt lac dentibus haud more aliorum ciborum atterendum, videlicet humanis diſputationibus minime diſcutiendum, iudicandum, ſed ex toto & abſolute a paruulis inſugendum. eſt lac rationabile, quippe optimis credibilitatis argumentis inſtructum. eſt lac, quod dum dei infantes appetunt, certis ſimul ac ſecuris conſilijs ora matris Eccleſiæ vberibus infigunt: neu dubium illis, velle talem matrem vllius erroris peſtiferum liquorem ipſis propinare; ſimplicitas vero, Eccleſiæ nota exſtitit manifeſte quod ad negocium fidei, proinde *Valentiniani* hæretici, teſte *Tertulliano*; Catholicos vocabant *Simplices*. quem titulum Eccleſiæ filijs dicit *Tertullianus* eſſe gratiſſimum, eo quod ſpiritus Eccleſiæ ſit ſpiritus columbinus, eique præſideat Columba, ſpiritus ſanctus: de cuius donis in hominibus, dicitur: *Eſtote ſimplices ſicut columba.* an poſt hoc columbæ & ſimplicitatis encomion, aliquid maius poterit expectari? *Noſtra columba*, ait *Tertullianus, domus ſimplex.* Eandem ſimplicitatem in Catholicis indoctis apprime laudauit *S. Auguſtinus*: *Turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.* Hoc de turba ideo adſeruit. *S. Auguſtinus*, quod doctrina Theologica deſtituatur: nam omnes alioqnin, etiam doctiſſimi, in hac ſimplicitate credendi, cum ipſa turba conueniunt, ac ea cuncti pariter conſolidantur. quamobrem hanc ipſam ſimplicitatem credendi profeſſus ipſemet *S. Auguſtinus*, dum fatetur ſe Eccleſiæ auctoritate in fide Chriſti teneri: *In qua conſenſio gentium & populorum*, in qua *Auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate firmata.* in qua perpetua in ſede *Petri, epiſcoporum ſucceſſio*, in qua nomen & ratio *Societatis Catholicæ* apparent. Cum itaque inſtituto fidei orthodoxæ omnes ſint infantes, ſint ſimplices, neceſſe erit eos inde inter ſe conuenire, & ſuperioribus tam ciuilibus, quam Eccleſiaſticis, perquam obedientes reperiri: hoc ritu *S. Auguſtinus*, tantus Doctor, infans, & columba ſimplex. Ex qua ſimplicitate, in Eccleſiæ traditionem delata, oriri inter Chriſtianos concordiam in rebus fidei adfirmat *Tertullianus*: *Nemo enim ſuper magiſtrum eſt; neque infimus in dicendo diminorabit traditionem.* Quando ergo quis ingenio confiſus, aut ſupernæ illuminationi, hanc ſimplicitatem credendi, traditionem hanc deſerit, eo ipſo in hæreſim cadit. qua in re culpat *Vincentius Lirinenſis Origenem* & habitum pro hæretico dixit, *Dum Eccleſiaſticas traditiones & veterum magiſteria contemnens, quædam ſcripturarum capitula nouo more interpretatur.* Neu dubitauit pronunciare *S. Ignatius*, diſcipulus *S. Ioannis Euangeliſtæ*, vt teſtatur *S. Bernardus*, haud obedientes Epiſcopis atheos eſſe, impuros, & ordinationis a Chriſto contemptores.

Tertull. præſcrip. cap. 20. 21.

1. Pet. 2.

Tertull. lib. cont. Valent. cap. 23.

Auguſtin. cont. epiſt. Manich. cap. 5.

Tertull. lib. Præſcrip. cap. 20. 21.

Vincent. cont. Hær. cap. 23.

Ignat. Epi. ad Trall.

Bernard. Serm 7. in Pſalm. 90.

3 Alterum, quod ad hoc conducit, ſpectabile eſt in quadam proprietate eius auctoritatis, cui ſe orthodoxi placide ac pie dimittunt: ac eſt eiuſdem communitas ac vniuerſalitas quædam: Cunctos quippe fideles reſpiciens, ſimul ac vno eodemque numero complectens. Qua ciues catholice gubernati & inſtituti, noſcunt nunquam, quod ad diuina, ſe debere priuatim quidpiam ſapere, plus vel altius ſapere quam oportet, vt admonet Apoſtolus: ſed cum alijs credendo potius cõuenire, ac inſtar columbarum, gregatim ex mutua concordia & charitate cœlum verſus conuolare; non cum miluis aut coruis, rauca crocitantibus, ſeorſim putridas prædas inferius conſectari. Quis autem non videt, hinc eam concordiam propagari, qua ciuium ſenſus præ teneritudine molleſcant, ductileſque ſint ad omnia conſortij ac ciuilitatis officia?

Rom. 11.

Gen. 8.

4 Cæterum cum fides vera, vt iam dictum, ab auctoritate docentium ac prædicantium pendeat, ideo propoſito aliquo dogmate noſtræ credulitati, antequam peculiarem eius ſententiam diſcutiamus, inquirendum, quaſnam publica auctoritate nobis, vtpote catholicum denuncietur. Et niſi inuenerimus catholicum, tale ſcilicet, quale nulla hæreſis poterit ſibi vendicare, eiuſmodi dogma haud erit ſequendum. Etenim nullus eſt hæreticus, qui non obtendit ſuæ hæreſi aliquam auctoritatem externam. Dicunt enim ſua aſſerta, verbis Chriſti ac Apoſtolorum, eorumque praxi ſtabilita dum in viuis erant. Verum hæc aſſerta ab ipſis auctoritas, non eſt ſufficiens ad perſuadendum alicui fidem, quandoquidem omnibus hæreticis in ſpeciem communis: eam enim ſibi affinxere Ariani, Neſtoriani, cuncti denique falſorum dogmatum aſſertores. Quam prætenſam auctoritatem ſi, quis promiſcue amplecti voluerit, eodem aditus omnibus hæreſibus aperiet, nec ratio ſuberit, ob quam huic dogmati fidem præbeat, & non alteri. Directrix itaq; auctoritas in omnibus rebus fidei, prædica-

Hoſius cont. Hær.

toria debet eſſe, iuxta ac ex peculiari ſui charactere catholica, vti eodem ab omni alia auctoritate vendicata ab hæreticis, dilucide diſtinguatur: vtpote, quæ per orbem terrarum in primis hominum conuerſionibus ad fidem peruagata, quæ omni tẽpore conſpicua, quę vnitate doctrinæ, ac paſtorum ſucceſſione à Chriſto, eiuſque Apoſtolis, ad præſentia tempora deducta. Illa namque alia auctoritas, haud ſatis idonea ad moderandum hominum ſenſus in rebus fidei temperie ſubiectionis, quandoquidem omnes hæretici, in immanem quantumuis ſuperbiam turgeſcentes, eam agnouerint ac proclamarint. Idcirco ad hunc effectum obedientis diſciplinæ & obſeruantiæ, ea poſtulanda auctoritas, quæ catholica, quæ conſenſione fidelium viſibiliter commendata. Illam autem alteram planè vmbratilem reddunt ipſimet hæretici: cuius omnia momenta in auctoritatem priuati ſui iudicij ſuperbe & refractarie demum reſoluunt. Dicunt enim Chriſti & Apoſtolorum doctrinam & praxim ideo ab ipſis ſtare, quod ipſi priuatim ſic iudicant, ſcripta eorum interpretantes.

Auguſt. lib. de vtil. cred.

5 Poſtremum cernitur in eis rebus, ſeu obiectis, quæ in fidem orthodoxam admittuntur. Cum enim charitate incredibili, credentium animos illæ inflamment in Deum ac proximos: cumque vehementiſſimè ad morum nitores eos transferunt, pariter ſumma vi ab omni impuritate actionis ab omni conſilij refractaria turbulentia auocabunt: ex quo neceſſe fuerit, eaſdem res creditas, ciuilitati plurimum prodeſſe cum diſciplina, tum inter ciues benevolentia, vti alias diſſeruimus. Comparari idcirco poterunt orthodoxę fidei credita myſteria granulis in malo punico, ſacris dicato, contentis: cum propter ordinatas ac cohærentes eorum in Symbolo ſeries, tum propter ardentis iubaris ſpeciem: quòd ſcilicet credentes non illuſtrent modo, ſed mira etiam charitate ad decretam vſque ſanguinis profuſionem, quo mutuo ſibi gratificentur ac deo inſeruiant, accendant. In vniuerſum quidem verum, omnem diſcrepantiam in fide & religione inter homines, acrem eſſe & feruentem in mutuas cõtumelias. Cuius rei ſit hoc vnicum exemplum, quod petatur a circumciſione Iudæorum, & aliarum Nationum vi nature præputijs. Familiare fuit Græcis & Romanis eo nomine deridendos proponere Iudæos, quod Circumciſi. *Credat Iudæus Apella.*

Exod. 39. Cant. 6.

Horat lib. 1.

Recutitaque ſabbata palles. Verpos quoque irriſionis cauſa vocabant. Cõtra Iudæi ſummo dedecore Gentiles ſolebant vituperare, quod *Incircumciſi*; eo nomine eos traducentes volut impios, barbaros, omniſque diſciplinæ expertes. hoc factum a *Dauide* commemorat ſcriptura: *Quis enim eſt hic Philyſtæus incircumciſus, qui exprobrauit acies dei viuentis? Erit igitur & Philyſtæus hic incircũciſus, quaſi vnus exeis.* vnde apud Hæbræos nota *In circumciſionis* adeo erat odioſa, vti eius ſignificationem tranſtulerint ad indicandum alicuius ſummam malitiam & animi ſtatum plane immorigerum; vti liquet ex verbis *S. Stephani: Dura ceruice & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis.*

1. Reg. 17.

6 Vt verò iam explicemus, quibus nominibus in vniuerſum hæreſis morum ciuilitati, ſimul ac ingeniorum manſuetudini aduerſetur, paucis eiuſdem natura prius expendenda. Qua in re principio materia ipſa, ſeu obiectum hæreſis diſcutiendum occurrit. hoc autem, vt docet S. *Thomas*, illud ipſum eſt, circa quod etiam fides orthodoxa verſatur: quatenus falſa eſt opinio *Circa ea, quæ ad fidem pertinent.* Quamobrem circa idem occupantur fides & hæreſis, licet motu planè diſpari ac repugnante. Siquidem, ſi fides, primæ veritatis aliquid complexum reuelantis, inſpectu incitata, prius facta myſterij ab Eccleſia propoſitione, ei aſſentiatur, hæreſis ab eodem diſſentiens, pertinaciter eidem veritati, eidemque Eccleſiæ propoſitioni, ſeu publicationi, obſtinatè renititur. Obiectum porro fidei orthodoxæ, generale quid eſt, & ab omnibus credendum: neque illi, quo ad vllam eius in vniuerſa amplitudine partem, quis ſe opponere obſtinata inficiatione poterit abſque hæreſis piaculo: modo, quantum ad generalitatem, priuatas ſemoueamus reuelationes neque ſcriptura, neque Traditione conſtantes. Hæreſis autem obiectum, contra auctoritatem catholicam, electione quadam credentis ipſius propria & ſingulari decernitur: proinde in ſectas factioneſque contra Eccleſiam catholicam directas, fidem ei adhibẽtes idem obiectum rapit, ac inde a communitate fidelium ſeditioſe & priuatim diuellit: vt præclare docet S. Auguſtinus. Deinde voluntatum diſpar conſideranda diſpoſitio in catholico & hæretico. In hoc quidem conueniunt fides & hæreſis, quod vtræque ſint voluntariæ. Nemo enim recte credit, niſi pio affectu permotus, voluntate in fidei munus conſenſerit: idque non ſolum quo ad actus exercitium in hoc vel altero momento, ſed etiam ſimpliciter quod ad ſpecificationem: quatenus Deus non aliter colluſtrat hominis intellectum, vt illi fides diuinitus ſuadeatur, quam vt in eodem piæ affectionis locus relinquatur, qua libero motu arbitrij, ex Dei gratia facto, intellectu in ſeipſo determinet ad credendum. Similiter hæreticus eiuſdem voluntatis actu dogma illud credendum ſibi ſtatuit, ac colendum tanquam idolum proponit, quod in partes abeundo ipſemet delegit. Cæterum in vtriſque alia ac plane diuerſa ratio voluntatis. Etenim, teſte S. *Auguſtino*, in catholico voluntas ex charitate eſt conſtituta: nempe delata in obiectum vniuerſale, aptumque ad ingenerandam charitatem in eis, qui in illud credentes conſpirant. Voluntas autem in hæretico eſt prorſus ſeditioſa, ſingularitatis nempe cupida, electionis priuatæ auida, vti, vel ipſa etymologia Græca *Hereſeos*, quod obſeruat *S. Hieronymus*, ſatis explicate indicat. Voluntas idcirco in hæretico poteſtatem ſibi facit, ex appetitu gloriæ, vel luxus, præeunte, quicquid pro libidine tanquam diuinum in ſcripturis reuelatum credendi. Demum voluntas in catholico ita eſt moderatione quadam temperata & compoſita, vt dimiſſe in omnibus credat, aliorum auctoritati ſcilicet eccleſiæ facile acquieſcendo. Voluntas vero in hæretico pertinax eſt & obſtinata ad

S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 2.

Auguſt. lib de Baptiſm. cap. 4.

Athan lib. cont. Idol.

Auguſt. lib 3. cont. Donat.

Hieron. in cap. 3. Epiſt. ad Titum.

rebellandum

rebellandum contra agnitam eiuſdem Eccleſiæ auctoritatem; ac ad præferendum iudicium ſuimet priuatim opinantis, iudicio ipſius Eccleſiæ præſentis aut præteritæ. Videamus modo, quibus rationibus, ductis primo loco ab obiecto hæreſeos, oſtendi poterit, eam feram eſſe, perturbatam, aſperam, & immanem.

7 Principio itaque ipſum genus materiæ circa quod hæreſis verſatur, cum ſit ſacrum, diuinum ſaluti æternæ neceſſarium, tum eodem magis idoneum quo inter diſſidentes acriorem efferat contentionem. Ethnici quidem, vt ſcribit *Ariſtoteles*, diuerſimodè ſentientes de diuinis, haud inuicem tamen ex conſultō iraſcebantur: quia nihil in eis definiti ducebant ad beatitudinem comparandum neceſſarium: laudantes potius contendentium ſtudia, quam vituperantes opinionum diſſidia. Non enim vigere ſolet inter homines ingens aliqua digladiatio, niſi cauſa controuerſiæ maioris ponderis ab ipſis æſtimata & diiudicata fuerit. Quocirca, quod rarum, quod excelſum, quempiam in ſpeciem præ cæteris omnibus perſpicacius diuinam mentem intelligere, quempiam familiarius ac copioſius a deo illuſtrari, Inde cum animi tumore augeſcit ardor in expetitam hanc excellentiam: deinum diſſidentium rixæ, contumeliæ, pugnæque, veluti ex turgida flamma in obſtantes erumpunt. Adeo quidem vehemens huius rei cupiditas extitit, vti permulti hæretici ſponte diriſſima paſſi, quo hac diuina palma ſui doctoratus glorioſius in aliorum oculis fruerētur. hinc Manichæi, teſte *S. Hieronymo*, triſtes, pallentes, macieque confecti alijs comparuere. Donatiſtæ mortem ipſam ementito nomine martyrij decoratam, ardentiſſime proſequuti, vna ſuæ ſectæ gloria vel tabeſcentes, vel contenti, vt *S. Auguſtinus*, *Optatus Mileuitanus*, & alij recenſent. Non mirum ergo, ſi incitati, ſi feroces fuerint in catholicos hæretici ipſis contradicentes: quandoquidem tantam diuinæ auctoritatis ſibi vim ſinguli eorum arrogant, quanta ſecum definiant, ſe iure poſſe totam Eccleſiam externam erroris damnare: quod ſuis vocibus affirmarent olim blaſphemi Donatiſtæ, Originiſtæ, ac noſtris tēporibus Proteſtantes idem gregatim proloquuntur. Hinc flatus, hinc ira, hinc turbines, ſpiritusque procellarum. Hi et ſimiles,

Ariſt. l. 9. et. cap. 7.

Hieron. ad Euſtoch.

Auſt. l. 4. co donat. Mil. lib. 4.

Aug. li. cōt. Don. Vinc l. contr hær. Cōc. Nic. 2.

Prud. Hama

Qui ſummum ſolidumque bonum putas ambitionis
Creſcere ſucceſſu, præconem voce trementes
Exarmare reos, miſerorum in corpora faſces
Frangere, terribiles legum exercere ſecures.

Adeo quidem delectus illius ſpecie, quem ſemel fecerunt hæretici, plane dementati, vti exilia ſua adeoque vel *Martialis* formicam, ſuccino immorientem, mirum in modum, de ſe loquentes amplificare ſoleant:

Mart. lib. 6. Epig. 12.

Dum Phaëthontea formica vagatur in vmbra
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.

En fatum formicæ hæreticæ, ſe gigantem eſſe ſomniantis, ritu tamen miſeri animalculi in paruo dulcedinis glutine intereuntis.

8 Spectato pariter eodem obiecto hæreſeos, videmus, ex eo illam formam diſſidij propagari, quæ æmulatio dicitur, reperiturque inter eos, qui in aliqua neceſſitudine, profeſſione, vel communi bono conueniunt. Errores proinde hæreticorum lepram quamdam animi conſtituunt, in qua veris falſa admixta: quemadmodum per partes ſani corporis, non extra corpus, lepra ſpargi ſolet. Ex quo Chriſtianorum nomine, hæretici, vna cum catholicis, gloriātur, pietatis commune vocabulum ſibi aſſumunt: nobis denique de re noſtra litem domeſtica quadam actione, tanquam fratres, intentant. Feruor autem æmulationis, quemadmodum inter fratres odium, immaniſſimus: *Dura ſicut infernus æmulatio.* Sæuior certe vrſus hæreticus, licet impotentior, vel ethnico leone. Qualitatem autem & cauſam æmulationis ita deſcribit *Plutarchus*: *Natura enim comparatum videtur, vt inter eos æmulatio contentioſa non naſcatur, qui diuerſa virtute, diuerſis viribus, non eodem ſtudij genere operam rei cuipiam dant: ac cum diſparibus quidem artibus, verum pari diligentia, voluntateque curant.* etenim riualitas ex ea apprehenſione oritur, qua quis iudicat alterius profectum aut excellentiam, ſuum ipſius eſſe malum ac damnum. Docet vero Philoſophus, hoc tunc ſolummodo contingere, quando in eodem genere plures ad idem bonum ſimili curſu contendunt. Proinde nobilis architectus aliquis ſibi animo haud proponit, quod celebris Oratoris eloquentiæ cōtrarium, aut ei moleſtum: nihil cum hac retinens vel quo ad rem ipſam, vel quo ad titulum commercij: ac proinde neque in illum acerbius zelatur. hac ergo ex parte ingenium hæretici plane furiatum; qua in eius animo æmulatrices Erinnes:

Greg. Naz. apol. 2.

Aug. lib. 2 queſt. Euan cap. 40.

Cant. 8.

Plut. de inſt ciuil.

Ariſt. lib. 2. Rhet. cap. 10 S. Thom. 2. 2. q. 36. art. 2.

Ouid. in ib

Verbera ſæua dabunt ſonitum, nexæque colubris
Conſcia fumabunt ſemper ad ora faces.

Maſculi in vnoquoque genere viuentium, quātum ad opinionem virium, ac ſapientiæ propriæ, inuidētia inter ſe digladiantur: ſicut fœminæ, aliarum viſa, aut laudata pulcritudine, ad odium vſque vel maxime prouocantur:

Muſ. poëmat.

Καὶ γὰρ ἐν ἀγλαΐῃ ζηλήμονες εἰσι γυναῖκες

Theologorum nomine qui cenſentur, illi de inſpiratæ diuinitus notitiæ priuilegio acerrime æmulationem exercent.

9. Obiecta porro veræ fidei, quæ inficiantur hæretici, vt multis modis expugnant contentioſe, ita id peculiari quodam inimicitiæ genere perficiunt, nempe ſacrilega ac blaſphema plerumque quadam irriſionis contumelia: qua vt orthodoxam fidem plurimum traducunt, ita animos piorum, vehementer eis ſtomachum mouentes, irritant. hæretici idcirco contra nos daſinientes, *Vt ſubſannent patrem ſuum*, quod Sapiens prædixit, ita proprie ſedent in *Cathedra peſtilentiæ*, de qua pſalmiſta: nempe in *Cathedra Lætzim* ſeu deridentium diuinam legem. Narrat *Philo*, Iudæorū ſapientiſſimus ac diſertiſſimus, ſe Romæ agentem cauſam ſuæ gentis & patriæ religionis, in aula Caij Imperatoris, dicterijs & iocis aulicorum vexatum & deſpicatim habitum. ac in vniuerſum intra ambitum prætenſæ fidei, innatum aduerſarijs ſeſe mutuo ſarcaſmis proſcindere. *S. Auguſtinus* infectus hæreſi *Manichæi*, de ſe hæc ſcripſit: *Hæc ego neſciens, irridebam illos ſanctos ſeruos & prophetas tuos.* Idem ab amico ſuſceptum Baptiſmum irriſit. Genus autem

Prouerb. 30 Pſalm. 1. Phil. legat ad Caium.

Augu. lib. 3. confeſſ. cap 10. l. 4. c. 4.

pugnæ

pugnæ odioſiſſimum, quod irriſionibus geritur: quandoquidem tam honorem aliquid aſſerentis impetit, quam cauſæ veritatem. Prædicens idcirco *Hieremias* extremam futuram Iudæorum calamitatem, ob necem, Chriſto domino ab ipſis intentatam, hæc verba intulit: *Deriſerunt om-*
Hierem.1. *nia Sabatha eius.* atque inter externa & inſueta, populariter maxime ridiculæ veſtes, idiomata, & religiones. Ethnici, ad id aliquando vocati
Athan. orat. ab Arianis, vt ſcribit *S. Athanaſius*, tunc vel ma-
ad Solitar. xime Chriſtianæ religioni dedecus ſe intuliſſe putabant, quando in Eccleſiis orthodoxorum a deoque ſupra altaria ipſa mimicos ſordidoſque geſtus exhibebant. De quo eorum ingenio lo-
Epiſt. Iudæ qui viſus *B. Iudas*: *Os eorum loquitur ſuperba.* Hinc
Petri.2. enim quod cathedram noui magiſterij ſibi vendicant, additur: *Hi ſunt murmuratores queruloſi.* ſub confiſto enim ſenſu, vt pote ſtulto ac impio in Chriſtum, mos eſt hæreticis, fidem Catholicam vituperare; adeo vt ſi poſſint impacta nobis fabula excitare riſum ac contemptum noſtri nominis apud imperitam plebeculam, ad quam concionantur, exiſtimant ſe, cum triumpho egregios laborum fructus iam tuliſſe, & ad palmam victoriæ adſpiraſſe. Hoc ritu ludibrij *Origeniſtæ* vulgo catholicos appellabant *Piloſiotas*, *Philoſarcos*, *Simplices*, *Ruſticos*, ac *Carnales*: quod corporum reſurrectionem ſimpliciter cre-
Hieron. ad derent, vt ſcribit *S. Hieronymus*. *Vigilantiani*, vt
Pammach. idem refert, eoſdem Catholicos, Sanctorum re-
de Cror. liquias colentes, vocabant per deriſum *Cineri-*
Ioann. lib. t. *ſtas*. Ariani orthodoxos deridebant ſub titulo
Apoc. cont. *Homouſianorum*: vt ſcribit *S. Auguſtinus*. *Donatiſta*,
Ruffin.
Auguſt côt. quod Catholici ſequerentur partes vniuerſalis
Serm. Arian Eccleſiæ, illos per opprobrij infamiam nun-
cap. 36. cupabant *Impuros*, ac *matris meretricis ſpurios filios*. Neque recentiores hæretici, quod licet ſine horrore commemorari non poteſt, priſcis illis in hac ſcommatum procacitate in orthodoxam fidem, quicquam inferiores. Hinc vulgo dicunt Catholicos merè eſſe aſinos, permittentes ſe hac, illacque duci vna Eccleſiæ auctoritate. homines natos & educatos in tenebris abſque omni fulgore Euangelij, meriti ac redemptionis per Chriſtum prorſus ignorantes prædicant. ac quod attinet ad particulares veritates, a nobis aſſertas, non verentur ſacroſanctam ipſam Trinitatem a nobis agnitam tricipitem *Cerberum* nominare. Diuiniſſimum, ſuauiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum, iuxta ſententiam, qua a nobis creditur, ac adoratur,
Furor, Gall. perinde ac *Mauzim* idolum, tanquam *Vlyſſis* Deum, quem ex vtre *Polyphemo* propinabat, impijſſime ſubſannant: eiuſdem participes effectos, *Braſilaos Charibes* ſeu carniuoros abhorrendos admonent. Vnde vt in hæreticis efferueſcit bilis in omnem intemperiem ſpiritus, ita Catholici ad eorum voces, opprobria, ac blaſphemias, vehementer, & merito quidem, in huiuſmodi *Cerberos*, odio incenduntur.

10. Atque quod attinet ad obiecta hæreticæ credulitatis, obſeruatum, finem ab hæreticis in ſuis hæreſibus ſpectatum eſſe voluptatis li-
Pet.2. centiam: voluptatis dico, quæ vel in imperio quiduis in diuinis animo definiendi ſpectatur, vel quæ ex alterius craſſioris vſu in vitæ actione ſordida & concreta reperitur. *Pelliciunt* in- Pet. 2.
quit *S. Petrus*, *in deſiderijs carnis luxuria eos, qui paulatim effugiunt. Hi ſunt*, ait beatus *Iudas*, *in epu-* Iud. 1.
lis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore, ſeipſos paſcentes: quod *S. Irenæus* & *S. Epiphanius* commemo-
rant. *Plerumque ergo tales ſunt aduerſarij ſanctæ Ec-* Iren. lib. 1 c. 1
cleſiæ, vt aſſerit *S. Gregorius*, *qui a perpetrandis ma-* Epiphan. lib.
lis, nec timore Domini, nec hominum pudore refræ- 2. cap. 59.
nantur. Voluptatis autem appetitio acria omni- Gregor. 14
no & bilioſa, vt ſupra oſtendimus. Proinde in Iob. ca. 19
quando porci proteſtantij a ſuo lintre & illuuie dogmatum a nobis paulo rigoroſius depulſantur, tunc ſupra modum iraſcuntur, tunc ferociunt, tanquam vrſi, qui raptis catulis incrudeſcunt.

11. Poſtremo obiecta, quæ in ſuam fidem admittunt hæretici, eadem ſeparant penitus a conditione Eccleſiæ proponentis credenda auctoritate aliqua infallibili. imo huic Eccleſiæ, vtpote errorum propugnatrici, ſe potius opponunt audacia & obſtinatione incredibili. ex quo conſequens, eorum partes perpetuo rixoſas eſſe & contumelioſas, nullo apparente tribunali, idque perenni ac interminabili litigio: ac ſi eſſet Cadmæa proles recens ex terra & ſerpentum mordacibus dentibus prognati, non niſi in pugnas ac interitum ſati, nati & armati.

——————manus omnis in armis,
Omnis & in capulo, prohibentque, obſtantque, ruuntque Papin. lib. 1. Thebaid.
Spirantum rabie, nec triſti occumbere fulſo
Cura, ſed alterno cupiunt haurire cruorem.
Donec terrigenæ (facinus miſerabile) Fratres
Iam ſe conſtrictas conſeruere manus. Ouid. trag. Epiſt.

Sed ab iſtis quæ ſalus? admoneat *S. Hieronymus*:
Vt apparuit ſcorpius, illico conterendus eſt. Dicamus Hieron Epi
modo in hanc ipſam ſententiam, que ab ipſa ad pammac
ſpecie ac forma aſſenſus hæretici deſumi poterunt.

12. Imprimis illud præ ſe fert aſſenſus hæreticus, quod in ſpeciem reformatorium, a communi quippe turba ſeu ſchola declinatorium: quorum notiones proinde, vtpote nouæ ac ſingulares, valde ſane plauſibiles ac populares videntur, & admodum potentes exiſtunt ad perturbandam rempublicam, ad leuiora in ea ingenia, ſingularitatis cupida, pelliciendum in errores. Proinde vti huiuſmodi fulgoribus in aliorum oculis conſpicui hæretici apparerent, ſibi olim titulos quoſdam huic inſtituto idoneos, vtpote luminum ſplendentium compararunt, perinde ac ſi obſcura & concubia nocte, tædarum ac facum accenſarum copijs miſeras auiculas ex plebe capere, & in prædam agere ſtuderent. Hoc ritu quidam temporibus Apoſtolicis, docentes, neminem poſſe ad ſempiternam fælicitatem peruenire, niſi prius omnia ſua bona vel pauperibus tribuerit, vel in communes vſus contulerit, ornate ac faſtuoſe appellari vo-
luere *Apoſtolici*, teſte *S. Auguſtino*. Eodē quoque Auguſt. lib.
quo extitere hæretici dicti *Gnoſtæ*, qui ſibi ſtatuē- de Hær.
tes, ſe ſemel credentes in Deum, nullis criminibus vſque ad damnum iuſtitiæ deinceps contaminari aut violati potuiſſe, *Καθαροὶ* ſeu *Puritani*, ſolis ipſius radij, ſemina prædeſtinationis nuncupari ambierunt, auctore *S. Irenæo & Epiphanio*. Iren. l. 1. q. 5
Montaniſtæ ſpiritualis cuiuſdam partis ſibi aſſue- Epip. hær. 2
bant

bant gloriolam, nempe rigoris ac perfectionis ſpiritualis vltra Chriſti doctrinam, profeſſionem: quippe ad id a ſpiritu ſancto ſpecialiter edocti, vt ex *Tertulliano* licet colligere. *Donatiſtæ* profitebantur ſe filios ſponſæ Chriſti, virginis Eccleſiæ nullo crimine contaminatæ: exiguum porro ſanctæ ſegregationis Chriſti gregem, vt ſæpius teſtatur *S. Auguſtinus*. *Donatus* contumelioſus in Imperatorem, per ſuum nomen alios iurare voluit, vt tradit *Optatus*. Nomen Manichæi, alioquin Etymologiæ vi infame: vtpote a *Curbico Manes*, auctore *Cyrillo*, ſic dicti eius ſequaces interpretabantur, quaſi ſonaret *Manna fundentem*, *Macarios*, *Cathariſtas* ſua doctrina procreantem, vt narrat *S. Auguſtinus*. Rerum communitatem cum vel nuditate corporum impuri nebulones ſtatuentes, ſeſe *Angelicos*, tamen vocarunt. *Ariani* quantumuis in Chriſtum impij, nihilominus gloriabantur ſe vnius Dei magis zelantes agnitores & cultores inueniri: ſe ſacri textus præcipuos aſſertores venditabant: inde vocem *ὁμούσιος* reijcientes, quod diſerte in diuinis literis non inueniretur, vt ex *Euſebio* conſtat ad *Arium* ſcribente. *Iconoclaſtæ*, idololatriæ acres expugnatores æſtimari a plebe enixe contendebant. Quorũ hac in re ingenia ad faciendũ populũ imitati noſtris temporibus Proteſtantes, Deus bone, quo faſtu, quam turgentibus in omnium oculis velis, de ſeipſis gloriantur, ampullantur, ac magnifice loquuntur, ſeſe appellitant puſillum ſed doctum Chriſti gregem, Euangelij prædicatores, mundi lumina, nouos *Elias*, Eccleſiarum reformatores: hoc eſt a longo in rotundum mutatarum: hoſtes ſuperſtitionis & idololatriæ: iudices omnium Patrum ac Conciliorum, filios lucis ac libertatis, doctos a Domino non ab homine, Antichriſti vnicos indigitatores, puritatis auctores, orbis ab Apoſtolis nouos Magiſtros. Quos ſuos titulos vt ad populi admirationem promoueant, non altioribus ſtudijs operam dãt contemplantes ipſorum genij, quam ad populum cõcionatorijs. Quorum nẽpe freti, argumenta in Catholicos vrgent, quæ populari dumtaxat intelligentiæ conuenientiora, quæ ſenſui corporis familiariora: orthodoxas autem veritates in abſtruſo myſteriorum latentes, ne tangunt quidem: quorum etiam rationes, quod vulgo obſcuriores, inde anſam arripiunt e ſuggeſtu decantandi ſuos triumphos, radioſque proprios expandendi, poſtquam ſua ad captum illius turbæ explicauerint: noſtra autem ad illos reſponſa vtpote magis arcana, ac ſcholaſtica, dicterijs importunius ſeu petulantius dehoneſtant, ſuiſque mendacijs in abſurditatem ſententiæ, nobis vel inuitis, & reclamantibus compellunt. Prætextus iſte dubio procul, in omni republica ſeditioſus, ac valde comparatus, qui plebem in ſuos rectores identidem furioſe cõmoueant: ſummatim, qui ardentes ſeditionum faces rebus ciuilibus vbique ſubdat. *Proteſtantes*, Catholicorum reformatores videri ambitioſius appetunt: & en tibi, populus in furorẽ adactus, reformatores cotũ haberi volũt. *Puritani Proteſtantum* reformatores ſe proclamant: & ecce, illico ſtulta plebecula furit in *Proteſtantes* tanquã in ſemipapiſtas, atheos, temporumque ſeruos. *Familiſtæ* & *Anabaptiſtæ*, *Puritanorum* correctores haberi conantur, ac ſtatim correptus itidem populus ambitione reformationis, in infælices *Puritanos* & *Caluiniſtas* impotenter debacchantur.

Tert. lib. de pud. lib. de Monogam.
Aug. cont. Ep. fundam. c. 6 & 4. cont. Iul. cap. 33.
Optat. lib. 3.
Cyrill. cat. 6.
Aug. hær. 46.
Euſeb. Neo. ep. ad Ario.

13. Etiam ipſa forma aſſenſus, qua ſibi blandientes hæretici, ſuis dogmatibus inhæreſcunt, aliunde quoque irata valde eſt & bilioſa. hæreticus vt gratum, priuatim animis ſapere, ita gratum corporibus ſeparatim degere, in repugnantẽ ſocietatẽ non aliter ſe immittere conciuem, quã dum armatus eam flammis ac cæde deuaſtare aggrediatur, niſi in ſuam ſectam tranſire conſtituerit. Recte idcirco inter vitia, carnis propria, recenſet Apoſtolus hæreſim ac ſtudia ſectarum: ſunt enim deprauati appetitus ſenſitiui delicta, ac peculiariter illius partis, quæ in eo iraſcibilis nuncupatur: licet enim hæreſis in actu intellectus, circa obiecta fidei errantis, collocetur, nihilominus complectitur etiam actum voluntatis, virtute appetitus ſenſitiui efferatum plane & iraſcibilem, vtpote ſui originem. ira autem ac diſceſſus, ſeu ſciſmata, quæ actus externi hæreſeos, valde contraria morum ciuilitati, quæ in congreſſu, ſuauique multorum coitione reperitur. Neque ſolum hæretici ipſi orthodoxis inteſtinis bellis infeſti, & ab illis diſiuncti hoſtiliter conſiſtunt, verũ etiam, vt animaduertit *S. Ambroſius*, externi, quaſi Dei claſſico euocati, in eos populos irruere demum ſolent, qui hæreſes per ſuas ſedes impune vagari permittunt. *Conſtantinopolis venena Arianorum ſuu fouebat incluſa viſceribus. bellis ſiuitimis inquieta, murus armis circumſonabat hoſtilibus. Poſtea vero quam fidei exules abdicauit, hoſtem ipſum iudicem Regum, quem ſemper tremere conſueuerat, deditum vidit, ſupplicem recepit, morientem obruit, ſepultum poſſidet. Maledicti*, inquit *Deus, qui traſſerunt terminos*: Scilicet maledictione percellendi hæretici, qui fidei terminos, ab eccleſia, & in ea a Spiritu ſancto præſidente, conſtitutos, ſua rebellione traſgrediuntur & excutiunt. Vnde *Hoſeas* Propheta: *Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum*. ſequitur vero: *Effundam ſuper eos iram meam*. Etenim iratam hæreſim merito frangit Dei irata Iuſtitia. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe libere natum putat*. hæreticus ſenſu iners, actione agreſtis, ſe liberum ducit, ſolutum nempe ab omni imperio matris Eccleſiæ: atque dulcedine iſtius libertatis ineſcatus, vt eam cõtra omnes tueatur, ferociſſimus eſt in orthodoxos, qui conantur collum eius refractarium eiuſdem Eccleſiæ auctoritati dimittere: *Vt cum moderate ſapere hæretici neſciunt, etiam fatua loquuntur*. Onagrorum itaque pulli hæretici, ſeu vt loquitur *S. Petrus*, *Pecora irrationabilia*. Hos, hominum negligentes dignitates, ſeuerius tandem cohibet Deus: dicit enim per Prophetam *Nahum*: *Non adiiciam vt pertranſeat per te Belial*. Enimuero filij *Belial* hæretici, confuſionis quippe amantiſſimi, & ex ea vt matre orti: qui contra Dei ſapientiam *Subſannant patrem, & deſpiciunt partum Matris ſuæ*. Subſannant quidem patrem, nihili facientes eorum doctrinam, qui illos ad fidem primitus Apoſtoli traduxerunt. Deſpiciunt quoque partum matris dum

Gal. 5.
S. Thom. 2 2 q. 39. art. 1
Am. in prol. l. de ſpir. ſ.
Oſeæ 5.
Iob. 6
S. Greg. in cap. 10 Iob.
Nahum. 1.
Prouerb. 30

dum eius prolem, cuius numeroſitate Eccleſia catholica nuncupata & amplificata, quod ad dogmatum definitiones contemnunt. Verum horum futurus exitus iſtis declaratur: *Oculum illum effodient corui de torrentibus.* tandē enim crudeles corui illos oculos, ſuperbia excandeſcentes, ideo eruent, quod columbæ oculos, lacte lotos, ac maternum quid referentes, deſpexerint & a ſe abdicarint. Cant. 4.

14. E re porro ciuili plurimum eſt conſtantia, ſeu firmitas aſſenſus circa fidei myſteria. cum enim ſtatus ciuilis fundamentum in Dei cognitione ac pietate collocetur, vt hactenus dictum, tum fidei credulitate vacillante, & identidem mutationem ſubeunte, neceſſe eſt, eundem ſtatum ciuilem pariter vacillare & demum in aduerſa cum prioris ruina tranſire. Hæretici vero dogmata ſua elicientes ex Scripturis, certa ipſorum ſcientia, ſeu priuato ſpiritu intellectis, conſequenter ſpiritu iſto in eiſdem variante, aliam & aliam fidem indies excudunt: adeoque in Euripo plane nauigant de fide ſtatuentes, eoque contrarijs ac reciprocis fluctibus agitato et intorto. Vnde non modo ab alijs conciuibus diſſennunt, verum etiam a ſeipſis, opiniones identidem alternantes, recedunt: *Dum*, vt Tert. præſc. ait *Tertullianus, ſuo modulantur arbitrio, quæ quis accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio compoſuit, qui tradidit.* Inciuilis itaque hæreſis, quæ vt ex leuitate Iudicij primum conſurgit, neque aliam curat auctoritatem præter ſenſum proprium, delatum in Scripturæ verba, ita inſtabilem perpetuo profert animi aſſenſum, ſemper pronum in ardentes cauſas irarū & factionū inter ciues.

15. Cum etiam aſſenſus, quem hæretici concedunt diuinis myſterijs, vehementer ſit incenſus, quo aliorum fidei dominetur ac omnino præſit in rebus ſacris, cunctoſque repugnantes aut violentia diſperdat, aut diſputatione euincat: quandoquidem iuxta normam prudentiæ idem careat argumentis credibilitatis, quemadmodum externæ auctoritatis momentis, conſequens, in vniuerſum, hæreticos, omiſſo officio placidæ inſtructionis ac doctrinæ, protinus in arma ruere debere, quibus a ſe diſcordantes penitus conficiāt. Nam cum in hoc ponunt omnem ſuæ fidei neruum ac robur, quo eam alijs ſuadeant, quod nempe iuxta ipſorum priuatum ſenſum, talem aut talem ſententiam referat Scripturæ locus, non alium: quod etiam Eccleſiæ vel vllius auctoritatis externæ nulla ratio ducenda; eoque pariter animaduertant ipſis deeſſe argumenta prudentis credibilitatis, neque extra Scripturam, ab ipſis priuatim intellectam, quicquam vrgendum putent, diffiſi eo propriæ debilitati ad aliquid doctè, ſolide & rationabiliter abſtruendum, ad exemplar Turcæ furioſi omnino euadunt & crudeles, vt hoc ſaltem pacto orbis Magiſtri ac Domini etiam cum noſtro ſanguine reputentur. Nec ſane quicquam immune vndique in terra, cœlo, aut inferno, ab iſto in ipſis Herculeo furore, nullo rationis luce inſtituto aut directo.

Perdomita tellus, tumida ceſſerunt freta,
Sen. Hercul. Furen. *Inferna noſtros regna ſenſerunt pedes.*
Immune cœlum eſt, Dignus Alcyda labor.
In alta mundi ſpatia ſublimis ferar,
Petatur æther, aſtra promittit pater,

Hinc obſeruatum, hæreticos crudelius & immanius deſæuiſſe in catholicos, quam gentiles: quod de Arianis in Africa narrat *Victor. Lucius* inquit *Suidas, Arianæ ſectæ Epiſcopus, ita graſſatus eſt, vt nec in gentilium perſequutoribus ſimile quicquam factum.* Victor. li. 1. de perſequ. Vvandal. Suidas in Valen. Etenim Gentiles ad errores ſuos propagandos, plura habent argumēta credibilitatis, quam hæretici: cauſari enim poſſunt antiquitatem, populorum conſenſum, reſponſa dæmonum, rerum ciuilium florentes ſtatus & ſimilia in fauorem ſuæ credulitatis: proinde mitius ſe gerunt diſputantes in Chriſti cultores. Hæretici autem vt præualeant, nulla plane eiuſmodi motiua penes ſe retinent, ad prudentem aſſenſum procurandum conducentia, nihil valentes inculcare, præter priuatum ſuum iudiciū circa alicuius loci in Scriptura intelligentiam. Vnde ſicut inde ſuperbiſſimi ſunt, ita præter furorem ſibi nihil adeſſe vident: proinde eodem volunt aduerſantes omnes prius peſſumdare, quam docere.

16 Catholici autem, quia argumentis credibilitatis pleniſſime inſtruuntur, ideo moderatos ac mites ſe oſtendunt hæreticis, prius nempe eos docentes, quam coërcētes: vtpote patefacientes ipſis, quod Scripturas falſo interpretantes, vniuerſæ Eccleſiæ iudicio inde repugnēt, quod argumentis Theologicis aduerſentur: quod eos non caſtigant, niſi antea ſuperbos, impios & obſtinatos hoſtes Eccleſiæ ac veritatis probauerint. *Si enim*, inquit *S. Auguſtinus, terrerentur, & non docerentur, improba quadam dominatio videretur. Sed rurſus ſi docerentur, & non terrerentur, voluptate conſuetudinis obdurati, ad capeſcendam viam ſalutis pigrius mouerentur.* Aug. Ep. 48. De *Donatiſtis* hæc idem *Auguſtinus: Vt cauſam noſtram ac veſtram patienter audiatis, non noſti niſi ſuperbire ac furere. Quis barbarus*, inquit, *excogitare potuit quod iſti: vt in oculos Clericorum noſtrorum calcem & acetum immitterent: quorū mēbra etiā horrendis plagis, vulneribuſque ſauciarunt?* Aug. ep. 168. ep. 50. in pſ. 10. Op. l. 6. Aug. ep. 122. ep. 50. Ac in particulari; crudeliſſimas cædes in ſacras perſonas, altaribus adſtantes, a *Circumcellionibus* perpetratas, recenſet. De *Arianorum* immanitatibus in orthodoxos multa narrāt *S. Athanaſius*, & *Victor Vticenſis*. Hi in Africam incurſantes, ſua incredibili ſæuitia orthodoxis pecunias extorquebant. Ath. Ap. ep. ad ſolitar. Vict. l. 1. de perſ. vvand. *Alijs*, inquit *Victor, palorum vectibus ora reſerantes, fœtidum cœnum ob confeſſionem pecuniæ faucibus ingerebant. Nonnullos in frontibus & tibijs, neruis remugientibus, torquendo cruciabant. Pleriſque aquam marinam, aliis acetum amurcam, liquamenque. & alia multa atque crudelia ſine miſericordia porrigebant: non infirmitas ſexus, non conſideratio nobilitatis, non reuerentia ſacerdotalis, crudeles animos mitigabant. quinimo exaggerabatur ira furoris, vbi honorem conſpexerant. ſed etiam paruulos ab vberibus rapiens maternis barbarus furor, inſontem infantiam elidebat ad terram. Alij paruulum pedibus tenentes a meatu prorſus naturali vſque ad arcem capitis diſſipabant.* Motus immanes *Iconoclaſtarum* in orthodoxos deſcribit *Theoſterictus. Epiſcopi & ſacerdotes Domini, monachi & monachæ, quorum ludibriis & verberibus tentati fuerunt, illi vinculis & carceribus, pane modico &*

aqua

aqua vitam trahentes, alij exilijs relegati, alii in deſerto, & montibus, in ſpeluncis. & cauernis terræ verſantes: quidam inſuper flagellis caſi martyres ad Dominum emigrarunt. Sunt qui ſacco incluſi in mare demerſi nocte fuerunt, vt ab eis, qui viderũt relatũ eſt. *Neſtoriani* quoq; & *Monothelitæ*, omnẽ bilẽ paganorũ, iã prius in orthodoxos graſſannũ, ſuperarunt, vt teſtantur *S. Athanaſius* & *Liberatus*. In Synodo dicta Prædatoria adeo furioſi erat hæretici in *Flauianum*, quod eum pugnis & calcibus occiderint. *Iulianus* apoſtata, vt narrat *Gregorius Naſianſenus*, refugæ partes agens, ſanguine taurino, veluti piaculari ſacro, ad eiurandum Baptiſmum, quem aliquando exceperat, ſe lauandum præbuit: iuxta ac eodem cruore manus eluit, quibus prius ſacroſanctam Euchariſtiam ſibi a ſacerdote porrectam ſumpſerat. In eundem finem impiæ & incitatæ deteſtationis *Saladinus*, immanis Turca, capto ac direpto tẽplo Hieroſolymitano, ad expiandam impuritatem ſectæ ac loci, quam oderat, quamque apud ſe finxerat, vniuerſum illud templum aqua roſacea deterſit. Ac inter alia inſtrumenta furoris apud hæreticos, in more poſitum, orthodoxis quaſi rebellibus conflare odia Principum, vt eorum armis exterminentur. *Hæretici* inquit *S. Gregorius, cum per ſe poteſtatẽ perſequutionis non habent, huius ſæculi poteſtates commouent, eorumque mentes ad perſequendum trahunt. & quibus valent perſuaſionibus accendunt.* *Symmachus*, vt *Ambroſius, irritationis verbum dixit, alii perturbationis.* Non eſt autem ſtudijs ciuilibus congruum, in republica permittere rabidum ac commotum hoc genus hominum: præſertim, cum non ſolum in ciues ipſis repugnantes, ſed etiam in Principem minus fauentem, vbi timor pœnæ defuerit, ſoleant turbulentius excandeſcere. Nam in vniuerſum furoris eſt ingenium, in cunctos obſtantes temerarie & ſanguinolenter impetũ facere. Ac licet quis velit exiſtimare factiones & partium ſtudia inter ciues poſſe aliquãdo conducere ad bonum commune & ad Principis incolumitatem, id tamen ab hæreſi permiſſa expectari nequit, quandoquidem diſcordiam in Republica pariat nimis acrem, vehementiuſque quam par eſt, incendat ciuium animos ad mutua odia, & omne genus malitioſæ & violentæ perturbationis. Cum enim in hæreticis dominetur ſuperbia, & hæc hominis naturam occupet quatenus Rationalem, Concupiſcibilem & Iraſcibilem, conſequenter, furioſa eſt in iniurias & immanitates, dum totum veluti hominem eo præcipitet. Hinc Proteſtantes nimis irati vt permitantur, propter tot hæreſes, irarum fontes.

Athan. ep. ad ſol. vit. ag. Lib. in Breu. Greg. Naz. or. 1 in Iulian. Martyr. 18. Iul.

Greg. lib. 16 in Iob. c. 15.

Ambr. lib. 1 eſt. cap. 4.

17. Poſtremo aſſenſus hæreticus, vt eſt bilioſus & rabidus, ita ciuium multitudinem, cui impune permiſſus, ſibi cõciliare ſolet: & eo potens tandem euadit ad ſuperbiendum, ad audendum, iraſcendum & vindicandum. Cum enim aculei hæreticorum, vti diximus, lateant in fano voluptatis, ſiue ex libertate ſentiendi, ſiue ex turpi dogmatis materia, enatæ, paulatim plurimos, dum tanquam cancer ſerpit hæreſis, vt ait Apoſtolus, in ſui aſſertionem compellit: quo neceſſario fit, vt Princeps Catholicus, ſub quo degunt hæretici, magnam partem ſuæ poteſtatis breui amittat, ac plurima omittat conſilia tam domeſtica, quam forenſia, alioquin vtilia ſibi, & patriæ ſuæ glorioſa, eorum dumtaxat infelicium habita ratione. qua ipſius poteſtate ſemel in propria ditione diminuta, conſequenter apud externos auctoritas eiuſdem langueſcet. Huius rei mihi ſemel, cum Romæ eſſem, argumentum conſtitit. Narrauit enim quidam *Rhetus*, aliquando miniſter Caluiniſta, eiurata autem hæreſi, nunc Catholicus, ſe in Germania vidiſſe quaſdam literas a miniſtro Gallicano ſcriptas, in quibus, dum ſub Condenſi Principe motus quidam in Gallia ardebant, ſic profitebatur: *Nos hic ſedemus arbitri pacis ac belli Gallicani.* Cæterum a Gallia ipſa, præter rerum euentum, aliud optimum quoque documentum habemus, quo intelligamus, nullam hæreſim in florenti republica permittendam. Scribit enim *Gaguini*, *S. Ludouicum* Galliæ Regem, iſtis filium admonuiſſe: ac in eo preſentem *Ludouicum* Galliæ Regem: *Nouis ſectis & hæreſibus capita, id eſt, initia, præſcindito.* Gagn. hiſt. Franc.

18. Hæreſis autem non rabioſa ſolum ſed etiam doloſa, ac eo inſtructiſſima, quæ ſtatum reipublicæ immutet. Commune hæreſis ingenium, in voluptatem ruere, ac carnis libertatem: quod vel maxime conſpicuum in hæreſibus Proteſtantum, vt pote ſtatuentium, regulam fidei in priuato vniuſcuiuſque ſpiritu eſſe dumtaxat ſpectabilem, vnam fidem ſatis eſſe ad iuſtitiam, opera virtutum carere emolumentis honeſti, ac meritorij, legem naturæ obſeruatu impoſſibilem. Voluptas autem, vti diximus, ad dolos concinnandos maxime comparata, eoque ſtudio iræ antecellit. hoc ipſum doctè & ad imitationem *Homeri* accurate, ſignificauit *Virgilius* rebus geſtis *Veneris*, & *Iunonis*. *Iuno* enim, excepto vnius equi inuectione, cætera turbulenta: veluti quando flammas Troiæ immiſit, quando nauigantem *Æneam* maris tempeſtatibus iactauit: quando eius nuptias cum *Lauinia*, ad id furiarum operam adhibens, impedire ſtuduit:

Flectere ſi nequeo Superos Acheronta mouebo. Virg. Æn. 7.

At *Venus* tota doloſa in excubijs *Aeneæ* vigilauit, qua armis vulcaneis eum muniendo, qua nube contegendo, qua columbis, ramoque aureo illum dirigendo. Quod idcirco hæreſis voluptati ſit deditiſſima, inde venit, eandem eſſe maxime quoque doloſam. Quæ quidem doli vis ad ipſum magiſtratum etiam a plebe deſcendit. nam cum ratione cultæ voluptatis a ciuibus, parum valeat in republica poteſtas virtutis, aut impetus alicuius irati, inde neceſſario recurſum habebit etiam magiſtratus ad dolos, vt imperet, ac fallat potius ſuos, quam inſtruat. Ob quam cauſam Proteſtantum rebus publicis, ſua fide, ac religione ſubnixis, vtilia omnino, ſi non neceſſaria, præcepta barbarica, qualia a *Machiauello* deſcripta, vt pacifice adminiſtrentur. Vnde conſequens, hæreſim in rempublicam aliquam inuectam, quæ a virtute prius inſtituta, maximam mutationem ei illaturam, a præſidijs nempe virtutum, ad doli ac fraudum conſilia eam traducturam.

quamobrem ad huiuſmodi *Deſerta* exire, huiuſmodi *Penetralibus* credere, ſeditioſa ſunt, crudelia ſunt, hæretica ſunt, & barbara. vt enim in deſerto; feræ beſtiæ, in profundo limi, horrendi ſerpentes, ita in *Deſerto & Penetrali* hæretici, omni beſtia immaniores, omnique ſerpente noxiores.

24 Cæterum quantum ad hæriſiarcharum deſerta loca & penetralia, vti in eis ſceleris gradus idonee diſtinguamus, quædam tam ad perſonas ipſorum ſpectantia, quam dogmatibus inſita, penſiculatius noſtra intelligentia excutienda. Illa autem dogmata in *Deſerto* deuia, & penetralibus abſtruſa, ſummi peccati materia, quæ primaria Chriſtianæ credulitatis fundamenta impetunt: & reliqua, eo motu, quo ad id præſtandum propius accedunt, in hoc genere metienda. verum quantum ad finem intentum ab errante, & ipſius propriam diſpoſitionem, *Lactantius*, ſuorum temporum edoctus experientia, diuerſam earum ſpeciem diſcreuit. Aliqui ad *Deſertum & Penetrale* ſe contulere, quod vindictæ auidi, aut ambitione elati, renuerint eis ſubeſſe, *Quibus ſe præponi cupierant*. in quam claſſem tranſcribere viſus *Marcionem*, *Arium*, *Nouatum*, ac fortaſſis *Tertullianum*. Alios vero recolit profectos in deſertum & ad ſua penetralia, eo fine motos, quo ad pluribus perſuadendum ſententiam noſtræ fidei, eiuſque duritiem, quam externi in ea criminabantur, plauſibilius emolliendam, Gentilium & Iudæorum argumentis ſic occurrebant, vti in eorum ſententias tranſierint, videntes ſeſe aliter nō potuiſſe rectę rationi ab omnibus cogitandæ, aſſerta fidei Chriſtianæ concinne accommodare. Hoc pacto illi aberrare a veritate noſtræ fidei antiquitus iudicati, qui ad perſuadendum Iudæis hanc noſtram fidem, affirmarunt legalium apud eos vſum optime poſſe cohærere cum cultu religionis Chriſtianæ. cumque huiuſmodi errantibus apparuit quid veluti inclementius, quam decet diuinam bonitatem, ad ſtringere ſalutem æternam reuelatis fidei Chriſtianæ myſterijs, & per traditionem Eccleſiæ denuncians, affirmarunt deficiente fide in eis, quibus minime prædicatum Euangelium, ſatis eſſe communem Philoſophiam, & ex ea vnius Dei intelligentiam, vt quis beatus euadat: ſi tamen iuxta conſcientiæ regulam vitæ rationem hic in terris expreſſerit. iſtius generis erroribus videtur imbutus *Origenes*. putauit nimis eſſe crudum, priſtinos Philoſophos, fide in Chriſtum carentes, æternum ardere in inferno: iuxta ac momentaneæ voluptatis illicitum guſtum, nunquam finienda pœna Gehennæ caſtigandum. Quocirca quando ethnici noſtræ fidei placita inculabant, ſcilicet ſine fide omnes damnandos, & in inferno cruciatus fore æternos, vt illis ſatiſfaceret *Origenes*, in eorum ſententias manus dando, quantum ad hæc, abibat: noluit enim noſtram fidem eis apparere odioſam aut ridiculam. ſimiliter contra corporum noſtrorum reſurrectionem in ipſum diſputabant, ab eo ſciſcitati, Vnde corporum futura reſurrectio, cum corpora nihil conferant ad intelligentiam, ſed potius ſint animarum vincula & impedimenta? dixere etiam, ferme omnia membra corporis humani referri ad nutritionem, ad motus progreſſiuos: quorum quod nullus vſus in cœlo, petebant ab eo, quamobrem eſſet horummet corporum credenda reſurrectio? iſtis quo *Origenes* aptius reſponderet, aſſeruit, non horum corporum, niſi fortaſſis ſecundum ſeminalem quamdam in eis vim, futuram reſurrectionem, ſed corpora victura in cœli ſpacijs, fore ſpiritualia, figura orbicularia, ad nutritionem, & communes alias corporum functiones perficiendas inepta.

Lact. l. 4. de ſap. cap. 30. Cirill. Alex Homil. 6.

25. Enimuero qui in hoc genere exeunt in deſertum & ad penetralia, ſi indolem ſpectemus, non ſunt adeo culpandi, ac illi, qui id faciunt extimulati inuidentia, exciti ambitione, aut fœda voluptate ineſcati. nihilominus ratione materiæ, quæ vicinius attingit fundamenta fidei Chriſtianæ, poſſint eſſe alijs æque nocentes vel nocentiores. ſi porro communem hæreſis ſuperbiam & impietatem cogitemus, huiuſmodi etiam hæretici cum alijs conſpirant; quatenus nempe ita exeunt ad *Deſerta & Penetralia*, vt Eccleſiæ traditioni ſubeſſe pertinaciſſime recuſent: & in hoc omnibus hæreticis ineſt quædam vulgaris barbaties, licet quod ad materiam et indolem diſcriminentur. At vero Proteſtantes ſua deſerta & penetralia profeſſi, omnium impijſſimi & maxime barbari: idque ex quatuor cōſtare vnicuiq; poterit. Principio nulli vnquam Hæretici ita impugnarunt Hierarchiam eccleſiæ, vt illi, eoque ſic eam in partes dilacerare conati. deinde nulli heretici vnquam ex tot dogmatibus ſpurcam libertatem carnis, vt illi ſtabilierunt. Tertio nulli vnquam hæretici eo vniuerſam Eccleſiæ traditionem vt illi reiecerunt, & erroris damnarunt. Poſttemo nulli vnquam Hæretici tot hæreſes coniunctim in Eccleſiam, veluti hydra in *Herculem*, pugnarunt: adeo vt potius ſint cenſendi apoſtatæ quam hæretici. quorum omnium veritates in ſequentibus oſtendemus. idcirco dum Proteſtantes exeunt ad *Deſerta & Penetralia*, omnium hæreticorum ſunt impiiſſimi, ſæuiſſimi, perturbatiſſimi, & præ alijs omnibus barbari.

26. Cum itaque in Deum ſit impium, iuxta ac in rempublicam barbarum, ciues paſſim & libere exire per hæreſim in *Deſerta* & ad *Penetralia*, tum eodem liquet, hoc impune non eſſe eis a magiſtratu permittendum. Hoſtes idcirco fidei, hoſtes pariter ciuilitatis, qui pro hæreticorum in aliqua republica libertate hac ex parte diſputant. voluntne iſti laxioris vitæ auctores, etiam quod ad diuina, Dei ſapientiam, qua negocia veteris Synagogæ adminiſtrauit, æquiorem vel oculatiorem eſſe eiuſdem ſpiritu, quo Eccleſiæ inſtituta diriguntur? Sinagoga autem in Deum blaſphemos, in eius deſcriptam legem contra ſacerdotum iudicia hæreſes cudentes, euulgantes, ad idololatriam alios pellicientes, mortis ſententia puniebat. Et peto abs te, quorſum huiuſmodi ſeueritas in ſontium ſanguinem tum decreta, ſi non vt curſus impietatis ſiſteretur, vt multorum ſpirituales incolumitates contra errorum contagiones munirentur? cæterum ſi precioſior,

Exod. 1. 2. Leuit. 18. 20 24.

gemma, maiori cura ſeruanda, profecto Dei
Eccleſia quæ gemmis plena diuinorum bono-
rũ, in hac hæreſum exterminatione & repreſſi-
one diſtrictior eſſe debet & ac curatior. Preter-
quam enim quod hæreſes ſint multis Chriſtiani
nominis profeſſoribus exitioſæ, inſuper exter-
nis hominibus eſſe ſolent ſcandala ac remoræ,
quo minus prompte ad noſtras partes tranſe-
ant: adeo vt olim propter hæreſum fœcundam
& luxuriantem ſegetem, plerique mortalium
dubitarint, num eſſet in noſtris dogmatibus ali-
quid certi ac ſtabiliti, videntes vbique vniuerſa
fidei momenta diuerſis altercationibus agitari.
Proinde illorum temporum Patres, vti id lucu-
Clem Alex. lenter teſtantur *Clemens Alex.* & *Lactantius*, labo-
l, 1. ſtrom. la rarunt plurimum, quo hoc obſtaculum diſpu-
Lact. tantes amolirentur.
l. de ver. ſap. ca. 30.

27 Cæterum Proteſtantes in eis locis, vbi
non Dominantur, libertatem adſtruunt hære-
ticorum: tametſi in Anglia & alibi vbi ſupre-
mo gaudent magiſtratu, omnem exercendam
ducunt diritatem in ſectam ſibi aduerſantem.
qua in re ac cauſa, non ab hinc multis annis
Thuan pręf Hiſtor. *Thuanus*, Gallus Hiſtoriographus, ſe patronum
præbuit eo nomine ſuo Regi *Henrico quarto* con-
gratulatus, quod ad quiduis loquendum vel ſen-
tiendum de Diuinis, facultatem ſuis indulſerat:
proinde ac ſi ipſi volupe videre Franciam le-
proſam plane, & in ea leproſos promiſcue cum
ſanis verſari. equidem ſemper exiſtimaui, hanc
in Gallia Chriſtianæ diſciplinæ ſolutionem,
peſtem potius quam ſalutem imperio Gallica-
no attuliſſe, eumque qui eam primus in Galli-
am inuexit, hoſtem fuiſſe patriæ & ciuilitati e-
iuſdem inimicum. Hinc vt ſpeciem pulcræ af-
fectionis, ſuo hac in re placito conciliaret, ſci-
ſcitatur ab aduerſarijs, num violentia, num mi-
næ, num tormenta, idonea argumenta, Cha-
ritatis media ad perſuadendum alicui fidei ſen-
tentiam, cum in eam aſſenſus deriuandus a lu-
ce ſolummodo diuinæ gratiæ, iuxta ac a ſpon-
taneo volũtatis motu? Quod cum ſemel penerit,
eoque vſſerit, ſibi viſus nos propemodum pro-
fligaſſe. Cæterum vt te etiam mea quæſtione
præoccupem, antequam accedam ad tui do-
Auguſt. ep. 48. 50. gmatis diſcuſſionem, cum *S. Auguſtino* rogo, an-
quis crudelius deſæuire poterit in hæreticum,
quam permittendo ipſum in ſui aliorumque
perniciem, errare, & errores in omnes inſper-
gere? hoc ſane agere per oſcitantiam, extrema
crudelitas; veluti ſinere furentem, armatum
gladio, per plateas diſcurrere, ſe & alios fune-
ſtatum, iure æſtimetur in furentem & alios
ſumma immanitas. Cur ergo crudelitas illud in
Eccleſia Catholica factum, quod delinquentem
ſua audacia deſiſtere compellit, quod aliorum
æternæ ſaluti proſpicit, quod ſuperbo ſuper-
Act. 8 cilium deijcit, quod equitantẽ furioſo ritu *Sau-
lum*, ad terram allidit, quod blaſphemanti os
occludit?

28 Non me latet quidem, immediatam cau-
ſam, que erranti verã fidem ſuadet, eſſe huma-
ni intellectus & voluntatis liberos motus, diui-
næ gratiæ colluſtratione in homine excitatos
neque eam reperiri in meris terroribus carce-
rum, vinculorum aut combuſtionis. nihilo-
minus hoc non obſtat, quo minus ad veram fidẽ
capeſcendam iuxta ac conceptam animo hære-
ſim excutiendam, conducat ſeuerior corporis
tractatio, qua nonnunquam vtitur Deus veluti
intermedia cauſa, ad animæ bonum ſpirituale
educendum. Caſtitas Dei donum: *Sciui quoni-* Sap. 7.
am aliter non poſſem eſſe continens niſi Deus det.
quid? num hinc vituperandæ ſeueriores leges,
quæ ab Imperatoribus olim contra adulteros
latæ, caſtitatem munierunt? Nemo credo, infi-
ciabitur, quin abſinthium afflictionis, acerbio-
riſque correctionis, ad humilitatem animi, iux-
ta ac Pœnitentiam plurimum inſtituat: hæc
enim bona ſpectant Deus & Principes dum a-
cerbis excipiunt elatos & laſciuos: ſicut contra
nimia proſperitas, fomentum eſſe ſolet arro-
gantiæ & luxuriæ:
Luxuriant animi, rebus plerumque ſecundis. Ouid. lib. 2. de Art.
An ergo Eccleſiæ Catholicæ criminis & dirita-
tatis nota inurenda, quod imitetur ſponſa in
terris ſuum in cœlis ſponſum, dum res Eccleſiæ
adminiſtrat? *Tantummodo*, ait Propheta *Iſaias*, Iſa. 28. Rom
Sola vexatio intellectum dabit auditui. Cum ergo fi- 10.
des ab auditu propagetur, inde ad auditum ve-
ritatis Catholicæ reſtitante hæretici animo, tan-
dem intellectum in ipſo inflectet vexatio in o-
bedientiam Eccleſiæ. merito idcirco hæretico-
rum audacia & petulantia legum pœnis coër-
cendæ. Dubio procul, hoc rigore imperij in o-
culos hæreticorum incurrente, efficietur, vt non
tam cito, tam aperte & procaciter venena ſua-
rum hæreſum inferant in aliorum aures: imo
neque prolem inde adeo facili opere vitiabunt.
quæ impedimenta, quam ſint ciuitatibus ſalu-
taria, quis non videt? Hæreticorum ingenium
faſtuoſum eſt, ſeruile eſt; nempe ex paruo o-
ptati euentus ſucceſſu, quod ſeruorum, vt ait
S. Chryſoſtomus, elatum: proinde rationis vi non
mouetur, non afficitur, niſi increpatio acer- Chryſ. Ho.
bior ſimul acceſſerit. Hoc denique experientia 39. in Gen.
comprobauit, qua conſtat, ferme nunquam
compreſſas extitiſſe hæreſes, abſque belli gladio
aut virga diſciplinæ. Hoc ritu, concionante cum
ſuis *S. Dominico*, iuxtaque Catholicis Principi-
bus ad legem Eccleſiæ fulminatrices vires ſuas
exerentibus, variæ hæreſes, & a multis imbibitæ
paucorum annorum ſpacio exaratæ & exſtirpa-
tæ, in obliuionem infamiamque abiere. Cum er-
go hæreſis ad barbariem tendat, profecto eiuſ-
dem barbariei fautores habendi, qui ciuibus
impune eſſe volunt, exire in *Deſerta*, & ad Pe-
netralia hæreſum ſe promiſcue conferre.

29 Pergamus iam ad illud examinandum,
quod mei inſtituti vltimo in loco mihi pro-
poſui: quo nempe probem, dogmata, quibus
a nobis diſſentire Proteſtantes obſtinarunt, ru-
ere in centrum confuſionis & barbariei, in ho-
minum intellectu ſimul ac affectu ſpectanda-
rum: contra vero eis oppoſita Catholicorum
credita myſteria, morum ciuilitatem & ſancti-
tatem ſtabilire.

Finis Libri Quarti.

LIBER QVINTVS.

DE MORIBVS REIPVBLICAE CHRISTIANÆ COMMENTARIA.

CAPVT PRIMVM.

Fides quam profitetur Eccleſia Romana, orthodoxa eſt, & Catholica, Proteſtantiſmus, conatus omnino refractarius, ac rebellione ipſa efferatus

VT comparatione inſtituta inter fidem Romanam ac Proteſtantiſmum, inde conſtet, a qua parte reperiatur catholica veritas, & a qua intumeſcat prophana hæreſis, operæ pretium fuerit, tria ſeorſim hinc expendere. Primum, in Eccleſia eſt poteſtas *Ordinis:* præſertim, qua Sacerdotes & Epiſcopi inſtituuntur, conſecrantur. Alterum, poteſtas *Iuriſdictionis*, ſeu poteſtas exterius ius dicendi quãtum ad verbum dei, Sacramenta, Cenſuras, atque ex iſtis conflatam vniuerſam viſibilem Eccleſiæ dei quo ad mores, rituſque, gubernationem. Poſtremum, dogmata ipſa in ſe complectitur, quorũ credulitate Romani ac Proteſtantes inter ſe, vt videmus, diſpertiuntur ac diſſentiunt. Eo autem fine ſingillatim hæc inſpicienda, vti tandem, natura hæreſeos prius intellecta, quænam ſint orthodoxa dogmata, & quæ hæretica, inde luculentius vnicuique appareat.

2 Animaduerſione dignum, quod ſit intelligendum, duplici methodo diſputare orthodoxos in hæreticos, quo ſe orthodoxos probent, aduerſarios vero hæreticos euincant. Prima cernitur in peculiari diſquiſitione certæ controuerſiæ propoſitæ, argumentis ad eius veritatem indagandam ex locis Theologicis hinc inde petitis ac diſcuſſis. quæ quidem ratio diſputandi propria eſt doctorum ac peritorum in Theologia: quam proinde appellat *Tertullianus ſciendi ſubtilitatem* ſeu *Curioſitatem*. Altera continetur in eorũ argumentorum tractatione, ex quibus vniuerſali ratione oſtenditur, quæ dogmata abſolute hæretica, quæ catholica: quis hæreticus; ſcilicet quis ab alijs audiendus, & quis non audiendus, ſed euitandus: ad quem ſpectant ſcripturæ, ad quem minime: cui impreſſus certus character hæretici, & cui catholici nomen eiuſque nominis ſignificatio conueniunt. Hanc olim proſecuti *Tertullianus, S. Auguſtinus, Vincentius Lirinenſis*, ac inter recentiores, *Cardinalis Hoſius, Edmũdus Campianus, Gregorius Valentianus & Briſtolius*. Quæ, quod naturali prudentiæ innitatur, & ſit ſecundum *Auguſtinum, Credendi ſimplicitas*, etiam ab indoctis vſurpari ac percipi poterit, adeoque ab externis, qui neutri parti ſtatutam fidem attribuunt. hoc pacto, teſte *Ioſepho*, *Ptolomæus* Rex Ægypto, ſententiam dixit pro Hieroſolymitanis contra Careſianos. *Aurelius Imperator*, auctore *Euſebio*, Chriſtianos Italiæ, cum Romano Pontifice, eſſe catholicos, alios vero eis aduerſantes, hæreticos pronuntiauit. Hodierna die Turca eadem norma motus, omnes Proteſtantes, Lutheranos, hæreticos ducit, vt ſcribit *Eraſmus*. Pariter nos iudicare poſſumus, lectis hiſtorijs, Perſas Apoſtaſiam feciſſe a reliquis Mahometanis in Europa. Atque in hoc vniuerſo genere diſputationis nos modo verſamur. Hæc vero generalis methodus adhuc dupliciter tractari poterit. primo in vniuerſum diſſerendo de momentis auctoritatis externæ: vt pote de notis eccleſiæ, qua eam inueſtigemus. Secundo de eiſdem agendo, alicui particulari controuerſiæ applicatis. Exemplum huius eſt, ſi controuerſa realis præſentia in Sacroſancta Euchariſtia, inter Catholicũ & Caluiniſtam, Catholicus probaret, opinionem Caluiniſticam certo tempore incepiſſe, auctore aliquo faciente eodem receſſum ab vniuerſali conſenſu Eccleſiæ præſentis & præteritæ, non fuiſſe vnquam receptam a paſtoribus aut praxi Eccleſiæ, ſed potius impugnatam; contra vero Catholicam ſententiam, perpetuo viguiſſe in Eccleſia, adeoque vel ab omni ſpecie hæreſis abhorrentem: eam non cõſtare priuata quorumdam interpretatione ſcripturarum, ſed vnanimi conſenſu Doctorum & Conciliorum: denique eam plus conducere ad amorem dei, ad dignitatem Euangelij, quam cogitatio Caluiniſtica. & hoc quidem ritu, omni peculiari controuerſiæ apponi poterunt præſcriptiones generales, ad excutiendũ earum veritates.

3 Ratio autẽ dignoſcendĩ catholicũ dogma deſumitur a *Traditione* Eccleſiæ catholicæ: viciſſim ratio hæreſis aut defectionis ab Eccleſia, ſpectanda ex impugnatione eiuſdem *Traditionis*, ſeu ex priuato delectu Canonis ſcripturarum, aut expoſitionis locorum in ſcriptura, prorſus contrario Traditioni cum præteritæ, tum præ-

Tertull. præſcrip. cap. 2. 14.

Tertull. lib. præſcrip. Auguſt. de vtil cred. Card hos. Campian. Ration. Valent. Analij. Auguſt. cont. Epiſt. fundam. cap. 4. Ioſep. lib. 13. cap. 6. Euſeb. lib. 7. cap. 20.

Eraſm. in ſpong. contra Hutten.

ſentis Eccleſiæ. Omnis enim hæreticus eo nomi-
ne hæreticus quo præſentis Eccleſiæ traditioni
Matth. 18. aduerſatur. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquã ethnicus & publicanus.* ſermo autem eſt de præſen-
ti Eccleſia, quæ audienda ab omnibus, cuiuſ-
que ſententia veritatis certiſſimæ. Quo neceſſe,
Ephes. 4. pariter illum repugnare primitiuæ Eccleſiæ, in
qua Chriſtus & Apoſtolo floruere, eo quod aſ-
ſiſtentia Spiritus ſancti ad viſibiliter ædifican-
dum corpus Chriſti myſticum, ſiue Eccleſiam,
promiſſa ſit etiam præſenti Eccleſiæ, adeoque
futuræ vſque ad conſummationem ſæculi. Hæc
vero Traditio in duobus, quod ad fidem, præ-
cipue occupatur: ſcilicet in conſignando *Canone*
Scripturarum, & in earum expoſitione; ſiue
hæc fiant diſerta ſententia in Concilio gene-
rali, ſiue praxis Eccleſiæ more vniuerſali. Hanc
vero *Traditionem*, primariam & originalem eſſe
fidei orthodoxæ Regulam, ex multis ſatis liqui-
do conſtat. Principio naturæ tempore curren-
te, ante deſcriptam a *Moyſe* legem, Traditio ſo-
la fidem in animis credentium ſtabiliebat: quam
etiam fidem ab æuo quoque *Moyſis* multi externi
ſeu Proſelytæ ſunt amplexati, qui literas Hebra-
icas penitus ignorarunt, interea loci Eccleſiæ
Traditione, veluti Cynoſura, ad veritatem in di-
uinis inſtituti. Deinde Chriſto Domino docen-
te, miracula patrante, fidei Chriſtianæ præfuit
eadem *Traditio* Eccleſiaſtica: ac in ſuo vigore ſeu
imperio permanſit diu etiam a Chriſti aſcen-
ſione in cœlum; ſcilicet nondum nouo Teſta-
mento literis expreſſo. Quocirca quando huic
Traditioni acceſſit poſtea integra Scriptura vete-
ris & noui Teſtamenti, non fuit inde ea infir-
mata, quaſi ante verbum hoc ſcriptum fuiſſet
in dirigendo veritatis infallibilis, ſed eo in lu-
cem edito, Spiritus ſancti præſidio omnino de-
ſtituta, nihilo plus valens quam ſi eſſet mera
æſtimatio humana: quandoquidem, vt recte
Auguſtin. ait *S. Auguſtinus*, ſacræ literæ Eccleſiæ *Auctorita-*
lib. 1. cont. *tem commendant*, & nos iubent eam conſulere
Creſcon. vtpote columnam & firmamentum veritatis,
cap. 33. vt loquitur Apoſtolus. Iſtis adiungi debet me-
Ephes 4. moria earum nationum, quæ abſque cognitio-
ne ſcripturarum, fidem admiſerunt, omneſque
hæreſes inde deteſtati ſunt, quod recolit ſanctus
Ireneus. Cui ordinationi, inquit, *aſſentiunt multa gen-*
Iren. lib. 3. *tes barbarorum, quorum qui in Chriſtum credunt ſine*
cap. 32. *charta & atramento, ſcriptam habentes per ſpiritum
in cordibus ſuis ſalutem, & veterem Traditionem di-
ligenter cuſtodientes, in vnum deum credentes fabri-
catorem cæli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt per
Ieſum Chriſtum dei filium.* Quo autem modo illi-
met Chriſtiani ea ipſa Eccleſiæ Traditione, ſine
verbo ſcripto, fuere communiti contra inſultan-
tes hæreſes, hic idem exponit. *Statim*, inquit,
*vel audita hæreſi, concludentes aures, longe longius
fugiunt, ne audire quidem ſuſtinentes blaſphemum
colloquium. Sic per illam veterem Apoſtolorum Tradi-
tionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt
quodcumque eorum porto utiloquium eſt.* Ea porro
prima ac præcipua fidei Regula, cuius omnium,
etiam vulgarium, ſenſus capaces. Verum Scri-
pturas legere, iudicare de earum *Canone*, eas in-
terpretari, ſuperat eorum intelligentias: at om-
nes præſentis Eccleſiæ *Traditionem* poſſunt per-
cipere: hæc ergo eis ad credendum norma. Imo
adeo inconcuſſæ veritatis eſt hæc Traditio, vti
ſe ſola in officio recte credendi potuerit fideles
continere, vt expreſſe aſſerit *S. Ireneus*: *Quid au-* Iren. lib. 3.
tem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent cap. 4.
*nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis,
quam tradiderunt eis, quibus committebant Eccleſias?*
Poſtremo teſte Apoſtolo, fidei in vniuerſum
aſſenſus eſt *ex auditu*. Ideoque fides, qua credi- Rom. 10.
tur hanc ſcripturam eſſe diuinã, hunc eſſe huius
loci ſenſum, eſſe debet ex auditu. At ex auditu
aliter non eſt, quam ea ratione, qua auditur
Traditio Eccleſiæ. Hæc ergo Primaria & vniuer-
ſalis credendi Regula.

4 Ea itaque fides, quæ in huiuſmodi Tradi-
tionem tanquam Regulam incumbit, creden-
di eſt *Simplicitas*, de qua Patres ſæpius commen-
tantur: iuxta ac ea credulitas, quæ huic Tradi-
tioni præſentis Eccleſiæ obluctatur, hæreſis eſt,
apertuſque receſſus ab Eccleſia. Neque eſt vllus
receſſus ab Eccleſia præſenti, niſi pariter eodem
ſit receſſus a Chriſto & Apoſtolis, ſimul ac a veris
ſententijs veteris & noui Teſtamenti: propterea
quod promiſſiones diuinæ, deſignantes Eccle-
ſiæ perpetuam viſibilitatem, & ex præſidentia
in eadem Spiritus ſancti veracitatem, etiam
præſentem Eccleſiam complectuntur. De hac
fidei ſimplicitate quæ a docta & curioſa inqui- Euſeb. Cæ-
ſitione aliena, diſputans *Euſebius Cæſarenſis*, eam ſar. lib. 20.
omnibus ſuadet, & in eam ſententiam in medi- Præpar. c. 1.
um adducit verba *Platonis* de diuinorum cre-
dulitate diſſerentis. *Ego autem*, inquit, *Plato iu-
dico optimam eſſe legem, quæ iubet, ne quis iuuenum
loquatur. Senex autem ſi quid dubitauerit, Principi-
bus aut æqualibus referat, nemine iuuenum audiente.* Xenoph.
Idem porro adſtruit *Euſebius* ex doctrina *Xeno-* lib. de
phontis, de Mundi ortu popularem diſputatio- dieb. ſacri.
nem inhibentis. Pariter de hac ipſa credendi Ambr. lib.
ſimplicitate agens *S. Ambroſius*, quantum ad im- 1. de fid.
perium in corda hominum, eam præfert argutis cap. 5.
Philoſophorum diſſertationibus. *Illi quotidie a
ſuis conſortibus deſeruntur, qui copioſe diſputant: iſti
quotidie creſcunt, qui ſimpliciter credunt.* Quam
fortis, quam fœcunda hæc non aquilarum, ſed Auguſt. lib.
columbarum credendi ſimplicitas! Hinc *S. Au-* vtil. cred.
guſtinus perpendens vim iſtius *Traditionis*, quæ
ab authoritate Eccleſiæ robur ſuum mutuatur,
affirmat, eam vnicum eſſe medium, quo homi-
nes, alioquin humi repentes, ſe in veritatem at-
tollunt.

5 Quocirca quiuis ex plebe ſeu popularibus,
qui Chriſti dictis hoc pacto audiens fuerit, ver- Pſalm. 70.
ba Pſalmiſtæ vſurpare poterit: *Quoniam non co-
gnoui literaturam.* Quod literas, ad Theologiæ
ſcientiam ſpectantes ignorem: quod linguas ſa-
cras neſciam, quod doctorum commentaria diſ-
cutere, locum cum loco in Biblijs conferre ne-
queam, ideo vt veritatis diuinæ notitiam aſſe- Matth. 12.
quar, *Introibo in potentias Domini.* Ideo ſcilicet
Regnum dei, quod eſt Eccleſia catholica, adi-
bo, in quo Deus potentiam ſuam multifariam
contra errores & vitia hominum patefecit. Eam
proinde Scripturam pro diuina obſequenter
ſuſcipiã, illos ſacros eiuſdẽ ſenſus admittã, quos
potentiæ Domini, in ſua Eccleſia ſeſe oſtentan-
tes, mihi conſtituerint. Excitata ideo circa fidẽ

controuerſia, mentem Regni Dei, mentem Eccleſiæ illius ſcrutabor, in quo Deus per conuerſiones Gentium, per fidei dilatationẽ, per miracula, per ſucceſſiones Epiſcoporum, per vnitatem fidei, per deuictas hæreſes, per ſuperatam idololatriam, per ſanctitatem doctrinæ & vitæ, manifeſtas fecit *Potentias ſuas. Domine*, in hoc ſãctiſſimo grauiſſimoque negocio, *Memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius*: in eo non fidam priuato meo ſpiritui, non curabo eorum typhos, qui ſeſe venditantes, tanquam ritu extraneo a te miſſos, aliorum fidei dominari cupiunt: proinde contra illius Eccleſiæ iudicium, in qua tu *Potentias tuas* mihi oſtendiſſe, ſcripturas aut acceptant, aut interpretantur. Sed potius huiuſmodi *Thraſones* tanquam hæreticos declinabo. Et quod in tua Eccleſia catholica iudicium mundi feciſti, & in ea contra mundi vitia & errores iuſtitiam exercuiſti, ideo *Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Deus docuiſti me a iuuentute mea.* Tu in Baptiſmo me in membrum tuæ Eccleſiæ coagmentaſti: & cum ob ætatis infirmitatem expers tunc eram literarum, tu me docuiſti, fidem Eccleſiæ Traditioni adhibere. *Et vſque nunc pronunciabo mirabilia tua*: ſcilicet eodem tenore obedientiæ, iam factus ſenior, eandem credendi Regulam ſequar: nempe per quam in hoc mundo, in cœlo, adeoque inferno, declaraſti *Potentias tuas. Et vſque in ſenectam & ſenium, Deus ne derelinquas me.* Ne auferas a me erga hanc tuam Eccleſiam ſincerã & integram obſeruantiam, credendiue ſimplicitatem, etiã vllo tempore vitæ meæ, vel in ſenectute aut ſenio doctrinæ: per quã ſolã introire potero in *Potentias tuas*. Hoc pacto *Sponſa*, quæ in *Canticis* deſcribitur, *Sponſum* articulos fidei docentem inuenit. Quem cum non inueniſſet in lecto priuatæ contemplationis, poſtea ſurrexit, & per bonorum operum ſedulas occupationes circumiuit ciuitatem, per vias & plateas eum quæſitum. Quo nondum inde inuento, ait: *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt Ciuitatem*: nempe me inuenere paſtores Eccleſiæ, qui, vt dicit Apoſtolus, pro ſalute animarum vigilant. Tandem ſubiungit: *Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Simili modo vt quis ad Chriſtum Dominum recte credendo perueniat; incidere prius debet, vt docet *S. Gregorius*, in paſtores Eccleſiæ, quorum eſt Chriſtum indigitare, & id cupientibus aditum ad ipſum aperire. Videamus modo num Catholici, vel an potius Proteſtantes, hanc normam ſimpliciter credendi ſequantur, & a quibus ſtat *Traditio* veræ Eccleſiæ. Ad quod inueſtigandum, quod Paſtores & ſacrorum munera, ſingularis ſint, notæ in Eccleſia, expendemus quarũnam partium ſint hi paſtores, & munera a Deo inſtituta: num Catholicorum, an potius Proteſtantium.

2. Cor. 1.

Ioan. 12.

Cant. 3.

Hebr. 13.

Gregor. Homil. 2. 5. in Euangel.

6 Reperiri in Eccleſia certarum perſonarum ordinationes, quibus eis facultates concedantur ad peculiaria officia religionis peragenda, eoque ordinem in eccleſia hierarchicum, vt ait concilium Tridentinum, conſtituant, manifeſtiſſimum ex ſcripturis ac totius Eccleſiæ conſuetudine. Non enim naturæ beneficio naſcuntur ſacrorum adminiſtratores ac diſpenſatores, aut occulto ſolum dei opere fiunt, ſed conſecratione ac deputatione externis tales euadunt. Chriſtus dominus in hunc finem quoſdam delegit, quibus viſibiliter apoſtolatus officium commiſit, eoſdem ſacerdotes, ſeu præſbyteros, ſimul ac Epiſcopos ordinauit. Illi vero poſtea, vti ex actis ipſorum conſtat, iuxta ac Sancti Pauli rebus geſtis liquet, Diaconos, Præſbyteros, & Epiſcopos paſſim ritu externo crearunt: In quibus etiam vigere voluerunt ſemen quoddam initiatorium, quod durante Eccleſia, ſobolem Eccleſiaſticorum paſtorum perpetuo per vices ſucceſſionum proferret. Impij proinde hac ex parte, ac protſus confuſi *VValdenſes* hæretici, qui vt ſcribit *Aeneas Syluius*, promiſcuam omnibus hominibus myſteriorum tractationẽ conceſſere: perinde ac ſi ſinguli vel naturæ beneficio, vel dei ſolius latenti conſilio ſacerdotes eſſent, Diaconi, Epiſcopi ac concionatores. Imo locis ipſis ac ritibus, nedum perſonis dumtaxat, ſacras actiones orthodoxi ſemper adſtrinxere, adeo vt teſte *S. Baſilio*, in pietatem ipſam delinquant, qui ſacerdotum myſteria in locis profanis celebrarint.

Concil. trid. Seſſ. 23. cap. 1.

1. Tim. 2.

Matth. 10.

Ephes. 4.

Ignat. Ep. ad Roman.

Syluius lib. 5 Hiſt. Boem.

Thomas vvald. hær. 5.

Baſ. de Bap. cap. 8. Ath. Apol.

7 Inter haſce in Eccleſia ordinationes, duæ præcipuæ: Sacerdotij ſcilicet, & Epiſcopatus, de quibus modo paucis diſſerendum. Functio autem prædicandi, ſeu docendi populum, ſpectat ad Doctoratus gradum: quæ perſonis etiam non conſecratis, ſeu non clericis, ſed meris laicis ab Eccleſia committi poterit: quos *S. Auguſtinus* & Concilium Viennenſe diſtinguunt a ſacerdotibus: & olim Diaconis, vt pote Sacerdotum miniſtris, eiuſmodi functio tradebatur, licet modo non alijs quam Sacerdotibus communi praxi permittatur. Sacerdotium facultas eſt ſacrificium offerendi Deo, & eiuſdem ritu extremo colendi ipſum ſupremo latriæ cultu. Vnde acceptatiſſima ratione, vt oſtendit *S. Auguſtinus*, ille ſacerdos modo habetur, qui non quomodocunque, vel quæcunque ſacra dat, ſed qui ſacrificat: hoc eſt qui ſacra cæremonia aliquid a Deo conditũ in eius ſupremũ honorẽ, ei religioſe Sacrificio offert & cõſumit. Quod enim Deus vitæ ac mortis, exiſtentiæ & deſitionis auctor atque finis; proinde vtriſque, in creaturis ipſius reperiundis, ab homine iure colendus & agnoſcendus. Ex quo oſtendit Apoſtolus *Paulus*, inde apud Iudæos ſacerdotium extitiſſe, quod apud eoſdem vſus ſacrificij fuerat in more poſitus: Sacrificij dico proprie dicti in altari immolandi, vt pote diſtincti a ſacrificio ſimilitudinario orationis, contritionis, aut actus cuiuſcunque alterius virtutis. Et quod ſacrificium, hoc modo intelligendum, continuo coniungatur cum ſacerdotio, probat idem Apoſtolus ex facta religionis trãſlatione a Synagoga ad Eccleſiam: vnde arguit ſacerdotij pariter eo factam a Chriſto tranſlationem, ſeu mutationem, ritus & ſacrificij. *Melchiſedec Rex Salem protulit panem & vinum*: id eſt ſacrificauit, vt patet ex ſacrificio *Cain & Abel*, quod per verbum *Protulit* exprimitur: ſeu panem ſanctificatum dedit *in Typum Euchariſtiæ*, vt ait *Clemens Alexandrinus*: ex quo, vt ex figura deſcendit ſacrificium Chriſti, vt aſſerit *S. Cyprianus*. Cuius actionis aſſignatur cauſa: *Erat enim Sacerdos Dei altiſsimi.*

Auguſt. de Ciuit. lib. 20. cap. 10.

Concil. Vien. Can. 14.

Auguſt. lib. 10 & de ciuit. cap. Vltimo. lib. 20. cont. Fauſt. cap.

Heb. 7.

Gen. 14.

Gen. 4.

Clem. Alex. 4 ſtrom.

Cyp. lib. 2. ep. 3.

Duplex eſt itaque dogmatum in vniuerſum proprietas: vna quæ appellatur dogmatis vniuerſalitas, altera, quæ nuncupatur dogmatis ex receſſu particularitas. Prior explicari poterit optime tam per affirmationem, quam negationem: ita vt tale ſit dogma, quale ſtabiliatur diſertis verbis ſcripturæ, Apoſtolorum traditione, eccleſiæ voce aut praxi, neque eius
1 Ioan. 2. ſectatores dum illud adſtruunt, diſcedunt, aut receſſere vnquam a conſenſu eccleſiæ catholicæ, in priuatas electiones delati, ac eis in ſectas, in diſſentiones diſpertiti. Poſterior qualitas in eo dogmate cernitur, quod aperte factioſum: priuato nempe ſenſu ſcripturas interpretante, contra iudicium præſentis aut præteritæ eccleſiæ expreſſum: cuius fautores & in-
Act. 7. uentores eodem pertinaci animi obſtinatione eccleſiæ viſibili, more refractariorum, & duram ceruicem oſtentantium, contradicere præſumunt.

11 Enumeremus iam Romanæ Eccleſiæ dogmata aliqua, Proteſtantium articulis oppoſita, & tunc liquido inde oſtendetur, eis nullo pacto conuenire poſſe notas defectionis ſeu rebellionis reſpectu eccleſiæ quouis tempore conſideratæ. Credimns, formam regiminis in tota eccleſia eſſe monarchicam: ac proinde ſublato Chriſto domioo, primo in ea Monarcha, in cœ-
Ioan. 20. lum, *Sanctum Petrum* eius vices Monarchicas ex ritu vicarii in terris obiiſſe: ac id muneris modo præſtare ſimili anctoritate Pontificem Romanum. Credimus Sanctos colendos & inuocandos, eorum imagines ac reliquias venerandas: ſeptem eſſe eccleſiæ Sacramenta, quæ gratiam iuſtificantem conferant *ex opere operato:* ac inter illa *Eucbariſtiam* vera ac reali præſentia continere naturale & ſubſtantiale corpus Chriſti, & eius ſanguinem: in Miſſa celebrari ſacrificium proprie dictum tam pro mortuis quam viuis propitiatorium: Hominem, quo ad omnia opera bona præditum libero arbitrio, inſtitia inhærente informari iuſtificatum: eius actiones, vi gratiæ eſſe bonas & meritorias: eiuſdem gratiæ virtute legem naturalem ac diuinam eſſe obſeruatu poſſibilem: iuſtitiam, ſalua fide, per peccatum mortale poſſe amitti: purgatorium eſſe: atque iſtis ſimilia, quæ contra proteſtantes fidei certiſſimis decretis & aſſentionibus ſtabilimus. Propono itaque hoc argumentum. Recenſita dogmata non ſunt deſertoria reſpectu doctrinæ traditæ a Chriſto Domino vel eius Apoſtolis, aut reſpectu diuinæ alicuius traditionis, vel definitionis ab eccleſia primitiua, aut ſeqnenti ſeu catholica: ergo nullo modo hæretica. Eſt enim hæreſis ſua natura quædam viſibilis ſeceſſio a viſibili auctoritate eccleſiæ viſibilis, aliquid docentis aut tradentis. Vt ergo oſtendant proteſtãtes nos errare in fide hæretice, conficere debēt, nos oppoſuiſſe noſtra dogmata authoritati eccleſiæ catholicæ ſeu vniuerſalis. Antecedens probatur: ſingula illa prædicta dogmata ex ſacris literis & traditione eccleſiæ ſolide deducimus: neque poſſunt proteſtantes aperta loca ſcripturæ proferre, quæ expreſſe dicant, *Sanctum Petrum* non fuiſſe principem Apoſtolorum: non eſſe modo aliquem totius eccleſię Monarcham: Euchariſtiam non complecti in ſe reali præſentia Chriſti corpus & ſanguinem: hominem non iuſtificari iuſtitia infuſa: omnia bona opera eſſe peccata, purgatorium non exſtare: ergo ex ſacris literis clare abſque humanis deductionibus demonſtrare non poterunt proteſtantes, dicta dogmata noſtra eſſe deſertoria a Chriſto, & eius Apoſtolis. Quod ſi dicant, ſe iudicibus verum ſenſum ſcripturæ contra nos facere: negaremus, quod nos, qui plures, qui doctiores, qui vt ſummarim dicam meliores, aliter ſcripturas quã illi exponimus. Hoc porro reſpondendi genus ab omnibus hæreticis tam in ſeipſos mutuo, quam in catholicos vſurpatur: ergo nõ eſt proteſtantũ propriũ, proinde nihil cantra nos concludit. *Puritani* namque affirmant, dogmata proteſtantica deſertoria eſſe a doctrina Chriſti Domini & Apoſtolorum: Idem *Manichæani, Ariani, Anabaptiſta* declamirant, licet fruſtra, contra Catholicos.

12 At pergo, ac ſic diſputo. Dogmata credita a nobis & proteſtantibus aduerſaria, non ſunt apoſtatica reſpectu doctrinæ creditæ a fidelibus, aut traditæ a patribus tam Græcæ, quam Latinæ eccleſiæ primis annis trecentis, aut etiam quingentis: ergo omnino talia non ſuot, & conſequenter neque a Scripturarum doctrina recedentia. Antecedens luculenter & copioſe probauit nuper *Cardinalis Peronius*: neque difficiles Card. Peron
proteſtantes Magdeburgenſes & Caluiniſtæ, vt ad Regem.
illud vltro nobis concedant: etenim videntes Angl.
noſtra dogmata, in quibus a proteſtantibus diſ- Reſp.
ſidemus, affirmari a patribus, vtpote ſpectantia Ignat ep ad
ad cultum & inuocationem Sanctorum, cul- Smyrnen.
tum reliquiarum, pium vſum ſacrarum imaginum, virginitatis votum, purgatorium, liberum arbitrium, opera meritoria, ſtatũ Monachatus, Antichriſti ſingularem perſonam, ac ſimilia, omnia hæc næuos Patrum appellant & impudentiſſime incuſant. At quædam ſeorſim, quantum ad antiquitatem eccleſiæ primitiuæ, examinemus. Exactis annis qningentis docuere catholici, inter Apoſtolos primatum obtinuiſſe *Sanctum Petrum*; ipſumque aliquando totius eccleſiæ Monarcham extitiſſe. Hoc vero ſic creditum, non fuit quid refractarium, aut per receſſum dictũ contra primitiuam eccleſiam, ſed ei potius con-
ſentaneum. *Super illum vnum*, inquit *Cyprianus, æ-* Cypr. lib. de
dificat eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues Vn. tat. ec-
ſuas. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti eccleſia, & cle.
cathedra vna monſtretur. Petro cum ſumma rerum, Origin. lib.
inquit *Origines*, *de paſcendis ouibus traderetur, &* in cap. 6. ad
ſuper ipſum velut ſuper terram fundaretur eccleſia, Rom.
nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitas exi- Hieron. lib.
gitur. Hieronymus Petrum vocat caput Apoſtolorũ: Cy- 1. cont. Io-
rillus Alexandrinus Principem & apicē Apoſtolorum: uinian.
Emiſſenus, paſtorē paſtorum: *Cõcilium Viennēſe Chriſti* Cyrill. lib.
vicariũ. Non ergo hnnc *Petri* primatũ agnoſcē- 12 in Ioan.
tes, recedimus a doctrina & dignitate primitiuæ cap. 64.
eccleſiæ. Itidē credimus, Romanũ Pontificē iam Emiſſ. ſerm.
eſſe a *Petro* Chriſti vicarium ac totius eccleſiæ de Ioan.
Monarcham. In quo non repugnamus fidei pri- Concil. Vien. can. 39.
mitiuæ eccleſiæ, ſed cum illa potius optime cõſentimus. Vbi obſecro primitiua eccleſia definit, eccleſiæ primatũ reſidere penes populum, penes Epiſcopos particulares, aut penes Reges ac

Anaclet. Epiſt. 6. lib 7. Greg. Epiſt. 6. lib. 7. Ep 125. Io pſalm. 5.

Reginas & *Anacletus* papa ſedem Romanam appellat *Apoſtolicam*: proinde dicit, *Eccleſiæ gubernacula tenemus. Iulius*, *Silueſter*, & *Gregorius Magnus* extra diœceſim Romanam iuriſdictionem in primitiua Eccleſia exercuere. Nulla idcirco ex hoc a primitiua eccleſia admiſſa a nobis apoſtaſia. Credimus Sanctos colendos, & inuocandos, neque ita credentes, declinamus quicquam in dogma deſertorium reſpectu primitiuæ eccleſiæ. Teſte *S. Hieronymo*, In primitiua eccleſia contra *Vigilantum* decretum, honorandos Sanctos, adeoque eorum reliquias venerandas. Communi ritu a fidelibus tunc temporis ſancti inuocabantur & colebantur. Aperte *S. Cyprianus*, *S. Chryſoſtomus*, *S. Hieronymus*, *S. Auguſtinus teſtantur*, Sanctos in cœlis de noſtra ſalute ſolicitos, pro noſtris etiam particularibus neceſſitatibus intercedere apud Deum. Sunt enim ſoliciti etiam pro indigentijs noſtris ſingularibus, vtpote eiuſdem corporis Chriſti myſtici, cum nobis membra, & maiori ibi quam in terris in nos charitate iam beati flagrantes. Quis autem dicet, impie aut inutiliter id nos ab ipſis poſtulare, quod ipſi ex ſua pietate & charitate pro nobis vltro præſtant? Eorundem Sanctorum imagines ac reliquiss venerandas aſſerimus: ac in iſtis officijs primitiuæ eccleſiæ fidem non deſerimus, ſed ſequimur. Etenim ante ortum Iconoclaſtarum, tota eccleſia imagines Sanctorum religioſe colebat, vt teſtantur Patres Concilij Niceni ſecundi; neque id inficiati ipſimet Iconoclaſtæ. Ob quam cauſam *Gregorius* Epiſcopus *Peſſinuntus* in illo Concilio pro cultu ſacrarum imaginum citauit Canonem Apoſtolorum: ac in eam ipſam ſententiam plurima diſſeruit ipſamet Synodus ſeptima. Sanctorum pariter reliquias venerandas ex more primitiuæ eccleſiæ, explicatiſſime ſtatuunt *Sanctus Chryſoſtomus & Sanctus Hieronymus*. Cuius ritus varias cauſas aſſignat *Sanctus Ambroſius*: vtpote quod eiuſmodi reliquiæ fuerint aliquando inſignia Spiritus ſancti ad virtutem inſtrumenta: quodque gloria in cœlis, ſuo tempore, nobiliſſime condecorandæ. Sacroſanctæ miſſæ diuinum celebrãdum ſacrificium docuit, & opere probauit primitiua eccleſia. Altarium ac ſacerdotum meminit eius omnis hiſtoria: quorũ profecto inepta inculcatio, ſi cuncta myſteria religionum ad figuras & vmbras ſacrificii peracti in cruce referuntur: perinde ac ſi inter Chriſtianos non veri eſſent modo ſacerdotes, altaria vera, ſed vtraque ad ſimilitudinem & figuram compoſita, vmbratilem vanamque religionem apud illos teſtarentur. Liberum arbitrium profitemur. Cæterum hoc ipſum contra *Manichæum*. primitiua eccleſia acerrime olim, vt teſtatur *S. Hieronymus*, propugnauit: ac in eo Patrea hominis dignitatem, ſimul ac virtutis præſtantiam ex eodem comprobarunt. Bonorum operum meritum catholici etiamnum profitentur. Quo minime deficiunt a primitiua eccleſia, quæ diſertis teſtimonijs talia eſſe bona opera facta ex gratia Chriſti, ſæpius pronuntiauit. Si enim non eſſent merita, quo ſenſu, quaue ſententia cœleſtis gloria, corona, ſtipendium, brauium: quibus titulis eam exornauit & nominauit Apoſtolus, appellanda? Purgatorium eſſe omnino credimus. At hoc ipſum, teſte *S. Auguſtino*, tota antiquitus credidit eccleſia: cui in hac re, propter eius auctoritatem, iudicio *Sancti Auguſtini*, fides habenda, tametſi nullus ſcripturæ locus id diſerte teſtaretur. Quod ſi alia dogmata, quibus a proteſtantibus diſſentimus, ad religionem ac traditionem relata, proferre velimus: vtpote Epiſcoporum, Sacerdotum, ac reliquarum ſacrarum Perſonarum ordines, Sacramentorum a nobis vſurpatas formas, ac materias, Confeſſionis ſacramentalis vſum, aquæ luſtralis piam ac ſalutarem aſperſionem, Eccleſiarum conſecrationes, diuerſarum creaturarum benedictiones, videbimus, in iſtis omnia cùm doctrina, cum praxi primitiuæ Eccleſiæ exactiſſime nos conſpirare.

Hieron. cont. vigilant.

Cyprian. lib. de mortal. Chriſoſt. homil. de S. Ignat. Hieron. cont. vigilan. Epiſt. 25. Auguſt. lib. 2 quæſt. In Exod. Tract. 1. In Epiſt. Ioan.

Concil. Nicen. 2. act. 5. Innocent. Epiſt. 18. Synod. 7. act. 5.

Chriſoſt. homil. de Sanc. Ignat. Amb. Serm. 9.

Hieron. cont. Pelag. lib. 1.

Rom. 2. Auguſt. lib. de cur. pro. Mor. cap. 5.

13. Hoc autem liquidius adhuc conſtabit, ſi illorum temporum traditiones expendamus, quæ a primorum trecentorum annorum periodo vſque ad *Lutheri* & *Caluini* ortus, interceſſere, & ab eccleſia receptæ fuere. Sic itaque diſputare licebit. Quo tempore *Lutherus* & *Caluinus* reſtitere Romanæ Eccleſiæ, in illa tunc penes Catholicos Romanos non vigebat aliquod dogma, prius ab vllo Concilio generali damnatum, aut a Paſtoribus eccleſiæ reiectum: ergo toto illo ſpacio ea eccleſia numquam admiſit dogma contra auctoritatem Paſtorum, quod refractarium fuerit vel hæreticum. Antecedens videtur ſatis manifeſtum: etenim Proteſtantes recenſere nequeunt illa Concilia, aut illos Patres ad memoriam reuocare, quibus tunc temporis, vt pote proteſtantibus, eccleſia Romana poſtea repugnauit. Fruſtra autem dicunt, eam toto illo tempore aduerſatam Scripturis, & eccleſiæ, cui præſidebant ſuperſtites Apoſtoli, quandoquidem inde oſtendimos eam non oppoſuiſſe ſe Scripturis, aut Apoſtolis, quod ab horum temporibus vſque ad primordia *Lutheri* & *Caluini*, haud vmquam aduerſata fuerit paſtoribus Eccleſiæ: qui tamen in veram ſententiam ſine dubio ex aſſiſtentia ſancti Spiritus Scripturas populo interpretabantur, & cum Apoſtolica doctrina conſentiebant: ergo non fuerit refragata Apoſtolis ipſis aut eorum ſcriptis. Etenim ſciſcitor, an illo ſpatio ætatum currente fuerint Paſtores in Eccleſia, qui optime ſuis muneribus defungerentur nec ne? Si non fuerint, neceſſe dicamus, Eccleſiam defeciſſe tunc temporis: quandoquidem ſine paſtoribus, eorumque officijs recte obitis, nequeat ſubſiſtere: cum ea ſit fidem Chriſti profitentium cœtus viſibilis, adeoque aſpectabili miniſterio perpetuo creſcẽs in iuſtã perfectionem corporis Chriſti myſtici, vt docet Apoſtolus. Sin vero fatebuntur proteſtantes, illis temporibus eiuſmodi Paſtores repertos, eodem admittent, noſtra dogmata, ipſis aduerſa, non eſſe rebellantia aut Scripturis contraria: quod nempe Paſtores illi ea nunquam refutarint, dum

Ephes. 4. 5.

exurge-

exurgerent aut innaleſcerent: numquam ex Scripturis cõtra illa quidpiam verbo vel ſcripto diſputarint, aut quidquam ſtatuerint. Quinimo euidens, ex rerum geſtarum monumentis, eadem potius nobiſcum admiſiſſe perpetuo, adeoque Scripturarum teſtimonijs abunde eorumdem ſententias ſtabiliuiſſe.

14 Sunt ex proteſtantibus, qui huic argumento occurrunt, ac dicunt, ſingulis ætatibus quoſdam hominum Dei ſingulari prouidentia extuliſſe capita ſua, qui ipſorũ dogmata contra noſtra profiterentur; quibus morem gerere aſſertores noſtræ fidei ſemper debuiſſent: idque minime præſtantes, in hæreſim proinde ante *Lutheri* ac *Caluini* initia, conceſſiſſe definiunt. In hoc argumentum recenſent *Simonem Magum*, *Eunomium*, docentes vnam fidem ſufficere ad ſalutem; *Manichæum* cum ipſis negantem liberum arbitrium, vt refert S. *Hieronymus*: *Aetium*, vt ſuperſtitioſum recuſantem decretum ab Eccleſia ieiunium, auctore S. *Epiphanio*: *Donatiſtas*, reputantes Eccleſiam inuiſibilem, erroribus obuiam, redactam demum ad ipſorum paucitatem & angulos in Africa, vt ſcribit S. *Auguſtinus*: *Pelagianos*, inficiantes beneficium iuſtitiæ infuſæ & inhærentis: quod idem *Auguſtinus* de illis recolit. *Marcionem*, & *Iouianum* damnantes merita virtutum. *Vigilantium*, cultum Sanctorum eliminantem; *Iconoclaſtas*, venerationem imaginum ſacrarum traducentes: *Photium*, & *Michaelem Cerularium*, Græcos, arma, in Romanum Pontificem intentantes: *Berengarium* Andegauenſem reijcientem fidem realis præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini in ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio: *Huſsitas*, *Lolardos*, *Pauperes de Lugduno*, *VVicleffiſtas*, Romano Pontifici auctoritatem detrahentes. Verum enimuero ſtultitia, ſeu potius dementia huius euaſionis vel admiſſia imprimis apparebit euidenter, Romanam Eccleſiam ante ortus *Lutheri* ac *Caluini* nequaquam rebellaſſe vllo vnquam tempore in proteſtantes; cum prædicti hæretici, dempto vno vel altero errore, quo cum eis conſpirarunt, haud fuerint proteſtantes, imo eorum alia dogmata deteſtati plane, vt liquet ab hiſtorijs. Deinde quis erit tam mentis exors, vt audeat affirmare, vniuerſam eccleſiam ſcelere aliquo ſuperbiæ aut inubedientiæ illis hæreticis reſtitiſſe? quinimo potius illi ad ſummam audaciam refractarij, qui vniuerſæ eccleſiæ, eorum temporibus ipſis reclamanti, ac illos damnanti, contradicere voluere. Non fuit Eccleſia tunc Catholica eorum reſpectu Apoſtatica: nam illi pauci non erant eccleſia: ſed potius eccleſiam tanquam transfugæ deſeruere: tanquam athei & impuri vt docet *S. Ignatius*, ſunt aduerſati Epiſcopis in ea ac vniuerſo clero. Non ergo coluit tunc Eccleſia dogma aliquod refractarium, *Manichæum*, *Aetium*, *Ioannem Huſſum* *VVicleffum*, *VValdonem* ac reliquos hæreſiarchas proſcribendo, adeoque conſequenter Catholici Romani, qui vſque ad tempora *Lutheri* atque *Caluini* eiuſdem eccleſiæ dogmata ac ritus, renuentibus illis hæreticis, ſuſcepere, minime ſe præbuere refractarios, aut rebellantes. Dicent fortaſſis, fuiſſe quidem noſtros refractarios, non obedientes ſaltem *Luthero* ac *Caluino* ſuas blaſphemias loco ſanæ doctrinæ nouiſſime tanquam ex orco euulgantibus. Deus bone, quam immanis hæc dementia, quæ decernit, totam Eccleſiam iure quodam obligatam fuiſſe ad credendum, veras fuiſſe Scripturæ interpretationes recens allatas a *Luthero* ac *Caluino*, falſas interim eas, quas Eccleſia Græca, & Latina vnanimi conſenſu prius ediderant! Nullibi ergo in noſtris partibus dogmaticis comparet ſpecies aliqua hæreſeos, defectionis, aut rebellionis reſpectu Apoſtolorum, vel eorum Paſtorum, qui continuata ſerie ab ipſis vſque ad tempora *Lutheri* & *Caluini* docentes & ſacra miniſtrantes perdurarunt.

Hieron. lib. 2 cont. Iouinian. Theodor. lib. de hæret fab. cap. 4 Epiphan. hær. 40. Auguſt. lib. de Spir. & lit.

Ignat. ep. ad Trall.

15 Cæterum vero pluribus nominibus inclareſcit, tam perſonarum munera, quam dogmatum rationes quod ad proteſtantes, eſſe plane vt ita loquar, deſertoria, adeoque in præſtantiſſimam in terris auctoritatem, ſua peruicacia nefario ritu coniurata. Imprimis ſacra officia ſibi vendicant, cum tamen ſint ordinatione diuina penitus deſtituti. ac quantum ad ſacerdotium, omnino euidens, illos carere huiuſmodi poteſtate. Etenim ſacrificium abnegantes, ad quod ſacerdotium intime & eſſentialiter refertur, vnde poterunt gloriari ſe eſſe ſacerdotes? Non enim ſacerdotes, quod ad populum ſcripturas interpretentur: hoc enim non ſatisfacit ad ſacerdotium. Aliud enim concionator, aliud ſacerdos: ſicut apud Hebræos aliud ſcriba, Phariſæus, aliud Sacerdos. At neque ſacerdotium arguet facultas apud eoſdem baptizandi, & cœnam porrigendi: nam laici legitime baptizant, ac ſimiles in memoriam Chriſti poterunt panem ſuum comedere, ſimul ac vinum ſorbillare, qui tamen eo non ſunt ſacerdotes. Neque ſacerdotes eo renunciantur, quo panem & vinum dent alijs, quæ ſymbola & imagines ſint ſacrificij peracti in cruce: cum ſacerdotis ſit, ſacrificare, & non ſolum ſpeciem ſeu picturam exponere ſacrificij; quod & vnuſquiſque popularium præſtare valeat: Cum id agant etiam circumforanei, ex ſuis ſcrinijs proferentes imagines Sacrificij obiti in cruce. Olim diaconi baptizabant & Euchariſtiam adminiſtrabant, qui tamen ſacerdotes inde non erant, ſed ſolum ſacerdotum quo ad ſacrificium miniſtri. Neque eſt Sacerdotis nude repræſentare aut depingere ſacrificium aliquod, ſed vt dixi, ſacrificare: alioquin qui ritu aliquo profert imaginem ſacrificij in cruce exhibiti, eodem Sacerdos habendus, quod omnino ridiculum. Vnde ex conſequenti, proteſtantes priuati ſacerdotio, inde depauperati, ordine pariter Epiſcopali deſtituuntur: Quandoquidem character Epiſcopalis vel nihil aliud ſit quam Sacerdotalis Character extenſior morali quadam ratione factus: vel ſi fuerit ab illo diſtinctus, nihilominus illum ita ſupponit iure diuino, vbi ſine illo imprimi nunquam poterit. Quanta ergo importunitas animos tenuit miniſtrorum proteſtantium, qui profeſſi ſe diuinitus inſtitutos ad corrigendam Eccleſiam, adeoque ad inſolentem doctrinam

in rebus fidei inuehendum in urbem terrarum, Sacerdotio, ordine Epiſcopali, demum omni prorſus ſacra initiatione interim denudati! auget ſane in hominibus temeritatis ac ſuperbiæ culpas, explorata in eiſdem impotentia, notaque ipſorum ineptitudo: Proinde proteſtantes nullum retinentes characterem magnorum chariſmatum, eo impudentiores comparuere, quo ſine illis, officia reformatorum ac Magiſtrorum in Eccleſia exercere præſumſerunt.

16 Quantũ vero ad iuriſdictionem Sacramenti, Cenſuræ, ac Verbi, nullum plane illius veſtigium retinent hi miniſtri apud proteſtantes. Enimuero Eccleſia Chriſti non commiſit poteſtatem *Luthero* ac *Caluino* abolendi quinque ex ſeptem ſacramentis, nunquam illis ſignificauit

Beza.lib de re Sacram. 32.

Sacramenta in vniuerſum nihil aliud eſſe quam ſymbola externa ad fidem prouocandam inſtituta: aut Euchariſtiam, meram eſſe figuram corporis & ſanguinis Chriſti: quandoquidem doctrina ac praxi ſua iſtis omnino contraria aſſerta oſtenderit, mandarit. Quod autem ad iuriſdictionem Cenſuræ, ne tenue quidem indicium ſe offert, ex quo coniecturam faceremus, Eccleſiam, eam *Luthero* ac *Caluino* tradidiſſe, quo tempore incipiebant illi contradicere, ac in eam criſtas ſuperbiæ ſuæ erigere. quaſi vero Eccleſia iſtis vnquam in manus dederit diſciplinæ ſuæ virgam, qua ipſa ab eis cæderetur ac puniretur? Vnde ergo eam habuere? Idem ſatis liquido conſtat de verbi iuriſdictione. Etenim verbi iuriſdictio, vti inſinuaui, deducta eſt ab ea viſibili in Eccleſia auctoritate, quæ paſtoribus ac concionatoribus attribuit facultatem in certam ſententiam prædicandi verbum Dei. At vero nunquam Eccleſia, quæ præſens erat temporibus *Lutheri* atque *Caluini*, eis largita eſt poteſtatem interpretandi ad populum Scripturas, quo ipſorum dogmata confirmarentur: quinimo potius eiuſmodi tunc ſenſibus reſtitit ac acerrime repugnauit, idque expreſſiſſime eadem in Concilio *Tridentino*, poſtea declarauit. Quocirca hoc modo repulſi, gloriari, ſe immediate a Deo, non ab Eccleſia, hanc triplicem iuriſdictionem accepiſſe, Eccleſiam eodem prorſus deſeruere, ſe hæreticos eſſe ipſimet pronuntiarunt: quandoquidem a principio hæreſeos, omnes plane hæretici cum faſtu venditarunt, ſe omiſſa, imo ſpreta Eccleſia viſibili, ipſis contemporanea, a Deo immediate iuriſdictionem mutuatos. Hinc oſtendit *S. Auguſtinus* caruiſſe hæreticos *Donatiſtas* auctoritate ad docendum, quandoquidem haud coniuncti Eccleſiæ per deriuationem ab ea iuriſdictionis: quod noui ac pauci extra ordinem poſiti, docere alios voluerunt. *Vos autem, & tam pauci, &*

Auguſt.lib. de Vtil.Cre. cap.14.

tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium eſt, quin nihil dignum auctoritate proferatis. Quamobrem Scripturas iſtas ſi vos proferatis tam pauci & incogniti, non libet credere. Recte ſane argumentatur in hanc ſententiam *Tertullianus*: affirmans Scripturas ad eos non pertinere, qui ſuorum dogmatum profeſſione exeunt ab Eccleſia: Proinde diſcuſſione Scripturarum non eſſe redarguendos, ſed auctoritate Eccleſiæ Catholicæ cõprimendos. quã ob rem quod Lutherani & Caluiniſtæ ſuis nouis dogmatibus exierint ab eccleſia, ideo nõ ſunt admittendi ad diſputationem de Scripturis, ſed auctoritate Eccleſiæ Catholicæ Corrigendi.

17 Denique quod dogmata proteſtantum ſint prorſus refractoria, ſeditioſa, inordinata, poſteriora, maniſeſtiſſimum. Hoc vero ita demonſtratur. Quo tempore *Lutherus* & *Caluinus* ſua placita orbi proponebant, audiebant, Eccleſiam illis præſentem, omnino contraria coluiſſe: ergo ſua concrepantes, in eam Eccleſiam dogmatice rebellabant. Antecedens probatione non indiget, cum nullum ſit ab hiſtorijs argumentum, quo oſtendatur, vllam prouinciam in orbe terrarum *Luthero* ac *Caluino* incipientibus ſui Euangelij præconium, vel etiam prius aliquo tempore, eorum dogmatibus imbutam, aut illorum profeſſione notam: imo non ſolum vbique Eccleſiæ, per omnes ætates deductæ, eorum dogmata ſunt auerſatæ, quinimo etiam ab ipſis laudatis hæreticis, quos tamen agnoſcunt ſuorum dogmatum inclytos propugnatores, impugnatæ: quandoquidem nullus eorum, vel aliquis mortalium, in omnia ſua dogmata, vti notauimus, vnquam conſenſerint: nedum catholici ſolum peruicacium ritu definientes, ſeſe illis oppoſuerunt. Inane plane, quod dicunt, aſſerentes, ad depellendum hanc notam contradictionis, ac rebellionis ab eorum dogmatibus, ſatis eſſe, quod contra Patriarchas, Prophetas, ac Apoſtolos minime ſuis dogmatibus depugnarint. Dicimus etenim, ideo ſua dogmata in Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos quoque bellum gerere, ac falſam ſententiã ipſorum ſcriptis affingere, quod ita de illis iam pronuntiet Eccleſia præſens ſua praxi ac iudicio: quod ſic prius ſtatuerint Patrum dicta, ac decreta axiomata in Concilijs generalibus. Ecquis vnquam extitit hæreticorum, qui non affirmarit, ſe conſentanea Chriſto & Apoſtolis credere & docere? In hoc *Arius*, in hoc *Neſtorius* gloriati. Denique nihil eſt, quod eos bene vel in ſpeciem defendat a crimine renitentiæ ac defectionis, poſtquam credendi regulam, ad exponendam Scripturam, etiam tranſcurſa vel improbata Eccleſiæ præſentis & primitiuæ auctoritate, ſpectabilẽ eſſe affirment in priuato vniuſcuiuſque ſpiritu: nã in hoc ſaxum ſuperbiæ ac rebellionis impegere omnes plane hæretici, priuatũ ſuum ſpiritum armantes in Eccleſiæ præſentis & primitiuæ imperium, ſimulque iſtius Spiritus veracitatem, Eccleſiæ certitudini ac infallibilitati præferentes. Hinc nuper Dordracenſes in Hollandia aperte exeruerunt frontem ſuperbiæ ac peruicaciæ in *Armenianos*, mandantes omnibus, quorum eſſet de ipſorum controuerſijs in Synodo inquirere, ex ſolis Scripturis diſſerere & arbitrari: ſcilicet ex ſcripturis *Dordracenſibus*, priuato vniuſcuiuſque ſpiritu ſeu muſto hollandico expoſitis, in ſententiam licet contrariã doctrinæ expreſſæ a Patribus Græcis, Latinis, aut cuiuis tradition fidelibus vnquam commendatæ. In hunc modum, prætexin verbi Dei, ad ingenium omnium hæreticorũ, honeſtare ſolent Proteſtantes ſuorũ dogmatũ rebelliones, ſuperbiam ſuam, ac in partes ſeditioſas conceſſiones.

Synod. dort.

Aliam

Aug. de vir. cred. cap. 19. 14. moral. Eccl. cap. 2.

Aliam longe, ac prorſus aduerſam formam ſeu faciem Catholicorum dogmatum explicauit nobis *S. Auguſtinus*: *Hoc iuſſum diuinitus, hoc a beatis Maioribus traditum, hoc ad nos vſque ſeruatum.* *Tertullianus*, compellat *Marcionem*, *Si Chriſtianus es, crede quod traditum eſt.*

18. Cæterum ſuæ defectioni ſeu potius Apoſtaſiæ, hoc excuſationis adhuc prætendunt dum dicunt, *Lutherum* & *Caluinum* defeciſſe quidem ad Eccleſia ipſis contemporanea, ſeu ſuppari, ſed non ab Eccleſia, in qua Chriſtus & Apoſtoli viguere, & conſequenter non defeciſſe a Scripturis. libenter, idque ſub titulo gloriæ, admittunt prioris generis defectum, adeoque illum profitentur. nam cum eis conſtiterit, in nulla orbis parte, multo minus in Eccleſia, viſibili miniſterio nota, repertam doctrinam *Caluini* ac *Lutheri*, proinde *Lutherus* ſuo ſæculo ſe affirmat primum præconem veritatis. Videte horum ingenia: vt ſe iam ſtare alijs probent, prius Eccleſiam Chriſti corruiſſe aſſerunt: vt ſe modo videntes commendent, eandem Eccleſiam cœcitate antea correptam pronunciant. Ecquis rebellium in ſuos Principes, precor, non cauſatur in ſui conſilij iuſtitiam, ſe quidem in Principem rebellare, ſed non in legem Dei, aut naturæ, Principem inſtituentem? Ego autem illos ſic ſtrictim redarguo. *Lutherus* & *Caluinus* repugnarunt Eccleſiæ ipſis præſenti: ergo rerepugnarunt Eccleſiæ in qua fuere Chriſtus & eius Apoſtoli, adeoque aduerſati vel ipſis Scripturis. Antecedens eſt ipſis in confeſſo, dicentibus tunc temporis Chriſti Eccleſiam defeciſſe a Chriſto, nec in ea repertos idoneos Paſtores qui iuriſdictionem Verbi, Sacramenti aut Cenſuræ committerent *Luthero* & *Caluino*. Verum ſufficiat iam *S. Auguſtinus*, qui hoc immane in ſanguinem & promiſſionem Chriſti Ipſorum dictum refutet. Cum enim hoc idem olim gigantæa ſuperbia Donatiſtarum efflaſſet, ſic illos *S. Auguſtinus* increpauit. *Hoc dicunt qui in illa non ſunt. O impudentem vocem! hanc vocem abominabilem & deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, vanam, temerariam, erroneam, periculoſam, pernicioſam præuidit Spiritus Dei.* En quibus emblematibus exornat tantus doctor Proteſtantum *Lutheri* & *Caluini*, ab Eccleſia, ipſis præſenti, defectiones. Conſequentiam ſic confirmo. Eccleſia viſibilis, quæ coëxtitit *Luthero* & *Caluino* per orbem terræ diffuſa, catholica, fuit ſponſa Chriſti, fuit oraculum veritatis, fuit mater omnium, quam cuncti adirent, a qua, orta controuerſia, veræ doctrinæ lac & cibum acciperent: fuit corpus Chriſti myſticum, per paſtores Eccleſiæ vſque ad finem mundi ædificandum: ergo *Lutherus* & *Caluinus* ab hac Eccleſia recedentes, pariter receſſere a Chriſto, ab Apoſtolis & Scripturis. Antecedens liquet. Etenim Chriſtus Dominus dedit ſuæ Eccleſiæ aſſiſtentiam Spiritus ſancti perpetuam vſque ad conſummationem ſæculi. iuſſit omnibus audire & obedire ſuæ Eccleſiæ quouis tempore: in eadem poſuit Paſtores & Doctores vſque ad conſummationem mundi. Si ergo *Lutherus* & *Caluinus* reſtitere huic Eccleſiæ, Chriſto, Apoſtolis & Scripturis conſequenter reſtitere. Si ab hac Eccleſia non acceperе iuriſdictionem verbi, Sacramenti, & Cenſuræ, non a Chriſto ſed ab Antichriſto accepere. Eccleſiæ autẽ aduerſari idẽ eſt ac aduerſari eiuſdẽ Traditioni. hæc autẽ duplex. nẽpe dogmatica & practica. Dogmatica, Canonẽ Scripturæ cõſignat, verbũ Dei interpretatur, cõtrouerſias fidei definit. Practica, cæremonias religionis ordinat, mores vitæ tam Clericis quam Laicis præſcribit. quæ quidem binæ ſpecies Traditionis optime inter ſe conſpirant: non enim Eccleſia ſua praxi illi contradicit, quod dogmate conſtituit vel contra: proinde non ſolum ex Traditione dogmatica nouimus errare *Lutherum* & *Caluinum* Scripturas acceptantes aut exponentes, ſed inſupèr idem nouimus ex Traditione practica.

Luth. ep. ad Arg. Sclußa. l. 1. Theol. Calu.

19. Hinc manifeſtum, *Lutherum* & *Caluinum* omni iuriſdictione ex miſſione & vocatione legitimis deſtitutos, in orbem furioſe & hæretice proſilijſſe; & vt reformarent Eccleſiam, ſe prius extra Eccleſiam collocaſſe: ſicut faciunt in ciuilibus rebelles, reipublicæ partibus ſe ſubducentes, quando prætendunt, ſe velle eam ad veram formam regiminis reuocare. Eodem cõſtat *Lutheram* & *Caluiaum* ſequutos, nulla pollere iuriſdictione Eccleſiaſtica; ſiue cauſentur ſe ab illis mutuatos hanc iuriſdictionem, ſiue a Deo immediate, ſiue a populo. Proinde illis dicimus, quod exponentes Scripturas, non ſint ab vllis adeundi aut audiendi; quia cum ſint extra Eccleſiam & iuriſdictione careant, ad illos Scripturæ non pertinent: quod in vniuerſum de omnibus hæreticis pronunciauit *Tertullianus*. Damnationi idcirco æternæ obnoxium, communicare cum ipſis in verbo Dei & in ritibus religionis, quandoquidem ſint extra Eccleſiam & funeſti eius hoſtes. Imo ipſa alioquin bona Pſalmorum diuinorum, orationum, lectionum, Euangeliorum, quæ a noſtra Eccleſia ad ſe deriuarunt, abominanda apud eos ſunt, & nefaria, de quibus hæc *S. Hieronymus*: *Iudæorum quoque oratia & pſalmi, quos in Synagoga canunt; & hæreticorum compoſita laudatio, tumultus eſt Domino, & vt ita dicam, grunnitus ſuis & clamor aſinorum.* horum ratio, quod hæc agantur extra Eccleſiam Chriſti, & ex ſpiritu Diabolico, qui ſpiritum Dei in multis imitatur: quod hæc agantur a ſpiritu hæretico in Proteſtantibus, eoque magis nefario & deteſtabili quam ſit ſpiritus paganiſmi, teſte *S. Auguſtino*. *Deteſtabilior eſt Domeſticus hoſtis quam extraneus; & grauius ſcelus aduerſus Chriſtum, cum abutuntur Chriſti nomine.*

Augustin. in Pſalm. 101 part. 2.

Cant. 4. Math. 5. ep. 1.

Tertull. de præſ. cap. 20 & ſequent.

Hier. in 5. c. Amos.

Aug. li. 1 de fid. cap. 7.

20. Iſtis adiungi debet qualitas defectionis proteſtanticæ ab Eccleſia: cuius ſtatus non tam hæreticus quam apoſtaticus. quid enim in Chriſto, in Sacramentis, in Eccleſia, in Hominis natura, in Dei bonitate, in cœleſti gloria, diuinitus nobis reuelatum, quod proteſtantes non impugnarunt? Sapienter idcirco iudicauit noſter *Briſtolius*, hanc defectionem proteſtanticam, proximam eſſe defectioni illius magni Rebellis & deſertoris *Antichriſti*: ac vix cogitari poſſe futuram aliam hæreſim, quæ Antichriſti rebellionem in Deum & Eccleſiam vlterius præludat.

Briſt. Anti. Tom. 2. mo. 22.

21. Iam vero has contrarias ſpecies dogmatum ad leges vitæ ciuilis expendentes, Inuenie-

 mus,

mus, dogmata ſuſcepta a Catholicis illi plurimum fauere & opportune in omnibus ſuccurrere, Proteſtantium autem dogmata, eidem infeſtiſſimo impetu repugnare. Catholici itaque dum Deo reuelanti fidei myſteria credunt, non ſolum ipſi deo obediunt, verum inſuper hominibus: ſcilicet Eccleſiæ paſtoribus morem gerunt, vt docet Apoſtolus, ac ſuadet: *Obedite præpoſitis veſtris, ac ſubiacete eis.* non enim dilucide & explicate videmus nos modo Dei veritatem primam myſteria fidei aliquibus pandentem, ſed eam obſcure & ænigmatice dumtaxat intuemur id præſtantem: dum ſcilicet Eccleſia nobis dicit, hæc vel alia myſteria primam Dei veritatem Patriarchis quondam, Prophetis, Chriſto, ac Apoſtolis reuelaſſe, cique ita dictanti fidem omnino adhibemus. & ob hanc ipſam cauſam affirmat idem Apoſtolus, fidem ex auditu: ſcilicet ex auditu delato in vocem prædicantis, aut in infallibilem Eccleſiæ docentis auctoritatem: quod etiam verum eſſet, tametſi nullum omnino verbum Chriſti ſcriptum extitiſſet: etenim dum hoc diceret Apoſtolus, verbũ ſcriptum noui Teſtamenti haud integre & perfecte extabat. hinc Eccleſiæ paſtoribus, tanquã legitimo magiſtratui in rebus fidei obtemperãtes, inde ingenia in nobis ipſis ſubigimus, idoneaque reddimus ad obſequendum etiam principibus, ac quibuſuis ſuperioribus. Etenim diuina illa obedientia recte nos iam parauit ad ciuilem modeſtiam. Inſtruit enim ac promptos reddit ad perficiendum imperantium mandata in rebus terrenis, poſt quam in diuinis a nobis poſtulari diuinitus hanc animi ſubmiſſionem recte nouerimus. Appoſite intulit *Tertullianus*, ex eo reddi Chriſtianos optime comparatos ad belligerandum, vitamque exponendam pro patriæ incolumitate, quod in cauſa fidei tam alacriter martyrium ſuſtineant. Simili ratione ex eo conſtat luculenter apud nos indicium animi miſis ac obedientis erga ciuiles principes, quod tam impigre Eccleſiæ iuſſa exequimur, myſterijs diuinis ex mandato eccleſiæ, fide obſequenter inhærentes.

Ephes. 4. & 5.

Rom. 10.

Tertull. In Apoll. cap. 4.

22 Contra vero, cum ſemel proteſtantes dei Eccleſiam ſuæ priuatæ electioni poſtpoſuerint, Patres omnes in ea, vt pote erroribus vitiatos, paſſim tanquam eorum iudices, ſpreuerint, eorumque vnanimes ſententias veluti maculas, ſordes ac febres traduxerint: Cum generalium Conciliorum ſancita, ad iudicia ſua particularia, Cenſorum inſtar, examinanda, reuocare auſi fuerint, tunc in eccleſia ſua inter ipſa diuina ſuperbire ac ferocire mirum in modum diſcunt, tunc omnem verticem etiam ciuilis auctoritatis ſuis ipſorum voluntatibus dimittere, & ad contemptum vſque proijcere apud ſea ſcroſancte deſtinabunt. Enimuero quod in ſacris egere ſemel ac percepere: quod in templis imbibere, id poſtea in ciuiles mores ipſorum vberrime vti a fonte redundabit. Vt huius ſpiritus ſpecimen aliquod demus, lubet inter alia referre verba cuiuſdam miniſtri Anglicani, ſuperbæ ac barbaricæ impietatis pleniſſima. Cum itaque orthodoxus ac ſumme doctus Cardinalis *Bellarminus* patres tam græcæ quam latinæ eccleſiæ glomeratim citaſſet ad probandum ex textu *S. Ioannis*, futurum Antichriſtum peculiarem quẽdam hominem, & non multorum Pontificum Romanorum ſeriem, in hæc verba ille miniſter reſcripſit: *Tu nomina quidem opponis quorundam, qui de Antichriſto illam exponunt: ſed non monemur nuda nominum auctoritate ſine momento rationis.* ſubiungit: *Multa videmus apud Patres, quæ ſuperſtitioni aditum aperiunt, & patrocinari videntur erroribus illis, quibus Antichriſtus orbem terrarum ſibi ſubiectum, ac captiuum tenere debuit.* Verumtamen, interdum ſolent Proteſtantes in nos citare Patres, vt popularibus videantur docti, eorumque auctoritate ſuffulti. Cæterum id faciunt aut verborum ſenſus corrumpendo, aut eos adulterando. In quo præludunt qualitatem ingenij in ipſis ad fallandum etiam Principum Reſcripta, omniaque monumenta ciuilis actionis vitiandum. Si in ſacro Textu, ſi in Patrum ſententijs hoc auſi fuerint præſtare, quid eos remorabitur quo minus idem peragant etiam in Teſtamentis & ſtipulationibus authenticis, in legibus patriæ, ac ſimilibus fori Chirographis? Ad morem proteſtantum olim in catholicos allegabant Patrum dicta etiam *Pelagiani*, eoſque doloſe laudibus efferebant, vt pote *Ambroſium, Italianum, & Chryſoſtomum*, vt ſcribit, *Auguſtinus*. *Sæpe hæretici*, ait *S. Gregorius*, *eoſdem nobiſcum Patres, quos veneramur, laudant, ſed intellecta deprauato ipſis laudibus impugnant.* Cæterum tam Eccleſiæ Latinæ quam Græcæ Patres, illi miniſtello Anglico nihil præter nuda nomina, præter ratione caſſum ſtrepitum, præter vile Antichriſti ſatellitium! Ille vero omnium comparatione non nudum nomen, ſed rationis Cyclopicum domicilium, haud inanis fragor, ſed diro fulmine inſtructum armarium: Non Antichriſti mancipium, ſed Chriſti diſcipulus. At quis illi ſoli & vernæ fidem adhibebit de ſe ſolo hæc buccinanti, homulo dico indocte furenti, ſpumoſo rictu definienti, & a miniſtri ſpecie in laruam tandem miſere abeunti? Enimuero ruſtica & rabida hæc progenies, in Principum iuſſa, in legum publicas interpretationes non erunt modeſti, qui in eccleſiæ auctoritatem, qui in Patrum monumenta hoc ritu barbarico & impio contumelioſi. Num qui ita elate & ſuperbe ſapere volunt in diuinis, ſubinde moderate vel obedienter ſe gerent in ciuilibus? certe hi, in quibus ſpiritus, nomine tenus ſacer, criſtas in paſtores eccleſiæ ſemel faſtu horrendo erexit, nunquam eo loco principes habebunt, vel eorum leges, quo oportet ciues bonos ac morigeros. Obſeruauit itaque *Eraſmus* ſuo tempore, quando Proteſtantium primitiua eccleſia in Germania ſpectabatur, ſolitos illos templis ſuis exeuntes, poſteaquam in eis, concionibus plane bacchicis interfuerant, ac inde animi incaluerant, vultu, oculis, ac toto corporis motu, furorem quendam referre, ac ſpirare audaciam ad quiduis agendum, immanem plane ac incredibilem. Cum etenim ſatis euidẽter probatum, Lutheranos, ac Caluiniſtas eſſe hæreticos, tum eodem liquet hoc ipſo nomine idoneos illos non eſſe ciues, ſub vllo principe, ſiue promiſcue cum catholicis, ſiue ſeorſim in ſuis proprijs locis

Bellar. lib de Antichr.

Abbat. In Reſp. a 1 3. Rat. Bellarm.

Auguſt. lib. 1. cont. Iul. cap. 2.

Eraſm. E- piſt. ad VVaract.

verſati

verſati fuerint. Si enim Diſcoli in ſcholis, in militia inobedientes, in familia inquieti, ab ingenio apti nō ſint ad ineundam vitam ciuilem, quibus ex eo ingeniū in ciuitatibus motus excitare, quemadmodum in ſcholis, in caſtris, in priuatis ædibus id præſtitere: haud minus ſane hæretici, qui Eccleſiæ hoſtes ſe exhibuere, pacifice agent in ciuitatibus: quinimo meditabuntur perpetuo conſilia ac delectus nouos, verera contemnent, magiſtratum parum habebunt, poſtquam nefarius dæmon illis ſpiritus afflauit ad Dei Eccleſiam impugnandum. Nulla enim in terris maieſtas tam Auguſtam ſui ſpeciem hominum oculis inijcit, ac ea, quæ eſt Eccleſiæ, vt pote ſponſæ Chriſti, Tabenaculi Dei, oraculi Spiritus ſancti: quocirca ſi hæretici nouitatis & libertatis auidi, hanc Eccleſiam parum (1. Pet. 2.) fecerint, dubio procul, dignatem regiam, vtpote humanam creaturam, promptius deſpectui habebunt. Olim æſtimatum a *Traiano*, illos (Tratan epi. ad Senat.) ſubditos, non fore in Imperatores obſequentes, qui Deorum numina neglexerant: pari modo qui in Eccleſiam Dei, filij ipſius cruore nobilitatam, contumelioſi exiſtunt, ijdem ſuos ciuiles Principes nullo plane in loco habebunt, quamprimum priuatis ſtudijs, quod ad ciuilia, exarſerint. hic in ſuo ſacrario diſcunt Proteſtantes, Reges & Monarchas, leges & cunſuetudines vlli pendere.

23. Deinde ſpectandus ille modus, quo ſolent hæretici ab ingenio noua moliri, & refractariè agere, ac inde apparebit, quantum tranquillitati rerum & actionum moderationi in republica aduerſentur. In vniuerſum Proteſtantes, ſeu recedentes ab obedientia erga Eccleſiam, quod de ſpiritu quodam ſuo ſtatuiſſe glorientur, quodque proinde eorundem cauſa deſtituatur argumentis credibilitatis, quibus cum ſenſu manſuetudinis alios inducerent in ſuam ſectam, irati & rabidi plane inde euadunt orthodoxorum impugnatores: ac inter alia, ſi ipſorum Rex fuerit Catbolicus, in eius odium ſi non effectu, ſaltem cordis affectu, erunt ſemper vehementiſſimi: quæ ſane eorum vehementia nequit conſiſtere cum ſtabili ac florenti ſtatu reipublicæ Catholicæ, aut ipſius Principis Catholici incolumitate. porro ſimpliciter & abſolute e nullius Principis re fuerit, Proteſtantum fidem profiteri, ſi modo pariter veræ politiæ velit ſecum rationem habere. Cum enim proteſtantiſmus ſit diſceſſus quidam ab vniuerſali Eccleſia, fieri non poteſt, vti particularem aliquam illius ſectam profeſſi, exæquent numerum aut dignitates Catholicorum in prouincijs ac Regnis externis agentium. ex quo neceſſario ſequitur, fore Principem, qui publice ſequitur partes proteſtantum, exponendum odijs non ſolum ſequentium alias ſectas, ſed & eorum, qui illuſtri nomine in ſerie Chriſtianorum cenſentur, nempe Catholicorum. quo pacto Ditiones proteſtantum cum ſuis Principibus, carebunt illo honore & amore ab externis nationibus, quos iure optimo expeterent, vtpote ad res ſuas ciuiles plurimum conducentes. Hnc verum eſſe nimis luculento exitu probauit noſtra Anglia, proteſtantum dogmatibus miſere violata ac deformata. ac inter reliqua commercia ciuilia, quæ in diuerſis Regnis mutuo optanda, contractus eſt connubialis; præſertim quod per Dei fauorem, Principes Catholici cū ſanguinis nobilitate, tum diuitiarum copijs etiamnum floreāt ac alijs præſtent. Illa etenim merito ipſis odioſa nota Proteſtantiſmi, eos auerſos faciet a connubijs admittendis cum illis Principibus, qui Proteſtantiſmo corrumpuntur.

24. Atque hæc dicta ſint de vniuerſa natura Proteſtantiſmi: ſupereſt vero particularia modo tractemus. Quod autem ſuperius Media ad conſequendum finem politicum ac ſacrum, primum Intellectualia, deinde moralia recenſuimus, conſequens, conferamus Catholicorum dogmata cum eis, quæ ſunt Proteſtantum: ac primo loco de intellectualibus, ſubinde de moralibus in huius rei ſententiam diſputemus.

CAPVT. II.

Fidei diuinæ vim, quam veluti fundamentum tam ciuilis quam ſacræ vitæ agnoſcunt ac ſtabiliunt Catholici, proteſtantes ſub fuco eam adſtruendi, eſſerendique, eneruant plane ac conuellunt.

SVperius probauimus, tam ciuilis quam ſacræ vitæ fundamenta, optima ratione collocaſſe diuinā erga nos prouidentiam, in fide diuinitus animis illapſa: qua admittentes Eccleſiæ auctoritatem, cum inde erigimur in Deum, nec amplius humi repimus, vt loquitur *S. Auguſtinus*, tum etiam cum alijs pie (Aug. de vtil. cred. cap. 6.) ac pacate vitam inſtituimus. At non quamlibet fidem nobis perſuaſit Deus, ſed ſanctiſſimam, vtpote excellentiſſimarum virtutum ſeminibus fœtam ac veluti matrem talibus bonis grauidam: *Quæ*, vt ait *Cyrillus, ſit mater & radix, naturæ ſua producens vitam æternam*: quod etiam *S.* (Cyrill. l. 2. in Ioan cap. 16.) *Thomas* egregie elucidat. virtute itaque continet (S. Thom. 2. 2 q. 4. art. 1. in corp.) in ſe fides, vt docet *Cyrillus*, omnes res ſperandas, ac earum eſt quædam in nobis inchoatio: ac inter reliqua, virtutes in ſe cohibet, quæ vitæ noſtræ ſanctimoniam omnino abſoluunt, & ad vltimum finem tanquam media conducunt: *Reportantes*, ait *S. Apoſtolus Petrus, finem fidei* (1. Pet. 1.) *veſtræ, ſalutem animarum*. præcipue autem hæc (Rom. 3. Gal. 5.) ipſa fides, charitatis erga Deum & hominem ingens incitamentum in ſe complectitur, inſtar radij ſolaris non modo illuminans mentem, ſed etiam accendens affectum, vt egregie pariter docet *S. Thomas*. Vnde hæretici, vt ſcribit *S. Hieronymus* fidem hanc ſanctam deſerentes, eodem (Hier. l. 4. in hier. cap. 23) deſperantes ſalutem ex virtute, gulæ ſe tradunt & delicijs, veſcuntur carnibus, frequentes adeunt balnea, muſco fragrant, vnguentis variis delibuti, quærunt corporum pulchritudines.

2. Hanc ob cauſam catbolici exactiſſime fidei formam genuinam vitæ inſtituto colunt, & eam accuratiſſime ſuis ſcriptis elucidant. atque quantum ad eius cauſam effectiuam, eam dicimus eſſe actum intellectus Angelici, vel humani:

mani: eſt enim fides genus quoddam cognitionis ſeu ſapientiæ, quæ certe munera ſunt intellectus. quod etiam inſinuare videtur Apoſtolus, fidem appellans *Argumentum*: ſolius enim intellectus argumentari, ſeu aſſentiri veritati cognoſcibili, quod fides præſtat, primæ veritati, & ab ea reuelatis, aſſentiendo. non tamẽ ad exprimendum hunc fidei actum qui idoneus ſit ad ſalutem, ſufficit nuda vis intellectus, etiam ſuppoſita externa reuelatione myſteriorum per Catechiſmum, ſeu promulgationem Euãgelij peracta: quod *Pelagius* impie contendebat; ſed requiritur inſuper ad hoc, lumen internum, a Deo intellectui infuſum: ſiue id fuerit lumen habituale, ſeu alia actualis diuina colluſtratio, vt contra ipſum pleniſſime docuit *S. Auguſtinus*. Ad cuius fidei effectiuum principiũ reuocatur etiam actus voluntatis, quo quis imprimis libere vul animum applicare ad percipiendum rationes credibilitatis ipſius fidei, ac deinde myſterijs ipſis credre voluntarie: quod oſtendunt *S. Auguſtinus* & *S. Thomas*. nõ enim aliter credunt homines, quam volentes credere: dum vt ſtatuit Concilium Tridentinum, *Libere mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt.*

Hebr. 11. S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 1. — Auguſt. l. de grat Chryſ. cap. 1. & 4. — Aug. tract. 20. — Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 6

3 Cauſa materialis fidei, ſeu actus fidei in nobis, ſi ſumatur obiectiue, non ſubiectiue, eſt illud ipſum, quod in fide eo admittitur, ſcilicet quid in ſe veriſſimum, nihilominus credenti obſcurum & non apparens, vt docet Apoſtolus: ſiue hoc contingat ex vniuerſali natura obiecti fidei, quod reſpectu cuiuſcunque medij debeat eſſe credentibus ineuidens & ænigmaticum, ſiue ex peculiari qualitate medij ad credendum. huius quidem vi effici in nobis aſſenſum certiſſimum, licet ineuidentem, ſatis ex Principijs Theologiæ manifeſtum. Etenim in medio, cui innititur actus credendi, duo diſtinguẽda. primum, Dei ipſius veritas, alterum eiuſdem veritatis quaſi ad homines adloquutio, vel reuelatio. Medium autem hoc cum non appareat intime inſitum articulo credendo, aut cum eo euidenter connexum, ſed omnino ei extrinſecum, ideo non parit in nobis euidentem notitiam rei creditæ. Huius autem primæ veritatis nullus alius in nobis viſus niſi obſcurus: euidenter enim & manifeſte non percipimus primas reuelationes myſteriorum, quæ exhibitæ fuere Patriachis, Prophetis, Chriſto Domino, aut Apoſtolis, ſed obſcure tantum. Ex quibus efficitur, vt aſſenſus fidei in nobis verſetur circa obiectũ non viſum, & non apparens vt docuit Apoſtolus. Quocirca quod huiuſmodi obiecti materialis prima illa reuelatio non ſit a nobis intuitiue perſpecta, ideo poſtulatur ab Eccleſia vel aliquo legitimo catechiſta, articuli credendi fidelis propoſitio, qua innoteſcat, eiuſmodi articulum fuiſſe a Deo per quoſdam hominum Eccleſiæ ſuæ reuelatum. *Quomodo credent*, inquit Apoſtolus, *niſi audiant?* Conſequenter tanta debet eſſe huiuſmodi proponentis auctoritas, quãta ſufficiat ad reddendum articulum, vel quo ad humanam prudentiam, credibilem. Nemo enim obligatur ad aliquid credendum, quaſi a Deo reuelatum, niſi prius viderit, ob quaſdam rationes prudenter ei credendum, idoneumque eſſe, quod a prudenti ac pio viro omnino credatur. quæ quidem credibilitas myſteriorum, conflatur ex quibuſdam præuijs rationibus, deſumptis ant a naturis articulorum, aut a grauitate auctoritatis illos proponentis: vt pote quod myſterium propoſitum, Dei prouidentiæ, hominiſque conditione conſideratis, ſit valde rationi rectæ conſentaneum: quod ad virtutem ſingulare adiumentum: quod a multis eiſque grauibus creditum: quod miraculis confirmatum, quod ab antiquis ſæculis in fidem admiſſum, diuerſis licet errotibus & perſequutionibus impetitum. Quæ argumenta credibilitatis optime diſcuſſere *S. Auguſtinus* & *S. Thomas*: *Ratio*, inquit *S. Auguſtinus*, auctoritatem *non deſerit, cum conſideratur, cur ſit credendum*: Scilicet ratio humana non aduerſatur auctoritati diuinæ aut Eccleſiaſticæ, quaſi ratio de credibilitate iudicans, nequeat conſiſtere cum reuelatione diuina: quinimo cum percipiendo, tum inueſtigando argumenta credibilitatis, illi potius debite ſuffragatur; præſertim vero quando hæc ipſa humana ratio ſuperno etiam lumine, adiuuatur.

Heb. 11. — Hib. 11. — Cath Rom. 1. part. ca. 1 — Aug. de ſp. & lit. c. 34 l. 1. ad ſimp q. 1. lt. 1 de peccator. pſal. 65. ep. 3 — Auguſt. lib. de ciu. lib. de vtil. cred. S. Thomas cont. gent.

4. Cauſa autem formalis fidei eſt actus ipſemet, quo quis diuina myſteria ſaltem in ſpeculo & in ænigmate a longe in hac vita contẽplatur. Quod vero ex parte obiecti ſe tenens, eſt formale, id prima Dei veritas reuelans, cuius auctoritate & intuitu moti, non Eccleſiæ ſolũ denuncianti fidei myſteria, tandẽ credimus, ſed præcipue in ſingulis Deo ea reuelanti. Cum enim fides virtus ſit Theologica, tum facit, vt anima humana ſuo opere quam proxime inſurgat in Deum: quippe virtutis intellectualis ſupremam regulam, communis rationis naturalis vim aut directionem obiectiuam excedẽtem. id autem præſtat noſtra fides, dum hominis animam eleuat, & eo primam Dei veritatẽ, quæ in ipſo Deo conſpicua & illuſtris, attingit. Tametſi autem ad hanc veritatem non perſuaderet in nobis animus, niſi Eccleſia proponeret quod credendum, ſcilicet quod a deo reuelatum, nihilominus ei credentes, Deo, eius nempe veritati, fidem adhibemus. quemadmodum credit quis futuram ecclipſim propter auctoritatem Aſtrologi eam pronuntiantis, licet id non crederet, niſi a viro probo audiuiſſet ſic ab Aſtrologo prædictum, quandoquidem immediate haud perceperit, ipſum Aſtrologum Ecclipſim illam certis verbis aut indicijs præſignantem; pari modo, quod nos haud interfuimus reuelationibus diuinis, factis, Patriarchis, Prophetis & Apoſtolis, idcirco in opere noſtræ fidei interuenit vox eccleſiæ, nobis denuntiantis huiuſmodi illis quondam diuinitus exhibitas myſteriorum reuelationes. Neque ad eas cognoſcẽdas reuelatio interna, præſtita per infuſionem habitus fidei, erit ex ſe ſufficiens: eſt enim hæc reuelatio effectiua ſolum; neque in actum exiret, ſi non adeſſet fidelis aliquis myſteriorum prædicator, qui eiuſmodi habituali illuminationi obiectum debitum & idoneum nobis, auditum feriendo, obijceret: Ne cum Anabaptiſtis phanaticis, omnia interno lu-

1. Cor. 13.

mini,

mini, omiſſis externis documentis, & audiuu ipſo, contra Apuſtólum, attribuamus.

5. Fidem hiſce partibus conſtantem omni contentione ſtabiliunt Catholici. Imprimis eam neceſſariam dicunt, neceſſitate etiam medij, iuſtificationi: ſine qua nullus mortalium ſaluari poterit. Sine fide, ait Apoſtolus, *Impoſſibile eſt deo placere.* Heb. 11. Adeoque volunt, hanc fidem vi ſui obiecti materialis eſſe fidem in Chriſtum implicitam vel explicitam. Statuunt porro, fidem hanc integram eſſe debere: hoc eſt cum nullis erroribus, fidei & diuinis reuelationibus, ſpontaneo & confirmato animi conſilio interueniente, coniunctá. Demum quo *vnitatis ſecuritas*; vt loquitur *S. Auguſtinus*, August. lib. 3. cont. par. cap 5. inter fideles melius conſeruetur, illud ingenium vera fides in homine poſtulat ex ſententia eorundem, quod paratum in myſterijs Dei credendis, paſtoribus etiam eccleſiæ obedire, ac illis ſubiacere, vt omnes in hoc negotio monet Apoſtolus. Heb. 13. cap. 5.

6 Huic tam inſigni motui animi noſtri in Deum, tamque ciuilibus etiam conſilijs vtili, varijs modis ſe opponunt Proteſtantes, vnde eum in nobis penitus comprimant: idque perniciosius eo machinantur, quo verbis, fictaque ſpecie, illam adſtruere potius ac confirmare magnis vocibus profitentur. Enimuero omni in vniuerſum hæreſi inſitum, ipſam fidem, primo, fundamento illius exciſo, deinde per partes totam demum expugnare; homineſque tandem eo infidelitatis reducere, a qua illos Chriſtus Dominus ſuo Euangelio ſaluberrime auocauit. Hilar lib. ad Auguſt. *Fidem*, inquit *S. Hilarius* loquens de hæreticis, *ſine fide prætendunt. In parte litigant, vt totum perdant.*

Prud. Apoth *Arctam ſalutis vix viam diſcernere eſt,*
Inter reflexas ſemitas,
Tam multa ſurgunt perfidorum compita
Tortu pslita crinibus
Obliqua, quæ ſe conſerunt diuortia,
Hinc inde textis orbibus.

Tertull. lib. 1. præſcrip. cap 1. Verum dixit *Tertullianus*, pronuntiando *Ad languorem & interitum* fidei, hæreſes omnes conducere. Conferamus itaque primo loco Miniſtros cum Patribus in aliquo concilio generali, deinde populum cum Miniſtris. Miniſtri vt ipſi fatentur nō tenentur abſolute credere illorum patrum definitioni: quippe quos ducunt errori obnoxios, ergo ſibi relicti recta tendunt ad atheiſmum. Deinde populus neque obligatur ſimpliciter fidem adhibere Miniſtris: proinde ſibi pariter relicti, cum ob inſcitiam excutere non poſſunt Biblia, adeoque nec ea legere, proni vergunt in atheiſmum.

7 Contendunt itaque proteſtantes, vt eorum artem deſtructoriam ſeu deſolatoriam, in fidei perniciem inſtructam, hic excutiam, fidei munus, ſeu actum, non eſſe vitalem aliquam in homine operationē, qua quis credendo, Dei gratiæ cooperetur, ſed dumtaxat impreſſionem forinſecam, ei incuſſam, anima ſeſe interim loco ſubiecti gerente mere paſſiue. Luther. Ser. in dom. 2. Quadrag. Quod ſi verum fuerit, quis fidei amabilis color modo, vtpote virtutis alicuius, ſupererit, quis ad eius conatum pluribus incitandus: Calu. 3. inſtitut cap. 1 imo quis iam credit, cū homo in hoc opere Dei, nihil agat, aut quicquam Origin. c. 3. molitur? Enimuero ſi fides impreſſio extrinſeca tantum, & nō actio ipſius fidelis, Dei gratiæ cooperantis, virtus non erit, adeoque neq; iam amplius fides ſupererit: quandoquidē fides ea in homine virtus. ſi laude digna, quę vitaliter, ſpōte Cicero li. 3. de Natur. deor. a c libere, diuinis rebus aſſentiēdo, credit & inhęret: neq; a ſolo deo prouenit. vt recte *Cicero* dixit.

8 Porro quo fidei naturā adhuc magis perturbatā, incertæque faciei reddant, illam cū ſpe ac fiducia omnino confundunt, ſtatuentes, fidem Luther. l. de Libert Chriſtian. ad non eſſe tam actum humani intellectus, quā voluntatis. Si idem credere ac fidere, iam fides in ſpei naturā commigrauit, neque vllo proprio ſui vultu aut charactere elucet, vel nobis innoteſcit. Quidā Anglus inter reliquos in ipſius fidei notionem abſurde hoc pacto commētando, delinquere viſus, coactus ad id argumēto catholico, quo demonſtrabatur, fidei actum non eſſe ex ſe ſolo ad iuſtificandū ſatis comparatū. Cum enim voluntas ſit ſedes ipſa peccati, vt argumētari ſolent catholici, tū dolore prius ac reſipiſcentia ea mutanda, vt ſubinde iuſtitiæ donum in animā infundatur: quod nequaquā fit ſolitario officio ipſius fidei: reſpondebat ille, fidei actum eſſe pariter actum voluntatis pœnitentis, dolentis, amātiſque Deum, ac proinde idoneū, qui mutationē animi adducendo, eū iuſtificet. Hoc confirmare videbatur *Nominalium* ſententia. qui opinantur, intellectum & voluntatem in homine re ipſa nō diſtingui: ex quo conſequens dicit, neque operationes diſtingui, cū actuū diſtinctiones oriantur a diſtinctis qualitatibus ſuorum principiorum, a quibus manant. Certe abſurdiſſimum, definire in vniuerſū, actus intellectus, vtpote ſcientiæ, ſapientiæ, prudentiæ, ac fidei, nō diſcerni ab odio vel amore, quæ actus voluntatis, vt tota philoſophia, communis etiā in omnibus ſenſus clamant, ac definiūt. Proinde *Nominales*, ipſis vel permiſſa illa ipſorum opinatione, renuebant tamen cōcedere, nullum eſſe diſcrimen inter *cognoſcere* & *amare* vel *odio habere*. Enimuero ſi hoc ſemel admiſſum fuerit, fides non ſolū propria forma virtutis ſpoliabitur ab hæreſi proteſtantica, quinimo Apoſtolo ipſi eodem contradicetur, qui ex- Gall. 5. plicate affirmat, tria ſupereſſe, fidē, ſpem, & charitatem, eorumque maiorem eſſe charitatē: Quę vera haud eſſent, ſi fides amor eſſet, aut odiū, vel motus aliquis ſui intrinſeca notione voluntatis: hoc pacto enim neq; tria reſtarent, neque eorū aliquid altero maius: nihil enim, quantumuis replicatum, cum ſeipſo numerum realem cōponit, aut ſeipſo maius vnquam inuenietur.

9 Quinimo contendunt etiam aliunde fidei ſubſtantiam ac definitionem plane violare, dum ſibi ſuæ fidei euidentiam quandam promittunt, gloriantur que, ſe euidenter vniuerſa myſteria eiuſdem fidei oculo intueri, ne dum obſcure tantum & in ænigmate illa percipere: quo tamen genere cognitionis animus Apoſtoli, cum alijs orthodoxis, contentus fuit. Et quidem omnes ferme hæretici, contra ipſam fidei definitionem, quæ circa non apparentia verſatur, huiuſmodi ſuperba euidentis cognitionis vendicatione inaniter apud ſe intumuere. Olim teſte *Sancto Ireneo & Clemente Alexandrino*, *Valentinianus & Baſilides* cum aliis, qui & infames

Cathari nempe *Puritani*, hanc euidentiam ſe cō-ſequutos faſtuoſiſſime mentiebantur. hinc *Simplicibus fidem tribuerunt, ſibi, qui natura ſaluiſunt, cognitionem.* Subinde *Manichæi*, *Sanct. Auguſtino* id referente, eodem nomine ſcientes ac videntes apparere voluere. Demum notat idem *Auguſtinus*, in hoc mali impingere omnes coniunctim hæreticos, en quod Eccleſiæ auctoritatem parum æſtiment, eam quippe inuiſibilem, aut erroribus obnoxiam ſecum

Aug. ep. 56 reputantes. *Coguntur*, dicit, *aduerſari credentibus, & audent imperitos quaſi ratione traducere: ſed hoc facere coguntur, vt dixi, quia iacere ſe abiectiſsime ſentiunt, ſi eorum auctoritas cum auctoritate catholica conferatur. Conantur ergo auctoritatem ſtabiliſsimam, fundatiſsimam Eccleſiæ, rationis nomine & pollicitatione ſuperare. Omnium enim hæreticorum quaſi regularis eſt iſta temeritas.* Si hæretici auctoritatem profitentium ſuam ſectam contenderent cum auctoritate Eccleſiæ catholicæ, ſtatim viderent ſuam auctoritatem nullam eſſe, vt pote auctoritatem *Caluini* aut *Lutheri*, comparatam cum auctoritate Patrum Græcæ ac Latinæ eccleſiæ. Idcirco omni auctoritate deſerta, quæ certum organum fidei, & cognitionis obſcuræ, ſeu non euidentis, ad ſcientiæ euidentiam ſe recipiunt. Ob hanc ipſam cauſam dicunt proteſtantes, curam ſuæ ſalutis non directioni Eccleſiæ, ſed propriæ ipſorum exploratæ ſcientiæ deuinitus commiſſam. Idcirco reduxit *Caluinus* notitiam, quam ſui habent de Canone ſcripturæ, ad euidentem apertumque intuitum cuiuſdam maieſtatis in ipſo contextu. Similiter intelligentiam, qua conſtat, hunc eſſe ſenſum huius loci, ſeu hunc locum interpretationem continere alterius, hunc eſſe prædeſtinatum, huic remiſſa peccata, reuocauit idem ad viſum quendam euidentem ſpiritus in vnoquoque priuati, nulli alteri perſuaſibilem. Et quidem vt notauimus ex *S. Auguſtino*, ad hoc adigit proteſtantes error, quem animis tenent circa eccleſiæ vſum & neceſſitatem, quantum ad munera fidei exequenda. Nam ſuppoſito, quod eccleſiæ propoſitio non ſit ſtatutæ ac firmæ veritatis, aut eius faciem eſſe inuiſibilem, quæ illi contendunt, ſed aliunde ſine eius interuentu, dictamine priuati ſolius ſpiritus myſteria fidei cognoſci debere: quandoquidem abſque, infallibili teſtimonio eiuſdem eccleſiæ, prima veritas reuelans apparere nequeat alicui, determinate applicata huic particulari myſterio, conſequens, illos credere non incitatione primæ veritatis, ſed alterius veritatis ſpecie permotos, quam euidenter in omnibus fidei myſterijs inſitam contemplari ſe adſtruunt: quod, ſine dubio, non eſt credere, ſed ad quemdam prætextum ſcire, haud erit obſcure myſteria fidei percipere, ſed aperte ac clare intellectum in illa defigere, perinde ac ſi in lucentem ſolem oculos intenderent. Atque hoc pacto nomine fidei, omnem vim fidei eludunt plane & a ſe abijciunt. Eccleſiæ enim infallibilis auctoritas neceſſarium eſt fidei diui-

Aug. de vtil. cred. cap. 11. næ inſtrumentum, vt definit *S. Auguſtinus*, *Fac nos, vt dixi*, inquit, *nunc primum quærere, cui nam religioni animas noſtras purgandas, inſtaurandaſque tradamus, Procul dubio ab Eccleſia catholica ſumendum exordium.* Hoc vero proteſtantes renuentes facere, videnteſque, Eccleſiam catholicam ſuis potius obſtare dogmatibus, fidem ſpernunt eodem quo eccleſiam relinquunt, delectumque proinde fidei loco faciunt ſcientiæ euidentis, explicatæ cognitionis: ac ſic non niſi priuati ſpiritus apertam ſententiam in omnibus proferunt.

50 Vt autem explicemus quænam ſit illa euidentia, quam in myſterijs fidei ſibi cum *Manichæis* vendicant *Proteſtantes*, vtile fuerit eam examinare, quam definiunt ſe retinere circa Canonem Bibliorum. Eſt itaque in Scripturis quadruplex veritas. Vna *verbalis*, vtpote qua conſtat, hæc ipſa verba, vel eis æquipollentia, deſcripta fuiſſe a primis auctoribus ſacræ Scripturæ. Secunda eſt veritas *Senſus literalis*, talibus verbis expreſſus: tertia veritas eſt *Inſpirationis Canonicæ*, qua agnita, animus credit, hunc ſenſum verborum fuiſſe auctoribus canonicis diuinitus inſpiratum. Poſtrema eſt *veritas Realitatis*: vi cuius creditur, ea omnia vera, quæ eiuſmodi contextu narrantur ac declarantur. Horum omnium ſe habere dicunt Proteſtantes euidentem notitiam, neque indigere ſe gloriantur infallibilis auctoritatis in eccleſia ſubſidio, ad eorum fidem capeſſendam. Cæterum hanc ipſorum in iſtis intelligentiam, non eſſe fidem, ſatis liquido ex multis euidens eſt. Principio fides, teſte Apoſtolo, Rom. 10.
eſt rerum non apparentium: Hæc vero ipſorum cognitio, rerum maxime eſt eis apparentium. Deinde fides ex eodem Apoſtolo, oritur ex auditu, nempe ex auditu vocis profectæ ab excellenti & infallibili aliqua auctoritate docente. At eccleſiæ voce ſemel neglecta, quaſi non habenda in iſtis certiſſima fidei regula, vt contendunt Proteſtantes, eorum fides circa ſacras ſcripturas non erit ex auditu. Tandem ex effatis eorundem ſequeretur, vnumquemque idiotarum Proteſtantium, ſine magiſtro euidenter videre vniuerſum Bibliorum literalem ſenſum, vt pronuntient ſubinde ea diuinam, non humanam ſcripturam continere. Quorum omnium rationes abſurdiſſimæ, falſiſſimæque. Si quidem ſi alicui incognitus fuerit ſenſus literalis alicuius loci, is affirmare nequit vi propriæ intelligentiæ, illum locum inſpiratum a Deo, & eſſe Scripturam Canonicam: quandoquidem neſciat, quid demum illud ſit, quod Deo auctori adſcribat. Et cum euidens iſte eorum intuitus non propagetur a lumine ſcientiæ, ſed fidei ſolius, conſequens, omnes fideles æqualiter videre euidenter quæ Scriptura in biblijs Canonica, & quæ minime: quis locus ſincerus, & quis adulteratus. Conſtat itaque, quomodo Proteſtantes, in ipſo fonte myſteriorum Dei, Scilicet ſcriptura, totam fidei vim ſuo dogmate corrumpunt & exſcindunt.

51 Quod etiam humana mens innata ſibi ſuperbia obſtinate plerumque renuat rebus, eius captum excedentibus, aut ſenſibus externis aduerſantibus, aſſentiri, tum,

Pro-

Proteſtanres hanc ipſam ſuperbiam, quo minus in obſequium fidei, animi acies captiuetur, ad Deo rebellandum in pleriſque inſtigantur, mentis in ipſis ingenio nimium applaudentes. Hinc quod ſenſibus ad iudicium ferendum aduocatis, durum ac plane impoſſibile videatur, Chriſti totum ac naturale corpus ſub ſpeciebus modici panis contineri: Sanctos longo loci interuallo a terris diſſitos, noſtras preces audire poſſe, elementum aquæ, in Bapriſmo, ſignum crucis, & alia Sacramentalia, quicquam animabus prodeſſe, inde hæc omnia obſtinatiſſime inficiantur. Quo humanæ mentis rebellem vim, iuxta ac infirma ſenſuum iudicia, animant protſus armantque in Dei & Eccleſiæ, etiam quo ad cuncta, auctoritates: eodemque diſponunt ſuos, vt tandem myſteria Sacroſanctæ Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis a ſua credulitate penitus ablegent, & demum atheiſmi baratro mortalium intelligentiæ omnino committantur. Vt enim pueri petulantia, in quibuſdam, a magiſtria impune permiſſa, illum parat ad omne genus inobedientiæ, ita proteſtantes, quod ad certos fidei articulos, ſenſibus ſuis externis nimium imperii, eis laxantes fræna, dum concedunt, eo ipſo adornant ſe ad vniuerſæ demum infidelitatis cæcitatem & renitentiam admittendum.

12 Neque parum ad atheiſmum confert Proteſtantum negligentia, ſeu potius obſtinatus contemptus erga illam nobiliſſimam partem hiſtoriæ eccleſiaſticæ, quæ res geſtas Sanctorum memoriæ noſtræ committit. Hoc autem acriter vrgent, dum ritibus catholicis aduerſati, Sanctorum cultus reijciunt, neu quicquam penſi habent, celebritate honoraria eorum res geſtas recolere. Ignorant conſequenter quid animis mortalium inſignis virtutis impreſſerit Chriſtiana fides, & alios latere id volunt. Ex quo carent magno quodam robore Chriſtianæ credulitatis, & inde ex horum incuria, paulatim in atheiſmum relabuntur. Contra Catholici hæc trophæa, hæc momenta & munimenta, diligentiſſima religione recolligunt, & inde vel idiotæ percipiunt, quam admirabilis fuit Chriſtus in Sanctis ſuis, quamque libenter eius fides capeſſenda, quæ in tam nobilibus effectibus eluxit.

13 Cæterum fidei pariter exitioſum proteſus, quod priuato ſpiritui, Scripturas interpretanti, attribuunt ſupremam cenſuram in controuerſijs ſingulis, ac momentis fidei proteſtantes. Enimuero quando vident homines, priuatos ſpiritus horum eſſe inter ſe pugnaces, aduerſarios, ac multiplices hæreſes, ſimulque contentiones varias, nulla certa auctoritate externa terminabiles, ex illis oriri paſſim, vehementer inde mouebuntur, vt ſuſpicientur, nihil eſſe veri in vniuerſo ambitu fidei Chriſtianæ, neque illis apparebit legitima cauſa, ob quam ſe ad hanc partem potius quam ad oppoſitam reciperent; & ſic nullam tandem ſequentur. Ob quam cauſam dicit *Tertullianus* diſputationes Orthodoxorum cum hæreticis ex meris Scripturis priuatim intellectis, Scrupulos & fatigationes parere. Hinc originem ducit præſens, quam intuemur, Proteſtantum gigantomachia, ac intereos, omnes immanes furores, ſumma ſibi vtrimque pollicentes, ab eodem ſenſu dimanant. Tertul. in Præſcrip.

Iam credant viciſſe Deos, medijſque reuinctum * Claudian. Gigom.
Neptunum traxiſſe fretu, hic ſternere Martem
Cogitat, hic Phœbi laceros dimittere crines.
Hic ſibi promittit Venerem, ſperatque Dianæ
Coniugium, caſtamque cupit violare Mineruam.

Sane vt in faſciculo virgarum, vinculum, formam & firmitudinem illius conſeruat, ita vnitas fidei, quæ ab Eccleſiæ vnitate deriuatur, vt docet *Sanctus Cyprianus*, eiuſdem robur munit ac defendit. Cyprian. lib. de ſimpl. prælat. Quocirca proteſtantes eo ipſo, quo hanc vnitatem, ortam ab vnius Eccleſiæ iudicio infallibili, quod ipſi ſpernunt, diſſoluunt, eodem eiuſdem fidei aſſerta omnia diſſipant in ſectas, viam parant innumeris litibus, quæ demum vniuerſam eius certitudinem in animis mortalium atheiſmo penitus profligabunt. At vero vnitatem hanc fidei, ex ſententia vnius eccleſiæ vbique terrarum diffuſæ, catholici ſtatuentes, eodem ſolidos reddunt credentes, & quodammodo immobiles ex certitudine, complexuque vnius veritatis. Quis enim alius exitus altercationum in rebus fidei, quarum nulla nota definitio, præter exitium ipſius fidei? Proteſtantes ergo Eccleſiæ repugnantes, ſimulque priuato ſpiritui ab eo diuulſo, imperium ad iudicandum deferentes, ſicut occaſiones inde præbent infinitarum controuerſiarum, nullius explorati tribunalis arbitratu terminandarum, ita ipſius fidei extinctionem, adeoque atheiſmum ipſum omnino ſub prætextu fidei reformatæ meditantur atque moliuntur. Doctiſſime itaque cum de fidei diuinæ ſubſtantia, animo primum admittenda, tum deinde eius vnitate conſeruanda, ſic pronuntiauit Catechiſmus Romanus: *Cum autem fides ex audita concipiatur, perſpicuum eſt, quam neceſſaria fuerit ad æternam ſalutem conſequendam, Doctoris legitimi fidelis opera ac miniſterium.* Cathechiſ. Rom. 1. part. cap. 8.

14 Porro conſtat, fidei integritatem ad eiuſdem fidei robur ac neruos pertinere. Hanc autem, quaſi totius illius virtutis ſanitatem, conſtituimus in eo, quod omnis plane expers ſit erroris, reuelatis a Deo contrarij, qui obſtinato animi conſilio ab vllo credatur. Cum enim fides in vniuerſum ſit quædam obedientia erga Deum & eccleſiam, conſiſtere nequit cum illis erroribus qui vtriſque infeſti, oppoſitique. Enimuero vt in corpore humano, vnius membri morbus aut vulnus, in totius malum redundant, ita contra hunc articulum fidei hæreſis credita, vniuerſam credulitatem euertit. Tametſi enim aliqua fidei orthodoxæ obiecta, in ſe materialiter ſpectata, non ſint res adeo magni momenti; vtpote *Tobiam* habuiſſe canem: neque ſint ab omnibus explicite credenda, vt ſunt Articuli in ſymbolo Apoſtolico, nihilominus

nus quatenus a Deo reuelata, & primæ verita-
ti, tanquam illius verba, ſubiecta, ſunt reuera
indiſcriminatim cum reliquis magni momenti,
in ſe quippe continentia commune fundamen-
tum fidei, nempe primæ veritatis reuelationem,
quod alijs credendis vniuerſum ineſt & eadem
ſuſtentat. Qui enim circa myſterium Trinitatis
Sacroſanctæ, aut Incarnationis errans in fide,
eorum veritates obſtinato errore inficiatur, fi-
dem prius conceptam ideo amittit, quandoqui-
dem auſus ſe primæ veritati ſcelerate oppone-
re: idcirco quicumque obſtinato errore negat
veritatem cuiuſcumque a Deo reuelati, funda-
mentum vniuerſæ fidei ſubruit, in animæ ſuæ
damnabilem perniciem, fidem, iuſtitiamque eo-
dem, naufragio excutit. Huic autem fidei in-
1. Tim. 1. tegritati, impius error proteſtantum ſtatuit
detrahere. Cuius erroris non noui alium pri-
mum auctorem noſtris temporibus inter eos,
quam in Gallia olim *Pleſſeium Morneiam*, a quo
Galli Hugonotti cum magno applauſu hoc
exceperunt. Iam vero apud Anglos, veluti
Phryges, ſemper ſero aliorum errores aſſequu-
tos, eumdem vigere, inſcite indocteque licet,
intelligo. Cæterum fidei vires exſcindunt plane
hinc proteſtantes, ſcilicet docentes, varias et-
iam hæreſes, quantumuis pertinaciter ab aliquo
profeſſas, oppoſitas tametſi diuinitus reuelatis,
impune nibilo obſtante illis permitti: hoc eſt
conſiſtere eas poſſe cum vera fide, adeoque
cum illa, quæ ad iuſtificandum idonea. Diſtin-
guunt itaque fidei obiecta in duo genera. Pri-
ma appellant *Fundamentalia*: vtpote, quod deus
Ant. de Dō fit, quod filius Dei incarnatus: ac ſimilia in ſym-
Rat. diſceſſ. bolo Apoſtolorum expreſſa. Alia non *Funda-
mentalia* nominant: qualia reputant omnia fer-
me, in quibus nos ab ipſis diſſidemus, iuxta ac
illa, in quibus Lutherani a Caluiniſtis diſſen-
tiunt: proinde cum erroribus hæreſibuſque cir-
ca iſta copulant vtrimque veram fidem, eam-
que ad ſalutem ſufficientem. Ob hanc cauſam
dicunt, apud catholicos ſemper extitiſſe ſuæ fi-
dei homines, ac modo inter eoſdem reperiri,
tametſi noſtram fidem interim exterius profi-
teantur; imo tametſi partes idololatriæ, Anti-
chriſti, & ſuperſtitionis animi ſenſu pertinaciſ-
ſime ſequantur. Certe hæc exiſtimatio pluri-
mum facit ad fidei detrimentum, eiuſque inte-
ritum clanculum machinatur. Nam ea ſemel aſ-
ſerta, arbitrabitur quis imprimis Arianiſmum,
ſeu Neſtorianiſmum, fidei fundamentali haud
aduerſari: cum non conſtet ex ſcripturis, hoc,
quod ad fidem, eſſe fundamentale, aliud
ἀδιάφορον aut indifferens. Deinde ſi cum hæ-
reſi fides, iuſtitia ſeu ſanctitas, alicuius opinio-
ne cohærere poterunt, conſequenter ita ſentiens,
parum curabit hæreſes euitare, frigide admo-
dum veritatem vllibi inueſtigabit, cum ſine di-
ſcrimine iam plurimis hæreſibus infectus, in ſta-
tu ſalutis nihilominus ſatis tuto collocetur. Quę
procul dubio, totius fidei vitam ac motum, ne-
dum ſinceritatem illius, penitus expugnant.
Aug. de pec Teſte S. *Auguſtino*, Pelagiani dicebant, dogma-
orig cap 23 ta ſua ſi eſſent falſa, haud aliter tamen eſſe ta-
lib. 2. cont lia, quam *Ciuiliter*, non *Criminaliter*, ſeu funda-
Creſ. cap 4. mentaliter. Idem *Donatiſtæ* de ſuis placitis poſt
Athan. orat.
Arianos, vt commemorat *S. Athanaſius*. affirma- 2. cont. Arian.
bant: quod etiam refert *S. Auguſtinus*. Hoc enim
ſenſu imbutus aliquis, in materia fidei a verita-
te aberrans, nunquam putabit ſe ad ſenſum
Proteſtantium errare *Fundamentaliter*. Nam ad
hoc refutandum, non ſufficit dicere, Theolo-
gos Proteſtantes indicare, cum errare funda-
mentaliter, quandoquidem ex ſolis ſcripturis
dixerit is eſſe id ei oſtendendum, cum homines
ſæpe a veritate declinent iudicia ferentes. Erret
porro aliquis apud proteſtantes circa veritatem
diuinitatis in ſecunda perſona ſanctiſſimæ Tri-
nitatis: nunquam putabit ſe errare fundamen-
taliter. Nam affirmabit, ſe credentem cum *A-
rio*, fateri tamen ſecundum perſonam eſſe Deū:
quod vero ſit Deus per conſubſtantialitatem, an
per eximiam imitationem, minime reputabit
fundamentale. Similiter Neſtorianus aliquis
inter eoſdem fatebitur, ſe credere Chriſtum
eſſe Deum. Verum an ſit Deus per ſubſiſten-
tiam perſonalem, vel per accidentale donum
ſanctitatis, iudicabit non eſſe fundamentale.
Ruit ergo hæc doctrina proteſtantica in athei-
ſmum, & totius fidei Chriſtianæ inſiciationem.
Imo eorum calculis, ſi quis negaret magnam
aliquam partem veteris & noui Teſtamenti, is
non erraret Fundamentaliter, aut cum damno
ſalutis æternæ.

15 Merito idcirco qui olim, quod ad diuina,
ex priuato ſolum ſpiritu, cum contemptu Eccle-
ſiæ auſi definire, athei habiti a Sanctis Patri-
bus. Enimuero ſemel eccleſiæ auctoritate in
ſuis Traditionibus & Concilijs ſpectabili, poſt-
habita, priuatus ſpiritus diu credulitatem ſta-
bilire nequit. Experitur enim vnuſquiſque eo
fretus, ſe non niſi ex debilibus fundamentis aſ-
ſentire fidei myſterijs, ſe a reliquis diſſentien-
tem continuo in dubia & perplexitates animi
conijci: ſe in dies varium, ac quandoque ſibi-
met contrarium exiſtere, nullibi apparente cer-
tæ veritatis aſylo, quo ſuſcipienda de Deo fi-
des, ſit rationabilis, ſit conſtans, & alijs conſen-
tiens. Demum quod auditus, teſte Apoſtolo, ſit
medium neceſſarium ad fidem animo conci- Rom. 12.
piendum, & retinendum, quod priuatus ſpiri- Rom. 10.
tus huiuſmodi auditum repellat: eo quod flu-
ctuanti dubium facit, quemnam is debeat au-
dire, ipſam fidem exterminat, & in atheiſmum
aut apoſtaſiam a Chriſto breui exſpirat. Adno-
tauit hoc Magnus, antiquiſſimus & ſanctiſſimus
Ignatius: qui cū in eccleſia Hierarchiā recenſuiſ-
ſet Epiſcoporum, Sacerdotum, Diaconorū; ſub- Ignat. ep. ad
iunxit: *Qui hiis non obedit atheus & impurus eſt*. Ob Trall. Athan
hāc ipſā cauſā *Arius* teſte *S. Athanaſio*, *Eunomius*, orat. 2. Soc.
teſte *Socrate*, *Arrius*, narrante eodem, athei ha- lib. 2. ca. 28
biti, quod priuatū ſpiritū venditantes, eccleſiæ, Epiphan.
ac in ea Patrum auctoritates, nihili fecerint. in panar.
Proinde cum *S. Auguſtinus* hunc typhum, &
neglectum auctoritatis Eccleſiaſticæ, quantum
ad fidem habendam circa canonem Scriptu-
rarum, in *Manichæis* deprehendiſſet, eos aperte
atheiſmi accuſauit, ac dixit, illos ideo conari,
ac ſibi proponere, vt tandem omnis fides, quæ
Canoni Scripturarum attribuenda, penitus Auguſt. lib.
per atheiſmum aut apoſtaſiam aboleatur. *Vide-* 32. cont.
tis inquit, *id vos agere, vt omnis de medio Scriptu-* Fauſt. ca. 19
rarum

rarum auferatur auctoritas, & ſuus cuique animus quid in quaque Scriptura probet, quid improbet: id eſt vt nō auctoritati Scripturarum ſubijciatur ad fidem, non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in ſublimi auctoritate Scripturarum legitur, ſed ideo recto ſcriptum quia hoc illi placuit.

16. Hunc ſenſum atheiſmi, quod ad Scripturas, in orbem inferre omnino ſategere *Lutherus* & *Caluinus*. vtrique ſuo ſpiritui priuato ſubnixi, ſtatuere de Scriptis Canonicis & eorum ſententijs. poſtea iſti in eis ſpiritus plane inter ſe diſſentiebant, adeo vt a *Caluino* agnitas ſacras Scripturas, *Lutheri* ſpiritus reiecit: nempe hiſtoriam Sancti *Iob. Eccleſiaſten*, Epiſtolam ad *Hebræos*, Epiſtolam Canonicam *S. Iacobi*, *Apocalypſin S. Ioannis*. Hi de conſignando Canone Scripturarum inter ſe digladiantes, nihilominus docent, præſertim Caluiniſtæ, priuatum in vnoquoque ſpiritum debere in hac re ac myſterio ad extremum definire. quod quid aliud, quam homines atheiſmo tradere abſorbendos?

Sed ſtultum eſt venti de leuitate queri.

Ouid Epiſt. Lidip.

Quamobrem, quod Manichæi iſtis priuatum ſuum ſpiritum tanquam regulam definitricem præficerent, eos *S. Auguſtinus* Carnales, nebulis ignorantiæ inuolutos, phreneticos, miſeros, infirmoſque appellauit. *Quo te committis anima miſera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta quo te committis?* Enimuero priuatus ſpiritus, Eccleſiæ auctoritate deſtitutus, animam reddit miſeram, infirmam, carneam, cæcam, demum progreſſum facientem ad incertum terminum, demum ad atheiſmi barathrum. Optime ergo obſeruauit *S. Hieronymus*. ſuo tempore hæreticos priuato ſuo ſpiritui fidentes, tandem poſt fluctuationes varias in ipſis animi, deſperaſſe ſalutem, ac pro virtute, voluptatem, atheorum more, ſibi ſectandam propoſuiſſe. Eſt enim Eccleſia vt ait *S. Epiphanius*, *Regula & Canon veritatis.*

Auguſt. ſup

Hier. l. 4. in Hier. ca. 23.

17. Cum porro altercationes in diuinis, ad dubias ſententias, ad ſcrupulos, & ſic ad atheiſmum hominum ingenia propellant, ideo vt inoffenſo pede eo demum perueniat priuatus ſpiritus, controuerſiarum agitationibus impulſus, tribunal iudicij in Eccleſia proteſtantes demoliuntur, vnde apparenter conſtaret, quæ pars hæretica, quæ Catholica. Etenim priuati ipſorū ſpiritus delati in Scripturas hoc nequeunt efficere: nunquam enim conſtabit Caluiniſtæ, vel etiam orthodoxo, ideo eorum ſpiritus eſſe hæreticos, quod ſpiritus Lutheranicus id dictauerit. Cumque non ponunt in hoc hæreſim, quod ſit obſtinatio quædam ſenſus contra Eccleſiæ ſententiam; quandoquidem Eccleſiam veram aut eſſe inuiſibilem volunt, aut erroribus obnoxiam, inde hæreſis malitiam diſſimulant, imo liberam eam in vnoquoque faciunt quæ ruat in atheiſmum & infidelitatem. Nam ſi priuati ſpiritus perpetuo inter ſe pugnauerint ob diuerſas ſententias ſuſceptas in diuinis, nec immineat auctoritas aſpectabilis, quæ litem dirimat, quæ legitimè aliquos Catholicos renunciat, alios hæreſeos damnet, profecto nihil ſupereſt, quam manifeſtus curſus diſſidentium ad fidei ipſius ruinam. Quam periculoſum ergo, quam Chriſtiano exitioſum, cū proteſtantibus Eccleſiæ iudicium & traditionem contemnere, eam deſerere, quantumcunque in aliquo priuatus ſpiritus perſuaſerit, ad ſententiam verbi Dei, ab eo percepti, omnia reuocanda!

Epiph. cont hær. cap. 6.

Calu l. 1. Inſt. cap. 9. l. 4. cap. 9. 17.

18. Cum itaque Eccleſiæ directionem, veluti portum, quo nauis ab alto appelleret, Proteſtantes oculis hominum eripuerint, tum in eis laborat Satanas: iam vnicuique data facultate ex priuato ſpiritu Scripturas interpretante, cuncta iudicare; definitos poſtea quoſcunque aſſenſus eneruare, vt viribus eorum exeſis, tota credulitas in eis demum cedat infidelitati. animaduertit enim Satanas, priuatos ſuos ſpiritus, oculatos fore, ita vt bene viſuri id omne in ſpiritu alterius, quod infeſtum & oppoſitum, vnde hunc definitum aſſenſum ex hoc ſpiritu, debitam certitudinem ex lege fidei diuinæ, amiſſurum, & ſic non tam fore fidem quam ſuſpicionem, quam vacillantem in ſuis opinionem, idem Satanas liquido intellexit. Enimuero ſi vel ad Scripturæ apertam literam, vel dignitatem auctoritatis, velit, exempli gratia, *Caluiniſta* aduertere, quæ apud Catholicos conſpicua, & aliqua etiam haud obſcura ei apparebunt apud *Neſtorianos*, *Arianos*, & *Lutheranos*, Fieri nō poteſt vt non fluctuet, incertuſque ſit in negocio ſuæ ſectæ, aut priuatæ fidei: neu aliunde ei certitudo, modo ab eo parum habita Eccleſia Catholica, aduenire poterit. hæc autem incertitudo ſicut vel naturæ fidei contraria, ita in infidelitatem prona.

19. Neque parum proteſtantes ſua inſcitia, etiā decreta ab ipſis, officiunt fidei diuinæ: quinimo potius fidem, quod ad multa apud ſe incultam, negligentiæ, & obliuioni tradunt delendam. Recte obſeruauit noſter *Briſtolius*, hodierna die non alia fidei dogmata illoſtractare ſiue in ſcholis, ſiue ſcriptis quam ea, ad quæ Briſt. Tom. 3. mot. 41
vtcumque elucidanda a nobis contradicentibus compelluntur. Proinde de creatione omnium ex nihilo, De natura hominis, de myſterio Sacroſanctæ Trinitatis, de Angelorum ſubſtantijs, locis, actionibus, de Reſurrectione, de extremo iudicio, nihil plane commentantur. Quorum in rebus diuinis incuria & oſcitantia atheiſmo omnino adminiculantur apud eos: ac inter alia incommoda, falſi nominis Philoſophiæ aditū aperiunt, quæ ſocordes & indoctos in ſententiam atheiſmi facile compellat. In Academijs proinde Proteſtantum in Anglia, raræ audiuntur lectiones Theologicæ & ſi quæ, nulla certi tamen Curſus methodo inſtituuntur, aut termino clauduntur. Et quemadmodū ſuæ ſcholæ ſilentio & ſocordia obruunt quodammodo fidei veritates, ita efficiunt vt externa loca careant diuinorum ſignis: eo ſpiritu id in eis perficiente, qui olim, teſte *Euſebio*, mouebat impios ad delendam ſpeciem Sepulchri Chriſti, Euſ. de vit. Conſt. ca. 25
tumulo & idolis eo loci excitatis.

20. Sunt denique alia fidei orthodoxæ firmamenta, quæ argumenta credibilitatis appellantur, ad perſuadendum fidem, ad eam contra tentationes retinendam plurimum facientia, vtpote deducta vel ab eorum auctoritate, qui fidem ſunt profeſſi, aut ab ipſis naturis re-

rum, a fidelibus catholice creditarum:de quibus poſtea a nobis diſputabitur. ea vero omnia Proteſtantes vel reijciunt vel conuellunt: quo,
Iudic. 21 ac ſi *Sampſonem* ſuis crinibus, impijs artibus ſpoliarent, fidei neruos diſſoluunt, & veluti in gracilé ſpumam reſoluunt: vnde demum atheiſmus admiſſus, de omnibus Dei in nos collatis luminibus ac donis, ipſis lenonibus & proditoribus, triumphet.

21 Hinc apparet quam ſit rebus ciuilibus noxius Proteſtantiſmus. Etenim per illum fidei coagulo aut vinculo ſemel reuulſo, illico deinceps ciues abibunt in factiones, quæ vt fidem ipſam corrumpent, ſic pariter virtutes omnes tam monaſticas quam ciuiles, a fide recta dependentes, ad extremum profligabunt.

——— *velut in ſiluis, vbi paßim*
Horat. lib. 2. ſerm. Sat. 3. *Palantes error certo de tramite pellit.*
Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit: vnus vtrique
Error, ſed varijs illudit partibus.

Ad quod incommodi auertendum, Romani, teſte *Cicerone*, ne ex promiſcua lectione Carminum Sibyllinorum, in rerum diuinarum intelligentia confuſæ interpretationes orirentur, *Decem interpretes delectos ex Ciuitate eſſe voluerunt, qui arcanos ſenſus Sibyllinorum oraculorum alijs propalarent.* Non enim ad gubernandum Rempu-
Cice. lib. 1. Diuinat. blicam idonea ſola Philoſophia, fraudes aut violentia, ſeorſim vſurpatæ a fide ac Dei reuelationibus, vti oſtenſum: etenim harum imbecillitates percipientes celeberrimi legum latores apud Græcos ſimul ac Barbaros, ideo finxere, ſaltē ſibi cum dijs quaſdā intereſſe neceſſitudines, quibus a ciuibus agnitis, conſtantius ac fidelius negocijs ciuilibus ab ipſis præſcriptis, operā darent: hoc eſt, vt Principes rectè imperarent, iuxta ac vectigales eis morem debite gererent.
Hom. Iliad 1. Heſ. Dies. & op. Plato de Regno. Clem. Alex. 2. Strom. hoc ab *Homero*, *Heſiodo*, *Platone*, *Ariſtotele*, *Clemente Alexandrino* adnotatum. Quamobrem quod Proteſtantes de diuinis fidem ſuis dogmatibus labefactent, quod eiſdem præcipua myſteria fidei, Chriſtianis chariſſima, & vtiliſſima, vituperent, ſubſannent, blaſphement, nullo modo admittendi in Rempublicam Catholicam, aut in ea impune permittendi: niſi in agris lupos, in vineis apros, in corporibus peſtes, in luce ſolis, orci tenebras, iuxta nouæ politiæ canones, locis in quibus ſunt ſoſpitales eſſe definire velimus.

Claud. li. 1. in Ruffin. ——— *non vana locutum*
Me fortaſſe putes: mutatos cerne Penates.

22. Neque ſolum iſtis modis fidei Chriſtianæ detrahunt Proteſtantes, verum eius vſum, beatitudini acquirendæ neceſſarium, plerique eorum negant. Hi proinde *Orpheos*, *Hercules*, *Socrates*, *Catones* ſperant ſe in cœlo quandoque viſuros. Atque cum generatim dicant, parentes
Cal. l. 2. Inſt. fideles, ob vim pacti initi inter Deum & *Abrahamum*, continuo in lucem edere prolem ſanctam, adeoque ad æternam fælicitatem prædeſtinatam, conſequenter atheos, hæreticos, paganos, Iudæos, Chriſtianorum perſequutores, conſtituunt abſque omni in eis fide in Chriſtum, regni cœlorū hæredes, quandoquidem huiuſmodi a Chriſto apoſtatæ & nefaria mōſtra, a parētibus tamē fidelibus originē ducere poterunt,

CAPVT III.

Fides diuina, quæ teſte Apoſtolo, virtus Dei in nobis, ac regni ipſius inter homines ſtabilimentum, iuxta normam Catholici aſſenſus, cis ſuæ credibilitatis argumentis inſtruitur, ex quibus triplici robore cō: firmata, in ſententias illi oppoſitas, ſuggeſtionis nempe diabolicæ, ethnicismi, ac hæreſeos, mirum in modum potens ad inualeſcendum. Proteſtantes vero ſua ſectæ ingenio, etiam cum clade rerum ciuilium, ne dum fidei ipſius interitu, hæc firmamenta Chriſtianæ credulitatis infirmant, adeoque exſcindant.

NEmini obſcurum, quam ſit rebus cum ciuilibus, tū ſacris opportuna hæc triplex fidei vis, quam recenſuimus. Satis notum, quod ad primam attinet, ſuperbiam humanæ mentis, præſertim ſi illi aliquid maligni ſpiritus adflauerit dæmon, plerumque fidei ſanctis vehementius reniti, eiuſque obedientiam non niſi ægre ferre ſolere. æquum idcirco omnino, Dei effatis credenti adeſſe quaſdam rationes fidei, quarum intelligentia in eo animus confirmetur, ne continua perturbatione diuexatus, ſeu anxietate perplexus, in ipſo principio tam ciuilitatis, quam ſanctitudinis omnia ſua conſilia ſentiat in ſe incertis motibus agitari. Quod porro ſocietas illa, in qua viget fides, ſit Dei ipſius hic in terris Regnum, expedit, hanc ipſam eis argumentis inſtrui, quibus multos in ſui ſententiam valido impulſu pertrahat, extendatque hoc ipſum Regnum Dei ad omnia loca ethnicorum, eorum iudicijs, eius dictis ac præſcriptionibus, pio affectu, & credendi promptitudine ſubiectis. Denique quum conſtet, etiam inter eos, qui Eccleſiæ imperio ſeſe ſemel tradidere, nonnullos reperiri, qui priuatim ſapiendo a Catholico cœtu ſeditioſe recedunt, & hæretici facti, eidem atrox quoddam bellum ſubinde indicant, prorſus conuenit, veræ fidei profeſſores eis rationibus fidei comparari & inſtrui, quibus hæreſim reuincant, hæreticos ipſos ad eccleſiæ obſequium poſtliminio reducant: dēmum ea etiam iuriſdictione, rationi conſonum, illos armari, qua de hæreſi in tribunali rite arbitrentur, hæreticos rebellantes pœnis etiam corporis cohibeant: ne vt loquitur Auguſt.
S. Auguſtinus, maxima pœna, quæ ſit mors animæ ac libertas peccandi, mitiori omiſſa, illos demum æternum perimat, iuxta ex eorum impunitate fides totius ſocietatis Chriſtianæ periclitetur. lib. 2. cont. Creſc. cap. 22. l. 2. cont. lit. Pet. cap. 63. epiſt. 50.

2 Hoc autem fidei robur triplex, coaleſcit præcipue ex quibuſdam argumentis, quibus vel ad prudentiam humanam, ea credibilis conſiderari apparet. Proinde ethnici, de quibus *Tacitus*, ac inter eos *Iulianus* Apoſtata, vt narrant *Gregorius Nazianzenus*, & *S. Hieronymus*, omnino errarunt, affirmantes, noſtram fidem in nobis exigere animos plane ſegnes, ſtupidos, nullius cordis homines, vt loquitur *S. Auguſtinus*: neu aliquid credentes nos habere præter ipſum *Credere*. Tacit. lib. 2. orig. l. 1. cōt. Celſ. Greg. Naz. orat. 1. cont. Iul. Hier. de viri. Aug. l. 1. cont. Creſ. cap. 20

Credere. Cæterum vt in alijs aliarum virtutum functionibus, a nobis præſtandis, obſequium noſtrum eſt rationabile: quod etiam ſuadet *S. Paulus*, ita in nobis fidei obſequium omnino rationabile inuenitur: Hoc eſt iudicio, rationi, ac prudentiæ, etiam excitatiſſimis, accerrimiſque in nobis conſentientiens: quod *S. Auguſtinus* pluribus elucidauit; *Neque enim anima*, inquit *rationalis credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit vocatio, vel ſuaſio cui credat.* hæc vero argumenta credibilitatis, vt aduertit idem *S. Auguſtinus*, pro qualitate ingeniorum, maiorem vel minorem vim obtinent. hic enim iſtis, alius alijs, hic pluribus, alius paucioribus in ſententiam fidei facilius, ſuauiuſque inducitur.

Aug. lib. 4. de Bapiſm. cap. 16. Ep. 42 de vtil. cred. de Spir & lit. Ep. 3. l. 1. ad ſimpl q. 2. l. de pec me,

3. Quatuor autem præcipue noſtræ fidei momenta, quæ cordibus fidelium dominantur, ea ſcilicet ſummo motu charitatis adficiunt: nempe Chriſti Domini, Euchariſtiæ ſacroſanctæ, Deiparæ virginis, & Apoſtolorum cogitationes. Dum Chriſtum Dominum ad memoriam reuocamus, propter perſonæ in illo cogitatã diuinitatem, vitæ innocentiam, actionis excellentem ſanctitatem, ſimulque paſſionis, noſtri cauſa, acerbitatem, vehementer dulcedine amoris ſolemus commoueri. hoc rectè expendit deuotiſſimus *Bernardus. Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? veniat in cor eius Ieſus, & inde ſaliat in os. & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? nonne ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?* Sacroſanctæ Euchariſtiæ meditatio accendit fidelium corda in Deum: quod ipſi in ſe ſentientes, veracem illam fidem omnino reputabunt, quæ hominem ad Deum ita euehit & quodam modo Deum hic in terris reddit: imo quæ ſua præſentia, vel ad oculũ adſtãtium, in Dæmones, humana corpora inſidentes, præualet: quod idem S. etiam *Bernardus* comprobauit. Beatæ virginis pia commentatio, quem non replet plane iucunditate, eius dignitate, puritate & bonitate animo conceptis? Denique Apoſtolos admiramur, & eorum memorias oſculamur, dum in eis Dei cauſa intuemur voluntariam paupertatem, diſcurſiones per orbem terrarum, ſtudium & propoſitum caſtitatis. hoc argumento vſus *Lactantius* fidem Chriſtianam eo credibilem reddidit, quo eam a fide paganica diſcreuit; affirmando ſcilicet, noſtram in cordibus mortalium vigere, illorum ſolum in manibus, ſeu ritu externo. Hæc autem quatuor, ſi veraces Proteſtantes, non multum fuerint efficacia ad corda hominum occupanda. Etenim Chriſtum cum *Neſtorio* diuinitate ſpoliant, ſacroſanctam Euchariſtiam ad elementa cuiuſdam tabernę extenuant: Imo hinc in Dei potentiam refractarij, iuxta ac eiuſdem bonitatem ingrati, non verentur blaſphemis iocis illius veritatem impetere: quaſi inde ea minus credibilis, quo infirmitati aut indignis caſibus obnoxia. eodem vero ſpiritu hoc agunt, quo teſte *Euagrio*, *Neſtorius* Chriſti diuinitatem, eius infantiam irridendo, impugnauit. *Ego* dicebat, *eum, qui ſpatijs menſtruis, hoc eſt bimeſtri ac trimeſtri, & ita deinceps, adoleuerit, Deum certe non appellauero.* Prius, vt narrat *Socrates* Ariani noſtris petulanter inſultarant iſtis vocibus: *Vbi ſunt illi, qui tria dicunt vnam potentiam?* Communem porro cum alijs mulieribus ſortem Deiparæ decernunt. Voluntariam paupertatem & votum caſtitatis in Apoſtolis clara, vituperant. ſed ad aliqua in iſtis comprehenſa particularia deſcendemus.

Bern. Hom. 1. de circum

Bern. Bonæ Vol. in vita. S. Bernard.

Lact. li. 4 de Sap. cap. 3.

Euag lib. 5. Hiſt. cap. 2.

Socrat. li. 6. cap. 8.

4. Qui idcirco ſemel fidem animo concipiens, poſtea ad aſpectum in ea difficultatis intelligibilis dubitare, vel angi incipit, eiuſdem fermè argumentis confirmandus, quibus ethnici in aſſenſum fidei primum commouendi. ad duo itaque reſpicit tentatione aliqua in hoc genere præoccupatus: primo ad auctoritatis magnitudinem, qua fides, quam ipſe ſemel profeſſus, approbatur. Deinde ad mirabilem quandam ex rebus creditis ortam vim, quantum ad vitæ excellentem præſtantiam, ac puritatem, tam quo ad intellectualia, quam moralia & actiua virtutum munera, proferendas.

5. Quod ad primum, animaduertit iſte, ſe non feciſſe fidei aliquem peculiarem delectum, qui ſuperbiæ adſcribi poterat, qualis omnibus hæreticis in delicijs: ſed ex vnitate vniuerſalis Eccleſiæ præcipientis ac docentis, omnes abſque diſcrimine fidei articulos admiſiſſe: vnitatem & cum alijs conſenſionem obſequenter eodem pariter ſeruaſſe. Ethnici, quod caruerint definita auctoritate hac viſibili, quæ indicio infalli, diuina ipſis credenda, aut cognoſcenda definite proponeret, inde diuerſa, ac plane oppoſita de illis ſentiebant, licet abſque magna aliqua diſcordia inde orta inter ſe, vt notat *Ariſtoteles*. Etenim fatebantur, & bene, rationem humanam ex ſe debilem eſſe ad diuinorum notiones capeſcendas: proinde grato animo vniuerſa ac multiplicia ab hominibus excogitata interpretabantur, pugnantia quantumuis & inter ſe cõtraria. at vero quod Chriſtiani præter priuatum lumen rationis, auctoritatem aliquam infallibilem ad definiendum in diuinis ſtatuant, ac cogitent, ideo illius auctoritatis penes aliquos cõtemptum, non ſolum in varietatem, vnitati Eccleſia ac fidei infeſtam, deſinit, quinimo in animis credentium moleſtas dubitationes, demum in alios iras, armorumque motus profert: non enim vt Ethnici, ac inter eos *Iulianus*, teſte *Cyrillo*, putant, indifferens, quod ad æternam ſalutem, ſic aut aliter de diuinis ſentire, ſed certo modo credere ad illam conſequendam neceſſariũ omnino arbitrantur. *Nullus*, inquit *S. Gregorius*, *ſuperna adoptionis gratiam habuit, niſi qui hanc per cognitionem vnigeniti accepit.* Comparat itaque eleganter *S. Auguſtinus* rectam fidem aquæ in medio inter duos montes fluenti, de qua Pſalmiſta: *Inter medium montium pertranſibunt aquæ: Quod ſentis, in medio fluit aqua. non habeo quaſi priuatum meum, nec tu priuatum tuum.* Subinde quærens, quamobrem ex ſententia Apoſtoli, anathemati ſubijciendi, quotquot doctrinæ ſemel traditæ repugnantia docent, reſpondit: *Quia de priuato volunt fluere non de medio.* Hinc idem Doctor affirmat, ad animi tranquillitatem, eamque inconcuſſam, facere obedientiam erga Eccleſiam, ſimulque fidei ſuſceptæ agnitam

Ariſt. lib. 9. eth. ca. 7.

Cyrill. lib. 4 cont. Iulian

Greg. lib 23 in Iob. c 15.

Aug Enar 2 in pſal. 103. Epiſt. 49 50

Pſalm. 103.

Augu. Tract 34. in 12. cap. Ioan. August. lib. 1 de Doct. Chryſoſt. cap. 36.

tam inde ſecuritatem. *Multum adiuuat cor fidele noſſe quid credendum non ſit, etiam ſi diſputandi facultate id refutare non poſſit.* alibi ait: *Homo itaque fide, ſpe ac charitate ſubnixus, eaque inconcuſſo retinens, non indiget ſcripturis, niſi ad alios inſtruendos. itaque multi per hac tria, etiam in ſolitudine ſine codicibus viuunt.* Idcirco tempore tentationis in rebus fidei, ad comparandum animi robur, totum negotium non eſt referendum ad internum in aliquo lumen, quod ſe ſolo Biblia colluſtret, quaſi ex hoc virtus & conſolatio vnice mutuandæ, ſed etiam deferenda cogitatio ad ſpectatiſſimam auctoritatem vnius eiuſdemque

August. in Pſalm. 118.

Eccleſiæ. *Quamuis enim Deus*, inquit *S. Auguſtinus doceat intrinſecus, tamen fides ex auditu eſt. & quomodo audient niſi a prædicante?* Nemini probabile videbitur, tam ingentem multitudinem hominum, qualem ambit & modo complectitur Eccleſia Catholica, in errores credendo turmatim impegiſſe: præſertim cum tam ſincere veritatem quærant, diuinis honoribus adeo ſtudioſe famulentur, præclariſque virtutum actionibus luciditiſſime inclareſcant. Quinimo tutum potius apparebit hoc meditanti, eam viam ingredi, qua illi ingreſſi, illam fidem amplecti, quam illi amplexati: priuato denique ſenſu elationis compreſſo, cum tam inſignibus Dei amatoribus, virtutumque cultoribus, in vnam fidei ſententiam ſancte & amanter conſpirare.

6. At vero Proteſtantes, quemadmodum neque vlli hæretici, ſi modo ad infidelitatē obiectu difficultatum in myſterijs, quæ credunt vrgeantur, conſolari ac confirmare ſeſe vnquā poterunt vnitatis ac conſentionis iſtius conceptæ in ſeipſis opinione: quinimo ſi ex vna parte ingenio valent, & ex altera ſuis dumtaxat velint principijs doctrinæ pertinacius inſiſtere, neceſſe eſt, eos infidelitati tandem ſuccumbere. volunt enim abſque reſpectu ad vllam Eccleſiæ auctoritatem ſiue præſentem ſiue iam elapſam, fidei ſuæ ſententiam, a priuato ſpiritu, Scripturas interpretante, definiendam. vnde ergo illis tentatis, ab Eccleſia, ab vnitate fidei, robur vel conſolatio accreſcerent? imo potius cuiuſdam immaniſſimæ ſuperbiæ ſpecies, vaniſſimique phanatiſmi eis obiecta deluſio; eorum hinc ſenſus territabunt, potentiuſque ab aſſenſu fi-

Gregor. li. 5. in Iob. ca. 18. August. lib. 2 contr. parmen. cap. 9. lib. de vnitate Eccle. c. 13 Hieron. Ep. ad Gerunt. August. in Pſal. 118. Enarra. 19. Amb. l. 5. de fid. cap. 4.

dei dimouebunt. *Prædicatio eorum*, ait *S. Gregorius quanto occultior, tanto ſanctior videtur. Communem autem ſcientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æſtimentur.* Proinde vt loquitur *S. Auguſtinus* de Donatiſtis, *Damnare audent orbem.* quique vt idem ſcribit, ideo hæretici eſſe volunt, *vt ab vniuerſitate ciuitatis ſuper montem conſtituta, ad particulas inſidiarum ſuarum multos ſeparent, & iugulatos abſumant.* Mali proinde Arithmetici omnes in vniuerſum hæretici, veluti totidem *Lamechi*, in duas aut plures diuiſi, vxores, qui nempe priuatim ſentiendo, teſte eodem *Auguſtino*, ex vno ſemper faciunt duo. *Quomodo ergo pacifici eſtis, vt cum Chriſtus faciat vnū de duobus, vos faciatis de vno duo?* Ex hoc capite affirmat *S. Ambroſius*, diſcretos inter ſe Arianos, ſicut modo Proteſtantes, vnitatis ſecuritati exciſiſſe: *Quoniam communiter aduerſus Eccleſiam Dei conſpirarunt.* Quamobrem cogitare poſſumus Proteſtantis alicuius animum duplici obiectu tentationum ad infidelitatem impelli primo, quo obſcuras difficultates myſteriorum, quibus credit, perſentiſcat: vtpote quod hæ Scripturæ Deo inſpirāte fuerint exaratæ, quod cū diuinæ naturæ vnitate ac ſimplicitate cōſiſtat triplicitas Perſonarum, quod abſque confuſione naturarum, eadem perſona ſit Deus & homo; quod humana caro poſt cineres ſepulcrales, poſt diuerſorum animalium ex illa cibationes, rediuiua ſit reſtauranda, ac in cœlum empyreum demum inuehenda: quod ſalus omnium hominū prædicationi Euangelij, ac in illud fidei, ſit adſtricta. Altero, quo videat, ſi Lutheranus ſit, ſe non modo a Catholicis, ſed a Caluiniſtis etiam, alijſque hoſtibus Eccleſiæ Romanæ diſſentire. Ex quo liquebit reſpectu neutrius generis, quātum ad vim ſuæ ſectæ, ſatis fortem illum eſſe ad firmitatem fidei retinendum, aut ad iucundam conſcientiæ tranquillitatem poſſidendum.

7. Priora quidem animaduertet vehementer a multis gentibus impugnata: porro etiam in illis Philoſophiam armatam eſſe, illiſque paſſim reclamare. haud ignorabit: quorumque reuelatio, cum ſit illi obſcura, tot cauſis dubitationum non eſt quod ſecure opponat priuatum & ſolitarium ſuum ſpiritum, nulla cum alijs vnitatis conſenſione, vel pondere externæ auctoritatis, roboratum. quid ad hæc præſtabit nocturnum ac phantaſticum illud lumen, quo ſe illuſtrari exiſtimabit, quandoquidem etiam erroribus decepti, ac in craſſiſſimis tenebris verſati, ſe lumine quodam interius nihilominus ſplendere gloriari ſolent? Enimuero myſteriorum fidei tam alti ſunt ſenſus, adeoque in illos natiuo quodam vigore, mentis humanæ intelligentia continuo depugnat, vti ad perſiſtendum in eorum aſſenſu, neutiquam ſufficiat merum animi lumen, quo ſe imbui quis aliqua coniectura fortaſſis exiſtimabit. Verum non ſolum ethnicos copioſis ſuis populorum turmis, validiſſimaque ipſorum argumenta ipſum vndique obſidere ac impetere videbit, quin imo etiam omnes Catholicos, & innumeros pariter hæreticos ſibi eſſe infeſtos perſpiciet. ſi priuati ſui ſpiritus ac ſuæ propriæ perſonæ auctoritatem cum illorum auctoritate, ac etiam ſpiritibus, contulerit, abiectiſſime ſe iacere deprehendet, niſi immani ſtultitia eius animus laborarit. ſi argumentorum momenta apud ſe recondita cum illorum oppoſitionibus compararit, pariter niſi in eo ratio penitus fuerit extincta, intelliget, partes ſuas fragiles ac caducas omnino ſupereſſe: præſertim cum nihil apud ſe retineat præter priuatum ſenſum, quem tot infeſtis armis planè inermem opponat. Videbit, proprio dumtaxat iudicio innixum, totum genus humanum condemnare, & ideo erroris reum agere, quod ſui ſpiritus ſolius tribunal contempſerint. ſi alios ducat in errorem lapſos, quantumuis ſibi internum lumen polliceantur, prætendantque æque ac ipſe ſacrum ſcripturæ textum ſuis dogmatibus, quomodo non ſuſpicabitur, ſe quoque a veritate declinaſſe, falſumque ſenſum ſcripturæ verbis elicuiſſe, licet internum lumen videatur in ſeipſo perſentiſcere, iuxta ac a ſe

ſtare

ſtare vim totius ſcripturæ exiſtimauerit? Hoc enim omnes hæretici ſibi aſſumpſere, eique innixi, palmam victoriæ ſibi ſunt ſeorſim polliciti. Apte idcirco *S. Iudas*, hæreticos vocauit *ſidera errantia. Sidera* quidem, quod in alto cæli, quaſi diuinioris intelligentiæ ſphera, præ alijs ſe ſulgere gloriantur. At *Errantia* dixit, quod eorum ſpiritus priuatus, incertis oppoſitiſque motionibus agitetur, vt lepus cubilia, ita ſententias idemidem mutet. Quorum errantium ſyderum fucatis ſplendoribus opponit *S. Iudas* tria contraria: nempe infernum, quod eorum ſublimitatibus reſpondeat, tenebrarum caligines, quæ eorum fulgores expugnent, demum pœnæ æternitatem, quæ vanæ gloriæ parum duraturæ in ipſis ambitus ſuperet. *Quibus caligo tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Sapiens autem catholicus, vt notat *S. Ambroſius*, *Cum luna non mutatur, ſed permanet cum ſole.*

Iudæ Epiſt.

Ambroſ. Epiſt 11. Eccleſ. 27.

8 Catholicus porro tentatione aliqua ad fidem ipſius euertendam intentata agitatus, perſpicue intelliget, ſe tam auctoritatem diuinam, quam optimam, quæ in terris eſt, eam nempe, quæ Eccleſiæ Catholicæ, pie, modeſte, humiliter, ac prudenter quod ad fidei ſuæ cultū, ſequutum: proinde non ſolum credendo alienum a culpa, quæ in offenſam Dei incurrat, quinimo veritatis certiſſimum aſſequutorem ſe optima ratione ſecurius pronunciabit. Si enim in negotio fidei, vt docet *S. Auguſtinus*, auctoritas eam profitentium vel maxime ſpectanda, firmo profecto animo fuerit catholicus, Eccleſiæ catholicæ, vbique diffuſæ, & ad culmen auctoritatis euectæ, vt idem affirmat *Auguſtinus*, magiſterio inhærens: cum qua omnis aduerſa auctoritas collata, abiectiſſime iacere ac ſordere ei patentiſſime videatur. Nullo modo credibile ipſi apparebit, eam auctoritatem, quæ in idololatriam inualuit, quæ ſe ad omnia mundi loca generoſo greſſu dilatauit, quæ vnius fidei agnitione tot alioquin diſcordes populos illuminando, in vnam familiam deuinxit, quæ paſtorum doctrina, virtutibus, ſucceſſione & miraculis inclaruit: quæ tam ſedulo dei honoribus ſemper ſtuduit, ſe in ſententiā falſitatis a veritate abduxiſſe. *Nulla eſt*, inquit *S. Auguſtinus*, *ſecuritas vnitatis, niſi ex promiſſis Dei Eccleſia declarata, quæ ſuper montem dictum conſtituta, abſcondi non poteſt: & ideo neceſſe eſt, vt ab omnibus terrarum partibus nota ſit.* Securum, dixit idem *Auguſtinus* in eius Eccleſiæ communione manere, *Per cuius vniuerſitatem id nunc agitur, quod & ante Aggrippinum, & inter Agrippinum, & Cyprianum per eius vniuerſitatem ſimiliter agebatur. Id autem fiducia ſecura vocis aſſerere, quod in gubernatione domini Dei noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti, vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt: cui vel communicare gaudete.* Ob hanc cauſam appellat *Tertullianus* fidem catholicam, *Fidem moratam* ſeu ſtabilem. Abſurdum & impium affirmare, Eccleſiam hanc viſibilem, quæ extitit temporibus *Lutheri* ac *Caluini*, deſtitutam præſidio ſpiritus ſancti, ita vt viſibili ſchola, viſibili prædicatione, viſibili ædificatione corporis Chriſti myſtici, illius ſpiritus præſidentia non comparuerit. Hoc enim pacto eccleſia, Chriſti ſponſa, partim fuerit virgo, partim meretrix, partim relligioſa, partim ſuperſtitioſa, partim pia, partim idololatrica, partim audienda, partim odienda, partim a Chriſto poſſeſſa, partim a diabolo inſeſſa. Proinde qui ad eccleſiæ conſiderationem animum adiecerit, vel quouis etiam tempore præſentem, quouis ſtatu conſtantem, reputabit perpetuo firmiſſimam columnam veritatis, Caſtiſſimam Chriſti ſponſam & virginem, nec poſſe ſuo dogmate, ſuo ritu doctrinam noui aut veteris Teſtamenti tenere: quaſi ſpiritus ſanctus Scripturas condens, eſſet ſibimet contrarius eccleſiæ præſidens, aut contra illiuſmet promiſſionem, eccleſiam deſerens. Imo non potuit errare eccleſia, orto *Luthero*, niſi pariter errauerit in ſuo primitiuo flore. Si errant tunc Purgatorium adſerendo, errauit eccleſia primitiua, cuius praxim indicat *Conſtantini Magni* votum, cupientis ſe ſepeliri iuxta reliquias Apoſtolorum, quo gauderet illum locum adeuntium precibus, & earum participatione, vt narrat *Euſebius*. Hoc dico de cultu Sāctorū & Reliquiarum, de Miſſæ incruento Sacrificio, de cœlibatu Sacerdotum & reliquis.

Auguſt. lib. de vtil. cred.

Auguſt. Epiſt. 5. 6.

Auguſt. lib. 3. cont. parmen. cap. 5.

Auguſt. lib. 3. de baptiſ. cap. 3. lib. 7. cap. 3.

Tertull. lib. de car. Chriſoſt. lib. de patient.

Ephes. 4.

Euſeb. lib. 4 de vit. Coſtant. cap. 60 cap. 45. Sorrat. lib. 1. Hiſt. cap. 8.

9 Proteſtantium vero animis infidelitatis impetu pulſatis, nulla prorſus occurrit Eccleſiæ Catholicæ auctoritas, nulla in ea Patrum ac paſtorum dignitas, nulla ab hiſtorijs eius nota ſanctitas, conflictantibus adueniunt, quæ illos conſolentur, aut in fide, diuerſimode concuſſa, ſtabiliant. Etenim *Lutherus* & *Caluinus* cum Donatiſtis auſi Eccleſiam catholicam idololatriæ, ſuperſtitionis accuſare: eo etiam tempore, quo poſt ætatem *Gregorij* Magni conuerſione Gentium, iuxta veteris Teſtamenti prophetias, a ſe præſtita, maxime inclaruit, ac Chriſti ſponſa ex eo inclita apparuit. In eadē Patres ac Cōcilia generalia auſi impugnare, priuatim ab ea & extra eam ſapere, proprio ſpiritu in alium aut contrarium ſenſum ſcripturas interpretari. Quod ergo illis aderit ſubſidium, ſi a noſtris vel ab infidelibus impugnentur? Quæ obſecro hiſtoria recolit, quod ad fidem, Proteſtantes ſua multitudine orbem terrarum aliquando tenuiſſe ſibi ſubiectum? in ea paſtores Proteſtantes, eruditione, ſucceſſione, ſanctitate, rerum geſtarum gloria ac miraculis fuiſſe nobilitatos? nihil profecto horum eorum oculis obuerſatur, ex quo iuxta prudentiæ normam in ſua ſecta conſolidarentur. Enimuero affirmantes, regulam non eſſe ſuæ fidei traditionem Eccleſiæ, aut in ea Patres, quandoquidem erroribus, vt ipſi dicunt, ſubiectos, ſed omnem veritatem priuato ſpiritu e ſacris literis ab hominibus petendam, eo atheiſmo viam aperte muniunt: quandoquidem ſine credita auctoritatis Eccleſiæ inconcuſſa virtute, fides vt diximus, nequeat ſubſiſtere. Quamohrem proteſtantes cum *Luthero* & *Caluino* deſertores ſunt, & tales quales exeunt ab eccleſia, vt eam reforment. Exire autem ab eccleſia, eſt dogma aut praxim profiteri cōtra ſenſibile dogma & ſenſibilem praxim in eccleſia viſibili: quod cum nō conueniat dogmatibus & praxi Catholicis, conueniet ex amuſſim dogmatibus & praxi Proteſtāticis. Quorū vt dixit *S. Athanaſius*. *Paucitas, non poteſt eſſe præiudiciū orbi terrarum.* Ob hanc cauſā *Arius*, *Aetius*,

Athan. apud Theodor. lib. 4. Hiſt. cap. 8. Socrat. lib. 2. cap. 28.

Athan. Serm. 2 contr Arian. Hieron. Epiſt. ad pamma.

vt ſcribunt *Socrates*, *S. Athanaſius* & *S. Hieronymus*, atheorum nomina aſſequuti, quod aut ſpreuerint Patres, vel priuatis ſuis ſpiritibus diiudicandos impie dimiſerint. Cum enim, vt diai, fides ab auditu propagetur, tum ea intercidet plane, ſi nullum ſit certum iudicium vocis, vel alicuius externæ auctoritatis, quod auditum feriat. Nam ſi vox, ſeu iudicium hoc vel in vno falſum, quare in aliquo æſtimandum vel ſequendum ? aures itaque ſuas dum Proteſtantes a vocibus Patrum, a iudicio Eccleſiæ faſtuoſe auertunt, eodem fidem, quæ ab auditu deriuatur, animis concipere aut retinere non poſſunt. Fruſtra etenim ob ſpiritum internum ſibi interea loci oblandiuntur, cum fides nequaquam ab illo tantum, ſed ab auditu & Eccleſiæ auctoritate docente oriatur: vt ex ſcripturis infinitis in locis contra eos demonſtrat *Sanctus Auguſtinus*. Quamobrem omni ſubſidio ab Eccleſia catholica deſtituti Proteſtantes, nihili inde faciunt Chriſti hæreditatem, terminos orbis terrarum poſſidentem, continentem, vt notat idem *S. Auguſtinus*: ſcilicet, copioſum credentium numerum: ſemper inſtar proditorum, præ oculis habentes paruulum ſaluandorum gregem, illumque prorſus inuiſibilem, neu monumentis alicuius hiſtoriæ a temporibus Apoſtolorum ad *Lutheri* vſque ortum, conſpicuum. quam ergo infauſtus iſtis receptus ad Eccleſiæ gremium, ad matris piam potentiam, quo concuſſi tentatione, fidei ruinam minitante, ſubſidium aliquod preſtolentur, expectent aut inueniant?

S. Auguſt. Epiſt. 164. ſerm. 18 de verbo dom. Prolog. de doct. Chriſt. an Gregor. lib. 30. In Job. cap. 32. 33. cap. 28.

20 Cæterum haud parum recreabit animum Catholici, quem aliquis conflictus in infidelitatem commouit, cogitatio, qua ſecum reputat admirabilem vim ſuſceptæ fidei ad morum ſanctimoniam, eorumque excellentiſſimas actiones: ita vt illi poterit inde conſtare, ſe pariter eodem receſſurum ab ardente amore dei & proximi, ab eximia vitæ puritate, ab ingenti odio peccati, a virtutis flagrante cupiditate, quo a fidei ſententia, per aſſenſum infidelitatis ſeſe auertere decreuerit. Declarauit Chriſtus Dominus, fidem, quam nos docuit, propenſiſſimam eſſe in vitæ probitatem. *Si quis fecerit voluntatem Patris, talis cognoſcet de doctrina mea.* Proinde ex aduerſo oſtendit, appetitum honoris ac ſuperbiam, obſtare fidei ingreſſui in animam, *Quomodo credere poteritis, cum honorem ab inuicem quæritis? Non itaque mirum eſt*, inquit *S. Auguſtinus*, *quia non poterant credere, quorum voluntas ſic ſuperba erat, vt ignorantes Dei iuſtitiam, ſuam vellent conſtituere.* Vnde auctor Quæſtionum noui & veteris teſtamenti: *Nos, qui ſtulti a paganis dicimur, Deo noſtro non credidiſſemus, niſi nobis ſatis feciſſet etiam teſtimonijs virtutum: nec legem eius ſuſcepiſſemus, ſi non illam puram, & ipſa profeßione dignam, cognouiſſemus. Quæ enim maior poterit eſſe teſtificatio veritatis, quam eſt operatio virtutis?* Proinde ſi cum animo ſuo myſteria fidei noſtræ diſcuſſerit tentatione aliqua impetitus, arbitrabitur, nihil vnquam extitiſſe, aut modo eſſe infra viſionem beatificam, quod ita corda hominum accendat amore dei, ac ſtudio puritatis, vt noſtra facit ex fide diuinorum cognitio. Animaduertet, filij Dei Incarnationẽ, magnetem plane eſſe, qui ad Deum, omnium que virtutum actiones, mortalium corda concitatiſſime attrahit, ſimulque perfecta exemplaria in eadem relucere deprehendet, quorum viſu ad excellentem formam moris & vitæ dirigatur. Eccleſiam matrem, Spiritus ſancti ſubſidio diuitem & confirmatam, videbit tutum eſſe azylum ſupernæ doctrinæ; in cuius præſidijs manentes, veluti ad portum appulſos, in omni genere probitatis diligenter occupari, intueri poterit, vt recolit *Euſebius*. In eadem Eccleſia, Sacramentorum diſpenſationes, cum numero, noſtri ſtatus indigentijs concinne aptatas, tum gratiæ cæleſtis vbertate plenas ac redundantes: præſertim Sacroſanctæ Euchariſtiæ diuinum illud edulium, ad omne animi robur inſigne monumentum, ad eius ſuauitatem ac guſtum prorſus nectar & ambroſiam, ad cupiditatem virtutum, vitiorumque odium, vehementiſſimum incentiuum, perſpiciet: iuxta ac religionis æternam ſpeciem ibidem ſic animi oculis contemplabitur, vti inde iudicaturus plane, ſe fidei noſtræ nuncium remittere haud poſſe, niſi eodem a Deo, a ſanctimonia diffugere ei ſententia ſteterit infeliciſſime. Porro Apoſtolicam doctrinàm mente pertractans, quæ de virtutum præſtantia, earum pondere, præmio, ſimul ac quæ de vitiorum turpitudine, pœniſque diſſerit; poſtquam explicate eius ſenſu informatus fuerit, omnino iudicabit, noſtræ fidei vim ac legem, de qua Apoſtolus, eſſe charitatem, omnes virtutes in ſe complectentem, vt egregie oſtendit *S. Auguſtinus*. Quæ etiam charitas, teſte *S. Paulino*, ille fauus eſt dulcedinis, quem in cadauere Leonis inuenit *Sampſon* noſter Chriſtianus.

Tertull. Apolt. cap. 46.

Ioan. 7. 11.

Auguſt. tract. 44. in Ioan.

Auguſt. lib. 3. qu. Vet & no Teſta. cap. 17.

Euſeb. lib. 1. præp. cap. 10.

Auguſt. de ſpir. & lit. In pſalm. 128 concion. 2. Paulin. Epiſt. 4 ad Seuer.

21. Proteſtantes vero, ſi premantur aliqua tentatione ad infidelitatem inſtigante, præclaras has formas virtutum & charitatis in vniuerſa ſua credulitate minime agnoſcent expreſſas, quarum viſu roborentur. Sunt ex illis, qui Chriſtum dominum humana perſonalitate ſubſiſtere autumant, ac proinde Deum non eſſe ſubſtantialiter, ſed dumtaxat gratiæ accidentalis participatione: quod ſane erga tantum benefactorem affectus humanos reprimit prorſus ac retardat. Eccleſiam non habent, a cuius vberibus, infantum inſtar, ſecurius pendeant, curioſa interim in diuinis inquiſitione continuo ſoliciti: proinde in vnum ſpiritum priuatum intendentes, ſententijs eodem fluctuant, anxietatibus autem omnino conficiuntur. At neque Sacramentorum apud eos conſiderationes, magni aliquid, quod ad vitæ honeſtatem, & innocentiam multum conducat, in eis inueſtigabunt; volunt quippe Sacramenta nihil eſſe aliud, quã meras picturas diuinarum promiſſionum: proinde ea frigere plane ad incitandum hominum animos vlla ſingulari charitate, aut deſiderio perfectionis nec immerito exiſtimabunt. Religionis externæ apud eoſdem facies aut nulla prorſus, vel omnino deſpicabilis. Atq; de virtutibus ac vitijs, eorũ opiniones, proiectæ prorſus ad omnẽ vitæ turpitudinem. Quid enim præclari virtuti attribuunt, qui illi libertatem

Beza de re Sacrament.

actus

actus humani adimunt, qui vitij damnabili macula perpetuo, etiam in optimis hominibus, contaminatam dicunt, qui momentum meriti ei detrahunt? Aut quid vitio, ſeu peccato, mali permittunt, contendentes, eiuſdem appulſu actu ne gratiam iuſtitiæ non expelli, vel credenti nocumentum aliquod ſpiritus eo inculſum iri? Quocirca ſi ſolicitentur ad repudiandum ſuam fidem, facile ſecum iudicabunt, ſe eo, vtpote perſuaſionis ſordidæ interitu, nihil magni momenti, quo ad probitatem, aut Dei, ex vitæ actione imitationem, deſerturos.

12 Ad robur porro fidei diuinæ ſpectare Rationes credibilitatis, quibus ethnici & Iudæi in eiuſdem fidei aſſenſum inducantur, nemo plane ignorat: in eis enim velut in *Sampſonis* crinibus, latet fortitudo omnino admirabilis. (Iudic. 16.) Primo loco, ad conuerſiones externarum Nationum, fides catholica ſuos catechiſtas mittit inſtructos vera cognitione Maieſtatis, amplitudinis, fortitudinis, ordinis, ac ſanctitatis in Chriſti Eccleſia ſpectabilium. Dicet ergo noſter catechiſta, in hac eccleſia, ſeu regno dei, reperiri eximiam formam regiminis ad exemplar regni Dei in cœlis, Monarchiæ ſcilicet: vt inde ſumma vnitate eccleſiæ inſtituta, vnitas etiam fidei apud omnes fideles, cum maxima charitate & animorum conſenſione, inde ſtatueretur. Proinde ad Regnorum aut Nationum diuiſiones per varios abſolutos Principes, Dei eccleſiam non eſſe diuidendam affirmabit, ſed fore potius in ea omnes vnius Patris filios, vnius Vicarij Chriſti diſcipulos, quamrumuis aliunde diſcrepantes, mundo vniuerſo & genere humano hoc pacto in vnum regnum coaleſcentibus, pronunciabit. Deſcribet pariter in hac eccleſia qualitates perſonarum, qui ſacris operantur, vtpote Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorciſtarum, Oſtiariorum, ac reliquorum in ſacris miniſtrorum. (Ignat. ep. ad Trall. ad Philip.) Quorum, vtpote certo ordine digeſtorum, aſpectus, plurimum commouebit animum alicuius ethnici in eccleſiam ingreſſuri.

13 Addet, ſecurum fore illi aditum in conſortium Chriſtianam fidem in hac Eccleſia profitentium, quandoquidem eo non ſit inhæſurus *Figmento humano*, vt ait *Sanctus Auguſtinus*, ſed inſtituto diuino. (Auguſt. lib. de geſt. cum Gaud. cap. 33.) In qua eccleſia infallibilem, ob aſſiſtentiam perpetuam Spiritus Sancti in ea, veritatem ſemper tenebit, ac inde cum alijs fratribus inuincibilem concordiam iugiter ſeruabit. Hoc ſane mirum in modum arridebit iudicio huiuſmodi Ethnici, eo quod conſolationis ac tranquillitatis plenum: eccleſia enim non ſolum arca *Noë* ei videbitur ad nauigandum; ſed etiam portus cœli ad appellandum.

14 Procedet porro noſter catechiſta ad, enarrandum res geſtas ab eccleſia: videlicet numerabit ei annos ſuæ ætatis, ac inter illos, iniqua ac dura tempora, hæreſes & perſecutiones varias in eam inferentia, ad memoriam reuocabit. Explicabit quo modo tamen non obſtantibus iſtis incommodis, ac ne quidem malis moribus in Chriſtum credentium id impedientibus, catholica ſit: hoc eſt quæ omni tempore & omni loco, a promulgato Euangelio extiterit; quod eadem deuictis hæreſibus, ſuperatis perſequutoribus, iuxta Prophetias veteris Teſtamenti, ſe per orbem terrarum ampliſſime dilatauerit: (Gen. 12. Rom. 2. 11.) eadem in illa doctrina fidei ſimili tenore ſemper currente, & continua Paſtorum in eadem ſucceſſione, vſque ad præſens tempus, a Chriſti & Apoſtolorum ætatibus, fidem ad nos vſque deducente. Dubio procul, hoc expenſum a Pagano, haud parum illum inflectet in aſſenſum noſtræ fidei. In quam ſententiam ait *Sanctus Auguſtinus: Tenentes Eccleſiam, quæ dilatatur & creſcit per omnes gentes & per vniuerſam terram, non vtique figmentum ſequimur humanum, ſed promiſſum, factum, quæ diuinum.* (Auguſt. lib. de geſt. cum Gauden. cap. 33.) Apte idcirco comparat idem *Sanctus Auguſtinus* Eccleſiam catholicam veſti ſeu poderæ, cuius ora quaquauerſum plurimum ſpacij ambiat. (Auguſt. lib. 2 cont. lit.) *De hac ora veſtis per omnes gentes vnitas tota contexitur. Hac intrauit Caput in veſtem, vt indueretur Chriſtus varietate orbis terrarum: quia in hac ora veſtimenti apparuit varietas ipſa linguarum.* (Act. 2.)

15 Huius argumenti tantum eſſe ponderis arbitrati Sancti Patres, vti ex eo probarunt contra paganos Chriſtum eſſe Deum, & eius fidem diuinam. *In quem enim alium* inquit *Tertullianus, Gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui iam venit?* (Tertull. lib. cont. Iudæos.) in quam ſententiam, *Chryſoſtomus* multa diſputauit. (Chriſoſt. homil. quod Chriſt. ſit Deus.) *Cor rectum*, ait *S. Auguſtinus, iam Chriſtus poſſidet: quod adhuc eis clauſum eſt, qui ferro pugnant, non eſt clauſum illi, qui ligno pugnat. Dominus enim regnat a ligno. Factus eſt autem mons magnus & impleuit vniuerſam faciem terræ. Hæc eſt eccleſia catholica, cui vel communicare gaudete.* (Auguſt. in Pſalm 80. de vnit. Eccl. cap. 2. & lib. 20. cont. parm.) *Nunc autem videmus orbem terrarum iam reuelato corde ſaginari per euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quid eſt hæretici, quod de paucitate gloriamini, ſi propterea dominus noſter Ieſus Chriſtus traditus eſt ad mortem, vt hæreditate multos poſſideret?* Ob hanc inſignem victoriam fidei Chriſtianæ, Chriſtiana quadam charitate inſultat is ipſe *S. Auguſtinus* Ethnicis, ad huc renuentibus ſua colla Chriſto ſubdere. Hi Chriſtum, quod in monte Caluariæ crucifixus, ſolebant deridere, vſurpantes illa verba puerorum infælicium, qui Elizæo conuiciabantur: *Aſcende calue, aſcende calue.* (4. Reg. cap. 2.) Cæterum illos vano riſu exultare iam a Chriſto debellatos oſtendit *Auguſtinus*, quandoquidem *Eliſæus* noſter cõuerſione Gentium præualeat in paganos. (Auguſt. Ep. 59.) *Ita rideant*, ait, *Scripturas: quantum poſſunt rideant, dum per ſingulos dies rariores paucioreſque ſe videant vel moriendo vel credendo.* Adiungit vſque ad finem mundi, virtute Euangelij fore indies pauciores paganos, donec tandem penitus exterminentur. Et quod attinet ad Græcum paganiſmum, eum per Chriſtũ hodierna die intuemur vbique penitus deletũ. *Quis vnquam*, quærit *Euſebius, ab omni ſæculorũ memoria aut Rex aut Princeps, aut Philoſ. aut legiſlator: aut propheta ſeu Græcus* (Euſeb. orat. in Laud. Conſtan. cap. 4.)

*barbarus fuerit, tantum virtutis decus eſt conſequutus,
vt ipſius nomen ad omnium hominum aures, qui in ter-
ra degebant ætatem, permanaret, inque omnium ore &
ſermone verſaretur?*
26 Dum vero hæc Eccleſiæ vniuerſalitas &
amplitudo per omnes nationes propagarentur,
Catechiſta orthodoxus declarabit Ethnico e-
gregie res geſtas profitentium fidem Christianã.
Recenſebit illi fraudes primorum hæreticorum
verbo dei ſua hæreſes honeſtantium. Explica-
bit eidem violentias tyrannorum & Imperato-
rum, fidem Chriſti impugnantium: & eorum
oſtentu mirabitur pagani animus victorias no-
ſtrorum in tot Dracones & Leones. In quem
Pſalm. 90. etiam finem Generalia Concilia, in hæreticos
veluti totidem erecta trophæa, ob oculos illius
pagani ſtatuet Catechiſta: commentaria quo-
que eidem recenſebit Doctorum Græcæ ac La-
tinæ eccleſiæ. Et quod ad hæreſes attinet, ad-
nectet, quomodo inter reliquas, Proteſtantiſ-
Apocal. 12. mus tot vnius hydræ, ſeu beſtiæ in Apocalypſi,
hæreſibus, veluti totidem capitibus conſtans, &
in eccleſiam Romanam, ſeu Mulierem & eius
filium eo perditum depugnans, nihilominus
hodierna die armis eiuſdem eccleſiæ Romanæ
concuſſus, langueat, in contumeliam in de-
ſpectum ac contemptum paulatim tendat. Iſtis
plurimum ad credendum incitabitur paganus,
niſi naturæ lumen velit in ſe obſtinandu com-
primere, & ſe totum in tenebras induere.
27 Quod etiam natura hominis, virtutum ſe-
mina & primordia in ſe contineat, inde maxi-
marum virtutum oſtenſa incrementa, quæ pe-
perit fides Chriſtiana in animis fidelium, haud
leui ictu ad credendum illum externum incita-
Rom. 14. bunt. Hoc argumento in primitiua eccleſia vſi
ſunt *S. Paulus, Athenagoras* & *Iuſtinus martyr*, fi-
dem facientes externis hominibus, quod qui in
paganiſmo vitioſiſſimi erant, ſubito facti Chri-
ſtiani, caſtiſſimi, puriſſimi, ſanctiſſimique eua-
ſerunt: ita vt ex doctrina noſtræ fidei ſancta &
immaculata, ſancti & immaculati mores mira
Rom. 6. mutatione prodierint. *Hæc quidem fuiſtis, ſed ab-
luti eſtis, ſed ſanctificati eſtis:* Abluti infuſione gra-
tiæ habitualis, ſanctificati operibus virtutum:
Pſalm 118. quæ olim in veteri lege dicebantur *Iuſtificatio-
nes*. Hinc memoriam ingeret Catechiſta eo-
rum, qui charitate incredibili iuere in efferas &
barbaras nationes, eas ad fidem Chriſti con-
uerſum: exponentes ſe tot periculis & iſtius vi-
tæ miſerijs. Originem autem tantæ in natura hu-
mana mutationis, ac tantarum virtutum in fi-
delibus, docebit paganum catechiſta, poni in
doctrina fidei ab omni libidinis & impuritatis
næuo alieniſſima. Inde per gratiam Chriſti,
virtutum dignitates, ex ſententia noſtræ fidei,
pagano oſtendet, ſimulque vitiorum turpitudi-
nes eadẽ patefactas narrabit: adeo vt vel occul-
tiſſimus animi conſenſus in interdictam volu-
ptatem, ſit noſtri dogmatis iudicio, homini le-
thalis & æternæ damnationi obnoxius. Hanc
conſiderationem antiquiſſimus *Athenagoras* ini-
ecit animis Paganorum, Chriſtianos perſequẽ-
tium, loquens ad eos de oſculo pacis, quod o-
Ath. Apol. lim Chriſtiani in ſacris mutuo porrigebant. *Non
aliter quam pia ſalutatio, vel potius adoratio habe-
tur: quæ ſi vel parum impura cogitatione colinquina-
ta fuerit, a vita æterna alienat.* Hanc eandem a-
uerſionem a labe voluptatis, & reliquis bonis
iſtius vitæ, ſpectabilem in primis illis Chriſtia-
nis, iſtis recolit *Lactantius* poſt *Iuſtinum Marty-* Lact. l. 5. inſt. cap. 3. iuſtin. orat.
*rem. Præceptis & ipſa re eam vitam ſequuti ſunt, quæ
& voluptatibus caret, & omnia quæ habentur in bo-* Conſt. orat.
nis ſpernit: ſed etiam morituros eſſe ſe & ſcierint & cap. 12. 13.
*prauiderint, & poſtea vniuerſos, qui eorum diſcipli-
nam ſequuti eſſent, acerba & nefanda paſſuros.* De
hac ipſa doctrinæ Chriſtianæ puritate & inno-
centia, præclare quoque diſſerit *S. Auguſtinus. Il-* Aug. ep. 5.
le, inquit, *huic doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel
errando eam neſcit eſſe ſaluberrimam, vel odit ægro-
tando medicum. Scio excellentiam tuam quorundam
perpeti obſtinatiſſimas contradictiones, qui propterea
putant, vel putare volunt Chriſtianam doctrinam v-
tilitati non conuenire Reipublicæ, quia nolunt ſtare
Rempublicam firmitate virtutum, ſed impuritate vi-
tiorum. Proinde qui doctrinam Chriſti aduerſam di-
cunt Reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctri-
na Chriſti milites eſſe iuſſit. Dent tales Prouinciales,
tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales fi-
lios, tales dominos, tales ſeruos, tales Reges, tales Iu-
dices, tales denique debitorum redditores & exacto-
res ipſius fiſci, quales eſſe præcipit Doctrina Chriſtia-
na, & audeant dicere eam aduerſam Reipublicæ eſſe;
imo vero dubitent eam confiteri magnam, ſi ei obtem-
peratur, ſalutem eſſe Reipublicæ. Conſtantinus* inſti-
tuens comparationem inter veterem ſuperſti-
tionem & religionem Chriſtianam, hæc intu-
lit: *An non hic vera & germana concordia? an non* Conſt. ora. cap. 23.
*perpetua benignitas! an non errati reprehenſio, quæ
admonitionem adhibet non ad perniciem, ſed ad cura-
tionem, non ad crudelitatem ſed ad ſalutem, ſince-
ramque fidem, primum erga Deum, deinde erga homi-
nes, quos natura deuincit, ſuauitatem! Huc accedit
miſericordia in eos, quos aduerſus fortuna caſus oppu-
gnauerit: vita ſimplex, ſinceraque nullo verſutiæ fuco
improbitatem obtegens. veri etiam Dei, & vnius Prin-
cipatus agnitio, an nõ hic ſatis apparet?* Quamobrẽ
Auguſtinus in eo ponit ſingularem Dei prouiden- Auguſt. ep. 5.
tiam, ſimul ac amorem in genus humanum,
quod ei omni vitiorum genere prius violato,
tam efficax remedium ad puritatem vitæ adſe-
quendam ſuppeditauerit, quale illud, quod ex
fide in Chriſtum propagatur. *In iſta*, inquit,
*colluuie morum peſſimorum & veteris perditæ diſci-
plinæ, maxime venire ac ſubuenire debuit cœleſtis au-
ctoritas, quæ voluntariam paupertatem, quæ patien-
tiam, beneuolentiam, iuſtitiam, atque concordiam,
veram pietatem perſuaderet, cæteraſque vi-
tæ lumineſas, validaſque virtutes! non tantum
propter iſtam vitam honeſtiſſime gerendam, non
tantum propter Ciuitatis terrenæ concordiſſimam
ſocietatem, verum etiam ad adipiſcendum ſem-
piternam ſalutem, & ſequuturi cuiuſdam Popu-
li cœleſtem diuinamque Rempublicam.* Inde idem
Doctor conferens doctinam Chriſti cum Phi-
loſophia *Platonis*, quantum ad energiam indu-
cendi virtutes, ſic loquitur Deum compellans:
*Non habent illæ paginæ vultum pietatis huius, lacry-
mas confeſſionis, ſpiritum contribulatum, cor contri-
tum, & humiliatum, Populi ſalutem, ſponſam, Ciui-
tatem, arrham ſpiritus ſancti, poculum precij noſtri.*
Similia inculcat *S. Bernardus*. hoc motiuum cre- Bern. ſerm.
dibilitatis

21 in Cant. Soan l.5.c.5. dibilitatis in noſtra fide perſpexit *Iulianus apoſtata*, teſte *Sozomeno*: *Exiſtimabat Religionem Chriſtianam, maximam ex vita & moribus eorum, qui eam ſequebantur, conſequutam exiſtimationem*.

18. Et quod Chriſti Euangelium non ſit ſo- Pſalm. 18. lum lex immaculata, ſed etiam conuertens animas, ab hiſtorijs Ethnico ad fidem conuertendo proponet Catholicus Catechiſta præclaras tam in actiuis virtutibus quam intellectualibus illius in nobis impreſſiones. unde nominabit Monachos, Anachoretas, Virgines, Martyres, Regnorum Apoſtolos, Confeſſores, Doctores, qui incredibili ſplendore cum ingenti aliorum vtilitate ex vitæ ſanctimonia inclaruere. Catechumeno hæc cogitanti occurrent poſt Apoſtolos *S. Ignatius, S. Polycarpus, S. Babilas. S. Agnes, S. Cæcilia, S. Catharina, S. Barbara. S. Antonius, S. Paulus*: & vt notat *S. Gregorius* poſt orionas hyadum, Eccleſiæ Doctores *Baſilium, Nazian-* Greg. lib. 9. mor. cap. 6. *zenum, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum & Gregorium* deſignabit: *Qui ſubductis Martyribus, eo iam tempore ad mundi notitiam venerunt, quo fides clarius elucet: & repreſſa infidelitatis hieme, altius per corda fidelium ſol veritatis calet*. Cum audiuerit iſte Ethnicus, horum virtutes & res geſtas ſibi a Catechiſta narratos, profecto ſi quid in illo bonæ indolis ſuperfuerit, propendebit inde plurimum in partes Euangelij.

19. Et inter reliqua eiuſdem ſanctiſſimi Euangelij effecta, eidem noſter Catechiſta recenſebit, apud multos, iam poſt virginitatem Chriſti Domini, ac Matris illius, ſtudium, adeo que votum virginitatis non priuatum tantum ſed & publicum vigere; quale teſte *S. Ignatio*, olim Igna. ep. ad. Roman. emittendum non niſi ex conſenſu Epiſcopi. Pro- Con. Carth. poſitum hoc tunc pagani ducere effectu impoſ- l. q. 4. 11. 36. ſibile, tametſi diuinum quid in ſe habere agno- Con. Carth. uerint. Cum ergo intellexerit ethnicos Cate- 4. cap. 11. chumenus a ſuo Cathechiſta, hoc votum paſſim a noſtris emitti, inſuper ſanctiſſime durante vita ſeruari, admirabitur ſane vim cœleſtis noſtræ doctrinæ in tanto integritatis flore conſpicuæ. Ex hoc aliquando Patres adſeruere veritatem noſtræ fidei, & quod Chriſtus, tanta in nobis ſua gratia edocens, eſſet Deus, in paganos diſpu tantes. *Euſebius S. Ambroſius, Aurelius* Euſ. de laud conſtant. *Prudentius S. Victor* oſtendunt, nunquam cum illa animi & corporis caſtimonia, iuxta ac per- Ambr. lib. 1 & 2 de virg. petuitate, ante Chriſti aduentum, apud vllam Prud. lib. 2. nationem, obſeruatam aut cultam fuiſſe vllibi Conc. ſym. locorum caſtitatem, ac modo apud Chriſtia- vict. l. 1 per. nos. Quid hoc nitoris ac puritatis liliario poten- VVandal. tius ad perſuadendum veritatem noſtræ fidei animo iſtius externi apparere poterit? *Inuenies multos*, ait *Athenagoras*, *ex noſtris in vtroque ſexu,* Athenag. Apol. *qui in cælibatu conſeneſcunt: quod in hoc ſtatu Deo* Euſ. de laud *coniunctiores ſe futuros ſperant*. Quis alius præter Conſtan. Chriſtum efficere potuit, vt ſacræ mulieres *Virgines perpetuo maneant, a cibis & vino abſtinentiam tollerarent, ſeuero & aſpero vitæ genere corpus ſuum coercerent?* Quis non exiſtimabit diuinam virtutem obtinuiſſe animos *Ammonis* & eius vxoris, de quibus *Socrates*: qui matrimonio iam iuncti, Socra. lib. 4 cap. 13. ante congreſſum maritalem cogitantes de puritate virginitatis, de propinquo ad Deum per eũ acceſſu, eius propoſitũ apud ſe firmarunt, moxque inſtitutum monaſticum profeſſi, durum auſterumque vitæ genus exercuerunt, quo tantum ab ipſis decretam ſanctimoniam apud ſe ſtabilirent? qui quidem *Ammon* in tantam deuenit ſanctitatem, vt *S. Antonius*, teſte *S. Athanaſio*, illi- Athan. in vit. S. Antõ. us animam corpore exutam in cœlum ſublatam adſpexerit. ſimilem diuinæ gratiæ vim in *S. Alexio* Roma, in *S. Odouardo* Rege, noſtra Anglia eſt demirata. quo in genere aliquot Exempla etiam *S. Auguſtinus* recolit. Auguſt. l. 2. Confeſſ. c. 6

20. Vlterius vero in hoc genere argumenti progrediendo Catechiſta, memoriam faciet illius honorarij cultus, quo Sancti, vtpote qui dũ viuerent, erant mundo loco ludibrij, imo qui infames ab eo habiti, omnem vim crudelitatis ad mortem vſque ab eodẽ fuere experti, modo tamen a nobis celebrantur. *S. Chryſoſtomus* reco- Chryſoſt. Hom. cont. Gent. lens, nullus Imperatorum, ab ipſorum funeribus, ita eſſe apud poſteros in honore, ac ſunt Sancti, eis nempe dicatis templis, inde conficit, Chriſtum cuius gratia ad tantam dignitatem adſpirarunt, fuiſſe Deum. *Oſtendatur*, inquit Aug. Ep. 42. in pſalm. 44. de Sanct. ſerm. 25. *Sanct. Auguſtinus, mihi Roma in honore tanta templum Romuli, in quanto tibi oſtendo Memoriam Petri. In Petro quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis?* In quam ſententiam contra Græcos Theod. lib. cont. Græc. paganos plurima recenſuit *Theodoretus*. Merito certe inſtruendus Ethnicus, ſumma admiratione hoc proſequetur: & inde ſecum mente colliget diuinæ gratiæ per Chriſtum, vim ſummam extitiſſe, quæ in tam illuſtribus effectis in clareſcit. Hoc autem apertius perſpiciet ſi Sanctorum, dum in hac vita egerint, qualitates expenderit: nempe quod fuerint natura fragiles, condicione, mundo contemptibiles, adeoque indigni, eius ſententia, qui hanc communem auram vel ſpirarent: quod nihilominus ad tantam gloriam per Chriſtum, eorum Principem, modo apud Principes, populum, omneſque fideles, hic in terris peruenerint.

21. Ad probandam hanc ipſam Chriſti Domini diuinitatem, ſancti Patres aliquando argumentati ex miraculis, quæ a Deo fiebant ad ſepulcra ſanctorum Martyrum, iuxta & ex cultu, quem eorundem reliquijs pij fideles exhibuere. animis repetentes, Sanctorum oſſa quodammodo ob Martyria & contemptum, fuiſſe, Pſalm. 40. vt ait Pſalmiſta, diſperſa ſecus infernum, poſtea habita omni theſauro & gemmis precioſiora, vt Chryſ. hom de S. Ignat. de oſſibus *S. Ignatij* & *S. Polycarpi* ſcribit *S. Chryſoſtomus* & *Euſebius*: recte intulere, non niſi Chri- Euſ. l. 4 cap. 14. ſto Deo auctore, tale quid perfici potuiſſe. *Ambuſta oſſa ait Euſebius, precioſiſſimis gemmis chariora, & omni auro probabiliora per ignem facta, collegimus*. Ex hoc *S. Chryſoſtomus* probat contra Eth- Chriſoſt. de S. Bab. Hom 26 in 2. ad Corinth. nicos veritatem fidei Chriſtianæ, ſimul ac noſtrorum corporum reſurrectionem. *Imperij*, Auguſt. Ep. 42. Tract. 3 in Ioan. in Pſalm 4. Iſa. 58. inquit. *S. Auguſtinus nobiliſſimi eminentiſſimum culmen, ad ſepulchrũ Piſcatoris Petri, ſubmiſſo diademate ſupplicat*. In quos prophetia Iſaiæ quadrare videatur: *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt*.

22 In hoc ipſum propoſitum inducendi pagani animum in aſſenſum noſtræ fidei, inferre poterit mentionẽ idẽ catechiſta exorciſmorũ, tãta tãque diuina virtute Dæmones in humanis corporibus vexantes, ac eos inde exturbantes.

Paulin. natal. 4.

———primis Lector ſeruiuit in annis}
Inde gradum legit, tui munus, voce fideli
Adiurare malos, & ſacrit pellere verbis.

Dubio procul nulla virtus præter quamdiuina poterit præualere in dæmones, vt in eos præualent noſtri exorciſmi: proinde ex eorum energijs, recte ſancti Patres contra paganos probarunt Chriſti Diuinitatem. *Nos*, inquit *S. Iuſtinus Martyr, qui in Crucifixum ſub Pontio Pilato Ieſum Dominum noſtrum credimus, dæmones omnes & ſpiritus malos adiuratos eycimus, & imperata facere cogimus.* idem genus argumenti tractat *Tertullianus. De contactu, deque adflatu noſtro, contemplatione & repræſentatione ignis illius torrepti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt.* Ex quo teſtimonio intelligere etiam poſſunt Proteſtantes, ad religionem ac fidem, præter Scripturas, exſtitiſſe Apoſtolicas Traditiones, exorciſmorum ritus inſtituentes. *Sicut olim Chriſtus ipſe*, ait *Lactantius, verbo ita nunc ſectatores eius ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine Magiſtri ſui & ſigno paſſionis excludunt.*

Iuſtin. dial. Tertull. Apol. cap. ad dæmon. Tertull. Apol cap. 23. ad Scapul. Ciprian ad Demetrian. Lactant. lib. 2 cap. 27.

23 In Eccleſia etiam Catholica vel adhuc vigere donum prophetiæ, & miraculorum oſtenta, affirmabit orthodoxus Catechiſta: vnde intelligat inſtruendus ab eo paganus, eandem Eccleſiam, Dei virtutem & bonitatem ſingularem in ſe complecti & oſtendere. *Iuſtinus Martyr, Athenagoras*, & *Tertullianus* paganis ex publicis ſcriptis renunciarunt, ſuis etiam temporibus plurimos diuinitus præditos dono prophetiæ: quod inſtar dotis, collatum a Deo Eccleſiæ, pro eius neceſſitate eſt perpetuo duraturum. Miracula autem ſunt quaſi vbera Dei, quibus ipſe in nobis ſuam vim nutrit, ac ſuſtentat in noſtra imbecillitate fidem: quorum mentionem faciunt frequentiſſime *S. Auguſtinus, S. Gregorius magnus*, & *Gregorius Turonenſis*. Imo hac ipſa noſtra ætate, ſi optimorum, ac iudicio valentium, ſi publicis Tabulis quidpiam deferendum, frequentia fiunt miracula in argumentum & probationem fidei Catholicæ. Enimuero hoc audiens paganus penitus exiſtimabit, veram eſſe noſtram fidem, tot ſignis diuinitus indies confirmatam. Euidens omnino, proteſtantes apertiſſime mentiri, affirmantes, a tempore Apoſtolorum, nulla patrata miracula cuius falſitatem oſtendit *Conſtantinus Magnus*, qui floruit tertio ſeculo: *Vera fides*, loquit, *ſeipſa quotidie nouis miraculis patefacit.*

Iuſtin. Apol. Athenag. Apol. Tertull. Apol. Auguſtin. lib. 22. ciu. cap. 8. Gregor. dial. Greg. Tur. Euſeb. lib. 3. de vit. Conſtan. cap. 29.

24. Poſtremo hic a catechiſta conferenda quædã alia in Eccleſia Catholica fidei ſuſtentacula, quæ in memoriam fidelibus reuocant articulos fidei; idque perpetuo & continuata ſerie ceremoniarum. In hunc finem Eccleſiarũ fabricæ & ornamenta conducunt. eo pariter tendunt crucis vbique locorum erectiones, ac venerationes: ex quibus Sancti Patres contra paganos adſtruxere veritatem fidei noſtræ, & *Virtutẽ crucifixi*; vt diſputat *S. Auguſtinus*, & quod Chriſtus eſſet Deus. quis enim alius præter Deum efficere potuerit, vt crux, olim inſignis opprobij inſtrumentum, iam honoris cauſa eſſet in frontibus fidelium, in diadematibus Regum, in ritibus ſacrorum, vt recte differit inter alios *S. Chryſoſtomus*? Hinc *Conſtãtinus Magnus*, teſte *Euſebio*, ad morem Chriſtianorum *Vultum ſalutari illa paſſionis ſignauit nota.* Eo enim fides nutritur & exercetur Cœterum hoc maledictũ, hoc abominabile, hoc extremi ſupplicij ſymbolum Crux, diadematibus & coronis ipſis clarius factum eſt. Huic ipſi fidei ſeruandæ & augendæ ſuccurrunt quoque in Eccleſia Catholica varia feſta & celebritates ſpectantes ad beneficia Dei, ad myſteria Chriſti, ad res geſtas ac dignitates Sanctorum: quibus omnibus a pagano animo conceptis, ſentiet ſe magna quadam vi impelli, idque ratione aſſecla, in aſſenſum fidei Chriſtianæ.

Auguſtin. pſalm. 95. Deut. 21. Gal. 3. Chryſoſt. Homil. 54. in Ioan. Euſeb. ... Tr. 10. Euſeb. lib. 1. de vit. Conſtan. cap. 28.

25. Verum non ſolum in argumentum credibilitatis fidei iſtis diſputamus contra ethnicos, verum etiam Iudæorum perfidiam eiſdem reuincimus; & ſi quid in ipſis bonæ indolis, id in aſſenſum noſtræ fidei inclinamus. Dicimus ergo in illos diſſerentes cum *Tertulliano* ac alijs Patribus, iam per orbem terrarum Chriſti virtute contritam idololatriam, vnius Dei agnitionem ubique ſuſceptam, impletas iam numeroſitate Chriſtianorum prophetias veteris Teſtamenti: vtpote de multiplicando ſemine *Abraha* ad numeros ſtellarum in cœlo & arenæ, quæ eſt in litore maris: de conuerſione gentium de Hieruſalem inhabitanda abſque muro. Addimus vlterius, modo orbem terrarum per chriſtum nitere vitæ ſanctimonia, præcipue autem cultu perpetuæ virginitatis: ſummatim quod pro ſua religione dixit *Ioſephus* Iudæis: nempe paganos ſuſcipientes iudaiſmum, inde quod ad mores reddi ſanctiores, contra Iudæos ad paganorum ritus tranſeuntes, eodem effici turpiores: idem nos dicimus: ſcilicet Iudæos & paganos ſuſcipientes fidem Chriſti, inde effici ſanctiores: ab ea autem refugas ad ipſos, in oculis omnium nequiores inueniri. affirmabimus in confirmationem fidei Chriſtianæ, etiam adhuc orbem illuſtrari miraculis, Concilijs generalibus, omnis generis literatura, Martyrum trophæis, temporum longa duratione, & paſtorum ſucceſſione vnam eamdemque fidem perennare. Hinc Iudæos compellantes, ab eis ſciſcitamur, quem aut qualem exſpectare poſſint Meſſiam, qui veteris Teſtamenti prophetias exactius impleat, quam præſtitit Chriſtus dominus, & cur orbe iam quaſi ſeneſcente, alterius Meſſiæ aduentum præſtolantur, qui generis humani miſerijs melius aut plenius ſuccurat? Pari modo Proteſtantes compellamus, ac ab eiſdem ſciſcitamur, ſi noſtra Eccleſia non ſit vera, quænam ipſorum proteſtantica, veteris Teſtamenti typis & promiſſionibus iuſtitius hactenus reſpõderit? probent nobis ad illos typos & promiſſiones, Proteſtanticam Eccleſiam orbem terrarũ ad fidem conuertiſſe, hæreſes in concilijs generalibus refutaſſe, religionis momento, Eccleſiarum fabricis, ceremoniarum apparatu, Cleri ordinibus Chriſtianam fidem oſtendiſſe? imo dicat mihi, vbinam gentium ante *Lutherum* viguit illa Eccleſia, quę docuit Deum auctorem peccati, quæ Reges ſeu Reginas Eccleſiarum Præſules ſupremos agnouit; quæ Duo ſolum docuit eſſe Sacramenta, ac inter ea Baptiſmum paruulis inutilem, & eodem *Ludibrium*, vt diſſerit

Tertull lib. in Iudæos. Chryſoſt. Homil. cont. Gent. Gen. 12. Rom. 4. Ioel. 2. Zachar. 2. Ioſeph. in proœm. hiſt.

Auguſt. l. 4. cont. Don.

rit *S. Auguſtinus*: nullnm decus landabile ineſſe virtuti, aut dedecus peccato: Eccleſiam viſibilem errare, & corrigendam a *Luthero* & *Caluino*. quando, precor, Eccleſia, cuius hæc dogmata, in aduerſam falſitatem vbique locorum præualebit, & obtinabit portas inimicorum ſuorum, ſi id nondum peractum?

Gen 22.

26. Vt modo explicemns, quam ingentem, occultam licet, in fidem Chriſti hoſtilitatem exerceant Proteſtantes, ſciendum, eorum quã ſibi finguut Eccleſiam, dictis argumentis credibilitatis non ſolum deſtitui, verum inſuper multa, ſi non omnia, & qnæ inter ea potentiora, in patrocinium paganiſmi, Iudaiſmi, & atheiſmi inficiari, impngnare, probris inſectari, vt vel inde pateat, qnam ſint validi Antichriſti præcurſores ad fidem Chriſti penitus deſtruendum. Genuinæ certe ſunt *Dalilæ*, quo ſuarum hæreſum, omnia noſtra negantium, forcipibus,

Iudic. 16.

Sampſonis, ſcilicet Chriſti robora, in crinibus præſcindant. at ſingula momenta diſcutiamus, idque ſtirictim ſub qna poſſumus breuitate.

27. Nnſter catechiſta inſtruendo ab ipſo pagano pollicebitur ingreſſum in eam Eccleſiam, quæ ad vnitatem fidei vbique locorum tenendam, gandeat vnitate Monarchæ, ſcilicet vnitatis ſpecie ſumma. at huic argnmento repngnabunt Proteſtantes ac dicent pagano, contemnendum hoc propoſitum ei motiuum: quandoqnidem forma regiminis in Eccleſia, ſpectãda in Principibus ſæcularibus, in ſuis prouincijs ſeorſim & independenter gubernantibus, aut in confuſa multitudine vniuſcuiuſque Parochię. Cum idem catechiſta ſuo catechumeno dixerit, ſe credendo admiſſum iri in Eccleſiam viſibilẽ perpetua Spiritus ſancti in ea præſidentia, contra motus omnes infidelitatis aut anxtitatum ſtabiliendam, opponent ſe ei Proteſtantes ac affirmare præſument, Eccleſiam viſibilem erroribns eſſe obnoxiam. Mox quæ diſputabit Catechiſta catholicus, petita a rebus geſtis in eccleſia, nempe ex victorijs in hæreſes, in perſequutores fidei per conuerſiones Gentium, ex ſucceſſione Epiſcoporum vſque ad noſtra tempora: ea omnia impugnabunt Proteſtantes: Vident enim ſuã Eccleſiam omni tempore & loco haud fuiſſe conſpicuam, ad eam non fuiſſe reductas ab idololatria Nationes: proinde definire minime verebuntur, Eccleſiam Chriſti non eſſe eam ſpacioſam & amplam Chriſti hæreditatem, ſed potius gregem paruũ ſemper ſub cruce perſequutionis gementem, ſub inuolucro inuiſibilitatis abſtruſum, ſub delectu paucitatis ſingularem. Deinde poſtqnam Catechiſta orthodoxus ethnico aut pagano affirmarit, illos doctrinã in Eccleſia Chriſti reperturos efficacem ad peccata euitandnm, ad procurandum animæ puritatem, ridebunt e regione Gnatones Proteſtãtici, & aperte affirmabunt, quod harum rerum ſtudia inania, qnandoquidem omnia etiam iuſtorum opera ſint peccata mortalia, quod honeſtas ex lege naturali aut poſitiua ſit credenti impoſſibilis: & quod caput eſt, qnod credenti nullum peccatum ſit a Deo imputandum. Quæ etiam in memoriam adducet noſter Cathechiſta, pertinentia ad ſanctiſſimos mores, ad vitæ auſteritatem, ad regulæ diſciplinam, in quibus noſtri Monachi, Heremitæ, Sacerdotes, Moniales claruerunt, a Proteſtantibus cum ludibrio reijcientur, dicentibus, tales ſimplices nimium extitiſſe idiotas, ignorantes ſcripturarum aut libertatis Chriſtianæ. Quodcumque porro idẽ Catechiſta orthodoxus intulerit de cultu, de obſeruantia caſtitatis ex voto, & certo vitæ ſtatu ſuſceptæ in Eccleſia, impugnabitur a Proteſtantibus: quandoquidem iudicantibus eiuſmodi caſtitatem eſſe impoſſibilem, vſui Matrimonij inferiorem, Euangelij libertati aduerſantem, denique nullius momenti quantum ad vim meriti ſpecialem. Nihil demum adfirmabit Catechiſta noſter, deductum a cultu Sanctorum, & reliquiarnm ipſorum, a veneratione crucis, a miraculis, a dono prophetię, a ſpiritu pietatis & orationis, quod Proteſtantes non exſibilabnnt. Sanctorum cultum infami nomine idololatriæ criminabuntur, miracula iam a tempore Apoſtolorum ceſſaſſe proclamabunt: & hoc ritu Proteſtantum ſtudijs pagani & Iudæi detinebuntur contra conatus noſtri catechiſtæ, contra iudicia & ſcripta Sanctorum Patrum, in erroribus prophanæ ſuæ credulitatis. Ac inter alia, olim Patres adſtruxere veritatem noſtræ fidei ex ſplendore & magnificientia externi cultus, Deo in Eccleſia delati. inde admirationis loco merito habuere, ædificaſſe Imperatores Romanos tam ſplendidas Baſilicas, in qnibus res diuinæ ad ritum Chriſtianorum peragerentur, cum prius, adeoque paulo ante, Romani Imperatores eorum ſynaxes vetuerant, omneſque cœtus in extremas tenebras criptarum ablegerant: tunc nihilominus temporis dixere, Eccleſiarum laquearia auro fuiſſe fulgida, vt narrant *S. Hieronymus* & *Seuerus Sulpicius*, Vaſa Eccleſiaſtica ex auro & argento præcioſa, ita vt ad eorum adſpectum ſtupens *Iulianus Apoſtata*, hæc protulerit: *Quam precioſis vaſibus filio Mariæ miniſtratur!* Hoc vero adeo validum momentum ad probandum Chriſti diuinitatem, ſuperſtitionis nota infamant. Quod porro antiqui patres diſputarunt in eamdem ſententiam ex cultu crucis, ex energia exorciſmorum, id totum a Proteſtantibus deridetur & erroris damnatur.

Euſ. li. 1. vit. conſtan, ca. 36.
Hier. in. cap 8. Zachar.
Seuer. l. 22. hiſtor.
Greg. Nazi. or. in Laud. Baſil.
Chryſ. hom cont. pagan.

28. Ex quo liqnet, quam inermes & elumbes ſint Proteſtantes, qui, quod de alijs hæreticis adfirmauit *Tertullianus*, ad noſtra euertenda nati, non ad exteros conuertendos: inualidi plane ſunt, ſi velint ad paganos aut Iudæos proficiſci eos ad fidem in Chriſtum conuerſum. Quocirca vt cum eis de fidei myſterijs diſputãtes agãt, nihil ipſis adeſt præter vnum oſtentum Bibliorum Geneuenſium: illudque tam nude ac frigide peracturi, vti fateantur, tametſi ipſis euidenter conſtet, eiuſmodi Biblia eſſe verbum Dei diuinitus inſpiratum, nihilominus ipſis non ſuppetere rationes, vt id alijs perſuadeant. Similiter requirentes fidem a paganis aut Iudæis, qua credant ſibi iuſtitiam Chriſti imputari, ſibi eo indulta peccata, ſe in nnmero eſſe prædeſtinatorum, ingennè quod res eſt, loquuntur, agnoſcentes, nullas ſibi rationes credibilitatis adeſſe, quibus paganos aut Iudęos in talium rerum credulitates inducant. Verumtamen vnum quid

eſt

eſt quod babent loco omnis ad hunc effectum panopliæ Catholicæ: quodque habita ratione humanæ infirmitatis, ad perſuadendnm ſanè, potentiſſimũ: neque ipſe id diſſimulabo: nimirum polliceri poterint Catechiſtæ Proteſtantici, cum Iudæis aut paganis diſſerentes, futuros omnes Doctores in Theologia, quotquot ex paganis aut Iudæis, quantumuis rudibus habitu ſi ſint fidem ſuis biblijs: ac fore omnino, vt ipſi ex verbo Dei omnia in poſterum iudicent, a nemine interim iudicandi. An non hinc magnum mundo periculum imminet, ne totus confluat demum ad ſectam Proteſtanticam, lauream que hanc Theologici Doctoratus, quantumuis extra academiæ ſpacia, & breui curſu dimenſo, eã adipiſcantur?

29. Cum itaque fidei robur hoc ritu penitus elumbarunt Proteſtantes, quis Chriſtianorum Principum exiſtimabit, eos eſſe ſatis idoneos ciues, qui ſic in Chriſtum ſuum perduelles? Nunquam ſanè immanius Iudæi deſæuiere in perſonam Chriſti, quam Proteſtantes in fidem Chriſti. Propheta *Ioel* prædicens fore aliquando hoſtes in Iudæa, qui ſacra omnia iuxta ac ciuilia ibi eſſent deuaſtaturi, hæc verba vſurpauit: *Ficum meam decorticauit.* Quemadmodum enim ficus, cui cortex detracta, illico marceſcit, ita fidei Chriſtianæ vis vaneſcit, cum ei neruos ex traditione eccleſiæ credibilitatis, Proteſtantes ſucciderint. hoc quidẽm in illis molitur ſatan, licet ſub pulcro prætextu verbi Dei, ſub ſpecie & hypocriſi reformatæ Eccleſiæ. Principes idcirco iſtis Chriſti perfidis hoſtibus colludere, idem eſt, quod Chriſto illudere, ſe ac ſuos ludendo, impietati & barbariei perdendos cõmittere.

Ioel. 1.

30. Poſtremum fidei orthodoxæ robur ſpectandnm diximus in facultate ad recognoſcendam hæreſim, ac de illa iudicandũ: ad hæreticos ipſos docendum, adeoque refractarios pœnis tã ſpiritualibus quã corporalibus coercẽdũ. In quibus officijs peragendis, tam vitæ ciuili, quam ſacræ, neceſſarijs, videmus fidem Catholicam ac Romanam potentiſſimam, inanem verò prorſus credulitatem Proteſtantum. Sciendum itaque, vt hoc melius demonſtremus, hæreſeos materiã formaliter ſumptam, non eſſe quidpiam quomodolibet ad fidem pertinens, ſed illud tantummodo, quod iam Eccleſia definiuit, vt egregie oſtendit *S. Auguſtinus*. Hinc de *Photino* pronuntiat, non fore illum hæreticum, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ fidei, perſiſtere maluerit in errore, & ob hanc ipſam cauſam aſſerit *S. Cyprianum*, negantem validitatem Baptiſmi collati ab hæreticis, non fuiſſe hæreticum, eo quod exploratæ ſententiæ Eccleſiæ obſtinate eo non contradixerit: quod de eodem affirmat quoque *Vincentius Lirinenſis*. De Arianis hæc *S. Ambroſius*: *Quoniam communiter aduerſus Eccleſiã Dei conſpirarunt, communi nomine hæreticos, quibus reſpondendum eſt, nominabo.* Hoc omnino conſequens vel ad hæreſeos ipſius definitionem: eſt enim in rebus fidej falſa ex animi pertinacia & rebellione, electio. Rebellio autem, agnitæ eſt auctoritatis cum contemptu impugnatio, ſeu in eam iudicata ac ſpontanea renitentia. proinde in hæreticis non ſe prodit hæc animi pertinacia, ſeu repugnandi deſtinata libido, reſpectu tantum ipſius Scripturæ: nam cum eius teſtimonia contra allata aut Scripturam eſſe negant, vel alium ſenſum eis attribuunt, licet reuera errent contra eam, non ſunt tamen in eam errando pertinaces aut refractarij, quandoquidem illius ab ipſis cognitæ auctoritati, definientes haud refragantur. hoc egregie docuit *S. Auguſtinus*, *Omnes enim hæretici aut, qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, cum ſuos potius ſectentur errores: ac per hoc non quod eas contemnant ſed quod non intelligant, hæretici ſunt.* Deſtinatur itaque hæretica pertinacia in auctoritatem Eccleſiæ, proinde exeunt ab illa hæretici, vt eam poſtea audacius impugnent. *Quapropter*, inquit *S. Auguſtinus, nec hæreticus pertinet ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit Deum, nec Schiſmaticus, quoniam diligit proximum.* Itaque robur fidei catholicæ, quod in hæreſes inualeſcit, propagatur a iuriſdictione ad docendum, ſimul ac ad puniendum hæreticos, quibus valida comparet Eccleſia Catholica, proteſtantum vero diſperſæ palanteſque turmæ, eis exutæ, debiliſſimæ.

Auguſt. de hær. l. 4. de Bapt. cap. 16 lib 4. cont. Don. cap. 16

Vincent. lir. cont. hær. Nou. Amb. lib. 1. de fid cap. 4.

Aug. ep. 122

Aug. de fid. & ſymb. cap. 10. de vnit. Eccle. cap. 4

31. Quantum itaque ad iuriſdictionem diſcernendam, collatis inter ſe Eccleſia Catholica & proteſtantum Synagoga, veritatis elucidandæ cauſa, propono hoc argumẽtũ. Illa credẽtiũ multitudo in aduerſam obtinet verbi iuriſdictionem, ex qua inimica altera exiuit, ſeu a qua diſceſſit: nullo autem modo eam obtinet, quæ exiuit & diſceſſit. Soleo, inquit *Tertullianus in præſcriptione aduerſus hæreſes omnes de teſtimonio temporum compendium figere, priorem vendicans regulam noſtram omni hæretica poſterioritate.* Sed Proteſtantes exire ac receſſere a Catholicis Romanis, nõ cõtra: ergo Catholici Rumani gaudent iuriſdictione in proteſtãtes nõ proteſtantes in eos. Maior propoſitio liquet ex doctrina Apoſtolorũ, aſſerentium, hæreticos ſegregare ſe, exire ab orthodoxis: neque quod poſterius, quod particularius, quod factioſius vendicare poterit ſibi iuriſdictionem in id, quod prius, quod vniuerſalius, pacatiuſque: niſi rebellibus ac prædonibus exeuntibus e ciuitate aliqua, tanquam Catilinarijs, attribuere velimus ſupremam iuriſdictionem in ipſum etiam principem ac Rempublicam, a quibus defecere. minor euidentiſſima ex hiſtorijs, quæ conſignarunt tempus, in quo *Lutherus ac Caluinus* deſeruere Eccleſiam Romanam: Proteſtantes autem tempus nullum oſtendere potuerunt, in quo Catholici Romani ab ipſis exiere, ac ipſis, Paſtoribus, Epiſcopis, vel Sacerdotibus exiſtentibus, contradixere. Iuriſdictio ergo hac ex parte noſtra eſt, non illorum. proinde ſi nos docere præſumant, immaniter ſuperbiunt: ſi caſtigent, ſacrilege debacchantur. Nam teſte *S. Hilario*: *Hæretici omnes contra Eccleſiam veniunt.* Deinde Proteſtantum opinionibus communem notionem hæreſis conuenire certo indicio ſtatuere poterit Eccleſia Romana. Etenim notum fecit, eadem plane ſuperbia & rebellione eiuſmodi hæreſeon auctores *Lutherum ac Caluinum*, bellum indixiſſe vniuerſali fidei pie colentium Deum, qua olim *Arius*, qua *Donatus*, qua *Pelagius*, qua *Neſtorius* in eam prius furiati. Recte ſugillauit

Tert. præſ.

Iud. cap. 1. 1 Ioann. 2.

Hil. lib. 7. de Trinit.

uit *Conſtantinus Magnus* hæreticam ſuperbiam *Aceſij* Epiſcopi Nouatiani, qui cum dogma particulare *Nouati* propoſuiſſet, quod nempe Eccleſiaſtica abſolutione quidam delinquentes a baptiſmo non eſſent in ſtatum iuſtitiæ reſtituendi, veluti protuliſſet quiddam contra communem Theologiam, ei dixit, *Erigito tibi ſcalam Aceſi, & cælum ſolus aſcendito.* Huiuſmodi ſcalas erexere Socrat. lib. 1. cap. 7. *Lutherus* & *Caluinus* ſua gigantæa arrogantia: dum nempe orbem terrarum damnantes, ſe ſolos Euangelij prædicatores venditarunt: quibus tamen aptiores ſcalæ *Gemonianæ*, quam vllæ aliæ. Hoc adeo vel ad oculum conſpicuum, vt a nemine negari poterit. Iudicati & damnati fuere illi hæretici ab Eccleſia, ipſis contemporanea, habente ad id faciendum requiſitam iuriſdictionem verbi, eo quod in argumenta ſuarum hæreſum, obſtinate contra Eccleſiæ eiuſdem doctrinam, falſum ſenſum Scripturæ ſententiis adſcripſerint. Ergo iure nota hæreſeos etiam modo inuſta *Luthero & Caluino* ab Eccleſia, quæ ad id præſtandum legittima verbi iuriſdictione gaudet. Proteſtantes vero nulla ſpecie probabilitatis probare valent, Eccleſiam Romanam Patribus vel Eccleſiæ Paſtoribus in aliquo dogmate repugnaſſe. Proferre ergo poſſumus nos in illos ſententiam, vtpote in hæreticos, illi, autem in nos nequaquam. Quod ſi ſuam inſcite venditent, quod ad hoc, auctoritatem, quaſi tanta modo eſſet, quanta ſufficeret ad exigendum a nobis obedientiam, dementia ipſorum effrons, nobis apparebit penitus excors & enormis: quandoquidem eorum paucitas cum noſtro numero, eorum nouitas cum noſtra antiquitate, eorum diſſentiones cum noſtra concordia, eorum coruus cum noſtra columba, eorum ortus & progreſſus anfractuoſi cum noſtra continuata ſucceſſione, eorum obſcuritas cum noſtra luce, eorum ignorantia cum noſtra ſcientia, eorum dedecora cum noſtris virtutibus, comparari non debent nec poſſunt.

32 At neque hac ex parte oſtendere poterunt Proteſtantes, Arianos, Pelagianos, aut vllos alios damnatos ab Eccleſia, fuiſſe hæreticos: nedum illos, qui in *Lutheri* ac *Caluini* ſcholis ſuis ſectis diſcernuntur: quandoquidem nequeant probare, illos in Eccleſiam ſuam Proteſtanticam vnquam rebellaſſe, aut ab ea diſceſſiſſe. Omnes enim pari audacia ad Biblia, tanquam ſorices ad caſeum, acerrime conuolant. Ex quo ergo rebelles, obſtinati, pertinaces demum mutuo cenſcendi? Quaſi vero viſa *Lutheri* ac *Caluini* Catulina vel Catulinaria progenie, omnes mortales, quod ad diuina, illico tãquam Dominis ſuis teneantur morem gerere: vel id non agentes, hæreticæ defectionis nota inurendi? Proferant iudicia ſua quando voluerint, anathemata ſua deuibrent, qualia placuerit, reſiſtentes hæreſeos damnent, toto nihilo obſtante, orbis, illos quantumuis fulminantes, vt inſanos deridebit *Hercules*, vel *Bacchi* tripodem eorũ Conciliabuliabulis præferendo: adeo hac in re iudiciaria debiles reperiuntur Proteſtantes, vti fateantur ipſimet, ſuam, adeoque totius Eccleſiæ viſibilis auctoritatem, infirmam eſſe ad dirimendam litem, ac de hæreſi iudicandum, cui alij ſua iudicia ſubijcere obligentur: cum Scripturis tantum, non hominum ſententijs, fidei imperium diuinitus, vt ipſimet dicunt, commitratur. Hinc, ex hac ſcilicet eorum impotentia quod ad articulos fidei decernẽdos, propagantur inter eos lites interminabiles, pugnæ, tumultus, nunquam quiete, nedum victoria vlla vnquam ſopiendæ: nullus tamen inter eos quantumuis confligentes, hæreticus æſtimabitur.

Aduerſo rupti ſeu quodam turbine venti, Virgil. 2. Æneid.
Confligunt zephiri, Notuſque & lætus Eois,
Eurus equis: ſtrident ſiluæ, ſæuitque tridenti
Spumeus: atque imo Nereus ciet æquora fundo.

33 Denique quam ſit rebus Eccleſiaſticis, pariterque ciuilibus, conſultum, obſtinatos hæreticos cohibere illos puniendo, ſatis cum ratione ipſa, tum perpetua Eccleſiæ conſuetudine manifeſtum. Cæterum obſeruanda in hoc negocio iuſtitiæ methodus, quam præclare tradit *S. Auguſtinus*: nempe admonendo, primo hæreticos a Catholicis docendos, deinde ſi obſtinate reſtiterint, puniendos. *Si terrerentur*, inquit, *& non docerentur, improba quaſi dominatio videretur.* Ad August. Epi 48. hoc autem munus docendi hæreticos, ſolum recte comparati catholici Romani. Nam cum hi patefecerint Proteſtantibus, & alijs hæreticis, quod iudicio vniuerſalis Eccleſiæ, Patrum ſententijs ſeſe opponant, ſatis viſi illos docuiſſe; iuſtaque ſuberit cauſa, ob quam repugnantes idem caſtigent. *Hic erit anathema*, inquit *S.* Auguſt. lib. de vnitat. *Auguſtinus, quiſquis annunciauerit Eccleſiam, præter* Eccleſ. cap. 2 *communionem omnium gentium.* Liquidum valebunt efficere Catholici, quod Proteſtantes do- Ep 48. 166. gmata proferentes, dicant, vt meminit idem 170. *S. Auguſtinus: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ecce* Auguſt. lib. *in deſerto, quaſi vbi non eſt frequentia multitudi-* 1. de baptiſm. cap. 4 *nis: Ecce in cubiculis, quaſi in ſecretis traditionibus* de vnitat. *atque doctrinis.* Aliquem vero repugnate com- Eccl. cap. 15. muni doctrinæ Patrum præcedentium, habitum ib 25. ab eccleſia pro certiſſima nota hæretici. inde Concilium illud Magnum Nicenum ex doctrina Patrum oſtendit errorem *Arij*, fuiſſe hæreticum. *S. Auguſtinus* ſæpius monet Pelagianos, eis cõſentire, debere cũ doctrina Patrum, qui de gratia ſcripſerunt, ante ortã eorũ cum alijs controuerſiam, ſi hæretici haberi nolint. Narrat *Socrates*, ex mandato *Theodoſii* Imp. in vnum conueniſſe omnis generis hæreticos Conſtantinopoli, qui ab orthodoxis examinarentur, & eorum iudicia ſuſtinerent. Quo autem hoc melius fieret, conſpirarunt Catholici, peterent ab eis, *Vtrum aliquam rationem ducerent illorum Doctorum, qui ante diuiſionem probe eccleſiam temperaſſent, an eos tanquam religione Chriſtiana alienos reijcerent? Quod ſi eos reijciunt, eiſdem etiam anathema denunciare audacter aggrediantur.* Socrat. lib. 5. cap. 10. Quod ergo Proteſtantes antiquioris Eccleſiæ Patres, vtpote mera nomina, carnem & ſanguinem vituperant, dum illis aduerſantur, ideo Concilium Tridentinũ, ſequutum legẽ primitiuæ eccleſiæ, eos hæreticos eſſe definiuit, proclamauit, damnatoſq; ab omnibus fugiẽdos admonuit. Proteſtãtes vero Catholicis ſuadere non poſſunt, aut cõficere diſſerendo, quod eccleſiæ priuatim opinãdo, quaſi in deſerto & in ſecreto, & vbi nõ eſt frequẽtia multitudinis, bellũ indixerint. Docere proinde illos nequaquam valent, ita vt poteſtate traditæ ab ipſis doctrinæ, teneantur Catholici

ad eorum partes tranſire, aut vt id facere detrectantes, iuſte puniendi renuncientur. Imo neque alios quoſcunque hæreticos docendi officium eis competit. Nunquam enim ſatis manifeſte declarabunt, Arianos, Pelagianos, a ſua eccleſia proteſtantica defeciſſe, ad eam poſtliminio receptum, ipſis auctoribus ſeu Magiſtris, parare iam debere. Neque ſatis illos docuiſſe videbuntur, affirmantes a Chriſto Domino, ab Apoſtolis eos transfugas eſſe: quandoquidem in hac re tota verſatur quæſtio; cunſtanterque pronunciabunt illi hæretici, ſe ab illis haud transfugiſſe. Quæ tergiuerſatio Proteſtantium eſt inepta: quandoquidem ſermo iam eſt de diſceſſu a viſibili ſocietate in Eccleſia nunc præſente, ex æquo gubernata a Spiritu ſancto, ac illa, quæ fuit tempore Apoſtolorum: non vero de diſceſſu a doctrina priſtina; qui diſceſſus obſcurior, & dijudicandus, habita ratione diſceſſus a viſibili communione in Eccleſia. Subiungent porro, eo admiſſo, inde non conſtare ſe ab Eccleſia Proteſtantum erupiſſe, cum Chriſtus & Apoſtoli, quantum colligi poterit ex ſequentis Eccleſiæ canonibus, moribuſque, Proteſtantum placita penitus reprobarint. Si ergo Proteſtantes, nullos, qui in rebus diuinis a veritate aberrauerint, ne dum catholicos, conuenienter ad formã tribunalis docere poterunt, nullos profecto ob hęreſim iure pœnis excipere valebunt: atque hoc pacto in detrimentum fidei, ex ingenio ſectæ illorum, tuto vbique hæreſes graſſabuntur, omniaque loca demum impune obtinentes, pietatis firmamenta tandem euertent. Toti quidem in hoc Proteſtantes, vt dogmatibus ritibuſque Catholicorum contradicant; quod ad duo interim maximi momenti in rebus fidei, incurij: ſcilicet eius, quod certam regulam tandem aſſignaret, qua ſua poſitiua placita acceptabilia alijs redderent: ſimul ac illius, ex cuius defecto parum ſulicti & imparati prorſus ad hæreſes damnandas & abiiciendas. Idcirco quod hæreſes pro fine & termino habent a Chriſto apoſtaſiam, atheiſmum, aut paganiſmum, inde Proteſtantes, qui ſectæ ingenio hæreſibus dictis modis patrocinantur, fidei manifeſti hoſtes: id proinde conſilij ſub prætextu fidei clanculum peragunt, vnde tota in Chriſtum fides demũ in orbe expugnetur. *In parte litigant, vt totum perdant.* Hilar. lib. 4.

34 Enimuero quantum ipſe iudicare potero, qui hæc cum animo ſuo expenderit, in aprico videbit, Proteſtantes hoſtes eſſe Chriſtianæ fidei, eo ipſo fine ei neruos ſuccidendo, quo eam demum penitus eijciant, impietatem, veteremque idololatriam in cœtus hominum ad extremum reducturi. Eſt quidem fortiſſima vera fides, licet eum fragilitate noſtræ naturæ copolata: quemadmodum fortiſſima Eccleſia, quæ inſtar fragilis arenæ in litore maris, impetus fluctuum validiſſime repellit. Eleganter idcirco comparat *S. Auguſtinus* robur fidei crinibus in capite *Sãpſonis: Quia in crinibus virtutis habuit magnum diuinumque ſecretum.* Secretum hoc roboris non oritur ſolum ex interno animi lumine, vt fabulantur Proteſtantes, ſed ex argumentis credibilitatis, ex auctoritate & traditione eccleſiæ catholicæ, vt multis oſtendit *S. Auguſtinus*: qui explicate fatetur, ſe in communione fidei catholicæ teneri Eccleſiæ auctoritate, miraculis confirmata, ſpe aucta, ſucceſſione Epiſcoporum continuata. *Euangelio non crederem, ait, niſi me catholica Eccleſiæ commoueret auctoritas*: adeo lumen internum fidei perpetuo cohæret cum hac auctoritate & traditione Eccleſiæ. Proteſtantes autem, quod genuini præcurſores Antichriſti, hanc auctoritatem penitus, quantum poſſunt, debilitant; eamque ob cauſam præter Chriſtum in ſcripturis loquentem, *Caluinus* ſuadet, nullum alium prorſus audiendum. *Ipſum audite: perinde enim eſt, ac ſi ab omnibus omnium doctrinis abductos, huic vni nos ſiſteret: & ab vno omnium ſalutis doctrinam petere iuberet: ab vno pendere, in vno hærere: denique quod verba ſonant, vni voci auſcultare. Quin omnium hominum ora clauſa eſſe conuenit, poſtquam loquutus eſt ille, in quo cæleſtis Pater omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauros voluit eſſe abſconditos.* Aſtutus in *Caluino* genius, vt vim Eccleſiæ auctoritati & traditioni detraheret, illam Chriſti verborum fuco hypocrita amplificat: mariti veluti expoſitis ornamentis, præpoſtere vxoris pulchritudinem ac dignitatem diminueret. At precor te, *Caluine*, ſi vltra Chriſtum nullus in negocio fidei audiendus, quem locum in hoc officio habebunt Apoſtoli: vbi reponendi garruli & indocti farinæ tuæ miniſtri, qui quotidie ad miſerum, credulumque populum de rebus fidei ineptiſſime fabulantur?

Hilar. lib. 4.

Auguſt. lib. 2. contra Gaud. cap. 30.

Auguſt. de vtil. cred. cap. 14.

Auguſt. lib. contr. Epiſt. Fundam. cap. 5.

Caluin lib. [illegible]

35 Cum autem Proteſtantum ingenia, ad id ſuorum dogmatum principijs adacta, prona ſint in vniuerſum ad errores, tum præſertim ad Iudaiſmum amplectendum. Hoc euentibus ipſis verum fuiſſe multis probat *Scluſſelburgus Lutheranus*, ſcribens contra Caluiniſtas. Cuius rei, licet a nemine intellexerim adhuc ſolidam cauſam allatam fuiſſe, nihilominus hanc eſſe arbitror. Teſtimonia ex veteri Scriptura deſumpta, quæ nos interpretamur in argumenta *Sanctiſſimæ Trinitatis*, ſimul atque futuri *Meſsiæ*, animaduertunt Proteſtantes, ad literam verborum valde plauſibiliter a Iudæis exponi de Maieſtate vnius perſonæ in diuinis, aut de colloquio Dei cum Angelis, de Regibus ipſorum, vel de perſonis Prophetarum. Quod autem ad Eccleſiam Catholicam, non mouentur eius auctoritate, vnde illa loca de *Sanctiſsima Trinitate*, aut futuro *Meſsia* nobiſcum exponerent: quippe ducentes, eam multis erroribus & ſuperſtitionibus deprauatam. Et certe, niſi apud nos ſummi momenti eſſent hæc ipſa Eccleſiæ auctoritas & traditio, raro quempiam compellerent in ſententias fidei Chriſtianæ illa a noſtris citata teſtimonia. Negligentes itaque Eccleſiam, valde propendent Proteſtantes in literales eorum expoſitiones, decantatas a Iudæis. Quod ſi in iſtis vlla cura ducenda externæ auctoritatis, maiorem ſane admirantur illi in ſynagoga, quam in Eccleſia. Non enim ſynagogam traducunt nominibus idololatriæ, ſuperſtitionis, vel iniuriæ in Chriſtum, ſi eius doctrina ſola ſpectetur, quibus tamen Chriſti viſibilem Eccleſiam paſſim defamãt. Quid ergo illos cunctabũdos, aut ſcrupuloſius

ſius inquirentes ab amplexu Iudaiſmi detinebit, aut ſiſtet io illis ingenij curſum in tam fœdam a Chriſto defectionem?

36 Magiſtratus itaque ciuilis ex iſtis perci-piet, partim fidei definitionem impugnantes ex tribu *Dan* Proteſtantes, partim diſcordias in momentis fidei, ſenteotiæ nullius interuentu finieodas, excitantes, fidei ipſius interitum meditari, eoque morum ciuilitates, iuxta ac ſanctitudines, ſub prætextu fidem excolendi, apud ſe expugnandas ioſtruere. *Fiat Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi vt cadat aſcenſor eius retro.* Vngulæ equi, fidem, quæ totum curſum virtutum ſuſtentat, ſignificaot. Quas mordent Proteſtantes, vt fide ab illis ſemel dente viperino ſuecisa, qui quondam fideles aſcenſores, non ſolum cadant, ſed retro cadant: hoc eſt vt cadentes relabantur. Retro cadunt ab illis corrupti, qui ad infidelitatem, ad vitæ turpitudinem ſe recipiunt, ex quorum malorum luto nos Chriſtus per Eccleſiam erexit. Quod enim hæreſis omnis in vniuerſum caduca, inde in infidelitatē poſt breue tempus reſoluitur: & quod genus humanum, ductu vel naturæ ipſius iocitatum, aliquam tandem admiſſurum credulitatem & religionem, ideo Proteſtantes eodem motu, quo Eccleſiæ auctoritatem & traditionem impugnant, hæreſim ſuam ſtabilientes, illomet atheiſmi infidelitatem ſuadent. Demum idololatriam reuocare in orbem terrarum ſatagunt: in quam omnem protſus hæreſim paulatim progredi teſtatur *S. Athanaſius.* Verum, *Salutare tuum expectabo domine.*

Gen. 34.

S. Athanaſ. lib. contr. Idol.

Gen. 49.

37 Hæreſes itaque impune permiſſæ, ſicut ipſam fidem paulatim violant, ita quietudinem quoque inter ciues expugnant; eis vero, qui zelo Chriſtianæ veritatis præ alijs accenduntur, vſque ad intima cordium ipſorum, dolores inurunt. Quod ad fidei exterminium attinet, id iam ſatis oſtendimus: ex quibus innoteſcat, hæreticorum ſtudijs paulatim parari viam futuro Antichriſto, qui apertum bellum noſtræ fidei iotentabit. De hæreſi Ariana, & in eius nomine, de omoi io vniuerſum hæreſi ac proteſtantiſmo ipſo, ita iudicauit antiquiſſimus & ſanctiſſimus Epiſcopus Alexandriæ *Alexander. In noſtra,* ait, *prouincia prodierunt iam viri, qui leges reſcindunt, Chriſtum ipſum inpugnant; animos hominum ad defectionem: quæ quidem prænuntia & quaſi præcurſor Antichriſti non ſine cauſa & exiſtimari & appellari poßit; docere nituntur. Nam par eſt, vt nos qui ſumus Chriſtiani, omnes, qui contra Chriſtum loquuntur, animoque ſint abalienato: tanquam Dei hoſtes, & corruptores animorum deuitemus, neque id genus hominibus ſicut præcepit beatus Ioannes, vel Aue dicamus, ne quandu illorum peccatis cõmunicemus.* Bonorum porro animos ſenſu percelli doloris, dũ in hæreticos oculos conijciuot, e re certe ciuili non fuerit. Cuius rei acerbitas ad animam Principis vel maxime peruadet, cui multorum iocolumitates commiſſæ, ſi modo velit primi noſtri Imperatoris Chriſtiani *Conſtantini Magni* ingenio ſe ſimilem vtcumque exhibere. Quam io animo ſuo conceptam acerbitatem, inſpecta in ſuo imperio hæreſi Ariana, iſtis expreſſit. *Nam quamdiu Dei Populus: cum dico, qui communi mecum erga Deum obſequio fungitur, iniqua, pernicioſaque contentione, abs ſe mutuo dißidet, quomodo fieri poteſt, vt ipſe animo tranquillo conſiſtam?* Ob quam cauſam cum idem *Conſtantinus* iter deſtinaſſet ad orientem ex Bithinia Nicomediam verſus, affirmauit, propter hæreſim ibi vigentem, ſe eo proficiſci non potuiſſe, *Ob incredibilem doloris morſum.* Quam longe abſunt iſtæ ægrimoniæ, a quorumdam conniuentijs, adeoque fauoribus! Hinc externorum hominum in nos ludi & atheiſmi, videorium pluſquam ciuiles noſtras in momentis fidei concertationes. Ob quā cauſam vt narrat idem *Socrates, Eo ſceleris & turpitudinis res eſt prolapſa, vt Chriſtiana religio palā in ipſis theatris omnium irriſioni luderetur.* Huiuſmodi ſane fructus hæreſum, promiſcue & impune graſſantium in ciuium animos. *Inteſtina ſeditio,* ait *Conſtantinus Magnus, in eccleſia Dei conflata, multo plus moleſtiarum & acerbitatis, quam quoduis bellum pugnaue videtur mihi in ſe cõplecti.* Proſequamur modo reliquas partes Sapientiæ.

Socrat. lib. 1. Hiſt. cap. 8.

Euſeb. lib. 2 in Conſtant. cap. 60.

Socrat. lib. 1. Hiſt. cap. 3

Euſeb. lib. 3 De vit. Conſtant. cap. 12.

CAPVT IV.

Illa demum Theologia cum Ciuilis, tum ſacra, quæ de Deo auguſte, pie, digneque æſtimat. Qualis, quod ſit vna catholica, merito eadem aduerſariam Proteſtanticam inciuilem & impiam, illis oppoſita perſicientem, redarguit.

QVanta ſit inter Dei cognitionē ac hominum ciuiles mores connexio, ſupra explicauimus. Io qua cognitione præ alijs omnibus Nationibus nos fecit excellere Chriſtus Dominus. Is ſiquidem humanam in ſe naturā ipſa diuinitate factam amabilem, noſtris ſenſibus non ideo obiecit, vt omnis noſtra ſuperna contentio eius ſolius notitia, vel etiam amore, definiretur: quin potius vt illa allecti, ad Diuinitatis tandem ipſius ſingularem intelligentiam, iuxta ac charitatem eximiam perduceremur. Hoc pacto lampas ex criſtallo intus incluſam flammam commendat: Cæli externa facies, motrices Angelos inuiſibiles licet, deprædicat: aurea vagina, velut olim pallium poſt *Ephod,* reconditum gladium illuſtrat: ac nos in Chriſti perſona Deū intuiti, io eius nēpe perſona & doctrina deſcriptū, explicatius illum inde cum nouimus, tum etiam feruentius amare eodem incepimus. Contemplamur itaque in Deo duo genera bonorum: vnum, quod in ipſo abſolutum; vtpote eius vnitatem, Infinitatem, pulchritudinem, fœcunditatem, immenſitatem: alterum, quod ad nos relatum: veluti bonitatem, miſericordiam, iuſtitiam, ac iſtis ſimilia. Quantum vero momenti ad res ſacras, iuxta ac ciuiles, inter nos conducant, vtriuſque booi notiones, iam explicauimus.

1. Reg. 2.

2 Deum quidem, vt notat *Plutarchus,* mentibus aſpicimus tanqoam mundi Patrem & opificem: eundem pariter a nobis vtcunque cognitum, vitæ noſtræ & actionis exemplar, præ

Plutarch. de vit. Ciuil.

oculis habemus: licet omnino ad perfectionem tantæ ideæ operari non poſſimus. Voluit quidem ipſe, vt iris inter cætera, nobis aſpectabilis, ac pulcherrime renitens, figura quædam eſſet ipſius in nos miſericordiæ. Cæterum, vt aduertit *Ariſtoteles*, nullus pictorum vlla ſua arte exprimere valet quoſdam colores in ea relucentes. Pari modo, qua præſertim parte Deus miſericors, haud a nobis examuſſim imitabilis videtur: tametſi ad aliquid conandum, hæc ipſa in eodem inimitabilitas nos ſoleat vehementius incitare. *Sunt autem*, ait *Ariſtoteles*, de coloribus in iride diſputans, *colores, quos fere ſolos, pictores facere non poſſunt. Nam cum ipſi quoſdam temperant, tamen phœniceus, viridis, & purpureus non temperantur: quales colores in arcu videntur.* Nos quidem actionibus ad normam rationis expreſſis, quoſdam decoris colores efferimus: nihilominus ad Phœnicium, ad Viridem, & Purpureum in Deo ſplendẽtes, non peruenimus. Quis obſecro, ruborem phœnicium in eo charitatis, perpetuum integritatis in eodem virorem, aut dignitatis purpureum colorem ſuæ vitæ actione exæquabit? quis pictorum, ſeu Sanctorum, ſuis actionum temperamentis ad horum colorum perfectiones peruenerit? pictores tamen ſumus: ideo ob oculos iridem ad imitandum propoſitam habemus. Conandum eſt, vt eo tandem imitatione perueniamus in tabella huius vitæ, quo diuina gratia adiuti poſſimus. Hinc quod ex virtute quidam hominum contenderint ſeſe deo vtcunque ſimiles reddere, ideo opinione ac etiam lege gentilium, ad conditionem quandam diuinam inde adſpiraſſe iudicabantur. *Hic eſt*, inquit *Plinius*, *rectiſſimus referendi bene merentibus gratiam mos, vt tales, numinibus adſcribantur: Quippe & omnium aliorum Numina Deorum, & quæ ſupra retuli ſiderum, ex hominum nata ſunt meritis.* Cum idcirco Deus nobis obijciatur vt finis noſtræ vitæ, vt actionis itidem exemplar, vt bonorum aduerſorumque auctor, plurimum ad noſtrum officium recte abſoluendum faciet eximia decenſque de illo cogitatio: quemadmodum contra, multum eidem officiet praua, indignaue de eodem apud nos æſtimatio. A Deo ſiquidem omnia noſtra proueniunt: nam vt inquit *S. Auguſtinus*, *Res proſpera donum eſt conſolantis, res autem aduerſa donum eſt admonentis Dei. Sicut enim ſol*, quod ait *Ariſtoteles*, *ventos & reprimit & concitat, ita Deus vtramque fortunam in rebus noſtris pro ſuo beneplacito moderatur.* Quod ergo ipſe puriſſimæ ſuæ intelligentiæ oculo deſpiciat hominum actiones omnes, ideo recte intulit *Socrates*, tam in ſecreto, quam in aprico cunctis abſtinendum a malefactis, *Cum certo teneant, nihil eorum quæ agunt, Deos latere.* Quamobrem vt error ſuſceptus de fine aliquo actionis, aut de primo, quod ad ſcientias, principio, tam actioni, quam contemplationi nocentiſſimus, ita de Deo praua inita ſententia, vim in nobis cũ cogitandi, tũ agẽdi inter omnes alias hallucinationes mentium, plurimum corrumpit: quum reſpectu noſtri exiſtat Deus terminus principiumque. Sicut enim in Metaphiſica, in quam aliarum ſcientiarum concluſiones reſoluendæ, errores in alias omnes vti a fonte redundant, ita de Deo

Ariſtot 3. meteor. cap. 2.

Plini lib. 2. hiſtor. cap. 7.

Auguſtin. Ep. 87.

Ariſtot. 2. meteor. cap. 4.

Xenophon lib de pie. Dict. & fact Soc.

falſa ſuſcepta opinio, in vfficia vniuerſa hominum tam contemplatiua, quam actiua deriuatur: quippe quod cuncta in ipſum referenda. Optima itaque ratione vſi Patres, *Euſebius*, *Auguſtinus*, *Gregorius*, qui ex correcta per fidem Chriſtianam veterum Theologia, eiuſdem fidei credibilitatem aptiſſime adſtruxere: quæ certe inter reliqua dogmata, omnia puta altiſſimaque extulit, ad Dei naturam elucidandam ſpectantia aduerſantia vero abſtulit: cũ quibus philoſophorũ placita, quod ad hoc, cõparari nequeunt.

3 Et quidem ſupra vidimus, philoſophiam antiquorum dignitati vnius Numinis tam quod ad eius abſolutam perfectionem, quam eiuſdem prouidentiam, in multis plurimum detraxiſſe, eoque impiam & inciuilem fuiſſe luculenter ſatis viſi ſumus oſtendiſſe. Cæterum non ea ſolum tenebras, quas potuit, tantæ luci offudit, quinimo illi erranti ancillata hæreſis, idem præſtare conata, cum ingenti ſane damno vitæ tam ſacræ quam ciuilis inter homines: fieri enim non poteſt, vt haud tranſeat ad mores vtriuſque generis obliquandos & corrumpendos, quod ſemel cum Numinis iniuria ex errore impietatis definitum. Exiſtimamus itaque imprimis, Dei vnitatem, perſonarum triplicitati coniunctam, eiuſdem ſummam perfectionem nobis declarare ac commendare: vt enim ingens lux plenitudinem quandam flammæ arguit, ita in diuinis Filius, Patris refert eximiam perfectionis vbertatem. *Da mihi flammam ſine luce*, ait S. *Auguſtinus*, *& do tibi Deum Patrem ſine Filio.* Vnitas quidem, ſumma eſt diuinitatis perfectio, adeoque radix, vnde eius omnis perfectionis immenſitas & amplitudo manant; nihilominus haud a perfectione alienum, ſeſe alijs, a ſe numero diuerſis, communicare, quod id proprium bonitatis: præſertim cum in tali communicatione, pluralitas in vnitatem demum incidat & coaleſcat. Quod quidem in Deo ſolo conſpicuum: ita enim quo ad perſonas triplex, vt tamen ipſæmet formę perſonales, inter ſe licet oppoſitæ, & diſtinctæ ab inuicem realiter, in communi Deitate tamen vnum quid ſint, neque ab illa diſcretæ reperiantur. Neque ſane numerus penitus aduerſatur vnitati: nam vt ex vnitatibus conſtat, ita in vnitatis clauſulam ſeu coronidem coincidit: dicimus enim vnum eſſe ternarium, ex tribus conſtans; quod nempe vnitatem proferat eiuſmodi numerus, eaque perficiatur. Quæ quidem vnitas non eſt ſpectanda in rebus numeratis, ſed ſolum in formalitate ipſius numeri: quatenus videlicet ſingulæ vnitates mutuis reſpectibus inter ſe comparantur, & vna communi clauſula diuerſimode relatæ, terminantur: *Neque certe, ait Euſebius, poteſt fieri, vt numerorum eſſentiam ab vnitate ſeparatam intelligamus.* Verum enimuero in myſterio diuiniſſimæ Trinitatis, non ſolum numerus, qui realiter Deo cõpetit, ſed & res numeratæ, in vnitatẽ: non dico cõceptus obiectiui, ſed & ſubſtãtiæ, ſeu identitatis, recurrit: quo pacto veluti flumina diſcretionum perſonalium, in vnitatem fontis, vnde fluxere, recurrunt. qua in re, tametſi veſpertilionis inſtar circa flammeum hunc diuinitatis ſolem videar vtcumque volitare, nolo

Euſeb. lib. 3. de monſtrat. Auguſt. Ep. 3. Gregor. homil. 8. natiuitat.

Auguſtin. tract. 20. in Ioan cap. 4. & 5.

Euſeb. orat. in laud. Conſtan.

tamen vlla altiuris aſcenſus præſumptione imbecilles mihi alas inde comburi.

4. Hoc doctiſſime, vt ſolet omnia, explicat S. Cyrillus. *Cum igitur non compoſita, ſed ſimplex natura Deitatis ſit, nunquam in plures perſonas diſtingueretur niſi quadam inueniretur differentia: non ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum relationem, & quaſi extrinſecus intellecta, per quam vtriuſque perſona in propria hypoſtaſi conſtituitur, nec ab vnitate Deitatis propter identitatem naturalem poteſt excludi.* Similiter idem Doctor perſonam Spiritus ſancti appellat fructum & odorem Patris. *Sanctus enim ſpiritus dicitur, quia ſanctus eſſentialiter eſt. Naturalis enim, viua & ſubſiſtens Dei operatio eſt, quæ creaturam per ſuā participationem ſanctificando perficit.* Non autem poterint Filius Dei & Spiritus ſanctus eſſe Dei Patris operationes naturales, niſi illi eſſent conſubſtantiales. Nihil enim extra illum, illi æquale, aut infra ipſum minus, cogitari valet illi naturale: debet ergo quod huiuſmodi, illi eſſe conſubſtantiale: hoc eſt eiuſdem penitus cum illo ſubſtantiæ. Vnde concludit *S. Cyrillus*: *Sola diuerſitate relationis, quæ diuerſis nominibus ſignificatur, nec vlla alia re diſtinguuntur.* Quæ hic apud nos maxime perfecta, ſiue naturalia ſiue artificialia, ea numero conſtant, vnitate aliqua deuincta & ad ſe recollecta: vtpote mundus iſte, homo, planta itidem, ac ſimilia. Decuit idcirco in Deo ſimilitudines exemplares relucere omnium, ſcilicet tam numeri quam vnitatis, quorum neutrum alterius rationes in eodem violaret. hoc modo putamus, fœcunditatem ornare virginitatem, ei decus adferendo, quando einſdem integritatem non corrumpit. tunc vere numerus cum ſumma ſimplicitatis perfectione non cohæret, quando illam abſolute in plura abſque vnitatis forma ſeu vinculo diſpergit: ſicut fœcunditas tunc virginitati officit, ac eam violando deformat, quando ad illius interitum ſuccedit. In Dei autem excellentiſſimis perſonis, ita numerus certis characteribus diſcretionis redundat, vt tamen in vnitatem naturæ incidat: ſic vnitas omnia coërcet, vt intra ambitum vnius perſonæ ea minimè nihilominus contineatur: cuius ſumma perfectio ita eſt ad ſe reducta, vt tamen ad alias perſonas intelligendo & amando, quodammodo egrediatur: eoque Deus Pater Filium habet alteram a ſe perſonam, quo ipſum non alibi, quam in ſinu proprio collocatum intueatur: vtpote in loco, tam amorem ipſius in Filium, quam filij cum illo conſubſtantialitatem indicante. Perſonæ itaque Diuinæ, *Præter nominum* inquit *Cyrillus*, *id eſt perſonarum, omnem aliam diſtinctionem recuſant.*

Cyrill. lib. 2 Theſ. cap. 3

Cyrill. 13. Theſ. cap. 1 cap. 4.

Cyrill. lib. 7 Theſ. cap. 4

Ioan. 1.

Ciril. lib. 1. in Ioan. c. 5.

5. Huic in Deo abſolutiſſimæ perfectioni hæreſis Ariana ſeſe impijſſime oppoſuit: contendere enim voluit, perſonæ Filij ſubſtantiam, aliam eſſe ab illa, quæ in Patre; ſcilicet ea inferiorem, ac vt ſummatim dicam, quod *Arius* erubuit diſerte fateri, creaturam. ſuſtulit itaque vim Patris ad generandum Filium ſibi æqualem atque poteſtatem ad ſe alteri perſonæ communicandum. Et quidem cum duæ ſubſtantiæ, in omni genere entis infinitæ, exiſtere non poterint, illa quæ Filij, iuxta ſenſum Arianorum, infinita non erit ſimpliciter: proinde neque diuina, ſed ſub illa definita quædam creatura. Meritò itaque *Conſtantinus* Imperator accuſauit Arianos, quod plures Deos, ac idololatriam, à Chriſto reiectam, in orbem denuo inducere laborarent, ſtatuentes Filium Dei eſſe deum, natura tamen a Patre diſcrepantem. Quamobrē cum ſumma iniuria numeri in Deo, vnitate complexi, adeoque fœcunditatis, contentæ ſimplicitate, Ariani hæretici commentati ſunt. Rectè idcirco S. Cyrillus: *Natura igitur ineſt Patri fœcunditas, & ideo perfectus eſt, quia genuit. Non enim poteſt eſſe perfecta Deitas, niſi Filium habeat, & fructum ex ſe pariat. nec poteſt eſſe creator Deus abſque Filio, per quem omnia fiant.* Quod ita diuinitati inſitum vt de illo dicat: *Nec vllus inuenitur dicere, volente aut nolente Patre naſci Filium. Nullam habet in hac generatione locum velle aut nolle. Non poteſt enim coæternus eſſe Patri, qui ex ipſo naturaliter non eſt: creatura enim coæterna non eſt.*

S. Thom. 4. cont. gent. cap. 2.

Conſt. orat. ad Epiſc.

Cyrill. lib. 1 Theſ. cap 6 lib. 2. cap. 8.

6. Quinimo Proteſtantes Caluiniſtæ, his tam præclaris notis fœcunditatis & vnitatis in Deo, apertiſſime pariter refragantur. Renuit enim *Caluini* animus concedere, Filium Dei eſſe *Deum de Deo*: quod *S. Athanaſius* tamen cum Eccleſia Catholica, explicate eſt faſſus: ſed *Deum ex ſe ipſo* pronuntiauit: conſequenter aut plures Deos vel vnicam in diuinis perſonam, ſolis vocibus a ſeipſa diuerſam, ad ritum Iudæorum, agnouit. Fieri non poteſt, vt illa perſona ſit Filius, quæ a Patre non eſt genita, aut vt Filius ſit Deus a Patre genitus, & interim haud ſit Deus ex Deo, ſi modo quo Filius Dei, eodem etiam Deus fuerit. Quod ſi admiſerint, ſecundam perſonam, Deum quidem eſſe, licet a Patre non ſit Deus, ſed Deus a ſe: alium tunc profectò a Patre Deum conſtituent, qui re ipſa Filius Dei non ſit, quippe minime a Patre genitus. Sin vero multitudinem Deorū adſtruere horreant, tunc ſentiūt, quod de illis affirmauit *Feuardentius*: nempe nō generatione paſſiua, vel filiatione, ſeu reali perſonalitate Filiū a Patre diſtingui, ſed ſolū vocis ſeu nominis diuerſitate: perinde ac ſi quo ad rem ipſam eadem eſſet perſona Patris & filij: ſimiliterque eodem modo quod ad rem ipſam, Deus a ſeipſo Filius eſſet, quo Pater. ex quo vehementer cupiuit *Caluinus*, Iudæum agens, nomina Patris, filij, & Spiritus ſancti fore abolenda: vt omnis demū ratio Trinitatis ſanctiſſimæ, tam quod ad voces ipſas, quam perſonalitates, hominum fidei eximeretur. vnde enim aliter ſecunda perſona Filius, aut verbum Patris, ei conſubſtantiale, niſi quia a Patre genitus, & in illo manens? *Nam quia ex ipſo eſt*, ait *Cyrillus*, *Filius vocatur: quia vere in ipſo, ſapientia & verbum. Deus ergo & de Deo eſt & non creatura.* cui conſonat *S. Auguſtinus*: *Pater Deus eſt, non de Deo; lumen, ſed non de lumine: Filius vero Deus de Deo, lumen de lumine. Idem exiſtens quod Pater, Deus de Deo. Tertullianus*; quoque differens de turris Babilonicæ demolitione, linguarum confuſione, Sodomæ ac Gomorræ per incendium deuaſtatione, talia adſcribit Filio Dei: *Ille*, inquit *Deus de Deo*. Quales precor, Proteſtantes iſti Dei Eccleſiæ reformatores, qui Deum ipſum maieſtate perfectionis priuant, cum vnitate ſubſtantiæ, perſonalem triplicitatem inficiati?

Caluin. cōt gent.

Rain. theſ.

Feuar. in ſymb. calu.

Calui. lib. 1 Inſt. cap. 13. Feuar. dial. 3 Hunnæus in Cal. Iud.

Cyril. lib. 1. Theſ. cap 4. l. 14. cap. 3.

Aug. tract. 20. in Ioan. cap. 5.

Sen. 11. Gen 13.

Tert. cont. Praxem.

7. Verum ea in Deo præclara, quæ in illo ad nos reſpectum dicunt, ſicut Catholici libenter fatentur ac deprædicant, ita Proteſtantes negant vel obſcurant: in Deum ipſum, nedum in ſolem, ſuorum errorum nebulas ab imo erroris excitantes. Suſpicimus in Deo mirũ illum modum prouidendi rebus bumanis, quo illas Prædeſtioat, quo ſimul cum voluntatibus hominum eorum actus educit, sd ſuos fines apte refert: ea tamen ſuauitate, vt eis interim non præficiat aliquod aurigæ fatum, ſiue ab ipſios decretis, ſiue a ſerie cauſatum naturalium, ſiue a doni ipſius efficacitate propagatum, cuius ſubinde imperio, oeceſſitate aliqua adigantur homines ad operandum aut abſtinendum ab opere: ſed potius ita libertati ſuæ relinquantur, vt in bane, alteramue partem pro ſuo ipſorum innato arbitriu flexibiles exiſtant. hoc quidem rectè æſtimatum, multis oominibus commendat Dei in nos amantem prouidentiam. Imprimis non vnam ſimplicem formam prouidendi, ingenijs ſecundarum cauſarum accommodatam, illi attribuit hæc noſtra ſententia, quinimo multiplicem ac plane diuerſam: vtpote qua cum cauſis neceſſarijs ad vnã determinatis, earum ſeruata neceſſitate agendi, cooperetur, vel ſuum concurſum illis deneget: cum cauſis autem liberis, quales voluntates hominum & Angelorum, eo pacto concurrat, quo in eis illæſa libertate, eorum actus, aut ab eis ceſſatiooes, idonee procuret. Et quidem hæc in Deo varietas prouidendi, opemque ferendi, valde conſpicua eſt, & reipſa pulchertima. ſicut enim decuit illum ad vniuerſi iſtius perfectionem, non ſolum creare vires operatrices ad vnũ quid ex neceſſitate directas, ſed alias etiam liberas, & in vtramque partem ex arbitrio earum, ad ipſiuſmet perfectiorem imitationem determinabiles; quo ipſius ampla perfectio, booitate innata ad agendum comparata, effectis ab ipſo rebus, ad moderationem quandam in terris repræſeotaretor: ita pariter eodem, ius quoddã naturæ condidit, quo ſe quodammodo obſtrinxit, ad normas in ipſis rebus ab eo procuratis, diſtincte ac diuerſimode concurſum ac prouidendi curam ſuam ſuppeditare. qua in re parum curamus quorundam Philoſophorum ſententias, vel etiam Poëtarum commenta, contendentium, fatum aliquod etiam Deo imperare, ipſumque ad quid ſtatutum ineluctabili neceſſitate deferre: perinde ac ſi in ipſius bonitate cauſa non eſſet, ob quam liberam vllam creaturam cõderet, quæ imago eſſet io ipſo libertatis. hoc enim de Deo ſentire plane indignum; videlicet, ipſum infinitum, neceſſitati adſtringi ad excitandum res finitas, aut ad illis ſic vel aliter prouidendum. Quamobrem, cum ipſe gaudeat libero arbitrio, inſtit oens mundum creare, qui illum vtcunque referret: ſicut in vniuerſum omnis cauſa in ſuo effectu quodammodo relucet, ita creaturas aliquas ſpirituales, nempe voluntates Angelorum, & hominom excitauit, in quibus impreſſa imago ſuæ libertatis, poſtularet talem ab ipſo concurſum & auxilium, vtpote primæ cauſæ, qualis ipſorum libertates haod violaret, ſed potius cum eis integris & imminutis placide ac concinnè admodum cohæreret. ob haoc eoim cauſam bortamur homines, quod libertatis ſiot compotes, vti ſtudeant, voluntates ſuas conformes reddere Dei voluntaó, non vero conari, vt voluntas Dei ad ipſorum deſideria inflectatur. *Ne voluntatem Dei*, inquit *S. Auguſtinus*, *velis torquere ad voluntatem tuam, ſed tuam corrige ad voluntatem Dei.*

S. Thom. 1. part. q. 80. art. 2.

August. in Pſalm 93.

8. Etenim Deus omnipotens in ſe ſpectatus, vtrumque genns neceſſarij iuxta ac liberi in ſe complectitur. Neceſſario enim ſubſiſtit, neceſſario ſe iotelligit & amat tam eſſentialiter quam notionaliter vi ſuæ naturæ. At libere alia omnia a ſe reſpicit & adminiſtrat. quo pacto ſub voa eademque ſua eminentia perfectionali adeo diſparium generum differentias claudit & in ſe continet. Huic veluti ſigillo aptari voluit, vt naturæ vires in illis tulere, angelos & homines, in quibus, sd ſimilitudinem Dei conditis, neceſſitas & libertas quoque inde apparent. & quod ad operationes, maior quidem neceſſitas vrget hominem, quã Angelum, eo quod bomo propins accedat ad cõcretã naturã, quæ ad vnũ determinatur, inſenſibilis, ſeoſibiliſque ſubſtantiæ plures qualitates in ſe reuineat: ex quo operationes in illo corporeæ, ſimulque appetitus ſenſitiui, imo & voluntatis aliqui primi motus, prorſus neceſſarij reperiuntur. Deus itaque viſo libero arbitrio in homine & Angelo, eo quodammodo delectatur, & illis libertate præditis, applaudit veloti ſui ſimulacris: præſertim cũ non illud quod in Deo neceſſariũ, proxime negocia humanæ libertatis adminiſtrat, ſed quod in eo liberum: libere enim vt omnia extra ſe peragit, ita libero noſtram libertatem ſua prouidentia excitauit, moderatur, dirigit, inflectit ac deſtinat pro ſuo beneplacito. quam libertatẽ in vtriſque, vt ſic loquar, tanquam florem & gemmam delicato quodam contactu tractat Dei libertas, vti nullo modo ei aliquid libertatis ſua libera prouidentia auferat, aut illius vim infringat: ſed potius diuina ipſius libertas cum hominis & Angeli libertate optime, veluti plectrum cum citharæ conſonis fidibus, conſentit.

Cirill. lib. 1. Theſ. cap. 6. S. Thom. 1. part. q. 20. art. 1.

Gen. 1. Greg. Niſſ. lib. de Nat. Hom.

6. Præclarum hunc diuinæ perfectionis characterem, in eius prouidentia conſpicuum, obliterare conantur Proteſtantes, aſſerentes, omnem in deo erga hominem aut Angelum prouidentiam, quantũ ad ipſorum virtutes ac vitia, non niſi auriga.ıte cunctaque adminiſtrante fato, abſolui. Si bomo aut Angelus gratia diuina ſuffulti, boni aliquid operentur, eam vim efficaciæ eiuſmodi gratiæ ſua opinione attribuunt, iuxta ac Dei æternæ conſtitutioni, vti aliud fieri non potuit ab vtriſque præter illud, quod ab ipſis iam præſtitum. ſin vero deliquerint, parilem fatalem neceſſitatem deſignant in eiſdem ad delinquendum: io Angelo quidem ob defectum gratiæ efficacis: in homine præter bunc ipſum defectum, ob furentis etiam io eo concupiſcentiæ libidinẽ: ita vt Deus nihil apud ſe decernat aut moliatur quod ad mores Angelorum, hominumue, quod non ſit apud ſe extrema oeceſſitate defixum, nolla eorum permiſſa, quod ad virtutem aut vitium, libertate. An noo hoc eſt alteram prouidentiæ diuinæ partem, eamque nobiliſſimam,

biliſſimam, Deo eximere, ac vnius modi terminis eam anguſte abiecteque nimis definire? vident eundem ſolis radium accommodate ad cauſarum infra poſitarum qualitates, operari, & tamen non fatentur Deum, iuxta liberæ ſub ipſo cauſæ poſitæ condicionem, libertate eiuſdem illæſa, quicquam educere aut diſponere: imo ab ipſomet conditæ naturæ ius ac poſtulatum, continuo infringi prouidentiæ diuinæ curſu contendunt: perinde ac ſi perturbate, inconditeque agenti libere ſuum concurſum perpetuo Deus adaptaret: imo quaſi non poſſet Deus formam agendi libere in ſecunda cauſa immutatam aſſerere, ſi modo de illa æterno ſuo decreto quicquam anterius conſtituat, aut cum illa prouida ſua cura, vel gratia efficaci, aliquid moliatur. Repugnabit num ergo Dei prouidentia, adeoque Deus ipſe, ſecundæ cauſæ libertati: quaſi Deus non poſſit iam amplius eſſe Deus, ſi permittatur homini vel Angelo libere operari? Etenim ſi *Adamus* non peccaſſet, ſed nos omnes in ſtatu integritatis floruiſſemus, nihilominus tunc locus fuiſſet decretis diuinis, & gratiæ efficaci. ſi ergo ex iſtis liberum arbitrium modo auferatur, non erit verum, quod paſſim dicunt hæretici, ſcilicet *Adami* peccatum nobis excuſſiſſe liberum arbitrium: ſed aliunde, vtpore quod non conſentiat cum dei prouidentia, ideo ab vniuerſa natura expellendum. hoc omnino ſentiunt Proteſtantes, qui affirmare non timent etiam *Adamum* ipſum neceſſitate ad actum peccaſſe.

10. Nos porro admiſſa in homine & Angelo libertate agendi, conſequenter attribuimus Deo poteſtatem iudiciariam: eam nempe, quę eorum virtutes præmiat, delicta vero caſtigat. Dignus ſiquidem præmio, qui ſic actioni virtutis incumbit, vt potuerit eius officium deſerere. pariter ob demeritum dignus ſupplicio, qui ita crimē operatur, vt valuerit illud a ſe depellere. duo præcipue ſpectanda, quod ad hæc, in diuina prouidētia: primum, quo iubet Deus bonas actiones, iuxta ac malas vetat. alterum, quo illas remunerat, has vero punit. Prius omnino connexum eſt cum libero arbitrio. *Quomodo iubet Deus*, inquirit *S. Auguſtinus*, ſi non eſt liberum arbitrium? *neque enim præciperentur, niſi homo haberet propriam voluntatem, qua diuinis præceptis obediret.* Poſterius pariter omnino eſt cum libero arbitrio copulatum. hoc egregie docet *S. Cyrillus* contra *Iulianum* apoſtatam, affirmantem, Deum ſingulis gentibus mentes quaſdam indidiſſe, quæ ipſis fatalem neceſſitatem, quod ad ſuas actiones iniicerent: quo ſemel admiſſo, inquit, *Neceſſario reijcimus bonorum laudes, & eorum, qui non ſunt tales, in iſthuc ipſo vituperationes. S. Auguſtinus*, iſtis Deum alloquitur: *Si non dediſſes liberum arbitrium, & per hanc rationem pecore me non faceres meliorem, non me ſequeretur damnatio iuſta peccantem.*

Aug. lib. de Grat. & lib. arb. ca. 2. 4

Cirill. lib. 4 cont. Iul. Aug. in pſ. 31.

11. Proteſtantes nihilominus liberum homini adimentes arbitrium, non plus diiudicandum in hominibus Deo relinquunt, quā ſi bruta eſſent, nec ad altiorem finem quam ipſa inſtituti. Quā hæc ipſorum hæreſis nepharia non modo in hominum mores, quin etiam in Dei ipſius prouidentiam, eiuſdem maieſtatem, ſimul ac iuſtitiæ conſpicuum tribunal? an non ille ſummo iure iudicabit homines. qui in eis omnem iudiciariam excitauit poteſtatem, & cuius dono ipſi iudicum ſententias dicunt?

12. Catholici idcirco non ſolum in Deo poteſtatem homines iudicandi agnoſcunt, quinimo eam miſericordem ac iuſtam fatentur. Qui enim recte in hac vita ad rationis ac diuinæ legis normas ſeſe gerunt, ij id totum præſtant diuinæ gratiæ ſubſidio adiuti, cum tamen reſiſtere potuere. pariter qui a ratione recta deique legibus agendo aberrarunt, illi aliter valuere mores ſuos componere, ſeque a factis turpibus abſtinere virtute illius cæleſtis ſubſidij, quod aut retinuerunt, aut obtinere illis fuit poſſibile. Ex quo ſequitur, præmium æquiſſimo iure honeſtè viuentibus decernendum a Deo, male autem, ſupplicium. Verū quod ad vtraque, horrendam quandam falſæ iuſtitiæ ſpeciem Deo affingunt Proteſtatores. aiunt enim, deum hominum peccata, qualia reputant omnia vel optima iuſtorum opera, æternis pœnis licet digna, præmio tamen in cœlis exornare; iuxta ac eis delictis perpetuū in inferno cruciatum rependere, quæ rei, dum in viuis agerent, defugere nequiuerint; adeoque in quæ ipſemet Deus eos fatali quadam neceſſitate ac ſuo opere adegerit. Qualem tandem Deum nobis excudunt in ſuis officinis Proteſtantes! imo potius quale idolum cacadæmonis tanta blaſphemia orbi obtrudunt venerandum? citius ſane humana ratio Deum eſſe negabit, quam vt ad idæam proteſtanticam, deum adeo enormiter iniquum, tam immaniter tyrannum, qualem illi eum reddunt, vnquam agnoſcat vel veneretur. Hoccine eſt pro Deo proteſtari, & non potius pro diabolo iuxta nouam fidem proteſtanticam deuouere, profiteri? Conatus omnes, vel iuſtorum, virtutibus impenſos, ob corruptionem, quam ab innata concupiſcentia attrahunt; iuxta ac ob defectum illius gradus, quod ad perfectionem, ad quem attingendum vi legis diuinæ tenebantur, mortalia peccata eſſe vociferantur. ne tamen dicere viderentur, Deum nulla prorſus hominum opera præmiare, ac eodem apertiſſime Scripturis aduerſari, abſurde, impieque ſtatuunt, ipſum peccata, morum ſcilicet ſordes, a diabolo ſatos, emiſſoſque fructus, pannumque menſtruatum, præmio afficere. pariter malefactis neceſſitatem, exacta omni libertate, imponentes, ſimili blaſphemia dicunt; quod nullo tamen *Dyoniſio* vel *Phalaridi*, imputarent, Deum miſeros homines ob delicta, quæ ipſi euitare haud potuerunt, & in quæ ipſe eos præcipites ſumma neceſſitate & ſua opera dederit, horrendis perpetuiſque in Stige doloribus ſua ſententia cruciare. An hoc ex lumine Euangelico ſtatuere in Theologicis, & non potius Numinis prouidentiam ad libidinoſi erroris in hominibus æſtum ac fumum, indigniſſime deformare, denigrare?

13 Enimuero inter omnia Diuinitatis attributa, in ipſius miſericordiam, quæ ſuper omnia opera eius, a quopiam iniquiſſime offenditur. hæc enim aliquando excreſcit, dum vel confitentis plura delicta confeſſio augetur. *Tanto enim maior eſt laus ignoſcentis, quanto maior exaggeratio* A iguſt. in pſalm. 94.

peccata

peccata confitentis. vbi confeſſio cumulum extulerit, ibi ſtatim Dei miſericordia in fluminis ruentis ritum, copioſius ſe dimittit. Quinimo vt inter ſpinas roſa, ita Dei miſericordia in ipſis pænarum aculeis flagrat & reperitur: ſic enim puniț,

Diod. lib. 4. Antiq.

vt eodem miſereatur, ſic comminatur, vt ne amplius puniat, a ſeipſo compellatur. Recte *Diodorus*: *Non tamen puram ſimplicemque, & abſque inuidia felicitatem fortuna hominibus largita eſt, ſed tantis donis immiſcuit mala: profecto admonens, in perpetuis bonis Deos ſoleri a nobis contemni.* Hinc

Pſalm. 20.

quod cantat Pſalmiſta: *Terribilis Deus ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt.* Hoc eſt ſeuerior in eos plerumque, qui vitę ſanctimonia propius ad

Chryſ. hom 50. de pæn.

eum accedunt, vt illud Pſalmi interpatur *S. Chryſoſtomus*. obiecit Deus poſt diluuium peccatorum oculis arcum in cœlo, non autem ipſam ſagittam: cum tamen non arcus, ſed ſagitta feriat, ac noceat, vt pœnæ interminatione longius poſitæ, illos a flagitijs amanter deterreret, ſignumque daret, quo admoniti, fugerent a facie arcus,

Pſalm. 59. Ambr. de arca & Noe. Greg. li. 19. in Iob. c. 28. Aug. lib. de correpț. & gratia cap. 10. in pſal. 118. tract. 54. in Ioan. ca. 12

quod eleganter adnotauit *S. Ambroſius*. Vt pariter ipſius miſericordiæ, propenſis in delicta auxilium ſuæ gratiæ admouet, exterius illos pulſat, ſimulque interius ad ſe vocat. Vnde *S. Auguſtinus* loquens de *Adamo*, libere concedente in delictum, ait: *Poſſet ergo permanere ſi vellet, quia non deerat adiutorium. per quod poſſet.* Idcirco vt Patres notant ex Scripturis, videtur Deus, dum pœnas ineuțit male mærentibus, quodammodo alienū quid a ſe peragere, & de loco proprio ad peregrinum egredi.

Iſaiæ. 26.

Ecce enim, ait *Iſaias*, *Dominus egredietur de loco, vt viſitet iniquitatem habitatoru terræ contra eum*; In quam ſententiam hoc dictum

Hier. in cap 5. 1. Mich Iſaiæ 42. Rup. in cap. 15. gen. Vog in Th. pag. 597.

interpretatur *S. Hieronymus*. *Vt parturiens*, verba loquitur Iratus: hoc eſt, cum quodam ſenſu doloris veluti inuitus: quo tactus intrinſecus quondam, ſtatuebat genus humanum penitus delere: quod *Rupertus* ſignificauit. quam ergo impij in Dei miſericurdiam Proteſtantes, vel teſte *Vogelio* Luthérano, affirmare auſi, ipſum, primo vi neceſſitatis detrudere homines, imo & *Adamum* in peccata: ſubinde illos, ob hæc ipſa peccata, quo inferni malis ſempiterno tempore torqueantur, tradere dæmonibus cruciandos! Quis tyrannorum: quod tamen affingunt Deo Proteſtantes, legem condidit impoſſibilem; nihilominus tamen propter talis legis tranſgreſſionem, in ſempiternum ſuos caſtigandos decreuit? Imo hinc Principes, ac alij, Dei Caluiniſtici exemplo ducti, incitari poterunt ad immanitatem erga ſuos exercendam, ac ad deponendum planè viſcera miſericordiæ, quæ in Deo non agnoſcunt, Caluiniſtæ, & vltra diuinam ſortem ab ipſis decretam, Mahometani in ſuo Domino *Sultano* adhuc inueniunt.

14. Porro quod ad hanc Dei prouidentiam, eiuſque iudicandi munus attinet, Catholici amplū, perfectū & ad omnia hominum acta extenſū iudicant, ita vt de ſingulis inquirat, ſtatuat bona quidem adprobet, mala vero odio in vniuerſū habeat, pæniſque addicat: neque in hac re cenſemus ignorantiam, vel diſſimulationem. deo adſcribendas: quaſi peccata aliqua non videret, aut minime ea ſontibus imputaret, quamdiu in eorum animis vere expreſſeque ſuperſunt, nulla dum pœnitudine, actu contrario, vel gratia Sacramenti retractata, ſeu expuncta. Fingant Poëtæ *Soporem* Deū, etiam Deorū oculos poſſe oc-

Hom Iliad.

cludere: quod luſit ſuo more *Homerus*, quo minus intueantur hominum geſta. Noſtri autem dicūt, quod nihil Dei viſum repellere poterit ab vllo obiecto, quod exiſtit, aut efficere, vt illud non damnet, ſi modo tetri aliquid in ſe contine-

Sap. 14.

at: quia deo odio eſt impius, & eius impietas. Verum quidem eſt, ipſum interdum diſſimulare peccata hominum, & a peccatis eorum ſuam

Pſal. 90. 91.

faciem auertere: non quod illa non videat, etiam dormiens in ſcapha, *Turbantibus æquora ventis*, ſed ſolummodo, quod illa ſtatim nō puniat,

Mat. 19

expectando tempus, in quo noxij pæniteant, & ad gratiam ipſius denuo reſipiſcentes adſpirent. At vero exacta hac vita, miſericordiæque tempore elapſo, nullum erit ſcelus in hominibus, quod ipſe non recognoſcat, quod illi vehementer non diſpliceat, quodque iuſtiſſime pænis non adſcribat. Proinde dixit Propheta Dauid.

Pſalm 20

Miſericordiam & iuſtitiam cantabo tibi domine. neque eſt quod quis exiſtimet, tunc temporis fidē effecturam, vt benigno vultu Deus ſceleſtos homines reſpiciat, vt eorum crimina non diiudicet: quandoquidem eo grauiora, adeoque ipſi deteſtabiliora, quo cum fide coniunctiora fuerint apparebunt: quemadmodum tetrius delictum, quod cum ſcientia, quam quod cum ignorantia copulatur: quod a Chriſtiano, quam quod a Iudæo committitur, teſte *S. Paulo*.

Auct. 4. ho. &, vet. teſt l. 3. cap. 29. Cyr. cap. 8 Theſ. c vlt. Hæbr. 10.

Verum tametſi ad æternam gloriā prædeſtinatos, quando peccatis grauioribus coinquinantur, haud deſtinet Deus efficaciter ad æternas pœnas: nihilominus eos vi præſentis ſtatus a ſe alienatos, iuſtitiæ & ſanctitatis exortes, ac dignos, qui illis pænis addicentur, videt & iudicat. qui ſi ab illis malis eximantur, id non prouenit a præſenti ſtatu, in quo ſunt, ſed a futura eorum ex dei miſericordia ad pœnitentiam, ac nouam iuſtificationem reparatione. alioquin deo odibiles & eius inimici merito conſiſtunt.

15. Hac ex parte Proteſtantes in Dei iuſtitiam, in ipſi ingenitum odium peccati, impijſſimi plane inueniuntur. Volunt enim, nullum ſcelus, infidelitate excepta, fidei iuſtitiam & gratiam adoptionis expellere: adeoque ſecundum etiam præſentem iuſtitiam, & ſtatum filios poſſe eſſe Dei, ipſique chariſſimos, qui cum *Dauide* homi-

2. Reg 11. Marc. 14.

cidij & adulterij interim rei, qui cum *Petro* Chriſti Domini deſertores exiſtunt. Quamobrem quando ad tribunal ſupremum homines ſiſtendi, tunc ſecundum eorum ſententiam, inquiret ſolum deus an crediderint necne; reliqua, ad impletionem mandatorum ipſius, adeoque ad obſeruantiam iuris naturalis, pertinentia, diſſimulanter aut ignoranter relinquet, minime ea examinaturus aut iudicaturus. Enimuero blaſphemum affirmare, puritatem diuini iudicij, tā in hac vita, quam in altera, non proſequi odio animam, quæ concrete & ipſo facto contaminata ſordibus, ſeu maculis peccatorum, eoque nomine illi odibilis; blaſphemum pariter definire, propter fidem ſuperſtitem ab excidio virtutum, Deum non imputare credentibus alia peccata: quandoquidem fidei præſentia ea potius

exhibeat

exhibeat in oculis Dei turpiora, pœniſque maioribus digniora. Huiuſmodi Dei iudicium, mancum certe vel vni hominum operi, nempe fidei adſtrictum, quod Proteſtantes tamen nefario dogmate Deo permittunt: affirmantes ipſum non proſequi odio adulteros ac rebelles in ſuos Principes, ſi modo credant: non tranſcriptorum ſimiles ad pœnas æternas, ſi credentes ſolum inuenerit. An *Dalila* iſtæ, vnquam

Iudicum.

cœleſtem *Sampſonem* dementabunt vel cæcum exhibebunt, quo minus ipſorum horrenda dogmata, flagitiaque ab alto deſpiciat?

16. Cæterum tametſi diuinæ virtuti, rerum omnium effectionem concedimus, nihilominus ipſius maculæ peccati eductionem longe amouemus ab eius opere, ſtudio vel intentione. hoc nos ſuadent ſentire, cum ipſius ſanctitas, tum peccati turpitudo. omnem certe ſuperat impudentiam, vel teſte *Plinio*, aſſerere Deum peccati oſorem, ac in illud ſeuerum vindicem, eiuſdem eſſe auctorem. Nunquam ſane inter ſplendidas in Deo Ideas, quæ practicæ rerum gerendarum formæ, reperiri poterit Idæa peccati. num credibile, primam regulam, eamque omnis rectitudinis prototypon, opificium aliquando efferre peccati, quod ita in ſe diſtortum a luce rationis, ab honeſtatis decore penitus alienum? num Dei manus puriſſimæ, optimaque ipſius conſilij propoſita, in peccatorum ſordibus conficiendis continuo verſabuntur? an vlla ſeruata iuſtitia, homines ob peccata æternis flammis dabit torrendos, ſi in eis peccata ipſemet effingat, adimendoque ipſis arbitrij libertatem, in electiones peſſimas vi neceſſitatis compellat? Veteres apud ſe reputata Dei puritate, cœlum, vtpote ei idoneum habitaculum, teſte *Ariſtotele* attribuere: *In excelſo ſitus eſt purus ipſe in puro loco.* proinde idem, eis inter humana rebus illum comparat, quæ rectis, quæ honeſtis, pulchribuſque formis dumtaxat præficiuntur. *Vt vere ſummatim iam loquar, quod in naui gubernator eſt, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & dux in exercitu, hoc Deus eſt in mundo. proinde hac etiam de Deo ſentienda nobis ſunt: de illo quidem, ſi vim ſpectes, valentiſſimo. ſi decorem, formoſiſſimo. ſi vitam, immortali, denique ſi virtutem, præſtantiſſimo.*

Plin. lib. 2. hiſt. cap 7.

Ariſtot. lib. de mundo. cap. 5.

17. Proteſtantum hac in re dogma prorſus horrendiſſimum. quod, dum contaminatam adſtruit Dei prouidentiam peccatorum fabricis, plane ſuperat antiquorum gigantum, vel Thracum inſanam impietatem, bellum Deo cœloque inferentium. Et quidem adeo apertus in hanc ſententiam eſt *Caluini* ſenſus, vt occultari non poterit, vel a quopiam, quantumuis in eum beneuolo, excuſari: adeo vt hoc nomine vel a Lutheranis ipſis acerrime exagitetur. Is enim conſulto impugnat Catholicorum aſſertum, quo paſſim dicunt, Deum permittere tantummodo, non efficere hominum peccata: ait, permiſſionem hanc, otioſum quid eſſe, ac non illud ipſum, quod Deo ex vera Theologia concedendum, quod ad hominum delicta. Neque eſt quod reputent vlli Proteſtatores, nomina ſua immunia eſſe ab hac labe blaſphemiæ in Deum: quamdiu enim liberum in homine inficiantur arbitriū eſſe, tam diu proteſtabuntur, Deum auctorem eſſe peccati: vt contra *Manichæum*, ac *Florum* Montaniſtam, oſtendere *Euſebius*, *Epiphanius*, *Cyrillus*, *Auguſtinus*.

Heſi. Theo.

Caluin, lib. 1 Inſtit, cap. 17. 18.

Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 20 lib. 1 præp. Epiph. lib. 2 cont. hær. Cyrill. lib. 6 Theſ. cap. 6. Auguſt. tract. 1. in Ioann.

Si enim humana voluntas careat libertate, tunc ea a Deo, vtpote a prima cauſa, ipſa creatione, quā deſtinatur ad omnē actionē elicit & conſequēter ad peccatū: quo pacto Deus mediante voluntate & in eius opere neceſſitate, perinde ac ſi homines naturali inſtinctu male agerēt, cauſā ſe eſſe oſtenderet omnis in ipſis, ſi quæ ſit, flagitioſæ actionis. Recte enim ait *S. Auguſtinus* quod is qui fatalem neceſſitatem in humanis operibus ſtatuit, quocunque demum modo id præſtiterit, *Siue* inquit, *Per tranſennam, ſiue per cannam longam, ſiue per proximam, Deum accuſat: & cum Deus punit peccata, Deum facit auctorem peccatorum ſuorum.* humana etenim voluntas, ſuppoſitione iam facta, quod libere operatur, dum mali contra honeſtatem virtutis, delectum facit, conſequenter ſe gerit *Deficienter*, vt loquitur *S. Auguſtinus*. Cui, quod ſiue munere naturæ, ſiue beneficio gratiæ, adſit idonea vis in contrarium, inde dum peccat, ſe mouet admittens in ſe obligationem ad non exercendum illum actum qui peccati macula fædus: & proinde eadem macula, cauſam reſpicit ſolum peculiarem modum agendi in hominis voluntate. Cæterum vero, ſi hæc ipſa voluntas in homine libertate in vtrumuis deſtitueretur, ei non adeſſet vlla deficientia, aut obligatio in oppoſitum: & proinde ſi ex eius facto oriretur peccati macula, ea naturæ & Deo, eius conditori, adſcribenda. Cauſa enim cauſæ, eſt cauſa pariter omnis illius, quod neceſſario ab illa cauſatur. Quanta ergo Proteſtantes libidu peccandi & agendi licentioſe inceſſit, qui vt ſecurius delinquant, Dei prouidentiam hoc ritu blaſphemant, eiuſque opere peccan malū honeſtant! Importune ſane, eorū voluptate in Dei ſanctimoniā debacchāte, potius habēt, Deo ſanctitudinē in operādo detrahere horrēdo dogmate, quā vllo eius amore, aut odio peccati, ſeſe ab illecebris criminū, ſi ingeniū ſequātur ſui dogmatis, abſtinere.

Auguſt. in Pſalm. 91.

18. At neque exiguo præconio, diuinæ prouidentiæ facta omnia Catholici celebramus, quo fatemur, gratis animis, viſibilem quandam auctoritatem inde nobis conſtitutam, cuius iudicij pondere dubia aut contentiones in rebus fidei apud nos ſoluerentur, ac demum terminarentur. Hoc diſerte agnouit *S. Auguſtinus*, affirmando, quod omnino a nobis ſit exiſtimandum, diuinam prouidentiam huiuſmodi auctoritatem hic in terris condidiſſe, cui credentes penitus inniteremur. Id certe fuit a diuina ſapientia hac in re decernendum, quod noſtra infirmitate iuxta ac malitia conſideratis, nobis ſalubrius ac melius. quod ergo proni in diſſentiones ſimus, maxime vbi priuatum iudicium ſentiendi norma habetur, decuit diuinam in nos prouidentiam, externæ Regulæ auctoritatem ante oculos noſtros collocare, cuius dictamen eſſet veritatis infallibilis, cuiuſque facies omnibus, veritatem diuinam appetentibus, notiſſima. ex priori ſecuritas, ex poſteriori concordia inter Ciues propagatur. In

Auguſt. de Vtil. cred. cap. 16.

iſtis enim diuinis, priuatæ iudiciorum ſubtilitates aut impetus parum ex ſe valebunt, imo plerumque obeſſe ſolent, vbi erga viſibilis Eccleſiæ auctoritatē, humilis haud ſeruatur a credentibus obedientia. Et quam pauci inter fideles cernuntur, qui norunt Scripturas ad verum originalis textus ſenſum interpretari, locum cum loco apte conferre, antecedentia cum conſequentibus iudicato ac certo comparare? quorum vel nullæ exiſterent credulitates, vel inanes aut futiles, ſi non eſſet aliqua Eccleſiæ viſibilis ſpectabilis auctoritas, diuinitus ſtabilita, & contra errandi lubricitatem ſoliditate afflan ſpiritus in aliorum directionem propoſita & confirmata. Quis obſecro, prudentum, vnquam rempublicam condens, eam legum præſidijs muniuit abſque aliqua in eadem auctoritate, quæ leges ad normam veræ rectæque ſententiæ popularibus viua voce exponeret, quotieſcunque de earum inſtitutis quæſtiones inter eos orirentur? Hoc itaque Deum in ſua Eccleſia præſtitiſſe, bene *S. Augaſtinus* ad munus in Deo erga genus humanum prouidentiæ retulit.

19 Quod homo corpore viſibili iuxta ac anima conſtet inuiſibili, ideo in noſtri generis ſubſidium, viſibile & inuiſibile diuerſimode in vnum Dei in nos bonitas temperauit & coagmentauit. Hinc quo diuina natura inuiſibilis, nobis eſſet magis propitia, ſibi adaptauit viſibile corpus humanum. Quo elementa iſtius mundi, & res adſpectabiles, ad eruditionem, ad exercitium, ad humilitatem eſſent nobis vtiliores, eis diuina bonitas vim inuiſibilem ad ſanctificandum indidit, ac fecit Sacramenta. Similiter quo Spiritus ſanctus inuiſibilis, publico miniſterio ad omnes in Eccleſia ſuam vim melius transfunderet, Eccleſiam oculis noſtris obuiam, tanquam idoneum ad id organum delegit: vt in ea ac per eam, nobiſcum eſſet vſque ad conſummationem mundi. Huius proinde fontis & oraculi partim viſibilis partim inuiſibilis, maieſtatem nullus contemnit, niſi ſuperbus, neu eiuſdem veracitatem vllus ſpernit, niſi impius fuerit. Enimuero ſicut id, quod nos allicit ad agendum ſeu appetendum, debet eſſe aliquo modo nobis familiare, notum, neu longe remotum a ſenſibus: ſic pariter illud teſtimonium, quod veritate infallibili cunctos doceat aut inſtruat, in eum modum nobis diſcipulis accommodandum, vt ſenſibus noſtris ſit peruium, ſimulque latenti virtute diuinum, & ſupra ſenſuū noſtrorum conatus eleuatū. Sine illo, nemo ad Eccleſiam attenderet: & abſque iſto, facile homines eamdem deſpectui haberent. In hunc modum idcirco & finem compoſita eſt Eccleſia Chriſti. Externa enim forma ſui viſibilis audibilis, perceptibilis: verum eiuſdem energia, ob infallibilitatem ſummam, ipſis cælorum penetralibus excelſior, latentiorque. Habet hæc Eccleſia vbera, infantibus nota: habet & lac, ſed in vberum voluminibus inuiſibiliter abſtruſum. Fuit ergo conueniens, adeoque propemodum neceſſarium, a Dei prouidentia ſic Eccleſiam inſtitui hic in terris, vti in tanto periculo errandi, in tanta difficultate cognoſcendi, eam directricem retineremus, ſua quidem facie patentem, at virtute occultam.

Mag. S. in 4. d. 1. q. 1.

Cyrill. in cap 3. Ioan.

Math. 28. Ioan. 7. 14. 16.

20 Verum Proteſtantes quo liberius etiam in diuinis pro arbitratu iudicarent, ſuaque deliramenta tanquam oracula alijs ſimplicioribus venditarent, hac ex parte negant, adeoque impugnant Dei in noſtrum bonum prouidentiam: renuentes concedere, huiuſmodi auctoritatem ab ipſo fuiſſe vnquam in ſedibus hominum defixam: quin potius, omnia fidei momenta priuatis mortalium, iuuenum nempe, & mulierum ſpiritibus, Scripturas elucidantibus, ipſum commiſiſſe, eoque non Hieruſalem, ſed Babiloniam eſſe voluiſſe hanc ſuæ Eccleſiæ ciuitatem, pertinaciſſime contendunt. Hinc in vniuerſum hæretici catholicos derident, & pro idiotis ducunt, ſimpliciter & abſolute Eccleſiæ credentes, vt ſcribunt *S. Auguſtinus*, & *S. Gregorius*. *Habent hoc hæretici*, inquit *S. Gregorius*, *vt de inani ſcientia ſua arrogantia inflentur, & recte credentium ſimplicitatem ſæpe derideant.* Et ſane Proteſtantici ſpiritus, ab Eccleſiæ auctoritate auulſi, veram ideam cernere licebit in *Neſtorio*, de quo *S. Cyrillus*: *Arbitratur ſe omnibus eſſe ſapientiorem, qui ſolus diuinæ Scripturæ ſcopum, & Chriſti myſterium cognoſcat.* Manifeſtum certe, iniurios eſſe Proteſtantes hac ex parte in Dei prouidentiam, definientes, ipſum in regno ſuæ Eccleſiæ, nullam auctoritatem aſpectabilem extuliſſe, quæ de rebus fidei, ac in eis controuerſijs iudicandi poteſtate æſtimaretur. Affirmare autem cum illis, Deum quidem huiuſmodi auctoritatem inſtituiſſe, talem tamen, a qua appellatio fieri poterit ad Scripturas priuato ſpiritu intellectas, loqui eſt non ſolum falſa ſed inſuper fatua & contradictoria. Quorſum enim talis auctoritas ſpectanda, cum a lapide lidio, iam ex vicino, nempe priuato ſpiritu, certa cognitio quo ad ſingula requiri poterit: cum ſpirituum contrariorum turbinibus agitati, cauſari poterint, contra ſententiam prolatam ab Eccleſia, ſeſe iuſte ab ea ad ſupremum Scripturarum ac proprij ſpiritus tribunal, appellationem feciſſe? Negant ergo Proteſtantes reperiri in Eccleſiæ viſibilis auctoritate irrefragabilem aliquam, certam, ſupremam ad iudicandum iuriſdictionem: eoque plane blaſphemant Dei prouidentiam, & in homines bonitatem illi detrahunt apertiſſime. Qualis obſecro, prouidentia, eorum iudicijs, qua inter Chriſtianos pax & vnitas fidei ſtabiliantur? Supremum iudicium permittere priuatis ſpiritibus Scripturas interpretantibus: cum ex hoc ipſo fonte priuati ſpiritus, omnes plane hæreſes tanquam ranæ in Ægipto, tanquam ſerpentes ex Nilo, oriantur, quam in Deum blaſphemum? *Neque enim natæ ſunt hæreſes*, ait *S. Auguſtinus*, *& quædam dogmata peruerſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter aſſeritur.* Demum precor, qualis illa bonitas, quæ genus humanum litigijs in rebus grauiſſimis, eiſque interminabilibus, perpetuo implicat, diuexat, tædioque tandem veluti *Siſyphus* funeſtat: quæ in altum maris,

vtpote

Aug. Ep. 56.

Gregor. lib. 18 in Iob. cap. 15.

Cyrill. Epiſt. 18. ad Cæleſtin.

Vincent. lib. cont. hær.

Auguſt. tract. 18 in cap. 5. Ioan.

vtpote in ſeditionum fluctus, a littore longe remotos, prouehit homines, vt ibi continuo iactentur, & ad extremum, gurgite infidelitatis abſorbeantur? O præclaram, diuinamque horum Proteſtatorum Theologiam, cui Deus, hominesque multum debeant gratiæ & mercedis!

21 Hæc quæ diſſeruimus, ita a nobis fuere tractata, vt illam ſolummodo reſpicerent Dei bonitatem ac perfectionem, quas vi luminis naturalis ei ineſſe cognoſcere poteramus: cum alia etiam ſit ipſius bonitas ad nos relata, quam haud aliter quam fide percipimus in eo reperiri. Quæ quod a Chriſto Domino dependeat, melius ex eis expendetur, quæ de illo iam diſputare inſtituimus.

22 Cum itaque negocia ciuilia ac ſacra magno quodam momento a Dei cognitione ac perfectionis in ipſo amplificatione, decernantur, tum liquidum, vtriſque infeſtos Proteſtantes, quod Theologiam colant, quæ Deo ſua detrahit decora, impiaque dogmata in tantum ipſius culmen contra veram Sapientiam edit, atque profitetur. Omnis idcirco eorum ſecta, ſi diuina ſpectemus, in duo elementa reſoluitur: nempe in impietatem, & Epicuriſmum: cum hoc inter ea diſcrimine, quod ſtatuta ab eis impietas non ſit ex pura animi in ipſis ſententia, ſed ex Epicuriſmo profecta. Vt enim abſque angore conſcientiæ, ſine excurſionis termino, ſuauius, liberiuſque voluptati indulgerent, talem Deum ſua ſapientia excogitarunt, qualis ipſorum facta omnia ſit vel impune permiſſurus, vel ignoraturus. Imo atheiſmi, adeo a natura auerſi, origo, vt alias adnotauimus, non ex mera intelligentia exſurgit, ſed ex Epicuriſmo. *Quia ergo*, inquit *Sanctus Auguſtinus*, *digna fide opera ſeruare contemnunt, fidem perdunt, quam tenere videbantur*. Hinc ſi quid obſcurum aut moleſtum a Dei prouidentia ipſis occurrerit, illico ſuſpicio in eorum animis ſe effert, quod Deus non ſit: tam ægre ſinunt ſe de ſuo Epicuriſmo aliquid remittere. Sanctus Gregorius itaque verba Iob: *Ex indignatione caligauerunt oculi mei*, ſic interpretatur: *Ad indignationem oculus caligat, quando ipſi quoque, qui in Dominico corpore, id eſt in Eccleſia, lumen veritatis habent, dum ſe diutius a prauis deſpici, ac dedignari conſpiciunt, de occulta iudicii admiratione turbantur, & ſecretum Dei penetrare nequeunt, cur praualere peruerſi contra bonorum innocentiam permittuntur*. Proteſtantes quidem, quantum ad externam ſpeciem, non eo deuenere Epicuriſmi, vt omnino athei cenſeri velint. Cæterum haud alium ob finem Deum eſſe fatentur, niſi vt ſub hoc fuco prætenſæ fidei, oportunius ſuam hæreſim, tanquam iuſtitiæ defenſores promoueant: & tamen interius fortaſſis animis adeo addicti Epicuriſmo, vt illi. *Omnis vero hæreticus*, vt ait *S. Gregorius*, *in eo quod Deum defendere nititur, veritati illius aduerſatur: Pſalmiſta atteſtante: vt deſtruas inimicum & defenſorem*. Vnde talem Deum ſecum commentantur, qualis ad Idæam Epicuriſmi factus prorſus videatur: quo ex hæreſi, Epicuriſmo præualente, gradu iam eo facto, extremum atheiſmum euolute tandem profiteantur. Caluiniſtæ apud *Lindanum* ſuos intimos ſenſus iſtis explicarunt. *Aſſeramus animam vna cum corpore interire, ſic purgatorium, cum Miſſa, & Romano Pontifice abolebimus.* Si ergo impietas, atheiſmus, & epicuriſmus rebus ciuilibus, ac diuinis, ſeu veræ ſapientiæ, ſint infeſta, Proteſtantiſmus certe, in talibus occupatus, eiſdem plane exitialis haberi debet.

Auguſtin. in Pſalm. 130.

Gregor. lib. 18. in cap. Iob. 17. cap. 18.

S. Gregor. lib. 5. in Iob. cap. 11. lib. 23. cap. 2.

Lindan. in Dubitant.

23 Ad hanc Dei prouidentiam, quæ obiectum veræ Sapientiæ, reuocantur cognitiones quatuor, quæ dicuntur nouiſſimorum: ſcilicet Mortis, Iudicij diuini, Beatitudinis cæleſtis ac Inferni.

——— Stante polo, miſeros fallentia nautas
Sydera non ſequimur: ſed qui non mergitur vndis
Axis inocciduus gemina clariſſimus Arcto,
Ille regit puppes.

Lucan. lib. 8.

Pertinent hæc quidem ad Dei prouidentiā, quandoquidem Deus auctor mortis, iudicij Dominus & exequutor, per infernum caſtigator, per cæleſtem beatitudinem præmiator. Horum verum notiones ad ſapientiam ſpectant, eo quod ſint humanorum conſiliorum vltimi veluti termini, & a ſenſuum apprehenſionibus remotiores: & proinde non niſi ſapientia eſt, quæ ad ea pertingat. Catholici mortis condicionem reputantes, quæ imponat finem bene merendi noſtræ vitæ, & ſtatum quemdam animæ conſtituat, æternitati boni aut pœnæ obnoxium, ideo deprecamur a Deo ſubitaneam mortis impreſſionem. vt parationes ſimus ad comparendum coram Deo iudicante. Rident vero Proteſtantes hanc noſtram ſapientiam, cum dicunt ſe ſecuros etiamnum eſſe, & ad gloriam certo prædeſtinatos: quibus proinde nullum genus aut vllus modus mortis poterit officere. Catholici, iudicii diuini ſeueritatem animis trutinantes, horrent in vita delinquere, cuius diſtrictam ſententiam vt defugiant, rigorem diſciplinæ, doloris & amoris Dei libenter hic amplectuntur. Cæterum Proteſtantes hac ſapientia volunt pariter deſtitui, ſibi polliciti, Deum iudicaturum ſolum ex fidei habitu & priuatione, non ex cæteris operibus. Catholici ſecum metientes magnitudinem præmij cœleſtis, inde intelligunt eam comparandam omnium virtutum officijs, obſeruatione quippe legis naturalis diuinæ, Eccleſiaſticæ, & ciuilis. Verum Proteſtantes hanc partē ſapientiæ penitus ignorant, & ſtatuunt, vna fide cælum ab eis comparandum. Catholici Inferni cruciatus cogitantes, ſapienter iudicant, Deum timendum, & timore omnes in nobis ſenſus muniendos a blandimētis peccatorum. Nihilominus Proteſtantes dum exiſtimant inferni tormenta non ſpectare ad fideles, ideo eius meditationem a ſe ablegatam, ad Turcas & infideles tranſcribunt. Quam ignorantes veræ ſapientiæ! Deus bone, in quibus tenebris errorum & turpitudinum, omni ſapientia caſſi, verſantur! *Stulti Principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens.*

Math. 24.

Iſa. 19.

CAPVT V.

Decus & firmamentum ſtatus ciuilis apud Chriſtianos, de Chriſti Domini Perſona ac Meritis, idonea ex Theologia definitio. Qua ex parte, inita comparatione inter Catholicos & Proteſtantes, eorumpronun:iata ſacrata ac ciuilia declarantur: horum autem, vtpote obnoxia impietati, reprobantur.

SI è dignitate fuerit eorum iuxta ſapientiæ ſententiam, qui in aliqua degunt Republica, vel qui ab aliquo præceptore inſignē ſcientiam alumni ſunt edocti, aut ſub vixillis Ducis alicuius milites ſtipendia meriti, honorifice ſentire ac loqui de illis, a quibus gubernati, inſtituti, ſeu directi fuere, profecto ad Chriſtiani nominis decus omnino ſpectabit, de Chriſto Domino principe, inſtitutore, ac duce optimo, ſummoque, maxima quæque ac diuina cogitare, ſimul ac profiteri. Contra, Chriſtianæ diſciplinæ ſectatores nihil magis deprimit, vel ignobiles arguit, ac ab ipſis Chriſtianis euulgata dogmata, quæ tantam Chriſti maieſtatem atque ſanctitudinem eleuant, extenuantque. Hinc inſtituens Apoſtolus *Paulus*, ſtatum excelſum oſtendere Eccleſiæ, eam cum Synagoga, ac Chriſtum Dominum cum *Moyſi* contulit: adeoque non ſolum illum *Moyſi*, verum etiam cuilibet angelo merito prætulit: cui nempe nunquam a Deo Patre dictum, quod Chriſto *A magnifica gloria, & voce de cælo delapſa*, dicebatur: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Cui Angelorum aliquando dictum, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Hæc cauſa incitauit Romanos, vt ipſi *Romulum* ſuum, ſicut & alias ſocietates hominum, vt ſuos Legiſlatores inter Numina referrent, quo ſe ipſos illuſtrius inde commendarent, & ad præclara agenda vehementius, Ducum ſuorum inſtituta tenentes, incenderent.

S. Paul. ad Heb. &. ad Gallat.

Ioan. 3.

2 Neque auctoribus boni dumtaxat decreti tituli bonorum ab eis, qui emolumenta ab ipſis accepere, verum etiam mali propagatoribus cōceſſæ laudes ab eis, qui illos vtpote magiſtros ſequuti: quos etiam in immenſum plane præconij extulere. Montaniſtæ inde ſuum Anteſignanum *Montanum* Spiritu ſancto plenum dicebant, vt narrat *Tertullianus*. A *Manichæo* ſeducti, eius nomen interpretabantur, *Manna fundentem*, vt ſcribit *Euſebius*. *Fauſti* manichæi magiſterio addicti, quod recenſet *S. Auguſtinus*, *Non quemlibet hominem, ſed Spiritum ſanctum ſe ſequi arbitrabantur*. Et alibi loquens de *Donato* hæreſiarcha, ait; *Quod de ſolo Domino Ieſu Chriſto dici potuit, in Donato perfectum fuiſſe contendunt*. Ad horum exempla, Proteſtantes paſſim gloriari, *Lutherum* ſecundum *Eliam*; hominem diuitus lapſum; *Caluinum* Patribus omnibus præferendum: *Melancthonem* primum *Baſileæ* Epiſcopum floruiſſe. Et quemadmodum Sectarij ſuos primos inſtitutores miris laudibus proſequuntur; ita ethnicæ & Iudaicæ doctrinæ aſſertores, quibus poſſunt verborum opprobriis impudentiſſime Chriſtum inceſſunt. Hinc Chriſti Domini gloriæ inuidentes, nihil non egere, vnde ei vituperium multiſariam conflarent. Inde Iudæi Chriſtum Dominum *Fabri filium*: *Iulianus*, *Galilæum*, *Leo Iſaurus* Imperator *Iconoclaſta*, *Mariæ ſobolem*: Pagani, *Impoſtorem*, *Crucifixum* appellarunt. Chriſtiani olim ab eiſdē nuncupati Chreſtiani, ſcilicet Latronales, vt ſcribit *Petrus Crinitus*: ſegnes, inertes, nullius cordis homines. Catholici, quod Sanctos & eorum reliquias colerent, *Cinerarij*, *Idololatræ*, *Sepulchrorum aſſeclæ*. quod pænitentes in Eccleſiam poſtliminio admitterent, fautores Lupanarium: quod incredibilia myſteria *Oregeniſtarum* & *Montaniſtarum* haud approbarent, *Animales*, *Piloſiotæ* ab hæreticis paſſim vocari. Spectat itaque ad nominis noſtri dignitatem, Chriſti domini dignitates & decora tueri, ac de illo non niſi magnifice, vt decet, loqui ac ſentire. Quæ vero hac de re diſputanda, ea reduci poterunt ad tria: Videlicet ad perſonam Chriſti, ad einſdem opera ſeu merita, ad dona denique ab ipſo in nos collata.

Tert. lib de paracl.
Euſ. 2 cap. 20.
Aug. lib. 5. conf. cap. 5.
Aug. lib. 2. contr. parm cap. 7.
Bez in vita Caluin.
Marci, 3.
Petr. Crinit. de hon. di. lib. 5. c. 913
Hier. contr. Vig. & con. Origen.
Tert. in Ap

3 Miſſurus Dominus Deus Angelum ſuum, qui populo ipſius ex Ægipto in Paleſtinam fugam paranti ducatum præberet, dixit: *Nomen meum ſuper eum*: ſcilicet quod tanquam ipſius inſtrumentum miram vim eſſet ab eo accepturus, quam proxime eodem accedens, propter nominis participationem, ad ipſam Dei poteſtatem: vtpote qua tutos deduceret Iſraëlitas in promiſſam ſibi diuinitus regionem. Verum idē Dominus orbi poſtea daturus Filium ſuum, qui ad Eccleſiam ac cælum viam noſtro generi muniret, non aliquem miſit, cui ſolum analogia quadam indutum ipſius nomen, ſed cui ipſam ſui ſubſtantiam ac naturam impreſſit, communicauitque. Et quidem ſi Deum ſpectemus, nomine caret, quod plene mortalibus ipſum ſignificaret: ideoque nomen ſibi aſſumens, id omnino præſtitit virtute alicuius condeſcenſus ac fauoris, quibus ad nos beneuole humiliterque inclinatus. Hinc vocatus *Ieſus*. Hoc enim nomē Dei, poſitum ſuper Chriſtum, non ratione naturæ diuinæ, ſed humanitatis ac meriti, quibus noſtris vſibus amantiſſime nos ſaluando prouidit. Redemptor itaque noſter angelo dignior, quod Deus ſit ipſa quidem natura, haud ſimilis dumtaxat Deo nominis impoſito charactere. Quocirca ſi radius ſolis pulchre exornet corpora diaphona, vt gemmas, vt criſtalla, quale in illis decus ſpectabile, ſi ſolis ipſius ſubſtantia interius eadem iniret, exteriuſque veſtiret? Pari modo cum videamus, aut credamus, illos homines, & Angelos egregie exornari & illuminari, qui pietate & diuinæ gratiæ motibus ad Deum accedunt, vel ab eo emiſſo ſplendore illuſtrantur, qualis dignitas præ cor, quantaque ſanctitudo in humanitate Chriſti exundabunt, in quo Deus, ſol ipſe & oceanus omnis perfectionis, ne dum quid tantum ab eo deciſum, reperitur? Arca ex lignis incorruptibilibus olim compacta, quaquauerſum puriſſimo auro delibuta: thuribulum itidem aureum, igni & odoribus ſacris apud Iudæos aſſignatū: omnis denique ſupellex ac magnificentia templi a *Salomone* conſtructi, ſatis exacte adumbrare nequiuere humanæ in Chriſto Domino naturæ,

Exod. 23.
Aug. q. 5 in Exod. 4. 4.
Pſalm. 117.
Th. dal. 10

turæ,

turæ, ex diuinitatis ei admixtæ acceſſu, excellentiam, puritatem. Ab experto artifice ideo prodit eximium opus, quod exquiſitæ ideæ, in eius animo relucenti, apte reſpondeat. At deus non nudum tantummodo artificium adhibuit, aut ſui ex idæa ipſius imitationem quandam nobis iudulſit, myſterum incarnationis perficiendo, ſed ſeipſum totum, ſcilicet infinitis formis dignitatum radiantem, redundantem, in Chriſti animam ac corpus penitus immerſit: vnde ſupra omnem noſtram, vel etiam Angelorum cogitationem, iudicijs noſtris & rei veritate ſplenderet. Viridis ligni cum igne in rubo contemperatio: electri apud *Ezechielem*, de quo *Gregorius*, ex auri & argenti mixtura nitores, longè ab eo ſubſidunt, vt humanitatis deificatæ in Chriſto fulgores ad viuum nobis explicarent. Enimuero illa caro, præſertim qualis in Chriſto Domino, vtpote ex puriſsimis beatæ Virginis matris ſanguinibus, vt loquitur *S. Damaſcenus*, veluti ex defæcatiſsimis in paradiſo pulueribus, a Spiritu ſancto delibata: illa inquā nubes leuis ac tenuis ſuper quā intrauit Dominus in mundi iſtius Ægiptum, de qua propheta, ad miraculum vſque effulſit, ipſa diuinitate eam ineunte, penetrante, continente. In qua carne ex eiuſdem decore, colore, figura, ſingulurum in eadem partium decenti compoſitione, quædam imago diuinitatis enitun. Vt enim in rubore vultus virginei pudeſcentis, animi in virgine purus candor, ita in carnis venuſtate in Chriſto, illius diuinitas apparuit. Quod enim ipſe Deo Patri erat, quo eidem verbum, id nobis quodammodo erat ipſius humanitas: quæ tanquam verbum bonum eructatum a corde ſpiritus ſancti, vt ait Diuinus *Pſaltes*, nos colloquebatur, ac qualis eſſet in eadem latens diuinitas, ſui ſpecie ſiderea ad oculum nobis declarauit, quod *S. Hieronimus* dixit. In eodem mens ſupra omnem captum noſtrum, ſupra vel Cherubini condicionem irradiata, coruſcanit: quam eadem diuinitas penitus inſeſsit, infinitæ intelligentiæ lumine illuſtrauit. Voluntas itidem ipſius, quam ea ipſa diuinitas in ſui amorem accendit, veluti iam tota pluſquam Sarahin igneſcens, dubio procul in immenſum charitatis exarſit. Illiuſmet appetitus ſenſitiuus, ſub moderamine Deitatis perpetuo ſeruatus, vt *S. Leo* ait, illius pace tranquillatus, dulcedineque reſperſua, ad rationis normam exactiſſime, ad vitæ iucunditatē placidiſſime, ſuauiſſime, in omnibus componebatur. Ex quo, cuncta ab ipſo dicta, ſingula ipſius facta, adeoque vniuerſa ad illum ſpectantia, aut ipſum quomodolibet referentia, in eum credentibus precioſa, ſacra & maxima veneratione digna merito comparuere. Nō enim ita pulueres aromatici, contactu ſuauem odorem rebus alijs impertiunt, vt in Chriſto diuinitas ſuis corporeis membris dignitatem & ſanctitatem communicauit,

Ezech. cap. 1. Gregor. l. 28 in 2. cap. Iob.

Damaſ. lib. 3 cap. 6.

Epiphan. in Ancor.

Pſalm. 40. Hier. in pſa. 44 in cap. 9 Math. ep. 140.

Leo. ep. 11.

4\. Vnde ab ipſa diuinitate, in Chriſti humanitate perſonaliter ſubſiſtente, Duo prouenere, quæ tanquam Chriſtianorum ſingularia priuilegia, in omnium oculis effloreſcunt. Primum, excellentia Doctoris ac Redemptoris, a quo decemur ac liberamur, in noſtrum ſane decus exuberans; cum nullus alius, qui diſciplinæ vel munera beneficia quantumuis magna in homines contulit, vnquam Deus fuerit, præter vnū Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*. Deinde mediante in Chriſto humanitate, non ſolum per eam ad nos propius iam Deus venit, familiariuſque nobiſcum verſatur, quo noſtra condicio, ac ſi ſuccinum feſtucas in altum raptaret, ad ſummum gradum ſublimitatis eleuatur: verum inſuper experimur Deum in nos iam redditum ſuauiorem, indulgentioremque, & veluti mellis ſucco conditam priſtinam eius ſeueritatem, quam erga Iudæos præ ſe olim ferebat. Omnino, inſtar matris, vbera ad os infantis accommodantis, Deus nouiſſimis temporibus, humanitate Chriſti noſtris vſibus inſeruire voluit. *Quæ melior via*, dicebat *Conſtantinus*, *quod inſtitutū plus habet virium ad malorum animos manſuefaciendos, quam vt Deus ipſe præſens, illos compellaret? an nō ille hic coram oculis hominum aſpectus, modeſtam viuendi rationem docuit?* Ideo ne ſol meridionalis per diem ſuos Iſraelitas adureret, extitit nobis vmbraculum nubis, ne autem noctis tenebræ nobis eſſent incommodo, idem columna ignis peregrinantibus prælucere voluit. Vnde & noſtri cauſa eclipſin ſuæ maieſtatis in ſe admittere voluit Deus, tametſi ſit ipſe ſol iuſtitiæ gloriæque: dum nempe humana caro, tanquam luna intenecta, eius ſplendores occultaret. Deformato per peccatum humano genere, Deus ipſe tantum malum ægre ferens, eclipſin ſui libenter ſuſtinuit; deficienteque ad illud reparandum ſacrificio, corpus ſibi aptari ſtatuit, tanquam cilicium, quo indutus Rex Niniue, ab alto ſolio deſcendēs, pænitentiam egit. Subinde hoc ipſo corpore filij Dei id cruce obſcurato, & mortis vmbra inibi obnubilato, factum ſol iſte aſpectabilis deteſtatus, radios retrahēs, denſiſſimis tenebris inuolutus, quaſi eo caſtigatus ac moeſtus delituit. hinc Eccleſia, nempe luna, quæ ſimul cum ſole ordinate ſtati onem ſuam retinet, animaduertens, ſoleus eclipſi, & abſcondito, vt notat *Auguſtinus*, delectari, ſplendores pariter ſuos humilitate & mortificatione celauit: perinde ac ſi eclipſi aliqua decus ipſius eſſet modo pariter inumbratū: non amplius exterius, ſed ab intus vt loquitur Pſalmiſta, gloria illius effulgente. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim quoniam decolorauit me ſol.* Nō ſol, ſed terræ vmbra, eclipſin lunæ hic apud nos infert. Verum ſol diuinitatis vehementer in eum intuenti, illumque amanti, lunæ, ſcilicet, eclipſin decoloratæ ſpeciei induxit. Nos autem, vt experientia conſtat, tunc firmius in eclipſin ſolis ex occurſu lunæ, obtutus figimus, ob fulgorem ex vtriſque non obſtante eclipſi, erumpentem, quādo in aqua limpida eam videmus, quam dum in eam ipſam oculos recta dirigimus: ita hoſce Dei & Eccleſiæ defectus quaſi ac deliquia, melius in fidei ænigmate, quod in aquis baptiſmalibus nobis primum apparuit, intuemur, quam ſi illoſmet explicate aſpicere in hac vita niteremur. Humana quidem natura, diuinæ reſpectu, extitit quaſi aqua puriſſima, vel ſpeculum terſiſſimum, in quo Apoſtoli, vtpote veri Iſraelitæ, nēpe deum videntes, illam intuerentur. Concepit enim beata Virgo in vtero filium Dei in vmbra: *Et virtus altiſsimi obumbrabit tibi.* illius enim

Auguſt. 10 conf. cap. 43

Exod. 30. Conſt. orat. cap. 12.

Heb. 1.

4. Reg. 1. ca. 9.

Abac 3.

Aug. in pſa. 59.

Pſal. 44. Cant. 4.

Aug q. 119. in Exod.

Luc. 1.

nim ſplendorem, veluti vmbra corpus humanū ab ea deſumptum, quodammodo temperauit, vt in nube ſol, in lucerna flamma moderatius puſtea aſpicientium hominum oculos ferirent: *Virtus altiſsimi obnumbrabit tibi*: vt ajt *S. Gregorius*, *Corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen diuinitatis*. Verum quod rerum adeo diſparium coitio in Chriſti domini perſona, ſuperet plane ſua magnitudine noſtræ intelligentiæ captū, vmbra proinde indigemus fidei, ſeu interiecta aqua Baptiſmi, in quibus melius rubū hunc ardentē contemplemur: *Poſuit enim in ſole tabernaculum ſuum*. Ita tamen diuina natura per corporeos artus effulſit, vti vel ex ipſu intuitu imaginis Chriſti cogitarunt multi, plane inhabitantis Numinis corpus illud receptaculum. Scribit *Nicolaus Trigautius*, cum *Nancino* Regi apud Sinas a P. *Riccio* oſtenſa eſſet Chriſti imago, dixiſſe illico Regem: *Effigies hæc, dubio procul, alium nullum, niſi cœli & terræ Dominum, repræſentat*.

Greg. l. 18. in Iob c. 12.
Pſalm. 44.
Trig. lib 4. hiſt. Sin. c. 1.

5. Quapropter Patres Græci ac Latini, contra *Neſtorium* diſputantes, merito dixere, illius æſtimatu, Chriſtum non eſſe Deum ſubſtantialiter, neque naturam humanam in illo vniri cum diuinitate ſubſtantialiter, ſed ſolum accidentaliter; vtpote aduentu alicuius accidentalis beneficij ſeu fauoris. quod meo quidem iudicio haud pronunciaſſent, ſi cum quibuſdam recenti theologia iudicaſſent, coniunctionem hominis iuſti, quæ efficitur virtute gratiæ ei donatæ, eſſe ſubſtantialem: ita vt iuſti phyſice & ſubſtantialiter ſint eo diuinæ conſortes naturæ, Fratres Chriſti, & filij Dei, clamantes *Abba Pater*. verum quidem omnino, in iuſtitiam adſcitos, eſſe diuinæ conſortes naturæ, filios & habitacula Dei, ac tales habendos dupliciter. primo propter Chriſtum, qui iuſtorum caput, & vitis, in eos, tanquam palmites, iugiter influens: ille enim pro omnibus iuſtis ſubſtantialiter diuinæ conſors naturæ & filius Dei ſubſtantialis. Deinde hoc efficitur in iuſtis vi acceptæ & infuſæ iuſtitiæ: quæ propter ſui nobilitatem, conſtituit iuſtos diuinæ conſortes naturæ & Filios dei adoptiuos. Inde ſacræ literæ diſſerentes de peculiari Dei præſentia in iuſtis, eaque ab illa deſcreta, quæ fit virtute immenſitatis diuinæ, illam adſcribunt ſpiritui ſancto. *Spiritus Sanctus erat in eo. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. an neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti, qui in vobis eſt?* Ex quibus liquet, hanc vnionem Dei cum iuſto non eſſe Phyſicā aut ſubſtantialem, ſed moralem & ab effectu: quandoquidem omnis vnio, quæ ſit ſubſtantialis, cum attribuatur diuinæ eſſentiæ, non magis vnit vnam perſonam iuſtis quam aliam, cuius tamen oppoſitum allata ſcripturæ loca inſinuant. Deinde cum deus exiſtat peculiariter in iuſtis tanquam in ſuis templis, quod declarat *S. Thomas*, conſequens, hanc vnionem non eſſe ſubſtantialem, ſed moralem: nam templum ſub notione templi, eſt quid morale: denotat enim res phyſicas, morali Dei aut hominum inſtitutione, diuino cultui dedicatas. ergo vnio hominis iuſti cū deo, vtpote tēpli, eſt ſub hac formalitate ſolummodo moralis. Inter alia, Epiſtola ſynodica Concilij Sardicenſis, quā refert *Theodoretus*, videtur indicare, quod coniunctio Dei cum iuſtis vi præſcice iuſtitiæ infuſæ, non ſit ſubſtantialis ſed accidentalis dumtaxat. Etenim cogitare non poſſumus, aliunde inter plura reperiri vnionem ſubſtantialem, quam vel vnitate naturæ in pluribus perſonis, vel vnitate plurium in vnu ſuppoſito: cuiuſmodi vnitates ſubſtantiales ſunt perſonarū in ſacroſancta Trinitate, & duarū naturarū in Chriſto Domino: vel denique vnione formæ ſubſtantialis cum ſubiecto. Cæterum nulla harum ſpecierum copula cum Deo reperitur in iuſtis, vt liquet. Ita vero loquuntur illi Patres in dicta Epiſtola. *Tametſi Apoſtoli ſpiritum Dei acceperint, non tamen idcirco ſpiritus erant, neque quiſquam eorum verbum vel ſapientia vel potentia Dei, vel vnigenitus erat.* Verum ſi iuſti ſubſtantialiter ipſa diuinitate vniuntur cum Deo, conſequens, eoſdem eſſe ſubſtantialiter deificatos, ſubſtantialiter affectos tribus hypoſtaſibus, & omnibus diuinis attributis, idque ſecundum eorum proprias formas: non enim aliter quidpiam ſe alteri communicat, quam ſecundum quod eſt in ſe. quorum omnium notiones, meo quidem iudicio, ſanam ſobriamque intelligentiam longiſſime excedunt. Eadem certe forma, qua iuſti *Vnus ſpiritus* cum Deo, vt loquitur Apoſtolus, exiſtunt, pariter vnū inter ſe: pro quo obtinendo orauit Deum Chriſtus Dominus. at iuſti vnum non ſunt inter ſe vnitate ſubſtantiali eiuſdem naturæ, vel diuinitatis, vt nihil iam dicam de vnione ſubſtantiali Chriſti per Euchariſtiam. hoc enim Patres in illa epiſtola expreſſe inficiantur, affirmantes oraſſe Chriſtum Dominum, vt *Diſcipuli inter ſe coniuncti copulatique, vnum eſſent fide, & confeſſione, & per gratiam ac verum cultum Dei Patris: quin etiam per domini Seruatoris noſtri benignitatem & amorem vnum eſſe poſſent.*

Cœleſt. epiſt ad. Neſtor.
Cirill ep ad Neſt.
Cor. A. Lap. in 2. c. Hoſ.
1 pet. 1
Rom. 8.
Ioan. 6. cō. cil Trid. ſeſ 6. cap. 16.
Luc. 1.
Rom. 5.
1. Cor. 6.
S Thom. 1. p. q 8. art. 3.
Theod. li 2. Hiſt. cap. 8.
1. Cor. 6.
Ioan 17.

6. Vt vero prædicti Theologi ſuam ſententiam ſtabiliant, aſſerunt, ipſam diuinitatē ſubſtantialiter copulatam cum iuſtis, ingredi rationem formalem in eis ipſius iuſtitiæ: quod quidem meo iudicio, pace ipſorum dictum, ex multis capitibus fidei veritati, in concilio Tridentino definitæ, aperte refragatur. Quod diuina eſſentia non contineatur ipſa forma iuſtitiæ, qua formaliter iuſti ſumus, expreſſe ſtatuit Concilium Tridentinum, eiuſdem iuſtitiæ cauſam formalem iſtis recolens: *Demum vnica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei; non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit.* Verum ſi iuſtitiæ forma in ſe contineret diuinitatem Dei, iuſti eſſemus ipſiuſmet Dei iuſtitia: quod etiam *Oſiander* hæreticus lutheranus ſomniauit. ob quam cauſam, paſſim dicunt *S. Auguſtinus* & *S. Gregorius*, nos reddi iuſtos non eadem iuſtitia quidē qua Deus, ſed iuſtitia inde deriuata. Addit porro Concilium, iuſtos ſuam iuſtitiam formalem in ſe habere, eam a deo accipere: *Iuſtitiam in nobis recipientes*, eamque in ipſis *Inhærere*, ac per ſpiritum Sanctum diffundi. Cæterū diuinitas nullo modo inhæret, aut vt forma vlli ineſt. nam cum in diuinitate, propter ſuā ſimplicitatem, non diſtinguantur ea quæ iuſtis inhærent, & alia quæ non inhærent, ea, quæ formaliter iuſtos afficiunt, & alia, quæ non ſic afficiunt,

Conc. Trid. ſeſſ. 6 cap. 7.
Prat. verb. Oſiād. Caſ. verb. iuſtif.
Aug. 20 Tr. in Ioan.
Greg 24. in Iob. cap. 18.
Conc. Trid ſeſſ. 6. cap. 7 Can. 11.

ciunt, ſi eſſentia Dei eſſet formalis iuſtitia, itidem hypoſtaſes, Dei iuſtitia, & omnia attributa, iuſtis ſuos effectus formales impartirent: quod nullo modo affirmandum. Hinc adhuc ſequeretur, contra idem Concilium, omnes eſſe

Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 24.

æqualiter iuſtos: ſcilicet iuſtitia infinita diuinæ eſſentiæ: in beatis pariter æqualem fore gloriam, quandoquidem ſui gradu reſpondeat iuſtitiæ formali: merita in ſe continere valorem infinitum vi ſui principij, nimirum gratiæ formalis,

Rom. 5.

ſuo valore infinitæ. Denique quod ſcriptura & antiqui Theologi diſſerunt de iuſtis, tanquam de Dei templis, horum commento penitus repugnat. Si enim diuina eſſentia ſpectaret ad iuſtorum formalem iuſtitiam, per quam eſſent diuinæ conſortes naturæ, reperiretur etiã in eiſdem ratio formalis, per quam templa Dei fierent: etenim iuſtitia formalis exhibet iuſtos templa Dei, ſuo effectu formali. Cæterum ſi homines eſſent templa Dei formaliter ipſa diuinitate, ſubſtantialiter iuſto communicata, idem eſſet Deum eſſe in iuſtis, ac eſſe in ſua diuinitate: & ideo in iuſtis præſens eſſet vt in templis, quia prius in eiſdem ſua diuinitate præſens, per quam templa euaſere. Enimuero prius natura id quod receptaculũ eo, quod recipitur, ſeu locatione actiua. inde prius natura, aliquid exiſtere, quã vt immenſitas Dei efficiat in eo Dei præſentiam. Idcirco ratio formalis templi in homine iuſto, prior natura peculiari præſentia Dei in eo, vtpote habitantis in tali templo. Quod verũ haud eſſet, ſi ratio formalis templi conſtaret formaliter ex ipſa diuinitate. Sit ideo definita veritas, noſtram formalem iuſtitiam, per quã diuinæ conſortes naturæ, fratres Chriſti, filij Dei, templa ſpiritus ſancti, contineri dono Dei infuſo, & in ſe non complecti formaliter diuinitatem: alias enim, quod diſerte inficiatur Concilium Tridentinum, noſtra iuſtitia forma-

Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 7.

lis non eſſet *Vnica*: ſed pluſquam genere multiplex; vtpote ex dono creato, & increata diuinitate coaliita. At de his hactenus.

7 Certum quidem eſt, eo euectam in Chriſto

Bernard. lib. 5. De Conſider. Epiſt. Ciril. apud Euag. lib. 2. cap. 17

naturam humanam, vt ipſe homo exiſtens, filius quoque Dei eſſet naturalis, nedum adoptiuus ſolum, aut veluti præclarus effectus aliquis, Dei munere gratioſo diuinitate donatus? Imo eo ſuppoſito, quo Chriſtus Dominus Deus extitit, ſubinde abundantia omnis gratię creatę ei

Auguſt. in Enchir. Cap. 4.

fuit plane naturalis & debita, vt diſſerit *S. Auguſtinus: In natura humanæ ſuſceptione fit quodammodo ipſa gratia illi homini naturalis.* Qualis autem nexus interceſſerit, cuius vi homo Deus eſſet naturaliter, ſubſtantialiter, ac perſonaliter, quis e-

Ciril. Epiſt. 9. & 10. de Anathem.

dicere poterit? *S. Cirillus* cupiens arctiſſimum hoc vinculum duarum naturarũ in Chriſto Domino vtcumque declarare & exprimere, illud comparat vnioni animæ & corporis in homine, quod etiam facit *S. Athanaſius*. Quo genere ſimi-

Athan. in Symbol.

litudinis ſolum voluere oſtendere contra *Neſtorium*, copulam duarum naturarum ſubſtantialem eſſe in Chriſto non accidentalem, ſeu mera ſanctitate effectam: cum alia longe ſit ratio animæ & corporis in homine, quandoquidem mutuo compartimm; quarum vna aliam informet, atque diuinitatis & humanitatis in Chriſto. Fatetur idcirco ingenue *S. Cirillus*, intelligi non poſſe a nobis, quonam modo homo ſit Deus in Chriſto ſubſtantialiter, ſeu hypoſtaticè: *Dicimus autem, verbum carni, rationabilem habenti animam, modo nobis nec intelligibili, nec dicendo, quem ſolum ipſe nouit, eſſe vnitum.* Ciril. de Anathem. *S. Auguſtinus* de hoc ipſo myſterio diſſerens, in vniuerſum ait: *Longe alio modo quodam, quam ex quo creaturis cæteris adeſt, ſuſcepit hominem, ſeque & illum fecit vnum Ieſum Chriſtum.* Auguſtin. Epiſt. 3. Rebus quidem omnibus ab ipſo conditis intime præſens adeſt Deus, nec ab eis quicquam diſtat: nihil tamen eorum inde Deus, vt liquet: & ideo affirmauit *S. Auguſtinus*, Auguſt. epiſt. 3. longe alio modo adeſſe Deum corpori & animæ inter ſe vnitis in Chriſto, quam reliquis creaturis. *Perſona hominis*, inquit, *mixtura eſt animæ & corporis: perſona autem Chriſti mixtura eſt Dei & hominis.* Quibus ſignificat, ipſa componentia in Chriſto non eſſe talia vi accidentis, vel alicuius creati, ſed immediate ipſam naturam humanam, & perſonam diuinam, Chriſtum Dominum conſtituere.

7 Scholaſtici noſtri varias quidem inierunt ſecum rationes, quibus duarum naturarum in Chriſto Domino vnionem ſubſtantialem explicarent. *S. Thomas* ſibi proponens vel maxime S. Thom. 3. part. q. 1. art. 6. hac in re recedere ab hæreſi Neſtoriana, ſtatuit, humanam Chriſti naturam exiſtere eadẽ plane exiſtentia, qua diuina: & conſequenter vtramque ſubſiſtere eadem ſubſiſtentia. Alij, nihilo Scotus in 3. ſ. q. 1. obſtante, reputantes, difficile intellectu, ſubſtantias adeo diſpares: præſertim quod humana natura fuerit producta tranſeunte actione Spiritus ſancti, concurrente etiam Beatiſſima virgine *Matre* ad eiuſdem generationem, ac ſic ad exiſtendum reducta, adeoque ipſa exiſtentia eius recens facta, cum omnis actio generatiua terminetur ad ſubſtantiam concretam & exiſtentem: porro putantes, hoc vix poſſe percipi, ſimul cum naturarum in Chriſto diſtinctione, quandoquidem illud videtur prorſus idem cum altero, quod eadẽ cũ illo exiſtentia exiſtit: definierunt, inter vtraſque naturas intercedere quendam nexum, ſeu *Modum* realem, qui terminus eſſet illius actionis, qua Spiritus ſanctus ſecundam in Trinitate perſonã humana natura veſtiuit. Qui quod humanæ naturæ inhærens, terminetur peculiariter ad ſubſiſtẽtiã verbi, eodemque præſtitit, vt humana natura ſubſiſtat perſonali ſubſiſtentia eiuſdem verbi: ac proinde, vt ei eſſet coniuncta ſubſtantialiter, perſonaliterque. *Gratia ſuſcepit hominem*, inquit *S. Auguſtinus, tanta vnitate perſonæ, vt idem ipſe etiam eſſet hominis filius.* Auguſt. in Enchir. cap. 36. Ego quidem, quantum ad hunc *Modum* duo iudicarem dicenda. Primum, huiuſmodi *Modum* omnino admittẽdum. Nam, vt in principia Metaphiſica rem hanc reſoluamus, cogitare poſſumus, actione generatiua produci a Spiritu ſancto naturam humanam, adeoque ab illa indiſtantem eſſe diuinitatem, interim peractum eſſe hoc myſterium, quod ad eius rationem formalem, adhuc minime intelligamus: cum, vt dixi, præciſe, ex hoc homo non eſt deus ſubſtantialiter, quod ab eius humanitate diuinitas neutiquam loco aut ſitu ſepararetur: licet exiſtimare interim poſſumus, ſola in-

diſtantã

diſtantia animæ a corpore, fieri hominem propterea quod anima & corpus ſint compartes, & ad ſe mutuo relatæ: quales non repeciuntur diuina & humana natura. Vt ergo iſtis poſitis, emanet poſtea illud ipſum formale, quo homo Deus, ſuccedere debet aliqua peculiaris actio Dei tranſiens, quæ hoc efficiat. Huius autem actionis terminus, quid aliud præter vinculum vtriuſque naturæ antea exiſtentis? Alterum in hoc ponitur, quod ſentiam, vulgarem multorum de hoc myſterio conceptum, non ſatis aſſerere contra *Neſtorium* ſubſtantialem vnionem duarum naturarum in Chriſto: vi cuius homo reddatur ſubſtantialiter Deus. Imaginantur itaque hi, *Modum* hunc vnionis, formaliter in humana natura inhærentem, eſſe eiuſdem naturæ quandam dependentiam, qua apta nata dependere ab aliqua forma perſonali, & ad eam terminari, ſiue intrinſice per informationem talis formæ perſonalis, qualis eſt ſubſiſtentia naturalis: ſiue extrinſice, vt videre eſt in ſubſiſtentia Dei, humanam naturam ſine informatione perſonaliter ſuſtentante. Quamobrem in hoc myſterium Incarnationis contemplantur, quo apprehendunt, *Modum* illum vnionis, naturam humanam afficientem, terminari ſolum ad Verbi ſubſiſtentiam. Imprimis difficile eſt cogitare, iſtum *Modum* peculiariter terminari ad illam ſubſiſtentiam: quandoquidem id non contingat ratione alicuius ſpecialis cauſalitatis phiſicæ, quã retineat Verbi ſubſiſtẽtia reſpectu illius *Modi* producendi, cum omnia extra Deum producta aut conſeruata, quantum ad proprietates cauſæ & effectus, æqualiter pendeant a Dei omnipotentia tribus perſonis communi, vt docet *S. Auguſtinus*. Sed neque hoc prouenit ob aliquam indiſtantiam inter duas naturas, aut informationem vnius ab altera: quales ferme *Modi* terminatorum ac terminorum ex rebus creatis duntaxat nobis innoteſcunt. Verum vt proprius adhuc accedam ad inſtitutam diſputationem, cẽſendum, omnem ſubſtantiam completam ſeipſa, ſeu tranſcendentaliter eſſe terminabilem ad aliquã ſubſiſtentiam vel perſonalitatem. Natura enim humana, quæ ſubſiſtit ſua naturali ſubſiſtentia ipſi inhærenti, ſeipſa & non alterius rei interuectu, terminabilis eſt a ſua propria ſubſiſtentia: poſtulat enim ab intrinſeco ſui naturaliter talem *Modum* ſubſiſtendi. Iam vero, hæc ipſa naturæ humanæ inſita ac intrinſeca terminabilitas, cum perſonalitate extrinſeca comparata, ſeipſa quoque eſt ad eam terminabilis: licet eodem ritu ad vtramque non terminetur. Et quidem ad ſubſiſtentiam naturalem eſt terminabilis naturaliter, ad extrinſecã obedientialiter: hoc eſt eadem forma eſt vtrobique immediate ſeipſa terminabilis, ſed ad naturalem vi cauſæ naturalis, ſeu appetitus naturalis, ad extrinſecam virtute illius ſubiectionis ad Deum, qua ita eius omnipotentiæ ſubiacet & obedit, vt ad id omne materialiter concurrere poterit cum Deo, quod non implicat in ſe contradictionem. Vt ergo in perſona Chriſti Domini homo ſit ſubſtantialiter Deus, eadem terminabilitas naturæ humanæ terminari debet obedientialiter ad ſubſiſtentiam verbi, quæ naturaliter apta terminari ad propriam ſubſiſtentiam: alioquin ſubſtantialis naturæ humanæ terminabilitas omnino fuerit interminata. Neque valebit quicquam dicere, eam quidem, quæ eſt naturæ humanæ, terminari ad diuinam ſubſiſtentiam, ſed mediante in ſe Modo vnionis id fieri. Nam terminabilitas illius *Modi* non eſt ſubſtantialis directe, ſed ſolum reductiue: quatenus *Modus* dicit ordinẽ tranſcendentalem ad ſubſtantiam, cuius *Modus* eſt. Illa porro *Modi* illius terminabinabilitas, non eſt terminabilitas naturæ ſubſtantialis, ſiue obedientialis: cum ab illa diſtincta ſit realiter, vt conſtat: quandoquidem iam exiſtenti naturæ illi ſuperueniat; proinde facere non poteſt, vt terminabilitas naturæ humanæ terminetur ad ſubſiſtentiam verbi. Hoc ſolum præſtat, vt *Modus* aduenticius, receptus in obedientialem poteſtatem paſſiuam naturæ illius, terminetur ad illam ſubſiſtentiam. Vnde ſi id verũ, magis deificaretur ille modus, magiſq; ſubſiſtẽtia verbi ſubſiſteret quã vel anima vel corpus Chriſti domini: eo quod ille immediate terminetur ad ſubſiſtentiam verbi, hæc eo ſolum mediante: a qua tamen terminatione omnis proueniunt ſubſtantialis copula & deificatio.

9 Ex hoc nihilominus, quod iſtis ſtatuimus, duo ſequi videntur, quæ difficultatem adhuc efferunt. Primum, ſuperfluum eſſe *Modum* hunc vnionis ad perficiẽdum myſterium Incarnationis. Alterum, nullam poſſe aſſignari formam, cuius præciſa notione concepta, intelligimus, hominem eſſe ſubſtantialiter Deum, aut Filium Dei. Prius ſic declaratur. Ad hoc vt Deus aliquid efficiat ſine aliquo cæteroquin requiſito, ſatis eſt, illud ſeclusum extra rationem formalem effectus reperiri. Quo pacto ſine applicatione ignis ad materiam combuſtibilem, producere poterit Deus ignem, aut calorem, per alium ignem: eo quod applicatio illa non contineatur in ratione formali calefactionis, aut generationis ab igne. Quamobrem ſi *Modus* ille terminatus ad verbi ſubſiſtentiam, ſit tantum quædam præuia diſpoſitio, ſeu conditio ad effectũ formalem Incarnationis poſtulata, ſicut non ingreditur ipſam rationem formalem eius, ita poterit ſatis commode ſine illo a Deo abſolui, & a nobis vtcumque intelligi. Quorſum ergo poneretur, cum nulla neceſſitas eum exigat, cumque quantum ad inſtãtia metaphiſica, poſtquam ille *Modus* naturam humanam diuinæ perſonalitati coniunxerit, tunc ſubſiſtentia verbi incipit perſonaliter terminare tranſcendentalem dependibilitatem naturæ humanæ? Fieri ergo poterit a Deo hoc poſterius ſine priori, haud complexo in eius ratione formali. Alterum iſtis explicari poterit. Si non ponatur in eo preciſe myſterium Incarnationis, quod ſubſiſtẽtia verbi terminet illũ *Modũ* vnionis in humana natura, ſed in alia terminatione ipſius naturę, nihil relinquetur, quo hæc poſterior terminatio explicetur, aut ob quod, natura hæc cogitetur a nobis magis deificari, quam alia. Etenim ab hoc effectu ſecluſo illo *Modo* terminato ad ſubſiſtentiam verbi, vtpote priori aliquo, ſuperſunt ſolum natura humana exiſtens, & perſona diuina ſubſiſtens. Cæterum hæc ſeipſis non coaleſcunt

Aug. tract. 20 in Ioan. cap. 5.

& perſona diuina ſubſiſteos. Cæterum hæc ſeipſis non coaleſcunt in vnam perſonam, vt ſatis liquet: cum poterit natura humaoa exiſtere, ac quo ad ſitũ non diſtare a verbo, minime tamen ab ea ita adſumi, vt illa perſonaliter deificetur, per quid ergo aliud, præter illum *Modum*, ſubſiſtentia verbi terminat formaliter dependentiam naturæ humanæ? verum quantum ad illud, quod primo in loco difficoltatem parit, plurimi ſunt Theologi, qui arbitrantur abſque eiuſmodi modali nexu myſterium Incarnationis a Deo fieri. Dici etiã poterit, illum modum vnionis nõ eſſe meram præuiã cõdicionem ſed aliquid etiam, ad quod tranſcendentalem ordinem, dicat terminatio illa naturæ humanæ ad diuinam verbi ſubſiſtẽtiam. Poſterius quidẽ difficilius mihi videtur, ac id ipſũ, propter quod faſſi Patres, modũ formalẽ vnionis perſonalis inter duas naturas in Chriſto a nobis neu cõcipi, neqne explicari poſſe: tanti obſcuritatẽ myſterij quibuſdẽ ſimilitudinibus interim vtcumqne illuſtrantes: vtpote ferri igniti, qnod faciunt *Theodoretus*, & *S. Damaſcenus*: conceptus meotis in ſono vocis apparente: qua vtitur *S. Auguſtinus*: ſurculi in truncum increſcentis ac talibus, ab alijs, explicationis ergo, imaginibus vſurpatis. Nihilominus vtcumque cogitare poſſumus, exiſtẽte illo modo vnionis, peculiari ſubinde quadam ratiune quaſi inſtar olei, de quo Patres Græci, immediate & perſonaliter ad naturã humanã verbi ſubſiſtentiam peruenire: ita vt illam perſonaliter ſuſtentet, ſibiqne innectet, quippe iam in alio, ſcilicet in verbo, non in ſe ſubſiſtentem ſiue actu ſiue poteſtate reddat, vt placuit *Scoto* defioire.

Theodor. dial. 1. Dameſcen. lib. 3. cap. 1. Auguſt. lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 13. Damaſcen. lib 4. cap. 6.

Scotus in 2. 3. D 1. q 2.

10. Huic aſſertæ crẽditæque a nobis diuinitati Chriſti Domini, duæ hæreſes maxime olim infeſtæ vna *Arij*, altera *Neſtorij*; qni ambo etiã plurimis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs errores ſuos, impiſſimos licet, comprobare obnixe ſtudnerunt. *Arius* quidẽ definiendo, ſecundam perſonam Trinitatis alterius eſſe ſubſtantiæ a prima, conſequenter docuit, creaturam fuiſſe, ac proinde Chriſtũ, ea conſtantẽ, deũ non eſſe, niſi per quandã participatæ excellentiæ deriuationẽ. Qua in re *Arius*, vti aliqua ex parte per hypocriſin videretur Chriſti dignitatẽ potius amplificare, quibuſdam Philoſophis aſſentiens, pronunciauit, Deum Patrẽ rerũ omnium prouidam curã Filio ſuo commiſiſſe, ratus diuinitate prima ac Principali indignũ, in negocij adeo vilibus occupari, vti de illo *S. Cirillus* nõbis retulit. Dicebant enim Ariani, *Erat alioqui indecens ineffabilem Dei virtutem, ad hac minime peruenire, & caducarum rerum curam habere.* *Neſtorius* Chriſti Domini vniuerſam diuinitatẽ, in animã & corpus ipſius collatis dotibus definiuit: quarũ ratione quam proxime ad Deũ accedere æſtimaretur: alijs vtpote omnibus hominibus, vel etiam Angelis, ſapientior, ſanctiorq́; Propriam reperiri perſonalitatẽ commentus, aliamque perſonam eſſe hominis, aliam Dei fabulatus: ita vt hominis perſona reſpectu Dei nihil aliud eſſet, quã eius templũ, ſeu præclarũ quoddam illius habitaculũ. Ex quo affirmarunt Patres contra *Neſtorium*, ipſũ admiſiſſe inter diuinam naturam & humanam nexũ quendã dumtaxat accidentalem, ſubſtantialem repudiatus, euius virtute Chriſtus eſſet Deus, aut Filius Dei non naturaliter aut ſubſtantialiter, ſed adoptiue: quo modo inſigniter etiã Sancti dici poterunt dij, aut Filij Dei. atque in hunc errorẽ ſe impegiſſe nondũ bene inſtructum, deplorat *S. Au-*

Plutarc. de Socrat. Dæmon.

Ciril. lib. 4. Theſaur. c. 2.

Cirill. in Anathem

guſtinus ipſum hominẽ nõ perſona veritatis, ſed magna quadã naturæ humanæ excellẽtia & perfectiori participatione ſapiẽtia præferri cæteris arbitrabar. Errorẽ huoc, in Chriſti Domioi iniuriã ſuſceptũ a Neſtorianis, hodierna die Mahometani, a ſuo *Mahometo* edocti, libenter amplectuntur ac profitentur.

Auguſt. l. 7. conf. cap. 19

11 Nus porro, ſicut ad Chriſti gloriã recte ſentimus de eius perſona, ita debita ſeruata proportione, conuenienter quoque de eius operibus ac meritis arbitramur. Si flores odorẽ referunt balſami, aut aromatis, immiſſorum in eorũ radices: ſi verba ab ingenti aliquo mentis affectu prodeuntia, eius vi imbuuntur, indeque interdũ ardere videantur, quid opinandnm de Chriſti Domini actionibus, qnantum ad decus ac pulcritudioem, quæ a diuina eius perſona emanarunt? Principum, Regumque ſacro oleo inunctorum, qui & vncti Domini inde appellantur, conſilia, leges, verba, facta, perſonæ, ſingularem quandam dignitatem in ſe continent, diuini cuiuſdam oleaginei ſucci ſplendorem, iuxta ac lenitatem, maieſtate quadam admixtam exhibent ſpectabilem. Quod enim verum fuerit, tum illud profecto magis illuſtre habendum, quod a perſona Chriſti, ipſa diuinitate conſtante, prodierit. Habet hoc in ſe virtus, vt animo inſidens, eum ſerenet, iuxta ac ad corpus, quod prius diximus, ſic radios tranſfundat, vti omnes externi eius conatus, ab ea profecti, incredibilẽ quandam venuſtatẽ, ad admirationẽ vſque aſpicientium, ex eadem mutuentur. At quid virtus, defluens a deo donũ, ſcintilla a ſole gutta ab oceano & fauo, ſi collata fuerit cum ipſa diuinitate, copula intima & ſubſtantiali naturæ rationali vnita, ad hoc vt actio aliqua ſancta ſit & ſua qualitate nobiliſſima? imo neque ipſum lumen gloriæ, aut clara Dei viſio, quod ad nobilitandum alicuius ſuppoſiti motum pertinet, tale robur obtinet, quale ipſa diuinitas, alicui ſuppoſito vnitate perſonali deuincta, in ſe complectitur. Cœlũ ipſũ ſuapte natura purum Dei præſẽtia tamẽ, vltra natiuã vim ſãctũ efficitur. Terra circa rubũ ardẽtẽ, ex Angelo prope manẽte, ſãcta, ſãctoſq́; fructus ex ſe emiſit, Sãcta itidẽ tẽpli Hieroſolimitani omnis cæremoniæ Ideoque ſãctos requirebat ſacerdotes, Leuitas, ac populũ pariter ſanctos. Cæterũ vberior fons ſanctimoniæ Chriſti Domini diuinitas, ſanctioraq́; proinde illis omnibus effecit tã animæ quã corporis ſui organa, quibus ad humano ritu operandũ vſa. Ex hoc recte concludit *S. Cyrillus*, Chriſti ſãguinẽ peculiari quodã precio valuiſſe quod ſãguis eſſet Dei, & nõ meri hominis. *Quãdo fuiſſet ſãguis vulgaris hominis, nobis ſimilis, orbis redẽptio?* fingit *Homerus*, vulneratas aliquãdo deas, cruorẽ emiſiſſe, at talẽ, inquit qualẽ dijs ineſſe exiſtimandũ. nos vero a Deo ſãguinẽ genuinũ & humanũ velut ex botro expreſſũ agnoſcimus ipſa diuinitate, vltra omnẽ illius natiuũ ruborẽ nobilitatum, vltra omnes ardẽtes pyropos precioſũ, ſupra omnes roſas fragrãtẽ: *Deus enim* inquit *Cirillus, fuit in carne.* Chriſtus idcirco propter inhabitantẽ diuinitatem, vt ait *S. Auguſtinus*, *Meſſias hebraice, Græce Chriſtus, Latine vnctus.* *S. Gregorius* inſtituẽs comparationẽ inter ſanguinem Chriſti & *Abelis*, ſic diſſerit: *Sanguis Ieſu melius loquitur quam ſanguis Abel, quia ſangu-*

2. Reg. 5.

Exod. 30.

Cir. hom 6.

Hom. Ilia. 5

Cirill. lib. 9 Theſ. cap. 3. Auguſt. in Pſal 10. conc 3 in pſa. 20 Greg. lib. 13. in Iob. cap. 18 n in ſap. 7.

is Abel mortem fratricida fratris petijt, ſanguis autem Domini vitam perſequutoribus impetrauit. Ineamus iam comparationem inter catholicã doctrinam.& dogma proteſtanticum quãtum ad honorificam æſtimationem de Chriſto Domino, ac primo loco de eiuſdem perſona.

12. Catholici Chriſtum agnoſcimus, ac colendũ proponimus Deũ, idq; ratione ſubſtantiali ſeu perſonali, non accidentali, vel aduenticia:& hoc modo inſtructoribus iuxta ac ſeruatoribus populi Hæbraici ipſum longiſſime antecellere affirmamus: quo, quod admonuerunt veteres dicentes: *Sequere Deũ*, perfectius modo exequimur, quã illi tunc vel cogitare nedũ ſperare potuere: Deũ quippe ipſũ habẽtes in magiſteriũ ſimulq; in adiutoriũ, quod pulcre aduertit *S. Auguſtinus*. Proteſtãtes vero Caluiniſtæ, ſi fides habẽda *Scluſſelburgo*, nõ plus diuinitatis in Chriſto admittũ:, quam hodierna die Mahometani, quã olim Neſtoriani. Hinc dixit *Caluinus*, Filiũ Dei Patris, vtpote Dei per auctoritatem, aſſumpſiſſe perſonã Mediatoris: quaſi alia eſſet in Chriſto perſona Dei aſſumentis, alia hominis aſſumpti: Vnus Deus principalis, alius ſecundarius. Duæ autẽ perſonæ, vt oſtẽdunt Patres cõtra *Neſtoriũ*, nõ alia ratione copulãtur, quã accidẽtaliter: vtpote participatiue, cõſẽſu voluntatũ, imitatione, mutuo amore ac beneuolentia. Hic idẽ ſenſus ex alijs ipſorũ aſſertis colligi poterit, negant enim in Chriſto meritũ, quo ad rigorẽ meriti, vel infinitatem valoris: quod neutiquã facerent, ſi Chriſtũ perſonaliter Deũ reputarent. Et ſane nõ aliã diuinitatẽ Chriſto permittunt, ſi quã concedant, præter quã Arianã: dicentes Chriſtum ſecundũ ſuã naturam diuinã paſſũ, Sacerdotẽ fuiſſe, ſatiſfeciſſe ac meruiſſe pro nobis: quandoquidẽ ſatiſfactio, meritũ, ſeruitia, actioneſq; ſint inferioris exhibitæ ſuperiori. Quo ſemel admiſſo, quis Chriſtũ natum, concionantem, ſuã carnẽ ad mãducandũ dantẽ, morientẽ in cruce, tryumphantẽ in cœlo, ad eũ gradũ, quo conuenit, animo venerabitur, charitate complectetur, ſpe in auxiliũ expectabit, poſtquã illum merũ hominẽ, aut vnum ex minoribus Dijs, ſibi præſtituerit? Enimuero omnis Chriſtianiſmi ſpiritus, neruus omnis, ac feruor, hoc ſemel errore concepto, euaneſcerent. At pergamus ſingillatim inquirere de anima primũ Chriſti Domini, deinde de eius corpore: quo intelligamus, a quibus ille impie detrahitur, & a quibus ipſius dignitas iure aſſeritur.

Aug. Epiſt. 3

Caluin. l. 1. Inſtit c. 13. num. 24. 2. Inſtit c. 14.

cont. gentil. Proth. 10.

Caluin ep. ad Polon.

Auguſt. in Pſal. 103. Enar. 2.

13. Animam Chriſti Domini, omnis rerum generis cognitione illuſtratã credimus orthodoxi, ideoque nulla vnquã ignorationis obſcuritate infuſcatã pronunciamus. Si enim corpus illud nullibi prorſus vmbra obſcurũ eſſet, quod in ipſo ſolis gremio collocaretur, profecto Chriſti Domini anima, vel ipſa ſubſtantia diuinitatis irradiata, nihil commune habebit cum vlla ignorãtiæ nubecula. *Ariſtoteles* diſputans de perlucidis, dicit, ea conuenire in quadam natura, *Quæ in æternis naturis corporibuſque cœleſtibus*. Quod ergo Chriſti anima, cœli conditionẽ ſuperarit, rerũ omnium intelligentia lucidiſſime reſplenduit. Potuit quidẽ fortaſſis Dei perſona obſcurũ hoc in ſe admittere; cæterũ cũ nihil eſſet id profuturũ operi noſtræ redẽptionis, vt profuere ipſius triſtitia, dolorque, quin potius tãta perſonæ dignitatẽ haud decuiſſet, illud a ſe, vtpote effectũ peccati originalis, depuliſſe omnino exiſtimãdũ: nõ autẽ hic loquimur de alijs ignorantiæ tenebris, quam de illis, in quas coniecit humanum genus noxa originaria, & illi luci contrarijs, qua *Adamus* ante lapſum luculenter inclaruit. Septẽ lucernæ, in vno cãdelabro ardentes, de quibus *S. Gregorius*, typũ egregiũ extulere in templo Hieroſolimitano tã futuræ vnionis hypoſtaticæ in Chriſto, quam illius luminis, quo inclareſcere deberet ipſius anima. Subinde vidit *Zacharias* Propheta in figurã intelligẽtiæ in anima Chriſti, lapidẽ ſeptẽ oculis illuſtratum. Hunc ipſum prædixit quoque, ſpiritu ſapientiæ & intelligentiæ implendũ *Iſaias*. ac in eundem affirmat *S. Paulus* Deũ Patrẽ theſauros ſuæ ſapientiæ ac ſcientiæ contuliſſe. Enimuero ſi gratia gratũ faciens, iuxta ac gratis data, fuerit Chriſto naturalis: quod aſſeruit *S. Auguſtinus*, dubio procul, quadã deriuatione naturali pariter perfectiſſima ſcientia, maiorq; illa, quã iuſtitia originalis intuliſſet, ab vnione hypoſtatica ad Chriſti animã deuenit. ob quam cauſã Patres exiſtimarunt, illos nõ ducere Chriſtũ dominũ Deũ, ſed cum *Neſtorio* eius diuinitatẽ inficiari, quotquot illũ rerũ ad ſe pertinentiũ ignorantẽ ſuis ſententijs induxere: vt conſtat ex *S. Gregorio, Sophronio* & alijs. Quando autẽ dicit Euãgeliſta, profeciſſe Chriſtũ vt ætate, ita etiã ſapientia: id non eſt perinde intelligendũ, ac ſi comparata ſcientia ſenſim ignorãtiã excuſſerit; ſed ſolũ quod ſapiẽtiæ ingenitæ effectus maiores, ad ætatis incrementũ, apte oſtenderit. *Occultã igitur ſapientiam*, inquit *S. Cirillus*, *paulatim reuelabat, legem noſtra natura ſequutus.*

Gregor. lib. 29. in Iob.

Zach. 3.

Iſa. 6.

Heb. 1.

Gregor. l. 8. Epiſt. 42. Sophron. in 3. Concil.

Ciril. l. 10. Theſaur. c. 7. l. 9. cap. vltim.

14 Hic cũ Iudæo Proteſtãticus *Caluinus* genua flectit Chriſto: eius tamẽ oculos, nõ dico corporis, ſed ſupra auſũ Iudaicum, mentis, horrenda ſua blaſphemia, tanquam impuro velo, interim obnubilat, aſſerendo, ipſũ multorũ inſciũ, vitæ vſu et inſtitutione plurima gradatim didiciſſe: adeoque humanã ignorantiã, a peccato propagatã, inter reliquos noſtræ naturæ defectus, indifferenter aſſumpſiſſe. Qualis iam precor, Chriſtus populorũ Rex, quem multa latent ad ſuũ regimẽ rite exequẽdũ neceſſaria? qualis iudex ſecretorũ, qui viſu ad illa nequit penetrare? qualis Deus, ignoratione præpeditus, & quaſi in altũ nebulæ ab alto ſolis demerſus? Mala quidẽ corporis, vtpote ediã, famẽ, laſſitudinem, paſſibilitatẽ ſibi adſciuit; appetitus etiam, adeoque voluntatis ægritudines & acerbos affectus, nempe triſtitiã, dolorẽ, timorẽ in ſe admiſit: quia patiẽdo ac moriendo, flẽdo, dolẽdo, agonizãdo nobis multũ profuit cũ exemplo, tum redemptionis precio. Cæterũ ignorãdo nõ potuit nõ inferre ſibi grauiſſimũ dedecus, aut id præſtare, quod nobis inde vtile vllo pacto exiſteret. Pronus itaque hac in re in Chriſti opprobrium Proteſtantiſmus, qui lucenti omni radio intelligentiæ, plus quã cherubini in Chriſto, turpem ignorantiæ fumum adſcribit. Si parua ſtellula infixa in centro ſolis, vmbra nequit obſcurari, quid putandũ, quãtũ ad vmbrã ignorãtiæ, de anima Chriſti in ipſa diuinitate collocata!

Caluin. in c. 4. Math. 2. Inſtit.

15 De voluntate Chriſti Domini cõſequẽs aliqua iã diſſeramus. eã quaſi locũ natura in homine volũtati attribuit, quo inter mẽtẽ & appetitũ ſẽſitiuũ media cẽſeatur: ac proinde nunc ſuperius elata, ad mẽtis rationẽ obſequẽter agit, nũc vero inferius de-

Ariſt. 2. de Anim. cap. 7

flexa, appetitus motibus diuerſimode obtem-
perat. Cæterum voluntas in Chriſto Domino
non ſolum irradiata luce rationis enituit, verum
ipſa diuinitate nobilitata, ac in bono plane con-
firmata conſtetit: eſt enim voluntas Dei, Ho-
minis: eiuſque operationes ob eam cauſam a
Theologis *Deiuiriles* appellantur. quale hoc hu-
manæ voluntatis, alioquin lubricæ, ſtabilimen-
Prouerb. 21 tum in Chriſto, ex quo nō ſolum in manu Dei,
vt Regum corda ac reliqua omnia, quinimo
peculiari modo in eius ſubſtantia ac perſonali-
tate collocata! quam directe illa nauis ad opta-
tum portum continuo feretur, cuius proram
nauarcha Deus tenet ac dirigit! Hinc Chriſti
Domini voluntatem impeccabilē omnino pro-
nunciamus; non tantum ab ipſo effectu ducto
argumento, verum inſuper ab ipſius cauſæ an-
tecedente impoſſibilitate ad peccandum. Si in
terſo ſpeculo pedes figere nequeunt muſcæ, ſed
appulſæ illico decidunt: ſi ad tabulam oleo
inunctam alliſæ guttæ ſtatim excutiuntur, quid
demum impreſſionis facere potuere in Chriſti
voluntate, ipſa diuinitate moderata & inuncta,
vllæ voluptatum illecebræ, aut vitiorum incita-
Ariſt. lib. 4 Meteor. menta? *Ariſtoteles* elementum ignis cum alijs ele-
mentis comparans, de illo ſic loquitur: *Itaque
cætera omnia elementa excepto vno igne putreſcunt.*
at Chriſtus Dominus plenus igne diuinitatis, eā
ob cauſam, ad morem hominis, vel Angeli, ex
peccato nequiuit putreſcere. *S. Cirillus* de hac re
diſputans, confert Adamum, iuſtitia originali
ornatum munitumque contra peccatum, cum
Chriſto Domino oleo diuinitatis delibuto: ac
demum affirmat, illum ad malum mutabilem,
Ciril. lib. 10. Theſ. cap. 3. hunc vero minime: *Sicut mutabilitate primi ho-
minis victi ſumus, ſic per immutabilitatem verbi
vincimus. quippe diuinitas immutabiliter iuſtitiam
diligit & odit iniquitatem. ex qua voluntas Chriſti
diuinitatis immutabilitate donata, a bono ad malum
declinare nequiuit.*

16. At horrendus plane Proteſtantum, quan-
tum ad hanc Chriſti dignitatem, ſenſus, cum
Caluino affirmantium, Chriſti Domini appeti-
tum, ad obiectum mortis futuræ vehementiſſi-
me perturbatum, eiuſdem voluntatem ad re-
bellandi in diuinum Patrem deſideria, adeoque
ad deſperandum de eius bonitate, compuliſſe!
quid hoc aliud, quam dicere, Chriſtum ſponte
ac proprie peccaſſe in legem Patris ſui? Neque
Caluin. in cap. 26. Mat. immane hoc dedecus ideo negabunt Chriſtum
affeciſſe, quod voluntas ipſius indeliberato, non
libero motu, appetitus intemperiei conſenſerit:
etenim ad peccatum mortale, vel æterno cruci-
atu in inferno dignum, non requirunt Prote-
ſtantes libertatem arbitrij, definientes, ad id ſuf-
ficere voluntatis actum ſpontaneum, tametſi
omnino fuerit neceſſarius. Proinde ſtatuunt,
omnes in nobis appetitus motus, quantumuis
ſubitaneos, peccata eſſe letifera, quod in Dei
legem, qua in vniuerſum concupiſcentiam vetu-
it, quandam in ſe contineant inobedientiam: qui-
bus cum motibus, ait *Witakerus*, Proteſtator in-
VVitaker. lib. 2 de peccat. orig. clitus, ſemper coniungi illum voluntatis con-
ſenſum, qui ad peccatum efficiendum idoneus.
Ioan. 1. Quam hi impii, puriſſimum Dei agnum pecca-
ta mundi auferentem, peccatorum ſordibus ma-
culantes! quam prodigioſe præpoſteri, qui vitæ
exemplar, cœlitus ad nos dilapſum, propoſitū-
que nobis ad imitandū, inficiunt ac deturpant
ſuorum dogmatū infernalibus plane excremē-
tis! Iudæi, quantumuis in Chriſtum Dominū Ioan. 8.
maleuoli, illū peccati tamen arguere nō valuere:
at Proteſtantes in eumdē nequiores, grauiſſimo-
rū peccatorū reū inſtituūt, audētque traducere.

17. Appetitus porro ſenſitiuus in eodē Chri-
ſto Domino ita erat ad rationem compoſitus
noſtro iudicio, ſic ſub moderamine deitatis, vt
loquitur *S. Leo*, conſtitutus, vti nunquam men- Leo epiſt. 11
tis imperium tumultuando vel conando ante-
uerterit; multo minus ad malum aliquod con-
ſilium ſolicitarit. Sit in nobis appetitus iſte hor-
rida ferarum ſilua, ſit mare importuoſum, mag-
na tempeſtatū vi agitatum: at in Chriſto Domi- Math. 8.
no, cui venti ac mare obediunt, extitit non niſi
placidorum motuum, virtuti dumtaxat inſerui-
entium, armariū; ſuauesque igniculi ad charitatē
tantummodo accendendā comparati in eodem
decenter extitere. Si a ſapientia *Salomonis*, ad ad- 3 Reg. cap. 10.
mirationem vſque reginæ *Saba*, ſeruorum & an-
cillarum in eius familia, decora ordineſque pul-
cherrimi manarunt, qualem a Chriſti diuinitate
inſtitutionem moderationemque ad omnes in
eius appetitu affectus fluxiſſe exiſtimandum?
Beati ſerui *Salomonis* dicebantur ab illa Regina,
quod in præſentia eius verſarentur. Enimuero
potiori iure beati affectus omnes in appetitu
Chriſti, continuo dominio deitatis temperati, di-
rectique deſpotice plane ad officia rationis ac S. Thom. 3 part. q. 15. art. 4.
diuini honoris. *Nouerat*, inquit *S. Chriſoſtomus*, *la-
crimas extinare & affectum augere.* Ipſe enim fuit, Chryſoſtom. homil. 62 in Ioan.
qui vt ait *S. Ioannes*, *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſe.*
Etenim ſi iuſtitia originalis ea extitit virtute, qua
in primo parente ſuperiorē partem Deo ſubie-
cit, inferiorem iuxta appetitum rationi obſequē-
tem reddidit, profecto vnio hypoſtatica, ad ip-
ſum appetitum in Chriſto peruadens, efficacius
multo eum menti, deoque dimiſit: cū qua, quā-
tum ad imperium recte inſtituendū, neque iuſti-
tia originalis, neque vllæ diſciplinarum ſeueri-
tates, nedū viſio beatifica, poterunt comparari.

18. Cæterum ſuſpicabitur fortaſſis quiſpiā, ali-
quid ſaltem fomitis ſeu incendij cōcupiſcentia-
lis, retinuiſſe motus in appetitu ſenſitiuo Chriſti
Domininam dicit *S. Cyrillus*, Chriſtū excitaſſe
in ſe huiuſmodi propaſſiones, vt ab inhabitante
verbo ſubinde ſuperarentur. cum ergo fomes
peccati nihil aliud ſit quam rebellio in legem
Dei, incitatioque in id, quod a lege vetitum,
tales motus etiam a voluntate Chriſti exciti, in
quos illa voluntas deificata erat ſubinde de-
pugnatura, fomes appellari poterunt, quippe in
contrarium eius vergentes, in quod voluntas
ipſius ratione directa progrediebatur. Nihilo-
minus hi ipſi motus, in quos Chriſtus bellum
gerebat, & ab illo prouocati erant, non cenſen-
di fomes peccati, vel origo illius, quia
non ex peccato originali, aut ex vllo alio defe-
ctu in Chriſto, ſed ex imperio rationis & vo-
luntatis oriebātur. qui quod nullam vim habu-
erint ad trahendū eius voluntatē in conſenſum
peccati, quippe antecedēter impeccabilē, nō ſūt
habēdi fomes peccati. Porro ille timor mortis

non impellebat Chriſtum ſimpliciter ad fugiendũ mortẽ, quã obeundam in mandatis a Patre iam acceperat, ſed tantum teſtabatur talis mortis horrorem & repugnantiam cum natura: voluntate Chriſti interim illud efficaciter eligente, a quo appetitus ex imperio rationis per diſplicentiam ſimplicem ſe auertendo reſiluerat.

19. Calviniſtæ autem perturbatum Chriſti appetitum, adeoque in Deum Patrem rebellantem: ejus vi illo adacto ad deſperandum ſuam ſalutem, quinimo ad æternum quoque Patrem blaſphemandum, impijſſime criminantur. Quid hoc horribilius in Dei perſonam verbis vel ab vllo dæmonum efferri potuerit? Blandiuntur quidem ſibi ipſis, dum inſanis cæciſque libidinibus eorum appetitus accenditur, cauſati, vel in Chriſto Domino illum vehementius quandoque commotum in rectam rationem, adeoque in ipſum Deum arma intentaſſe: tanta eſt nepbariæ voluptatis tuendæ ipſorum cupido, vt eos reddat in Chriſtum Dominum etiam blaſphemos. Fingunt itaque apud ſe, Redemptorem ignorantia cæcum, perturbationibus temulentum, impetu rabioſum, deſperatione præcipitem, rebellione furioſum, ſalutis ac ſanitatis expertem: perinde ac ab aliquo inſano *Hercule*, potius quam a mitiſſimo *Ieſu* Dei Filio recuperationem ſalutis expectarent.

20. Denique quod ad perſonam Chriſti Domini ſpectat, corpus ipſius, vtpote diuinitatis proprium, inſitumque inſtrumentum, ad plures excellentiſſimos effectus opem contuliſſe recte exiſtimamus. Adeo imprimis adfine condicioni ſpiritualis ſubſtantiæ, propter coniunctam diuinitatem, eximit Chriſti corpus, vti ad imperium illiuſmet diuinitatis, ſimul cum externa quantitate quoad locum coextiterit & per eam immotam penitus tranſierit. Singulare fuit iſtius corporis opus, tantum abeſſe, cum Chriſtus naſceretur, a violatione clauſtri virginalis in matre, vti eo potius illæſo, in ipſo digreſſu egregium quoddam decus eius integritati contulerit. Hoc ipſum corpus ianuis clauſis intrauit in conclaue, vbi Apoſtoli manebant. Reſurgente Chriſto a morte, per ſolidum lapidis ſepulcralis in apertam lucem ex ſepulcro inſtar ſolis exiuit. Cœli itidem emperei ſubſtantiam penetrando, ad dexteram Patris tandem peruaſit. denium in cibum potumque animarum a ſancto Spiritu hoc ipſum corpus nobis porrectum, ſub quantitatibus modici panis & vini, admirando quodam modo, nobis licet dulciſſimo, etiamnum deliteſcit. *Ipſa virtus*, inquit *S. Auguſtinus*, *per inuiolata matris viſcera membra infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa oſtia membra iuuenis introduxit.* Hoc ipſum corpus ad fimbriam veſtimenti, quo tegebatur, virtutem curandi morbos ex ſe tranſmiſit, fecitque vt tantopere deſideraret Emoroiſſa illa vel fimbriam veſtimenti illius tangere, quo ſanaretur. imo id ſcribente *Euſebio*, vel creſcentes herbulæ ſub ſtatua ænea Chriſti Domini, ad eius ſtatuæ fimbriam peruenientes, in omnes morbos ſubinde fuere ſalutares. Enimuero ſi ſignum arcæ, teſte *Epiphanio*, plurimum valebat contra morbos, multo magis corpus Chriſti, cuius ſimilitudinem gerebat arca, vt ait *S. Auguſtinus*, in morbos inualuiſſe potuit. Ex contactu iſtius ſacratiſſimi corporis, credimus accepiſſe virtutem ſimul ac dignitatem crucem Domini, cum in morbos, tum in dæmones & hominum affectus; cuius rei ſæpius Patres & ſacræ hiſtoriæ meminere. Hoc ipſum corpus ſub ſpeciebus panis illatum tanquam farina in corpora fidelium, vim habet illa reſuſcitandi, vt optime adnotarunt *S. Ireneus*, & *S. Cirillus Alexandrinus*: idque probarunt ex verbis Chriſti: *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Ego*, hoc eſt, ait *Cirillus*, *corpus meum, reſuſcitabit eum in nouiſſimo die.* Ex cuius corporis ſanctitate profecta omnis illa pietas, quam primi Chriſtiani exhibuere ſepulcro Domini in Paleſtina: cuius ſaxum, vt recolit *S. Hieronimus*, *S. Paula*, tanquam vehementer ſitiens aquas, *Fideli corde & ore lambebat.* Multiſque hinc optabile in Paleſtinam peregre profectis, adorare locum, in quo Chriſti pedes ſtetere. & ab eodem omnis illa deducta veneratio, quæ Romæ ſacro ſudario & lanceæ cuſpidi, qua Chriſtus vulneratus, etiamnum deferri ſolita.

Hilar. lib. 10 Trin.

Ioan. 20.

Auguſt Epi. 3. ep. 120. cap. 12.

Euſeb. lib. 1. Hiſtor.

Epiphan. in Ancor.

Auguſtin. 15 Ciu. cap. 26.

Lucil. Dial.

Gregor. lib. 31 in Iob. cap. 3.

Iren. lib. 1. cap. 6.

Cyril in 6. cap. Ioan.

Hieron. de obitu Paulæ

21. Obſiſtunt acerrime Proteſtantes hiſce aſſertis a nobis corporis Chriſti ornamentis. negant proinde, illud vnquam ita diuinitati fuiſſe ſubiectum, vt externam quantitatem potuerit ex illius virtute penetralitne ſubire. Ex hoc ab illis erumpit blaſphemia, dicentibus, illud ipſum corpus florem & integritatem virgineam matri ademiſſe, contra Eccleſiæ traditionem, Patrumque vnanimem conſenſum, dum natiuitate in lucem hanc noſtram prodiret. nolunt illud, ipſo Euangelio licet ipſis diſerte repugnante, ianuis clauſis intraſſe ad Apoſtolos: neſcio quã craſſitiem tali ingreſſui aduerſantem illi deit hoc corpori affingentes. In quam impietatis ſententiam, audiui, cum in Anglia eſſem, fœminã Puritanicam affirmantem, ſe credere non poſſe Chriſti corpus inuectum in cœlos: quandoquidem noſtra ſpes, vt ipſa aiebat dirigenda ſit immediate in Deum, non in Chriſti humanitatem. Subiungebat, fieri non poſſe abſque immortalis cæli aperto, fractoque aditu, vt Chriſti corpus mole conſtans, ad illius arcana loca peruaderet. Fæminæ illius animũ, curationem expectantem a fimbria veſtis Chriſti, ſuperſtitionis inſimularunt Proteſtantes: adeoque mendacium adſcribunt *Euſebio* de illis herbis ita referenti. Inficiantur pariter crucem, aut ſepulcrum aliquid virtutis accepiſſe ex contactu diuiniſſimi iſtius corporis Chriſti: in ſingulis, eiuſdem corporis dignitatibus, inſtar dæmonum, inuidentes. Notant Patres, corpus humanum compendium quoddam eſſe omnium elementorũ, idque ob ſingularem in eo partium ſitum & temperiem, eminentiſſimum. voluit ergo Deus hunc naturæ concretæ florem eligere, quem ſua diuinitate, nedum ſolo cœli [illegible] beaaret. Hinc aurum, commoda gemmæ ſedes, quod illud reliquorum metallorum vires in ſe eminenter contineat. paradiſus fuit terreſtris, in quo hoc ipſum corpus humanum, animæ, ad ſimilitudinem Dei creatæ, hoſpitio nobilitatum apparuit. cæterum paradiſus quodammodo cœleſtis extitit vterus virgineus, in quo ipſa diuinitate Filij Dei, ſeu conſubſtantiali imagi-

Tertull. de Reſur. ac Anima.

Ambro. in Hexam.

ne;

ne Dei Patris, humanũ corpus nobilitatum inclaruit. ſi hoc corpus, animæ adiuta miniſterio, mirabilia vt videmus preſtet, qua artes exercendo, qua bruta ſuperando, quid miri, ſi diuinitate locupletatum, in Chriſto Domino, naturæ vires longiſſime excedat operando, ac ad diuina pertingat? corpora a ſolis ardore extenuata in altum volant, ad nubes peruadunt, ac ſi eſſent cœleſtis naturæ, cum tamen eis deſcendere ad terram natiua virtute potius conueniat. ita cum ſemel cogitauerimus, corpus in Chriſto Domino diuinitate ornari haud mirabimur, ſi cum Phœnice ſoli applaudat. ſi natiuum pondus ſuperet, & diuinitatis opera exerceat. Ex communi gleba fit lapis, carbo & gemma precioſa in viſceribus terræ: ſolum ad eſt ad hanc diſcrepantiam faciendam alius & alius a ſole influxus. Quod ergo placuerit ſoli iuſtitiæ ex hac communi terra, Chriſti corpus concretum, gemmam reddere, aliorum hominum corporibus inferiorem ſortem retinentibus, id illius beneplacito, & peculiari Diuinitatis cum illa copulæ adſcribendum.

22. De meritis autem Chriſti Domini, de quibus in ſecundo loco diſputare propoſueramus: quod ad præſentem controuerſiam attinet, tria Catholici profitemur. Primum, quod ad redimendum humanum genus iuſtiſſimo apud æternum Patrem precio valuerunt. alterum quod pondere ſeu valoris momento plane fuerint infinita. Poſtremo, quod pro eis etiam a Chriſto Domino ſuo Patri oblata, qui in reprobum ſenſum traditi gratiæ ac felicitati miſerrime ad extremum ſponte excidere voluerunt.

23. Quantum ad primum, non hic loquimur de propria ratione iuſtitiæ deſcriptæ a moralibus Philoſophis, quaſi hic contenderemus, modo inter Chriſtum ac æternum Patrem interceſſiſſe iuſtitiam dati & accepti, quantum ad omnes conditiones talis virtutis: ſed agimus ſolum de valore ſeu dignitate operum Chriſti relatorum ad mundi redemptionem: qui valor dignitaſque eis etiam operibus ineſſe poterint, quæ a iuſtitiæ proprie dictæ forma ac qualitatibus deficiunt. Et quidem ad definitionem ſpectat redemptionis, vt ſit pro redempta miſeria ac bono ablato ad æqualitatem compenſatio. nam ſi quod offertur non valeat tantundem, ſequente effectu redemptionis, potius eminebit gratioſa quædam condonatio a creditore, quã iuſta redemptio a benefactore: vel ſi creditor illud officium acceptaret pro redemptione, quod reipſa non reſponderet ad æqualitatem precij, cerneretur quidem beneuola acceptatio creditoris, id acceptãtis pro redemptione, quod re vera talis non eſſet: vera aut ſolida redemptio
Epheſ 4. ad haud exiſteret. Cum itaque ſcriptura paſſim prædicet Chriſtum redemptorem, omnino exiſtimandum, eius paſſionem iuſtiſſimam quoad valorem, extitiſſe generis humani redemptionẽ:
Heb. 10 maxime cum Apoſtolus *Paulus* eam præferat omnibus ſacrificijs legis veteris quantum ad vim
Heb. 2. expiandi mundum a peccato: & quo ad hoc eã comparet culpæ *Adami*, quæ potens fuit ſuo de-
Rom. 5. merito ad inficiendum crimine vniuerſum hominũ naturam. Valuit itaque, vt ait S. *Ambroſius*, diſſerens de Chriſto moriente, ſanguinemque & aquam ex latere emittente. *Aqua ad lauacrum, ſanguis ad potum, ſpiritus ad reſurrectionem.* dignat idcirco doctiſſimus *Cyrilus*, Chriſti diuinitatem tanquam principium redemptionis a quo omnis valor eius profluat: quod neutiquam feciſſet, ſi exiſtimaſſet vniuerſum illius momentum, ſpectandum in beneuola duntaxat æterni Patris acceptatione: perinde ac ſi decem acceptaris pro centum ſoluendis. *Quando a morte liberamur tam id opus ſuper creaturam fit nec poſſit creatura datam a Deo ſententiam Cinis es & in cinerẽ reuerteris, reuocare? quando etiam peccatum deſtruxit, ſi creatura eſt? Hac igitur omnia non vt creatura, ſed vt Filius & vere Deus, efficere potuit.* Ecquid miri, infiniti valoris reperiri Chriſti merita? ſi ſol in partibus mundi orientalibus gemmas, lapides precioſos educat, reddatque in vniuerſum merces orientis magno precio valentes, profecto Filius Dei, qui ſol & oriens nominatur, Deo Patri obtulit ſuorum operum merces omne definitum precium ſuperantes. hic inuenit Deus Pater in oriente meſſem aromaticam, omni auro & gemma digniorem, quaſi fructus in agro pleno, qui *Iacobo* ceſſit in benedictionem. *Quia Dies Domini exercituum ſuper omnes montes excelſos & ſuper omnes colles eleuatos: & ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum, & ſuper omnes naues Tharſis & ſuper omne quod viſu pulcrum eſt.*

Ambroſ lib. de Incar. cap 6.
Cirill lib. 5. Theſaur. c. 7
Gen. 3.
Iſa. 41. Zach 6.
Gen. 27.
Iſa. 2.

24. Proteſtantes nihilominus capitali huic Chriſti Domini dignitati refragantur: & cum *Caluino* dicunt, ſeu potius blaſphemant, in homine Chriſto non eſſe oſtendendum meritum, ſi res exacte ad rigorem diuinæ iuſtitiæ expendatur. *Exciter*, inquit, *Si quis ſimpliciter & per ſe Chriſtum opponere velit iudicio Dei, non fore merito locum: quia non reperietur in homine dignitas, quæ poſſit Deum promereri.* Quo loci iam manebit redemptio, quando iudicio Dei a Chriſto minime adhuc ſatisfactum? quando extorquatur, non ſolutum a Chriſto precium, orbem perditum recuperauerit: quando Chriſtum merum hominem habemus, qui nequit vel ſua morte promereri Deum? Hoc pacto in ipſo fonte iuſtitiæ & ſanctimoniæ, omne honeſtæ vitæ decus & pondus, omnem vim Chriſtianæ ſapientiæ ſceleratiſſime corrumpunt, exterminantque Proteſtatores.

Caluin 2. Inſt. cap. 17.

25 Quod vero Catholici ex perſonæ in Chriſto Domino excellentia deriuari valorem definiunt in opera ipſius ſuppoſiti, conſequens, fateantur, illum prorſus infinitũ ad qualitatẽ perſonæ in infinitũ ſanctæ ac a deo Patre dilectæ: quod S. *Cirillus* ſatis expreſſe adnotauit. *In primo enim Chriſto natura humana recuperata eſt & diuinarum gratiarum dona, quæ nobis conceſſa ſunt, in ipſo & per ipſum, vt homini data ſunt, & ab ipſo vt Deo: Deus enim fuit in carne.* Hoc argumento innixi, non ſolum dicimus cum Propheta copioſam fuiſſe apud Deum redemptionem, quinimo vel minimum Chriſti opus ſatis valoris habuiſſe, ad totius mundi redemptionem perficiendum.

Cirill lib 9. Theſ. cap. 5.
Pſalm 129.

26. Verum Proteſtantes renuunt admittere hac in merito Chriſti ad infinitatem exuberantiam:

imo adeo reſtrictum contendit *Caluinus* fuiſſe vniverſum illius precium, vt mors Chriſti Domini in cruce obita, eius ſententia, minime ſuffecerit ad orbem redimendum, niſi ei adiunctæ fuiſſent perpeſſiones quædam ipſius idque in inferno. Et quales demum perpeſſiones? tales videlicet, quibus ob metum æternæ damnationis animo miſerum io modũ vexabatur Chriſtus: quibus ad deſperationem vſque compulſus: quibus ad rebellandum in Deum Patrem adactus: *Nihil* inquit *actum erat, ſi corporea tantum morte defunctus fuiſſet Christus, ſed opera ſimul precium erat, vt diuinæ vlticuis ſeueritatem ſentiret.* Officium ergo in poſterum pij viri fuerit, iuxta horrendam blaſphemiam Proteſtantum, dum ſibi proponit Chriſtum orbem redimentem nõ ad ritum noſtrorũ anteceſſorum animo illum intueri in cruce morientem, ſed ritu Geneuenſi illum aſpicere dæmoni ſubiectum, tortum, afflictumque in inferno: adeoque immanibus ſceleribus ibi Deo Patri refragantem.

Caluin. in cap. 27. Mat

26. Latiſſime porro effuſum hoc ipſum Chriſti Domini meritũ, tanquam arcum cœleſtem, totam terra faciem complectentem, qui typus miſericordiæ Dei per Chriſtum, hominem illuminantem venientem in hunc mundum: ipſos etiam reprobos fauore gratiæ ipſius affeciſſe, orthodoxi ſentimus ac profitemur. *Sanguis in precium eſt*, ait *S. Auguſtinus; Tanti quid valet? quid niſi totus orbis? quid niſi omnes gentes? vbi autem plurima ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo boum. S. Petrus* comparationem inſtituit inter diluuiũ tempore Noë & Chriſti Baptiſmum. Fuit illud deluuiũ ſalus octo animarum. *Octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam*. mare etenim eatenus ſaluare dicitur nauigantes, quatenus illos defert ad optatum portum, non vero obruit, aut allidit ad rupes. Quod in diluuio vel maxime conſtetit, quandoquidem octo illæ animæ ſine velorum & venti beneficio, proprio motu ipſius aquæ dumtaxat appulerint. quo pacto infantes ſine motu liberi arbitrij, ex opere operato baptiſmi ad ſtatum iuſtitiæ perueniunt. Baptiſmus itaque, qui Chriſti gratiæ vehiculum, typus, & inſtrumentum, ad imitationem diluuij vaſtus eſt; quatenus oblatus a Deo Patri vniuerſo humano generi, quo opere operato ſaluetur. Baptiſmum ergo ſui cruoris pro omnibus dipendit Chriſtus in cruce: illum non Iordanem, non mare rubrum, ſed diluuium effuſum ſuper orbem vndiqnaque eſſe voluit. quot pullos deſignauit iſte pellicanus ſuo cruore abluendos & nutriendos! Duo autem præſtitit diluuium. primo purgationem peccatorum effecit: deinde octo animas ſaluauit, orbem enim ſceleribus coinquinatum purgauit ipſa peccantium deletione: ſimulque Dei vindictæ, ad internecionem omnium animantium deſæuienti, octo animas eripuit, eo modo, quo equus dicitur ſaluare vitam ſeſſoris, quando concito curſu longe ab hoſtium gladijs eum defert: nam cum Dei iuſtitia vniuerſum genus humanum perſequebatur, tunc octo iſtis viuẽtibus ſubuenit ſalubriter aqua diluuij. Pari modo Chriſti baptiſmus purgat & ſaluat. purgat, peccata eluendo, ſaluat gratiam iuſtificantem in verbo vitæ infundendo. ac

Gen 9.
Ioan. 1.
Auguſtin. in Pſal. 99.
1. Pet. 3.

tametſi paucæ animæ ſolũ ſaluatæ per illud diluuium: ſicut pauci intrant per anguſtam portam vitæ cæleſtis, nihilominus diluuium ex ſe quemadmodum caſtigauit integrum genus humanum, ita etiam ex ſe potens erat ad totum ſaluandum. ſimiliter pauci Baptiſmum volunt, adhuc pauciores ſecundum baptiſmi leges viuunt & in cœlo ſaluantur: verumtamen Chriſtus Dominus nobis immenſum diluuium gratiæ pro nobis emit ad omnes ſaluandum potens & idoneum, licet non niſi pauci tantum beneficium volunt acceptare & ſibi vti conuenit applicare. *Dominus diluuium inhabitare facit. Dominus ſuper aquas multas.* Luc. 13. Pſalm. 28.

27. Nihilominus Proteſtantes iſtius meriti vires ita eleuant, vt dicant, mortuum Chriſtum, adeoque ſuum meritum Deo Patri obtuliſſe, tantummodo pro electis, ſeu prædeſtinatis ad gloriam: hoc eſt ſolum pro Proteſtantibus: reliquos vero æternis pœnis addicendos propter ſua peccata, omni licet a meritis Chriſti ſubſidio orbatos ad illa peccata vitandum, aut reſiſtendum eis prauis tentationibus, quibus in ea inducebantur, ac inermes plane in tenebris relinqui ſuæ impotentiæ. An non in hos perbelle quadrat, quod ſubiungit S. *Auguſtinus! Valde ingrati ſunt precio ſuo, aut multum ſuperbi, qui dicunt, aut illud tam parum eſſe, vt ſolos Aphros emerit, aut ſe tam magnos, pro quibus ſolis illud ſit datum!* Tranſit porro hæc Proteſtantium meritorum Chriſti diminutio ad iniuriam etiam in perſonã ipſius. Notiſſimum enim, Chriſto Domino, vtpote homini, traditam poteſtatem ferendi ſententiam in omnes reprobos: cum iudex ſit venturus ad iudicandum viuos & mortuos. at vero iniquũ, ſimulque ſua perſona indignum prorſus, eum illos damnatos mancipare flammis tartareis ob crimina infidelitatis vel libidinis, qui gratia omni carentes, eiuſmodi ſcelera propulſare a ſe nequiuere. Sine gratiæ autem præſidio haud potuere ea ſuperare, vt manifeſtum. at gratia illi ſoli gaudent, pro quibus Chriſtus mortuus. Si ergo non ſit mortuus pro reprobis, non alios eſt reprobaturus Chriſtus, quam omni gratia prorſus in vita deſtitutos, quam impotentes ad vincenda crimina, pro quibus tamen damnandi. Qualem modo iudicem ac perſonam, omni certe *Radamantho* crudeliorem, Chriſtum eſſe nobis renunciant Proteſtantes! Tranſeamus iam ad diſcutienda Chriſti in nos dona: quod vltimo loco præſtandum ſtatuimus, vt etiam curſim ac per capita de hac re diiudicemus. Auguſtin. in Pſalm. 45.

27. Inſigne beneficium a Chriſto reputamus, quod eius cura ac meritis Eccleſiam matrem habeamus, cuius lac doctrinæ ſecure inſugamus ſine omni ſuſpicione veneni: in cuius complexu ab omni aduerſo dogmatum vento veluti in portu, tuti, maneamus. πίστις παρὰ τὸ στῆναι, a ſtatione dicta fides, teſte *Clemente alexandrino:* quæ quidem animi ſtatio, in hac Eccleſia ſola, excitatas controuerſias definiente, reperitur. Negant autem Proteſtantes, adeo bonum prouidumque vi ſuorum meritorum extitiſſe erga nos Chriſtum Dominum: ſtatuentes potius, Martio vniuſcuiuſque ſpiritui, biblia excutienti, ſalutis æternæ momenta priuatim, ſparſimque Clem. Alex lib. 5. ſtrom

commiſſa

commiſſa. A Chriſti meritis itidem deſcendere orthodoxi iudicamus ſeptem Eccleſiæ Sacramenta: quæ vt diuinæ gratiæ ſaluberrimi fontes ita vitæ noſtræ vſibus ac indigentijs quaquauerſum conuenientiſſime, vt optime diſſerit Catechiſmus Romanus, accommodata. Affluentiam hãc doni a Chriſti meritis negant omnino Proteſtantes: duo ſolummodo ſacramenta agnoſcentes: eaque exilia, aut potius vana confictæ ab ipſis diuinæ in nos bonitatis ſimulacra. Inter ſacramenta, duo vel maxime commendamus vt pote nobiliſſima meritorum Chriſti munera: ſacramentũ ſcilicet Cõfeſſionis, tã idoneũ ad expiãdũ animas, tã efficax ad eas a peccatis auocandas; iuxta ac ſacramentum Euchariſtiæ ipſummet Chriſtum, fontem omnis gratiæ, nobis manducandum ac bibendum exhibentis. Quorum ſacrorum ſuauiſſimas ſaluberrimaſque exuberantias, a Chriſti meritis profectas, reſcindunt & aſpernantur Proteſtantes: illud quidem Confeſſionis prorſus exturbantes, Euchariſtiæ vero loco, panem & vinum, vel ceruiſiam, pro corpore & ſanguine Chriſti, ſubſtituentes. A meritis Chriſti deſcendiſſe ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, cum illa omni illuſtri ſerie cæremoniarum, quibus peragitur, orthodoxi credimus. Proteſtantes autem cõtendunt, non extitiſſe erga nos Chriſti merita tantæ bonitatis, dum ſacrificium cæremoniaſque religioni & hominum conſolationi impijſſime adimunt. Expendamus modo alia, quę quam proxime hominum mores, animaſque attingunt.

Catech. Ro. 2. part. ca. de Sacram.

29. Credunt Catholici, eam eſſe a Chriſti meritis gratiæ vim, qua in nobis opera virtutum honeſta adeoque diuini præmij meritoria redduntur. Renuunt Proteſtantes admittere hunc fluxum copioſum ac precioſum gratiæ a meritis Chriſti: volentes omnia, vel iuſtorum opera, nihilo eſſe meliora, quam peccata mortalia. Illum a meritis Chriſti præſtolantur Catholici gratiæ appulſum, quo vere ac ſolide iuſti cõſtituantur: quo in ipſis peccatorũ maculæ penitus expũgãtur. Hanc etiam a meritis Chriſti tã præclaram impreſſionem inficiantur Proteſtantes, affirmantes homines non aliter iuſtus eſſe, quã imputatiue, adeoque rei natura eiuſmodi imputationi reclamante: peccata a Chriſto non deleri, ſed manentia ſolum ad pœnam minime imputari. Apud Catholicos omnino defixum dogma, quòd a meritis Chriſti eaſit virtute ipſius gratia, vti legem Dei ac naturæ, quantumuis appetitus in nobis lubricitate aut furore ſit contrarius, obſeruatu poſſibilem effecerit: ac inter alia officia, quod eiuſdem gratiæ auxilijs corroborati, vouere poſſumus perpetuam caſtitatem, votumque illud etiam faciliime ſeruare: cum iugum Chriſti ſuaue ſit omni ex parte ad portandum. cæterum è regione obſiſtunt Proteſtantes, ac decernunt, nihil tanti momenti a meritis Chriſti ad nos vnquam deueniſſe: quandoquidem eorum iudicijs, non obſtante gratiæ efficacia, adhuc etiam vel ipſis iuſtis lex in vniuerſum ſit impoſſibilis, eiſque impoſſibile, votum caſtitatis implere. Expectamus a Chriſti meritis eam gratiam, qua valeamus ita reluctanti concupiſcentiæ obſiſtere, vt peccatum mortale nobis inde intentatum repellamus. atque neque patiuntur Proteſtantes tantam puritatẽ aut vtilitatẽ a meritis Chriſti: volentes omnes motus cõcupiſcẽtiæ eſſe peccata mortalia: immortalis eſſe vniuerſos cõatus humanę volũtatis, adeo vt inanis ſit expectatio puritatis a meritis Chriſti, cuius vt immunis aliquando quis euadat a culpa mortali, hoc eſt a libidine mortali, ab iniuſtitia mortali. Denique quod Chriſtus, nos ad altiorem gradum ſanctitatis extulerit, quam potuit *Moyſes* Hæbræos: ideo in illum finem aſſerimus, præſtantiora, efficacioraque Sacramenta nobis tradidiſſe: vt eodem dignitas Euangelij eluceret, quo noſtra morum perfectio ſe altius efferret. Proteſtantes tamen veteris teſtamenti Sacramenta adæquant eis, quæ ſunt noui: imo ſuperiora reddunt. Si enim Sacramentum nihil aliud ſit, quam ſymbolum rei ſacræ, aut fidei per modum obiecti incitamentum, quis non videt illud cœleſte pabulum mãnæ, angelicis manibus confectum, longiſſime antiſtare nudis elementis panis atque vini?

August. li. 2. de pec. ac. Merit. c. 6.

Ioan. 20.

Heb. 1. Aug. l. 3. de Baptiſm. ca. 9 10. de vnit. Eccle. c. 21. Tract. 4 & in 1. ca. Ioan.

30. Satis itaque mirari nequeo religionis proteſtanticæ fraudem ac hypocriſim: vel potius alaſtoris dæmonis, qui eis talem religionem perſuaſit, vafriciem: quandoquidem cum in nos diſſerentes, perpetuo in ore habeant fidei encomia, iuxta ac meritorum Chriſti laudes: ij nihilominus ſint, qui dogmatum machinis tam fidem, quam Chriſtum Dominum: ad hoc ab antichriſto conducti milites, vel coacta mancipia, impugnent, hominumque animis eijcere moliuntur: et iam a nobis ſatis probatum videatur, Teſte *Cicerone*, nulli apud Romanos ita expilabant ærarium publicum, ac illius maximi, verbis tenus laudatores. ita Proteſtantes nihil ferme in ore habẽtes præter fidem ac Chriſtũ, vtraque tamen quantum poſſunt aperta ſententia ſuæ doctrinæ exterminare ſatagunt: adeo vt omnino cæci ipſi fuerint, ac in denſiſſimis tenebris obmerſi, ſi in hunc ſcopum ſuos dirigi conatus, ſibique a dæmone hoc pacto illudi, haud perſentiſcant.

Cice. act. 3. in Verrem.

31. Quamobrem quod tam ciuilis ſtatus quã ſanctitudinis progreſſus, apud Chriſtianos dependeant a Sapientia delata in bonitatem & excellentiam Chriſti Domini, laudabilium ciuium moribus iuxta ac optimorum ſtudijs aduerſatur Proteſtantiſmus, Chriſti Reparatoris dignitatem, ſimulque eius in nos accummulata beneficia extenuans vel pernegans. Quis enim ciuium, ad intuitum Chriſti, Proteſtantum ſtylis deſcripti, magnopere incitabitur ad amorem Dei, aut ad vllam virtutem, quæ cum bono communi fuerit coniuncta, ſi in aduerſum corrupta naturæ libido aliqua illi pectus commouerit? Appoſite vidit Propheta *Amos* hominem ſtantem ſuper murum, habentem in manu ſua adamantem. illum hominem Chriſtum adumbraſſe volunt interpretes: qui ſtat ſuper murum, quod ipſe ſit inexpugnabilis, quodque non habitet in confuſa aliqua multitudine aut in deſertis locis, ſed in ordinata ac murata ciuitate ſuæ Eccleſiæ. illi in manu adamas: videlicet cum ſit ad perſuadendum ad trahendum potentiſſimus, qualem omnino ſibi proponunt Catholici, cum

Amos 7.

ob

ob perſonæ illius egnitem ab ipſis excellentiam, tum meriti abundantiam. Ego ſane non miror, antiquos ethnicos libidinibus paſſim exæſtuaſſe, ferocia in conciues, externoſque inc cruduiſſe, cum mecum reputo Deos, quos coluerunt. Enimuero ad aſpectum numinis, quod agnoſcunt mortales, efformantur in ipſis virtutes, vitia euitantur, aut admittuntur. Fieri ergo non poteſt, quin ab erroribus Proteſtantum, qui Chriſtum non tam deſcribunt, quam deformant, prouenianti in vitæ actiones vituperia, defectuſque illorum ornamentum, quæ ex dogmatibus orthodoxorum oriuntur. Diſcrepant a nobis in ipſa radice, proinde nihil inſoliti, ſi quo ad effectus ipſius Chriſti in nos impreſſos, alias ex oppoſito ac plane diuerſas formas, mores eorum induere videantur. Eorum enimuero Chriſtus nihilo melior quod ad idæam nobilis alicuius præſtantiæ, *Marte* aliquo, *Vulcano*, aut *Ioue*: imo fortaſsis eis fabulis inferior. Non eſt ergo quod in eis expectemus vitæ decora, quorum dogmata Theologica, Ethnicorum decreta, ſua excedant immanitate. Quamobrem Proteſtantes quo ad Deum ac Chriſtum Catholicis aduerſantes, vtroſq; prorſus repudiant, & in eorum locis mera idola ſuorum conceptuum reponunt. *Sicut nationes manibus*, ait *Tertullianus*, *ita & heretici verbis idola fabricantur: id eſt alium Deum, & alium Chriſtum.*

Tertul. cont. Praxeam.

CAPVT. VI.

Sapientia cum ſacra tum ciuilis haud exiguum munus, recte de Beatiſſima Virginis Deipara Maria: iuxta ac de Sanctorum dignitatibus, atque excellentijs ſentire. Ex quarum rerum diſcuſſionibus, Catholici ſacri ac ciuiles, Proteſtantes impii atque inciuiles renunciantur.

Damaſcen. de laud Deip. S. Tho 3. p. q. 27. art. 4.

QVæ a Deo fiunt, ſicut in ſe perfectiora, & ad nobiliores fines ab ipſo deſtinata, ita propius ad illum quadam vicinitatis analogia accedunt, nobilioribuſque qualitatibus exornantur, vt obſeruant *Damaſcenus* & *S. Thomas*. Hinc Angeli, expreſsiſsimæ ipſius imagines: vt pote ratione ſuppoſitorum abſolutorum ſubſtantiæ ſpirituales & intellectiuæ: quo & hominum animas, quantum ad vim diuinæ imaginis, excedunt, prima ſiquidem lumina ab immenſo Dei lumine prodeuntia, vt a *S. Dionyſio* merito appellantur. Cælum, quod in elementa, mixtaque, quoddam dominium cauſæ vniuerſalis obtineat, idcirco qualitate purum, lucidum, ſtellis inſignitum, figura nobiliſsima, nempe circulari, expanſum, immortale pulcherrime in oculis noſtris Dei lege collucet. Corpus humanum, quod animæ rationalis receptaculum & veluti mundi totius periodus, vltimo loco a Deo creatum: terræ & elementorum in ea epitomen, vt notat *S. Ambroſius*, eo antequam eſſet per peccatum deformatum, mira quadam præſtantia inter alia ex terra ortae nituit. ob quam cauſam idem *S. Ambroſius* humanum corpus eleganter comparat lectulo *Salomonis*, ex lignis, auro gemmiſque conſtanti. In cuius molitione, mira quadam arte naturam iudicabimus elaboraſſe, ſi in eo ſpectemus delicatiſſimam temperiem inter cætera tactus, vtpote cum rationis in eo ſingularis inſtrumenti, tum etiam luculentiſſimi eiuſdem iudicij. *Hinc in homine*, ait *Ariſtoteles*, *ex hoc ſenſu, excellenti ingenio atque tardo ſunt præditi, ex alio non ſunt.* ob quam cauſam inter reliqua animantia veteres appellabant hominem [illegible]. *Tertullianus* diſſerens de humani corporis elegantia, quo vt eſſet animæ receptaculum parabatur, hæc intulit. *Non es diligentior Deo, vti tu quidem Scyticas, & Indicas gemmas, & rubentis maris grana candentia, non plumbo non ære, non ferro, ne argento quoque oblaquees, ſed electiſsimo & inſuper operoſiſsimo deſcrobes auro. Vinis item & vnguentis pretioſiſsimis quibuſque vaſculorum prius congruentiam cures: proinde perſpectis ferraginis gladiis, vaginarum adaques dignitatem: Deus vero anima ſua vmbram, ſpiritus ſui auram, oris ſui operam, viliſsimo alicui commiſerit capulo, & indigne collocando, vtique damnauerit?* Hinc idem appellat corpus humanum *Adflatus diuini vaginam, molitionis ſuæ reginam*. Ex quo affirmat *Philo*, Deum in fabrica huius vniuerſi imitatum peritum artificem, qui in operis principio ac fine artis ſuæ, omnes vires ſolet exercere: hoc enim in cæli, hominiſque fabricis viſus præſtitiſſe. Quod ſi a naturalibus ad moralia tranſeamus, pariter animaduertemus, ad nobiliores vſus a Deo relata, ea ſemper eſſe in ſe præſtantiora. hoc indicarunt templi Hieroſolimitani egregia ſtructura & ornatus: quandoquidem ille locus ad Deum ipſum ſuſcipiendum & colendum inſtitutus. Prophetæ, Apoſtoli, ac qui alijs ſalutis auctores fuere, ſingulari ſapientia & ſanctitate diuinitus nobilitati floruere. Chriſti Domini humanitas in ſe exceptura diuinitatem, omni genere dignitatis & ſanctimoniæ conuenienter pleniſſima illuxit. Nam ſi gemma precioſiſsima non niſi aureæ palæ inſerenda, quid exiſtimandum de humanitate Chriſti, quæ diuinitatis gemmam ſeu adamantem ſuſceptura? Recte idcirco Doctor Angelicus diſſerens de gratia collata Beatiſsimæ Virgini, ac de eius excellentia, intulit, ſummam eſſe: eo quod ipſa Deo vicina, ac directa ad finem præſtantiſsimum: vt pote vt eſſet mater Dei; & vt peculiari modo ad mundi redemptionem eidem cooperaretur.

Ambroſ. l. de Abraham.

Ambro. l. 3. de Virgin.

Dionyſ. l. de Theol. c. 4.

Ariſt. l. 2. de Anim. c. 9.

Tertull. l. de Reſur.

Tertull. de Reſur.

Philo. l. de mundi fabri.

S. Thom. 3. p. q. 30. art. 1

2 Quod ergo Beatiſsima virgo diuinitus inſtituta, contra peccatum vt eſſet ſingulare antidotum, idcirco ab eius omni contagione alieniſsima. Sic enim victoriam extulit in ſerpentem, ſic in illum dipugnauit, vti ratione peccati nunquam fuit ab illo debellata. *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Obſeruatum, diuinam prouidentiam ea adhibuiſſe vel in caſtigationē peccati, vel eius curationem, quæ eiuſdem ingenio maxime contraria. Primi parentes voluptatis plus iuſto appetentes, einſque guſtu ſordidati, Cherubini, gladium igneum vibrantis, ſpectaculo coerciti: in terram ſpinas ac tribulos prolaturam relegati. at quid eiuſmodi cherubino, gladio, ſpinis ac tribulis cum voluntatum

Gen. 3.

tum blandimentis fecibuſq; impuriſſimas illas nephandaſque Sodomorũ libidines, igniũ globi de cœlo dilapſi, coercuere. Verum ignis, qui apud omnes gentes caſtitatis ſymbolũ, cum illa carnis proluuie maximè dipugnare iudicetur.

Gen. 19.

Homines vario & multiplici ſcelere coinquinati, viam ſuã, vt ait Scriptura, corruperant. at eis tibi, aqua illimis, nubibus expreſſa, quæ ad emaculandum apprime comparata, tantas impuritates vindicauit. Peruerſum illud & ſiliceũ *Pharaonis* cor, rubrũ mare perfregit. manſuetiſſimus *Moyſes* duræ ceruicis Iudæos perdomuit. ſuperbam ac potentem ſtatuam ex varijs metallis coaliſam ſimplex lapillus apud *Danielem* conſtruit. Mundum hunc vniuerſum faſtu turgidum, voluptate diſſolutum, humilis ac virgineus Chriſtus ad virtutem ac ſanctitatem reparauit. Chriſtianum genus paſſim venere violatum, puniuit gens Gothica, vt notat *Saluianus*, ab incontinentia auerſa. Idcirco quod lectiſſima hæc Virgo in omne genus peccati remediũ, ea ex cauſa ab omni peccato remotiſſima.

Gen. 28.

Dan. 20.

Saluian. lib. 4 de Iudicio.

Oroſ. l. Hiſt.

Et velut in ſpinis mollis roſa ſurgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremque obſcurat honore:
Sic ſancta nunc de ſtirpe ſacra veniente Maria,
Virginis antiqua facinus noua virgo piaret.

Sedul. carm. de expul. Adam.

Adam inquit *S. Ambroſius. terra virginea natus eſt. Chriſtus de matre Virgine procreatus: illius maternũ ſolum nõdum ſciſſum fuerat, iſtius maternam ſecretũ nunquã eſt cõcupiſcẽtia violatũ. Adã Dei manibus plaſmatur e limo. Chriſtus Dei ſpiritu formatur in vtero.*

Amb. ſerm. 37.

4. Quo terra hæc noſtra nobiliores fructus, vtpote crocum ac ſimilia proferat, eo purior, eo defecatior, eo diligentiori cultura ad vim generandi excellentiorem adducenda. Cum ergo ſemen virginis, quod natura angelica nequiuit, vt ait Apoſtolus *Paulus*, apprehendit fructum ſeu florem æterni Patris, & effecit fructum & florem vteri ſui, talem fructum germinans, vt aſſerrit idem Apoſtolus, *Accepit benedictionem a Deo*: eam nempe, qua idonea eſſet mater tali Filio, idoneus paradiſus tali *Adamo*, idoneum cœlum tali Deo. Ecquis fructus iſtius terræ! an non Deus, & idem Deus, qui fructus diuinæ in Patre mentis! quo pacto terra non ſolum agricolæ effudit fructus tempore ſuo, quinimo ipſũ agricolam parturiuit & in fructu habuit. Quæ hæc Dei bonitas, vt mater Dei veniat ad nos, vt mater Dei ſit Filia noſtri generis, ſit eccleſiæ aduocata! quando itaque delectus a Deo Patre erat faciendus huiuſce particularis virginis, omnibus alijs in mundo præferendæ, quæ mater Dei futura, tunc oculus & cor Dei vndiquaque vniuerſas in orbe terrarum virgines quodammodo luſtrarunt: perinde vt facit apis, ſi ita loqui liceat, quæ per varios flores volitat vt ex vno precipuo mella delibet: tandem vero incidentes oculi ſeu mentis ſplendores, & æſtus cordis, in hãc virginem, ita oculus eam inſpexit vt admirabiles radios decoris in illam conijceret, aptumque obiectum redderet, cuius inſpectu Deus ipſe delectaretur. non enim vt in nobis oculus ſui obiecti pulcritudinem ſupponit, ſic in Deo oculus pulcritudinem præexiſtentẽ quærit, ſed adſpiciendo ſuũ obiectũ veniſtũ facit. Similiter in eamdẽ virginem cor Dei admirabili amore exarſit, & eodem talis amoris flammam in eam immittens, diuino amore dignam reddidit. Quod ergo oculus & cor Dei deferebantur in hanc virginem, quæ mater filij ſui conſtituta, quæ Deum paritura & hominem, quantam obſecro, vim luminis & Charitatis in eam oculus & cor Dei intulere! Mutuata eſt itaque Beatiſſima virgo ab oculo Dei ſummum lumen intelligentiæ, ab eiuſdem corde ſummum æſtum amoris. & cur non ſumme intelligens, quæ increatæ intelligentiæ mater? Cur non ardentiſſime amans, quæ ſpiritus ſancti, qui Dei patris ac Filij amor, fornax, thalamus, ſponſaque? Diuiniſſima idcirco virgo, oculũ dei Cherubinus nitore, cor eiuſdem imita, Seraphinos æſtu ſuperauit.

Heb. 2.

Heb. 6.

Luc. 2.

Ath. de deip.

Greg. N. z. Trag. de chr. patien.

5. Sacer quidem Euangelij textus, & hiſtoria Apoſtolorum, tametſi pro maieſtate inſtituti ad Chriſtum Dominum deſcribendum præcipuũ ſcopum habentes, plene & ſingillatim de Beatiſſimæ Virginis ornamentis diſputationem haud inſtituere, non fuerit tamen quod hinc arbitrentur Proteſtantes, vulgarem ſolummodo illius extitiſſe conditionem: etenim ea nihilominus ſummatim ac diſtincte ingerunt, quæ quantum ad ſententiæ momenta ac pondera, in Deiparæ Virginis laudes grauiſſima, vberrimaque. Refert Euangelium ex teſtimonio Angelico eam gratia plenam. *Aue gratia plena*. Teſtatur idem, virginem adeo tam gratia, quam natura ſublimem, mira humilitate Dei mandatis ſe ſubiecſſe: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Hanc ipſam humillimam eſſe matrem Dei renunciat: *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Virginis huiuſce canticum, in laudem Dei compoſitum, diuino plane ſenſu grauidum, conſignatum literis reliquit. Recolit Euangelium, Beatiſſimam virginem auditis ſuis præconijs ex relatione Paſtorum, ſiluiſſe, non ſe iactaſſe, ſed cuncta in ſuo corde ſecum contuliſſe. Idem teſtatur, curaſſe Beatiſſimam virginem, filium ſuum circuncidi: & in eius cruore, cum diuinitate & innocentia ipſius, ſuam quoque maternitatem, qua mater Dei, abſcondiſſe. Idẽ Euangeliũ narrat, eandẽ virginẽ ſibi diuinitus indulto priuilegio templi religioni exemptã, nihilominus ibi ſuum Filiũ præſentando loci legibus obſequenter paruiſſe. *Obtulerunt pro eo par turturum, aut Duos pullos columbarum.* Teſtatur Euangeliũ, curã valde ſedulã, cum ſumma cordis teneritudine coniunctã, adhibuiſſe ſacratiſſimam hanc virginẽ in Filij ſui educatione: *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Prodidit, tantum Filiũ, Virgini matri obſeruantiam præſtitiſſe. *Et erat ſubditus illis.* Denunciauit, cum primo ſuo miraculo probare voluiſſet Chriſtus ſuã diuinitatẽ aquã in vinũ mutando, præſentẽ adfuiſſe virginẽ *Mariã*, iuxta ac ex ſumma charitate ei dixiſſe, *Vinum non habent*. quo cũ argumẽto diuinitatis, manifeſtabatur etiam per Chriſtum matris dignitas, qua Dei & hominis mater a conuiuis, adeoque a toto mundo, habenda. *Et erat ibi mater Ieſu.* Quo etiam in loco non modo miniſtris conuiualis menſæ, ſed etiam toti orbi terrarum ſaluberrimum dedit conſiliũ dicendo: *Quodcunque dixerit vobis, hoc facite.* Idem E-

Luc. 1.

Luc. 1.

Luc. 2.

 uangelium

uangeſium fidem nobis facit, vi amoris ſimul ac fortitudinis conſtantia repletam Virginem, cruci, in qua pendebat Filius adſtitiſſe. Erga quam tanta pietate Filius tunc accendebatur, vt ſuimet quantumuis oblitus, illius tamen curā egerit tenerrime, eā dilecto ſuo diſcipulo *Ioanni* cōmēdādo. ac quo inter eos poſt ſuū obitū exſiſteret ardentior charitas, de ſuo quaſi legauit matri, ſimulq; de ſuo legauit diſcipulo: Matri quippe in Filiū *Ioannē*, viciſſim Ioāni in matrē *Mariā* cōſtituēdo: *Mulier ecce, filius tuus. Ecce mater tua.*

6 Hiſtoria quidē Apoſtolica ſcriptū reliquit, hanc ipſā ſacratiſſimā Virginē, Chriſto iā in cælos ſublato, Apoſtolis Spiritus ſancti aduentum præſtolantibus, adhæſiſſe, cū illis orationi & ieiunio inſtitiſſe; demū cum illis Spiritū Sanctū, sub formis linguarū ignitarū deſcēdentē, accepiſſe. quo prægnatū omnino, futuros Eccleſiæ Paſtores in Virginē ſumma deuotione accenſos ac cum illa affectu coniunctiſſimos, vtpote Eccleſiæ rebus ſua pietate præſidente. Porro eodē ſchemate declaratū, eandē virginē plurimū honoris ac relligionis habiturā ab omnibus Chriſti cultoribus. Conclaue enim illud vt Eccleſiam ſignificauit, ita typū extulit, non alios in ea Spiritu ſancto ornandos, niſi qui ea animi officio, & amore, in ſuo comitatu Beatiſſimā Virginem retenturi. Ad hæc ferme capita reducuntur, quę fuſius & explicatius Patres tam Græcæ, quam Latinæ Eccleſiæ, in laudes Deiparæ virginis ſuis commentarijs diſputarunt.

7 Ex quibus vt aliquid ſuccinctè eliciā in præconium Beatiſſimæ Virginis, a primo, nempe a plenitudine gratiæ, qua accumulabatur, initium diſputandi ſumā. Cum iam inter omnes in toto mundo virgines, illa vna a Deo Patre electa, quæ eſſet mater Filij ipſius, congruū omnino, propter ſublimitatem talis finis, in quē inſtituebatur, gratia fore plenam, quo idonee eſſet præparata præ omnibus alijs virginibus, ad ſuſcipiendū in vtero ſuo Deum ipſum, omniū gratiæ & perfectionis auctorem. Inuiit quondam Deus a meridie auram, ſeu cœli Zephyrum, ex quo delinquentem *Adamum* ad pœnitētiam voce ſua placide moueret; at auram ſeu Zephyrum paradiſi dignitate nobilitatum. Inhabitauit idem nebulam, in qua Iudæis aliquo modo ſpectabilis appareret; ſed nebulam, templi Sanctitate venerandam. Arcam promiſſionis quoq; ſibi delegit in oraculum: cæterum arcam, quam puriſſimum aurū internis & externis ornabat: arcam, quam Moyſis tabulæ, virga *Aaron* ſimulque vrna mannæ, legiſlatione ſcilicet, diuinoq; edulio opulentam fecerant. Quod ergo Beatiſſima virgo modo eſſet præſtantiori Deum animo & corpore ſuſceptura, vt tali hoſpiti idoneum præberet in ſe locum, vt apta eſſet, quæ mater Dei efficeretur, gratia plena eſſe debuit, cuius gratiæ affluentia, vt ait *S. Gregorius Nazianſenus*, Sancta animo & corpore exiſteret. Quæ quidē gratia, quod ſemen gloriæ, quod diuinæ naturæ conſortem efficiat habentem, vt ait Apoſtolus *Petrus*: quod pluuia Dei voluntaria, vt loquitur Pſalmiſta, a nubibus diuinæ miſericordiæ dilapſa quod fructus ſanguinis Filij Dei; quod gemma tanto precio comparata, cum animam Virgi-

Gen. 2. | 3 Reg 5. | Exod 25. | Gregor naz. orat. 2. de paſcat. | Luc. 8. | 2 P 1. | Pſal. m 67.

nis repleuerit, quanta precor, illam fecit dignitate conſpicuam: quippe plenam diuinæ naturæ participatione, plenam imbre cœleſtis beneficij: plenam floribus, fructibus, ac gemmis virtutum, ſanguine Filij Dei procuratis! Nullus quidem poteſt brachijs ſuis ſolem ipſum complecti quin ab illo inſigni radio illuſtretur. pari modo beata Virgo amicta ſole, nempe ſolis ſubſtantia; ſimulque virum circundans, qui & ſol oriens, gratiæ eximio ſplendore a tali ſole eiaculatu, ad immenſitatem vſque plenitudinis redundabat. Datura erat Filio Dei virgo hæc glorioſiſſima, puriſſimi ſui ſanguinis virginale coagulum, præbitura eidem in ſuo vtero receptaculum, largitura illi ibidem nutrimentum ſubinde lac virgineum, quod mox mutandum in ſanguineum, qui redemit mundum: quid ni ergo illi matri daret tantus Filius gratiæ ſuæ copiam, ſuper omnem aliorum ſiue hominum ſiue Angelorum ex eadem menſuram? Munus non offert quis Principi, niſi mundis manibus, nitidoque, vt fieri ſolet, apparatu commendatus. proinde quod Beata Virgo ex ſuo ſanguine concretam purpurā, qua diuinus *Salomon*, quippe æterni Patris Sapientia, veſtiendus eſſet, ſuppeditatura, vt puram veſtem dedit, quæ puriſſimi agni Dei vellus, aptamque ſubminiſtrauit, qua induceretur ab ipſa ſol puritatis, ita hoc muneris præſtitit animo & corpore ea gratiæ plenitudine puriſſimis. Cœlum, teſte *Ariſtotele*, ideo a veteribus aſcriptus Deo locus, quod puro Deo purus locus conueniret. Idcirco cum locum ſibi delegerit Deus in vtero virginis, purum, dubio procul appetijt clauſtrum ipſe omnium puriſſimus: non quidem in ſublimi poſitum, ſed in valle humilitatis depreſſum: vt intelligamus, non ſolum eſſe purum & iſſime, quod in alto, ſed etiam id quod in imo. Vallis ſubſidebat in virgine, ab ipſamet profeſſa ancillaris condicio ad Deo obſequendum: *Ecce ancilla domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*: in quam vallem proinde, vt ingens vas ex auro concauum, nullo humore præoccupatum, deſuper de cœlo decidit plenitudo gratiæ. Et quidem magnam vim ſuæ gratiæ contulit Deus in omnes ab ipſo creatos Angelos: id enim requirebat ſtatus in ipſis dignitas, qua Deo erant ſimillimi. *Adamo* pariter recens plaſmato ingens copia gratiæ infuſa: quippe generis humani parenti ac capiti quid ni ergo gratia plena eſſet Beata Virgo, Deo, nempe verbo incarnato, natura, vultu, actione ſimillima, ſalutis pro toto genere humano auctrix, Redemptoris ipſius genitrix: imo illa, quæ ex ſuo illum agnū mundo donauit, qui ſolus perditum noſtrum genus ad ſanctitatem ac beatitudinem potuit ſua morte ac merito reſtaurare?

In te miſſa fluunt, & quæ diuiſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

8. Cum porro ſciret iam ipſa futurum, vt ad matris Dei culmen, ac conſequenter ad gratiæ plenitudinem, ad cœli ac terræ regimē, ad ſummam ſalutatem in cœlo, ad maximos honores ab Eccleſia tam triumphante quam militante ipſi deferendos, deſtinaretur: euenturum, vt caro ipſius ad dexteram Dei in cœlo eſſet collocanda

Apoc. 12. | Zachar. 6. | Ariſt. lib de mundo. | Luca. 1. | Auguſt. lib 14. ciu. cap. 11. lib. 12. c. 9. | S. Thom. 1 part. q. | Claud. l. de laud. ſtill.

collocanda: vt Filius eius eſſet Dominus Domi-
nantium, ac Princeps Regum terræ: nihilomi-
nus hoc ſui immenſū licet, conferens cum Dei
maieſtate, ita animo & corpore tota ſubſidit,
vt dictorum ornamentorum quaſi oblita, ſe deo
tanquam ancillam exhibuit ſeruituram. *Ecce an-
cilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Ta-
metſi ſui ſanguinis ſummū decus in eo perſpexit
quod filius ipſius ſeſſurus in gloria ad Dexterā
æterni Patris, nihilominus maius ac nobilius re-
putauit, eumdē ſuum ſanguinē in cruce mundū
redempturū, in tumulo mortē deuicturū. in iſtis
plus de ſuo admiratus violam mortis, roſam re-
ſurrectionis, quam ſolis in altero gloriam. nihilo-
minus hæc animo meditata, dixit, *Ecce ancilla
Domini.* Quā eximia altaque Dei cognitio in a-
nimo iſtius virginis ſplendebat, quæ tantam, in
tanta ſublimitate in eadem peperit humilitatē?
vel maxime enim animi dimiſſio a cognitione
Dei propagatur. Vt enim luna eo plenior, quo
a ſole remotior: ita eo anima Dei gratia ditior,
quo ex notitia ſui ac Dei, longius ſe diſtare cog-
noſcit a diuina infinitudine. *Propterea* canit *Da-
Pſalm. 41. uid, Memor ero tui de terra Iordanis & Hermonii a
monte modico.* Vt enim hoc *S. Auguſtinus* interpre-
Auguſt. in tatur, qui Dei memores, & illius magnitudinis
Pſalm. 41. intellegentes, ij incolæ ſunt Iordanis: nempe
Chriſtiani ſeu Baptiſati, quod Iordanus ex
Mat. 2. Chriſti Baptiſmo celebris: qui itidem Religioſi,
ad imitationem Sanctorum habitantium iuxta
ripas Iordanis, qui frequentiores etiam in mon-
te modico: ſcilicet occupati in ſtudio humilita-
tis, qua animis deſcendendo aſcendit ad Deum.
9. Quando vero ſemel enunciatur, *Mariā Vir-
ginē* illam eſſe, de qua *Natus eſt Ieſus qui dicitur
Bern. ſerm. Chriſtus*; quid, vt animaduertit *S. Bernardus*, vbe-
de aquæ rius ad eius laudes ab vllo oratore, vel Angelo
ductu. Aug. proferri potuit? Vnio hypoſtatica in Chriſto,
Euch. cap. 4. vt iam diximus ex *S. Auguſtino* gratiā ſubſequu-
tam reddidit ei naturalem: ſimili modo poſt-
quam hanc Virginem, matrem Dei eſſe animis
conceperimus, illico nihil tam magni infra
diuinitatem, ac Chriſti humanitatem, noſtris
cogitationibus occurret, quod in ea affluere ſū-
Anſel. laud. mo iure haud iudicemus. Excedit prorſus omnē
Deip. in nobis admirationē, ex virginis iſtius ſangui-
ne coalitam carnē, vnitate perſonæ quaſi con-
ſtringere Filium Dei, nexu indiſſolubili cum il-
Iſa. 6. lo coniungi, tanquā forcipē, eū velut ignitū cal-
culū, viſum a Propheta, tenere, adeoque hanc ip-
ſam carnē ab ipſo pariter deificari, ob quā Vir-
go mater Dei exiſtat ac nominetur. Bene ſibi
ſucceſſiſſe reputaret mulier aliqua textrix, ſi mo-
do cerneret ſuarū manuū opificio Imperatorē
celebrioribus feſtis paludatū in publicū prodire.
Quātā vero felicitatē ſibi accidiſſe cogitare po-
tuit Beatiſſima Virgo Filiū Dei triumphantem
intuens ſui ſanguinis ſubſtantia perſonaliter a-
mictū? ſimulq; aliquid illius maximi ſe iam eo-
dem participaſſe, nempe parētis quo ipſe Deus
Pater ſingulariter inclareſcit; eiuſdē Filij mater
exiſtēdo, cuius ille Pater, eandēq; perſonā, Filiū
eū æterni Patris, tū etiā ipſius Filiū agnoſcendo
efficiendoq;? Enimuero huiuſmodi virginei cor-
poris a diuinitate contactus & ad diuinitatē ac-
ceſſus, inter animā Beatiſſimæ Virginis, ac ipſā
diuinitatem, calentiſſiā excitarunt conuerſionis
mutuæ charitatē. Si enim acus nautica aliquid
ab adamante hauſtū inſugēs, ſe protinus ad po-
los conuertat, mundiq; immobilia puncta im-
mobiliter reſpiciat, æquius, beatā Virginē hoc
pacto a diuinitate contactā, ad Deū ſummo a-
more ſubinde fuiſſe conuerſā, & illi, veluti ſolis
vultui, inſtar heliotropij perpetuo feruore amori
obuerſā. Filius autē Dei viciſſim diligit ardēter:
carnēquā ſibi hypoſtatice adaptauit: nemo enim
nedū Filius Dei, *Odio carnē ſuā habet, ſed nutrit ac
fouet eā*, vt ait Apoſtolus: quo etiā diligit & ma- Ephes. 5.
trē, ex cuius vtero illā carnē delibauit; nam in
vniuerſū, Filio naturale, matrē peculiari amore
complecti: cuius vim ac legē primum extulit ac
condidit hic idē Dei Filius. ideoque hac ex par-
te ſua lege, natura præualente, teneri voluit in
terris, cœliſque, ſiue mortalis hic laborauerit, ſiue
immortalis ibi in gloria triumpharit: æterna &
immutabilis ſiquidē lex, qua Filius iubetur ma-
trē cū diligere, tū honorare. qualis virginis ſub-
limitas, cui a Deo ipſo honor amorque debētur!
Et quidē myſterij iſtius interuentu, Beatiſ-
ſima Virgo multis quidem modis ad nos relata,
noſtrū in ſe pietatis affectū omnino ſibi iure de-
bitū poſtulare videatur. Si enim animis plurimū
lætemur, adeoque cordibus ardeamus, credētes
humanitatis exuuias, Deū ipſū in nos placabili-
orē, ſuauiorēque reddidiſſe, carnē Virginis, iu-
cundū ſimul ac amabile ſpectaculū nobis eodē
proponimus. Si corpus ac ſanguis Chriſti in
conuiuiū delicijs pleniſſimū nobis inſtrui repu-
temus, corporis ac ſanguinem Virginis fructum
nos tunc deguſtare ex illo commedentes ac
bibentes, eſt quod omnino ſtatuamus. Si pen-
dentem in cruce Chriſtum pro nobis precioſum
effudiſſe cruorem, eoque mundum rede-
miſſe pie amantes, dolenteſque contemple-
mur, Beatæ Virginis ſanguinem eodem cogita-
mus in valorem tanti meriti ac ſacrificij erum-
pentem & exuberantem. Si nobis gloriæ, iuxta
ac conſolationi ceſſiſſe exiſtimamus, quod natu-
ra noſtra in Chriſto, mortem reſurgendo ſupe-
rauerit, quod ad dexteram Patris aſcendendo
triumphauerit, nobiſque noſtri præmij digni-
tatem oſtenderit, quod inde venturus iudi-
care viuos, ac mortuos, Beatæ certe Virginis
ſanguinem, hiſce magnis ornamentis fulgen-
tem, tantaque bona in nos refundentem, pen-
ſitamus. Si ingentem numerum Sanctorum, Ioan. 15.
veluti palmitum a Chriſto vite prodeuntium:
tanquam flores diuerſorum colorum circa fon-
tem in paradiſo vberrime creſcentium, mente
circumſcribamus, eos omnes a ſanguine virgi-
neo, ab eius alto puteo, ab ipſa, vt a *Sara* pro-
genitrice manaſſe comperiemus. *Salue per* Cir. hom. 6
nos, inquit *Cirillus*, *ſancta Deipara, precioſuſque
totius orbis theſaurus, lampas inextinguibilis, corona
virginitatis, ſceptrum noſtræ doctrinæ, templum in-
ſolubile, locus eius, qui loco capi nequit: mater & vir-
go, per quam in Euangelio benedictus inuenitur, qui
venit in nomine Domini.* Luc. 19.
10 Quæ quidem omnia bona adeo fuere hu-
militatis ſaburra librata in Beatiſſima Virgi-
na, vt nullo flatu vanæ gloriæ turbari ne-
dum diſſipari potuere. Cum enim Sancta

Elizabetha titulo diuino matris Dei eam honoraſſet, eiuſque dignitatem veraci ac ſincero telatu propalaſſet: iuxta ac obſtupeſceret, dum videret, matrem Dei ad ſe officij cauſa aduentaſſe, ad auditum tamen præconij minime intumuit Beatiſſima Deipara, non ad ſaltum *Ioannis* in materno vtero ſe extulit, ſed potius ancillæ Domini punctulo cuncta definiens, recolligenſque, laudem ac Decus omne in Deum cantando refudit. Qua ergo pietate, quo animi gaudio celebranda a nobis virginis memoria, nos docuere tam mater grandæua *Elizabetha*, quam *Ioannes* infantulus in eius vtero; quaſi in vnam ſententiam laudis iſtius, tenera ætate, & ſenecta, luce & tenebris, vita ac morte, principio ac fine, oris voce, geſtuque corporis concinentibus? illa quidem ampliſſimis verbis matrem Dei adeſſe diuulgabat: iſte ſaltu in matris vtero idem ſignificabat: ambo in ſuo vnoquoque genere, feſtinam in præconium virginis veluti Rhetoricam exercuere: *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Vox, quæ affectum redolet, mirifice potens ad commouendum animos: Proinde vox Beatiſſimæ Virginis non ſolum animum lætum reddidit *Elizabethæ* matris, verum etiam corpuſculum filioli *Ioannis* in tripudium excitauit: quandoquidem fumus erat hæc vox quodammodo, ex aromatibus omnium virtutum euaporatus, quæ in eius ſanctiſſimã animã copioſiſſime diuinitus cõgeſta & accumulata. *Elizabetha* ſecũ cogitans interuallum illud immenſum, quo a matris Dei perfectione diſtabat, admirabunda exclamabat: *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me!* Beatiſſima autem Virgo pariter cogitatione ſua dimetiens ſpatium, quo reſpectu Dei, ſubſidebat, ſummo animi dimiſſi affectu cecinit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Cuius cantus diuiniſſimi ſententijs elucidandis impræſentiarum ſuperſedemus, de illis Deo bene dante, in *Chriſto Coruſcante* fuſius tractaturi. Solum hoc inculcandum duxi, quod cecinit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: quo, vt adnotauit *S. Epiphanius*, partes egit Prophetiſſæ. etiamnum enim Chriſtiani, quo maiori fide & calentiori charitate erga Chriſtum adficiuntur, eodem maiorem pietatem Sanctiſſimæ Virgini per orbem terrarum exhibent, peculiarem beatitudinis formam ei ineſſe credunt ac deprædicant. Cum idcirco beatitudo, diuina gratia, virtute, ac gloria in cœlis conſtet, ob eam cauſam ex iſtis beata Virgo precipuo quodam modo ſe beatam appellandam ab omnibus dei cultoribus, vbique loci talem agnoſcendam, iuxta ac celebrandam ipſius beatitudinem, præcinuit. Quid hoc amplius ad ſanctitatem, & ad gloriam Virginis prędici potuerit? Beata habenda ab omnibus gentibus, non quod proſpere bona iſtius vitæ ei ſucceſſerint: non quod ad mundi ornamenta feliciter adſpirauerit: quorũ reſpectu, vt ait *Seneca*: *Propè eſt rerum omnium terminus, prope eſt inquam, & illud, vnde felix deijcitur, & illud, vnde infelix emittitur*: non beata ad nonnam *Aglai*, quem vnicum inter mortales beatum iudicauit *Cortina*, teſte *Solino*: *Qui in angustiſſimo Arcadiæ angulo pauperis ſoli Dominus nunquam egreſſus paterni ceſpitis terminos inuenitur*: ſed beata dicenda ab omnibus gentibus, etiam extra imperij Romani fines politis, ob vera, æternaque animi, iuxta ac corporis bona.

Luc. 2.

Epiphan. Ancor.

Senec. epiſt. 109

Solin. lib. 1. cap. 7.

11. Magnum porro fuit, lectiſſimam hanc virginem, auditis eis, quæ narrabantur a Paſtoribus, verbis haud ſe extuliſſe, ſed potius ſilu iſſe, animi meditatione, cordiſque adfectu honorem ſoli Deo conferri voluiſſe. qua in re omnes plane partes expleuit mentali opere Deum orantis. etenim imprimis ſilentium hoc virgineum, fuit religioſa ſui dimiſſio coram Deo: qualem olim Prophetæ, dictis vaticinijs requirebant a populo: *Et ſileat omnis caro a facie Dei.* Deinde eodẽ ſilentio ſe ſtrictiſſime recollegit in Deum, non permittens vim animi per eloquia circa alia obiecta diſſipari. quemadmodum enim flos nocturno tempore turbinatus, neu quicquam ſui exhalat, ita virgo hæc ſilentio compreſſa, nihil ſui inter laudem præconia vanitati concedendũ exiſtimauit. poſtremo paſtorum narrata ſecum cõtulit, ſeu *συμβάλλουσα* hoc eſt, ſyllogiſmo colligebat. & vbi hoc præſtitit? *In corde ſuo*: non in curioſa mentis agili opere, non in coacta aut ſimulata aliqua eiuſdem virtute, ſed in corde, nempe in loco amoris, in loco optimæ intentionis. meditando ſcilicet amabat, ardebat, ſuauiabatur, flammis cordis ipſum Deum complexa: quo intelligamus, non vtero ſolum ſed etiam corde eam Numen concepiſſe. in vtero per nouem menſes portauit, at in corde per omnem æternitatem conſeruabit.

Abac. 2. Zach. 2.

12. Hæc ipſa porro tantum abfuit a ſuperbia, quæ in altũ contendẽdo in imum eodem cadit, vt dicunt *S. Auguſtinus*, & *S. Gregorius*, vti potius in ſublime euecta, ad imum humilitatis ſe dimiſit. enimuero iure maternitatis, quo mater Dei, templi ritibus ſuperior, eorumque legibus exempta; nihilominus ac ſi vulgari ritu Filium impura peperiſſet, circumcidi fecit. Templum mox adit, in quo filium redimi, ac ſeipſam voluit purgari vt enim, quod obſeruat *S. Bernardus*, humana natura reddidit filium Dei minoratum ab Angelis, ita circumciſio eum depinxit ſpetie peccatoris: proinde Beata virgo ex ſua ſumma humilitate videri voluit mater hominis non Dei: Mater peccatoris, non agni immaculati. Hoc enim pacto ſummus in ea Dei amor omnem inanis gloriæ cupiditatem compreſſit. Erubuit quodammodo virgo candidiſſima in cruore filij ſui. vt enim color rubeus, teſte philoſopho, ex apprehenſione alicuius dedecoris, ita in circumciſo *Ieſu* cruor referebat formam peccatoris, cuius ſummum dedecus exiſtit. Sic lilium roſa confuſum. verecundia quoque cum dolore coniuncta, quæ ab imaginatione rei turpis, licet in innocentiſſimo, manat. neque circumciſio Chriſti caruit dolore matris. Porro cæremonia Purificationis videbatur maternæ virginitatis non ſolum velamen, ſed etiam negatio, ita vt hac ſaltem vice virgo *Hebræa oblita ſit faſciæ ſuæ pectoralis*. Finguut Poetæ, ſolem nocte ſe immergendo in oceanum, ſordes abluere, quas interdiu ex ſudore contraxerat. Cæterum vero hæc luna immaculatiſſima Beata

Auguſt. in pſal. 1. Greg. l. 1. in Iob. c. 12. in c. 16

Bernard. ſerm. de circumciſ.

Ariſt. lib. 4. Ethic. c. 9.

Heb. 2.

ata Virgo, quæ & magni illius ſolis ſplendore illuxit, quemadmodũ nihil impuri in ſe admiſit, ita oceano, vel tẽpli expiationibus, ad decus recuperãdũ haud indiguit. Ipſa enim templũ peperit, Chriſtũ dominũ diuinũ nempe illius corpus, animæ ac diuinitatis domicilium, longe præſtantioribus ſacrificijs, odoribuſque ſuauioribus addictum, quam illud erat *Salomonis*. Intendere aliquando nequiuere Iudæi in faciem *Moyſis* propter eximium illius ſplendorem: verum ſacerdos templi illius veteris, in cuius vlnis infans Chriſtus continebatur, defigere oculos non potuit in fulgores ſupremos iſtius templi, aut templi fabricatricis Virginis, ſi quos in arcanis continebant, foras emiſiſſent radios: adeo vt cum ille ſacerdos inde totus lucidus factus, tum etiam lex ipſa vmbra quoddammodo inde caruiſſe viderentur. Cæterum vt paruulus filius iſtius virginis natus, maieſtatem in ſe diuinitatis carnis exiguitate occultauit, ſic ad tale prototypon, cum reliquæ virgines ſui floris, aut faſciæ etiam pectoralis, quæ virginitatem ipſarum teſtetur, minime inter alia indicia laudabilis virtutis obliuiſci ſoleant, vt ait Pro-

Exod. 34.

Hierem. 2. pheta, contra virgo *Maria* purificationis legem ſubiens, ſignificationem quandam alijs dabat, immemor faſciæ virginalis, ex partu violatæ integritatis, ſordiumque ex ſecundinis contractarum, quo ad imitationem diuinitatis infantili corpuſculo in filio contentæ, ipſius etiam virginitas latens ſub maternitatis inuolucro, ſub exemplo etiam obſeruatæ legis, delitefceret.

Ambroſ. l. 2. de virgin. *Nec iuſtatur domini mater*, ait S. *Ambroſius*, *quaſi ſecura de merito: ſed quo meritum maius agnouit, eo votum vberius exoluit, officium copioſius detulit, munus religioſius vexit, myſticum tempus impleuit.*

13. Ingenti vero affectu, præ omnibus aliis matribus, Beatam virginem erga filium ſuum flagraſſe, inde conſtat, quod non ſolum filius carnem ex ea deſumpſerit deificandam, ſummoque gradu glorificandam, verum inſuper eam ita ex ipſa deliбauit, vt mortalis Patris alicuius opera in ipſius generatione haud interuenerit: proinde credendum, plus de ſuo ei contuliſſe quam aliæ matres aſſueſcunt. Ex quo factum, quod cum cauſæ in vniuerſum agendo, ſibi effectum ſimilem reddere conentur, tum Beatam Virginem filium *Ieſum* ſibi maxime ſimilem non ſpecie modo, ſed & corporaturæ forma extuliſſe. Spectabat porro hæc ipſa virgo nõ tantum in ſuo filio deciſam e ſuis viſceribus ſubſtantiam, ſed vlterius eandem deitate donatam, cæleſti gratia affluentem, theſauris Dei Patris opulentam, omni virtutum & innocentiæ genere conſpicuam. Mirum idcirco haud eſt, ſi modo tanto filio a matris lateribus vel aliquantiſper dilapſo, mater ab alto gemuerit, tenerrimeque doluerit. Animaduertimus, a ramo decerpto fructu, aut excuſſis foliis, radicem tanquam matrem illico quaſi langueſcere, lamentari, neque tantum ſucci, quantum prius, lætam ſurium ex ſe emittere. Et quidem ſi ratione ac ſermone radix aliqua roſæ aut lilii eſſet inſtructa, videremus eam profecto ob pulcrum florem ex ſe emiſſum plurimum gaudere, lætari, ac ſe mirifice efferre. Radicis ſane loco extitit Beata virgo relata ad Chriſtum, eamque ob cauſam viſu pulcritudinis excellentiæque ſui filij, quem ex ſe exſpirarat, ſupra quam dici poterit, exhilaratam fuiſſe cogitandum: contra, tanto flore ſubducto, quodammodo præ triſtitia exaruiſſe. Radices autem arborum, herbarumque de illo in fructu gloriantur tantummodo; quod eis communicarunt, nihil ab illis reciproce interim accipientes. at vero Beata virgo non tantum amore in filiũ Ieſum accendebatur, quod de ſuo ſanguine aliquid ei dederit, illudque in eo conſpexerit ſed etiam quod, renuente natura, tantus flos radicem aluerit, vegetarit, ac plane beatam exhibuerit. Doluit proinde radix amiſſo fructu: doluit riuus amoto fonte: doluit virgo *Maria*, aliorſum vel aliquantiſper diſcedente filiolo.

14 Idem Euangelium teſtatur. *Ieſum* Dominum puerum, & adoleſcentem ſubditum fuiſſe virgini Matri, quo ſingulari priuilegio viſa, ſupra modum, a nobis idonee concipiendum, nobilitari. Non quidem ſubdebatur Deo Patri tantus filius, quandoquidem illi æqualis: non ad manum ei adſtabat inferior, cum in eius ſinu eſſet collocatus conſubſtantialis. verum ille idem virgini matri ſubditus, & ſub eius poteſtate conſtitutus! quid hoc, quod mater Virgo ſibi retinuerit ſubditum Deum, digniorem que naturæ partem eo retinuerit! An non Deus Pater ideo præſtantia infinitus, quod ei filius Deus æqualis? An non tunc Virgo mater ob gratiæ plenitudinem, vitæque ſanctitatem, digna & apta ad quandam immenſitatem doni, cui filius Deus ſubderetur? Sedit Deus ſuper Cherubin: at ideo ſancti Cherubini, quod deum auctorem ſanctitatis tanquam ſedes portarent. Subditus Deus Matri vel ex eo ſanctiſſimæ, quod omnis ſanctitatis fontem ſibi ſubditum tanta mater obtinuerit. Habet in ſe ideas Deus, quas intuitus ſubinde quod opere molitur affabre effingit. Hic vero Deus ipſe in virgine matre ideas externas præceptionum maternarum conſpicatus qui Patri Deo, ille idem Matri Virgini, obſecundatur, & ab ea idealem normam agendi obſequentiſſime imitabatur.

Luc. 2. Phil. 2. Ioan. 10. Ezechiel. 10.

15 Quam porro amans fuit Dei paræ virginis ingenium, id inter multa, ex eo liquet, quod miſertus pauperis conditionis eorum, qui Chriſtum & ipſam inuitarant ad conuiuium nuptiale, Chriſtum admonuit, dicendo, *Vinum non habent*. Vere ab Eccleſia hinc nuncupata, *Mater miſericordiæ*. Diuina etenim gratia vti naturæ indoli accommodatur, ita Beatiſſima virgo, animo muliebri, ſcilicet beneuolo, pio, indulgenti prædita, ita a filio ſuo eã accepit gratiam, quæ ipſius indolem ad compaſſionem, ad pietatem promoueret: vnde Eccleſiæ vniuerſæ iam ſuaue, mulierem virginem, ac matrem Dei, in cælo pro ipſa ſupplicantem ſuſpicere: quo etiam indicauit, ſe non eſſe auctricẽ vini principalem, ſcilicet gratiæ diuinæ, dandæ hominibus, ſed Chriſtum: ex quo veluti ex botro in torculari Crucis omne vinum eiuſmodi exprimendum: & propterea Chriſtum compellauit, a Chriſto petiji illorum pauperum beneficium, dicendo, *Vinum non habent*. In qua peti-

Ioan. 2. Gen. 40.

tione eum charitate ingenti, eximia quoque humilitas apparuit. O Virgo Sacratiſſima, paulo ante deerat vniuerſo mundo vinum charitatis, vinum ſolidæ lœtitiæ, proinde tu ex tuo ſanguine hoc vinum nobis propinaſti. quod dixit Ioan. 5. ille miſer Paralyticus, *Hominem non habeo*, idem Exod. 17. mundus vniuerſus profeſſus, *Vinum non habemus*. aquæ affatim nobis aderat, quæ ex ſalebroſa rupe veteris legis ad nos ac pecora noſtra vi virgæ erupetat; Ioſue. 1. vinum autem, in paleſtina Eccleſiæ inueniendum, tu demum ſuppeditaſti. Miremur etiam, recogitantes, quo charitas in Deipara ſe dimiſit, quandoquidem pro vino, re modica, tantilla, & transſitorio conuiuij apparatu procurando, ſolicite apud filium egit: quo ſignificetur pauperibus, adhuc etiam non dedignari in cælis glorioſam eandem Deiparam virginem etiam ipſorũ indigentijs vel corporum, ſua interceſſione ſubuenire. illa pro vino orat, filius vinum dabit. quam ergo illi infœlices, qui quantum ad obtinendum a Deo diuinæ gratiæ munera, hoc vinum ſcilicet, matrem ſeparant a filio, *Mariam* a *Ieſu*; nec curant illas voces, quas pia Virgo filium alloquuta protulit: *Vinum non habent?*

Ioan 2. 16 Magnum ſane momentũ ad Virginis iſtius fidem in Chriſtum filium commendandum, quod in conuiuio nuptiali admonuerit miniſtros triclinij, id omne officij impigre ab ipſis peragendum, quodcumque filius eis præceperit. Non dixit expendite, aut diſcutite mandatorum rationes: non intimauit, quod in præceptis a Chriſto poſitum, id libramentis humani judicij ponderandum: ſed abſolute illos ſic inſtituit: *Quodcumque dixerit vobis, illud facite.* quo inſigne etiam ſpecimen edidit Theologiæ, admonendo, progreſſus diuinæ prouidentiæ & impetij, nobis eſſe in pleriſque obſcuros, ac proinde vel in ipſis tenebris noſtræ ignorationis, Rom. 4 Deo, ad exemplar *Abrahami* in ſpem contra ſpem credentis, obtemperandum. o quam altam abſtruſamque ſententiam obtinet illud *Quodcumque*, virgineo ore prolatũ! Huc intellecto, Math. 14. non dubitauit *S. Petrus* vel in fluctus deſilire, quo ad Chriſtum peruaderet. Eodem percepto, Pſalm. 54. affirmauit Sanctiſſimus *David*, ſe in Deum ſperaturum, etiam ſi ipſum vel occidere voluerit. Gen. 2. Diaboli fuit diſputationem inire, ac petere, quamobrem Deus primis noſtris parentibus eſum fructus illius arboris in medio paradiſi interdiceret. Proinde Sanctiſſima Virgo illi prorſus contraria, eius caput etiam hoc modo contriuit, ipſius *Quare* ſuum *Quodcumque* opponendo. *Quodcumque* fidei eſt, obedientiæ, & humilitatis: *Quare*, ſuperbiæ, ac rebellionis: hoc a ſerpente, illud a Virgine *Maria* vſurpatum: tortuoſum & in ſpiras hoc complicatum, columbinum alterum, virgineum, ſimplex, candidumque. Reipublicæ plurimum quoque prodeſſe modeſtiam hanc ſimplicitatis in ciuibus docet Euſeb. l. 12. præpar. c. 1. *Plato* apud *Euſebium*. Cum enim Dei prouidentia inſta & recta fuerit, ſiue nobis amarum ſiue dulce dederit, ſiue diem ſiue noctem condiderit, neque examen noſtri ingenij ſubire debeat, quodcunq; demum conſtituerit, idcirco totum quod a Deo prouiſum eſſe poterat, animo circumſcripte colligens B. Virgo, ſine diſcrimine monuit: *Quodcunque dixerit vobis illud facite.* Si dixerit *Abrahamo*: *Egredere de terra tua & de* Gen. 12 *cognatione tua*, illi inde exeundum, idque alacriter & placide exeundum. ſi eidem dixerit Deus, *Tolle filium tuum vnigenitum quẽ diligis Iſaac* Gen. 22. *& vade in terram viſionis, atque ibi efferes in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi*: hoc ipſum ab eodem impigre faciendum. Si dixerit *Moyſi*, *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, vade ad Pharaonem*: præcepto obedire debet *Moyſes*. Exod. 7. Nos quidẽ in hac luce diuinæ prouidentiæ cæcutimus, adeoque erramus, ægre ea interdum a Deo immiſſa perferentes, quæ acerbius perſtringunt, quæ iudicijs noſtris contraueniunt. ob quam cauſam Beatiſſima Deipara, prouidentiæ diuinæ iuſtas rationes in vniuerſum intelligens, nos attendere voluit ad vtramque partem contradictionis, ſeu contrarietatis, non ad id ſolum, quod noſtris inganijs arriſerit: *Quodcumque dixerit vobis illud facite.*

17 Egregium vero decus contulit Chriſtus Dominus ſuæ matri in hoc nuptiali congreſſu: factus enim ibi poſt Archangelum *Gabrielem* Luc. 1. ipſemet matris ſuæ Euangeliſta. Salutata virgine ore Angelico, ei ab Angelo nunciatum, quod mater futura eſſet Dei: *Dominus tecum*. iam autem eiuſdem virginis filius, conuerſa per miraculum aqua in vinum in argumentum ſuæ diuinitatis in multorum præſentia, vt declarauit ſe eo Deum eſſe, ita pariter eodem oſtendit, matrem Dei adeſſe conuiuam. quæ veſtis nuptialis compararari poterit huic præconio, quo Beata Virgo renunciatur, adeoque probatur Mater dei ab ipſo deo! Hoc facto *Manifeſtauit Dominus Ieſus gloriam ſuam*, ſimulque gloriam matris ſuæ. diutius latere noluit ſuæ perſonæ diuinitatem, ſed neque matris diuinæ cuiuſdã ſortis maternitatem. illam inferius ad humanitatem depreſſam, hanc ad Dei ipſius elatam magnitudinem: illam omnia paſcentem, hanc ipſi Deo ſanguinem & vbera præbentem, edito miraculo ſimul & coniunctim demonſtrauit. Neque caruit Beata Virgo rerum conuerſionibus, dum maternitatem ſuam primum adſtrueret, ſicũt iam vti uoluit Chriſtus conuerſione aquæ in vinum, qua ſuam diuinitatem adſereret: conuerſus enim tunc ſanguis virgineus in carnem Chriſti: conuerſum ſubinde eius lac in eiuſdem Chriſti ſanguinem, ſimul ac in mundi precium. quales fontes extitere vbera virginea! niſi horum fluores conuerſi fuiſſent in diuinum ſanguinem, nũtiquam in nuptijs aquam conuerſam in optimum vinum habuiſſemus.

18 Hinc porro præſignauit Chriſtus Dominus, futurũ, vt in Eccleſia nuptias eo celebrante cum humano genere, ſemper præſens ac propitia ſimul cum ipſo inueniretur Mater ac Virgo *Maria*: ambo enim inuitati, ambo nup- Ioan 2. tijs interfuere: diſiungi non poterunt. oportet ergo in hoc triclinio Eccleſiæ reſpiciamus Chriſtum, reſpiciamus pariter *Mariam*: adoremus Chriſtum, inuocemus *Mariam*, ſi nuptiarum iſtarum digni cultores eſſe velimus. Itaque imposterum deuoto ſpiritu connubium poſt diuortium a mundo init nemo cum Deo: nemo

aquam

aquam triſtitiæ, aquam rerum temporalium mutatam habere poterit in vinum ſpiritualis hilaritudinis, in vinum æternæ iucunditatis, abſq; opera ac pietate *Mariæ* Virginis. Imo in diuinis myſterijs, in quibus panis in Chriſti corpus, vinum in eius ſanguinem conuertuntur, neu abeſt hæc ipſa Virgo Beatiſsima: ob quam cauſam Sacerdos, qui ſacris operatur, ſingulari pietate Virginem ritu definito inuocat ac precatur. Et quidē ſubſtantia panis ſemel conuerſa in Chriſti corpus, dumque illud ipſum corpus ſuper altare ponitur, naſci denuo quodammodo videtur ex virgine Chriſtus, & in præſepio ab ipſa
Chryſ. hom. in Encæn. collocari, vt adnotauit *S. Chryſoſtomus*. Cumque fuerit venter virgineus, vt ait ſponſus in Canti-
cantic. 4. cis, aceruus tritici, vallatus lilijs: nempe fœcundus, virgineus tamen; dum ſub candentibus tritici ſpeciebus corpus hoc delitеſcit, vtero virgineo veluti claudi merum ſignificatur. Vinum autem ex aqua factum in nuptijs, propter quandam ſimilitudinem quam habet cum ſan-
Ciril. cath. 3. Myſtagog. guine, vt diſſeruit *Cirillus* Hieroſolimitanus, præluſit quodammodo mutationem vini in ſanguinem calicis myſtici: vt intelligamus, celebrantem ſacerdotem debere ſummo animi affectu virginem *Mariam* implorare, iuxta ac cogitare, eam quodammodo myſterijs præſentem, iubere vt id fiat, quod inſtituit Chriſtus: ſibiq; gratum admonere, quod vinum conuertatur in illum ſanguinem, qui ab ipſius viſceribus, vti
Ioan. 2 a botro, primitus defluxit. *Quodcunque dixerit vobis, hoc facite.* Cumque ſimilitudo ſit cauſa amoris, ſumma charitate proſequitur Beata Virgo ſacerdotes, triclinij ſui, et Eccleſiaſtici mi-
Hieron. ad Heliodor. niſtros. Illi enim poſtquam ore confecerint ſacroſanctam Eucharistiam, virgineis ſuis corporibus idem Chriſti corpus excipiunt, quod concepit peperitque Virgo ſanctiſsima.

19 Atq; inter alia argumenta ſummæ in Bea-
Ioan. 19. tiſſima Virgine virtutis ac in Deum charitatis, illud vnum, quod recolit Euangelica hiſtoria, dum narrat, eam Chriſto ſuo filio morienti in cruce adfuiſſe, eoque cum inſignem victoriam contra fragilis in fœmina naturæ imbecillitatē, tum ſtupendam amoris vim erga filium patefeciſſe. morſus doloris acerbiſſimos perpeti vltro voluit, quo ſimilis animi affectione eſſet filio in agone mortis conſtituto: noſque ſuo exemplu doceret, abdicata lætitia, plangere ac lamentari ad Redemptoris crucifixi ſpectaculum. ibi radix lugubris ac moribunda, vbi flos emarcuit: ibi luna delituit, vbi ſol occubuit: ibi mater ſtabat doloroſa, vbi filius pependit moriturus. Iudæus nullus, aut gentilis, ad hanc ærumnæ pœnam Virginem Matrem adegit, ſpes nulla filium tantis malis eripiendi eam ad illos perferendum cruciatus animauit: ſed conſultius
Eccleſiaſt. 7. reputans, tunc temporis ire ad domum luctus, quam riſus, columba ſponte ingemuit, quæ toties philomela diuinas laudes cantauerat: quanquam exiſtimaram, philomelam etiam exiſtentem, ſpinam, quæ obuerſum pectus condolentia pungeret, nunquam a ſe obliuione, aut adſcita voluptate, penitus diſceſſiſſe: ſemper memoria tenuit illam myrrham, ſymbolū mortis, quā Reges die Epiphaniæ ſuo filio obtulere: in qua ſuos dolores iuxta ac filij crucem eſt perpetuo meditata.

20 Merito idcirco Chriſtus, ipſius filius, iam iam ſpiritum exhalaturus, curam egit matris, propriæ licet vitæ incurius videretur: extremæ dolorum acerbitates, mortis ingruens deliquium, efficere haud potuere, quo minus matris, eiusque boni, ab obitu ipſius prouidendi, recordaretur. Quam optabile, quam nobile ac pie ſolum, ab vltimis ferme Chriſti Dei & hominis morientis verbis legata munera eam accepiſſe? Quo enim conuenientius matris neceſsitatibus poſt eius diſceſſum ex hac vita eſſet alterius o-
pera prouiſum? Matrem ſuam legauit *Ioanni* Ev- Ioan. 19.
angeliſtæ: *Mulier ecce filius tuus*: ſimul ac cor filiale erga matrem videns *Ioanni*, illud ſubinde matri donauit. *Et ex illa hora diſcipulus accepit eam in ſua.* Ille erat diſcipulus, quem diligebat Ieſus, proinde matri illum, veluti gemmam, quam vel maxime dilexit, largitus: viciſsim voluit vt diſcipulus matrem præcipuo affectu complecteretur, quam ipſe præ alijs omnibus vt filius in vita coluit, vt Dominus exornauit. *Ioannem*, ſcilicet Dei gratiam, in præſidijs excubare mandauit matris, quam eadem gratia repleuit. Filius tonitrui *Ioannes*, vt generis aquilini pullos excludentis, dum cælum tonitru remugit, ipſum fuiſſe ſciamus. Virgo autem *Maria* ipſius tonantis mater, auctrixque fulminis. Quid mi ergo, cæleſtis proſapiæ perſonæ altiſsimæ ſimul verſarentur, alternis viribus ſubuenirent? Candidiſsimum vero ex iſtis *Ioannem*, Tutelaris mei dulciſsimi, ſic deſcribit *S. Hieronymus.* Hi
Vnde & Ieſus Ioannem Euangeliſtam amabat plurimum, qui propter generis nobilitatem erat notus Pontifici & Iudæorum inſidias non timebat, in tantum vt Petrum introduceret in atrium: & ſtaret ſolus Apoſtolorum ante crucem, matremque Saluatoris in ſua reciperet, vt hæreditatem virginis Domini, Virginem matrem filio Virgo ſuſciperet. S. quoque Chryſoſto- Ch
mus de eodem diſſerens, ait, *Ioannes purus erat,* 22. ad Pop.
propterea ſupra pectus Chriſti recubuit.

21 Poſtremo teſtantur actus Apoſtolici Beatiſſimam Virginem cum Apoſtolis commorantem, cum eis pariter rebus diuinis incumben-
tem, Spiritus ſancti aduentum diuinitus præſto- Act. 2.
lantem, in feſto Pentecoſtes eundem ſpiritum accepiſſe. Quo ſymbolo mihi imprimis ſignificatum, eam veram eſſe Eccleſiam Dei Catholicam, quæ ita Apoſtolorum ſcriptis inhæret, vt ſimul virginem matrem colat & veneretur. ibi Spiritum ſanctum ſuperuenire, vbi virgo *Maria*, eiuſdem Spiritus ſponſa, ex cultu pietatis inuenitur. Si Apoſtoli hanc ipſam Virginem matrem præſentem deſiderarint: ſi illam de altiſsimis myſterijs conſultam eſſe voluerunt: ſi viciſsim hæc ipſa Virgo mater, Apoſtolorum & aliorum fidelium coetum amanter appetijt: ſi Eccleſiæ rebus pro ſui ſexus conditione impigre ſtudere voluit: ſi in eo loco ſe præbuit aſpectabilem, qui Eccleſiam Catholicam repræſentabat, vel ipſamet erat Eccleſia, profecto non alibi audiendi Apoſtoli, non alibi ritu liturgico colendus Deus, non alibi expectandus ſpiritus ſancti aduentus, quam vbi Virgo *Maria* præ oculis habetur, & ſingulari deuotione exornatur.

22 Hoc

22 Hoc quidem adeo theologicis iuxta ac naturalibus principiis conſentiens, vt etiam a natura ipſa fluxiſſe videatur. Enimuero cum ſemel crediderimus, filium Dei a Virgine *Maria* ſumpſiſſe eam carnem, quam ipſe ſuæ perſonæ ſubſtantiali nexu copularit: quam diuinitatis ipſius ſanctitudine ditarit, fieri non poterit, quin firmiter deinceps ſtatuamus, Virginem Matrem eximia fuiſſe præſtantia gratiæ ac puritatis nobilitatam. Similiter ſi charitate aliqua ſingulari Chriſti humanitatem proſequi inſtituimus, conſequens, inſigni pietate afficiamur erga Virginem Matrem, ex qua illa humanitas proſapiam ortumque deriuauit. Ob hanc ipsá cauſam Romani antiqui incredibili ſtudio ac religione *Peſſenuntinam* Deam, ſeu *Matrem Deorum* ex Phrygia Romam deportandam curarunt: quam forma lapidis conſtantem, cælo dilapſum autumabant, & proinde ingenti cæremoniæ apparatu exceperunt: non niſi in honeſtiſſimi ciuis æde collocandam exiſtimarunt: demum ſplendiſſima pompa quotannis cele-
Herod. li. 4. brarunt, vt narrat *Herodianus*. quo religionis
Liu. dec. 4. officio, arbitrati in vna perſona Matris Deorum
1. Flor. lib. 1. ſe omnes Deos plurimum honoraſſe, ac celebraſſe.

23. Cum porro vterque ſexus per peccatum originale fauori Dei exciderit, vtrique ex diuina miſericordia præclare diſcretione quadam conſultum apparet: vno quidem ſexu pro veteri *Adamo* Chriſtum, altero pro *Eua* deſtructrice *Mariam* reparatricem, naturæ quadam ſimilitudine cum vtriuſque proprio charactere ſeruato, a Deo mutuantibus. licet enim Chriſtus ac Deipara ex æquo, quo ad meritũ auxiliumque, cunctis communes, nihilominus ſeorſim vtrumque ſexum peculiari nota hoc pacto decoratum animaduertimus. Hinc etiam nobis mirum in modum dulceſſit Dei in nos bonitas, tenerior illa, affluentiorque erga nos videtur. De iis enim recte iudicium facimus ex qualitate inſtrumenti, quo ad nobis benefaciendũ illa vtitur miſericordia. Hinc deprehendimus, multa ſuis naturis lenia, ſuauiaque, in aſpera & amara degenerare ob recipientis ſubiecti inge-
Augu. præf. nium. *Radix ſpinarum*, ait *S. Auguſtinus*, *etiam dul-*
Pſalm. 139. *cem pluuiam ad punctiones conuertit*. In Arabia, te-
Pauſan. in ſte *Pauſania* balſamo ſuauiſſimo veſcuntur vi-
Achaic. peræ ac in venenum licet mitius, dulcem liquo-
Tertull. l. 6. rem vertunt. *Etiam de oliua nucleo*, vt ait *Tertul-*
præſcript. *lianus*, *miti*, *opimo*, *& neceſſario*. *aſper oleaſter exoritur*: *etiam de pap aucre fici gratiſſima & ſuauiſſima*: *ventoſa & vana caprificus exurgit*. *Hereſes de noſtro fructificarant non noſtra*, *degeneres veritatis grano*, *& mendacio ſilueſtres*. In templi Hieroſolimitani proinde pulcritudine magis propitius erat Deus Iudæis, quam in dumetis vel cauribus exoratus. In Chriſti humanitate, diuina iuſtitia, tanquam ignitum ferrum immerſum ſanguini, plus deferbuit, quam in apparatu illius templi fieri potuit. Sexus autem femineus ad condolendum, ad amandum, ad miſerendum omnino pronus, vt nouimus; aptiſſimum idcirco Deo in perſona Beatæ Virginis organum miſericordiæ extitit, cuius interuentu ipſe in nos ſuæ bonitatis nectarea flumina vberius effunderet: præſertim cum hæc ipſa Beatiſſima Virgo ac Mater Dei,
nihil horridi, vt notat *S. Bernardus*, in ſe conti- Bernard.
neat, quod nos terreat: mera auxiliatrix cum homil. 1. de
ſit, non iudex, vindexue. Familiare itaque natu- Natiu.
ræ, filium, tametſi alias rigidum, in matris tamen ſuæ precibus vberibuſque dulceſcere nec inconuenit, filium Dei matris ſanctiſſimæ ſupplicationibus in nos placari, flecti, lenteſcere, ac in riuos charitatis reſolui. Hinc apud Chriſtianos, ciuitates, hominumque ordines, qui maxime floruere, peculiarem Deiparæ Virgini deuotionem continuo exhibuerunt. Sit huius rei teſtis Conſtantinopolis in Bithinia: vt enim ductoris Angeli, qui præerat *Conſtantino* magno, futuræ vrbis quantitatem ſua haſta metienti, omine quodam fauſta prænunciabantur, quod
ſcribit *Nicephorus*, ita ſingulari Beatæ Virginis Nicephor. l.
poſtmodum cultu pia ac proſpera diu inclar- 8. c. 15 Eu-
uit. Hoc idem ſatis luculenter etiam apparuit ſeb. l. 3 de
in ipſa Roma, ſedem Eccleſiæ monarchæ præ- vit. Con-
bente, quippe etiam in Deiparæ ſtudium ac cul- ſtant. cap. 47
tum ſemper calentiſſima, effuſiſſimaque permanſit.

24. Quam autem ſit huiuſmodi ſapientia ſtudijs etiam ciuilibus idonea, ſatis manifeſtum. præterquam enim quod erga matrem Virginem noſtra pietas, honores filij Dei augeat ac tueatur, promoueatque erga illum noſtri affectus charitatem, Dei inſuper verſum nos maxime commendat miſericordiam: quippe quod eiuſmodi ipſe inſtituerit ſui traducem, ac tubum, qualem Beatiſſimam Virginem ea ſua eſſe teneritudine omnes nouimus & experti ſumus. Si ergo feruens in Deum & Chriſtum amor, rebus ciuilibus conducat, profecto ſtudium noſtrum erga Beatiſſimam Virginem eiſdem proderit: quandoquidem noſtram charitatem & cultum in Deum Chriſtumque vehementiſſime accendat. Nihil enim in Beatiſſima Virgine admiramur, vel amamus, præter illud, in quo Dei miſericordia, Chriſti Domini meritum, ac decus ſingulari quodam modo elucent. Proinde eíque eo Chriſtum diligimus, vt etiam matrem ipſius, aliud licet ab eo ſuppoſitum, diligamus. Sic Chriſtum culimus, vti etiam in materna ſui origine ſingularem excellentiam agnoſcamus & veneremur. Hoc enim in ſe habent amor ac cultus, vt non ſolum progrediantur in ſua obiecta principalia, vérum ex abundantia ad ea redundent quoque quæ illa quomodolibet reſpiciunt, & ad ea referuntur. Qui motus talium adfectium cum ſint diſpares, minuſque principales, ab eis, qui præcipui, oriuntur, mutuo nihil derogant, ſed ſeſe potius viciſſim fouent ac ſtabiliunt. Quis non videt amorem delatum Regis parentibus, aſſerere & confirmare illum amorem, qui ipſius perſonæ debetur? ac in vniuerſum, non ſolum homines laudamus ex proprijs ipſorum virtutibus, ſed inſuper tum vel maxime dum honores parentibus delatos recenſemus, ac de eis honorifice diſſerimus. Adeo quidem celebris erat in primitiua Eccleſia cultus Deiparæ Virginis, vti *Iulianus*
Apoſtata, teſte *Sozomeno*, ſit eum in ſuo genti- S. Zomel. l.
liſmo imitatus iuxta ac æmulatus. Inde induxit cap. 15.
Primatum Pontificum, *Matrem Deorum*, quibus viſis,

Chriſtiani

Chriſtiani facilius ab ipſo in apoſtaſiam inducerentur.

25. Sanctorum vero excellentias in tribus poſitas contemplatur noſtra Sapientia: ſcilicet in ſanctitate ſeu iuſtitia infuſa, in actionibus virtutum ſeu meritis, ac in æterna eorundem ex viſione Dei fælicitate. Sanctum aliquem eſſe, rem ſummi precij, decoris ac dignitatis is dubio procul æſtimabit, qui Dei in noſtrum genus bonitatem, ſimul ac Chriſti Domini meritum ſuo animo diligentius paulo agitarit. Ea quidē eſt Dei bonitas, vt eo propoſito ſua dona in nos effundat, quo ipſi ſimillimi tandem euadamus; quo, vt ignitum ferrum fornacem, ſic nos ab eo ditati, ipſum imitemur ac referamus. Quis dubitabit, ſolem, orbis lampadem, natura conſtare præſtantiſſima, ac eo Deum egregia quadam forma ſui repræſentare? Cæterum idem ſol plurimum deficit ab ea ratione, qua Sanctus a Deo illuſtratus eidem Deo aſſimilatur. Hoc vt Deus efficeret; quod *S. Paulinus* adnotauit, ſuimet principaliſſimas notas hominibus Sanctis impreſſit, communicauit. Rex Deus, etiam Sancti Reges. Inexpugnabilis Deus: Sancti itidem ſuperari nequeunt. Lux mundi Deus, itidem Sācti lumina exiſtunt. Naturæ vim excedit Dei poteſtas: ſimiliter Sancti dominantur eis rebus, quæ corrupta natura in perniciem virtutis inſtruxit. quo factum, vt Sanctus idem ferme ſit in terris, quod in cœlo Deus, vt Theologice *S. Gregorius Nazianſenus* definiuit.

Paulin. Epiſt. 1.

Greg Naz. orat. 1. de Theol.

26. Bonitati Dei accedit Chriſti meritum, idque valoris proſus infiniti. In humanis rebus videmus ea qualitate ornari familiam, vxorem nempe, liberos, famuloſque, quo in eum finem a patrefamilias impenſæ fiunt. cum idcirco tot ſumptus ſanctiſſimarum actionum, tantam largitionem precioſiſſimi cruoris exercuerit Chriſtus Dominus, vt ipſius Sancti tandem florerent, nemini dubium, quin ad excellentiæ culmē a miſeriæ barathro eius indulta gratia euaſerint: quippe quod, vt ait *S. Chryſoſtomus*, Spiritus Sanctus in pectore alicuius Sancti, tanquam *Lucifer* in ſuo cœlo effulgeat. Hoc imprimis habet Sanctus vel nominis ſui ratione, quod ſit a contagione carnalis commercij ſeu voluptatis penitus ſegregatus. Etenim diem aut locum ſāctificari in ſcripturis, idem eſt, quod ſegregari a vulgari vſu, & ad diuina transferri. *Sanctifica mihi omne primogenitum. Sanctificaui mibi quicquid primum naſcitur. Sanctificate ieiunium.* inde Græce ἅγιος idem, quod a terra alienum, & quodammodo mutatum in condicionem cœli. Sancti alicuius tanta vis, vti vel ſola ipſius præſentia, teſte *Prudentio*, ſilentium moleſtiamque ſæpius incuſſerit Diabolo oraculari. proinde vt reſponſa daret, clientes ſuos iſtis admonebat: *Procul hinc lotus & vnctus.* Quo Apoſtolus *Petrus* dignitatem iuſtitiæ infuſæ oſtenderet, in eam a Deo adſcitos appellauit diuinæ naturæ conſortes. ex quo intelligimus eam longe ſuperare alios habitus virtutum ſiue infuſarum ſiue acquiſitarum. Hæc eſt gratia, quæ Dei in homine imaginem perficit, quæ Spiritum ſanctum tanquam in ſuo templo, in hominis anima inhabitare facit, quæ celeſtis gemma, cruore Chriſti comparata,

Chriſoſt. homil. 4. de Pent.

Exod. 13. Num. 5.

Pruden. Per. ſteph.

ita eandem animam locu pletat, ornat, vt illam Deo amabilem exhibeat. Huius virtute fiunt homines Filij Dei, quibus debetur æterna hæreditas, fiunt amici Dei, quibus debetur cum Deo familiaris communitas: Fiunt fratres, ſorores, & matres Dei vt docet Chriſtus, propterea quod inde Deo ſimiles & in Deum benefici euadant. Si magni Regis alicuius filius ſibi deſponſandæ virgini, ſummi precij gemmam donare ſolet: qualis demum fuerit illa gemma iuſtitiæ infuſæ, quam animæ largitur Deus, dum eiuſdem appulſu in animam, reddit illam ipſam animam ſibimet matrimonio cōiunctam & conſecratam? Ex hac ergo iuſtitia infuſa, Sancti mira dignitate cōſpicui apparent.

1. Theſſ. 4. Ioan 6. Marc. 3.

27. Accepta vero iuſtitia, tanquam viuus fons in eiſdem Sanctis, opera omnis generis virtutum in ipſis protulit, & animas eorumdem inſigni numero meritorum cum incrementis varijs eiuſdem iuſtitiæ, mirifice ditauit. proinde cum multitudine meritorum io illis, in cumulum quoque excreuit habitualis illa iuſtitia. cum enim hæc iuſtitia ſit ſemen Gloriæ, ſit gratia ad gratiam Gloriæ comparandæ ordinata, idcirco idem opus virtutis in homine, quod meretur gradum Gloriæ, meretur etiam gradum tunc cœlitus infundendæ iuſtitiæ. Merita autem in Sanctis ſicut varia & multiplicia fuere in hac vita, ſic pariter ſuo conatu extitere acria, ſua etiam charitate in Deum & homines vehementer incenſa. O qualia hæc merita, cum adamantibus in Sanctis ſplendentia, cum carbunculis ardentia! quanta virtute extitere, quæ corpora eorum, itidem appetitus in ipſis Deo dicarunt & quandam æmulationem cum Angelis exercuerunt in terris! O cumuli liliorum & roſarum, in quibus familiariter verſatur Spiritus ſanctus! O Theſauri diuinorum charismatum, in quibus Dei bonitas ſe oſtendit! O victoriarum trophæa, in quibus quid poſſint crux Chriſti & ſanguis Filij Dei probarunt & oſtenderunt! Dubio procul, cū in cœlis beati ſpiritus intuiti fuerint hoſce in terris ſanctos, Dei ipſius formis conſignatos, & eidē ſimillimos, libentiſſime eos adeunt, & ſuis fauoribus eoſdem adiutū accurrunt: iam enim vident eos ad cœlum cum ipſis a Deo tranſcriptos. Hinc ſua gaudia perſequuntur.

Ioan. 4.

Luc. 15. Claud. lib. 2 de Rap. Proſ.

——— *credas examina fundi*
Hybleum raptura thymum. Cum cerea Reges
Caſtra mouent, fagique caua demiſſus ab aluo
Mellifer electa exercitus obſtrepit herbis

28. Verum Sancti in cœlum ſublati, ac Dei aſpectu ibi beati, vt ſtatu gaudent excellentiſſimo, ita pariter nobis hic inferius iter inſtituentibus, ſaluberrimi patroni illhoc euaſere. Quantum ad hoc, par eorum condicio ac beatorum Angelorum: qui, vt ait *S. Auguſtinus*, *Annunciant non ſolum nobis beneficia Dei, verum etiam illi preces noſtras.* Certe, inquit *Euſebius*, *defunctorum animæ virtutem quandam habent, qua vel poſt mortem rebus humanis auxiliantur.* Ob hanc cauſam, teſte *Theodoreto*, primitiui Chriſtiani Sāctos in cœlis venerabantur, tāquā *Vrbium cuſtodes, & locorū præſides.* Græci Beatudinē nūcupabāt

Auguſtin. Epiſt. 120. cap. 29.

Euſ b. lib. 13. Præpar. cap. 1.

Theodoret. lib. 8 de Martyr.

Clem. Alex. lib. 2. Strom

auctore *Clemente Alexandrino*, εὐδαιμονίας: quam vocẽ interpretatus *Plato*, eam ſignificare dixit *Bonum dæmonẽ*, ſeu bene affectam & ornatã rationalẽ animæ partẽ. Quanta autẽ huius ſit perfectio ex viſione Dei, quis facile non perſentiſcit? Præcepit Angelus *Tobiæ* arreptæ piſcis cor, iecur ac fel extrahere, & ex eis medicinam, ſeu amuletũ ſaluberrimũ contra dæmonũ incantamenta aliaq; mala conficere. Iſtis virtutũ munera adumbrantur, quæ cor, nempe rationalem animæ intentionẽ: iecur vtpote vim in homine concupiſcibilẽ: fel, tanquam partem in eodẽ iraſcibilẽ, ita inſtituunt ac moderantur, vt animæ fiãt ſalutares. Cæterũ ad hæc præſtãda, huius vitæ virtus nequaquã comparari poterit cum viſione beatifica: illo inquã fonte rectitudinis ac dulcedinis, illo aſpectu arboris ſcientiæ boni ac mali in paradiſo. *Quod nobis per paginas ſcriptum eſt*, ait *S. Auguſtinus*, *per faciem Dei illi cernunt*.

Tob 2.

Auguſtin in Pſalm. 119.

27. Huic parti ſapientiæ Chriſtianæ infenſiſſimi Proteſtantes: ac imprimis ſub ſpecie multum deferendi Chriſto Domino, eius imprimis matrẽ honoribus ac dignitatibus ſpoliant. Nil ſane peculiaris ſanctimoniæ Dei matri permittunt, arbitrati eam eadem iuſtitia Chriſti & illius gradu eodẽ per fidẽ apprehenſa iuſtificari, qua cæteri ex vulgo: & quod ad opera virtutum attinet, ſtatuentes, vniuerſa labe peccati mortalis infecta, potius animam Virginis ſordidaſſe quã exornaſſe iudicant. Totus porro horreo vel animo repetere eorum blaſphemias, quibus ſanctiſſimã Dei matrem grauiſſimorum ſcelerum ream paſſim conſtituunt ac defamant. Inter omnes cælites, præcipue ſua impietate criminum accuſant beatam hanc virginem, & Sanctum *Petrum*: quo noſtram pietatẽ erga Virginem redarguant, ſimulque *Sancto Petro*, eiuſque ſucceſſori Romano Pontifici primatum eripiant. at quo proſpectat hæc ipſorum impietas, ſi non ad infidelitatis barbariem? Enimuero non auſi, aut ſuo ſtudio inducendi atheiſmum, vel idololatriam, non congruere exiſtimantes, Chriſtum Dominum immediate impugnare, aut vituperare, id peragunt gradatim eius matrem prauis dogmatibus violantes. Cum ſemel radicem nullius momenti aut vitiatam, oſtenderint, de reliquo ipſis procliue fuerit, fructum ipſũ cũ Turcis & Paganis infamiæ ſuæ verbis traducere. quid enim obſecro, magni Chriſti humanitati ineſſe iudicabit is, qui ex ſententia Proteſtantũ matrẽ ipſius non niſi vulgari ſorte æſtimabilem iudicarent? Certe ſi crederent, deſumptã a Virgine carnẽ ipſã Deitate ornari, honorificentius de bonis talis matris ſentirent. Si Chriſtum ex animis diligerent, eam Virginem pariter diligerent, ex cuius ſanguine ipſe coalitum corpus ſibi delegit. quæ officia erga Virginem cum penitus omittant & aſpernantur, non alium profecto optatum finem ſibi præſtituunt, quam in Chriſtum contemptum, & ab illo, cum *Mahometo*, apoſtaſiam. ob hanc ipſam cauſam Iconoclaſtæ heretici, honores Beatæ Virgini concedendos ſeueriſſime interdicentes, propenſi omnino incubuere in Neſtorianiſmum, atque in Iudaiſmum: ac Demum in partes *Mahometi* a Chriſto penitus abiecere impiiſſime, vt lugentes videmus.

28. Sanctorũ pariter extenuant laudes, eleuant dignitates iidem Proteſtantes: imo Sanctos vllibi reperiri omnino inficiantur. Sanctitudinis ſane vix vmbrã admittentes, dicunt, vnam omniũ ſanctorum iuſtitiam, in cunctis æqualem, eam, quæ in Chriſto: nihilque extra eandem in operibus virtutũ ſupereſſe bonitatis aut ſanctitatis in quibuſuis Sanctis reperiundæ affirmant. Sunt ex illis, qui Sanctos vel cœlorũ ſpacijs excludunt, adhuc beatitudine, in atrio quodã manentes, priuatos. Cuncti vero proclamant, ſanctos etiam in cœlis beatos inſcios eſſe noſtrarũ rerũ, nulloque modo a nobis colendos, vel inuocandos. Quid hoc aliud, quã Chriſti meritis iniuriari ac plane conuiciari? Non enim ſolũ res aliqua ex ſui forma propria vituperabilis oſtenditur, ſed etiam in ſuo effectu illaudabili deprimitur. quo pacto ex infelicitate meſſis dicere poſſumus, aut male collocatã fuiſſe agricolæ alicuius operã, vel eã tenuiſſimis laboribus illi cõſtetiſſe. Quocirca ſi nihili meliores ſunt Sancti, qua eos reddunt Proteſtantes, recte concludere licebit, aut in caſſũ Chriſti merita recidiſſe, vel exiguo precio valuiſſe. Chriſtũ certiſſime quanetũ poſſunt impugnant, memoriã eius, ac omnẽ in illũ fidẽ noſtram opprimere & exterminare cõtendunt: quicquid interim fuci ſuis ſtudijs in contrariũ obtenderint. Et in vniuerſum cuncti hæretici, teſte *S. Gregorio*, non aliã ob cauſã Deũ eſſe ſuis ſentẽtijs admittunt, quã vt atrocius ſub inuolucro fictæ eiuſmodi pietatis, rebus Fidei noceãt: ita Proteſtãtes ex eo ſolũ fine Chriſtũ nomine tenus profitẽtur, quo tali pulchra ſpecie cõtecti, Chriſti doctrinæ, perſonæ, meritis, maiorẽ ſubinde cladẽ erroris funeſtius incutiãt. Vt enim Pagani cogebãt homines negare Chriſtũ, ſic hæretici, vt ait *S. Auguſtinus*, docent homines negare Chriſtũ.

Gregor lib. 5. in Iob. ca. 11. lib 25. cap 2.

Auguſt. in Pſalm. 99 in Enchir. ca 4.

29 Quanta autẽ ſit vis Sapientiæ, quæ diuina eſt, ad mores ciuiles educendos & confirmandos, ſatis ex ſe manifeſtũ. ob quam cauſã *Plato* apud *Ciceronẽ* appellabat Sapientiã, legis proœmiũ ſeu prologũ: eo quod lege ſtatie vt iuſta ſit, præſupponat in animo legem ferẽtis ſapientiã, qua diuina intelligat. eſt enim hæc Sapiẽtia cũ principiũ legis in animo imperantis, tũ in animis obſequentiũ requiſita diſpoſitio, vt recte alijs parere velint. qua ſapientia omiſſa aut neglecta in Republica, qui Principatum tenet, is non imperabit ex norma rationis, ſed potius ex impetu libidinis: viciſſim, cui morem gerere incumbit, ægre admodum inducetur vt obediat. quando vero ea illuxerit, tunc Princeps ſe Deo ſubiectum percipiens, ita imperabit, vt Deo reſpondeat iudicanti rationem redditurus: iuxta ac Ciues obſequenter ſeſe habebunt, eiuſdem Dei auctoritate ad id preſtandum commoti. Quam primum enim Sapientia in nobis ad Deum ſe extulerit, ſtatim ad homines eadem deſcendet, eos ad mores ciuiles compoſitura: quo ciuilitatis ambitu ab ea inſtituto, ſuperna & inferiora, Deus & homines contineantur. Hoc multis proſequutus eſt *Lactantius Firmianus*, ac inde probat, noſtram Fidem, genuine ciuilem eſſe, eo quod diuina ac Deum ipſũ accurate & imprimis

Cicer lib. 2 De legib.

primis pertractet. a quo fonte ſeparatos alios modos ciuilitarum, affirmat aut in infelicitatem exſpiraſſe, aut non niſi breui tempore duraſſe. Illam Sapientiam veram dicit, quæ relligionem erga Deum agnitum animis Ciuium ſuadet: quaque ratione Numinis percepti & relligionis excultæ, vtpote vigens motiuum ad omnẽ ſpetiem virtutis, eoſdem meliores, nempe iuſtiores & caſtiores reddit. *Ideo illa* ſcilicet ethnica, *non eſt vera relligio iudicanda, quia nulla iuſtitia virtutiſque preceptis excudit, efficitque meliores.* Proinde aſſerit, Chriſtianam ſapientiam in cordibus eſſe credentium in Chriſtum: id eſt virtutis ibi principium illum autem veterem in degiis ſolum & geſtu externo mortalium fuiſſe, quandoquidem ad ſanctam ineundam vitam languerit.

Lactant. lib. 4 De ver. ſap. cap 5.

30. Proteſtantes idcirco quod in vniuerſum ſapientiam, iam eam, quam naturalis notitia pepent, quam illam diuinam, quam loquutus Apoſtolus in *Myſterio: Quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula, in gloriam noſtram*: ſuis errorum tenebris quantum poſſunt extinguant, conſequenter virtutes omnes ciuiles & monaſticas, Barbariei viam munientes expugnant, ſolum illis in præſidijs elaborata Hypocriſis, quæ formas in oculis vulgi pietatis in Deum, credulitatis in Chriſtum, ſimulat: cum intus aniuris ſint in Principes ſuos truculenti, in conciues aſperi, poſtquam Dei ac diuinorum cognitionem a ſe repulerunt. Idcirco boc nomine, eadem charitate, qua diligo Dominum Deum, & Chriſtũ eius, Proteſtantes abominor. videamus modo quo in loco habeãt reliqua cognitionis lumina.

1. Cor. 2.

CAPVT VII.

Virtutes Intellectuales tam ſpeculatiua quam practica reipublica licet ſtatui multum proſint, Proteſtantes nihilominus earum ſtudia, præſertim Sapientiæ, quæ Metaphiſica dicitur, officia a Catholicis aſſerta, mera oppreſſi cæcitate ac temeritate, a ſe repellunt, & penitus aſpernantur.

SÆpius mihi res admiranda apparuit, quod orthodoxæ noſtræ Fidei cultores plus operæ literis impendere ſoliti, quã cuiuſuis alterius ſectæ Profeſſores: adeoque vt Theologica illuſtrarent. præ omnibus alijs Metaphiſicis ipſis ſtudijs diligentiſſime eos incubuiſſe. Ægiptij, quorũ antiquiſſima memoria, ac de rebus diuinis ſatis notæ commentationes, admodũ pauca teſtimonia ſuæ eruditionis diuinoris nobis reliquere: cupientes eã characterũ ænigmatibus potius claudi, quã diſputationibus elucidari. Quod vero ab eis ad nos hoc in genere peruenit, id ferme ſcriptis *Iamblici* ac *Mercurij Triſmegiſti* duntaxat nobis innotuit. Romanii vltra carmina Sibyllarum, fragmenta aliquot *Varronis* & *Ouidii Faſtus*, præſtitere nihil, cuius nos aliquã cognitionẽ accipere potuimus. Cæterũ noſtrã de rebus diuinis ſapientiã doctã fore, & omno accuratam, ominari viſa ipſamet imprimis ſecundæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis Incarnatio: eſt enim illa perſona verbũ Patris, illiuſq; pleniſſimã cognitio: proinde cũ alijs virtutibus, de ſuo proprio illatura in noſtrũ genus magnã copiã intellectualiũ diſciplinarum aduenit. Vt enim exortus ſol innato ſibi radio inferiora ſtatim imbuit, ita diuiniſſima illa perſona, tanquã ſol intelligentiæ, ad nos accedens, peculiari quadã plenitudine cultores ſuos reddidit intelligentes, excuſſoq; velo Iudaico, ſcientiarum luminibus decoratos exhibuit. Vnde hæc ipſa auguſtiſsima perſona, humanæ naturæ condicioni alligata, in eã mirabilẽ vim effudit ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, vt prædixit Propheta *Iſaias*: quo fretus Chriſtus Dominus, diligentiſſime qua in templo diſſerẽdo, qua in vicis plebẽ inſtruẽdo, opera ſummæ intelligẽtiæ impigre in terris exercuit. Poſtea Apoſtoli, in ſchola Spiritus ſancti edocti, iuxta ac in paleſtra iſtius mũdi exercitati, vti ex ſcriptis ipſorũ colligere licet, inſigni rerũ notitia inclaruere. Demũ præualente in orbe relligione Chriſtiana, quod tunc immanes hæretici, tanquã inferni alcinoi, occaſione illorũ temporũ abuſi, inſurgerent hoſtili odio in fidẽ orthodoxã, idcirco in locũ martyrũ, eius veritatẽ ſuo ſanguine prius conſignãtiũ, venere occurſũ eis Doctores, omni genere literaturæ excultiſſimi, quorũ diſputationibus refutarẽtur: vt adnotauit *S. Gregorius*. Ipſa autem hæreſũ refutatio, inſigne lumẽ ſcientiæ intulit in Eccleſiã, vt teſtatur *S. Auguſtinus*. Hoc ritu Eccleſia militans, triumphantẽ, Magiſtro Chriſto, æmulatur: in hac enim ſpirituales ſubſtantiæ ardentiſſime in cognoſcẽdã veritatẽ incumbunt, ac ideo ab antiquis dictæ *Intelligentiæ*: proinde in Eccleſia apud nos, angelicorũ mentiũ fiunt imitationes, dũ in ea, diuinorũ humanorũq; ſtudijs, viri ſpirituales labores ſuos addicũt. Enimuero alici nos voluit Deus vario oſtentu veritatũ, quas ipſe in inferis, ſuperiſq; abſtruſas eſſe ſtatuit, vt cum cognitione inde eſſemus clari, tum affectu ardentes & puri.

Iambli. lib. de myſt. Mercur. Pymand. Clem Alex. lib. 5. Strom.

Exod. 26.

Iſa. 11.

Gregor. lib. 4 moral. ca. 7. Auguſtin. in Pſal. 54. de dono perſeu. c. 20

2. Addictiſſimi itaque perpetuo fuere orthodoxi ſtudijs liberalium ſcientiarũ cum propter ipſaſmet ſcientias, tũ propter meliorẽ Theologiæ exinde cognitionẽ adipiſcendũ. Qua in re egregiam operam inter alios collocarunt Pontifices Romani, adeoq; hanc ob cauſã orbis chriſtiani illuminatores, ſeu totidẽ ſoles, merito appellari poterunt. Etenim de noſtris academijs qui cõmẽtaria edidere, ij teſtãtur, Romanos Põtifices, Doctores ac Profeſſiores etiã datis ſtipẽdijs in illis paſſim cõſtituiſſe: gradus etiã honorũ vigilijs academicorũ propoſuiſſe, quibus acrius incitarentur ſtudioſi ad eiuſmodi ſcientias addiſcendas, ſimulque in eundẽ finẽ curaſſe, quo optima methodo iuuarẽtur. Noſtros vero ex Clero homines ſacra quædã cupiditas vbique obtinuit quo ad elucidãdã Theologiã commodior eſſet progreſſus, parãdi ſe aliarũ artium perceptionibus, preſertim ſolidioris Logicæ ac Philoſophiæ documẽtis: vt Philoſophia demum Theologiæ ancilla exiſteret, & ſub altiori myſterio noſter *Pædagogus*, vt loquitur *Clemẽs Alexãdrinus*, pacifice maneret. ſi enim Deo nobis oſtẽdendo, omnes partes iſtius vniuerſi inſeruiunt: haud incongrue ſane de eo ſcientiæ, ſcilicet Theologiæ, aliæ etiã diſciplinæ cum explicandæ tum exornandæ vſus ſuos conferre debebunt. Si quid porro

Clem. Alex. lib 1. Pæd. Tertull. lib. de carn. Chriſt.

in illis ſcientijs ſuperfluum, ſi quid inane, id totum Dominæ iſtius imperio, poſtquam ad eius aulam acceſſerint, reſecari, abdicari, ac repleri poterit; reciproce Domina Theologia ab eis famulatum, & iſtis a tali Domina perfectionẽ accipientibus, vt eleganter ſcribit *S. Hieronymus.*

Hier. ep. ad Helio. & ad Magn. orat.

Non ergo myſteriorum arcanos ſenſus cum Iudæis velo contegendos, cum Mahometanis ſilentio ducimus opprimendos, neque Sphingis ambagibus inuoluendos ad ritum Ægyptiorum exiſtimamus, ſed exerta potius contentione mentium diſcutiendos proponimus. quod ſane inter alia argumenta credibilitatis noſtræ fidei, vnum eſt: nam ſi falſitatis, ficta aliqua ſpecie honeſtæ, eſſemus fautores, maxime cum noſtrorum myſteriorum ſententiæ longe ſuperent captum humanæ mentis, vtpote obſcuræ ac difficiles quoad omniũ mortalium notiones, potius profecto eas celatas cuperemus in abſtruſo deliteſcere, quã in aperta luce ventilari. *S. Auguſtinus* de Chriſti Magiſterio ac doctrina diſputans, ait illud tale eſſe, quod in ſe cõplectatur *Ea quæ ſic ãte dicta ſunt vtiliter, non ſolum a Prophetis ſanctis qui omnia vere dixerunt verum etiã a Philoſophis atq; ipſis Poëtis & huiuſmodi auctoribus librorum, quos multa vera falſis miſcuiſſe quis ambigat?* Et quidem olim, vt teſtatur *Seneca*, quantũ ad actiua munera vitæ humanæ, ob ſimplicitatem hominum tunc viuentium, ſufficiebant illis ſine *Decretis*, ſeu principijs altioribus, ſcientiæ operoſo diſcurſu ad particularia deductis, nuda morum præcepta: nihilominus vtraque modo coniungenda, vt maturi vi officiorum rationes ciuium mentes obtineant. animaduertit tamen idem *Seneca*. quod ad effectus amborũ diſcrimina ex quorundam ſententiis. *Antiqua*, dicebat *Ariſto*, *ſapientia nihil aliud quam facienda & vitanda præcepit. & tunc longe meliores erãt viri. poſtquam docti prodierunt, boni deſunt, ſimplex enim illa & aperta virtus in obſcuram & ſolertem ſcientiam verſa eſt, docemurque diſputare non viuere.* Cæterũ creſcens malitia hoc genus diſputationis in ciuium cœtus commode inuexit, quæ niſi tali contentione nequit intra gyrũ rationis contineri. quod ſi cupiditate ducti ſpeculationis, actiones honeſtas deſerunt aliqui, id nõ ipſi ſpeculationi, ſed ingenij prauitati in ipſis attribuendum. Recte idcirco idem *Seneca*. Præcepta ſola *Imbecillia ſunt per ſe, & vt ita dicam ſine radice, quæ partibus dantur. Decreta ſunt. quæ muniunt, quæ ſecuritatem noſtram, tranquillitatemque tuentur.*

Aug. ep. 3.

Sen. ep. 95. ad Lucil.

3. Summa autẽ cura orthodoxis ſcriptoribus adfuit Metaphyſicæ, Philoſophica aut Theologica elucidantib. nempe ita hæc tractantibus, vt omnia ſubtiliſſime diſtinguerent ac ſeorſim expenderẽt, vt cauſas ac principia intima eorumq; vires ſagaciſſime inquirerẽt: vt quæſtiones varias in hunc finem mouerent, quas ſubinde acri diſputatione in vtramque partem diſcuterent. quæ omnia licet quam procul abſint a vulgari conceptu animorũ, adeoq; ab inferioribus facultatibus ingeniorũ, nihilominus ad doctrinã ac ſcientiã ſpectant omnino: tunc enim aliquid perfecte ſcitur, quãdo id in ſua principia prima altiſſimaſque cauſas reſoluitur: atq; ex hoc emergit tota laus ingenij, quæ viribus cenſeatur ; ex profundo puteo ſcilicet cum *Iacobo* aquam cognitionis extrahentis: cum *Hercule Cerberum* obſcuræ veritatis educentis in apertam lucem explicatæ ſententiæ. *Leuium metallorum*, inquit *Seneca*, *fructus in ſummo eſt: illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſidue plenius reſponſura fodienti.* Diuino iſto ex Metaphyſica decore collucet in ſcholis Catholicorum Theologia, quam *Scholaſticam* appellant: illa inquam ſpeculatiua, ac veluti *Pallas* ipſa ſcientiarum in ſuo penetrali ac receſſu a Satyris ſecreta: vt enim is acutior oculus, qui plures orbes in longiſſime extenta catena diſtincte videt, ita nobilius ingenium, quod plura ab vno Principio deducta perſpicit: aut ab vno ad magis diſtantia principia intelligendo aut diſcurrendo peruadit: ſic enim ingenia certa quantitate rerum inter ſe connexarum metiri licebit: ita vt debiliorum ſit in viciniora ſolum proſpectus, maiorum vero etiam in remotiſſima intelligendo excurſus. Vt homines apud nos ad hæc ſtudia grauiora vitæ inſtituto melius parentur, voluptates, curæ vxoriæ, atque forenſium ſolicitudines ab ingenijs religioſorum, Sacerdotũ cœlibum, ac monachorum depelluntur. proinde veritatis ſui met cauſa amantes, illam altiſſimis ſpeculationibus ſuis liberius perſequũtur; non vulgi applauſum, non expeditam lectoris intelligentiam, ſed rem ipſam ab uno vt loquũtur, explanandam ſibi proponentes. Etenim vt terræ a[illegible] magis precioſa in imo collocantur; ita diuinæ res, vt ſic loquar, veritates in abſtruſo, in recondito ſunt. ad quas non niſi feliciora ingenia, ac fortiores Muſarum *Hercules*, robuſtius contendendo, attingunt. Sit aliquorum munus, literis, voculis, modis dicendi operam dare, vt leuiori fuco ſplendeant in oculis popularium: in alijs maiora ingenia ad Metaphyſicam pertrahent.

Aris. lib. 1. Metaphyſ.

Gen. 24. 16.

Pier. verb. cerb.

Senec. ep. 23 ad Lucil.

Sap. 11.

4. Metaphyſicam hanc Theologicis applicantes, imprimis myſteriorum ſenſus ac nominum rationes exactius declaramus: vt eius notio prius conſtet, cuius rei fides a nobis poſtea exigitur. & quod diuina ſub humanorum ſimulacris concipere ſolcamus, idcirco ad eas enarrandas, horum exactiores cogitationes adhibemus. deinde animis inquirimus, quid ex aliquo myſterio credito ſequatur, quid non: quid in humanis cum eius ſententia conueniat, quid illi repugnet: atque vt eorum quæ exiſtunt perfectam habeamus ſcientiam, multa interdum admittimus ac ſupponimus eſſe, quæ nunquam erunt, imo nec eſſe poterunt. Denique ſi quid aduerſi, ſiue ab ethnicis, ſiue quomodolibet repugnantibus, ad nomina myſteriorum aut ipſorum ſignificata, ad conſequentias ex ejs deducendas, aut ad dogmata profitenda pertinentis obiectum fuerit, illud acri quodam Metaphyſicæ oculo trutinamus & expendimus. ac ne Philoſophia in Theologiam, vtpote Dominam, aliquando rebellet, eius omnia, adeoque intima cognoſcenda ſtatuimus: minutiſſima nonnunquam partiendo, magis concreta in particulas reſoluendo, diuiſaque eius membra cum eorum Principijs conferendo: vt eo tandem percipiamus, quid Theologiæ congruat, quid ab ea diſſentiat. Duo itaque

quæ ad Metaphyſicam Philoſophiæ diſcuſſionē noſtros Theologos mouent. Primum, humanæ indoli aptior articulorum Fidei expoſitio: alterum paratior in nobis vis ad repellendam Philoſophiam, ſi quorundam malitia ex ea hæreſes *Animando*, vt loquitur *Tertullianus*, ſicut in primæua Eccleſia contigit, illam in Fidem orthodoxam armauerit. Hinc S. *Auguſtinus*: *Hanc enim artem, quam Dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet, quam conſequentia demonſtrare, ſeu vera veris, ſeu falſa falſis, nunquam doctrina Chriſtiana formidat.* Creuere itaque ſtudia ſcholaſtica in Eccleſia Chriſti, ratione hæreſum. *Didicimus* inquit S. *Auguſtinus ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones contra quas diligentius defenderetur, ſcriptura diuina, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret.* Vt enim in arce vigiles tunc acriores in proſpectum, quando hoſtis adeſt, ita in Eccleſia Doctores tunc ſcientia inſtructiores, quando ſub fuco ſcientiæ hæretici oblatrant. Aliunde porro ſolet Scholaſtica Doctrina in aliqua republica capere incrementum nempe a ciuium induſtria ad imperium amplificandum exerta. Inde affirmat *Ægidius Romanus*, ad imperij magnitudinem ſequi excellentiam in ſcientia Scholaſtica. Olim hoc oſtendit Anglia, eodem plane tempore ex ſcientijs Scholaſticis clara, quo latius exteris nationibus dominabatur. Id idem modo conſtat in Hiſpania quæ vt armis imperioque inclita, ita Scholaſticæ doctrina nobiliſſima. Cuius rei hanc rationem duco. Cum literis addicti aduertunt, maximam induſtriam a conciuibus poni vt rem publicam armis augeant, tum ij pariter excitantur ad ſimilem induſtriam proferendam in ſuis ſtudijs literarum: atque ſic omne otium excutientes, vt illi ad magnitudinem imperij, ita hi ad profundam rerum intelligentiam peruadunt. Porro videntes martijs conſilijs rem publicam ſuam ingentem iam gloriam comparaſſe, eius augendæ quoque cauſa, adiungere volunt bellorum trophæis commentaria eruditionis.

Tert. lib. 4. cont. Marc. lib. cont. Hermog.
Auguſtin. l. 1. cont Creſ con. cap. 20 et Don. per ſeu cap. 20
Auguſtin. l. 3. conſ. ca. 3.
Ægid. Rom l. 1. de Princip. cap. 1.

5 Cæterum vero ingenium hæreticorum, quantum ad ſtudia literaria, eneruc prorſus & vmbratile. Cum enim non aliud ſcribentes ſeu loquentes intendant, quam plebem, indoctamque hominum turbam ſeducere, illi applaudere, magnamque ſui ex venditata doctrina exiſtimationem apud illos comparare, tum vltra eorum aures, & ſenſus nihil meditantur profundioris aut ſubtilioris veritatis. Principes quidē & populum libenter adeunt, eiſque ſe accommodant in vniuerſum hæretici: illos vt iratos ac furioſos in Catholicos reddant, hos, vt decipiant, eorumque res ſuis voluptatibus eo inſeruire cogant. *Hæretici*, inquit S. *Gregorius*, *vulgarem pauperem ſpoliant: qui dum indoctes quoſque a velamine fidei prædicatione peſtifera denudant.* Ob hanc ipſam cauſam, mere inflatæ veſicæ, ſemper ſubterfugere, quantum potuere, diſputationes cum orthodoxis: nempe Ariani Principem ciuilem omnium iudicem ac vindicem decernentes. Donatiſtæ, Pelagiani, Neſtoriani, & Eutichiani ſcholam aperta ſocordia diffugientes. Quorum inanitatem, ſuperbam licet ac crudelem, participantes Proteſtatores, ſimilem diffidentiam ac timiditatem a noſtris ad diſputationes ſæpius prouocati, oſtenderunt. Imo verum, quod de omnibus hæreticis ſcribit idē S. *Gregorius*; *Cum moderate ſapere neſciunt, etiā futura loquūtur*, quo ſe eſſe illa pecora irrationabilia, de quibus S. *Petrus*, ipſimet produnt apertiſſime.

Gregor. lib. 16 in Iob. cap. 26.

Prateo. in Luther.

6 Proteſtantiſmi ortus totus horridus fuit, ſpirāſq; barbariē in bonas literas. Huic, vt narrat, *Prateolus*, academici Vitembergenſes, multo lutheraniſmo pleni, combuſtis libris humanioris literaturæ, vnice ſe ſacrorum Bibliorum ſtudioſos imposterum fere deuouere. Oxonij in Anglia, ſolemni quadam per ludibrium pompa Scholaſticorum Theologorum libros ad flammas in foro publico adductos, in ſpeciem exequiarum ac funeris, tenelli & implumes, concepta noua ex Germania Theologia, Proteſtanticuli ardere fecerunt. Quo in ſtudio Puritani plane immanes, haud ſemel Reginam *Elizabetham* & poſtea Regem *Iacobum* ſollicitantes ad euertendum academias, ad honorarios gradus artium abolendos, ad repudium Philoſophiæ magis arcanæ indicendum: denique verbo ac libro Dei tantummodo incumbendum, Satyri proterue clamitarunt. Hinc non altiora, literis operam nauantes, inueſtigant eorum muſæ, quam quorum in conciuncula capax plebeiorum ac mulierculārum ſenſus. Conueni ſane ex Proteſtantibus haud paucos: ſed profecto in Theologicis tractandis nullum vnquam potui diſcrimen animaduertere inter idiotas ac Miniſtros ipſorum: omnibus indiſcriminatim eoſdem plane animi conceptus indicantibus: nec quicquam altius quam illorum, penetrantibus miniſtrorum ingenijs. Quod ſi aliquid in vulgi admiratione eſſe ſolere comperērint, id ſtatim, re ipſa derelicta, ſtudentes, perorantes, ventoſo velo perſequuntur. Proinde apud plebem plauſibile videntes, vno vel altero verbo inter concionandum græcari, aut hebræum neſcio quid ritu ſuo non tam eloqui, quam infrendere: reputantes in iſtis vocum penetralibus omnem vim latere ſuæ glorioſæ concionatoriæ, etiam vbi ad exprimendum rem ipſam nulla requiritur neceſſitas priſcæ aut peregrinæ loquutionis vſurpandæ, paſſim hæc verba, ore indocto ampullantes, dilacerant. Sic enim fore ducunt, vt plebs exiſtimet eos ſcire quicquid vel docta Græcia, aut abſtruſa Iudæa vnquam diuulgauerint. An non hi leuiculæ cicadæ potius quam ſolidi artium ſtudioſi? quæ fœminarum precor, facili opera nō poterit pauca Græca aut Hebræa addiſcere? imo homini Anglo promptius multo Græce vel Hebraice diſcere, quam Vallice aut Hibernice. O præclaram laudem, ô quanti ſudores effuſi, ô quam digni puluinaribus, blandioribuſq; cerebri fomentis, ſi academici Proteſtatores concionabundi, præſentem hiantis populi coronam verbis Vallicis aut Hibernicis ſalutauerint: ſi eiſdem pro ipſis Chriſtum mortuum eſſe dixerint! Enimuero notitia verborum inter omnes ſpecies eruditionis indigniſſima, quæ literarum profeſſorem commendet: nihil ſine habet ſpeculatiui, abſconditi nihil, nihil in l a naſſi alto poſiti, hæc verborum exoticorum aſſectatio: quinimo non tam excellentis menti

quam fortis imaginationia ac memoriæ opus, externa noſſe idiomata: ac proinde deprebendimus in eo exercendo, pueros adultioris ætatis homines antecellere. *Qui celeri ingenio ſunt*, inquit *Plutarchus*, *non multum memoria valent. qui vero cum labore percipiunt, hi ſunt perceptorum tenaciores: propterea quod velut inuritur, quicquid ab eiuſmodi ingenijs diſcitur.* In Anglia ſcio nullam haberi lectionẽ ſcholaſticæ Thologiæ.& quid? volunt ne iſtius muſæ arcanos ſenſus capere ſine Magiſtro, ſine ſchola? nihilominus vt audiui, aliqui inibi miniſtelli nomen ambiunt *Scholaſticorum*. in Theologicis profecto ſi quid penes illos Scholaſtici, id totum hauriunt a noſtrorum ſcriptis, quæ ad ipſos perferuntur: quæ certe non niſi miſerrime intelligunt, & peius eloquuntur. *Nulla ars, ait. S. Hieronymus abſque Magiſtro diſcitur.*

Plutach in Caton. vticenſi.

Hieron ep 4

7. Et quidem inter omnia ſcripta Proteſtantium, nullum doctius vel luculentius *Caluini* Inſtitutionibus. Verum dicito mihi, quid in illo ſolidi, quid ab altiſſimis principijs deducti, aut ad illa relati? cum auſim affirmare, nullam eſſe vel in tota parochia verulam; modo prorſus ebria non ſit aut ſtulta, quæ non poſſit omnem illius ſententiam animo concipere, ac de ea ſtatim dijudicare. Ergone illud, quod ad literas, ex Geographia Proteſtantica profundum, longe ne illud petitum, ſubtiliter enucleatum, a fundamentis penitus diſcuſſum, cuius capax, vel ad primum animi coniectum, vetulæ aut ruſtici alicuius intelligentia? Ac in vniuerſum Proteſtantium ſcripta verbis ſolum conſtantia, inania porſus ludibria, ſenſu iudicioque deſtituta. Comperimus idcirco illos ſcribentes exiſtimare, nullos eſſe in orbe terrarum præter idiotas, ſuis parochianis ſimiles, ac ideo audaciſſime ſpumas & vmbras commentariorum ſuorum in chanas effundere haud vereri, quæ ſubinde doctorum ſubeant examina. Si ſimpliciter ignorarent, haud grauate in illis doctrinæ inopiam ferendam duceremus. Cæterum illos ſuperbientes, illos ſui confidentes, illos doctiſſimis ſe præferentes dum ſcribunt, ſine odio ac deteſtatione noſtra ſinere nõ poſſumus vt pertranſeant. Quid in ore ipſorum frequentius, poſt Pelagianos, quam quod Catholici in denſiſſimis tenebris verſentur ignorantiæ, quod ſcripturarum ſenſus non intelligant, quod idololatræ quod ſuperſtitioſi, quod Redemptionis Chriſti inſcij: contra, quod ipſi orbis ſint lumina, quod ſoli, & præ Patribus Græcæ ac Latinæ Eccleſiæ veram ſententiam ſcripturarũ ſint aſſequuti? nihilominus, intellectuali virtute prorſus vacui, vt videmus, tam fide, quam ſcientia liberali priuati, in hoſce ſpiritus in ipſis mentis indoctæ impetus rabidiſſime effunditur. Enimuero ſi intelligentiæ lumina ſpectemus, omnium maxime quod neſciant contemptibiles; quod vero ignorantes ſuperbiant, odioſiſſimi Proteſtantes.

Auguſtin. de peccator Merit. cap. 9

8 Quamobrẽ quod ad hoc profunditatis ac ſubtilitatis ſtudium ſeu *Herculem* ſpectat, ſcholas & in eis ſtrenuas ingeniorum paleſtras eorum veneres diffugiunt, ſecretis interim meditationibus dumtaxat contentæ. Ex quo alieni quod ſint prorſus a veterum conſuetudine, qui vt Heroica carmina plenius ac fælicius animis conterent, acerbiori & mordaciori lauro, *Apollini* quondam ſacra, veſcebantur: Vnde dicti [illegible] vnuſquiſque eorum priuati ſui aſelli molliculas aures, vtpote [illegible] morſicat, quo arcanorum hauriant intelligentias. Et dictu plane incredibile, poſtquam academica ſpacia reliquerint, & ruri egerint, iam inde agreſtes facti, in quantam animi, corporiſque concretionem ſolent deuenire, quam ſpiſſos & paludoſos vapores in aures creduli popelli Theologi plane *Sileniani* concionantes exhalare. & tunc in illo plenilunio ruſticano quid non de idololatria, de ſuperſtitione Romana? Gloriantur quidem ſe ſolos doctos, ſolos in lumine ſapientiæ & ſcientiæ verſatos, tametſi Cymmerii prorſus ſint, & vtriſque deſtituti. Quod ergo quantum ad Naturalem Philoſophiam affirmauit *Cicero* de Aruſpicibus, idem quod ad vniuerſam ſapientiam ac Scientiam de Proteſtantibus iure dici poterit: nempe eos vrbem ſapientiæ & ſcientiæ prodere, dum ſuarum particularium hæreſum caſtella defendunt: *Nam dum ſectam veram eſſe vult, ſapientiam totam peruertit.* Et quemadmodum in eis ſenſus hæreſeos labilis & occiduus, ita ſimiliter integra eorumdem contemplatio leuis, & ad varios occurſus mutabilis. proinde adfines oſtreis, conchiſque, quandoquidem eorum inſtar, *Cum luna occationis temporaria creſcunt pariter, pariterque decreſcunt*, vt *Cicero* diſſeruit. Similes etiam omnino eis, qui habitant iuxta Æquatorem, quorum oculos latent immobiles certique cæli Poli. proinde medij cæli vagis ſtellis directi, curſus defixi firma Cynoſura carentes, huc illocque pererrant.

Rhodigin. lib 5. lect anti. cap 7.

Rhodigini lib. 5. lect. Antiq. cap. 7

Ouid. lib. 1. Faſt.

Cicer. lib. 2. Diuinat.

Lucan lib. 9

Claud. Rap. proſ. lib. 1.

——— *nullumque in vertice ſummo*
Sydus habet immune maris: procul axis vterq; eſt,
Et fuga ſignorum medio rapit omnia cælo.
Interea loci ——— vanas tonitru deludit auras.

9 At vero, quemadmodum intellectus humani a bonis literis ſolida inſtituto, vti diximus, vim in homine concupiſcibilem & iraſcibilem plurimum compeſcit ac moderatur, ita ignorantia & neglectus literariæ diſciplinæ vtramque permittunt efferari, & in actionum prauitates importunius irrumpere. Cum ergo Proteſtantes incurij exiſtunt Metaphyſicæ, ac ſtudiorum ad rerum profunda penetrantium, conſequenter in illis animo hebeſcente, concupiſcendi, iraſcendique facultates imperioſius dominantur, quæ morũ barbariem demum apud illos proferant. horum quidem colores ac ſapores in eorum ſcriptis perpetuo vigent: vel enim ſtylum exerentes, verbis ac iocis ludunt ineptiſſime, quod concupiſcentium eſt: aut immaniter debacchantur, calumniantur & mentiuntur, quod iratorum furiatorumque genuinum. atque in iſtis ſalibus ac ſatyricis mirum in modum ſibimet placent, eiſque vſurpandis exiſtimant, ſe ſummæ doctrinæ culmen ridentes aut furentes attigiſſe. Sine lenocinante venere, aut debacchante *Hercule* ſcribere neſciunt Proteſtatores. at quid hoc ſtylo tantum imputarem, cum etiam in ipſorum vultibus illud appareat

Plato lib. de vit. Ficinus in prologo.

reat conſpicuum? Animo certe ſemel indocto exiſtente, ſemper concupiſcentia & ira ab imperio ſolutæ, ſui characteres etiam in corporibus expreſſius deſcribent. Quos ergo ex noſtris eorum libri repererint magis quam decet concupiſcentes & iratos, illos facilius ad ſuas partes pellicient ob ſympathiam inter docentem & auſcultantem.

Auguſtin. in Pſa m. 103.

Sunt quidam, inquit S. *Auguſtinus*, *carnales, & tamen Eccleſiæ gremio continentur, viuentes ſecundum quendam modum ſuum, quibus timemus, ne ſeminatur ab hæreticis.* Comparat idcirco S. *Ioannes* Euangeliſta hæreticos, qui & Antichriſti præcurſores, quales Proteſtantes, equis, quorum omnis ad nocendum vis in ore & in cauda. at quid ſermonis ab equo exſpectandum ſi illi natura loquendi munus contuliſſet, præter illud, quod difflatis naribus vel laſciuiam, vel furorem ſpiraret?

Apoc. 9

Gregor. lib. 3 in Iob. cap. 16.

10. Ex hoc etiam pronuncio, fidei capitales hoſtes eſſe Proteſtantes ac ſtipendiarios Antichriſti milites, ad id laſciuiæ ſuæ hæreſeos ſtipendijs conductos. imprimis ipſi delectum fecere Theologiæ, quæ hæderæ inſtar in terram abiecta, ſerpentino ritu interius obrepit; recuſantis philoſophiæ firmamenta ac robora, quæ eam in altum intelligentiæ contendentem ſuſtentarent. Deinde Philoſophiam illam ſcholis ſuis eiciunt, quæ fidei ſententias docte explicaret, quæ illas alijs redderet credibiles, eorumque argumenta diſſolueret, qui philoſophiæ copias contra fidem in aciem educere aſſueſcunt. quid hoc aliud, quam cauſam fidei prodere, quam viam atheiſmo & idololatriæ ſua inſcitia munire. flamma nō ſolū Troiæ nocuit, ſed inſuper & fumus eidem obfuit. Similiter non tantum æſtus libidinis diuinorum notiones animis mortalium exurit, verum etiam ignorationis obſcuritas earum fulgores extinguit. amborum vero malorum, in perniciem ſalutaris ſapientiæ intentorum, architecti Proteſtantes. *Tertullianus* loquens de Dei prouidentia ad nos erudiendum, ait. *Præmiſit tibi naturam magiſtram, ſubmiſſurus prophetiam, quo facilius credas prophetiæ diſcipulus naturæ.* Non eſt ergo quod in ſpacijs ſuis academicis ouantes *Apolloni* ſacram laurum in monte Pernaſſi creſcentem ſibi iam torqueant in coronas: aptius fecerint, ſi Veneris mirtum in eum finem vſurparint, quotum quippe curæ literariæ leues, & ſtudia delicata: niſi ex horto *Midæ*, vt loquitur *Tertullianus*, roſas potius colligere, quibus tempora velent, illis collibitum fuerit.

Tertull. de Reſur.

Tertull. de coron. milit.

11. Ac vt in vniuerſum, ſpeculatiuis officiunt ſcientiis ſua inertia Proteſtantes, ſic etiam inter liberales, in Muſicam parum induſtrij aut æqui inueniuntur, ſi cum noſtris conferantur. Supra diximus Muſicam quandam eſſe ſpeciem eloquentiæ, ſi vtriuſque finem, ſcilicet cum motu animi, veritatis ipſius conceptionem expendamus. Non enim aliter excitat aut ſedat in homine motum appetitus ſenſitiui Muſica, niſi veritatem aliquam repreſentando tam rationi ipſi, quam imaginationi: cum ſonus Muſicus nihil ſit aliud, quam pictura alicuius affectus, rei ipſius, ſeu cauſæ obiectiu euocandi. *Scythæ*, inquit *Plutarchus cum magnopere ſe indulſiſſe potui cennunt, arcuum chordas pulſare conſueuerunt, vt diſſolutum voluptate animum ad priſtinam reuocent continentiam.* De effectibus autem Muſicæ tam quod ad corpus, quam quod ad animum, agunt *Macrobius, Clemens Alex.* & *Caſſiodorus*. Vix autem intelligo, quæ de brutis animalibus, Muſicæ ſono delinitis narrat *Clem. Alex.* vt pote coruum, & cicadam Pithiam, aduolaſſe ad citharam pulſantem, ruptæque in illa chordæ ſonum ſuis cantibus suppleſſe.

Ariſt. lib. de Muſica.

Plutarch. in Demetrio.

Macrob lib. 1. Satur Clē. Alex orat. hort. ad Gēt Caſiod. lib. 2. Epiſt. 40.

12. Imprimis Catholici ſacram Muſicæ vſum diligentiſſime colunt: horas enim Canonicas, ac Dei cultum liturgicum ad exemplar orientalium indies, adeoque noctu, vt recolunt *S. Auguſtinus, S. Cyrillus*, & *S. Ambroſius* modis muſicis perſonant ac cantant. Quod genus cantus ad miraculum vſque, vel etiam apud peritos illius artis, hodierna die eſt in admiratione. Et quidem pro varietate rerum, vocibus ſacris expreſſarum, cernitur in hoc choro varietas modulationis Muſicæ: ita tamen vt in hac ipſa varietate, ſingula verba, ac eorum ſenſus, proprios habeant ſonos. Finis in eo ſpectatus cernitur, ad ideam Angelorum, in animi quadam illuſtratione, abductioneque ab alijs rebus: ſimul ac in affectus maiori motione erga diuina. eſt enim Muſicæ ingenita virtus ad hæc procuranda: cui, ſcilicet Eccleſiaſticæ, maiorem conferre, quod ad ea educenda, Spiritum ſanctū, qui illum primo condidit, omnino exiſtimandum, idque apud pios experientia ipſa oſtendit quotidiana. *S. Auguſtinus* recolit, ſe ad lacrymas vſque audiendo Eccleſiæ cantus fuiſſe commotum. Porro, quod Muſica aliunde quoque ſit ciuilis, quatenus nempe per modum liberalis recreationis oblectando, iraſcibilis in homine facultatis rigorem lenit & humanitatem ipſam contra mores aſperos defendit, idcirco Catholicorum animi libenter eius moderatum exercitium laudant, fouent & propagant: & ſane ex eo non alij noſtro hoc ſæculo in hac arte liberali floruere, præterquam Catholici.

Auguſtin. l. 9. confeſ. c. Cyrill. catec. 9. Ambr. Serm. 43.

Auguſtinus lib 9. confeſ. cap. 6.

13. Proteſtantes vero quantum ad hoc cum impij, tum etiam barbari inueniuntur. In eo quidem omnes conuenere, quod cantus Eccleſiaſticus apud nos vſurpatus ſit penitus abolendus: cæterum an de reliquo vllus certa lege conſtitutus, ſit ad ſacra arceſſendus nec ne, minime conſpirant. Axioma apud Caluiniſtas, nullum Dei cultum admittendum, qui non ſit diſerte præſcriptus in ſacris literis: quod ergo ſtatuti cantus non vlla mentio in illis, concludunt inde, haud eſſe in ſacris adhibendum. quando vero ſuadent ſcripturæ, vt himnos & cantus ſpirituales Deo concinnamus, id interpretantur non de decreto cantu ab humana voluntate aut auctoritate, ſed de cantu cordis aut oris vnicuique priuatim a Spiritu ſancto inſpirando. Hi idcirco in choro aut Eccleſia cantare recuſant, ſed vel ibi conticendum ducunt, vel ritu Babylonico ab vnoquoque proferendum ſuum cantum ex proprio vniuſcuiuſque delectu contendunt: vt appareat, Proteſtantes non melius conuenire in cantu ſacro, quam in fide ſacra. Alii autem, paulo ſuperſtitioſiores, cantum volunt definito ſono & rhythmo inſtitutum,

1. Cor. 4.

tholicis quātū ad diuina. prudētia animos hoc ritu illuſtrauit, tū eadē ſubinde aptiores fuerint, qui etiam in humanis genuina prudētia ſplendeant.

17. Quantum ad Hæreticos duo ſunt, vt alias adnotaui, in ipſis, quæ prudentiæ vel maxime obſunt: voluptas & ira. quocirca, cum Catholici, vt poſtea oſtendam, melioribus inſtitutis vtraque hæc mala a ſe obarcēt quam Proteſtantes, conſequens, illos prudentiores. Vſu rerum innotuit, idque hæreſis ingenio inſitum, in animi perturbationes vehementer incitari Proteſtantes, & in crudelitatem plerumque eſſe præcipites. qua de cauſa nequeunt prudenter rerū momenta expendere: & multoties id paſſione aliqua irritati, etiam in comitijs publicis tranſigunt, quod ſubinde mutatione aliqua diſſimulandum, vel pœnitudine deplorandum: vti ex Parlamentis Anglicanis, Synodiſque Germanicis ſæpius orbi Chriſtiano conſtitit. Nobis quidem repugnantes, quod careant ſolidis veritatis argumentis, neceſſe eſt, illos furere, ac inde minus prudenter perpetuo conſtituere: cum furor prudentiæ lumen obnubilet, vel extinguat.

Cip. lib. de bon. patien.

18. Enimuero impatientia, vt ait *S. Cyprianus*, mater eſt hæreſum: eaque incitante incæpit Proteſtantiſmus: impatientia autem magna animi perturbatio, idcirco prudentiæ temperiei & moderationi omnino infeſta. *Lutherus* impatiētia, ex agitatus ob amiſſum priuilegium diuulgandi Indulgentias Apoſtolicas: ob dicta ſcriptaque ipſius acrius a Catholicis refutata, & a Cardinale *Caietano* expreſſius damnata, proruit præceps in Proteſtantiſmū: hoc eſt ad exemplar *Manichæi* in multarum hæreſum prius electam colluuiem. *Caluinus* intentatę ſibi iuſtitiæ ciuilis vim exhorreſcens, ſimulque libidine vexatus, puriorem partem Proteſtantiſmi ad meram impietatem, ſcelerumque impunitatem impatientia furiatus, excoxit. Summatim Proteſtātes nolunt ex impatientia ſubeſſe Eccleſiæ: in ea monarchiam deteſtantur; eoque quicquid pro ſua ſecta egerint, id minus prudenter præſtiterint.

Luth. ep. ad Leon. 10.

Tert. lib. de patient.

Palam eſt, inquit *Tertullianus*, *impatientiam cum malitia, ab impatientia auſpicatam, deinde inter ſe conſpiraſſe & indiuiduas in vno patris ſinu adoleuiſſe. Qui impatientia concitatur, terrena cæleſtibus anteponendo, de proximo in Deum peccat.* Factioſi quidem acres eſſe poſſunt & vigiles, prudentes nequaquam: animis enim continuo turbantur, cogitantes ſubitaneis mentium impreſſionibus percelluntur: quicquid ab eis procedit, non tam exit, quam erumpit. Quid ni verò Proteſtantes pro factioſis haberentur qui vt a Catholica Eccleſia transfugæ, ita in eam improbiſſimi continuo machinatores? Factioſum negotium in materia fidei, quicquid extra Eccleſiam Catholicam peragitur. nō maior ergo Proteſtantū prudentia, quā rebellium, quā piratarū, quā incendiariorū. Diuina prudentiæ lux, vt ait ſcriptura, haud cernitur in commotione, ſed in ſibilo potius auræ tenuis: lenis eſt & placida veri collustratio, non a contorto quaſi oculo radij viſualis fulminatrix eiaculatio. Proteſtantes vero toti in commotionibus vindictæ, toti in violentis exacerbationibus iudicij, toti in carnis & ſanguinis ad ebullitionem vſque barbariei, ſermonibus, ſcriptis in aliorum contemptu iactabundi.

3. Reg. 19. Sap. 1.

19. Ab imprudentia certe vniuerſa opinatio Proteſtantum in rebus fidei ſumpſit initiū. Imprudentium hominum omnino fuit, ad apoſtaſias, ac tædas *Lutheri* atque *Caluini* coniunctiſſimas, illico recedere ab Eccleſia, & ad eorum diſſonantes ac ſordidas partes transfugere: arbitrari allatas ab eis recens ſcripturæ interpretationes, veriores alijs omnibus, quas Patres, Græci ſimul ac Latini, maxima cū ſua laude ac merito poſteritati antiquitus tradiderant. Imprudentiæ inſignis fabula, nullum curare iudicem controuerſiarū, præter priuatum vniuſcuiuſque ſpiritū, varie ſcripturæ voces ac ſenſus contorquētem, ad imprudentiam referendum, quod nullam ferme externā religionē admittunt, interim ſolis auribus, eiſque prurientibus indulgentes. Summæ imprudentiæ fuit, Eccleſiæ ſuprema capita decernere Reges ac Reginas, vel in vnaquaque exiguā parochia popularitatem. Prudentiā in Proteſtantibus omnes alij deſiderant, quando, inaudita cauſa, nec vnquā Catholicis abiudicatā, horrendis pœnis vbique locorū in eos deſæuire animaduertunt. Spectabilis in eiſdem imprudentia, aperta legū ſententia plectentibus Catholicos ob cultum religionis Catholicæ, interim vaniſſime affirmantibus, ſe neminē acerbius tractare propter religionē, ſed in Principē aut ſtatū proditionem. Facto Anglorū Proteſtātiū extremæ imprudētiæ nota inurēda, quod variis pœnis cōpellere voluerint Catholicos ad frequentandū eorū Eccleſias: nā hoc licet Catholicis perniciosū, quippe eo agētibus cōtra cōſcientiā, id tamē neutiquā vtile Proteſtantibus: quod eo nomine a Catholicis odio habiti, quod eos in tale flagitiū adegerint: ſēper animis etiam magis auerſātes eorum religiones. ipſa ſæuitia Proteſtantū plures inimicos ſuæ ſectæ peperit; adeoq; nō cōtēta quod hoſtes foris manēāt, illos voluere etiā in ipſorum cœtus & ſecretiores familiaritates imprudēter admittere. Denique mortaliū imprudētiſſimi, dū tot libellos indies ſcriptitant ſoliditate argumēti prorſus vacuos, mens autē nugis plenos, calumnijs apertiſſimis, mēdacijs, ac impoſturis onuſtos. quis ad hæc, multaq; alia Proteſtātū facinora animū adijciēs, nō ſtatim pronūciabit, illos haud minus a prudētia actionis, quā a veritate dogmatis aberraſſe?

20. Cū vero in omni actione honeſta, prudētia requiratur, tū vel maxime in delectu fidei & religionis ſpectāda. Hinc Apoſtolus, vt obſeruat *S. Baſilius*, Titū admonet: *Loquere quæ decēt ſanā doctrinā.* quid vero in hoc inſtituto deceat, id prudētiæ ſtudio diſcutiendū quo τὸ πρέπον inueniamus. in quo negocio nihil ad veritatē confert ingenium ſui nimium confidens, & quod ſibi ſapere, veluti a communitate diſceſſum appetens, diſcupiat. ouiū proinde gregatim verſantium eſt hoc lumen, non leonum aut accipitrum, qui ſolitudine delectantur. Enimuero charitas, quæ conſortium amat, auctrix ac nutrix, quod ad diuina, prudentiæ. *Magnum ait Sanctus Baſilius, profecto adfert hominibus vtilitatem conſilium, eo quod nemo ſibi ſufficiat ad electionem rerum vtilium, honeſtarumue, ſed pluribus*

Baſil. Hom. 11. Ethic.

Baſil. hom. 21.

ſane ſociis, iiſque ſolertibus opus habet. Hanc à pru-
dentiæ animi directionem putat *S.Gregorius* ſig-
nificatam *Linea* apud *S.Iob*, quam Deus ſuper
Iob.38. terram extenderat. Hæc linea, qua lata cogite-
tur, caret omnino quantitate & eſt indiuiſibilis:
quà vero longa per totam terram extenditur.
Quamobrem Eccleſiæ *Traditio*, hæc linea eſt,
ad quam fides in nobis efformanda, latitudine
caret quandoquidem ab ea recedens, ſiue ex-
ceſſu ſiue defectu, ſe tradit errori & damnatio-
ni iuſtæ. longa autem eſt, quandoquidem ad
omnes veritates à Deo reuelatas temporis ſuc-
ceſſu, adeoque ad vitam æternam ſeu lumen
gloriæ, in quo vt in puncto deſinit, extenta.
Gregor.li.11 in Iob. *Traditionem* iſtam contineri dicit *S.Gregorius*, *Pa-
trum exemplo. Nam qui per voluntates proprias ſecu-
ra mente ſe dilatat, anguſtæ ſibi portæ aditum damnat.*
Deus autem tam intellectui quam voluntati in
homine propoſuit lineam, arctam viam, & an-
guſtam portam. quod ad intellectum, de quo
Math.7. modo inquirimus, linea, arcta via & anguſta
porta, eſt Eccleſiæ *Traditio*, ſcripturas admittens
& eas interpretata. quæ ideo linea arcta & an-
guſta, quia in re nulla admittit ſpacium volunta-
riæ electionis in nobis contra eius ſententiam.
ſoli itaque veræ prudentiæ adſunt acres oculi,
qui hanc lineam, hoc arctum & anguſtum per-
ſpiciant. Hàc autem nõ vidit Proteſtantium im-
prudentia, quæ latitudinem & immenſitatem
ſpectat arbitrandi ex priuato ſpiritu ſcripturas
accepıante & exponente. Nihilominus in ſpe-
ciem horum imprudentia aliquos terminos ha-
bere videtur: ſaltem enim ſacris ſcripturis ſuã
fidem definiri dicunt. proinde Anabaptiſtæ,
qui etiam reiectis ſcripturis, omnia priuatis en-
thuſiaſmis metiuntur, vt lõgiſſime recedũt a li-
nea, ab arcto & anguſto, ita omnium mortali-
um imprudentiſſimi merito iudicentur.

22. Prudentia porro, quod docet etiam *Ari-
ſtoteles*, coniungitur cum alijs virtutibus: ita vt
Ariſt 6 Eth. cap 12. vt prudens ſit pariter in vniuerſum honeſtus
ac virtutibus inſtructus. Et quemadmodum
S.Thom.1.2 q.57.art.4 prudentia virtutes alias profert, ſic viciſſim ab
eiſdem nutritur atque ſuſtentatur. *Intellectus bo-
nus*, ait Pſalmiſta, *omnibus facientibus eum.* Quo-
circa vitia, quæ corrumpunt virtutes, ipſam
Pſalm.100. quoque prudentiam demum exterminant. Pro-
teſtantes itaque nihili facientes virtutum mu-
nera, quæ & opera legis, adeoque carnis appel-
lant. iuſtitiam ſuam erga Deum ſtatuentes, eti-
am dum virtutes ab ipſis violantur, vt iam ſta-
tim dicam: ex eo ipſam prudentiam, perſuaden-
te ipſos turpi ac cæca hæreſi, cum alijs operibus
profligandam ſibi proponunt. *Hoc enim recte dicit*
Auguſtin. in Pſalm 118. Concio 22 *Chriſti corpus*, inquit *S. Auguſtinus*, *in eis, quibus
mandata ſeruantibus, propter ipſam cuſtodiam man-
datorum, præbetur vberior doctrina ſapientiæ*: dum
Pſalm. 118. illud pſalmi interpretatur, *A mandatis tuis intel-
lexi.*

CAPVT VIII.

*Vita moralis ſeu ciuilis ratio ortum ducens ab ea
virtute in homine quæ Intellectus appellatur,
cuius oculo pulcherrima honeſtatis boni-
tas, iuxta ac vitii fœdiſſima malitia,
cernuntur, contra Catholicorum ſẽ-
tentias, Proteſtantiũ dogmatibus, ad
barbariẽ efformatis, expugnatur.*

CVm naturæ ipſius luce, ſimul ac
communi prudentiũ Philoſophia
ſatis euidenter cõſtet, à cultu vir-
tutis oriri ac perfici morũ inter
homines ciuilitatẽ, tum eodem li-
quet, eam demũ eidem eſſe conſentaneã, quæ
virtutũ decora exactius perſpicit, & declarat v-
berius, cuius vi in ciuiũ animis in virtutẽ, vtpote
in imaginẽ Dei in homine, vt ait *Cicero*, exciten- Cicer lib.1. De legib.
tur calentiores amores: contra, illos pro hoſti-
bus habẽdos ciuilitatis, qui virtutũ dignitates
extenuant, & ſi quæ in ſe continẽt noſtrorũ ſtu-
diorũ illicia, turpiũ dogmatũ fæcibus contami-
nant. incidimus ſane in ea tempora, in quibus,
vt olim ſcripſit *S.Bernardus*, *De virtutibus & vitiis* Bernard.Epiſt.189.
*non moraliter, de Sacramentis Eccleſiæ non fideliter, de
arcano S.Trinitatis non ſimpliciter nec ſobrie diſputa-
tur: ſed cuncta nobis peruerſe, cuncta præter ſolitum,
& præter quam accepimus, miniſtrantur.* Sane nulla Lactant. de fal. Sap. cap 7.16. Ariſt.2. pol.cap.8.
in re pernicioſius in ciuitate erratur, quã dũ fal-
ſa dogmata contra morales veritates, vt ait *La-
ctantius*, id eſt contra virtutum præſtantias iuxta
ac vitiorũ dedecora, a ciuibus ſuſcipiuntur. cum
enim virtus in ſe complectatur vniuerſũ bonũ
ciuilitatis, ac eiuſdẽ ſit finis: pariter contra om-
nes in vita moleſtias leuamẽ & perfugium exi-
ſtat, inde qui eã prauis ſuis ſententijs expugnãt,
ij ciuibus, veluti nauigantibus portũ eodã adi-
munt, imo in periculis & moleſtijs conſtitutis,
armamenta ſalutis, tranquillitatis aurã impijſſi- Senec.ep.27 ad. Lucil.28
me eripiunt. *Sola virtus*, inquit *Seneca*, *præſtat gau-
dium perpetuum, ſecurum: etiam ſi quid obſtat, nubi-
um modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vnquam
diẽ vincunt. Initium eſt ſalutis, notitia peccati.* Quæ
in vniuerſũ hac de re poterunt diſputari, viſi ſu-
mus antea diſcuſſiſſe: ea ſolum proinde infere-
mus, quæ ob hæreſim Proteſtanticã, cuius vi or-
thodoxi ab eis diſſentimus, examinari poterunt.

2. Apud nos ciues, legibus obtemperaturi ad
mandatũ Principis aut reipublicæ, aliquid pro
publico bono exigentium, propoſitã a lege vir-
tutem intuemur & agnoſcimus vitalem animi
motum ac connixum: nempe laborem humanũ,
contentionem noſtrã, & ſummatim cum diui-
na gratia hominis cooperationẽ. Cuius opinio-
ne imbutus animus *S.Pauli*, dixit: *Bonum certamẽ
certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* In quo
vita animæ moralis ſimilitudinem retinet cum Ariſt lib.10 Ethic.ca.7.
vita corporis naturali. Hæc autem vt ait *Ariſtote-
les*, *Quædam eſt operatio.* Spectanda idcirco in
anima vita, eſt operatio. Proteſtantes vero vir-
tutem ſibi obiciunt tanquam qualitatem plane 2.Tim.4.
emortuam, nempe voluntati hominis, ſeſe
paſſiue habenti, diuinitus impreſſam. quod ſi
verum fuerit, nulla ſane ſpecies, nullus valor,
decus nullum honeſti, aut ſolida delecta- Ariſt.10.Ethic.cap.4.
tio, quæ operationem abſolute perficiat,
virtutem

virtutẽ ciuibus amplius commendabunt. Multæ quidem hæreſes ab antiquo, vtpote quæ liberum arbitrium inficiebantur, quæ mundi fabricã a malo Principio ortam fabulabantur, in virtutũ decora eodẽ hoſtiliter cõſpirarunt: quas Proteſtãtes etiamnũ vel imitantur, aut in inferno ſepultas in hunc lucẽ, immanes *Hercules*, ad expugnanda virtutum decora reducere conantur.

Claud. lib. 2 de rapt. Pro.

——tua cur ſede relicta,
Audes tartareis mundum inceſtare quadrigis?

Communis generis noſtri intelligentia apud omnes definiuit, virtutes opera eſſe facultatis alicuius in homine ſtudijs. proinde *Ariſtoteles* negando eas eſſe dona fortunæ, conſequenter inficiatur, ſimplicia eſſe beneficia, aliunde, vel ab inerte accepta. *Iuſtus* inquit, *& temperatus nemo eſt a fortuna, nec per fortunam.* Idcirco, vt notauit *Plutarchus*, veteres Fortunæ, & alijs multis rebus templa dicarunt, at iuſtitiæ, temperantiæ. ac reliquis virtutibus, humana actione exprimendis, nullum ab eis templum vnquã dicatum: quo ſignificarunt, virtutes actiuas nõ eſſe mere Dei dona, ſed ſimul humanæ voluntatis moliriones. *Propter virtutem*, inquit *Cicero, iure laudamur & in virtute recte gloriamur: quod non contingeret, ſi id donum a Deo non a nobis haberemus.* Ob hanc cauſam veteres, Numina orantes pro ſucceſſu rerum proſpero, ad id opus ſeſe parabant, pro cuius fœlicitate vota ſoluebant; nempe Ruſtici ſtiuam tenebant, petentes Deorum ex cæli temperie munera: Milites armati, ſibi eorum fauores ſua pietate conciliare conabantur. *Tum pius Æneas ſtricto ſic enſe precatur.* Orabat itidem apud *Plutarchum Æmilius* pro victoria, ſed *Arma vibrans ac pugnans.*

Ariſt. 7. Pol. cap. 1.
Plut. in Demetr.
Cic. li. 3. de Nat. Deor.
Virg. Æne. 12. 175.
Plut. in Æm.

3. Et quidem vt naturæ, facultatibus in homine inſtructæ ad operandum, finis, recte Philoſopho, operatio rectæ rationi conſentiens, ſeu quod idem eſt, operatio virtutis, ita id affirmante Apoſtolo, finis fidei, ex operibus cunctarum virtutum eſt Sanctificatio: proinde extremum Dei iudicium, quo omnia noſtra finiuntur, hominum opera reſpicere dicitur. *Ergo die iudicij* inquit *S. Ambroſius, aut noſtra nobis opitulabuntur opera, aut ipſa nos in profundum, tanquam molari depreſſos lapide, mergent.* Hæc animis percipientes, ſcilicet in virtutum muneribus decus noſtrum collocari, iuxta, eadem eſſe noſtro a conatus inde mente vigiles, ac voluntate exciti ſedulo operam damus, vnde omni genere honeſtæ actionis in illum diem abundemus. Proteſtantum autem ſenſus virtutum penitus incurij reſupinantur, earum ſtudia, ipſis a Deo incutienda, feriati contentione præſtolantur. in hoc, ex *Caluini* mente, ponunt Sabathum Dei, ab ipſis tam diſtricte obſeruandum, in quo diuinis operibus confiſi, ſuis abſtineant prorſus ac ſuperſedeant. quam autem ad omnem turpitudinem ac barbariem proiecta ſit hominis vita, cuius vim otium ac ſegnities ſemel occuparunt, quis non videt? *Hanc venerationem naturæ, o Lutheri, deſpiciat* ſit Deus continuo opere diſtrictus, Chriſtus tanquam Vitis perpetuo in ſuos palmites influxu occupatus, moueãtur angeli ſuis diſcurſionibus & miniſterijs agitati, currant cœli perennibus motibus, elementa excitandis mixtis minime interciſo opere verſentur, auiculæ ac feræ diuerſis ſtudijs indeſinenter contendant, herbæ plantæque ſuis connixibus fructus indies proferant: inter hæc tamen laboris & actionis prototypa, ſolũ hominem, ex ſententia Proteſtantum, Sabatiſare & quieſcere oportet, vt Dei dona excipiat, eaque commendet! Iſtis vero plane oppoſita Chriſti Domini doctrina, quæ Dei beneficia negat ab humano labore diſtrahi. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit uobis.* vtraque hæc copulata inter ſe reddunt virtutem pulcriorem. ſi enim virtus eſſet animæ cibus, ſolus naturæ viribus parabilis, non eſſet ea qua eſt dignitate. rurſum ſi eſſet cibus tantummodo a Chriſto nobis datus, in nos veluti in vaſa effuſus, decore ſuo priuaretur, & nos inde eodem deſtitueremur: proinde cibus eſt cum noſtri operis, tum diuini beneficij. neque vel terra, quantumuis herbarum & florum fœtibus locupleta, gloriatur ſe ſine cœli rore ad hanc ſuam vbertatem perueniſſe. Quinimo cum dicant Proteſtantes, nos ideo paſſiue ſolum nos habere in operibus fidei, ſpei, charitatis, & reliquarũ virtutũ, eo quod fiet in nobis effectus diuinæ gratiæ, inde etiã adfirmare debebunt, opera etiam virtutum præſtita ab humanitate Chriſti, ſolum paſſiue fuiſſe ſuſcepta in ipſius animam, non vllo eius motu gratiæ cooperante expreſſa: quandoquidem a gratia ſupernaturali, humanitati conceſſa, proceſſerint. ex quo non eſſet congruum, Chriſtus diceret, cibum eius fuiſſe *Facere* voluntatem ſui Patris, ſed potius cibum fuiſſe, voluntatem Patris *Patiendo*, in ſe admiſiſſe.

Rom. 2. Tim. 1. 2. Cor. 5.
Amb. lib. 7. Ep. ep. 44.
2. Cor. 9.
Calu. 2. Inſt. cap. 3. num. 3. VVitak. l. 1. de peccat. orig. cap. 3.
Rainol. Th. 5.
Tertul. l. de Reſur.
Conc. 6 cõl. Trid. ſeſſ. 6 cap. 5.
Ioan. 6.
Ioan. 6.

4. Nos porro ea præſtantia ducimus eſſe virtutes, vt ob eam iudicemus eas functiones Euãgelij, ac eiuſdem fructus nullo modo lege fidei excluſos, quinimo potius legis fidei terminis cõplexos, adeoque ipſammet legem fidei, ſeu gratiæ, ad eos, vt ad fines, relatam. Lex enim factorum ſeu opera, quæ Apoſtolus ab Euangelio, & lege gratiæ ſecernit, exiſtunt aut opera propria legis Moyſaicæ, aut etiam opera naturalia ex virtute morali præſtita, a fide in Chriſtum diuulſa. Cæterum fide Chriſti ſemel concepta in animo alicuius, ſtatim ſequuntur opera virtutum, eaque excellentiſſima, quæ ad legem fidei omnino pertinent, quæque lege gratiæ, libertatis, & Euangelij continentur. Hinc poſt *Irenæum S. Auguſtinus* docuit, legem fidei, nempe Charitatem, habere opera ſua, quemadmodum olim retinuit lex factorum opera ſua: adeoque opera virtutum hominem contingere etiam vt credentem ac Chriſtianum. Diſſerens enim de illo conflictu, quem omnes virtutes exercent contra concupiſcentiam in Chriſtianis, ait: *Iſte conflictus non Iudæorum, nec quorumlibet aliorum, ſed plane Chriſtianorum fidelium.* At Proteſtantes, in ciuiles virtutes hoſtes coniurati, credere faciunt ſuos, opera virtutũ moralium, ſeu vniuerſã vitæ honeſtatẽ, indigna eſſe, quæ gratiæ & Euangelij finibus ambiantur; neu aliud opus, præter vnũ fidei, gratiæ, ſeu Euangelij complexu coerceri arbitrantur.

Rom. 12.
Iren. l. 4 cap. 27. Auguſt. de Spir. & Lit.
Aug. lib. 3. cont. Iul. cap. 26.

Cumque hoc pacto ſint effectus ſanguinis Filij Dei, quo vegetamur & ornamur, tum neceſſe illas ab eo ſanguine ducere præclara ſui decora, vnde & meliores ſint terræ fructibus, quos A-
1. Iacop. 5. poſtolus *Iacobus* appellat precioſos. *Ecce Agricola expectat precioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum.* ſi a temporaneo & ſerotino fructus terræ precioſi, quã precioſæ fuerint virtutes, quæ fructus ſanguinis Filij Dei! per haſce virtutes, quod admonet Apoſtolus, induimus Chriſtum, quibus eum i-
Coloſ. 3. mitamur, induentes *Viſcera miſericordiæ*. Quo porro Chriſtum induimus, eodem induimus polymitam & ſanguineam tunicam *Ioſephi*. Imprimis hoc ritu induimus tunicam *Ioſephi*, quia
Gen. 37. ſicut *Ioſephus* vltimo loco a patre ſene genitus, mondo inueterato, ita in vltima ætate conſtituto vocati ad hæreditatem æterni Patris. Deinde tunica *Ioſephi* fuit polymita, quandoquidem integra iuſtitia in nobis actiua, ex multis operibus diuerſarum virtutum tanquam varijs coloribus coaleſcit. Poſtremo quod tunica *Ioſephi* fuerit ſanguine tincta, id nobis indicat noſtras virtutes fructus & effectus eſſe ſanguinis Chriſti, tanto illius precio ei conſtitiſſe, & proinde ab illo ſanguine miram gratiam ac valorem mutu-
2. Reg. 23. aſſe. ſi iudicio *Dauidis* precioſa habita aqua hauſta ex ciſterna prope Bethlem, quod periculo ſanguinis acquiſita, quanto precioſiores in nobis virtutes, quas nobis Sanguis Filij Dei comparauit? Spacientur ergo ciues, eorum iudicijs, extra Euangelij, & gratiæ legem, quando virtutibus impigre ſtudent: quando amant Deum ac proximum, quando ob peccata commiſſa dolent, quando in ſemetipſis effrenes motus appetus ſeuerius compeſcunt, quando Principi obediunt: ac ſummatim, quando ad procurandum bonum commune fortiter agunt, aut patienter moriuntur. Quis precor, vitam fidei conſtituet extra fidei legem? Charitas autem,
Bernard. Serm. 3. de Reſur. quæ inter virtutes operoſiſſima, teſte *S. Bernardo*, vita fidei. *Vita corporis eſt anima, per quam mouetur & ſentit: vita vero fidei charitas eſt, quia per illam operatur: ſicut in Apoſtolo legis Fides, quæ per dilectionem operatur.* Cum hoc pacto Proteſtantes virtutum decora turpauerint: cum eorum gemmas fœce oppreſſerint, cum Euangelio indignas oſtenderint, de reliquo in hominum pectoribus nullus protſus flagrabit calor, quo ad ipſarum actiones multum incitentur. Sabatum Iudæorum olim ſanctum: at Proteſtantum hoc ſabbatum, illi ſimillimum, quod porcus in volutabro ob diei æſtum ſuo more cuſtodit.

5. Exiſtunt etiam quædam, quod ad noſtros ſenſus, deformitates: veluti veſtiũ rigores, vilitates, inediæ depaſcentes colorem carnis, officiorum abiectiones, ſub quorum formis virtutum formæ elegantiſſimæ vt in tuto, ita etiam in occulto latitare ſolent: de quibus alias diximus. Horum ſane interuentu virtus non ſolum abſcondi intendit, ſed etiam ex inuolucro eiuſmodi, ſua quidem natura indecoro, ſingularẽ quandam gratiam ac pulcritudinem ſibi ad extremũ comparare. Hoc modo virtus delituit in *S. Alexio*, ritu pauperculi cuiuſdam in domo paterna aliquot annis ignoto viuente: in *S. A-lexandro* Epiſcopo itidem, cognomento *Carbonario*, exercente in aliena regione ſordidum mi- Greg. Taumat. in vit. Alexand. Niſſen. ba-
niſterium: in *S. Franciſco*, ſtulti alicuius opinionem ſibi dedita opera conquirente, in Monachis Romæ, teſte *S. Hieronymo*, nobilitate claris. Cæterum virtutes Proteſtantum plane Cypriæ, hæc omnia ſolidarum virtutum monimenta, iuxta ac ornamenta, ſuperſtitioni, & hypocriſi ſicut vulgares contrarijs vitijs, vt no-
tat *Ariſtoteles*, attribuunt. gladios ſuos ſeruare a rubigine abſque vaginis, ſuas arbores viuaces ſine cortice reddere, volunt: & ſi quis in ipſis amor Dei, illum cupiunt in medijs amoribus mundi flagrare, eorum coloribus veſtiri, odoribuſque condiri. quæ apud nos virtutum vilia receptacula, ea apud illos ridicula & in contẽptu. at theſaurum inde non habebunt, quod arculam ferreæ laminæ ſpernant. Ariſt. 2. Ethic. cap. 8.

6. Fundamentum etiam, ex quo virtutis decus conſurgit, Catholici intuemur in libero delectu humanæ voluntatis, in eam incumbente. ob hanc cauſam naturæ bona vel ornamenta, Ariſt. 2. Ethic.
ſeu etiam brutorum conatus haud a quopiam cenſentur digni præmio aut laude. quorſum enim quempiam hominum dignum honore ob ea facta, quæ aliter ab ipſo fieri non poſſunt, iudicaremus? Boet. lib. 5. Conſol. Pros. 3. Auguſt. de lib. arb. ca. 1.
Proinde virtus quæ tam diuinæ gratiæ, quam liberi arbitrij effectus, ſua decreta gaudet remuneratione, in præclaris merito habetur, illumque reddit decorum, qui in eius ſtudio impigre occupatur. At Proteſtantes, quo virtuti hanc præſtantiam detrahant, aſſerunt, eam haud eſſe liberi arbitrij motum, ſed extremæ potius neceſſitatis effectum, etiam quo ad exercitium, quæ voluntatem non aliter quam naturam ipſam ad vnum quid determinat, ac deſtinat. quod ab ipſis dictum, ſi verum fuerit, adæque profecto in ſaxo recta ad locum ſuum cadente virtus reperietur, ac in homine vel optime ſe gerente. Virtus autẽ operatio eſt hominis, qua parte Deo ſimilis & proinde ea hominem Deo ſimilem efficit. eſt autem eatenus homo Deo ſimilis, quatenus Dominus ſuorum actuum: potens nempe illos proferre & non proferre. ergo virtus liberi in Homine arbitrij, Dei gratiæ cooperantis, libere.

7. Conſiderantes etiam orthodoxi, virtutis officium rectæ rationis iudicio, ac Dei legi eſſe conſentiens, ſingulare inde decus ac bonitatem eidem ineſſe pronunciant: neque ſane paruum quid eſt, tam eximijs regulis quidpiam in eiuſ apte reſpondere. Ob hanc cauſam laudatur a *Plutarcho Lycurgus*, quod iuſtitiam ob ſui præ- Plutar. comp. Num. & Lycurg.
ſtantiam regno prætulerit. Proteſtantes vero pati nolunt, virtutem huiuſmodi ſplendorem ac bonitatem in ſe retinere: ideoque affirmant, omnia etiam in iuſtis opera virtutum in ſe ſpectata, peccata eſſe mortalia, Deo odioſa ac æterno ſupplicio digna. Ex triplici quidem capite definiunt munera virtutum eſſe peccata. primo, quod malo aliquo fine ab operante appoſito continuo deprauentur. Caluin. lib. 2 Inſt. c. 6 vvitak. lib. 2 de pec. orig.
Deinde quod non attingant illum gradum, quem illis lex diuina, impoſſibilia mandans, præfixit. poſtremo, quod ab inhabitante in homine concupiſcentia tam habituali, quam actuali, tanquam tæda quadam

dam hic coinquinentur, plurimumque eo nomine Deo diſpliceant.

Vergil. Æneid. 3. *Rurſum ex diuerſo cæli, cæciſque latebris*
Turba ſonans, prædam pedibus circumuolat vncis,
Polluit ore dapes.

Quis obſecro ciuium, poſtquam hæc a Proteſtatoribus in opprobrium virtutis dicta, vera eſſe crediderit, magnopere de eius ſtudio laborabit, aut curam ſuam ex illa impendet communi aliorum vtilitati? Enimuero ciui operæ precium haud erit, agendo ſe contaminare, aut Deum lætaliter offendere: melius dubio procul ſe ab omni opere bono abſtinere, & ſomni letargo interim ſe tradere opprimendum præſtat, ocioſum eſſe truncum, quam ciuem flagitioſe operantem.

8 Diximus ſolam virtutem natura ſua eſſe ſuauem, ac inde ſtatuimus, illius in ciue vſum at ſenſum ciuilem eſſe, ob cuius dulcedinem non tantum ipſa gratiſſima guſtui ſentiatur, verum etiam aliæ vitæ moleſtiæ, ſi quæ inciderint, expellantur aut certe eadem mitigentur. Proteſtantes huic ciuili ſuauitati virtutis, & animi ex ea quietudini, barbariei omnino fauentes, aduerſantur. Quæ precor dulcedo orietur in eius pectore, qui ſecum ſtatuit, ſe nihil egiſſe virtuti incumbendo præter illud, quod deo inuiſum, quod peccatorum mortalium fæcibus contaminatum: adeoque iſtorum malorum cumulum eo in ſe exaggeraſſe in maius quo officiis virtutum extulerit copioſius? ad aſpectum proinde ab ipſo editarum virtutum, vtpote ſerpentum, exhorreſcet animo ciuis potius quam lætabitur. quam immanes hi Proteſtantes, qui bonis ciuibus etiam ex virtute, bonitatem, iuxta ac dulcedinem eripiunt, poſtquam interdum ſæui caſus eiſdem omnia alia fælicia abſtulerint? quemadmodum omnia elementa tunc quieſcunt, quando ad propria loca deuenerint, ita animæ facultates intellectus ac voluntas, tunc quieſcunt, quando ad veritatem & honeſtatem appulerint.

9. Cæterum ingens apud nos ad virtutem ciuilem incitamentum, dum exiſtimamus opera virtutum a iuſtis, & admiſſis in dei fauorem,
2. Cor. 2. producta, Deo placere, bonum odorem quaſi
Pſal. 104. illi offundere, quod dixit Apoſtolus: *Chriſti bo-*
Iren lib. 4. *nus odor ſumus Deo.* Ob hanc cauſam bona opera
cap. 27 Cyril. cath. 8. appellantur in ſacris literis *Iuſtificationes. S. Ireneus* ea vocat *Inſignes iuſtificationes legis in nobis. S. Cyrillus* ſic ſcribit: *Poteris ſane aliquis etiam per pecunias iuſtificari. Eſuriui inquit, & dediſtis mihi*
Tertul. lib. de Reſur. *manducare: omnino id per pecunias. Tertullianus* ex eo probat corporum reſurrectionem, quod opera virtutum, miniſterio corporis peracta, Deo placeant. *Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera coniungit. Nam & ſacrificia deo grata, conflictationes dico animæ, ieiunia, & ſeras & aridas eſcas, & appendices huius officij ſordes, caro de proprio*
1. Cor. 15. *ſuo incommodo inſtaurat.* Anima iuſta, templum
2. Cor. 11. Dei, ſpiritus Sancti oraculum, ſponſa Chriſti,
Cant 4. hortus ſeu paradiſus virtutum, lampas a cruce
Iob. 12. illuminata, fons balſami: vnde ergo carceret precioſis ornamentis actionum!

Prud. Cat. de cer. paſchal. *Illius purpureis tecta roſariis*
Omnis fragrat humus, caltaque pinguia
Et molles violas & tenues crocos
Fundit fonticulis vnda fugacibus.
Illic & gracili balſama ſurculo
Deſudata fluunt, raraque cinnama
Spirant, & folium, fonte quod abdito
Prælabens fluuius portat in exitum.
Fælices animæ prata per herbida
Concentu pariles ſuaue ſonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
Calcant & pedibus lilia candidis.

Hanc vim ad Deo placendum, indicat cæremonia Eccleſiæ virtuti ineſſe, dum aromatum tumulos ſurſum effert, & donorum Dei ſuaues odores, ad auctorem Deum pie reſpmittit.

10. Tanta eſt a virtute hominis excellentia, vti inde non ſolum euadat nouus homo, veteri excuſſo: nouum hominem, nempe Chriſtum indutus, neu tantum eius ſpiritu eleuetur quodammodo ad ipſum Deum, verum inſuper Deo ſimilis euadat; quod *S. Paulus* viſus expreſſiſſe: *Expoliantes nos veterem hominem cum* Coloſſ. 3.
actibus ſuis: ſcilicet actus virtutum ſeu noui hominis ob ſuam præſtantiam non conſiſtunt pariter cum actibus vitiorum, qui actus hominis veteris: ſed iſtis ſuo acceſſu hominem expoliant potius, & veluti veterem pellem ſerpenti excutiunt. *Et induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creauit illum.* Hoc ita interpretatus *Hilarius*: *Induimus* Hilar. Enar. in Pſal. 118.
autem agnitionem Dei, ſidem æternitatis, innocentiæ ſinceritatem, & bonitatis mores. Hæc enim animæ magis ſunt indumenta, quam corporis: quæ omnia Deo proprio ſunt. Quam ergo nefandi proteſtantes, qui multiplici errore in haſce Dei imagines, ac Elian. cap. Fauth.
ſi eſſent pantheræ tandem incrudeſcentes vel in hominis imaginem, deſæuiunt, qui eas nominibus *Operum*, nominibus *Carnis* & *Sanguinis*, adeoque peccatorum, paſſim defamant? Enimuero ſi actiones virtutum tales ſunt, quales commentantur illi neutiquam operantem hominem, Deo ſimilem exhibebunt, vel nouum reddent, vtpote mediante Dei gratia recens in bonis operibus creatum, quod tamen diſerte Epheſ. 2. 4.
adſeruit Apoſtolus.

Ardorem hunc recte operandi in ſuis extinguunt penitus Proteſtantes. nam ſi virtutum officia in Dei conſpectu nihil aliud quam ſordes, quam peccata mortalia, quam peſſimi odores, quorſum illis incumbendum? neque ſane prauæ actiones bonum odorem, quod ipſi blaſphemando dicunt, mutari a iuſtitia Chriſti vnquam poterunt. quomodo amabo te, bonus odor ad ea opera a precioſiſſimis Chriſti odoribus deriuaretur, quæ honeſtari nequeunt: niſi forte adulteria & furta ſimiliter velint bonum odorem a Chriſti iuſtitia poſſe accipere? Imo ſi hæc opera neceſſitate naturæ ſint fæda, ſpiritus Sanctus, eorum auctor, cauſa, quod horreo dicere, erit fæditatis.

11. At non ſolum Deo placere virtutum pulcherrimas formas dicimus, verum etiam ob valorem precij, quem a Chriſti gratia prouenientem in ſe continent, præmij cæleſtis eſſe meritorias. Proponitur nobis gloria cæleſtis, vt ex Scripturis conſtat, non ſimpliciter vt gratia, vt donum, ſed vt gratia pro gratia, vt merces, vt co-

rona, vt ſtipendium, vt brauium: cuius reſpectu deus iuſtus iudex inuenitur bonos præmiando & malos caſtigando. vt enim apud illum demeritum vitij, ſic etiam meritum virtutis. 2.Tim 4. *In reliquo*, ait Apoſtolus, *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex, non ſolum autem mihi, ſed & eis qui diligunt aduentum eius.* Et quamuis a meritis Chriſti, mediante eius gratia in homine operante, dimanet Greg lib 16. in Iob c. 22. totum momentum meriti quod operibus iuſtorum ineſt, nihilominus, vt ait *S. Gregorius*. *Illud ita remunerabit Deus in nobis, ac ſi tale proceſſiſſet a nobis.* Quomodo autem Dei gratia cum merito iuſtitia conſiſtat, ita declarat August. in Pſalm. 100. *S. Auguſtinus* de S. Paulo loquens. *Inuenit deum donatorem tempore miſericordiæ; tenet debitorem tempore iudicii. Quomodo hæc dicit videte. Ego iam immolor, dixit, & tempus* 2. Tim. 4. *reſolutionis meæ proximum eſt: bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: hoc tempore miſericordia. audi de iudicio. de cætero ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex, non dixit, donat, ſed reddet. quando donabat miſericors eſt, quando reddet Iudex erit. Quia miſericordiam & iudicium cantabo tibi* Pſalm. 102. *domine.* *Munditia itaque manuum ſuarum*, inquit Greg lib. 12. in Iob. *S. Gregorius*, *innocens ſaluabitur. quod ſi hic præuenitur dono vt innocens fiat, cum ad iudicium ducitur, ex merito remuneratur.*

12. Hæc in eodem merito ideo diſtinxit *S. Auguſtinus*, vt differentiam aſſignaret inter gratiam, quæ principium meriti, & ipſum meritum ab ea profectum, iuxta ac relatum ad præmiũ, quod attingit. Collatio quidem gratiæ merum donum Dei miſerentis: remuneratio autem meriti, opus iudicis & Domini ex iuſtitia prouidentis. Gratiæ, meritis, aut etiam Dei miſericordiæ nihil detrahit virtutis meritum ex rei æqualitate quantum ad præmium, quia totum ortum ducit ab illa gratia, ab illis meritis, ab illa miſericordia. Si enim in præmio aliquid ſit, quod exceſſerit, ea parte præmium non erit a Domino Iudice, ſed beneficium a Benefactore: eius collatio, haud recompenſatio, ſed libera donatio: vt etiam ex humanis negocijs ſatis euidenter conſtat. Scripturæ autem beatitudinem abſolute vocant coronam, brauium, ſtipendium, denarium diurnum, mercedẽ. Deum coronantem appellant iuſtum iudicem: licet plus beatitudinis conferat Deus quam iuſtorũ virtutes plene merentur. Ex Theologis orthodoxis nonnulli duobus modis adſcribunt meriti valorem gratiæ & meritis Chriſti. primo, quatenus gratia, qua boni merentur, effectus eſt gratiæ manantis ex meritis Chriſti. ſecundo, quatenus ea merita coniunguntur cum meritis Chriſti: ille enim vitis eſt, quæ continuo influit Ioan. 7 Conc. Trid. ſeſs. 6. cap. 5 in iuſtos tanquam in palmites ipſi inſertos. Cæterum hoc meo iudicio non eſt perinde accipiendum, quaſi Deus propter externa merita Chriſti ea opera duceret pro meritis, quæ in rei veritate & æqualitate vi ſui principii alioquin talia non ſunt: ſic enim beatitudinis collatio, eſſet ſimplex donatio, non iuſta remuneratio: ageretque Deus iudicando non ex iuſtitia, ſed ex fauorabili acceptatione. quinimo exiſtimo, coniunctionem, quam habent opera iuſtorum cum operibus ac meritis Chriſti plus quidem valoris transmittere ad ipſa opera, eaq; formaliter afficientis, quam haberent ab eadem gratia Phyſice ſolum ſumpta, non copulata cum gratia ac meritis Chriſti. Ad hanc rei ipſius, ſeu pretii æqualitatem ſignificandum in meritis, confert S. *Auguſtinus* virtutis meritum cum peccati demerito. Aug. ep. 105. *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ tanquam ſtipendium, vita æterna.* Quo autem ſenſu vita æterna ſit gratia, nõ obſtantibus virtutũ meritis, ſic idẽ Doctor id luculenter elucidat. Aug. de grat. & lib. Arb. cap. 8. 9 Greg. l. 16 in Iob. cap. 11. in cap. 22 cap 12. Pſal. 102. *Quia & ipſa bona opera nobis a Deo ſunt, & a quo nobis & fides eſt, & dilectio: propterea idem ipſe Doctor Gentium etiam ipſam vitam æternam gratiam nuncupauit. Coronat te in miſeratione & miſericordia: quia eius miſeratione bona operamur, quibus corona redditur. Non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, ſed tanquam dona ſua.*

13. Admodum ciuile eſſe huiuſmodi ſenſum de meriti valore, quis non videt? illo enim a ciuibus admiſſo, vt reipublicæ ſuo opere bene cõſulant, vel opitulentur, terrena contemnentes, labores ac omnes difficultates ſuperantes, vnicè curabunt illud quod æternum ſuis ſtudijs promereri. Hoc perſiſtente, hoc certe euenturo, moderate ferent omnium iucundorum, aut vtilium defluxus. *Noſtrum eſt*, inquit *S. Hieronymus*, Hier. epiſt. ad Saluin. *voluptatis ardorem maiori Chriſti amore reſtinguere, & laſciuia iumentum frenis inedia ſubiugare, vt non libidinem ſed cibos quærat ac deſideret, & ſeſſorem Spiritum Sanctum moderato atque compoſito portet inceſſu.* ad hæc vero omnino frigeret cura, ſi meriti firmiſſima opinio haud in nubis ſtabiliretur.

Quis virtutem amplectitur ipſam Iuuen. Sat. 6
Præmia ſi tollas?

14. Recte omnino docuit *Ariſtoteles*, eam rẽpublicam florere nõ poſſe, cuius ciues de virtutibus ac vitijs, vtpote finibus, aliter quam decet, apud ſe definiunt. Ariſt. 2. pol. cap 1 nam cum finis ciuilis virtutũ functionibus acquiratur, cui nihil magis infeſtum quam vitium, conſequens, in hiſce rebus errantes ciues; præſertim ſi virtutes ſuis ſententiis indigne deprimant, vitia autem petulantius excuſent, ciuilem finem omnino eliminẽt, eique oppoſitam barbariem inducant. Huius ſortis ciues inueniuntur Proteſtantes. Merito idcirco appellat *Seneca* cognitionem virtutis, ciuilis beatitudinis conſequendæ fundamentum. Sen. ep 90. ad Lucil. Cum hæc noſtra vita ſit variis obnoxia miſeriis, tũ Dei ſingulari prouidentia eis medendis ſuccurrere voluit virtutis a nobis æſtimata dignitas: hac enim adempta, quid in voluptate quod non fluxum, quod non perturbatum quod non amarum? Qui ergo virtutis decora vitiant prauis ſuis dogmatibus, mortalium eo augent calamitates, eis veluti venena addentes, quibus in noſtram maiorem ſtragem nocentiores euadant. *Nec nobis opus eſt ad noxia fata veneno.* Iuuenc. lib. 9.

15. Verum Proteſtantes inficiantur tantum pondus dignitatis operibus virtutum vlla ex Chriſti gratia conuenire: quippe quæ, *Niſi a Chriſti innocentia bonum odorem ducant, nihil quam irritare Dei vltionem poſſunt, niſi miſericordia eius indulgentia ſuſtententur.* Calui. lib 2 Inſtit. cap. 6. quando ergo Deus remunerat hominũ in ſuis corporib. geſta, vel re-

muneret peccata, quod blaſphemum: vel remuneret ſolum iuſtitiam filij ſui credentibus in eum imputatam, quod expreſſe contradicit ſacris literis, aſſerentibus, Deum remunerare hominum opera. Si tantum remuneret Chriſti iuſtitiam, æqualis fuerit remuneratio in omnibus, cum hæc cunctis æqualiter imputetur. Scripturæ autem dicunt, inæqualem fore remunerationem iuxta inæqualitatem virtutum, vt beati eo modo in ſua luce diſcriminentur, quo ſtellæ in cælo, teſte Apoſtolo, differunt inter ſe in claritate. idcirco *Qui parce ſeminat, parce & metet.* 1.Cor.15. 2.Cor.9. Horrendum vero affirmare, eo alicui copioſius præmium a Deo iudicaore obuenire, quo plura redundauere in eodem peccata mortalia; qualia dicunt eſſe Proteſtantes omnia vel iuſtorum opera. reliquum idcirco fateantur, nulla iuſtorum opera a Deo præmianda, ſed expirante hac vita, omnem illorum induſtriam ac ſudores; omnem in illis quondam pulcherrimum feruorem, in auras ac nihil recidere. Enimuero huiuſmodi prophana & impia opinatio, vt dominio Dei in homines, cuius vi illos iudicaturus, S Tom. 1. part. q. 28. art. 2. aduerſatur, ita ſimiliter morum ciuilitati, quæ operibus virtutum confirmatur, infenſiſſima. Si ciues ad virtutum conſilia pigreſcant, quod ſane fecerint, ſi modo ex illis nulla decernant ſuis ſententiis merita, profecto barbaries apud eos inualeſcet, & a pigritia hac ad ſæuitiam & immanitatem inuicem prono impetu tranſibunt.

16. Abſurdum vero ac plane blaſphemum quod commentantur; dum dicunt, ea ſolū ſententia opera virtutum expreſſa a iuſtis & ſanctis eſſe meritoria, & a Deo quandoque præmianda, quod propter Chriſtum ſic a Deo Patre reputentur, cæteroquin non ſolum carentia decore virtutis, ſed inſuper fœditatis contagione violata. ſi enim hoc cum veritate conſiſteret, æquius & diuinæ ſapientiæ congruentius, opera alicuius bruti potius quam hominis iuſti, ducere meritoria. Nam licet vtraque in hoc conueniant, quod libertate ſeu fundamento moris deſtituantur, & proinde neque eſſe poſſint laudabiliter bona, neque vtiliter meritoria, tum in hoc opera equi præſtant eis quæ ab homine, quod lue illa turpiſſima careant concupiſcentiæ, qua hominis vniuerſa opera, eorum iudiciis, deturpantur. imo ipſis auctoribus, tanta æquitatis iure a Deo remuneranda opera laci *Mephitis*, aut ſterquilinij, quam opera Sancti cuiuslibet. o præclarum lumen Euangelij, quod delirorum & blaſphemorum aſinorum horum capita noſtra ætate irradiauit! Num etiam & hæc bonum odorem a meritis Chriſti mutuari poterunt? qualis blaſphemia, Deum propter Chriſtum dicere remunerare peccata?

17. Ciuile eſt etiam iudicium, quod retinent Catholici de vitii turpitudine, ac malitia ſuſceptum. putant imprimis illud eſſe effectum liberi arbitrii, cuius virtute, a diuina gratia corroborata, potuerit omnia ſcelera a ciuibus profligari. imo, vt notat *S. Auguſtinus*, eo deteriora, quo a firmioribus contra ea naturæ & gratiæ munimentis progrediuntur: vtpote quando inſignis in alioquo intellectus, præclara voluntatis indoles, memoria ditior, & appetitus ſedatior, peccatis ſaſe vltro tradunt violanda. *Tantoque certius maiori ſupplicio dignum indicauerunt animum, quanto magis vitiis ſubdit inſtrumenta virtutum.* Auguſti. de Patient. Quamobrem quod ratione peculiaris cognitionis inditæ Chriſtianis, augeatur vis liberi arbitrij in illis ad vitanda peccata, inde eorum delicta peiora: vt, idem adſtruit *Auguſtinus. Melius eſt ergo non videre mente id quod eſt, & tamen a Chriſti cruce non recedere, quam videre illud mente, & crucē Chriſti contemnere. Iam eſt*, alibi ait, *vnde dicatur, anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Auguſt trac 2. in Ioan. ep. 23. Caril. lib. 8. Theſ. cap. vltim. Hinc *S. Auguſtinus* eam fidem, quę cum violatione mandati diuini copulatur, appellat mortuam, ſterilemque: in quo caſu inquit. *Fides mortua eſſet, & tanquam radix ſine fructu ſterilis atque arida remaneret.* Auguſtin. in Pſalm. 31. arbitratur ergo, fidem eiuſmodi ex ſe non iuſtificare, ſed priuationi iuſtitiæ potius interdum adhærere; adeoque a iuſtitia & charitate ſeparabilem. quod ſi euenerit, tantū abeſt vt iniquos excuſet a peccatis, quinimo potius coram Deo grauius accuſat, & Dei oculis exhibet peiora.

18. Catholici etiam eo peccati ſpeciem horrendam eſſe perſpiciunt, quo credunt, illud a Deo non fieri, minime eius voluntati, vel idæis conſentire: imo vtriſque potius atrociter repugnare. Voluntati eius quidem, quod leges tulerit ad prohibenda crimina: idæis, quippe non niſi præclararum rerum puriſſimis imaginibus; vtriſque quodammodo indignantibus, ſine eis hoc nihil peccati fieri a diabolo & libero hominum arbitrio. Ioan. 1. Conſequenter in peccato intuemur peſſimam quandam formam, quæ ſit inimicitia cum Deo, quæ violatrix amicitiæ cum eo, quæ iuſtitiæ & ſanctitatis ab eo in nos infuſæ corruptrix: quæ verum ſemen diaboli, 1. Ioan. 1. fructus proferat zizaniorum & faſciculorum æternis flammis in inferno conburendorum. *Mors quippe animæ*, ait *S. Auguſtinus*, *apoſtaſia a Deo.* Auguſtin. de na. & op. cap vltim. Vera quidem ex peccato apoſtaſia a Deo. nam vt vultum deprimens in terram, auerſus eodem manet a cælo, ita iniqua ratione ad creaturam contra Dei mandatum conuerſus homo, inde a Deo propria apoſtaſia auerſus reperitur. Ciuilis certe ea æſtimatio, quæ ciues a flagitiis abſterret, quantumuis voluptates aut lucra ea ipſis ſuggeſſerint. nihil vero magis homines poterit vel ad notitiam peccati inducere in horrorem, quam illius perfecta cognitio, qualem Catholici admittunt & profitentur. Enimuero peccatum prorſus animæ mortiferum, quod etiam corpori mortem intulit: quod quidem corpus, vt ait *S. Iob*, etiam modo, *A tinea*, ſcilicet peccato, perpetuo corrumpitur. Iob. 4. *Quaſi*, inquit *S. Gregorius*, *quadam ſua tinea veſtis noſtra conſumitur, cum caro corruptelis tentationem gignit, & per hanc ad interitum peruenit.* Gregor. lib. 5 in Iob. cap 4 in cap. 27. Mortem porro incutit peccatum animæ, quæ ipſius peccati propria ſedes: & quod ſedem non cupiat peccatum viuentem, ideo eam inficiendo occidit vt in ea ſedeat. triſtis ſane auis, quæ virenti arboris ramo relicto, ſemper emortuum deligit, vbi manens aliquid mali cum bubonibus & falconibus meditatur. Et ob hanc ipſam cauſam, Apoſtolus iuſtificationem a peccato comparat Chriſti Domini Reſurrectioni, quippe in

qua

qua anima reuiuiſcat ac floreat poſt miſerabilem eius ex peccato interitum.

19. Proteſtantes nihilominus, barbariei opem ferentes, iudiciis ſuis non attingunt ad vitiorum deformitates ac damna. quinimo errore excæcati, quicquid in eis turpis diſſimulant, quicquid inhoneſti excuſant, quicquid calamiſtoſi occultant. Contendunt itaque cuncta vitia, virtutibus oppoſita, ac eo vniuerſas iniurias reipublicæ illatas, adeoque in Principis perſonam parricidia, a neceſſitate vel fato homines conſtringentibus, non a libertate in eis arbitrij, excitari.

Beza. de prædeſt. orig

Ecquid demum mali in eo, quod neceſſariũ, & a quo homo, plane impotens, ſe abſtinere nequit, quodque ei propter fidem in Chriſtum non imputatur? Verum quidem, in plurimis, qui delinquunt, valde debilitatum liberum arbitrium: hoc eſt multum inclinatum ad malum, eo tamen non obſtante, liberum. gradus autem iſtius diminutionis ita recenſet Boetius. *Humanas vero animas, liberiores quidem eſſe neceſſe eſt cum ſe ſe mentis diuinæ ſpeculatione conſeruant: minus vero cum dilabuntur ad corpora: minusque etiam cum terrenis artubus colligantur. Extrema vero eſt ſeruitus, cum vitiis deditæ, rationis propriæ poſſeſſione ceciderint. nam vbi oculos a ſumma luce veritatis ad inferiora & tenebroſa deiecerint, mox inſcitiæ nube caligant, perniciofis turbantur affectibus: quibus accedendo, conſentiendoque, quam inuexere ſibi, adiuuant ſeruitutem, & ſunt quodam modo propria libertate captiuæ.*

Boet. lib. 5. de conſ. Pros. 2

20. Quo etiam vultus peccati honeſtior adhuc appareat, immanis Proteſtantum error Deum eius auctorem facit: & conſequenter aſſerit, pulcra quadam proportione ſpecioſiſſimis in Deo ideis aptiſſime illud reſpondere. quicquid a Deo eductum, id certe conforme perfectiſſimæ regulæ diuinæ bonitatis, diuinæ ſapientiæ, ac diuinæ ideæ: proinde a laudabili ſui charactere vnde poterit deficere? An aliquid in Deo obtinens ſui ſimulacrum ac vim directricem, mancum aut deforme apparebit? iſtis ornamentis non mortuorum crania vt magi, ſed delinquentium ſcelera, idque in perniciem reipublicæ, vt dæmones, venuſtant Proteſtantes: digni ſane qui inferni *Appellides* aut pollinctores a nobis vocitentur. *Fas autem nec eſt* inquit, *Cicero, nec vnquam fuit, quicquam niſi pulcherrimum facere eum, qui eſſet optimus.*

S. Thom. 1. part. q. 20. art. 1.

Cic. lib. de vniuer.

21. Quemadmodum ergo a bonis ciuibus virtutum officia exiguntur, ita illos admonet fides, omnia ad iuſtitiam a Deo infundendam, ſeu acquirendam, ſeu conſeruandam, ſeu augendam referri. quo intelligamus, iſthus iuſtitiæ gemmam pulcherrimam eſſe, abſolutiſſimamque omnium virtutum periodum: Spectat idcirco ad optimum ciuem, noſſe eius præſtantiam ac ſingularem illius in ipſius anima effectum. Cuius rei notitiam optime aſſequuti Catholici, pronunciant, eam diuinam eſſe qualitatem in ipſa ciuis anima inhærentem: eam ſua luce peccati tenebras, ſui puritate eiuſdem maculas, ſua dignitate illius dedecus expellentem: nouam ac veram Dei creaturam, qua ipſe Deus delectetur, conſtituentem. Huius animo præconcepta opinio acres reddit homines ad virtutum conſilia: quo nempe ad iuſtitiam adſpirantes, a peccatorum næuis liberentur, ſimul ac diuinæ naturæ inde conſortes effecti, floreſcant. Ac inter reliqua argumenta fidei Chriſtianæ ab Ethnicis admittendæ, hoc vnum, quod iuſtitia infuſa, vt loquitur S. Cyprianus, expiatum reddat pectus, vitiorumque fædas notas ex illo expungat: quo tanto bono quod carerent Ethnici, eos compellans, ait Arnobius, *Non tantum mala accidunt, verum grauius multa eſt, addidiſtis cauſas, quibus & vitia creſcerent, & inemendabilis nequitia permaneret.* vltra cutem reliqua non ſe extendunt, aut manuum opera.

1 Pet. 1. Conc. Trid. Conc. Trid. ſeſſ. 5 cap. 6.

2. Cor. 5.

2. Pet. 1.

Ciprial. de Baptiſm.

Arno. lib. 2. contr. Gent.

Quis eluet me Tanais, aut quæ barbaris
Mœotis vndis Pontico incumbens mari?
Non ipſe toto magnus oceano Pater
Tantum expiet ſcelus.

Senec. Hipol

Cæterum Catholici iuſtitiam appetentes, ad nitores, & peccatorum elutiones eodem contendunt: quo Deo cum amabiliores, tum ſibiipſis etiam ſanctiores euadunt.

Tu ſancte, qui atram picem
Candore tingis lacteo,
Ebenoque criſtallum facis,
Delicta purgans liuida.

Prud. Ham.

Theodoſius, vt narrat *Zoſimus*, inducere eo motiuo voluit Romanos in profeſſionem religionis Chriſtianæ: quod eius *Promiſſio ab omni peccato, & omni impietate liberatio.* ob hanc cauſam appellatur hæc iuſtitia in ſcripturis lumen, aqua, emendatio, purgatio, vita, gemma, nouæ creaturæ forma, ſemen Dei: quod nempe peccati tenebroſos næuos, impuras fæces, damnum mortis, paupertatis extremum malum, veterem hominem cum actibus ſuis, Diaboli ſemen exigat: demum paradiſum in hominis anima cõſtituat; non qui primum hominem, ſed primi hominis auctorem Deum trinum & vnum hoſpitantem digne excipiat: in quo cantillent auiculæ cæli, omne genus florum creſcat, fluminumque ſeu virtutum puriſſimi latices decurrant: denique vt in eo dignus fructus appareat agriculturæ Dei, per Crucem & ſanguinem filii ſui peractæ.

Zoſim. lib. 4. Hiſtor.

Ioan. 1. Ec. 4. Iacob. 4. Math. 24. 1. Ioan. 3.

2. Cor. 5.

22. Huic tamen iuſtitiæ veritati, ac puritati a nobis deſcriptis reſiſtunt, eam ignorantes, Proteſtantes, quo eiuſdem extenuata ab ipſis æſtimatione, ciuium contentiones, eorum dogmatibus perceptis, ad virtutem langueſcerent. Enimuero iuſtitiam ſtatuunt non aliam quam quæ in Chriſto, nude credentibus imputatam: quæ neque credentium ipſorum ſit expreſſa iuſtitia, neque in eis peccatorum ſordes expellat: ita vt ea etiam admiſſa, potiori iure remaneant adhuc impuri ac iniuſti, quã deterſi aut ſancti. Cum itaque hoc modo in ipſis Intellectus haud percipiat virtutis & iuſtitiæ Chriſtianæ dignitates, ſimul ac vitiorum fædas quaſdam imagines ſibi obijciunt: conſequenter circa fines ipſos errante in ipſis intellectu, actionum honeſtates ac ciuilitates, quæ ex eis propagantur, ac circa media verſantur, neceſſario deficient. Eo enim ſpectat eorum hæreſis, vti vanis nominibus virtutis & iuſtitiæ deluſi ciues, earũ ſolida momenta ac res ipſas contemnerent. Iuſtitia quidem quæ ineſt nobis, eadem quidem Chriſti

Calu. lib. 3. cap. 2. Inſtit. ſect. 14.

confletur & noſtra. in quo pronunciato variæ Greg. lib. 24 in Iob cap. 7 tem ſententiæ optime declarat *S. Gregorius*: *Iuſtitia noſtra dicitur, non quæ ex noſtro noſtra eſt, ſed quæ ex largitate fit noſtra: ſicut in Dominica oratione dicimus. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Ecce & noſtrum dicimus, & tamen vt detur oramus. noſter quippe fit cum accipitur, qui tamen Dei eſt: & Dei ergo eſt ex munere & noſter fit veraciter per acceptionem. Ita ergo hoc loco homini iuſtitiam Dominus reddet, non quam ex ſeipſo habuit, ſed quam conditum eſt vt haberet, accepit, in quo lapſus perſeuerare noluit.* Duo quidem extremi errores ſuſcepti de iuſtitia. *Pelagii vna*, altera *Lutheri ac Caluini*. vtroſque iugulauit illis *S. Gregorius*, fidemque Catholicam quaſi medium tenentem adprobauit. ac in eandem ſententiam hæc *S. Auguſtinus*: Aug. in Pſal. 118. conc. 15 de ſpir. & lit. de ſpir. & lit. cap. 30. *Sic enim quiſque non in ſua ſed in Dei gloria. quia nec in ſua, ſed in Dei iuſtitia: id eſt a Deo ſibi donata, cuſtodit legem Dei.* Idem Doctor a Deo acceptæ iuſtitiæ frequenter adſcribit legis obſeruationem: ea de cauſa nimirum id facit, quod iuſtitia ſit animæ humanæ quædam inſita vis ad bene operandum. quod neutiquam conuenit externæ Chriſti iuſtitiæ credentibus imputatæ, vt ſatis manifeſtum: etenim quod ad modum cauſæ efficientis proxime mouet hominem ad agendum, id in ipſo homine vtpote virtus actiua, omnino conſtituendum. Cum ergo noſtra iuſtitia a Sanguine Chriſti ad nos manarit, quo obſecro colore indeardet: quo precio valet, qua puritate ſupra omnes adamantes nitet! Cruor Chriſti in hanc gemmam concretus, in iſtum valorem deductus, quam diuites, quam beatos reddis iuſtitiam poſſidentes!

CAPVT IX.

Synderiſis, iuxta ac Conſcientia, quas in claſſem virtutum Intellectualium referre licebit, ſancte ſimiliterque apud Catholicos circa peccati malum auerſione & remorſu occupantur. De cuius malo Proteſtantes peſſime definientes, neutrius vſum vel ſenſum admittendum contendunt.

INter reliquas facultates, aut ſi mauis facultatum actus, quibus anima humana ad recte fungendum ſuo officio naturæ munere comparatur, Synderiſis & Conſcientia recenſentur. Et quidem Synderiſis fuerit, nota Principia practica, ſeu ad operandum inſtituta, comprehendere: ex quibus ſubinde concluſionem eliciat, ſtatuatque, hoc vel aliud in actionem ſuſcipiendum, aut omittendum. Quæ quidem conſcientia quantum ad prauum opus duplici modo agere ſolet. primo quatenus iudicat, illud non eſſe peragendum. deinde poſtquam ſemel perpetratum fuerit, in quantum eius vi animæ, cum quodam eiuſdem morſu redarguente, diſplicet, ſeque inde moleſte ferre eius malum eadem ſentiat.

2. Optimum, ſupra dictum, ciuibus contra quæ rempublicam perdunt vitia munimentum, animæ conſcientia: quippe cuius vis vel in ſecreto, & vbi adeſt ſumma immunitas delinquendi, malefacta fugiat & aueſetur. nec minus eadem ſolers ad emendationem, expiationemque procurandam, ſi forte in crimen aliquod grauius quis impegerit. Duo itaque mala diſtinguit conſcientia in flagitio: vnum, ex quo naturæ rationali contrarium: alterum quo Deo & eius nobis datæ iuſtitiæ infeſtum. Prius in vnoquoque ſenſus ipſe peccati probat & experitur: quis enim tam ferreus qui impreſſi peccati acerbitatem minime percipiat? alterum Dei veritas, nobis per fidem declarata, oſtendit. dicit enim, peccatum committentem, Deo eſſe contrarium, a Diabolo ſatum, charitate caſſum, mortuum manere, homicidam eſſe, non habentem vitam æternam in ſe manentem. reum violationis Decalogi: *Quicumque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* Ezech. 18. Rom. 6. Iohan 3. Iacob. 2. *S. Cyrillus*, diſſerens ſpeciali et de peccato externæ negationis Chriſti, ait: *Ponamus quod poſtea ex ſuggeſtione Diaboli mutet homo ſententiam, & neget Ieſum eſſe Filium Dei: amiſit igitur gratiam, & a Spiritu ſancto deſeretur nec ipſe in Deo erit nec Deus in ipſo.* Cirill. lib. 3. Theſ. cap. 1. Ea eſt enim iuſtitiæ infuſæ excellentia, vt minime patiatur conſortium grauioris delicti. conuenit ſane in eam id, quod narrat *Æneas Siluius* de *Penea* flumine in Macedonia. *Accipit omnem Europam, nec recipit ſed alei mada ſupernatantem, vt dictum eſt ab Homero, breui ſpatio portatum abdicat. pœnales aquas, diraſque gemitus ſuis miſceri recuſans.* Aenæ. Sil. de Eur. cap. 14. Eleganter quidem *Origenes* loquens de pulcritudine hominis iuſti, et attribuit decus coloris Æthiopici: iuxta illud Cantici, *Nigra ſum, ſed formoſa.* Ita quippe iuſtus formoſus, vt tamen aliquantulum nigerulus. formoſus, vt diuinæ naturæ conſors effectus: niger ob imbecillitatem & inclinationem in malum: Cant. 4. adeoque propter peccata quotidiana, ſcilicet venialia, in quæ vel iuſtus ſepties in die cadere dicitur. 1. Pet. 2. *Propter pœnitentiam*, inquit, *habebit aliquid Æthiopici decoris.* Si tamen vltra rationem decoris quis peccando nigreſcat, euadit tandem Æthiops ſeu a Deo omnino alienigena, vt ait Orig. ſerm. 2. in cant. propheta *Amos*: *Numquid non vt Filii Æthiopum vos eſtis mihi Filii Iſrael? Denigrata eſt*, inquit *Ieremias*, *ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.* Amos 9. Etenim ſcriptura aperte dicit, quaſdam ſpecies peccatorum cadere in iuſtos, idque ſepties in die: alias vero minime, ſed potius ſi acceſſerint, iuſtitiam expellere. prouerb. 24 *Omnis enim in quo peccati voluntas eſt, Deo vacuus eſt: & vbi Deus non erit, illic diaboli locus eſt*, vt ait *Sanctus Hilarius*. Neque eſt, quod nimium obblandiatur quis ſibi definiens, vi fidei in Chriſtum omnia peccata eſſe pari modo venialia: cum ex fide in Chriſtum euadant potius peccata grauiora, minus venialia, magis Deo, eiuſque legi contraria. Aug. in pſal. 30. de grat. & lib. arb. cap. 3. Ioan. 7. Eleganter propterea *S. Auguſtinus* comparat Chriſtianos peccantes, iuxta prophetæ verba ſarmentis a vite Chriſto amputatis, quorum nullus prorſus ſupereſt vſus: peccantes vero Ethnicos lignis ſilueſtribus, ex quibus licet nodoſis, arte fabrili aliquid boni tamen fieri poterit. *Super inimicos factus ſum opprobrium*: Pſalm 30. Hoc eſt, mihi vituperio, ait mater Eccleſia, quod externis infidelibus Filij mei, Chriſti membra, delinquendo peiores

 interdum

An vero Proteſtantes iſtius noctis non modo noctuæ, ſed etiam in perniciem Troiæ, ſcilicet reipublicæ, *Sinones* ac Græci vaſtatores, modo inquirendum.

5 Hæretici proinde, quo minus homines peccati conſcientia tangerẽtur, diuerſis temporibus ea dogmata tradidere, quæ illos docerent, ad eos minime ſpectare eius odium aut fugam. ad quod probandum, ex duobus capitibus olim argumentati: primo a Deo ipſo, deinde a qualitate humanæ voluntatis. a priori *Carpocras* in primitiua Eccleſia definiuit, a Deo traditum præceptum, quo iubeatur homo ſuæ concupiſcentiæ in malum mouenti illico conſentire: fœdiſſimo errori prætexens verba Euangelij: *Conſentiens eſto aduerſario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te & in carcerem mittaris.* Ex quo Duo ſequuntur: primum Deum eſſe auctorem peccati: qui enim præcipit aut ſuadet peccatum, cenſetur eiuſdem cauſa moralis. alterum, homini nõ fore imputandum peccatum aut ei eſſe nociuum, ob quod doleret quandoquidem illud perpetrando ſit Deo obſequutus. A poſteriori capite diſſeruit *Manichæus*, ſtatuens ereptum eſſe homini liberum arbitrium a *Mali Principio*, ac proinde peccata a cauſa neceſſario determinata manantia, non debere ſontis conſcientiã multum adfligere: cum potius ſint innocua, neque vere quod ad hominem, criminoſa. *Caluinus* autem, quo hominis anima eſſet prorſus immunis ab omni acerbitate conſcientiæ, cum eſſet interim conſcia omnium peccatorum a ſe commiſſorum, ex vtriſque in illum effectum impie & barbarice definiuit. quod enim in homine exiſtit independenter a motu liberi arbitrij, id ad Deum tranſit auctorem. *Quo fit*, ait *Boetius*, *vt vitia quoque noſtra ad bonorum omnium referantur auctorem.* pariter id, ad quod homo lege naturæ adſtringitur, idem a Deo præceptum.

Euſeb. lib. 4. Hiſt. cap. 7. Clem. Alex. lib. 3. ſtrom.

Math. 5. Luc. 12.

Boet. lib. 5. conſ. proſ. 3.

6. Quo minus crederent homines peccatum ob ſui enormitatem, vim habere ad excludendum animo iuſtitiam, docent Proteſtantes, illum, motum eſſe arbitrij non liberi, ſed neceſſitate ad delinquendum adacti. inanem idcirco luctum pœnitentium dicunt, qui crimen commiſſum a fatali cauſa, inepto quodam fato deplangunt: potius admonent,

———luctus iſte tuus:
Crimen nouerca. lapſus hic culpa caret.

Senec. Here. Fur.

Enimuero *Nemo nocens, ſi fata regnant. Quis autem neſcit*, ait *Plutarchus*, *eum, qui recte agere nequit, non poſſe non peccare.* Pudet hic proferre cuiuſdam Angli proteſtatoris immanem Theologiam: proferam tamen, vt mundo conſtet, quomodo in Proteſtatoribus ad inſaniam vſque *Hercules* barbaricus debacchetur: *Dæmones neceſſario peccant, & tamen liberrime peccant.* an nouit iſte vnquam extremas differentias liberi, & neceſſarij, qui vtraſque de eadem actione ſimul affirmans pronunciat! Perinde facit, ac ſi dixiſſet, Academici noſtri Cantabrigienſes, ex ratione quidem ſua ſtudia inſtituunt, eo nihilominus ex ignorantia bruteſcunt. Cœterum Auctor quæſtionum vet. & nou. Teſtam. apud *S. Auguſtinũ* ea intentione perſuaſiſſe hominibus dæmonem affirmat omnia peccata a neceſſitate cauſæ manare, vt illos eo ad peccandum dogmatis inſtinctu fortius impelleret. *Quanta ergo ſubtilitate vſus eſt Sathanas, vt promptiorem ad peccandum hominem redderet, per quod inuidia expleret nequitiam? dum enim audit ſic ſe natum eſſe, vt peccet, & Deum non ignoret eſſe iuſtiſſimum, credet ſe impune peccare: quia qui iuſtus eſt iudex non damnat eum, qui imperante natura peccauit. Si autem laudandus eſt bonus, qui quod natura erat fecerat, laudari debet & malus, quia & ipſe ſimiliter quod natura ſua erat geſſit: vt vnuſquiſque permanens in eo quod factus eſt, laudetur. quia ſi in quo factus manens vituperabilis habetur; auctorem tangit vituperatio, qui tale naſci fecit, quod diſpliceret.* En aureum factum peccatum artificijs Proteſtantum: en idem liberum & neceſſarium, en malum, en peccatum colludens amiciſſime cum illis cum iuſtitia: en, vt peccatum cum iuſtitia communem auctorem ſortitur Deum!

Prud. Ham.

VVhitak. l. 2. de peccat. orig. cap. 5.

Auguſt. lib. 3

quæſt. vet. & nou. Teſtã. cap. 18.

Monſtra fato, ſcelera moribus imputanda, vt eſt apud *Senecam*. Iam calculis Proteſtantum renunciatur iniuſtas eſſe Principum leges, etiam in ciuilitatem directas, adeoque impiam & immanem certi Dei prouidentiam, quæ peccatis ſuas leges oppoſuit, cum peccata, ductu fatalis neceſſitatis & naturæ ab ipſo conditæ inſtinctu a mortalibus committantur.

Sen. Hipol.

Quæ quia conſtituunt, dicant cur condita ſit lex
Bis ſex in tabulis, aut cur Rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & ineuitabile mergunt,
Quin & velle adigunt, prauum inſinuantia votum,
Ne liceat miſeris vetitum committere nolle?
Cedite ſi pudor eſt gladiumque retundite veſtrum,
Aſpera nil meritos pœnis plectentia iura,
Antrum carcereum diſſoluite corpora ſub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.

Prud. lib. 2. cont. Symmach.

At verba ipſa horum hominum proferenda? niſi forte exiſtimabit quis, ea fabularum dedecora, oculorum ſpectra, animorum horrenda dogmata, æterno potius damnanda ſilentio, nedum futura paginarum noſtrarum onera, ac labes.

7. *Sola impietate*, inquit *Lutherus*, *& incredulitate cordis fit ſeruus peccati, damnandus nullo peccato vel opere.* Dum fides turpis craterem fornicationum propinat, læti & immunes ad ebrietatem vſque bibunt Lutherani: atque in hac indemnitate delinquendi, licentiam ſuam Euangelicam collocant, venerantur, religionis ſuæ *Laidem*, ſpiritus ſui libertatem. & alibi: *Deus non eſt ſaluator ſapientum, potentum, iuſtorum, ſanctorum, ſed ſolum fidentium.* Adæque explicate in eandem ſententiam loquitur *Caluinus Cloacinæ* Deæ Theologus: *Delicianiur interdum & Filij Dei*: ſcilicet perſiſtente iuſtitia in filijs Dei, cõtra legem Dei ac naturæ adulterando, intemperanter viuendo, luxuriando, rapiendo & occidendo ipſi delicias animi conſenſu, iuxta ac opere externo, petulanter perſequuntur. o quales Dei filios, ac ciues, hic nobis exhibet ſpectãdos: nempe vetitis delicijs fœdos, & plane omni ex parte conſtupratos! Sancte iſte furcifer ſuos iſtis admonet: *Nequaquam moriemini, vtcunque peccatis obnoxij, nihilo tamen minus viuetis, & vitam*

Luth. lib. de libert. Chriſ.

Luth. Tom. 1. pag. 106.

Cal. 2. Inſt. cap. 3.

Caluin. in 6. cap. epiſt. ad Rom.

promittit Apoſtolus,modo carnis mortificandæ ſtudium proſequimini. non enim exacte requirit carnis interitum, ſed tantum eniti nos iubet ad domandas carnis libidines:quales euulgatæ iſtæ a Caluiniſtis Proteſtantibus indulgentiæ! integrum, horum ſententia, libidinari, ſcortari, luſtrari, furere, dummodo quis vtcumque conetur carnis primos motus in ſe reprimere: ſi actionis aliquid Deo,conſenſum vero interim Diabolo attribuat:etenim hoc, illis lenocinante fide, ſecum conſtituunt. *Beza* in huius ſchola edoctus, iſtis explicat mentem Apoſtoli,quando dicit, Chriſti ſeruos peccatis eſſe mortuus: *Hactenus nimirum vt reluctetur quidem ſpiritus,tamen non vincat.* Ea quibus Duo conficiuntur. primum, fidem ſeparari poſſe a charitate,& virtutibus.alterum iuſtitiam ſimul manere in animo cum quouis flagitio, Deo aut Principi infeſto. etenim vincente carne contra ſpiritum in materia temperantiæ,vbi temperantia? in materia iuſtitiæ, vbi iuſtitia?denique in materia odij Dei,vel proximi,aut cuiuſuis peccati mortalis,vbi amor Dei & proximi, qui obſeruat legem? Inane porro, quod dicunt, iuſtificatum per fidem non poſſe huiuſmodi grauia ſcelera committere, cum fateantur *Caluinus*& *Beza*,fideles & filios Dei abſque iuſtitiæ damno poſſe deliciari,& in eis ſpiritum a carne poſſe ſuperari. Hinc aperte docent,*S. Petrum*, abnegantem Chriſtum Dominum, *Dauidem* in adulterium & homicidium conſentientem, etiam flagrantibus delictis, iuſtos ac ſanctos nihilo obſtante extitiſſe. *Hæc eſt*, inquit *Lutherus*,*ardua, & vt ita loquaris, inſignis, vereque omnipotens poteſtas. ſpiritnale imperium, in quo nulla res tam bona, nulla tam mala, quæ non in bonum mihi cooperetur, ſi credidero.* tam longe itaque abeſt peccatum ab expulſione iuſtitiæ, vt potius in eius vtilitatem cedat,modo quis crediderit Chriſti iuſtitiam ſibi imputari. inter quam fidem, ac peccata luxuriæ vel iniuſtitiæ, nulla plane oppoſitio: maxime cum talia peccata ſint obiecta eiuſmodi fidei, cuius quippe eſt credere ea ſiue in actu, ſiue in habitu fuerint, reo non imputari. potens ergo quis actu peccans, vel proponens peccare, credere ſibi non imputandum quodcumque etiamnum agit, aut peragere ſtatuerit: etenim obiectum alicuius virtutis non eſt incompoſſibile cum illius operatione, quandoquidem ſit cauſa & fomentum eiuſdem operationis.Concedunt vltro Proteſtantes,omnes motus concupiſcentiæ eſſe peccata mortalia, ac ſic neutiquam meliora adulterijs, parricidijs ac rapinis. admittunt, iuſtum ſepties cadere in die: id eſt, vt ipſi volunt, ſepties in die peccare mortaliter contra Decalogum ac legem naturæ. qui caſus iuſtorum haud magis innocentes coram Deo, aut rei veritate, eorum iudicijs, quam ſtupra, quam furta, quam homicidia, quam rebelliones in principem. non ergo refugiunt concedere.infidelitate excepta, omnia alia peccata incidere poſſe in iuſtos, eaque eſſe ipſis innocua, veluti ſerpentes *Herculi*, venena *Mithridati*, *Marſorum* familiæ, de qua *Gellius* & *Solinus*, omne genus nocentis aculei aut ſcorpionis. Adeo in hoc negotio feruidi ad agendum cauſam peccati Proteſtantes, vt quidam eorum ſcripſerit, reum peccati, ſolo opere fidei iuſtificari ante pœnitentiam; eumque eacedentem ex hac vita ante actam pœnitentiam, ſeu aliud opus bonum, vel charitatem inductã, virtute ſolius fidei, ſine operibus per modum effectus aut appendicis,vt iuſtum, ita ſaluandũ. Videntur iſti, ad exemplum *Cleopatræ*, morſi ab aſpidibus. *Compertum*, inquit *Plutarchus*, *ſolum fermo aſpidis morſum,ſine vllo dolore vitam extinguere.* Huius generis aculeus peccati apud Proteſtantes,ea voluptate delinitus, qui pungendo inficiendoque eorum animas, nihil præter altũ ſoporem incuriæ & inſenſibilitatis eis adfert: ideoque lætantur in rebus peſſimis. Exemplum huius nefandæ inſenſibilitatis ſuſpexere Proteſtantes in quodam *Baſilide*, immunitatem ad peccandum profitente,vt cuiuſdam in ipſo perfectionis & innatæ electionis,vt ſcribit *Clemens Alexandrinus*. Blandientis aſpidis ſibilus facile auditur ab ore *Lutheri*:*Si* inquit,*vera eſt gratia, verum non fictum peccatum ferto. Eſto peccator, & pecca fortiter: ſed fortius fide: & gaude in Chriſto. Sufficit quod agnouimus agnum, qui tollit peccatũ mundi, a quo non auellet nos peccatum etiam ſi millies vno die fornicemur, aut occidamus.* Et alibi: *Fides neceſſaria eſt vt iuſti ſimus, cætera omnia*, heu quot & qualia! *liberrima ſunt, neque præcepta amplius neque prohibita. Si ergo conſcientia tibi dictet peccaſti; Reſponde peccaui Ergo Deus puniet & damnabit non. At lex hoc dicit. Sed nihil mihi cum lege. quare? quia habeo libertatem.* Imaginantur iſti, ſuam acceptã iuſtitiam ſimilem eſſe lituo *Romuli*, qui teſte *Cicerone*, *Cum ſitus eſſet in Curia Saliorũ, quæ eſt in palatio, eaque deflagraſſet, inuentus eſt integer.* aut non longe remotam arbitrabuntur a cõditione turris ligneæ ab *Archilao* ædificatæ, a nullo igne, quod alumine illitæ, violabilis, vt narrat *Gellius*. Ardeat dicunt concupiſcentia in fideli, ardeat vſque ad furorem, & vltra feruorem, illæſa nihilominus ſuperfuerit iuſtitia. quam egregij iſti Salamandri! fieri ne potuerit, vti tot iſtius ſortis Marſij, ac turres, hactenus in ignibus perierint, abiuerintque in fauillas! Quæ Principis vita in ſecuro: quis reipublicæ ſtatus in tranquillo: quod iuſtitiæ pactum in Sancto: quæ honeſtas in præſidio: quis Deus in cultu, vbi immanis hæc Proteſtantum doctrina credulitatẽ inuexerit?

Beza. in 6 cap. ep. ad Rom.

2. Tim. 2.

Luther. de lib. Chriſt.

Gell. lib. 16. cap. 11. Sol. de ſitu. orb cap. 9.

Abbat. cont. Hill. pag. 108. Recap. Andr. Eud. Reſp. ad Andr. pag. 53 54.

Plut. in Anton.

Clem. Alex 3 ſtrom.

Luth Epiſt. ad Melanc.

3. cap. ad Gall.

Cicer lib. 1 Diuinat.

Gell. lib 5. cap. 2.

8. Quam vero hæc æſtimatio ſit ex turpitudine barbarica, ex depranatione doctrinæ Chriſti, quaſi in fauorem brutæ libertatis traditæ, impia, nemini obſcurum eſſe poterit. De inficiatoribus Reſurrectionis hæc *Tertullianus*: *Nemo tam carnaliter viuit, vt qui negat carnis Reſurrectionem. Negantes enim pœnam, deſpiciunt diſciplinam.* Enimuero haud credentes, reparandam carnem ad luendum pœnas, quas pro delictis meruerant, ea ad omnia nefanda peragenda abutebantur. Tempore pariter *S. Bernardi*, ingenium Proteſtanticum ſe in aliquibus prodidit. *Quid enim aliud eſt* inquit, *Filium Dei crucifigere, quam facere mala, vt veniant bona: confidenter peccare, ac cruci Chriſti quicquid peccant, imponere?*

Tert. de Reſ

Bern. lib de dilig. Amor cap. 5.

Egregia ſane vox, inquit, *S. Hieronymus*, *quam audiat Sponſa Chriſti: raro ieiunate, crebrius nubite: qui ſe-*

Hier lib. 1. cont. Iouin.

mel

mel in Chriſto baptizatus, cadere non poteſt. Atque vt incipiamus ab iniurijs in perſonas Principum, quid Proteſtantem male affectum erga ſuum Principem cohibebit a proditione, a parricidio, exiſtimantem, hæc ſe perpetrantem, non maius malum animæ ſuæ incutere, quam facit iuſtus ſepties in die cadens: quam quilibet alius, in quo æſtuans concupiſcentia ebullit cõtinuo in motus Dei legi contrarios, integra & inuiolata interim perſiſtente iuſtitia? Num ad cogitatum facinoris animo exhorrebit, poſtquã crimen hoc pacto extenuarit, ſanctimoniam cum Dei fauore, etiam vigente facinore, ſibi pollicitus fuerit? Deus, dicunt, interiecto Chriſti merito impeditus, non videbit ſanguine Regio purpuram fædantem: nõ imputabit ſicario parricidalem ictum, non veneni truculentam inſperſionem eis, qui fide iuſtitiam Chriſti Filij ſui apprehendentes, fata Principum machinantur. naturæ impotentiæ attribuenda ſolum omnis cruda in perſonam Principis graſſatio, quam fides ab animæ damno facile excuſabit. Filij Dei impune deliciantur: impune ergo occidunt Reges ſuos, ſi illos interficere, ſit ipſis in vindictæ delicijs: non enim ira & rabies ſuis delicijs deſtituuntur, ne exiſtimemus, vnam libidinem concupiſcentiæ deliciis circumfluere. occidit
Ariſt 2. Rhetor. *Dauid* ſeruum abſque detrimento iuſtitiæ, vt ipſi volunt: cur non eodem pacto ſeruus Regem, vt pari modo Caluiniano indemnes, quod ad animæ iuſtitiam, delicientur?

9. Sin vero a perſonis Principum deſcendamus ad priuata ciuium negotia, videbimus ſimiliter, Sirennem hanc iuſtificantis fidei, illicere Proteſtantes ad ſcopulos plane barbaricos & immanes. Quiſpiam apud ſe ſtatuens, damnum acceptæ iuſtitiæ haud ſe paſſurum, ſi clam ductus cupiditate, leges patriæ violet, ſi quod ſuum non eſt ad ſe rapuerit, ſi alterius vxorem appetierit, certe plurimum, vrgente tentatione, ad ea facinora inde incitabitur. Quis in ſexu fœminili tutam arbitratur fidem connubialem, vbi ille ſibi perſuaſerit, violationes thori cohærere poſſe cum iuſtitia & amicitia cum Deo? an vllus fidum ſibi præſtituet in æde famulatũ, quando nouerit, famulos exiſtimare, ſuas rapinas minime ſanctitatis exſortes, ſed ſe futuros filios Dei ſimul ac furunculos diaboli? Imo cum maxima iniuria in res ciuiles hæc opinatio Proteſtantum in ſe ſummam continet blaſphemiam in Deum. Enimuero in ipſum blaſphemum, dicere, fures, adulteros, Dei & proximi oſores, fidem exterius negantes, manere filios Dei ac ab illo ſecundum præſentem iuſtitiam amari: tales dico, qui tam prodigioſe a fine, in quem diriguntur, ac medijs a Deo inſtitutis, actionis prauitate exorbitant, filios eſſe Dei, ipſique chariſſimos. blaſphemum hoc ipſum in iuſtitiam
Luc. 15. Chriſtianam, qua Deus ſuos imbuit, & tanquam ſtola munditiſſima exornat: quaſi in eodem ſub-
Apoc 22. iecto reperiretur hęc gemma pariter cum ſceleribus furti, adulterii, proditionis & omnis generis nequitia. quale iam beneficium lauari, dealbari, ditari ſanguine Chriſti, cum hæc ex ſententia Proteſtantum, etiam nebulonibus contingant: eis etiam, qui vt ſcribit *Gregorius Turonenſis*, cum quodam Ariano dicunt: *Non eſſe noxiam, ſi inter gentilium aras & Dei Eccleſiam tranſiens, vtraque veneretur.* Spurca hæc credulitas Greg Tur. lib. 5 hiſt. cap 43.
Proteſtantica, cornm plane camerina.

10. Dedecus hoc nominis Proteſtantici, cum ex ſeipſo infame, tum a ſacris literis manifeſte proſcriptum, inde aliqui eiuſdem ſectæ fatentur, grandioribus quidem peccatis amitti ad tempus iuſtitiam, ſed certo certius nihilominus denuo ante mortem reuerſuram ad animam, quam aliquando ſanctificarat. Cæterum hæc parietis, vel potius fœtidi ſepulchri dealbatio, neutiquam melior aut nitidior priori iudicio. Enimuero modico tempore carere iuſtitia haud graue illi damnũ apparebit, qui libidinari proponit: certus enim redditur quo ad effectum beatitudinis obtinendæ in cælo, ante horam obitus regreſſuram iuſtitiam perditam, ſe inde haud euaſurum deteriorem. Priuilegium hoc ab ipſo cogitatum, illum dubio procul animabit ad peccandum: ſimiliter proinde lenocinabitur, ſimiliter indemnitatem contra ciuiles mores viriſque hæc perſuaſio pollicetur. Eſt ergo iuſtiſſima cauſa, ob quam a bonis ciuibus, adeo, que a Chriſto Domino transfugæ effecti Proteſtantes, eorum ineant conſortium, de quibus canit *Prudentius*:

Proh pudor, armigerâ amor eſt proferre lacertis Prud. in Pſych.
Lilia luteolo interlucentia ſertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas!
Ha placet aſſuetas bello iam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodo innectier vlnas?
Vt mitra cæſariem cohibens aurata virilem
Combibat infuſam croceo religamine nardum.
Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Vnguentum regale datum eſt, & chriſma perenne,
Vt tunc inceſſu veſtigia ſyrmate verrat,
Sericaque infractu fluitent vt pallia membris.
Poſt immortalem tunicam, quam pollice docto
Texuit alma fides, dederat, quibus ipſa renaſci.

Hinc omnes vehementer incitari ad peccandum manifeſtum ſatis. naturæ enim pronitas in illiciũ criminis, quę homini inſita, viget plurimũ voluptatis cauſa ad violandum Dei ſimulac naturæ leges. Cui inclinationi cum acceſſerit perſuaſio impunitatis, ſcilicet crimen haud imputandum, aut acceptam gratiam iuſtitiæ expulſuram, illico immanis furor cum impulſu impudentiæ, pectus humanum accendit appetitu vitioſæ iucunditatis. Ac quod ad damnum attinet iuſtitiæ amittendæ appulſu peccati, illud retardare non poterit animum Proteſtantis alicuius a perpetrando flagitio. nam ſi ſola fides Chriſti iuſtitiam apprehendens iuſtificet, tunc ea permanente, & apprehendente, iuſtitia excidere nequit. verum quis Proteſtantum affirmabit, cum omni grauiori peccatu copulari infidelitatem, quæ eam fidem expellat? at ſine infidelitate, concepta ſemel fides in tuto. Sin dicant, in omni grauius delinquente reperiri infidelitatem, fidei iuſtificantis capulatricem: quæro, an hæc infidelitas præcedat actum gratia exempli furti, an ſimul ſit cum illo, vel ſequatur. Si dicant præcedere, peto, quamobrem iuſtitia amittitur antequam fiat violatio decalogi; & quare tentatur ad infidelitatem aliquis

ad hoc vt poſtea tentetur ac vincatur a tentatiune carnis? ſi ſtatuant ſimul committi infidelitatem cum furto, affirmabo, id falſum, quandoquidem tentari quis poterit ad furtum, & nō ad infidelitatem. at neque illud poſtremum definiri poterit: ſi .n. infidelitas ſequatur actū furti, illud excuſabit fides in aliquo priori, & efficiet vt non imputetur. quam ergo certum, actum fidei iuſtificare, tam certum, nullum homicidium aut furtum credenti nocere.

Hor. lib. 2. ſerm. Sat. 7.

——— *tolle periculum,*
Iam vaga proſiliet frænis natura remotis.

Iren. lib. 1. Tert. cont. Valentin.

Olim ex Eccleſia primitiua, tanquam ſordes, eiecti *Gnoſtæ* ſeu *Cathari*: nempe Puritani; quod ſe auro & radijs ſolis compararent flagitia cōmittentes, ab eis quippe nihil læſos aut corruptos. Pari modo ac charactere ſimili dogmatis, Proteſtantes hodierna die *Gnoſtæ* ſunt, ac *Puritani*, affirmantes, ſe aurum eſſe precioſum, ſe radios ſolis ſplendiſſimos, hoc eſt ſanctos, iuſtos, filios Dei, etiam dum delicantur, & fœdis actionibus contaminantur. *Sed aliud fuit diſciplina Chriſtianorum, aliud luxuria vinolentorum.*

Aug. lib. 20. cont. Fauſt. cap. 11.

12. Ex iſtis euidenter conſtare poterit, quam cæca, quam impudens, quam odioſa Proteſtantium ſuperbia, qua iactitant, inter omnes mortales ſe maxime illuminatos: imo vniuerſus ipſi nō annuentes, Cymmerijs plane tenebris ignorantiæ miſerrime implicatos. Si enim reſpiciamus ad ſingulas ſpecies cognitionis, quibus intellectus humanus tam ſacre, quam ciuiliter illuſtrari ſolet, in cunctis eos deficere ac cæcutire experiemur. Fidem diuinam conuellunt plane: ſapientiam haud callent, ſcientiam negligunt, Metaphyſicam non adſequuntur, artes reijciunt, demum ſynderiſi & conſcientia, vt vidimus, carent. Si ergo ita voluntatibus ſint etiam deprauatis: quantum ad media actiua vitæ ſacræ & ciuilis, quemadmodum mentibus quod ad intellectiua, obtenebratis, iā videbimus ex eis, quæ in hoc argumentum diſputanda in reliquis ſuperſunt.

CAPVT. X.

Vt ciuile omne Regimen certa ſui forma conſtat, ita a fide Catholica inſtitui, eam, quæ Monarchia eſt, mirum in modum colunt ac ſtabiliunt. Monarchæ etiam, ſicut in vniuerſum Principibus, vim ad obligandum ſubditorum conſcientias attribuunt. Proteſtantibus interim Monarcharum, legum, conſuetudinumq; manentibus coniuratis hoſtibus, ac in omnem externam authoritatem rebellibus.

Ariſt. lib. 5. Pol.

MOnarchiæ nomine illud regimen ſignificatur, in quo vnus imperat. duplex autem Monarchia. Vna barbarica, & inciuilis, in qua Monarcha, ſolus rerum Dominus, ſubditi autem ſerui ſeu mancipia, altera ciuilis, in qua ſubditi ſuorum bonorum Domini habentur, tametſi eorum omnes facultates alto dominio ipſius Monarchæ, in caſu boni communis, ſubijciantur, idque iuxta illum gradum, quem ciues in initio decreuerunt, aut mores proceſſu temporis obtinuere. Ciuilis autem Monarchia dupliciter ſubditos reſpicere dicitur. primo, quatenus Monarcha ſubditorum imperata opera vtitur ad regendum rempublicam. & hoc illi commune cum barbarica: nunquam enim extitit Monarchia adeo abſoluta, quæ non demandauerit quibuſdam ex ſubditis certa munera & officia in republica; cum Monarcha ipſe omnia ſe ſolo peragere nequeat, vt aduertit *Tertullianus*; *Atqui nullam dico dominationem ita vnius ſui eſſe, ita ſingularem Monarchiam, vt non etiā per alias proximas perſonas adminiſtretur, quas ipſa proſpexerit officiales ſibi.* Deinde reſpicit ciuilis Monarchia ſubditos tanquam aliquam partem regiminis obtinentes: cuius vi obediunt Monarchæ non deſpotice, ſed ciuiliter, adeoque amanter, vt docuit *S. Thomas*.

Tert. l. cont. praxeam.

S. Thom. 1. 2. q. 22 art. 1

2. In vniuerſum autem quam plurimæ Nationes Monarchiam duxere intollerabilem; ciuili quippe ac naturali ciuium libertati infeſtā. *Romani*, inquit *Plutarchus*, *nomen Regis tanquam libertatis priuationem exhorruere.* Non quod ipſa forma Regiminis Monarchicæ ipſis diſplicuerit, ſed quod Monarchas paſſim viderint excellentibus illis virtutibus deſtitui, quibus præpollere deberent, quarumque conſilijs propius quam alij, ad Dei ſimilitudinem accedere. Ex quo factum, vt tales Monarchæ, vnde ſe contra aliorum odia munirent, ſimulque efficerent, vt vectigalium bona ſuis ipſorum vtilitatibus inſeruirent, in tyrannidem paſſim declinarunt; nullam artem aliam gubernandi exercentes, quam deceptricem, quam violentam, ac ſummatim barbaricam. Cum Athenienſes hoſpitum ritu *Pyrrhum* Regem in ſuam ciuitatem admiſiſſent, vt ſcribit *Plutarchus*, cuidam ſuo familiari dixit *Pyrrhus*: *Cæterum ſi ſaperent, nulli poſthac Regum portas aperirent.* ac in ſententiam differens cupiditatum in Regibus addit *Plutarchus*. *Acuto ferro diuidunt fratres domum: adeo fera & inhumana cupiditas eſt regnandi. quorum cupitates non pelagus, non montes, non deſerta, non ſolitudo, non qui Aſiam, Europam diuidunt, termini definiunt eos, ſed contingentes ac permiſtos quieſcere nullo modo exiſtimaudum· pugnabunt ſemper, inſidias atque inuidias ingenitas habentes. pacis enim & belli nominibus, tanquam nummū, vt contigit, vtuntur non ad iuſtitiā, ſed ad commoditatem. tunc meliores, cum aperto bellum inferre fatentur, quam cum iniuriarum ceſſationem amicitiam vocant.*

Plut. in Ant.

Plut. in Pyr. in demet.

3. Hinc inter alia argumenta noſtræ fidei inſitæ veritatis, vnum eluxit in efficaci ipſius energia ad proferendum eximiam & congruam virtutis dignitatem, tam in ipſis Monarchis, quam in ciuibus, qui ſub imperio Monarcharum viuere delegerunt: præſtitit que, vt in plurimum ſibi Monarchas prætici Chriſti cultores voluerint. *Conſtantinus Magnus* & *Euſebius Cæſarienſis*, differentes de excellentia Chriſtianæ religionis, ac eodem de magno inde a Deo in nos collato beneficio, inter alia intulere iam factum, vt homines vnius Dei agnitionem, & erga vnum Principatum obſeruantiam profiteantur a quibus prius humanū genus auerſum videbatur. Cœterum nos Chriſtiani, quod etiā admo-

Math. 20. Conſt. orat. con. Sanct. Euſ. orat. de laud. conſt.

Ig. ep. a i. ſm

admonuit S. *Ignatius*, nouimus Monarchiæ ſtatum a Deo expreſſum in terris ad imitationem Monarchiæ in cælis. Hoc ſane ipſorum iudicium deſcendiſſe viſum a fide, qua credunt, inſtitutione diuina formam regiminis Eccleſiæ, totius per orbem terræ diffuſæ, eſſe Monarchiam, ſummumque Romanũ Pontificem, vtpote Chriſti vicarium, *Petri* ſucceſſorem, aliis omnibus præeſſe. Vnde animaduertentes, hanc formam regiminis Deo charam eſſe in ipſius Eccleſia, eamque diuinæ ſapientiæ conformem, inde Monarchiæ amantes, eandem etiam in ciuili imperio ſpectandam & confirmandam omnino ſtatuerunt: deſcendit enim facile ad ciuiles mores ipſorũ, quod diuinitus ſemel quod
Hieron. ep. ad ſacra animis hauſerint. Quinimo ſi res etiã vel noſtris oculis ſubiectas contemplemur, videbimus, nobiliſſimas orbis Chriſtiani Monarchias, non modo a Catholicis fundatas, verum etiam ad plurima centenaria annorum feliciſſime propagatas: loquantur hac de re Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, & alia Chriſtiana regna. Placuit noſtris ad imitationem rei ſacræ, negocia pariter ciuilia reducere ad vnitatem, & efficere, vt Principes ſingulares in ſuis ditionibus, Deum ipſum inter ſanctos ac beatos illos ſpiritus, quadantenus repreſentet. *Iſtã enim*
Euſeb. orat. De Laud. ait *Euſebius imperij formam lex, quæ lex omnium eſt, humano generi orbem terra incolenti tribuit: quippe hæc regia poteſtatis compos lex, vnum omnibus præſcribit imperium. atque Monarchia certe omnes alias Rerum publicarum ſpecies & adminiſtrationis modos longe ſuperat. Nam multiplex imperium, quod ex hominibus honore & ſenſu paribus conſtat, quodque cum Monarchia ex aduerſo pugnat, confuſionis & ſeditionis potius quam imperii nomen meretur.*

4. Proteſtantes autem eo ipſo, quo libertatis & ſuperbiæ appetentes, inimici Monarchiarum reperiuntur. proinde vt laxius viuant omni ſoluti imperio, Monarchiam, quæ diſciplinæ ſeuerioris mater, omnini ru excindere vbique loci conantur. Cupiunt enim, vt cuncti ſuæ profeſſionis ſint Reges apud eos, quemadmodum omnes ſacerdotes, omnes in rebus diuinis ſupremi iudices. ob hanc cauſam ipſis chara *Anarchia* & confuſa ex libidine vniuſcuiuſque rerũ ciuilium adminiſtratio: obedire, ſubijci vni alicui, in vniuerſum illis habatur deteſtabile. Et quidem ex nullo alio apud eos ſenſu odium hoc Monarchiæ ita exurgit, quam ex illo, quo Romani Pontificis Monarchiam animis execrantur: enimuero in illo omnem plana Monarchiam extremo odio proſequuntur. Nam ſi Eccleſiæ Monarchiam merito traducant ambitionis & imperitatis nominibus, ſimul ac Chriſtianæ libertati, quæ ſingulis in ſpiritualibus Domini, aduerſantem pronuncient, quamobrem in ciuilibus Monarchiam adprobarent? Si arbitrentur, Chriſti Eccleſiam gubernandam non abſoluta in ea Præſulum Monarchica auctoritate, ſed vniuſcuiuſque parœciæ aut familiæ ſeorſim exiſtentis multitudine; cur non ſentirent negocijs ciuilibus præeſſe etiam debere hanc ipſam multitudinis *Anarchiam*, vt corporum regimen ab animorum gubernatione penes eos appoſite deriuetur? an quod animis vtile, id corporibus peſtiferum? imo cum Eccleſiæ *Anarchia*, quam affectant, conſiſtere nequit reipublicæ Monarchia: tum quod a ratione alienum, meliorem regiminis formam attribuere reipublicæ, peiorem Eccleſiæ: tum quod cum hac diſſonantia regiminum, ſcilicet Monarchiæ & *Anarchiæ*, pax & tranquillitas neque in Eccleſia neque in Republica diu ſeruari poterunt. *Anarchia* Eccleſiæ, ſi fuerit diſſenſionum nulla ratione compeſcendarum, non tantum inter diuerſas multitudines independentes, ſed etiam in vnaquaque multitudine ſingillatim ſumpta. quæ quidem diſſentiones Monarchiam ciuilem diſtrahent in partes: ſemper enim in rebus diuinis gliſcentes controuerſiæ, in reipublicæ perturbationem vlterius redundant. Porro infinitus eorum numerus erit, qui contendent, reipublicæ regimen componendum omnino ad ideã regiminis in Eccleſia: proinde quod hoc ſit anarchicum, ex eo definient & illud tale eſſe oportere: & propterea Monarchas, hoſtes eſſe Euangelij & Chriſtianæ libertatis facile proclamabunt. Si multitudo ipſorum promiſcua iudicet in rebus maioribus, nempe ſacris, quare non iudicaret in rebus inferioribus, ſcilicet prophanis & ciuilibus, vt recte argumentatur *S. Paulus*? 1. Cor. 6.
Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis ſecularia.

5. Quod ſi ab ipſorum dogmatibus ad actiones eorundem cogitationem diuertamus, luce meridiana clarius apparebit, illos ingenti odio feruere in Monarchas. In Scotia, vt Sereniſſimus quondam Rex *Iacobus* ſcripſit, Caluiniſtæ Baſil. doron.
inimicitias ardentiſſimas in illũ exercebant eam ſolum ob cauſam quod Rex eſſet. Hollandis Caluiniſtis præcipuum ſtudium, Monarchis ruinam incutere: & ſuum vbique populare Regimen inducere ac propagare: vt contra eos egregie literis, Chriſtianis Principibus datis, nobilis quidam Germanus, ex annorum ferme octoginta obſeruatione hiſtorica, luculenter nuper demonſtrauit. Et quid aliud in Gallia Hugonotti iniuſſu Regum arces & opida muniendo, milites conſcribendo, aperte multoties rebellando, Synodos ſuas furioſas congregando moliti, niſi vt Monarchiam illam nobiliſſimam Gallicanam deſtruerent? In Anglia, quo tendebant Proteſtantium in ſuis Parlamentis in Regis *Iacobi* poſtulata pertinax renitentia, imo petulans inſolentia, niſi vt Monarchiam Anglicanam in contemptum adducerent, vt Puritanicis ludibrijs eam omni maieſtate imperii exuerent, vt demum ſola fides, & ſoli nebulones ibi rerum ſumma potirentur? libro publice a ſe edito, teſtatus Sereniſſimus Rex, Parlamentarios in Anglia, quantum ad iura Coronæ, vna monetæ excuſione excepta, reliqua omnia ſibi vendicaſſe, vſurpaſſe. Enimuero Regem cupiunt ſuis iuribus ſpoliatum, amicis externis priuatum, pecuniarum ſuppetiis denudatum, debilem reddere, de quo ipſi poſtea pro ſua libidine liberius & opportunius diſponerent. Delinquentes Principes arbitrantur Proteſtantes, populi iudiciis damnandos, & eorum armis deijciendos, trucidandos. Hoc Calu. in c. 4. ad Rom.
aſſerunt *Caluinus, Zuinglius, Bodinus, Arthuſius*, Iunius,

quing. art. 41 Bodin. l. 5 de repub. cap. 2. Arch. in polit. Iun in vindic. Beza ep. 17 Buch. hist. Scot. Gardin. d. obed. Knox. li. 6. Apellat.

nius Beza, Bucchananus, Goodmannus, Knoxius & alij Proteſtantorum nonnulli. Quo etiam diſſentiones in republica contra magiſtratuum inconſultas furioſius excitentur, plerique Proteſtantium, poſt *Lutherum* affirmant, hæreticos ſoli Deo relinquendos, neu vllis pænis a Principibus coercendos.

6. Porro vti Catholici Monarchias ſtabiliunt, ita Principum iura ac iuſſa conſcientiæ ipſius ſententia, obſeruanda definiunt. Nemini dubium, quin legiſlatio ſit egregium omnium virtutum inſtrumentum, proinde ſicut boni, qui virtutum amatores, eam diligunt, ita dæmones virtutum hoſtes, varios hæreticos, vt notant *S. Hieronymus* & *S. Auguſtinus*, qui eius vim eliderent in eam excitarunt. Tempore *S. Auguſtini* extulere ſua capita in lucem atavi Proteſtantium, affirmantes præter vnam legem fidei, nullam aliam conſcientias fidelium conſtringere: cætera omnia eſſe indifferentia, vniuscuiuſque ciuium arbitrio vt obſeruentur, vel repudientur, ſubiecta. quos iſtis redarguit *S. Auguſtinus*: *Ne quiſquam exiſtimet mandata Dei ad ſolam fidem pertinere.* Deinde cum *S. Chryſoſtomo* & *S. Cyrillo* oſtendit, legem fidei datam, non quæ legem naturæ, Dei aut ſuperiorum abroget, ſed quæ a Deo gratiam impetret, cuius virtute fideles legi obtemperent, & eius mandata impigre exequantur. *Verum hoc fit non lege, qua hoc imperat, ſed fide qua hoc impetrat. Sarcina quippe illa, quæ infirmis atque ægris grauis eſt leuis efficitur charitate. Non concupiſces, vtrique & Chriſtianis, nullum ambiget, eſſe dicendum.* Sequitur iam explicemus rationem, qua a Deo ad Principum leges, iuraque regnorum, auctoritas ad obligandum conſcientiam deſcendiſſe videatur.

Hier. lib. 1. cont. Iouin. Aug. lib. 3 de lib. arb. cap. 5.

Auguſt. l. de fid. & op. c. 22. Chryſ. Hom. 3. in Ioan. Cirill. in cap. 16.

Auguſt. de nat. & grat. cap. 2. 2. cum. cap. 4 de ſpir. & lit. c. 12. 21 de gr. & lib. arb. c. 17 epiſt. 144 Molin lib. 2 de iure & Iuſtit.

7. Certiſſimum, ſemel coalita ad cohabitandum hominum multitudine, inde reſultare in eadem, poteſtatem quandam ad ſe defendendum, ad bonum commune conſtituendum, & conſequenter ad leges ferendum: quandoquidem ſine legum imperio hæc commode procurari non poterunt. Materia vero huiuſmodi legum triplex. vel enim mandant leges ipſa prima principia morum omnibus nota & vſu debito ad cunctos ſpectantia: aut ab eis euidenti vel probabili ſequela concluſiones deductas: aut demum aliud ſeu indifferens ex ſe, ſeu honeſtum, cuius probatio practica longius diſtat a primis principijs, vel ab eis nulla diſputatione elici valet: proinde ab illo, qui publica pollet auctoritate ad leges ferendum, per quandam principiorum applicationem lege præſcribuntur: qualia cenſentur, quod hæc non alia ſit forma reipublicæ admittenda: quod huius aut illius ſit imperium penes alios; quod hoc genus veſtium a ciuibus vſurpandum; quod arma non ſint ferenda; quod talia exiſtant rerum precia; quod primogenitus ſit hæres in ſolidum: huiuſmodi enim a principiis legis naturalis deduci poſſe vix alicui apparebit probabile. & in iſtis iubendis ſeu vetandis leges ciuiles & municipales maxime verſantur, vt diſertiſſime oſtendit *Gabriel Vaſquez*. legem illam, quæ iubet principia prima morum & concluſiones ab eis euidenter depromptas, appellat *Dom. Sotus Declaratoriam*: quippe quod declaret eius rei obligationem, quæ prius vi naturæ aut iuris diuini hominum conſcientias conſtringebat. Reſpectu vero eorum, quæ tertio loco recenſuimus, lex ciuilis aut municipalis proprie decernitur, vt erudite docet *S. Thomas*. quorum quidem obligatio ante legiſlationem, vt pote ignota, neque vi principiorum intellectorum a ciuibus concluſa, minime apud eos regula agendi extabat, ea vero recens poſita, incipit ſubditorum conſcientias attingere, ac præſtare, vt ſine peccato diſcuti non poterit inobedientia. Species autem & modus talis peccati ſpectanda in bono communi, ac materiæ qualitate, quibus plus minuſue violationes aut omiſſiones legum, perniciosæ æſtimantur. Quod nihilominus de lege pure pænali non intelligendum: quandoquidem ad vitandum peccatum in eius tranſcurſu ſufficit, pœnam ſubire, quæ a tali lege apponitur; ciui enim vi talis legis optio datur, an legem obſeruare velit, vel potius pænam ſoluere. Cæterum legiſlatio, cum ſit actus iuriſdictionis in inferiorem non quomodocumque ſumptum, ſed vt animam ac conſcientiam habentem, inde ad animam & conſcientiam ciues regia quadam poteſtate peruadit. *Mars enim, vt ait Timotheus apud Plutarchum, tyrannus eſt lex autem omnium Rex, iuxta Pindari poetæ ſententiam.*

Vaſquez 1. 2 q. 95. diſp. 11 514. cap. 3.

S. Thom. 1. 2 q. 93. art. 3. 4

Plutarch. in Demet.

8. Si ergo ciuium quempiam minus ad ſeruandam legem boni publici amor moueret, iuxta ac pæna parum proficeret legis tranſgreſſoribus intentata, odium nihilominus criminis & timor ne in Deum peccetur violatione legis, illum ad obediendum vehementer incitant: etiā vbi ſecretum, omnem pollicetur violatori immunitatem. *Itaque*, inquit Apoſtolus, *qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* quibus verbis non ſignificat ſe loqui de ordinatione Dei, a lege naturæ aut iure diuino conſtituta. ſed de ordinatione ipſius, quam poteſtas ciuilis & Eccleſiaſtica oſtendunt, & ad certam materiam reſtringunt, vt liquet ex ipſius diſſerendi inſtituto. ac ne quis putaret, leuis eſſe momenti rem, Dei ordinationi in illis reſiſtere, ſubiungit *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Vnde concludit: *Ideo neceſsitati ſubditi eſtote.* Scilicet vitæ ciuili neceſſarium prorſus, ciues non viuere ex arbitrio, ſed vt ſubditos legitimis Principibus morem gerere; quibus haud obſequendum tantummodo *Propter iram*: id eſt ad euitandum ſuppliciū *ſed etiam propter conſcientiam*: ſcilicet ne conſcientia, contra eius dictamen, peccati malo coinquinetur & perſtringatur. Cui noſtrorum informationi ab Apoſtolo, magnam vim contulit Chriſti Domini, tributum ſoluentis, exemplum: *Hinc lata lege indicentis*, ait *Iſidorus*, *vt ei, qui imperium tenet, obediamus, modo nihil ad pietatem detrimenti adferat.* Eſt enim in vniuerſum lex regula agendi ſubdito propoſita: cui, regula non eſſet, ſi nulla exiſteret conſcientiæ obligatio apud illum ad agendum iuxta illius præſcriptum, ſed perinde illi ſit, quantum ad conſcientiam, ſe morigerum, an ſecus rebellantem, exhibere.

Rom. 13.

Math. 17. Iſiodor. lib. 3 epiſt. 48.

9. Sed neque prorſus in Principibus poteſtates ad condendas leges affirmamus ex ipſorum

moribus

motibus dependere: veluti ac ad barbaram inſaniam Proteſtantici *Wiclefi*, omni imperio illos excidere ſtatim ac mortale aliquod crimen cōmitterent, exiſtimaremus: quin potius nouimus, etiam diſcolis obtemperandum, quod admonuit *S. Petrus*, & Concilium *Conſtantienſe* idem definiuit. in hac enim naturæ noſtræ ad delinquendū ſumma fragilitate, iniquū ſane eſſet, ad cuiuſuis mortalis peccati acceſſū, imperandi ius in Principe ſuſpenſum conſtituere. Cæterum Proteſtantium parentes, in iſtis VViclefiſticis dogmatibus libertatis ſuæ Euangelicæ partem, in Principum nempe indignis depreſſionibus ac miſeris deiectionibus, contemplati.

1. Pet. 2. cōc. conſ. Act. 8.

10. Contingit porro, magiſtratū ciuili illud ipſū interdū præcipere, quod lege naturæ prius decretū: ad quod implendū Catholici ſeſe alacriter accingunt, credentes ſe diuina gratia adiutos, id in ſua poteſtate habere. nam vt inquit *S. Auguſtinus, Firmiſſime creditur, Deum iuſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere.* Proteſtantes autem cogitantes legis naturalis obſeruationē impoſſibilem, ſtatim ad obiectum ciuilis officij, animos deſpondent, eoque legem Principis liberrime tranſcurrunt, putantes, haud futurum ſuis animabus id noxium. cuius oppoſitū ipſis factu impoſſibile. imo deficientes ab eo gradu, quē præſcribit lex, etiā dum conantur legē ſeruare, arbitrātur, ſe mortaliter delinquere. Satius ergo illis ac ſanctius nihil agere, quod ad legis ciuilis mandatum pertineat, quam aliquid tentando, eodem animas ſuas ſcelerare.

Aug. li. 1. de nat. & grat. cap. 8.

11. Quæ vero propria ſunt obiecta legum ciuilium, aut municipalium, ante legiſlationem non obligantia ciuium conſcientias, ea Proteſtantes appellant ἀδιάφορα ſcilicet indifferentia ita vt bona & ſancta conſcientia manente, abſque piaculo peccati omitti poterūt. Cuius opinionis vi non modo ſunt Proteſtantes inobedientes, rebelles, ſed inſuper ad offendendum ad præuaricandum eodem incitantur. Si enim nullum malum contra iuſtitiam & ſanctitatem animæ, violatione legum ciuilium ipſi accreſcere autumant, quid illos pronos in iniquitatem a ſcelere coercebit? Imo inter eorum ἀδιάφορα ſeu indifferentia, vnum ex ingenio dogmatis ipſorum, hanc ſingularem perſonam pro Principe ducere; & conſequenter eius legibus obſequentes eſſe. quod luculentius conſtabit, ſi modo fingamus, Venetos, aut Genuenſes, ſibi iam recens Reges, mutato ſtatu reipublicæ, præficere. id enim penes Proteſtantes indifferens, & conſcientiam minime obligans, quod ante legē latam haud obligabat eaſdem ciuium conſcientias. Sed Veneti & Genuenſes non tenebātur ante factum hoc ipſorum, quod ſupponimus, Regē hunc agnoſcere, ergo denuo creato huic Regi obedire vel reſiſtere, quantū ad malū conſcientiæ, ipſis indifferens, eandem prorſus veritatē obtinet hoc argumentū contra Proteſtantes quo ad omnes plane Reges, quādoquidē primitiuo populi conſenſu ſuam auctoritatē acceperint, ante quē conſenſū nulla extabat cōſcientiæ obligatio in quoquam ad illis parendū. Quo ergo in ſtatu, & in quanto periculo, verſātur Reges inter ſubditos Proteſtātes, exiſtimātes, nunc peccato, ad conſciētias ſuas peruadēte, ſe poſſe perſonā illius Regis e ſolio ſuo deijcere & omnes ab eo latas leges aſpernari, cōculcare? oſtendant velim, ex quo capite indifferens, ſeruare leges ciuiles alicuius Principis aut non ſeruare, nihilominus minime eſſe indifferens, hunc vel alterum pro Rege acceptare? Etenim correlatiuum Regiæ poteſtatis virtus directiua & coerciua in ipſius lege. Si ergo Proteſtantes ad indifferentiam reducant leges a tali poteſtate latas, conſequenter ad ſimilem indifferentiam reijciunt hunc aut alterum Principem fateri: adeo vt conſcientiam non attingat illud factum, quo iſte Princeps omni poteſtate ſpoliaretur. quam barbara, quam inhumanis hæc Proteſtantium, quod ad res externas, indifferentia? quales precor illa conſcientiæ, nulla proditione, nulla rebellione, nedum parricidio in Principes violabiles? quorſum obſecro, violationes legum ciuilium, aut dignitatis ciuilis, ſuis conſcientijs noxias cogitarent, poſtquā crediderint, cū adulterio, homicidio, abnegatione fidei, ſuam iuſtitiā perſiſtere incolumem? qualis illa ciuitas Proteſtantica, in qua ſancti fures, ſancti adulteri, ſancti rebelles, & demum ſancti nebulones? Si hæc eorū indifferentia, quod ad conſcientiæ libertatē, non ſit barbarica, certe neq. Scythica turbatio, aut confuſio Babilonica ad barbariē referēdæ. In vniuerſū quidē Proteſtantes omniū legū contemptū animia imbibunt in ipſomet ſuo ſacrario, ſeu diuinorū dogmatū penuario. neſcio quo inflati auſu, dum fidē ſuā profitentur, Prælatorū in Eccleſia canones vituperāt, quorū ſenſus priuatis ſuis iudicijs ſubijciunt, quorumq; numerū Eccleſiaſticæ ſuæ libertati aduerſari contumelioſiſſime indies vociferantur. Ex hoc ſuperbiæ in ſacris ipſorum fonte, dimanat in leges Principū apud eos omnis arrogantia barbarica. Recuſantes fieri ſerui hominū. ipſis myſterijs corruptiſſimæ cuiuſdam credulitatis erudiuntur ad neglectum odiumque ciuiliū legum. Citius enimuero leones & immaniſſimæ beſtiæ in abſtruſis ſiluarum vagantes, vincula admitterent, quā leges Proteſtantes: onagrorū ſane pulli, qui ſe ad inutilem libertatem natos faſtuoſe gloriantur.

Lut in cap. 5. ad Gall.

Iob 11. Greg. ibid.

12. Legibus etiam infeſti Proteſtantica, quæ in hoſtes fidei hæreticos, ab Eccleſia conſcribuntur. olim calide declamarunt, quod cum vera fides ſit donum ſolius Dei, ideo nulla legis pœna plectēdos hæreticos, ſed Dei iudicio dūtaxat relinquendos. quod ipſorū dictū prorſus barbarū. hinc enim in republica ſuperbi idiotæ, aut vani homines, impunitatē nacti, hæreſes indies proferre poterunt cōtra reipublicæ pacē & in ea charitatē; denique contra ipſius fidei ſtabilitatē atque ſanctimoniam. Imò teſte *S. Auguſtino*, iſtius aſſerti auctores crudelius deſæuiunt in hæreticos, eos legibus ſolemnes pœnalibus, quā ſi igne & morte, a talibus legibus decretis, eos caſtigarent: quippe impunitate pollicita, in æternam ipſorum animarum damnationem ad nouas hæreſes quotidie euulgandum excitantes. *Deteſtabilior eſt domeſticus hoſtis*, inquit *S. Auguſtinus, quam extraneus, & grauius ſcelus aduerſus Chriſtum cum abutantur Chriſti nomine.*

Luth. lib. de libert. chriſt.

Aug. lib. 2. cont. Creſc. cap. 22.

Aug. li. 8. de ciu. Dei cap. 7.

13. Denique in Principum perſonas furioſi plane Proteſtantes, eam poteſtatem confuſæ multitudini attribuentes, quæ eos etiam priuatione imperij coerceat. Quid, quantum ad hoc luculentius, quam quod in defectionibus *Hugonotarum* in Gallia, & in *Gueſiorum* in Hollandia rebellionibus, apparet? in pulſu iſtius arteriæ proteſtanticæ, quam etiamnum tangimus, Deus bone, quanta cernitur intemperies, quantaque caloris ſanguinaria plane crudelitas? Hãc ipſam recenſet, & adprobat quidam Geographus *Camdenus*, atque inſtar peſſimi medici, intemperiem impietatis & rebellionis, argumentum & florem ducit ciuilis ſanitatis: quippe de Hollandis diſſerens, ſic eloquitur: *Ordines fœderatorum Belgarum Hiſpanum ob leges violatas Principatu excidiſſe iam ante pronunciauerant: ſigilla fregerant, inſignia vbique deiecerant, & fidei ſacramento populum ita abſoluerant, vt liberum eſſet, alium principem ſibi deligere.* Nihil dubitauit iſte vel tyrannidem optimo Hiſpaniarum Regi ſub terminis generalibus imponere, particularia ſignataque quæ inferret non habens. Intellexi, qua tempeſtate tumultuari & rebellare Hollandis ſteterit ſententia, nullum inter eos repertum Hiſpanum, qui illos durius tractaret: quinimo omnia præſidia occupantes, in optimum & indulgentiſſimum Principem, etiam a Belgis oriundum, fœda defectione coniurationis crimen Belgas exinliiſſe? Num illo imperante vſque ad maiora ferramenta cultellorũ exarmari? num armatos inquilinos exteræ nationis, inuiti ac coacti admiſere in ſuas ædes, ſicut eis ſub nouis Dominis poſtea contigiſſe nouimus? at paucis te lubet adhuc *Camdene* percõtari, & quã celas in principum incolumitates inſtructam maleuolentiam retegere. Libellum noſti, perlegiſti credo, in Anglia editum, cui frons *Deus & Rex*, non te latet, eius ſententiam eſſe, nulla vnquam vi, proditione aut rebellione debere ſubditum Principis ſui auctoritatem detrectare, aut illi in negocio ciuili obedientiam denegare: multo minus ei poteſtatem detrahere. Tu vero iſtis contraria, vtpote Hollandicorum ſubditorũ in ſuũ Principem immanem violentiam iuſtitiæ adſcribis & æquitati: quo, te cenſore, licet in Anglia ſint Deus & Rex, in Hollandia nec Deus nec Rex, requirendi. Quin, an non iſtis verbis poteſtatem facis ſubdito occidendi Principem, ſi tyrannidem exercuerit, poſtquam dominia ac poſſeſſiones eius populi manu ſubieceris? quare adæque vita ipſius non erit ſub eius arbitrio conſtituta ſi eodem modo ad defendendum commune bonum neceſſariũ illi eã eripere, quemadmodũ alia eius iura contemnere ac violare? Quis Philoſophiæ locus aut ſcripturæ textus diſcrimen in hoc conſilio tibi demonſtrabit, quo conſtet integrũ ciui, principis veſtẽ, diadema, pecunias, famulatũ, honorẽ prædari, nõ vero illi vitam adimere: cum ad hoc perficiẽdũ, illud alterũ in tuis Hollãdis ſit a te dilaudatũ præludiũ? Vides ergo, quam infeliciter a geographicis lineis ad ciuiles diſciplinas crudoſque tumultus deflexiſti. Mirum idcirco videri non debet, ſi quod recolit *Guiciardinus*, Principes Chriſtiani diligentiſſime cauerint, ne nuper exortum *Lutheri* Euangelium in ſuas ditiones aditum reperiret: animaduertentes quippe, *Illud ipſorum ſtatibus eſſe pernicioſum.* Verum poſtquam conſtiterit, Proteſtantes hoſtes eſſe Monarchiæ in Chriſti Eccleſia, eodẽ magis liquebit, Monarchiæ ciuilis, adeoq; omnis in hoc genere imperij, truculẽtiſſimos illos eſſe aduerſarios & proditores.

Caml. in hiſt. Elizab.

Guiciard. l. 20. hiſtor.

Nunc Ioue ſub Domino cædes & vulnera ſemper:
Nunc maria, nunc leti mille reperta via.

Tibul. lib. 1. Epigr. 3.

CAPVT XI.

Monarchia viſibilis totius Eccleſiæ per orbem diffuſa aſſerta a Catholicis, tam pietati ſupernaturali, quam morum ciuilitati vtiliſſima. quam dum Proteſtantes omni nixu conuellere adlaborant, eo etiam vtriſque barbariei cladem inferre ſatagunt.

QVoniam Eccleſia ſpecies quædam eſt reipublicæ, ordinatiſſimumq; hic in terris regnum Dei, idcirco in illa ſpectantur qui iure diuino imperant, alij viciſſim, qui eodem iure ab illis reguntur. ac tametſi quantum ad internum gratiæ influxum, iſtius Eccleſiæ Monarcha ſit ſolus Chriſtus dominus, nihilominus quod in ea viſibilis religio ac iuriſdictio exerceantur, inde, quantum ad exterius regimen, forma quadam imperij & ſubiectionis in ea cogitanda, adeoque perfectiſſima: quandoquidem diuinitus conſtituta, Chriſti Domini excellentiſſimis meritis, inter alia ſua beneficia in genus humanum collata, acquiſita. Cũ enim Eccleſia viua ſit imago cœleſtis Hieruſalem, noua ſcilicet Hieruſalem e cœlo in terras dilapſa, vt ait *S. Ioannes*, conſequens, eam, vtpote exemplar illius primi ac ſummi prototypi, abſolutiſſima quadam perfectione reliquis omnibus ciuitatibus eminere. Hæc enim eſt illa Domus, quam ſibi æterna ſapientia ædificauit, digna ſane tanto hoſpite, tantoque artifici idonea. Cuius immenſitatẽ ſi cogitemus, illam terræ faciẽ occupantẽ: ſi firmitudinẽ, vel contra portas inferi præualentẽ, ſi ſanctitatẽ, ſuffitu ſuauiſſimorũ odoramentorũ plenam domũ: ſi iucunditatem, torrente voluptatis exhilaratã: ſi ſplendorẽ, in ſole poſitã, comperiemus. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Ciues ergo in hac ſacra republica, quod tam aſpectabilibus corporũ functionibus quam occultis animorũ muneribus officia ſua exequuntur, eo neceſſariũ fuit, in illa condi regiminis quendã viſibilem modũ, in quo tribunal ad ius dicendũ, Principes ad imperandũ, leges ad dirigendũ ſimul ac ad coercendũ, hominũ ſẽſibus dilucide innoteſcerent: ne horũ ignoratio, cõfuſione ac tenebris inuadẽtibus præclara illius omnia confunderet euerteretque. Eſt enim Eccleſia veſtis *Aaron*, odoratiſſimo oleo, ab ipſius Chriſti capite & barba defluẽte, perfuſa: in qua veſte tintinabula, nempe voces & exẽpla ſacerdotũ, viſibile ac ſonorũ gerunt imperiũ, vt notauit *S. Auguſtinus*. Propter quã imperij paritem rationẽ, Patres docẽt, in dubijs rebus fidei, aut etiã exploratis, recurrendũ ad irrefragabilem Eccleſiæ traditionem, vtpote ab eius certiſſima auctoritate latam ſententiam: per quam nouimus,

Epheſ. 1. Auguſt. li. 2. de Trin. c. 12. S. Thom. 3. p. q. 8. art. 1.

Apoc. 20.

Prouerb. 9.

Math 20. Apoc 15. pſ. 40. Aug. cap. 166. Pſal. 42.

Pſal. 132. Exod. 28.

Aug. q. 110. in Exod.

Tert. l. 4. cõt. Marc. Iren. lib. 3. cap. 2.

nouimus, quæ Scriptura Canonica, quis eius ſenſus: & in vniuerſum quæ myſteriorum fides, tametſi ſcripturæ non extitiſſent, aut eius nullam plane notionem haberemus, admittenda. *Nomen habet Eccleſia*, inquit *Cyrillus Hieroſolimitanus, vitulum & taurum ſimul paſcentes, ſicut ad hodiernum vſque diem cernimus, mundanos Principes regi & inſtrui ab Eccleſiaſticis?* *Tertullianus* receuſet tria bona Eccleſiæ: ſcilicet conuocationem pacis, appellationem fraternitatis, conteſſerationem hoſpitalitatis. *Quæ iura*, inquit, *Non alia ratio regit, quam eiuſdem ſancti vna traditio.* Hinc Paſtores Eccleſiæ paſſim vocat idem *Tertullianus Præſidentes. Si quis ita deliquerit, vt a communicatione orationis & conuentus, & omnis Sancti commercii relegetur, præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non precio, ſed teſtimonio adepti.*

Cir. Hieroſ. Catech. 17. Relā. Mauri ep. ad Reg. Tert. præſc. Tert. in Ap. de cor. mil.

2. Nec apud vllam gentem relligio vnquam extitit, in qua non cernebantur ſacrorum Præſides, quibus eorum cura commiſſa; adeoque ab alijs diſcreti & ſingulari huic muneri ſeorſim adſcripti. Iudæi ſacerdotes ſuos, ſub vno ſummo antiſtite, in hunc finem habuere: licet eorum aliquot Reges, quod ſimul eſſent Prophetæ, ſacra quædam officia iure quodam extraordinario exercuerint. Romani pariter auguribus vnum præfecere: Flammines ſub Archiflamminibus collocarunt. quorum Imperatores. quod pariter eſſent Pontifices, eis inde primatum etiam in ſacris contulerunt.

Exod. 1. Cicer. orat. pro Augur.

3. Volens itaque Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam condere, quæ Myſticum ipſius eſſet corpus, ac proinde aliquam ſimilitudinem exhiberet corporis ſui naturalis, *Sanctum Petrum*, eius caput ac Monarcham creauit, vt Eccleſia per totum orbem extenſa, nihilo obſtantibus in ea locorum diſtantijs, inſularum a continenti ac inter ſe diremptionibus, morum ac linguarum varietatibus, hoc pacto vna eſſet reſpublica: quo eiſdem legibus & eiuſdem imperio gubernata, ad vnitatem & mutuam charitatem inter ciues procurandam apte componeretur. Hanc vnitatem, ſingularem fuiſſe a Chriſto domino ſpectatum effectum monarchiæ in perſona *S. Petri*, luculenter affirmat *S. Cyprianus*. *Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna demonſtretur. Vnde vnitatis originem inſtituit & oſtendit.* Porro idem deſignans perſonam *S. Petri*. ſeu eius perſonalem dignitatem, aſſerit ſuper eum fundatam Eccleſiam. *Petrus, ſuper quem ædificata eſt ab ipſo Domino Eccleſia.* Dicit nō ſuper *Petri* fidem, ſed, *Super quem* ædificata Eccleſia. erat enim ei nomen perſonale *Petrus* a Chriſto impoſitum: petra etiam, *Cephas*, ſeu caput, vt ait *Optatus*, ab eodem nuncupatus. proinde ſuper eius perſonam, talibus nominibus ſignatam, aſſeruit *S. Cyprianus* fundatam Eccleſiam: nempe ſuper illam, propter eius in Eccleſia primatum perſonalem, ſuſtentantem regimine inconcuſſo Eccleſiam per totum orbem diffuſam. ob quam cauſam, *Petri* perſonam iam factam Eccleſiæ petram, comparat *S. Baſilius* cum perſona Chriſti Domini, obſeruata tamen lege proportionis debitæ ſeu analogiæ. *Nam etiamſi petra eſt, non vt Chriſtus petra eſt, ſed vt Petra eſt*: Quod verum non eſſet, ſi petra ſolum eſſet *Petrus* ratione fidei: ſic enim non vt *Petrus*, ſed vt Chriſtianus eſſet Eccleſiæ petra. *Petra autem erat Chriſtus*, inquit *S. Paulus*: nempe petra perſonaliter in quantum Deus & homo, mundi redemptor. *Etiam diſcipulo ſuo huius vocabuli gratiam non negauit, cui dicit, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quæ quidem comparationes eſſent prorſus ineptæ, ſi ex vna parte fidem *Petri*, & ex altera perſonam Chriſti reſpicerent. Sunt ergo comparationes inter perſonalem Chriſti dignitatem, & eam, quæ *Petro* etiam perſonalis. Quando ergo dixit Chriſtus, *Tu vocaberis Cephas; Tu es Petrus*, ſeu petra, ſupra quam eccleſia ædificanda, idem eſt ac ſi dixiſſet, tu es Princeps in Eccleſia: eo quod Principes ſint fundamenta, baſes & Petræ ſuarum Rerumpublicarum. Hoc egregie adſeruit *S. Gregorius*, ex etymologia Græci verbi *βασιλεὺς* eſt enim inquit *βάσις τοῦ λαοῦ* ſcilicet fundamentum ſeu petra populi, ob hanc eandem cauſam *S. Hieronimus* appellat cathedram *Petri*, ſcilicet notam perſonalis ſui primatus, abſolute *Petram. Cathedra Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* id autem diſerte affirmat *S. Cryſoſtomus*, dicendo, Chriſtum tradidiſſe *S. Petro* principatum gubernationemque eccleſiæ per totum mundum. Hanc ipſam rationem vnitatis gubernatiuæ in eccleſia vrget pariter idem *S. Hieronimus*, tanquam cauſam, ob quam Chriſtus Monarchiam *S. Petro* detulerit, *Vt capite conſtituto ſciſmatis tolleretur occaſio.* quo ſignificat, ſine hac Monarchia oportunam & obnoxiam fuiſſe eccleſiam ſciſmatibus ac diſſentionibus, contra normam optimi in ea regiminis. Quid enim nomine *Petri* eſſet intelligendum, explicauit ipſemet Chriſtus Dominus, quando promiſit illi dandos claues regni cœlorum. Claues autem poteſtatem iuriſdictionis declarant, vt conſtat ex vſu & ſermone, & non tantū fidem aut mores alicuius. *Latuit ne aliquid Petrum*, quærit *Tertullianus*, *ædificanda Eccleſia petram dictam, claues regni cœlorum conſequutum, & ſoluendi ac ligandi in cœlis & in terris poteſtatem? Princeps Apoſtolorum*, inquit *Cyrillus*. *& regni cœlorum clauiger Petrus appellatus.* ergo *Petrus* Princeps Apoſtolorum, clauiger, non qua inter alios ſenior, ſapientior, ſed qua peculiari modo in republica Chriſti clauiger, qua cæteris Apoſtolis, vtpote eorum Princeps, eminentior. Proinde vt vnitas in corpore Chriſti myſtico ſeu eccleſia ſeruaretur, *Sanctus Petrus* Monarchice in ea iure diuino extitit clauiger, & eo reſpectu reliqui Apoſtoli eidē inferiores. Dilucide hoc ipſum affirmat *S. Auguſtinus*, dicendo, Sāctum *Petrum* inter Apoſtolos *Geſsiſſe vel habuiſſe primatum*. quod verbum *Primatus*, omnino ſignificat primatum non amoris Chriſti erga ipſum, non ſui amoris erga Chriſtum, non ætatis ſuæ, aliorum reſpectu, antiquitatem, ſed primatum iuriſdictionis in functionibus ſacris. etenim illæ voces, *Inter Apoſtolos*, talem ſuppoſitionem dant particulæ *primatus*, qualem ipſæ in ſe continent. nomen autem Apoſtoli denotat perſonalem iuriſdictionem illius. qui a Chriſto miſſus, vt manifeſtum: eſt enim Apoſtolus vi ſui nominis miſſus a Chriſto ad exercendam

Epheſ. 5. Cipr. de vn. Eccleſiæ. ep. 63. ad Iub. Optat. lib. 2. cont. Parm. Baſil. homil. de pœnitēt. Paul. ex. 4. Paulin. ep. 4 & 11. Greg. in Iob lib. cap. 23. Hier. ep. 57. Chryſ. Hom. 5. de Pœn. Hier. cont. Iouin. Tert. in Præſ. Cirill. Cate. 17. Auguſt. in Pſalm. 108.

 ſacram

ſacram & ſupernaturalem iuriſdictionem. ergo quando affirmauit *S. Auguſtinus S. Petrum* inter Apoſtolos habuiſſe *Primatum*, vult babuiſſe primatum non quemuis, ſed Apoſtolicum, ſeu iuriſdictionis Apoſtolicæ. Velnti ſi quis diceret, inter Philoſophos principem extitiſſe *Platonem* ſignificaretis, quod ad Philoſophiam *Platonem* fuiſſe Principem, nō quod ad alia quæcuoque. Quod ſi quis contenderit, iure extraordinario Apoſtolos *Petri* iuriſdictioni fuiſſe a Chriſto exemptos, nihilominus quantum ad hoc fuiſſe vnice clauigerum *Petram*, certiſſimum: nempe quatenus eius ſucceſſori, Romano Pontifici, iure ordinario Monarchiæ, omnes in Eccleſia paſtores illi ſubiecti, vt eſſet ille non modo paſtor, ſed Paſtor Paſtorum, vt dixerit *S. Bernardus*: & hoc pacto nulli alij Apoſtoli clauigeri regni cœlorum. *In quo vno*, inquit *Optatus*, *cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque deſiderarent: vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.* Apposite ergo & ſolide ſcribit *S. Leo*, quando pronunciat, primatum Romani Pontificia aptum eſſe ad continendum reliquos Epiſcopos in vnitate fidei Catholicæ: *Per quos ad vnam Petri ſedem Eccleſiæ vniuerſalis cura confluerct, vt nihil vnquam a ſuo capite diſſideret.*

Bern.lib. 1. de conſid Epiſt 131.
Optat.lib.2. cont Parm.
Leo ſerm 2

4. Enimuero tametſi omnes Apoſtoli immediate a Chriſto Domino ſortiti ſint iuriſdictionem & poteſtatem ordinis, idque in vniuerſum orbem, modo quodam extraordinario, hoc tamen non impediuit quo minus eorum iuriſdictiones eſſent ſubiectæ ſupremæ & ordinariæ iuriſdictioni *S. Petri*. & quod fuerint ita ſubiectæ, videtur conſtare ex facto *S. Petri*, multorum opinione indicentis Hieroſolymis primum Concilium. quo, vt obligauit reliquos Apoſtolos ad comparendum eo loci, ita eorum iuriſdictiones, appondo id quod incompoſſibilile, ſuo in eos imperio moderatus: nam eo ipſo quo ad eius mandatum ſe contulere Hieroſolymam, eam in ſuis proprijs ſedibus exercere non potuerunt iuriſdictionem, quæ eorumdem perſonales præſētias requirebat. ſaltē ergo indirecte habuit ius ſuperius *S. Petrus* in reliquorū Apoſtolorum auctoritates. Vnde enim aliter eſſet Apoſtolorum caput, Princeps, fundamentum *S. Petrus*, niſi ex eo, quod aliorum Apoſtolorum iuriſdictiones ei fuerint dimiſſæ? alioquin tempore Apoſtolorum, exiſtimandum, multum fuiſſe detractum præſtantiſſimæ formæ Regiminis, nimirum Monarchiæ, extraordinarijs iuribus eorumdem Apoſtolorum: quod certe non decet definire.

Act 15.
Hil. can. 26. in Math.
Amb. lib. de Fid. cap cap 3. Baſil in cap. 2 Iſa.

5. Porro quemadmodum in perſonam *S. Petri* contulit Chriſtus Dominus primatum monarchiæ Eccleſiaſticæ, ita in illa, ac per eam, eundem promiſit ac tradidit eius in ſede Romana ſucceſſoribus. nam quando dixit ei: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, non intellexit eam Eccleſiam ſolum, quæ extitit viuente *S. Petro*, ſed eam, quæ per ſucceſſiones paſtorum duratura vſque ad finem mundi. quamobrem quod hanc ita manantem ad futuras ætates nō ædificauerit ſuper perſonalem *Petri* primatum, eo iam in viuis eſſe deſinente, vt verba promiſſionis veritatem ſuam obtineant, ædificatur Eccleſia Chriſti ſuper primatum, qui ei in *Petro*, parilis, in eius quippe ſucceſſoribus vſque ad finem mundi reperiundus, & ad eos ordine ſucceſſionis a *Petro* capite deriuandus. Hoc vt ſignificarent *Patres*, ſedem Epiſcopi Romani appellarunt cathedram *Petri*, & illi adhærentes, Catholicos vocarunt: quaſi idem eſſet Catholicum eſſe, & Romanæ ſedi obedientem. Sanctus *Hieronymus* inquirendo de fide *Ruffini* Origeniſtæ, ſic loquitur: *Fidem ſuam quam vocat? eane qua Romana pollet Eccleſia, an illam, quæ Origenis voluminibus continetur? Si Romanam reſponderit, ergo Catholici ſumus.* In eundem ſenſum *S. Ambroſius* percontatus eſt ex quodam, *Virum cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romana Eccleſia communicaret. Victor* Vticenſis ſcribit, Arianos ingenti odio proſequutos *Romanos*, id eſt Catholicos. Cuius etiam rei egregium argumentum, quod Proteſtantes nequeant tempus ſignare poſt *Sanctum Petrum*, & eius ſucceſſorem *Linum*, in quo primum agnita aut vſurpata hæc ſumma auctoritas Pontificis Romani, niſi ſplendide mentiri craſſeque velint Eccleſiæ hiſtorias ignorare. Cæterum haud noſtri inſtituti ex Patribus, aut hiſtorijs id modo fuſius comprobare.

Joan. 20.
Cipr. ep 52.
Hier. Apol. 1. in Ruffin.
V ctor. lib Perſequut

6. Nunc autem ex hac monarchia, quod ad ſtatum rerum ciuilium, virtutum functionibus complexum, vtilitates conſideremus. Cum omnis plurium ordinatio in quandam vnitatem deſtinetur, quæ formam quaſi ac perfectionem coalitæ ſocietatis oſtendat, conſequens, ſpeciem aliquam iſtius vnitatis eamque præcipuam, ſpectandam in Eccleſia. Verum quidem eſt, *Democratiam*, ſimulac *Ariſtocratiam*, vnitatem etiam aliquam in ſe continere: vt cuius vnam rempublicam conſtituunt: nihilominus maior vnitas ſpectabilis in *Ariſtocratia*, quam in *Democratia*, eoque nomine habetur illa hac præſtantior: ſumma autem in *Monarchia* reperitur, vti ſatis conſtat, & ideo omnium nobiliſſima iudicatur. Quocirca hanc Eccleſiæ vniuerſali attribuentes, eodem eius formam regiminis, vtpote nobiliſſimam, commendamus. quæ, quod Chriſto ſuperſtite, fuerit monarchica, quamobrem eo in cœlum ſublato, ad minus perfectam formam *Ariſtocratiæ* vel *Democratiæ* indigne decideret? In hac itaque aſpicimus in terris inter homines figuram quandam regni in cœlo florentis ſub Monarcha Deo, & de eodem, hac a nobis cōſiderata, animis ſæpius meditamur. laudamus pariter Deum, qui Eccleſiam ſuam hic inferius collocatam, ad tam exquiſitum exemplar in monte, videlicet in cœlo, noſtri cauſa voluit fabricare.

Ariſt. lib. 2. Pol.
Sand lib 8. viſib. mon. cap. 4.
Exod. 20.

7. Duo porro ſunt maxima in omni republica bona. primū, certa animorum in ciuibus informatio: alterum, nocumenti ab eis idonea ac tempeſtiua depulſio. quorum procurationes expeditiores omnino ratione Monarchiæ, quam in Eccleſia agnoſcimus. Cum enim vnus fuerit omnium caput, faciliter ab eius ſapientia & iuriſdictione deſcendunt ad omnes eadem morum documenta; vtpote leges, admonitiones, conſilia ac ſimilia ad inſtruendum alios media. ſin vero eſſent plures abſoluti Principes

Tertull. lib Præſcrip.

cipes in Eccleſia, ſiue ex *Democratia*, ſiue *Ariſtocratia* conſtituti, nihil tale abſque eorum haud expectando conſenſu effici poterit, quod ad totam Eccleſiã deueniret. Satius ergo, citius, oportunius ac tutius ab vno Monarcha omnium ciuium concors, vna eademq; inſtructio & defenſio abſoluuntur. Hinc familiare vniuerſis partibus Eccleſiæ, particulares ſuos ſtatus, cauſas, errores, res geſtas Romano Pontifici ſignificare: quo non ſolum a falſitate ac flagitio maturo defendantur, verum etiam cum alijs eiuſdem Eccleſiæ membris, quorum ille communis Paſtor, conſenſionem retinerent: cum ab vnius iudicio varia aut oppoſita minime euentura: ſicuti contingeret, ſi Eccleſiæ abſoluti Principes diſſolute ac ſeorſim imperarent. Quod *Neſtorius* frequenter recuſaret, beatiſſimam Virginem *θεοτόκον* Deiparam appellare, *Cyrillus* id *Celeſtino* Papæ denunciauit, vt narrat *Liberatus* Archimandrita Carthaginenſis. *Flauianus* Archiepiſcopus Conſtantinopol. poſtquam ſententiam damnationis in *Eutychen* archihæreticum intuliſſet, cauſam damnationis *Leoni* Pontifici Romano aperuit, vt idem teſtatur *Liberatus*. *Damaſum* Romanum Pontificem conſuluerat *S. Hieronymus*, num in diuinis tres eſſent dicendæ Hypoſtaſes. pari modo *Iuſtinus* Imperator quæſiuit a *Ioanne* Papa, num Beata Virgo nuncupanda *θεοτόκος* Deipara, vt narrat etiam *Liberatus*. Exurgente hæreſi Pelagiana, antiſtites Aphricani cum *S. Auguſtino* rem in ſynodo tranſactam ad tribunal *Innocentij* primi detulerunt. *Hoc itaque geſtum, Domine Frater, ſanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum, & quorundam etiam peruerſitate corrigenda.* Pari obſeruantia Præſules & auctores Canonum in Cõcilio Arelatẽſi requirẽtes decreta ſua *Syluestro* Papæ exhibuere diiudicanda, ob eorũ cõfirmationẽ, vt Card. *Baronius* oſtendit. contra quem rium quod aliquando erratum, Papa *Iulius* ita reſcripſit, idque in Concilio Niceno confirmatum: *An ignari eſtis, hanc conſuetudinem eſſe, vt primum nobis ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſt definiri poſſet?* Hinc Patres in Concilio Epheſino auctoritatem *Cæleſtini* Papæ, præſidentis per ſuum legatum agnouere: iuxta ac *Cyrillus Alexandrinus* ab eodem petijt, num eſſet communicandum cum *Neſtorio* vel ſecus. *S. Chryſoſtomus* & *Theophilus Alexandrinus* vexati ab hæreticis, & Imperatoribus, auxilium Innocentij Papæ officioſe admodum implorarunt. *Petrus* Archiepiſcopus Alexandrinus ſua ſede iniuſte pulſus, vt narrat *Socrates*, iudicio Romani Pontificis reſtitutus. *Optatus Mileuitanus* Papæ ſententiæ ſtandum admonet: cui proinde reſiſtentes Donatiſtas rebellionis & peruicaciæ iuſte redarguit. Huius rei *Eutychium* certum fecit *Petrus* Epiſcopus Rauen. *In omnibus autem hortamur te frater honorabilis, vt his, quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quoniã Beatus Petrus, qui in propria ſede & viuit & præſidet præſcripſit quærentibus fidei veritatẽ. nos enim pro ſtudio pacis & fidei extra conſenſũ Romanæ ciuitatis Epiſcopi cauſas audire non poſſumus.* Hæc vel Primatiuæ Eccleſiæ teſtimonia confundere deberent

Liberat. in Breu. cap. 4. 21. 10.
Hier. ep. 57. 58.
Con. Carth. Tomo. 1. Concil.
Baron. Tom 3. Pag. 114. Athanaſ. Ap. a Bar. Tom 3. pag. 460.
Conc. epheſ
Ciril ep. ad Celeſtin.
Chryſ. ep. 1.
Soc. lib. 4. cap. 30 opt. lib. 1. & 2.
Petr. Rauen. ep. ad rutic. Tom. 2. concil.

Proteſtantes, Eccleſiæ Monarchiæ ſeditioſe oblatrantes.

8. Imo non ſine mira Dei prouidentia factũ, vt Romana ciuitate Chriſto per fidem ſubdita, in eadem ſummus Chriſtianorum Pontifex collocaretur, in qua corporum tyranni Imperatores prius regnarant. Hinc enim duo ſequuta commoda Eccleſiæ, primum, eiuſdem Eccleſiæ facilis dilatatio per totum Imperium Romanum. alterum, idonea loci præparatio, in quo ſacrorum ſummus Præſes orbi dominaturus reſideret.

Vis dicam; quæ cauſa tuos Romane, labores
In tantum extulerit? quod gloria fortibus aucta
Sic cluat impoſitis, vt mundum frænet habenis?
Diſcordes linguis populos & diſſona cultu
Regna volens ſociare Deus ſubiungier vni
Imperio, quicquid tractabile moribus eſſet,
Concordique iugo retinacula mollia ferre
Conſtituit, quo corda hominum coniuncta teneret
Religionis amor: nec enim fit copula Chriſto
Digna, niſi implicitas ſociet mens vnica gentes.

Prud lib. 2. in Symm.

Hanc ipſam diuinæ prouidentiæ rationem expendit pariter *S. Leo*. Siue idcirco veritatis alicuius intimatiu facienda toti Eccleſiæ ſolo iuſſu ac decreto Romani Pontificis peragenda, ſiue ad id præſtandum interuentu Concilij opus fuerit, huiuſmodi a Catholicis aſſerta in Eccleſia Monarchia vtriſque conuenientiſſima. Nã quod in *Democratia* aut *Ariſtocratia* plures ſint qui regnant ac iubent, abſque mutua eorum dependentia, difficile fuerit ab illis locum aut modum Concilij generalis, in negocio ad totam Eccleſiam pertinente, conſtitui: imo eis in contraria abeuntibus; quod eiuſmodi etiam pluralitati imperantium abſolutorum valde oportunum; & cui illi plurimum, vt fit, obnoxij, quid remedij ad componendam litem indigentem Concilij generalis Confluxu ac iudicio?

Leo. ferm. 1 de Natal. Apoſtolor.

——— quærenſque meatum
Spumat, & illiſa montem circumtonat vnda

Claud. lib. 1. in Ruff.

9. Ex quo, vtcumque mihi apparere videtur, voluiſſe Deum in magnitudine olim & vnitate imperij Romani, ideam quamdam expreſſiſſe futuri Romæ Pontificatus. nam vt illa magnitudo & vnitas plurimum faciebant, teſte *Prudentio*, ad conſenſionem & pacem omnium aliorum Regnorum, ſic etiam in ſummo Pontifice recollecta, plus modo conducunt ad pacem & conſenſionem in omnibus Gentibus, quæ Chriſti fidem profitentur. quocirca ſi aliquando ratio ſuberat, ob quam a priſcis, teſte *Cælio Rodigino*, Roma appellata *Orbis Epitome*: ſicut dictæ Athenæ *Ἑλλάδος Ἑλλάς*, *Græcia Græciæ*, profecto id nunc magis conſpicuum: quandoquidem in ſummo Pontifice Romano vniantur cuncti tam ſacrorum Præſides, quam ciuiles Principes: eaque de cauſa, vel per ſe, vel per alios, Romæ, vt in epitome orbis, verſantur. imo quod adhuc mirabilius, ab eodem *Cælio* ex *Dione* recenſitum, nempe in illa antiquitate, *Reges a Romanorum Imperatoribus ſolitos diademata accipere.*

Cælius l. 18 Ant. cap. 15.

10. Iuriſdictio itaque ſupremi Monarchæ, Eccleſiæ rebus commodiſſima. eam autem quatuor functionibus definire poſſumus: nempe

iuriſdictione verbi Dei, iuriſdictione Sacramenti, iuriſdictione cenſuræ: denique iuriſdictione Morum, ratione habita virtutis ac vitij. Et quod hæc iuriſdictio in vniuerſum ſumpta ſit viſibilis, idcirco verſatur circa materias viſibiles: ac vt loquontur, temporales. duplici autem modo hoc fit: primo directe, ſcilicet quatenus iobet aut vetat actionem habentem iotrinſece obiectom temporale: Deinde quantum mandat ſeu prohibet aliquod temporale, vtpote medium extrinſecum, vtile tamen bono ſpirituali. Cui enim a Deo commiſſa iuriſdictio in finem, eidem tradita poteſtas in media: niſi eorum aliqua exceptio a iure naturali aut diuino ſtatuta inueniatur. Inficiari itaque temporalia ſubijci Eccleſiæ diſpoſitioni iuriſdictionali, inficiari eſt eiuſdē externā quoque, iuriſdictionē: quod aperte hæreticum & falſum. Affirmat itaque S. *Auguſtinus*, poteſtates terrenas ratione imperij in Eccleſia, ad prædictiones Prophetarum, Deum Chriſto *Subieciſſe*: videlicet ſubiectas eſſe aſſerit Eccleſiæ Paſtoribus tam directiue, quā coercitiue, ſeu iuriſdictionaliter.

S. Thom 2. 2. q. 108. art. 1. ad 1.

Aug. ep. 166

13. Hinc ſummi Principes & Imperatores, quod ad Eccleſiaſtica, faſces ſuos non ſolum ſine ſecuribus, qood Romæ aliquando a *Publicola* factitatum, extulerunt, quinimo Eccleſiaſticæ auctoritati obſequenter ſubmiſerunt. *Conſtantinus*, teſte, *S. Ambroſio*, de rebus fidei negocium liberum eſſe voluit Niceni Concilij Patribus. eumque imitatus *Theodoſius*, hoc ipſum ſua lege confirmauit. Reuertenti ab oriente in occidentem *Valentino* Imperatori occurrentes aliquot Epiſcopi, facultatem cogendi Concilium ab eo petiere. Verum reſpondit: *Sibi, vni e Laicis, integrum haud eſſe, iſtiuſmodi rebus imperare.* Ipſa etiam gentilitas, licet varijs obſtricta erroribus, oouit tamen precipere Ciuili magiſtratui in ſacra loca ingreſſo, faſces dimittere: qood & *Iulianus* Apoſtata fieri curaoit: ſic enim per epiſtolam adloqoutus ſacerdotem apud *Sozomenum*. *Præſides domi raro inuiſas, ſed ſcribas ad eos literas ſæpiſſime. Ingredientibus illis in vrbem nemo ſacerdos obuiam prodeat: niſi quando ad templa Deorum accedunt, ſolum intra veſtibula. Eos intrantes nullus miles præcedat. ſequatur autem qui vult. Nam ſimul vt ingreditur limina delubri, priuati perſonam induit: ſiquidem ipſe, vt noſti, bis qui intus ſunt, præeſt, propterea quod diuina lex iſtud poſtulat.* Idem recenſet legem latam a *S. Ambroſio*, ſtatoentē locum Imperatoris in Eccleſia ante Sacrarij cancellos: *Ita vt populum Imperator, Imperatorem ſacerdotes ordine ſedium antecederent.* Hoc ipſum apud nos deſignauit *Theodoſius* Imp: Qui Epiſcopos compellans, eos dixit eſſe Dei vicarios in Eccleſia, ſe autem extra Eccleſiam: quo ſignificaoit, principem ciuilem oullo pollere iure primatus io oegociis Eccleſiæ. Cum *Leo Armenus*, Imperator, Græcus, auctoritatem in eccleſiaſticis ſibi tētaſſet vendicare, Egregius iuxta ac Sanctus Chriſti athleta *Theodorus Studita* illi iſtis verbis reſtitit. *Ne tentes nunc a Imperator; eccleſiaſticum ſtatum diſſoluere: ait enim Apoſtolus, quoſdā quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Paſtores & Doctores ad perfectionem Sanctorum: non dixit Reges. Tibi quidem o Imperator, ciuilis ſtatus & exercitus commiſſus eſt; hac igitur cura, Eccleſiam autem Paſtoribus & Doctoribus, vt ait Apoſtolus, derelinque.* vnde *Cyrillus Hieroſolomitanus* ſubiectione Principum ad ſtatum Eccleſiaſticom impleri aſſerit Prophetiam *Iſaiæ*, prædicentis futurum, vt Leo, Bos, Vitulus pariter & innocenter conuictu degant. *Nonne habet Eccleſia vitulum & taurum cum Leone ſimul paſcentes, ſicut ad hodiernum vſque diem cernimus, mundanos Principes regi & inſtrui ab Eccleſiaſticis?* *Valentinus* & *Theodoſius* non niſi hac ſeruata conditione, ſacra tractare voluere: *Quatenus, Beatiſſima Romana Ciuitatis Epiſcopus: cui principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & Sacerdotibus iudicare.* Hinc *Conſtantinus Magnus*, quod ſcribit *Euſebius*, pronunciauit, *Cuiuſuis Iudicis ſententia Sacerdotum Dei iudicium anteponendum eſſe.* Quantum vero ad auctoritatem Eccleſiæ Romanæ in hoc genere, *Theodoſius* hæc retulit: *Habet Sanctiſſima illa ſedes omnium per orbem Eccleſiarum ducatum & Principatum multis quidem de cauſis: precipue vero, quod hæretica labe immunis permanſit, & nullus qui contraria ſentit veritati, in illa vnquam ſedit: ſed Apoſtolicam gratiam integram & immaculatam ſeruauit.* Cæterum quod ad hanc rem, vnius *Bernardi* ſententiam atteauiſſe ſufficiat. *Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper vniuerſas orbis Eccleſias, ſingulari prærogatiua Apoſtolica ſedi donata eſt.* Primatum hunc Epiſcopi, quod ad Eccleſiaſtica, diſerte oſtendit doctrina ſua Apoſtolica *S. Ignatius. Principes obedìunt Cæſari, milites Principibus, Diaconi Presbiteris Sacrorum præfectis: Presbiteris Diaconi, & reliquus clerus vna cum populo vniuerſo, militibus, principibus & Cæſare, ipſi Epiſcopo pareant, Epiſcopus Chriſto, & Chriſtus Patri.* Quæ tametſi ad Dioceſanum aliquem Epiſcopum referantur ſolom, eundem tamen ſenſum habent reſpectu Metropolitæ, & ſummi etiam Pontificis. Quam ergo primitiuæ Eccleſiæ Apoſtolicæ traditiooi atque doctrinæ aduerſantur, qui Regi ſæculari, qood ad eccleſiaſtica, Primatum deferunt, loculentus contra eos teſtis *S. Ignatius*. Ariani, qoorum bella & machioationes excepit primitiua eccleſia, Romaoi nihilominus Pontificis, de more totius Eccleſiæ, Primatum agnouere. *Fatebantur*, atq; *Sozomenus*, *Eccleſiam Romanam primas apud omnes ferre.* qood quidem non fecere ob imperii magnitudinem, olim Romæ vigeotem; Sed *Quia*, vt *Zonaras* ait, Eccleſia Romana *Apoſtolorum ſchola, & pietatis Metropolis.* quæ verba oeque ſolum indicant, fuodatores Romanæ Eccleſiæ fuiſſe *Petrum* & *Paulum*: nam Eccleſiæ etiam Hieroſolomitanæ, Epheſinæ, Alexandrinæ & Antiochenæ, erant fundatæ ab Apoſtolis: fuit ergo Eccleſia Romana Prima habita in toto orbe, eo quod communis orbis Chriſtiani Schola & Metropolis, ob ſupremam nempe ipſius iuriſdictionem in rebus fidei & religionis. Hoc pariter ex eo euaſit luculentum, quod abſque contradictione ex parte in Eccleſia orthodoxorum Paſtorum, Romani Pontifices extra Dioeceſin Romanā, in primitiua Eccleſia, exercuere iuriſdictionem: vtpote quando *S. Iulius* Papa, ſuis ſedibus in oriente per Arianos eiectos Epiſcopos, *Athanaſium*,

Ambr. l. 5. ep 32.

Athan. ep. ad Solitar.

Sozom. l. 5. Hiſt. cap. 15

Sozom. l. 7. cap. 24.

Theoſterict in vita Stud.

Cyrill. Catech. 7.

Concilior. Tom. 2.

Euſeb. l. 4. vit. Conſt. c. 27. Zoſo. l. 1. cap. 9.

Theod. ep. 12.

Ignat. ep ad Magnet. & Philadel.

Sozom. l. 3. cap. 7.

Pau-

Paulum, Aſclepam, Marcellum, Lucium mandauit in ſuas ſedes reſtitui, *Eos vt ſcribit Socrates, qui illos temere abdicauerant grauiter reprehendens.* Quia *Eccleſia Romana priuilegium præter cætera obtinebat;* Scilicet ad id faciendum, ſumma & propria gaudebat iuriſdictione: nã priuilegij iſtius ratio non denotat tantummodo ſuadentem, quippe ea alijs communis, ſed imperantem, qualis ſolus Pontifex Romanus vi ſui diuini priuilegii. Videamus modo quibus rationibus hæc de Monarchia in Eccleſia a nobis credita, moribus in eadem tam Ciuilibus quam Sacris adferant vtilitatem.

Soc lib. 2. Hiſt. cap. 11.

12. Alias O tenſum fatis, Ciuilem ſtatum a vera, vnaque in Deum fide plurimum pendere. cæterum ad iſtius fidei concordem & ſtabilem vnitatem; eccleſiaſtica Monarchia multum confert: quod potiſſimum ex duobus vnicuique manifeſtum eſſe poterit: principio ex eo, quod hæc ipſa Monarchia, fidei vnitatem omnibus præſcribat: deinde quod in eam inſurgentes errores, vti a veritate, ſic etiam vnitate recedentes oportune repellat.

13. Cum itaque norma ſeu Regula fidei ſit vox Eccleſiæ, ac vnius columbæ, ſeu Spõſæ Chriſti, vnicum magiſterium, tum inde euidens, Eccleſiæ vnitatem congrue ſequi fidei vnitatem: vt inter alios egregie docuit *S. Cyprianus.* Eccleſia autem præcipue vna apparet ex *Monarchia,* qua gubernatur: licet enim omnis ordinata hominum multitudo in modum aliquem vnitatis deſinat: ac proinde Ariſtocratia iuxta ac Democratia vnam Rempublicam conſtituant, nihilominus Monarchia maxime & ſtrictiſſime vna, quandoquidem vno definiatur. ex quo non aliqualem ſed ſummam quandam fidei vnitatem deriuari neceſſe fuerit. Duplex autem commodum ex hac fidei vnitate Principibus accreſcit. primum quidem hinc concordes & conſpirantes inter ſe vectigales obtinebunt, & eadem charitate coniunctiſſimos, quæ non niſi ab vnitate fidei manare ſolet. deinde cum externis hominibus ac magiſtratibus firmior & diuturnior amicitia, cum nominis etiam maiori celebritate, ſuſcipi poterit. Etenim fidei vnitas, quæ vere ſacra & Ciuilis, non eſt reſtringenda vnius Prouinciæ aut Regni terminis, ſed talis eſt, quæ orbem terrarum occupauit, quæ Catholica, quæ vniuerſam Chriſti hæreditatem ac totum ipſius in terris corpus myſticum; complexa. ob quam cauſam *S. Auguſtinus* merito redarguit *Donatiſtas*, vtpote vnitatis inimicos, quandoquidem a reliquo orbe ipſi in Aphrica ſeſe ſeparaſſent: tametſi, quod ad quaſdam Aphricæ partes, aliquam vnitatem ſuæ credulitatis obtinere potuerint.

Cant. 4.

Cypr. lib. de vnit. Eccl.

Aug. lib. 4. cont. Donat.

14. Quemadmodum porro Eccleſiæ Monarchia idonea, quæ fidei vnitatem condat, & ſuſtentet, ita pariter bene comparata ad hæreſes reprimendas, quæ eiuſdem fidei vnitati, in partes concedendo, aduerſantur. ſæpius quidem contingit, emergere hæreſes in magnam perniciem Chriſtianorum, quarum compreſſiones a Synodo generali, & vt rei neceſſitas aliquando poſtulat, tã feſtino opere procurari nequeunt. expedit idcirco, in Eccleſia reperiri Monarchã, qui vel ſolo ſuo iudicio eas illico damnet & eliminet: eo ritu, quo in ea, ad vtilitatem ciuilis reipublicæ, multa decerni videmus ſolius principis iuſſu, populi aut ſenatus iudicijs minime requiſitis. ac in vniuerſum ſi non vigeret talis poteſtas tam in Eccleſia quam republica, flagitiis nonnullorum, ex mora conceſſa impunitate, maxima diſſentionum incendia excitarentur in vtriſque, auctiſque viribus, delicta breui temporis ſpacio in publicum bonum nimium inualeſcerent.

15. Quod ſi ad fidei vnitatem retinendam, ac potentius propagandam, putauerit Eccleſia, Concilium Generale alicubi congregandum, nulla certe ſpecies Regiminis ad id tantundem dexteritatis conferre poterit, quantum monarchia. Rarum ſane eſſet, plane inſolens, nec expectandum, cunctos Epiſcopos, omnes Principes, vel vniuerſam Chriſtianorum multitudinem, conuenire velle ad indicendum concilium Generale: de loco, de tempore, & alus eiuſdem circumſtantiis, vnanimi conſenſu quidpiam ſtatuere. Enimuero ſi ad iſtos ſeorſim ſumptos hoc genus negocii eſſet delatum, dicerent aliqui, haud vrgere cauſam cogendi Synodum eiuſmodi: quod ſane hæretici, & ab eis decepti, ſemper affirmarent: aliis interim aliter ſentientibus. In loci qualitatibus ac aliis decernendis nihilo magis inter ſe conſpirarent. Cum ergo huic multitudini nemo præſit, qui iuridice ſententiam dicat, manebunt omnes ſuis ſententiis diſtracti, atque a Concilio Generali conſtituendo alieniſſimi. Contra, agnita ſupra Eccleſiam Monarcha, Concilii Generalis quod ad omnes circumſtantias indictio inuenietur paratior, expeditiorque. Et quod huiuſmodi Concilii Generalis conuocatio facta a multitudine ſiue ciuili ſiue Eccleſiaſtica, apta ſit quæ turbulentam quandam confuſionem proferat, ideo teſte *Socrate*, decreuit Concilium *Nicenum*, abſq; Romani Pontificis conſenſu ſeu imperio, eiuſmodi Concilium non eſſe inſtituendum: quod & *Iulius* Papa in primitiua eccleſia ſua etiam lege ſanciuit.

Fab. ſtap. 2. cor. 10.

Socr. lib 2. cap. 15.

Inno ep. ad orien. Epiſ.

16. Cum itaque fidei vnitatem Eccleſiæ Monarchia confirmauerit, tum Principibus inde duo Emolumenta accedunt. Imprimis hoc ſubditos tam in ſpiritualibus quam in temporalibus habebunt obſequentiores: Deinde externorum hoſtilitates eodem oportunius arcere a ſe poterunt. in vna enim fide coniuncti, vnitas vires tam corporum quam animorum retinebunt.

17. Si modo contingat in rebus fidei & Religionis ſubditos tumultuari, in partium ſtudia abire, & altercari, ad eorum motus compeſcendos, haud opus fuerit Principi, ritu Puritanorum, ſingulos ſeorſim conuenire, cum ſuis, exquirere, quænam Romani Pontificis ſit voluntas, ac quale eius imperium. Cuius rei notiones haud erunt Principibus obſcuræ, quandoquidem ex Sacris literis, ex Eccleſiæ Canonibus, & eiuſdem praxi, plerumque innoteſcant. Hoc ſane rebus Ciuilibus conſultius, quam cum confuſa multitudine huiuſmodi negocia fidei & relligionis tractare. Ex Cuius defectu,

defectu, videmus, Proteſtantum, Anabaptiſtarum, & Puritanorum controuerſias eſſe plane interminabiles, & irremediabili malo perturbationis, reipublicæ pacem, ciuiumq; charitatem, interpellare ac violare.

18. Quod autem ad ſubditorum officia, principibus præſtanda, manifeſtum omnino, Eccleſiæ monarchiam eiſdem vtiliſſimam. etenim quod iuriſdictio iſtius monarchæ ſit externa ac viſibilis, inde refractarios in Principes ſubditos, qua paterna admonitione, qua lege promulgata, qua Cenſurarum diſciplina, commode potent cohibere, & ad obediendum inflectere. vehemens ſane hinc ad imperandum robur principibus Chriſtianis obtingit. Cuius inter alia illuſtre exemplum conſtitit ex literis *Clementis* octaui ad Angliæ Catholicos directis, in quibus illos admonebat, vellent omnino ſereniſſimo noſtro Regi *Iacobo*, iam in ditionē ſuam Anglicanam ingreſſo, quiete & pacifice morem gerere, nec illis aſſentire, qui propenſi videbantur ad rebellandum. Neque dubium eſt, quin Catholicus Rex Hiſpaniæ, eo ipſo, quo huic monarchæ coniunctiſſimus filius, multa commoda etiam ciuilia inde conſequatur.

Prud lib. 2. cont. Sym. *Fit ſtabilis vita ſtatus & ſententia certa*
Haurit corde Deum, Domino & ſubiungitur vni.

19. Quod ſi Principum inimicitias aut diſcordias ſpectemus, ad eas componendas nihil Monarchæ huius agnita dignitate efficacius apparebit. Etenim cum partes litigantes plurimum idque merito deferre ſoleant tali Monarchæ, vtpote Sacrorum ſummo Præſuli, ac Deo ipſi quodammodo vicino: cum porro ſingulorum ex æquo communis pater exiſtat, neque partium ſtudio in hos potius quam in alios vi ſui Officii inclinetur, inde magni momenti habebitur eius prolata ſententia, adeoque efficaciſſima ad omnem inter eos contentionem finiendam conſtabit. imo ab hiſtoriis obſeruatum, huncipſum Monarcham opem ſuam eis præſtitiſſe ſæpius, qui innocentes licet, nihilominus aduerſantium auctoritate & a magnis Principibus grauabantur. inter cætera id luculenter ſatis comprobatum cauſa diuortij inter potentiſsimum *Henricum* Angliæ Regem, & eius vxorem *Catharinam*, Regis Aragoniæ filiam. tametſi enim ille Rex omnes vires ſuas in id intenderat, quo a ſe *Catharinam* depelleret, ac eo regnum ferme vniuerſum in alienigenam Heroinam armauerit, illius tamen innocentiam & ius conſtantiſsime *Clemens* ſeptimus propalam ſuis diplomatibus aſſeruit & defendit. Cum Reges Caſtiliæ & Portugalliæ, quod ad Indicas nauigationes, lites exercerent, *Pius Quintus* totam controuerſiam partitione facta, conſopiuit. Noſtris temporibus Galliam ciuili bello concuſſam *Clemens Octauus* tranquillauit: & non ita pridem Italiam Ciſalpinam eiuſmodi motibus turbatā, *Paulus quintus* fœliciſsime pacauit. Multo itaque nobilior & auguſtior modo Roma ſub Romano Pontifice, quam eo tempore, quo eius magnitudinem deſcripſit *Ouidius*:

Ouid lib. 1. Triſt. ele. 4. *Sed quæ de ſeptem totum circumſpicit orbem*
Montibus, imperii Roma, Deumque locus.

CAPVT. XII.

Proteſtantes, qui Monarchiæ in Chriſti Eccleſia extremi inficiatores, ijdem Ciuilium ac Sacrorum ſtudiorum, cum Monarchia in vniuerſum expugnatione, hoſtes funeſtiſsimi.

MOnarcha Eccleſiaſticus, ſeu quod ad Sacra Præſul ſupremus, iuriſdictione in alios, ſibi aliunde collata, conſtruitur. iuriſdictio vero, de qua modo inquiritur, cum ſit ſupernaturalis, minime a natura lege, a ciuili prudentia, aut multorum voluntatibus, propagatur, ſed a iure Diuino, quod Chriſtus Dominus dixit, ortum ſortita. Vnde ait Apoſtolus, quoſdam Prophetas, quoſdam Paſtores, Ephes. 4.
& Doctores; ad ædificandum corpus ipſius myſticum, nempe Eccleſiam, in hoc mundo. Organum autem viſibile, quo hæc iuriſdictio certis perſonis confertur, reperitur vel in Sacramenti alicuius miniſterio, vel in Superioris Eccleſiaſtici imperio. Priori via, iuriſdictione gaudent omnes Sacerdotes ad abſoluendum vniuerſos a ſuis peccatis in extrema neceſsitate conſtitutos. quod etiam genus iuriſdictionis a virtute ordinis deriuatum, nonnulli, licet minus probabiliter, Epiſcopis concedunt. poſteriori autem iuriſdictionem obtinent parochi in ſuos: vtpote ab ordinario loci, vel aliunde a legitimo Superiori acceptam. Ea verum iuriſdictio, quę Papalis, neque a Sacramento aliquo Initiationis, neque ab auctoritate ſuperioris aſpectabilis, ſed a Chriſto Domino duntaxat immediate deſcendit. quantum ad Sacramentum res eſt ſatis manifeſta: non enim adhibent Cardinales Sacramentum in ſummi Pontificis creatione. Sed neque vtuntur poteſtate aliqua ſuperioris. ea enim iuriſdictio quæ a ſuperiori aliquo collatione dimanat, in eodem prius reperitur formaliter aut eminenter. quo pacto reſpublica Ariſtocratica ſibi Regem præficiens, ſeſe oſtenderet talis Regis veluti parentem, & regiæ facultatis conditricem: nullum enim munus ab iſto Rege noniter inſtituto cogitari poterit, quod nō continebatur in virtute illius Ariſtocratiæ. at vero quædam ſunt munera & functiones ſummi Pontificis, quæ non competunt Cardinalibus, adeoq; Eccleſiæ ſeorſim ſumptæ a ſummo Pontifice: vtpote ex infallibili aſſiſtentia ſpiritus ſancti controuerſiam aliquam definire: ſiue id fiat a ſolo ſummo Pontifice, ſiue ab illo ſimul cum Concilio generali. proinde omnino exiſtimandum, iuriſdictionem pontificiam, ſemel pontificis perſona per Cardinales deſignata, a Chriſto Domino immediate prouenire. Inquirendum iam de materia & obiectis iuriſdictionis iſtius Eccleſiaſticæ.

2. Imprimis ſatis liquet, huius iuriſdictionis materiam & obiecta, in rebus ſenſu perceptibilibus, ſeu externis, ad homines pertinentibus, reperiri: nullum enim imperium ſacrum aut ciuile, quod in Sacramentis non ſpectetur, immediate ad animas peruadit, aut earum officia: non

enim

enim mandat Præſul cordium ſecreta opera, ſed ea, quæ foriuſecus apparent; eiſque interuenientibus, ad animarũ bona ſua lege pertingit. Quocirca quod Eccleſiæ iuriſdictio ſit externa ſeu viſibilis, adeoque ſuprema & abſoluta in ordine ad ſuum finem conſequendum, idcirco in diſpoſitione rerum externarum & viſibilium ſpectatur, idque independẽter a priuatorum aut ciuilium Dominorum conceſſionibus: alioquin per illos ſteterit omnis iuriſdictio Eccleſiæ.

3. Obſeruo tamen quatuor modis poſſe quẽpiam munus ad relligionem & fidem relatũ exercere. Primo ad hoc facere poterit lex naturæ, ſeu communis Ciuium Charitas: veluti quando parentes liberos, mariti vxores, præceptores diſcipulos, Domini ſubditos erudiunt in rebus fidei & relligionis, vel hæreſes eis diſſuadent. quo pacto ſæpius homines plane laici, nullo iure legationis Eccleſiaſticæ gaudentes, alios ad lumen Euangelij adduxerunt. Deinde charitatis ardore hæc ipſa perfici poterunt: vtpote quando ea incenſi, infideles & impios adeunt, quos veritatis agnitione imbuant. Tertio ad eadem aliquando conducunt obedientiæ & neceſſitudinis rationes. & hoc ritu Principes & alij operam ſuã gnauiter impendunt, vnde leges Eccleſiæ ad hæreſes

Conc. Trid. ſeſſ. 6. ca. 9.

reprimendas, ad malos corrigendos, decretæ executioni mandentur: quod Concilium Tridentinũ Principibus & alijs magiſtratibus iniunxit. poſtremo ex officio & certa ab Eccleſia deputatione vi iuſtitiæ aliquibus incumbit, alios, quod ad ſpiritualia, paſcere, cõfirmare & corrigere. Cuius ſortis homines, ſunt in Eccleſia Paſtores, Concionatores, & alij ſacri miniſtri. atq; de hac ſpecie tractandi diuina ſolum in preſenti diſputandum.

4. Huius autẽ rei plenior erit intelligẽtia, ſi eiuſdẽ peculiaria quędã munera recẽſuerimus: ac inde pariter profligatũ habeamus, quid Proteſtãtes ſuis præſulibus, *Superintẽdẽtibus, Loquutoribus* & *Miniſtris* in iſtis cõceſſerint, negauerintue. cogitare itaq; licebit, ſupremos apud Proteſtantes Eccleſiarũ Gubernatores poſſe ex iuriſdictione de ſãctitudine Scripturæ Canonicæ, de eiuſdẽ vero & genuino ſẽſu iudicare, ex ciſtat ę cõtrouerſiæ in momẽtis fidei finẽ imponere, Cõcilia ſeu Synodos in hunc finẽ cogere, Sacramẽta adminiſtrare, cõcionari ad populũ, Cẽſuras diſtringere, ritus religionis cõdere, abolere, de moribus ſacrorũ hominũ, de eorũdẽ præmijs ac pœnis conſtituere. Enimuero non aliunde æſtimandum de primatu in diuinis, niſi ex eiusdem cogitatis functionibus.

5. Proteſtãtes in hoc contra Catholicos conueniunt, quod totius Eccleſiæ reſpectu, nullus ſit Monarcha, præter Chriſtũ Dominũ, agnoſcendus: licet quod ad particulares Eccleſias, ſeu regna, inter ſe diſſẽtiãt. Qui in Anglia vocãtur Proteſtãtes, Regẽ pro Gubernatore ſupremo retinẽt in cauſis omnibus Eccleſiaſticis, idq; quod ad õnes perſonas primatũ ei cõcedunt. Extra Angliã alij reperiuntur in Germania, qui in ariſtocratia ſuperintendentũ, Eccleſiæ principatũ agnoſcunt, licet rarius inueniãtur. qui autẽ nominibus Caluiniſtarũ ſeu Puritanorũ in Gallia & alibi cẽſentur, nõ niſi in multitudine vniuſcuiſq; parœciæ eccleſiaſticã ſuperioritatẽ reperiri fatẽtur: quibus

Parl. An. Elizabeth.

Miniſtri, Seniores, ac reliqui officijs defungentes, ita ſubſint, quemadmodũ olim apud Romanos cõſules Reipublicæ: quibus a plebe cõſtitutis faſces ſine ſecuribus; iuxta ac Trib. plebis cõſulẽ potuit in carcerem conijcere. vtrãq; vero factionẽ vnitati Eccleſiæ per orbem diffuſæ, ac conſequenter etiam fidei a cunctis admittendæ, aduerſari manifeſtum.

Alca lib. 3. Gen. dist. c. 5. lib. 3. cap. 2

6. Inter quos ſi cõparationẽ inſtituamus, inueniemus Puritanos, maxime ab vnitate, ab ordine Eccleſiæ receſſiſſe, ac proinde moribus ciuium, Principũ incolumitatibus, populorũ concordiæ & trãquillitati, præ reliquis, eo repugnare. Cũ enim iſtæ multitudines ſynagogicæ in contrarias partes abiuerint: præſertim, cũ vt ſẽper cõtingit, inſcitia populares laborẽt, ac vehemẽtibus animi motibus concutiãtur, neceſſũ fuerit, omnia reipublicæ firmamẽta quati, rerũ ſummã in maxima perturbatione verſari: quãdoquidem nulla penes eos vigeat certa auctoritas, quæ illis cœtibus imperet, aut eiſdẽ modũ aliquẽ imponat. Intumeſcit plerũq; in odia, in iras popularis cohors, dũ intelligit, ſe in ſacris obtinere primatũ, ac miniſtris omnibus ſeu paſtoribus iure diuino imperitare. & cũ extra ſe nullã admiretur viſibilẽ poteſtatẽ quod ad ſacra, cõtemnet quicquid ab alia parœcia definitũ: proinde in aduerſã ſectã non ſolũ exercebit hoſtilitatem, quinimo eam, quæ indefinuo odio apud ciues perennabit. Hoc tamen illud dulce venenum ſuperbiæ & impietatis, quod plebanæ turbæ *Caluinus* propinauit.

7. Quod autẽ ſpectat ad pacem reipublicæ, ad Principũ præſidia & ornamẽta, nemo eſt qui nõ videt, huiuſmodi puritanicũ in Eccleſiaſticis regimẽ, cunctis eſſe infeſtiſſimũ ac prorſus exitiale. Quis enim nõ animaduẽrtit, in hac vaga parœciarũ per aliquod Regnũ ſparſione, in Eccleſiolis iſtis numero multis ac indepẽdẽtibus, ſeruari haud poſſe pacis in toto regno concordiam? Cũ vero õnia diſſidijs arſerint in iſtis male reuinctis cœtibus, ſi hoſtes externi in rẽpublicã interim inuaſerint, ſi Princeps vectigaliũ vires colligere inſtituerit, hoſtes facile præualebunt, & princeps patũ præſtiterit. Huius rei idolum exhibebit inſpectus multorum opidorum iuxta ſe poſitorum, quæ abſolutæ eſſent reſpublicæ. etenim fieri non poterit, quin inter ea, odia, æmulationes indies flagrarent, nullo alio modo quam diro marte & multo ſanguine extinguenda, adeoque in continua bella tanta ſeges diſcordiarum perpetuo excreſceret. Quis itaque affirmauerit, Sapientiam diuinam, quæ Eccleſiæ ſtatum condidit, pretioſiſſima illa & ingentia Chriſti merita, in Eccleſiæ eiusdem vtilitatem impenſa, eam delegiſſe formam regiminis, iuxta ac inſtituiſſe, quæ anarchica, quæ popularis, quæ ab vnitatis ordine & decore alieniſſima? Enimuero vt Chriſti corpus naturale fuit ſumma pulcritudine ornatum, ita non eſt credibile, eiusdem corpus myſticum, quod Eccleſia eſt per orbem terrarum diffuſa, hac extrema anarchiæ confuſione fore deforme & perturbatum. Cuius Eccleſiæ itidem typus Arca, non caruit ſuo decore, & proinde Eccleſia, quæ ciuitas Dei, quæ domus ſpiritus Sancti, deſtitui non debet ſuarum partium venuſtate.

Xxx 8. Eiſdem

8. Eiſdem ferme nominibus Epiſcoporũ Ariſtocratia, Eccleſiæ ſanctitudini & ciuilitati parũ cõueniens merito æſtimetur. certiſſime omnium per orbem Chriſtianum Epiſcoporum numerus, nullo plane ſubordinationis lege aut ſerie connectur, quod diuerſorũ Regnorum qui fuerint, ab aliis nõ dependeant, neq; cum illis in vnũ componantur. Vbi ergo membrorum ſeries & contextus in vniuerſo corpore Chriſti myſtico apparebunt? atque hoc vnitate Eccleſiæ in partes abſolutas diſperſa, vnitas fidei aut ritus minime in tota Eccleſia inuenietur. ſin porro, quod plerumque fieri deploratamus, Regna & Prouinciæ in ſeſe mutuo hoſtiliter incurrant, periculũ etiã erit, ne Epiſcopi quoq, in gratiam ſuorum gentilium, inter ſe diſſentiant, nec vellent amplius in commune ſua conferre cõſilia, aut ea decernere, quæ ad publicum omnium bonum conducunt. Omitto dicere, in vno eodẽq; Regno, ad id naturæ noſtræ prauitate inſtigante, vix ſperandã illã inter epiſcopos concordiã, quæ ad pacem totius in eo Eccleſiæ requiſita. etenim Ariſtocratia Epiſcoporum longius diſiungitur ab vnitate, quã Ariſtocratia principum: quandoquidẽ plures ſint in Eccleſia Epiſcopi, quam Principes ſupremi, vti conſtat. nam vt numerus Imperantiũ ſeipſo dirimitur ab vnitate monarchiæ, ita maior eorum numerus ab eadem, in oppoſitam formam concedendo, plus remouetur. quod crediderim impuliſſe *Henricum* octauum in Anglia ad ſuam *Syllam* præterendum *Charybdi*: ſcilicet ad arrogandum ſibi, Epiſcopis ereptũ, in diuinis primatũ.

9. Illa deniq, principum ſeu magiſtratuum Ciuiliũ in ſacris *Ariſtocratia*, fidei ac Religionis momentis inimiciſſima. Imprimis cũ ad virtutes ſpectans aliquid & a tota Eccleſia obſeruandum. definiri debet, tunc multitudinis non tam diuerſæ, quam aduerſę voluntates erunt dubio procul obſtaculo. quã rarum, eos vel in vnius dogmatis aut ritus præſcriptionem velle conſentire: maxime ſi mutuo ardeant inter eos bella & vindictæ cupiditates, iuxta ac ſuorum Theologorum ſtudiis in ſectas diſtrahantur? Erit ſemper mihi credite, aliquis *Roboam* ſeu Rex *Samariæ*, qui Iudeorũ Principi obſteterit. Comitti vero iſtiuſmodi ſimultatibus, Nationũ pugnacibus Geniis, totius Eccleſiæ negocia, nec Deo dignũ, neq; hominibus enimuero cõmodũ. Sicut ergo huiuſmodi Ariſtocratia repugnat eccleſiæ vnitati, ſic etiã vnitatibus in ea fidei & relligionis minime conſentit. imo vel in vna aliqua prouincia vix tuta in iſtis virtutibus per hanc ariſtocratiã diuturna conſenſio. ſi enim ſubditi a principis imperio defecerint, quid ſubſidij, eis, quod ad res ſactas, a principe, quem odio proſequuntur, quem execrãtur, & armis violandũ ſtatuerũt? dicatur, quale cõpendium fidei & relligionis accepiſſent Holandi, toto hoc tempore iniquiſſimæ & ſceleratiſſimæ ſuæ rebellionis, ſi modo Rex Catholicus iua præſulatus Eccleſiaſtici in eos prætendiſſet?

10. E dignitate porro eſt relligionis, Eccleſiarũ principes, ſacris initiari, ac in Clero cõprimis cenſeri. ob quã cauſã apud Romanos Imperatores & Conſules, qui in ſacris primi ſummi itidem erant Sacerdotes. Reginã vero aliquam hac ſorte inter Chriſtianos cõprehendi: cum loqui in Eccleſia di-
1.Cor.14.
uino iure, vt ex Apoſtolo liquet, interdictũ, tota natura renititur & abhorret. Clericus etiã duo ſonat: primo perſonam popularibus negotijs renunciantẽ. ad quod ſignificandũ, Clericus dum initiatur apud nos, Pſalmiſtæ verba recitat: *Dominus*
Pſalm. 15.
pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatẽ meam mihi. alterũ in hoc ſtatu cernitur, quod peculiari ſacro muneri addicatur. at precor, vnde habent principes ciuiles hanc initiationẽ, & a quibus myſtis? quid minus profitentur conditione ſui quam auucationẽ a ſtudijs forenſibus? Vnde ergo ex Clero? Summã autem rei Eccleſiaſticæ adminiſtrari a ciuilium tractatoribus, ac hominibus mere laicis, putabunt populares haud conuenire Sacrorum dignitatibus.

11. Ineptum etiam, vel ipſorum vulgarium iudicijs, ſacris, quorũ curæ totum hominẽ requirũt, eos præeſſe qui infinitis negocijs pacis & belli, priuatis & publicis diſtrahuntur. adeone vile & contemptibile imperium Eccleſiæ, adeo laxũ & diſſolutum, vti vel ab illo abſolui queat, qui in omnem partem fori ac mundi operoſiſſime inflectitur? Multi extitere principes, qui vel ciuilis ſui officij pondera ſentientes, ſeſe impares agnouere ad ea ſuſtinenda, vt narrant *Suetonius* & *Lampri-*
Suet. in Au. cap. 52. in Tib. cap. 24. lamprid. in Alexan.
dius. ob quam cauſam egregie curſuros in ſtadio virtutum, affirmat. *S. Paulus*, ab omnibus ſe abſtinere. Quibus virgines adiungit matrimonio carentes, quo totæ Deo inſeruiant, nec ſint in
1.Cor.7.
hoc præclaro inſtituto diuiſæ. Cæterum noſtra ætate emerſere homines, qui peculiari priuilegio in ſacris pariter & in ciuilibus tractãdis ſint Angeli, neque onera, vel ab Angelicis humeris formidanda, ſubire vereantur! Inanis impoſterũ habeatur *Celeſtinus* papa, qui abdicato papatũ, Eremiticã vitam degit. nullo in precio ſint iudicia *S. Bernardi*, & *S. Thomæ Aquinatis*, qui dignitates Epiſcopales recuſarunt, timentes, ne tantis muneribus haud eſſent ſatiſfacturi. verum hæc audax impietas gentiliciae eſt, idololatrica eſt:

Iuſſum eſt Cæſaris ore Galieni,
Prud. lib. 1. cont. Symm.
Quod Princeps colit, hoc colemus omnes.

12 Vlterius vt populus reuereatur Principes ciuiles tanquam ſummos ipſorũ in Sacris Præſules, eis debẽt innoteſcere vocationes & ſucceſſiones eorumdẽ ad talia officia peragẽda. dici haud poterit, eos a Chriſto Domino, aut Apoſtolis vocari ſeu eis ſuccedere, cũ nouũ teſtamẽtũ: quod & ipſi fatentur, nihil tale referat. Hinc quidã in Anglia
Andr. Eliẽ. Concio de duab. Tub. & in Tort. Tort.
Archiminiſter affirmauit, Reges Chriſtianos, quod ad hoc munus, ſuccedere Regibus Iudæorũ ac imprimis *Moyſi*, cui Deus duas tubas ad mouẽda caſtra, vtpote Principi ciuili commiſit. cęterũ quis nõ videt, hoc friuolũ omnino eſſe fun-
Num. 10.
damẽtũ ſucceſſionis? Principio quidẽ, quod per Chriſtũ abolita antiqua lex Cæremunialis: deinde quod Iudeorũ Principes haud fuere primi in ſacris Preſules. poſtremo quod Chriſtus Dominus expreſſe de forma regiminis in ſua Eccleſia aliter cõſtituerit: Apoſtoli eũ ſequuti, cõtrariũ plane docuerint. et quod attinet ad binas illas tubas a Deo *Moyſi* traditas, incredibilis apparuit illius *Cremetis* buccinatrix ſtultitia, qua inde voluit conficere, Principes ciuiles ſupremos eſſe Eccleſiarum Gubernatores. nam quid commercij duabus tubis cũ Clauibus Eccleſiæ? quid caſtrametationi, cui illarum turbarum ſonitus inſeruiebant, cum ſpirituali Eccleſiæ regimine? Vt omittam, *Moyſen* extitiſſe principem ciuilẽ iuxta

ac Sa

ac Sacerdotem. at ſaltem dicet: ſi principes reſonant ad exemplar *Moyſis* binas tubas, Principis ſolius iuſſu ſaltem cogenda Cõcilia, neq; aliter. Vt video, penes hunc idẽ ſunt caſtra mouere, & indicere Cõciliũ. ſcire debuiſſet indoctus iſte Theologaſter, ad illum in Eccleſia ſpectare officium Concilia conuocandi, cui incumbit verbi Dei primaria quædã iuriſdictio: quandoquidẽ finis Concilii ſit, vniuerſam Eccleſiam docere quid credendum, & quid agendum: quandoquidem conuocatio Concilii ſit ad hunc finem mediũ conueniens. donec ergo oſtendent, primariã verbi iuriſdictionẽ ſpectare ad principes ciuiles, nihil illũ iuuabũt, ad adſtruendũ, quod Conciliorum indictiones ſint munera principũ ciuilium. illæ duæ tubæ, ſi cui vſui fuerint ab eo allegatæ, ſolum in id conducent, quo eius inſignis vanitas cum noſtro riſu ebuccinetur.

13. Quod ſi vniuerſa in Sacris moderandis a principibus obeunda, ſeorſim expenderimus, duo inde manifeſte apparebunt. primo, apud Proteſtantes in dubio verſari, quid in hoc genere legitime queant peragere Principes: deinde huiuſmodi admiſſo primatu, maximam ac præcipuam partem ſacrorum munerum ad Anarchiam eſſe relapſam.

14. Principum ciuiliũ fore concionari, verbũ Dei publice interpretari, in rebus fidei controuerſis definire, miniſtros Eccleſiæ ordinare, malefactores cenſuris irregularitatis, ſuſpenſionis, Interdicti, excommunicationis caſtigare, plerumq; inficiãtur ipſimet Proteſtatores, aut certe ſententias ferendo vacillant. imo neq; in hoc conſentiunt, quod poſſint Miniſtris & Epiſcopis iuriſdictionem impertiri, vel religionis ritus præſcribere. quid ergo definiri quantũ ad functiones ſacras, in primatu Ciuili, præter hoc, quod *Elizabethiana* tempora noviſſima, nece iſtius primatus inficiatores Catholicos mactarint, idq; ob incertæ rei in eia negationem.

15. Quantum vero ad horum Proteſtantũ in præcipuis negociis fidei ac Religionis anarchiam, liquidum eſt, eos illam hinc adſtruere & ſtabilire. orta enim controuerſia, non ſoerit Regis litem dirimere, non Epiſcoporum: ſed ex integro huiuſmodi definitio remittenda ad priuatum ſpiritũ vniuſcuiuſque. Dicant noæ ſit anarchia, aut Ariſtocratia, quæ de diſciplinis cẽſurarum Eccleſiaſticarum ſtatuat, externũ Dei cultum inſtituat, vel alijs iuriſdictionẽ commẽdet: quæ verbum Dei in veram ſententiam iuridice exponat? Quæ munera ſi denegent Principi Monarchę, eo in Democratiam populi, aut Epiſcoporum Ariſtocratiam, vel Puritanorum anarchiam concedent.

16. Manifeſtum itaq; Monarchiæ in Eccleſia impugnatores non ſolũ in fidei vnitatẽ delinquere, a ſeipſis diſcrepare, verũ etiam eodem in plurimos errores incidere, tã ſtatui ciuili, quam bonis moribus contrarios. eam quidem totius Eccleſiæ reſpectu negantes, non ineunt eamdẽ methodum ad rempublicam Eccleſiaſticã ordinandum: ac conſequenter mutuo etiã infeſti inueniuntur. Angli ſiquidẽ ſuum Regẽ ducentes ſupremum in Eccleſiaſticis primatem, inde dicunt, extra Angliam nullibi reperiri Eccleſiam perfectã Chriſti, cui ſpiritus ſanctus promiſſus. ſicut enim abſq; capite non eſt corpus organice idoneum ad animam ſuſcipiendã, ſic neq; ſine monarcha Principe, aut ciuili magiſtratu, ſi illis primatus debeatur iure diuino, Eccleſia eſſe poterit, quæ in ſe completa, aut idonea, quæ aſſiſtentiam ſpiritus ſancti admittat.

17. Nos porro infallibile iudiciũ, quod ad veritatem definiendã, attribuentes Romano Pontifici, eodẽ ſingulari modo Dei erga nos bonitatem, iuncta ac Chriſti meriti vberrimos fructus, amplificamus. quis ignorat præclare conſultũ fore ei reipublicæ, cuius princeps Dei inſtinctu perpetuo dirigeretur ad ſententiã recte ferendã in vniuerſa materia iuſtitiæ, ſiue ea leges latæ genuinã interpretationem, ſiue ipſum in ſe ipſa iuſtum, reſpiceret? vere .n. iuſtitiæ in plerîſq; obſcurũ eſſe nobis ſenſũ, quis dubitat, vel minime in ſe experitur? Hinc eximiũ, ac propemodum diuinũ eſſet illius reipublicæ ornamentũ, ſimulq; firmamentũ, ſi modo in ea princeps iudiciũ ſemper eſſet laturus infallibiliter ad naturã ipſius iuſtitiæ, quantumuis abſtruſæ aut hominũ opinionib' cõtrouerſæ. Cur ergo hæretice, Cicer. lib. 1. offic. inuides, aut inique fers, Dei Eccleſiæ hoc priuilegium in perſona ſummi pontificis concedi? quamobrẽ ab affluentia meritorum Chriſti, in Eccleſia redundantium, hoc ingens beneficium ingratus prorſus repellis, neq; vt nos Dei bonitatẽ, & Redemptoris munificentiã cõmendas? nũ inde, quod ſuperbus in te animus haud patiatur externo, nedum Romano ſolum, regi magiſterio, vel quod cupias externæ auctoritatis omni tribunale excuſſo, in rebus fidei promiſcue tumultuari dumtaxat, ac demum immani tragœdia cuncta rerum momenta funeſtare? veremini, ne nos Catholici Deum humano generi nimium bonum, & Chriſtum ſua gratia plus æquo proficuũ exhibeamus. Deo profecto, Chriſto, humano generi eodẽ infeſti conſiſtitis, qui Romano Pontifici hoc diuinitatis oraculũ detrahitis.

18. At quis ſcopus alius huiuſce hæreſeos, quã principem Eccleſiæ adimendo, eius vnitatẽ in partes reſcindere: quã controuerſiarum ardentibus incendiis, immortali quaſi ſegete cõtrouerſiarũ, ſparſa velut in tenebris, in Babilonis cõfuſione, fidei vnitatẽ ac fideliũ cõſentiones diſpergere? areſcit riuus a fonte auerſus, diuireſcit ramus ab arbore decerptus, ita ſane Proteſtantes a monarchia Romani Pontificis deficientes, imprimis in nos, deinde in ſuos tumultuantur: demum in ipſis extincto ſpiritu fidei & pietatis, athei, diuinorum incurij moriuntur miſerrime. quibus bonis ſemel deletis, eis ſuperſunt in republica concupiſcentia & ira, rerum diuinarum & humanarum peſtes, vt ex ſequentibus euidenter ſatis apparebit.

Romanos odere omnes, Dominoſque grauantur, Lucan. li. 7. ver. 280
Quos nouere magis.

19. Denique inter alia, ea eo conſtat Proteſtantum hæreſes tendere ad confuſionem barbaricã, quod qis tanquã fratribus applaudit, qui aliquãdo ex appetẽtia ſuperbę libertatis, inter homines ę qualitatẽ, cũ Dominorũ deiectione introducere laboratũt: quales olim *Waldẽſes, Lolardi,*

Pauperes Lugdunenſes, VViclefiſtæ. Hoc genus hominum omni imperio ſoluti, Galliam infeſtarunt: ac vulgo dicebantur *Boni ſocii*, vt recolit *Belforeſtus*. ſimiles in Anglia quoq; furiati præſertim in *Cantio*, tempore *Odoardi Secundi*, ac poſtea. Dicebāt, vbi in ſcriptura habetur, inter Chriſtianos aliquos debere eſſe nobiles, alios ignobiles, hos Dominos, illos ſeruos: cum potius dicat, nos omnes natura æquales, gratia fratres? Et quod attinet ad gradus diſparitatum in Academijs, quo illos plane reijcerent, illud Chriſti Domini vrgebant: *Nolite plures magiſtri fieri.* Cum ergo Proteſtantes hoſce barbaros nebulones laudibus efferant, tū inde oſtendunt, ſe candē barbariem & confuſam æqualitatem inducendam ſibi ſtatuere. Lutherani in germania Ruſtici, contra Dominos armā mouere vt, ſcribit *Surius*, ſubiectionem non ferentes. Anabaptiſtæ hoc aperte profitentur. Puritani in eā latentius tendunt, dum nempe Reges & monarchas ferre renuunt, dū Prælatos exterminant; dum vel ſordidis opificibus poteſtatem interpretandi verbum Dei, ac iudicandi de fidei controuerſijs permittunt, dū Epiſcopos eliminandos ſtudēt. quorſum hæc? ſi non vt omnes ex ſuperba & fatua ſua barbarie euadant Reges, omnes ſui iuris, omnes Doctores, omnes Epiſcopi, omnes ſacerdotes? En centrum totius deuergentis ponderis poteſtantici ad barbariem.

Belfor lib. 4. Polid. virg. in Odoac. 2. — Matth. 23. — Iacob. 3.

Non fero Romanum nomen, ſudataque bella,
Et titulos tanto quæſitos ſanguine carpi.

Prudent. l. 2. cont. Symmach.

Cum vero in Monarchiæ Romanæ imperium iam a principio naſcentis Eccleſiæ, maiores orbis Nationes conceſſerint, tum iniquius ferunt, minores Nationes, quantumuis *Briareia* in Borealibus conſtent turba, in illud immani odio rebellaſſe.

Romanos commouit atrox iniuria Patres,
Vrgerent maiora licet, grauiterque tulere,
Vrbibus inter ſe claris de culmine rerum
Congreſſis, aliquid Gentes audere minores.
——— *noſtros an forte penates*
Appetiit centum Briareia turba lacertis?

Claudian. De Bell. Getic. — Claud. l. 3. Rap. Proſer.

CAPVT XIII.

Concupiſcibilis in homine facultas, ſuopte ingenio in Senſuum delicias propenſa, Catholicorum diſciplinis ad virtutis auſteritatem recte inſtituitur. Proteſtantum vero ex aduerſo Dogmata ſicut eam petulantem inueniunt, ita in barbaricam voluptatis appetentiam acrius irritant.

OStenſum alias, voluptatum blandimenta exitum ſortiri in cruda barbarie, eoque mel dulce animo exceptum, in acerbiſſimas feces, ferocitatis deſinere. Contra illi oppoſuimus virtutem, aſperam quidem & calloſam, ac velut alterum *Iacobum*, pro ſtatu iſtius vitæ, alienis veſtium rigoribus hirutſā. Enimuero Rationis ſol in homine non ſplendet, actionis dignitas in eodem haud elucet, niſi in Concupiſcentiæ teneritudinē, rigidior eius tractatio acceſſerit. Radix autem, adeoque vniuerſum robur voluptatis in amore cernuntur. qui cum oriri deberet a iudicio recto, eidem plerumq; præcurrens, non ſolum appetitui ac voluntati dominatur, verum etiam menti, dum illi ignorantiam imjcit, dum taliter aut alter ei ſentiendi lex & norma euadit. Quo amore qui nimiū calent, vt ait *Seneca*, illi *Præpoſtere officia permiſcēt; qui contra præcepta Theophraſti, cum amauerint, iudicant & non amant cum iudicauerint.* Coercendus itaque a Ciuili viro amor iſte certa quadam diſciplinæ forma, quo iudicii potius ſit in nobis effectus, quam cauſa. non enim ideo ſic iudicare debemus, quia amamus, ſed ideo ſic amandum, quia ita iudicauimus.

Gen. 19. — Senec. Epiſt. 3. ad Lucel.

2. Quid enim aliud in vniuerſum virtus, quā humanæ voluntatis, animique abductio ab arridentibus appetitus ſenſuum delicijs? in qua quidem ſequeſtratione duplex pæna ineſſe ſolet. vna, quidem oritur ex priuatione iucunditatis, cuius cupiditate affectus inarſit, quam virtus ſua duritie exegit. altera ipſimet virtutis officio immixta, quæ muliebris appetitus mollitiem amaritudine ſua perſtringit: eſt enim ſenſus ingenio, virtutis cōtentio moleſtiſſima. Sunt idcirco hæ duæ res, virtus nempe & voluptas, ita inter ſe contrariæ, vt vni indulgere impenſius quis nequeat, abſq; alterius detrimento. illa totius honeſtatis palladium, nec omnium virtutum, vt loquitur *Clemens Alexandrinus, Metropolis*. Quocirca ſi diſputantes confecerimus ſemel, Proteſtantium Dogmata, a noſtris diſcrepantia, impuræ voluptati lenocinari: noſtra autē virtutis grauitati ac diſciplinæ conuenire, eodem oſtenderimus, illa a vitæ Ciuilitate & Sanctitudine abhorrere, noſtra cū eis optime cōſpirare.

Clem. Alex. l. 6. Strom.

3. Vniuerſa autem perturbatio, quam in mores hominum inuehit Proteſtantiſmus, ex duobus generalibus Principijs oritur: ſcilicet ex *Sola fide iuſtificante*, & *Solo ſpiritu diuina interpretante*. illa gelidi inſtar veneni, mores hominum charitatis & virtutū feruoribus impotes plane conſtituit; cordis manibus, tanquam gelidus anguis, quem excuſſit *S. Paulus*, adhęret, eoq; torporem eis inducit, & inde a bonis operibus fœdum ſabatū ſuadet. illa venenum eſt *Medeæ*, quam ipſa collegit in niuoſo Tauro, nimirum quod frigore plane enecat vel virtutum ſemina. Vt enim multa calida ab homine hauſta vel admiſſa, morbos frigidos procreant, veluti vina, aromata, luxuria, dū varia genera cauſant defluxionum e capite: ita voluptas bruta, licet ſit incenſa, adfert tamē ſecum frigidiſſimum venenum, quod virtutum calores extinguat. iſte autem videlicet priuatus ſpiritus, id generis veneni cenſendus, quod eadē *Medea* in ardēte Lybia decerpſit; quādoquidē opinionum diſſentionibus omnia faciat vbiq; ardere. hiſce duobus *Medea* diabolica armauit Proteſtātes in Eccleſiæ internecionem: nimirū frigoris & æſtus veneno inſtructa, in Eccleſiæ arcem peſtē inferendo.

Act. 28.

Et triſte læua complicans Sacrum manu,
Peſtes vocat quaſcunque feruenti creat
Arena libya, quaſque perpetua niue
Taurus coercet, frigore Arctoo rigens.

Senec. Med.

Primo autē loco agemus de veneno illo Boreali in monte barbari *Tauri*, quod cōcupiſcentiæ ſua indul-

indulgentia funeſtum. vtramque vero veneni ſpeciem paucis complexus *S. Auguſtinus*, dum aſſeruit, Donatiſtas veritatē Catholicam impugnare aut *Pigreſcendo* aut *Saiendo*: ideo Phreneticì & Letargici. Ob hanc cauſam recte comparandi Proteſtantes veteribus paganis: hi enim quod notat *Euſebius*, vt liberius peccarent, ſuas etiam animorum perturbationes opinionibus Deorum conſecratuui, & ſacras effecerunt: vtpote *Venerem*, *Priapum*, *Martem*, & *Mercurium* colentes. pari modo Proteſtantes, omnino ſtatuentes laxe viuere tam quod ad mentis opera, quam voluntatis, in eum finem ea dogmata pro ſacris profitentur, quæ huiusmodi ſtudijs lenocinantur, volentes ipſa fide diuina & religione ſcelera ſibi licita facere, adeoque diuina.

Auguſt. ep. 167.

Euſeb. Orat. laud. Conſtant. cap. 3.

4. Vt autem ſingillatim quædam in hoc genere inquiſitionis inter ſe conferamus, exordium ſumemus ab illa coercitione, quæ in homine intellectum cohibet, demittit ac moderatur. Admittimus ergo Catholici, quantumuis in nobis ferox, audax & inſolens mentis perſpicatia obluctata fuerit, docentis, ac definientis magiſterij, quod ad fidei aſſenſum, imperium. quo non ſolum Deo reuelanti ſuccumbimus animis, verum inſuper hominum a Deo inſpiratorum auctoritati, ſubiacemus: *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubiacete illis*. Liberos idcirco ad concipiendum, ad pronunciandum intelligentiæ excurſus, ad votum colludentia iudicia, ex priuato formatos mentis conceptus, qui plurimum aridere ſolent petulantibus ingenijs, nobis plane credentes interdicimus: iugum Eccleſiaſtici culminis, cum repreſſione dulcis inſolentiæ, haud defugimus.

Ephes. 4.

5. Verum Proteſtantes in hoc negocio omnino animis laſciuiunt, prorſus elatione efferantur propriis ſuis ſpiritibus gratificantes. ſibi diuinitus edoctis, nullo vſui proclamant eſſe Eccleſiæ ſententiam, Patrum commentaria, abſque cuius definitione, imo ea repugnante, dicere audent, ſe veritatem & ſenſum ſcripturæ Canoni cæceriſſime aſſequutos. & huiuſmodi ſua dulcedine allecti, venditare præſumunt, ſe doctiores ac veraciores in ſacris literis, vniuerſis Patribus Græcæ ac Latinæ Eccleſiæ: imo vel ipſi Eccleſia Catholica, quantum ad hoc, anteſtare. quam proinde cum Iconoclaſtis idololatricam, cum Donatiſtis meretricem appellare minime horreſcunt: adeo poti ex cratere lupæ Babilonicæ, & eius ſuauitate plane ſunt dementati. quam dulce hoc aſinis pabulum mentium, quam eis ſapit liquor iſte ſuperbæ ſtultitiæ! valeant iam roſæ, quibus rudens illud Apulianum animal reficiatur: abſcedant *Cleopatra & Antonij*, luxus, preſentibus iſtis Proteſtantum, non dico quod ad corpora, ſed quod ad animas, nectareis fauis, dapibuſque. quam ſit res iucunda ex arbitrio ſentire, ſatis ex eo manifeſtum, quod idē nobiſcum ſentientibus delectamur, adeoque mirifice delenimur, quando etiam vel per adulationem opiniones noſtræ ab alijs adprobantur.

Concil. Nicen. 2. m.
Auguſt. l. 1. cont. Parm.

Apul. in Aſin.

——— *tanta in tenebris de peſte voluptas*.

Prudent. Hamar.

6. Nulla porro eſt ab otio iucunditas, ab inſcitia delicioſa incuria, quas calentiſſimo, cōtentiſſimoque literarum ſtudio Catholici non depaſcimur, abigimus teſtetur hoc a noſtris edita in lucē opera de re Philoſophica, Theologica, Metaphyſica. teſtetur id, vt ſummatim dica, neruus omnis gēeris eruditionis, quo literaria noſtrorū ſtudia ſol diſſime in omniū oculis ſubſiſtunt. teſtetur hoc vel hoſtium Proteſtantium quotidianus vſus, quo ſe oſtendunt noſtrorum librorum cultores & admiratores. Hæc eſt illa *Minerua*, quæ apud nos ſanguinem exſugit, quæ florem ætatis deuaſtat, quæ trux *Gorgone* aduolantes voluptatulas ſeuerius depellit.

7. Contra vero Proteſtantes operam literis impendentes, duobus modis ſuæ voluptati applaudunt. Principio quidem, quod niſi delicationibus Muſis incumbant: vtpote Poëtis, verbulis Græcanicis, populari Rhetoricæ. Deinde ex eo, quod commentantes, nunquam longe recedunt a vulgi auribus, a littore popularitatis, in quibus omnes ſuos theſauros ac veneres condidere. Non ſcandunt iſti in montes Muſarum, ſed inferius poſitis Satyris occinere, illis vnice in amoribus. Profecto ſi in elucubrationibus ſuis componendis dicant ſe deſudare, regeram id argumentum potius defectæ ac fluxæ in ipſis complexionis, quam laboris grauioris, aut acrioris in mente contentionis.

8. Natiuus etiam ille hoſtis, qui & noſtre viciatæ naturæ comes, quocum bellum aſſiduum gerimus, nempe concupiſcentiæ fomes, non patitur nos pariter voluptate, virtute, ſanctitate & iuſtitia potiri. ex quo, adhibita ſeueritate, illam cōtiuno reprimimus. ne ferocius inſurgat: cōtentioſius eidem reſiſtimus, ne imperet: durius in tota vita appetitum, cui ineſt, tractamus, ne inſolentius rebellet: quantumuis voluptates colludentibus polliceatur. Nouimus proinde talis in nobis fomitis propenſionem in malum. eius omnes motus ſubitaneos & indeliberatos, veluti in ſomno, peccato carere credimus: ac in nobis a Deo illius motus ſcimus permitti, vt in illos fortiter, inſuauiter licet, decertemus. *Omnes homines iudicant* inquit *S. Auguſtinus*, *laſciuiam non eſſe peccatam, niſi quia concupiſcentia conſentitur*. Quo autem in ſenſu vocetur ab Apoſtolo peccatum, iſtis idem explicat: *Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, & peccatum ſi viceris, facis*. Hinc rixæ cum *Agar*, hinc pugnæ exurgunt, quales in Apoſtolo, dicente præ nimia moleſtia: *Quis me liberabit de Corpore mortis huius?* Hinc cum agno paſcali, lactucæ agreſtes exacerbant nos, ita vt quietis aut ſecuritatis dulcedini ſeu Sireni, nullus plane locus in nobis relinquatur. Ex quo factum, Chriſti fide diluceſſente, ac in orbe præualente, illico gentilium fœdam proluuiem voluptatum refluxiſſe ad inferni ſentinas, ex quibus in noſtrū genus antea emerſerat. quo euentu edocti Eccleſiæ primi Paſtores, pro veritate fidei Chriſtianæ adſtruendæ contra Paganos diſputarunt: ac inter alios, hæc *S. Hieronymus*: *Inter ſcorta quique in fornicibus ſpectaculorum pueri ſteterunt, publicæ libidini expoſiti, donec ſub Cōſtantino Imperatore Chriſti Euangelio coruſcante, infidelitas vniuerſarum Gentium & turpitudo deleta eſt*. Merito quidem, poſtquam crucis balſamum in orbem diſtillatum, puræ

Auguſt. l. 1. ciu. cap. 25.
Aug. lib. cont. Iul. c. 14 lib. 2. de peccat. Merit. c. 23. 34. l. de Nup. & concup. ca. 23.

Gen. 16.
Rom. 7.

Hier. l. 2. in Iſa. cap. 2.

vitæ bonus odor priſtinos luxuriæ fœtores exegit.

9. Quod ad hoc ſeueritatis etiam in carnem concilium, veterum Philoſophia vel rigidiſſima, vltra rerum ſuperfluarum repudium, non eſt progreſſa ad vllum ſenſum pœnæ aut doloris. quinimo ab ingenio naturæ humanæ exiſtimauit alienum, quempiam eius generis rigorum ſtimulos admouere ſuo corpori. *Hoc contra naturam eſt*, ait *Seneca*, *torquere corpus ſuum, & faciles odiſſe munditias, & ſquallorem appetere, & cibis non tantum vilibus vti, ſed tetris & horridis. quemadmodum delicatas res deſiderare, luxuriæ eſt; ita vſitatas, & non magno parabiles fugere, dementia eſt.* (Senec. ep. 5. ad Lucil.) Verum enimuero noſtra Chriſtiana Philoſophia in ipſa pœna animi & corporis vim agnoſcit cum medicatricem contra irruentia iucunditatum vitia, tum contra commiſſa ſanatricem. Eſt quidem ea prauitas concupiſcentiæ in nobis, vti continuo ebulliat in rebellionem in animam & Dei legem. Ea idcirco iam originariæ noxiæ dulcedine ſemel excitata, indiget acerbitatis abſynthio, rigoris diſciplina, pœnalitatũ acrimoniæ. quid enim aliud hæc ardens concupiſcentia, quam in noſtris pectoribus quædam veluti hyſtrix, denſa ſpiculorum ſegete & eum arcu armata in animæ vulnera?

Se Pharetra, ſeſe iaculo, ſeſe vtitur arcu. (Claudian. Epig. de phœnic.)

Tota quidem, idque ſuopte ingenio, huiuſmodi hyſtrix in noſtram perniciem inſtructa. opus itaque viribus inſtituti horrentis, quod hyſtricis iſtius arcum conterat, pharetram diſſipet & tela frangat, ſeu igne amoris Dei vniuerſa comburat. mors huic hyſtrici intentanda, cinereque doloris mortua obruenda.

——— *præbetur origo* (Claudian. Epig. De Hyſtr.)
Per cinerem: moritur & non pereunte ſenectus,
Et petit alternam totidem per funera vitam.

Hi vero, qui vitæ dotinæ & ſale, carnis ſuæ flores delibant, ac Deo conſecrant, *S. Mariam Magdalenam* imitan[tur], quæ oleo effuſo in caput Chriſti, vt obſeru[at] *S. Hilarius*, tam quod in ſuo corpore floridum, quam quod in anima ſplendidum eidem dono dedit. *Vnguentum*, ait, *propter corporis curam mulierum ſexui maxime gratum eſt. igitur omnem curam corporis ſui, & totum pretioſæ mentis affectum in honorẽ Dei, laudemque transfudit.* (Hilar. Can. 29. in Math.)

10. Hoc olim & primitus profeſſa religio Iudæorum: idque ad mores pariter ſuos traduxere aliæ Nationes, quæ ad imitationem Iudaicæ religionis ſuas expreſſere. illud ipſum in primitiua Eccleſia abſolutiſſime exequuti Monachi, qua veſtium ruditate, qua ieiunijs, qua cilicijs, qua vigilijs, qua ſeptis monaſteriorum, qua caſtitatis voto, vti conſtat ex *Euagrio*, & alijs hiſtoriam Eccleſiæ narrantibus. Et quod ad ieiunium attinet, in primitiua Eccleſia popularis fuit obſeruatio ieiunij quadrageſimalis, Feriæ Quartæ & ſextæ, teſte *S. Ignatio*. (Euag. lib. 1. Hiſt. cap. 21. Sozam. lib. 3. Hiſt. cap. 13.) Inde vt narrat Socrates Theodoſius Iunior Imp. ieiunare ſolebat *Maxime diebus Mercurii & veneris. atque hoc ab eo factitatum fuit, dum Chriſtianam viuendi rationem cumulatiſſime explere contenderet.* (Socrat. lib. 7. Hiſt. cap. 22.) Hos dies, vt auctor eſt idem *Socrates*, tunc vocabant Chriſtiani Τετράδας καὶ παρασκευὰς ἡμέρας Huius autem vſus præcipuus extitit, quo pij, pro poſito orandi Deum obſtricti, erga tantum Numen humilius ſeſe gererent, ac inde efficacius obtinerent quæ petebant. In quem finem ipſemet *Conſtantinus Magnus* in procinctu alicuius conflictus poſitus cum hoſte, tabernaculum militare, quod portatile eſſe voluit, in quo crucis vexillum ſeruabatur, inire ſolebat, Deum ibi oratum, conſultumque. vbi vt ſcribit *Euſebius*, *Ab omni licentia, & vita rationis luxu diffluente ſeſe vocauit; inedia & corporis afflictatione ſeipſum exercuit, vti Deum ſibi cum precationibus ſupplicibus placatum, tum benignum adiutorem haberet, eaque peragerer, quæ Deus eſſet illius animo inſecturus.* (Euſeb. lib. 1. De vit. Conſtant. cap. 4.) Certe ſi quis ex vna parte ſit penitus auerſus, vt oportet, a peccandi voluntate, & ex altera, ſecum reputet ingentem illam vim caloris incitantem ad delinquendum, is omnino iudicabit etiam pœnas ex iucundorum ſubſtractione, ſimulac carnis ſuæ afflictione, adſciſcendas, quo calor ille mitigetur. Ecquis iſtius æſtus penitus expers, vel ipſemet effœtus, & proinde a pœna immunis, aut abſque pœna tutus?

Iam gelidas rupes viuoque carentia ſenſu
Membra feris: iam ſaxa tuis obnoxia telis,
Et lapidei ſuum ardor agit, ferrumque tenetur (Claudian. E[pig. de] Magnet.)
Illecebris: rigido regnant in marmore flammæ.

O ſpinæ & tribuli in illo campo ſuccreſcentes, in quem ob guſtatas voluptates relegamur, Deo vindice quam vtiles eſtis, quam diuiniſſimorum fructuum feraces! (Gen. 3.)

11. Cæterum in hoc genere ſpontaneæ ærumnæ, nouit ſapientia Chriſtiana eum modum conſtituere, tum de eiuſdem præſtantia iudicium recte facere. Eam non latet, nimium acorem illius diſciplinæ, quod & alias ad iocunditatem animi hilaritudinem intercipere & curſum in actione virtutis plurimum impedire, facultatem itidem in homine iraſcibilem ſolle nimium exacerbare & efferare. Eadem pariter ſcit, increpare eorum ſententias, qui laxioris vitæ cupedijs diſſoluti, in alijs rigores hos & acerbitates ſtudiorum, moroſitatem, obſtinationem, inhumanitatem iudicant: non enim moderatus eorum vſus continuo in haſce fæces bilis & melancholiæ incidit. Qua in re; vt alia exempla omittam popularis interpretationis, vnum hoc referam, quod de auſtero vitæ genere, a *S. Chryſoſtomo* vſurpato, memoriæ noſtræ commendauit *Socrates*. *Erat homo*, inquit *Socrates*, *vt ferunt, propter incredibile temperantiæ ſtudium, moribus aliquanto ſeuerior; & quidam dixit, qui illo ab ineunte ætate adoleſcentia familiariſſime vſus fuerat, iracundia potius quam obſeruantia indulgens.* (Socrat. lib. 6. Hiſt. cap. 3. 21.) Verũ fides haud magnopere attribuenda *Socrati* in hac narratione, quippe homini ſectæ Nouatianæ, cui ſe infeſtum cõtinuo præbuit *S. Chryſoſtomus*. Erant autem *Nouatiani*, quod rarum in hæreticis, vi ſui erroris ſectatores ſeueritatis in vita: ne enim peccarent peccato ad mortem poſt Baptiſmum, aut primam *Confeſſionem* Sacramentalem, rigidiſſime viuebant, ſecum reputantes nullo Eccleſiæ Sacramento recuperandam animæ deperditam ſalutem, ſed ſolum per diuinam miſericordiam, extra Sacramentum, id perficiendum: ac proinde in Catholicis criminabantur frequentem abſolutionem

nem per Sacramentum *Confeſſionis*, perinde ac ſi eſſet lenocinium ad peccandum, & ad iucundam vitam ineundum. De *Agelio* Nouatiano Epiſcopo, hæc *Socrates*: *Iſte per vniuerſum vitæ tempus nudis pedibus inceſſerat, vnaque tunica, præceptum Euangelij obſeruans, vſus fuerat*. Simile quid, quod ad ſeueritatem vitæ, narrat *Sophronius* de quodam ſectatore hæreſis *Seuerianæ*. perpeſſionem hanc fore Chriſtianam, indicauit olim deus, in rubo flammante *Moyſi* apparens. Deus in rubo, quia futurum, vt Deus miſerias ſanguineas & vulnificas pateretur. rubus ab igne diuino non comburebatur, eo quod non venit Deus in mundum, vt auferret aut conſumeret ſpinas vexationum, ſed vt eas conſeruatas ſuæ gratiæ igne nobilitaret.

Socrat. lib. 4 cap. 9.
Sophron. in Prat. ca 108.
Exod. 3.
Prudent. Apoth.

Cernere erat ſteriles ſubito ſplendeſcere frondes,
Accenſiſque citam foliis magno impetu late
Collucere Deum, nec ſpinea lædere texta,
Lambere ſanguineos fructus & poma cruenta,
Stringere mortiferi vitalia germina ligni.

9. At Proteſtantes, voluptatum amantes, pugnæ autem deſidioſi detrectores, vrgente tentatione, furente in eis appetitus illecebroſa procella, ſecum dicunt: quorſum in boſce motus cum acerbitate conflictus dimicaremus? iam enim peccata vſque ad totius Decalogi violationes in nos etiam conſentientes erupere: nos contaminarunt, æternæque inferni pœnæ obnoxios effecerunt, idque voluntatis conſenſu in nobis plane neceſſario. imo ipſa pronitas naturæ noſtræ in malum adeo vitioſa exiſtit, vti ea deturpati, prorſus Deo odibiles conſtituamur: quorſum ergo arma rationis corripienda: quorſum in agone contendendum, in puluere arenis mortificationis prælıandum, cum nobis impoſſibile, peccata reſiſtendo defugere, aut concupiſcentiæ conſenſum non præbere? tam profligati ſumus: iam vi diuinæ legis, qua obligamur ad concupiſcendum, ſcelenbus onuſti ac pleni. quid aliud ſuper eſt remedii in hac peccandi neceſſitate, quam vt Chriſti iuſtitiam vna fide apprehendentes, eius meritis quantumuis concupiſcentes, ſecuriter indormiſcamus? Spurca totius hominis coinquinatio, hæreditas eſt Proteſtantum illis a *Carpocrate* parente legata, cum credant, omnes appetitus ſenſitiui brutas agitationes peccata eſſe mortalia etiam abſque libertate humani conſenſus, ac vt vitetur a nobis peccatum, non eſſe in illas dimicandum.

Caluin. lib. 2 Inſtitut. ca. 1. lib. 3. cap 3.
VVitaker. lib. 2. de peccat origen.

12. Conſenſum vero voluntatis liberum & deliberatum in ſuaſam a concupiſcentiæ libidinem, animæ mortiferum æſtimamus: proinde ab illius dulcedine tanquam a ſcorpione & peſte recedimus. ſi enim illi conſenſerimus, illico contra Apoſtoli conſilium fœda & bruta concupiſcentia in nobis regnabit: ſcilicet animæ ac in ea Dei imagini, dominabitur: & proinde haud parietur eam per iuſtitiam ſubeſſe Deo. *Concupiſcentia cum conceperit parit peccatum*. Abſit, dicit *S. Auguſtinus*, vt anima vlla voluptate titillata, conſentiat turpitudini. quocirca ait, ideo animam pugnare in concupiſcentiam, *Ne concupiſcentia pariat peccatum*: alioquin ſine conſenſu, vt loquitur idem *S. Auguſtinus*, Solũ *ſic eſt peccatum, vt ſit pœna peccati*. Scientes idcirco pendere omnino a noſtro libero arbitrio, an velimus necne ex concupiſcentia peccatum in nos deriuare, eius illecebris generoſe reſiſtimus, delectabilium guſtum abdicamus, nec volumus cũ quouis iucunditatis ſenſu tantum malum nobis conſciſcere. nec eſt quod putemus immunia eſſe in nobis peccata: nã *Omnis qui in eo manet non peccat, & omnis qui peccat non vidit eum, nec cognouit eum*. Qui motus concupiſcentiæ ſi peccata eſſent abſque libero conſenſu, Deus eſſet in illis auctor omnis turpitudinis: quod Chriſtianis horror affirmare, Caluiniſtis licet ludus & in Deum cum blaſphemia ludibrium. Porro ſciſcitor ab ipſis, quamobrem Chriſtiano pugnãdum contra voluptates concupiſcentiæ? ſi dicant, ne regnet, ne plurima peccata proferat: cur ergo petam, hanc concupiſcentiam vi legis naturalis continuo erumpere in omnia peccata contra decalogum volunt, quaſi id pugna noſtra poſſit impedire, quod naturæ neceſſitate decretum? cur ergo pugnandum contra opera externa concupiſcentiæ, ſi interna iuſtis non noceant?

Rom. 4.
Aug. lib. 2. de peccator. Mer. cap 28 lib. 3. cont. Iul. cap 25. De perfect. iuſt. cap 4.
S. Thom. 1. 2. q. 82 art. 1. a. 3. 4.
1. Ioan 3.

11. Nos porro in vniuerſum antequam velimus in animas peccati mortalis dulcedinem admittere, nihil non facimus vel pœnis & ſummis doloribus afflicti, intelligentes in hoc fauo latere venenum, quod nos funeſtabit, quod prius hauſtam a Deo vitam infuſæ iuſtitiæ exterminabit. ecquid aliud nos ſuperis inuiſos reddit præter peccatum! quod cum ſibi non aliter ingreſſum faciat in nos quam voluptate, quam præmittit, nos in hanc voluptatem acrimoniam reluctantiæ, patientiæ, indigentiæ, ac ariditatũ excercemus, nihil tam triſte ducentes, quam nos ſemel Chriſti Sanguine expiatos, eius iuſtitia donatos, a tantis bonis peccati alicuius hauſtu excidere:

——————*mortiſque inter diſcrimina ludunt.*

Pruden. Hamar.

12. At ex aduerſo cum Babilonica meretrice conſiſtunt Proteſtantes, qui ſuæ ſectæ delicioſis liquoribus inebriari, negant, tantum noxæ aut mali ineſſe peccati voluptati. contendunt enim cum *Carpocrate*, credentibus in Chriſtum ac prædeſtinatis, nullum ſcelus ab ipſis commiſſũ, datam iuſtitiam poſſe eripere aut eam exigere. quid ergo damni a probroſa voluptate, quæ alieno thoro aut ſanguini inſidiatur? a voluptate quæ omnia bruta ſuadet ac perſuadet? a voluptate, quæ rempublicam permiſcet & confundit, præterquam quod a docti ingenij ioco, ab innocua recreationis aura, profluat ac dimanet? Enimuero iſtis, ita ſui dogmatis ingenio ſentientibus, congruum, minime in poſterum ſibi proponere verum Deum, peccati oſorem, colendum, ſed fictitia impuriſſimaque potius illa veterum Numina, *Quibus* vt ſcribit *Ariſtoteles*, *luxuria permiſſa*, quæ initientur.

Clem. Alex 4. ſtrom.
Ariſt. 7. Pol. cap. 13.

14. Vlterius, Catholici, timoris punctionibus exacerbari appetunt, ne ſecuritate data, ocio conceſſo, ne audacia permiſſa, gemmam animæ, quæ iuſtitia eſt: imo æternã ſalutem, deficiantes amittant. quem timorem nobis conſciſcimus, ac veluti præ foribus armatum ſeu ferreum ſatellitem collocamus, qui vel a longe

S. Baſi. Serm de Iudicio.

omnia

ipſius conculcauimus. alieniſſimum a voluptate cum gemitu & lacrimis reputare, nos hic tanquam miſeros exules longe a Patria vitam degere, infinitis occaſionibus delinquendi expoſitos, & eodem periculis æternam ſalutem perdendi vndiquaque incinctos. nõ eſt ergo quod reſpiciamus dumtaxat in Eliſeos diuinarum promiſſionum campos, in terram fluentẽ lacte & melle, ſed etiam in Deũ commiſſa peccata, quæ doloris afflictione retractemus, exuramus

Amb. lib. 9. Ep. 19. 97. ac deteſtemur. Hinc *S. Ambroſius*: *Neque pænitentia ſine gratia, neque gratia ſine pænitentia. debet enim pænitentia prius damnare peccatum.* iſto affectu plane horret Chriſtianus dum luget, dum

Pſalm 103 tanquam herinacius ſetis contectus contritionis, in cauernis petræ, hoc eſt in vulneribus Chriſti crucifixi delitеſcit.

21. Verum Proteſtantes, quantum ad hoc, corui potius quam columbæ, incondite crocitantes, quam amanter gementes apparent. Ne enim iuſtificatio eſſet ex operibus, & non ex ſola fide; quod autumant Apoſtolum affirmare: renuunt concedere, ad iuſtitiam aut peccati remiſſionem, requiri iſtius pænitudinis inardeſ preparamentum. Nec ſane illi quicquam indigebunt planctu turturis, ſeu hoc dolore, qui certa fide ſibi promittunt, ſibi iam remiſſa peccata, & eadem fide omnes in ipſis reiectas cauſas *Carminis & va*, ſiue lamenti: quandoquidem ſibi, inaniter & vaniſſime licet, ſanitatem & beatitudinem promittunt Proteſtatores. Grandibus proinde vocibus de ſua remiſſione peccatorum, de ſua prædeſtinatione, de ſua ſecu-

Aug. Tract. 6. in Ioan. ritate exultant, ac eo, quod pronunciat *S. Auguſtinus*, produnt ſe coruos eſſe non columbas, cadauerosæ voluptatis, non terſorum ſpeculorũ aut ſalis rationabiles appetitores.

22 Adeo quidem ſunt columbæ Catholici, vt nihil magis aut frequentius affectent quam dolores, quam gemitus, quam lacrymas, ac a voluptate receſſus. Hoc teſtatur apud nos pene perpetuus cultus Paſſionis Chriſti; cum Chriſto condolentia ſæpius repetita idem oſtendit. Phœnices idcirco in flammis ſumus, non cicadæ in viretis. Quod cum omni ferme vitæ tempore exequimur, tum præcipue tempore Quadrageſimæ, ac in ea *Septimana*, vt vocant, *Sancta*. quo

Epiph. Hær. 75. 78 Aug. ep. 119. cap. 14. Bern. ſer. in. fer. Sext. Tert. de pænit. Aug. in pſ. 137. Senec. Agamem. Tert. Apol. cap. 40. tempore vt loquitur, *S. Epiphanius*, *Sanctiſſimas afflictiones* nobis incutimus. tunc vt ait *Tertullianus*, pænitentiæ ſordes & aridas eſcas non recuſamus. *Felix illa ſcientia*, quæ vt ait *S. Auguſtinus*, *Hominem non ſe iactantem, ſed lamentantem facit. Quem pænitet peccaſſe, ferme eſt innocens.* Auſteritatem, ad exemplum Iudeorum, Chriſtiani ſuæ pietati & orationibus ad Deum coniungere ſoliti, teſte *Tertulliano*. *Nos vero ieiunijs aridi, & omni continentia exterſi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere volutantes, inuidia cœlum tundimus, Deum tangimus, & cum miſericordiam extorſerimus, Iupiter honoratur.*

23. Proteſtantes autem tamquam dæmones a ſuis cruciamentis, ita ab iſtis penitus diffugiunt. Enimuero vtpote *Deucalionis*, & *Pirhæ* ſaxea proles, incapaces huiuſmodi compaſſionis ac teneritudinis conſiſtunt: dura ac fera gens nullo alio quam liquida voluptate diſſo-

Luth. conc. in. dei palm luenda. fatetur hoc, ipſorum protoplaſta *Lutherus*, qui muliebrem animi motum appellat cum Chriſto in cruce compati. & quod ad Quadrageſimam attinet, nulla alia anni tempeſtate hilarius verſantur & heluantur in voluptatum gurgitibus, quam tunc: ſcilicet quod de antiquis hæreticis conqueſtus *S. Epiphanias*, quando apud nos peraguntur ſanctæ afflictiones, tunc ipſi lautius æpulantur, dentibusque deſæuiunt acrius in Romanam pænitentiam. & hi quidem tales

Pſalm. 101. ſunt, quales appetunt ſine ſale & cinere carnes perpetuo manducare.

24. Nos orthodoxi intelligentes, vitam noſtram peccatis in hoc ſumma fragilitate oportunam, in mortem animæ appetente voluptatis lenocinio, ob eam cauſam vim concupiſcentiæ varijs moleſtijs tam corporalibus quam ſpiritualibus debilitamus: ne in ea mollities, locũ præbeat ardentibus telis: aut ardor pabulũ præbeat iniectis flammis. Cuius diſciplinæ binas partes deſcribi putat a Propheta, admonente a nobis agendam pænitentiam in cilicio & fauilla, *S. Gregorius*: *Vt* inquit *in punctione cilicii cog-*

Greg. Hom. 10. in Iob. *noſcamus quid per culpam fecimus, & in fauilla cineris perpendamus quid per iudicium facti ſumus.* Cilicium autem & fauilla a voluptatibus aliena.

25. Verum enimuero longiſſime fides, ſeu, *Lais* Proteſtantica dirimitur a cilicio & fauilla, ab horum ſenſu, a diuortio, quantum ad hoc, a voluptate: haud minus ſane, quam *Belial* a Deo, aut Diabolus a Cruce. quid amabo facerent cilicium & fauilla triſtitiam inferentia, in hortis Proteſtantum, in ſuperbis eorum Babiloniæ turribus, in auratis illis ipſorum nauigijs: denique in Cipria illa ſecta, quam amplectuntur? ſi verum, quod dicunt, ipſis ſcilicet acceptam iuſtitiam, aut ſpe exſpectatam beatitudinem, excidere nõ poſſe, vana res profecto fuerit auſteritas morum, aut repudium voluptatis: cuius omnem labem, etiam continuo redundantem, vna fides aut abſterget, aut innocenam reddet. Atque cum in hac cautione, in-

Senec. ep. 5. ad Lucil. ſtituta contra voluptatem, reprobamus Stoicam Philoſophiam, dicentem: *Frugalitatem exigit Philoſophia non pœnam*: ipſam pænam ærumnoſæ ſpinæ, lacerantis flagelli, extenuantis ieiunii, Proteſtantes auerſantur, ac docent, nullũ concupiſcentiæ luxum, ſuæ iuſtitiæ, aut Philoſophiæ infeſtum. hinc nihil magis apud ipſos in riſu quam noſtræ auſteritates: proinde bibentes vinum ſuarum deliciarum, in nos paſſim pſallant carmen vituperij.

26. Deinde Dei in nos fauore, ipſius ſcilicet gratiæ acceſſu, cum peccati malũ animis noſtris expulſum fuerit, pro pæna tamẽ temporali, plerumq; ſuperſtite, aſperitate operũ ſiue a nobis ſponte aſſũpta, ſiue a ſacerdote Iudice iniuncta, voluptatẽ penitus debellãtes, ſatiſfacimus. ſane merito hoſte exturbato, omnes aditus in nobis obſtruimus, ne poſtliminio in nos inuadat. iuſti-

Eccl. 28. ſime delicioſũ peccatũ cõtrarijs doloribus vlciſcimur, nõ aures tantũ, quod ſuaſit *Eccleſiaſticus*, ſepimus ſpinis, verum omnes animæ & corporis facultates, quod in peccata conceſſerint, pænarum ſpinis caſtigamus, & munimus.

noſipſos recte iudicamus, ac in nos vindictam exercemus, ne a Deo iudicemur, ne ab illo ſententiam ferente in die iudieij, ſi non in hac vita, corripiamur. quale in hoc inſtitutum, fuerit primorum Chriſtianorum conſilium, narrant

Tert.&.lipr. de Pæniten.

Tertullianus & *S.Cyprianus*. Ex hoc capite vindictæ, quam de nobiſipſis indices ſumimus, oſtendit nobis Apoſtolus viam, qua a iudicante Deo ictus & verbera euitemus: *Quod ſi noſipſos diiudicaremus, non vtiqae indicaremur*. Quid autem ſit a Deo iudicari ſequentibus oſtendit: *Dũ iudicamur autem, a Domino Corripimur*. ſumus ergo iudices, iuxta ac vindices, qui de nobis ſontibus pœnas ſumamus. Huiuſmodi eſt pœna ieiunium, quod ſanguinem exſugat, quod carnem macerat. huiuſmodi quoque corporis caſtigatio per cilicia, per flagella, per reliquas Pœnitentiæ ſordes, de quibus *Tertullianus*. iſtis ſpinarum veluti ærumnis humiliatur homo ante Dei oculos; qua humilitate oculi Dei delectantur, & eius cor ad miſericordiam inde emollitur. vt ergo iudicia Dei ſeueriora declinemus, ſit nobis conſcientia tribunal, ſit iudex, ſit vindex, & ex amore Dei, a nobis offenſi, aſperitatis ſententia feratur. *Quod a iudice futuro* ait *S. Anſelmus*, *reprehendi poßit & puniri. ipſe nunc in ſeipſo reprehendat & puniat. peccata enim, ſiue parua ſiue magna impunita eſſe non poſſunt: quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur. Ceſſat autem vindicta diuina, ſi conuerſio præcurrat humana.*

Tert.lib. de Pænitent.

Anſ.in c.11 1.ad cor.

27. Cæterum Proteſtantes, vt ipſi occinunt, ne Chriſto Satiſfacienti iniuriam ſuis pœnalitatibus ſatiſfactorijs inferant, perinde ac ſi annũ Iubilei perpetuo celebrarent, in vniuerſum ſatiſſationes aſperiores deteſtantur. quam arridet ipſis continuo menſa voluptuaria! roſas & mel theologiſantes ſibi duntaxat promittunt. Longiſſime fugiunt a ſtigmate *Pauli*, a pallio *Antonii*, ab Eremo *Hieronymi*, ab vnica tunica & abſtinentia *Baſilij*. ſic enim ipſis mandat *Venus*. ita eos inſtruit *Cloacina*, ſuadet *Stoa*, compellit ſecta.

Greg.Naz.in laud.Baſil.

28. At non ſolum reſpicientes in peccatum a nobiſmet commiſſum, veluti, epoto abſinthio doloris, ſenſum voluptatis comprimimus, ſed inſuper aliorum peccata animis complectentes, dolemus, ac diriſſime vexare vltro volumus. *Dici poteſt* inquit *S. Auguſtinus*, *beata miſeria, vitiis alienis tribulari, non implicari, mærere, dolore contrahi, non amore attrahi.*

Aug. ep.145 lib.1 cont. Gaudēt.cap. 22,50.

29. Hac autem ex parte dolere renuunt etiam Proteſtantes: qui certe tali ingenio eſſe non potuerint, niſi cum vera fide, humanitatem pariter exuiſſent. Hinc oculis ſuis totius mundi peccata circumluſtrantes, ea in duos ordines diuidunt: vtpote cogitantes peccata eſſe fidelium, aut infidelium. Priora æſtmant reis innocua: ſcilicet non imputata a Deo, quinimo ab ipſo potius facta ac prædeſtinata. poſteriora nihil deplorabilis in ſe cõtinere pronunciãt mortaliũ peccata: ipſorum enim iudicijs impreſſiones tantum exiſtunt concupiſcentiæ, veluti fati cuiuſdam in ſingulis effecta. ac dicunt, eis coinquinatos, haud eſſe culpabiliter vitiatos, quod ſine libertate arbitrii, & cum extrema neceſſitate in ea rei conceſſerint. quis obſecro, ad huiuſmodi ſpectacula, qualia ipſi faciunt peccata, ex lege prudentiæ ingemiſcet, aut Lacrimabitur? quam currenti filu hilaris *Gnatho* noſter Proteſtanticus! Roſas proinde continuo loquitur, Zephiros efflat & balſami odores.

30 Inter alia opera præſtita a Catholicis, carnis ingenio moleſta, ſtatutum ab Eccleſia ieiunium recenſetur. Huius vſu aliquid noſtri, nempe corporis, Deo in ſacrificium veluti libamus: laſciuum eius robur exſcindimus, nimios eiuſdem vapores in libidinem calentes, exhaurimus: vt anima fortior ac purior in ſuo cœlo Sapientiæ reſplendeat. dum etiam Eccleſiæ legibus eodem obtemperamus, ſpiritus quoque caſtigatorium munus exequimur. mirum idcirco haud fuerit, ſi hinc animis corporibusque ſubacti, & a voluptate abducti, rerum diuinarum ſtudijs acrius eo inſiſtamus.

Dan.2.

31. Repugnant autem auſteritatis huius formæ vehementiſſime Proteſtantes. Adeo enim furit ac debacchatur in ipſis libido, vti affirmare audeant, indignum homine Chriſtiano, ad mandatum, ad conſuetudinem Eccleſiæ, ieiunare. quo modo laſciuit iſte equus, & erectis criſtis efferatur? potius eligit ſubeſſe imperio carnis & voluptatis, quam Eccleſiæ. eam porro culinarem plane Muſam colunt, quæ omnes cauſas ieiunandi Chriſtiano homini adimunt. negant ieiunium requiri vt quis in ſtatu acceptæ inſtitiæ perſeueret, vt mereatur quis ſtipendium gloriæ, vt ſatiſfaciat pro pœnis temporalibus, quæ iuſtificationi ſuperſunt. quorſum ergo illis ieiunandum magis quam eiulandum.

32. Planctus porro, quos Chriſto in cruce pro nobis pendenti ac morienti, non ſolum in Septimana Sancta, ſed etiam ſæpius in anno, impendimus, petulantiæ laſcini adfectus prorſus aduerſantur: quam non minori vi obarcent quam ſal putores, quam ſordes nitrum. Enimuero dolentis Principis ſubditos decet eſſe dolentes: in Crucifixo ſperantes, pariter crucifigi. non enim ſaluamur aureo pomo, *Iunonis* gratia, ſed Cruce, Chriſti ſceptro.

Ouid.ep. L.204.

Scilicet ipſe geram Saturatas murice veſtes,
Bella ſub Iliacis manibus ille geret?
Ipſa comas pectam, galea caput illi premetur,
Ipſa nouas veſtes, dura vir arma feret?

33. Ab hac autem myrra amaritis & condolentis animi, tota auerſa Proteſtantum hæreſis. illius nullum lugubrem ritum exhibet vllibi eorum religio: neque ſecuritas penes eos futuræ beatitudinis, permittit corda vllo ſenſu talis acerbitatis perſtringi. Vbi Chriſtus Crucifixus, ibi in eorum oculis adhuc *Venus & Adonis*. vt ipſi fabellantur, non proponitur ſpectaculum Chriſti Crucifixi nobis, vt doloris aculeis, aut corporeæ perpeſſionis rigoribus voluptatem expugnemus ſed vt læti, ac ſecuri toti, illius iuſtitiam fide apprehendamus. illud acerbi in Chriſto, dicunt omnibus ſufficere, neque operæ precium, noſtras afflictiones eius angoribus adiungere deſinunt.

34. Quo etiam voluptatis regiam expugne-

mus

mus, virginitatis florem ſolitudine, parſimonia; vitæ genere, profitemur; imo omnibus, vt mo-

Catec. Rō. cap. 4. de Matrim.

net Catechiſmus Romanus, ſuademus: ac iſtis, veluti ſpinarum ſepimento, contra voluptatis aſſultus vitam noſtram munimus. Qui quidem virginitatis ſpiritus, Chriſtianorum proprius: ſiquidem a Chriſto ac Deipara virginibus in eos propagatus. Huiuſmodi decore veluti liliorum, ornatum fuiſſe primum Eccleſiæ ortum, recolunt Patres. *Clemens* papa, vt ſcribit *S. Hieronimus*,

Hier. lib. 1. cont Iouin

omnem plane ſermonem de virginitatis puritate contexuit. Damaſus Itidem papa in Iudeus virginitatis nonnulla cecinit. *Conſtantius magnus*, ma-

Euſ. lib. 4. in vit. Conſtan

ter quoque eius *Helena*, religioſis virginibus plurima ornamenta detulere. Adeo vel in oculis Romanorum effloruit virginitatis pulcritudo, vti oriundum Meſſiam ex virgine iudicarunt.

Euſe. lib. 3. cap. 5. 15. Niceph. l. 2. cap. 10. o. lib. 7.

Etenim *Domitianus*, qui pro *Meſſia* haberetur, affirmabat, ſe a matre *Pallade* in lucem editum abſque omni virili congreſſu. Hęc autem partis in homine concupiſcibilis libido, inter alia ad id media, compeſcitur iraſcibilis in eodem facultatis irata quadam indignatione, veluti ardente in laſciuiæ vilitatem ac turpitudinem. propter quam cauſam noſtri Theologi attribuunt caſtitatē fortitudini. conſtat autem fortitudinis inſtrumentum eſſe iram, & eo munus eam haberi facultatis iraſcibilis. iuſtiſſima autem cauſa iræ ea, quæ oritur ex contumelia & opprobrio perſonæ & naturæ humanæ illatis. ſtatim autem ac ſe excruit iſte rigor iræ in cupediam veneris, illico ſe dimittit petulantia concupiſcentiæ, haud aliter ac mulier ſe moderatur aliquid appetens, quam primum viri auſteritas obſtiterit. Ac licet homini data a natura facultas iraſcendi, quo concupiſcentia facilius & fœlicius votis potiatur. & hoc pacto illi præſidiarij militis inſtar inſeruiat, nihilominus vtpote Domino, tyrannū ſemel agente in animæ ſalutem & decus, iraſcendi facultati integrum, ex imperio rationis in illā totue reſpicere & ſuæ iræ vim in eandem intentare, Equidem exiſtimarem hoc artificium, paratiſſimum eſſe munimen ad ſeruandam Caſtitatem. illud vero ij fœlicius abſoluerint, qui ab ingenio moroſi, tetrici, melancholici: difficilius, qui concupiſcendi mollitie vim iraſcendi effæminarunt, quique ab indole mitiores & faciliores. quo naturæ in-

Hier. epiſt. ad Demet.

ſtrumento martyrium fortiter ſuſtinetur, eodem & caſtitas ſeruatur. *Habet pudicitia ſeruata*, ait *S. Hieron. martyrium ſuum.*

35. Virginitatem autem Proteſtantes vituperant potius quam colunt: Cuius nullum ſpeciale meritum eſſe contendunt apud Deum. vniuerſum proinde illorum Calendarium, ac omnes Faſti virginibus deſtituuntur; colorē quemlibet ſimulant præter virginitatis album. Neu quicquam penſi ducunt ſolitudinem, in qua voluptatum venæ areſcunt. fora, emporia, aulas potius appetunt, in quibus martium eorum in nos odium cum *Venere* maritetur.

36. Noluntiſti laurum *Apollini*, nempe ingenio, carniſque humanæ virginiæ incorruptioni antiquitus adſcriptam; ſed potius myrtum, quam maris ſalacia deſpumat, aut hæderam, quam ſerpentino partu edit terra in promiſcuos complexus pronam, appetunt. At quis, nisi in naturam impuri dæmonis a ſpiritu hominis abiuerit, odio, vel bipenni *Iouiniano* proſequi poterit in Eccleſia Chriſti perpetuo vernantem Laurum? Færale fuit ſpectaculum, quod, amiſſa iam *Proſerpina*, *Cereris* matris animū tentabat: vidit enim in pulcherrimo luco, Religioni ſacro, laurum ſua ſpecie celebrem, excisam, deiectam.

Claud lib. 3 Rap. Proſe.

——— hanc imo ſtipite caſam
Vidit, & incomptos fœdari puluere ramos.
Quæſiuitque nefas. Dryades dixere gementes,
Tartarea Furias debellaiſſe bipenni.

Furiæ infernales hoc noſtro ſæculo extitere Proteſtantes; quippe in lauri virores hoſtes coniurant. inde gementes lamentamur, eos Monaſteria excidiſſe, in quibus lauri creſcerent, altaria euertiſſe, in quorum muneribus occuparentur. Et quod mirum, in expugnatione harum laurorum, in iſtiuſmodi inferni bipennibus, ſuam de mirantur ex Euangelio libertatem: quaſi libertatis Chriſtianæ aptior modo nota mirtus, aut hædera, quam laurus, culta *Venus*, quam innuptus Chriſtus, celebrati Himinæi, quam honorata *Maria*. Verum omnino, florem hunc virginitatis, clauſtris non niſi, & diſtrictis vitæ regulis muniendum.

Cl au. lib. 3 Rapt.

Florebat tranquilla domus, nec limina virgo
Linquere, nec virides audebat viſere ſaltus
Preceptis obſtricta tuis. tela, labor ille,
Sirenes, requies, ſermonum gratia mecum,
Mecum ſomnus erat, caſtique per atria ludi.

Horum autem munimentorum ideo hoſtes Proteſtātes, vnde violata ſepimento, flores fructuſque viridantis prati ſeu horti, eorum opera brutorum halitu corrumpantur, pedibusque conterantur. En ſænam noctem Proteſtanticam ſulphureo picis ſpiritu inſtructam in florum ac virtutum necem.

37. Modum porro libidini conſtituimus Matrimonij Sacramento, iuxta ac eiuſdem indiſſolubilitate: nec permittimus poligamiam, quæ libidininis ardorē in coniugatis augeat, extendatque. quis non vidit iſtis repagulis impediri curſum furentis voluptatis?

38. Proteſtantes vero eidem voluptati hac ex parte liberam attribuunt in omnem animī intemperiem, quantum ad matrimonium, irruptionem. principio quidem, quod ſanctitatem Sacramenti matrimonio adimant: eo enim violatio thori redditur excuſabilior, & magna parte culpabilis grauitatis liberatur, vti alias diſſeruimus. deinde in cauſa ſeparationis, impotentiæ, vel ſuperſtite coniuge, contractum matrimonis ſemel alterutri paſſim indulgent. poſtremo quod Turcicam poligamiam non multum vituperent. *Poligamia* inquit *Luderus* Proteſtantum Princeps, *Libera eſt: & vt illam introducere nolo, ita repudiare non poſſum.* Ac

Luth. lib. de Poligam.

iſtis quadammodo portas Nili apperiunt, ex quibus flumen voluptatis euolutum omnia inundet.

39. Ad debellandum quoque voluptatis imperium, iſtis adiungimus tria Religioſorum

vota: paupertatis nempe, obedientiæ, & Caſtitatis: quorum præſidijs multum ex noſtris contra impudicam voluptatem perennante virginitate triumpharunt. Nemo crederem, hominum eſt, qui non videt, hæc tria vota, cum domeſtica diſciplina, quam retinent Religioſi, pugnare omnino cum voluptatibus, vt egregie docuit *Doctor Angelicus*.

S. Thom. opuſ cont. Imp. Relig.

40. Proteſtantes vero non aliud infernum videntur meditari preter illud, quod in clauſtris, in votis, in Regulis Religioſorum reperiri arbitrantur. quo ergo primo, vt hæreſim promulgarent, a Religioſis defecerunt, eodem in voluptatum liberam ſolutamque cupiditatē ſeſe dediderunt,

41. Eo apud nos viget in voluptates acre & incenſum ſtudium, vti relictis natiuis lucis, parentibus, ac gentilibus, ſponte ad exteras nationes multi peregre proficiſcantur: qui, dum ipſi omnia incommodorum genera & moleſtias ſuſtineant, efferæ & exteræ Nationes eorum laboribus, veris æterniſque bonis potiantur.

42. Cæterum quantum ad hoc, Proteſtantes vel omni glire & cuculo ſomnolentiores, domi inſtar cicadarum intorpeſcunt: a ſuis Glycerijs, a ſua popina, a diuitum ſagena, diuelli mordaciter recuſant. Ecquis eorum in longum extenta itinera, Euangelij cauſa ambit aut inſtituit? illis ſatis, in noſtra emolumenta inuolare, harpyarum inſtar omnia vncu rapere, & vitæ proluuie conſpurcare.

Prud. in pſ.

Ite ad nocturnas epulas, vbi Cantharus ingens
Deſpuit effuſi ſpumantia dona falerni:
In nempe Ciathis ſtillantibus vndam, vbi multo
Fulcra mero, veteriſque toreumata rore rigantur.

43. Cum ergo, quod ſupra oſtendimus, ciuilitatis & ſanctimoniæ exitialis peſtis ſit voluptas, tum eodem liquet, nos ab ea dogmatum ſententijs auerſos, vtriusque eſſe egregios inſtructores. contra vero Proteſtantes, qui ſuis aſſertis multipharíam voluptatibus applaudunt, in ciuilitatem & Sanctitatem coniurati hoſtes reputandi.

44. Ac cum naturæ noſtræ ingenium iam a crimine originali violatum, ardentiſſime in voluptatis cupediam feratur, tum ſi eidem acceſſerit ſuppetias, robora illectamenta adlatura religio, vehementiori impetu debacchatur. ob quā cauſam veteres Græci ac Romani Religionis vi laxati in libidines, quo exactius ſua Numina imitarentur, eodem voluptatum omnia genera acrius perſequebantur. Idem ſane Proteſtantibus euenit, quandoquidem vti oſtendimus ſuæ fidei ductu & ſententijs in voluptates feruntur, perinde ac ſi ipſum cælum illis lutum dimitteret, in quo porci ſua volutabra conſtituerent.

Arn. lib. 5. cont. Gent. Prud. lib. 2. cont. Sym.

45. Ex quo conſequens, pace florente, Proteſtantium imperium diuturnum eſſe non poſſe. Etenim voluptas, quam ſibi præſtituunt in metam, omnia ciuilis ſtatus firmamenta, vt alias diſſeruimus, deuaſtat, adeoque ſeipſam tandem exedit. ſi quid ergo in illis externæ modeſtiæ, id totum ex hypocriſi, ac ne a noſtris fortius impetantur. ad quod eos iuuant bellorum horrores, ac timores, & inter alia, iuſtitiæ forenſis crudelitates: ſine quibus præſidijs, breui, iam a voluptatibus corrupti, ciuilem rerum ſtatum diſſoluerent. Cæterum quantum ad animi ſententiam, ad fidei documenta, ne vnum pilum quidē ab vmbraculis voluptatum recedunt. Narrat *Plinius Secundus*, *Scipionem* Aſiaticum debellaſſe *Antiochum* Regem Syriæ, *Cum arcus hoſtium pluuia hebetati fuiſſent*. pari modo dogma Proteſtanticum illa eſt pluuia, quæ vim mentis in hominibus emaſculat, cuius ſubinde imbecillitas, facile cedit voluptatum armis.

Plin. de vir. Illuſt. 53.

46 Imo nō ſe ſiſtunt, exercentes munera appetitus concupiſcibilis, in vſu voluptatis, quinimo ea inſtar ſaccari in ſtomacho in bilem tabeſcentis deſinentis, facultatis furores in Catholicos exercent; ignorantia & rabie in illos deſæuientes. quam hoc ſit verum, mox oſtendendum.

Iam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Hor. lib. 3. Carm. ad 8.

CAPVT XIIII.

Modi, quibus Catholici Appetitum in nobis Iraſcibilem ad Ciuilium ac ſacrorum morum rationem cōponunt, Proteſtantes eiſdem repugnantes, eam naturæ facultatem plus æquo exaſperatam efficiunt. quo pariter minus fortes & patientes, euadunt.

SAnctus Auguſtinus in Donatiſtas ſententiam ferendo, Proteſtantes vna percelluit. De illis affirmauit, quod Eccleſiam Chriſti perſequerentur aut *Pigreſcendo* aut *Sæuiendo*. Pigritiam eis attulerat ex cōcupiſcentia torpor, quo languebant plane ad omnia recta conſilia. Sæuitiam vero eiſdem ingeſſerat odium veritatis Catholicæ: proinde ab ea redarguti vel compreſſi, in violentiſſimos extremæ crudelitatis motus erumpebant. pari ſane modo ſi Proteſtantes inter ſe mutuo conferamus, inueniemus eos plane euiratos ac deſides ex voluptatibus, nihil operæ virtutibus attribuere: ſin autem eoſdem ad nos referamus, in ipſis adeo ſentiemus rabiem exaſperari, vt eo tigrides ipſos longe ſuperare videantur. Eorum omnis ſpuma fluctibus inſidet: quandoquidem vt gracili voluptatum ſpuma diffluunt, ita fluctu truculenter agunt.

Aug. ep. 167.

2. Inter alia diuina chariſmata, quibus ex Chriſti meritis inclaruere Chriſtiani, inſigni quodam ſplendorē ardor charitatis, beneuolentiæ facilitas ac condolentiæ teneritudo, eluxere. Hinc *Conſtantino Magno* ad imperium euecto, multæ morum veluti cruditates, publica lege fuere ab eo extinctæ: vtpote gladiatorum ſpectacula, pugnæ nauales, ludi Circēſes, ac ſimilia antiquæ feritatis ludicra monumenta iuxta ac oblectamenta: adeo vt Chriſtianum hominem nimis mollem, imbellem, ac facilem ciuem fuiſſe illi veteres pronunciare ſolerent. Cum ob infanda facinora & Thyeſtias epulas, quæ in more poſita apud Gnoſticos hæreticos, defamarentur Chriſtiani Catholici rumore talis immanitatis, ita reſponſum dedit *Athenagoras*. *Quando enim quiſquam vel homicidij, vel humanarum carnium epulationis inſimularet eos, quos*

Ath. Apol.

ne ipſe quidem occidendi hominis ſupplicium intueri velle aut poſſe cognoverit?

Tertul. Apol. cap. 9.

De hac noſtra manſuetudine ingenij hæc *Tertullianus*. *Qui ne animalium quidem ſanguinem in eſulentis habemus: qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne hinc ſanguine contaminemur vel intra viſcera ſepulto.* In eandem ſententiam hæc *Minutius Felix*: *Nobis nec homicidium videre fas, nec audire: tantumque ab humano ſanguine cavemus, vt nec edulium pecorum ſanguinem in cibum noverimus.*

Minut. in octavio.

Prudent. Apoth.

Manſuevere Geta feritaque cruenta Geloni,
Lacte mero ſitiens exanguia pocula miſcet,
Libatura Sacros Chriſti de Sanguine potus.

3. Principio nemini credo obſcurum, virtutem humilitatis, quæ hominis animam quaſi in proprio loco ſub Deo conſtituit, magnam adferre vim militatis vel rebus civilibus, ſi vel munus imperandi, ſive obſequendi debitum reſpiciamus. Vt enim ſubactum ſolum recipiendis ſeminibus idoneum, ita anima ſui dimiſſione repreſſa, ad virtutum omnium cum ſuſcipienda, tum fovenda ſemina paratiſſima evadit. Quo perſpicere poterimus, quantum momenti circa humana eis inſit functionibus, quæ circa divina occupantur. Huius enim rei evidens deducitur argumentum ab humilitate: quæ cum rerum ordinem a Deo inſtitutum obſequenter ſervat, tum eodem ordines a Civili Magiſtratu decretos, molli animi adfectu admittit, neque eis refragari quempiam permittit. Contra vero ſi ſuperbia Divinorum imperium detrectarit, eadem incitati fuerint Cives etiam ad auctoritates ſpernendum magiſtratuum civilium, ac vt nemini plane ſubeſſe velint. Ethnici ipſi cognovere, tunc homines ad Deum propinquius accedere, quando defectuum ſuorum agnitione maieſtati divinæ ſe dimittebant. vnde apud *Plutarchum* iudicavit *Pythagoras*, tunc vel maxime ad probitatem homines peruadere, *Cum, quæ convenit vitia, aut perturbationes animi, coram ſeniore homine inficiari atque tegere, ea aperta ac nuda Deo exponunt.*

Plut. lib. de def. oracul.

4. Superbia autem inter alia vitia in ipſum Deum peculiari modo hoſtiliter inſurgit. *Inter omnes igitur lapſus hominum*, ait *S. Ambroſius*: *inter omnia commiſſa peccantium, nulla eſt gravior quam Superborum ruina: maxime cum ipſa elatio in Dei tendit iniuriam.* immane hoc vitium moderationem neſcit, terminos quoſcumque præfixos ſpernit, auctorem Deum reparationis a ruina deſerit, materiam quamlibet, etiam ſanctiſſimã, corrumpit. *In ipſis recte factis* inquit *S. Auguſtinus*, *pede celeriori ſupervenit & obrepit. quid prodeſt diſpergere dando pauperibus, & pauperem fieri, ſi anima miſera ſuperbior efficiatur contemnendo quam fuerat poſſidendo?* *Vide frater*, ait *S. Hieronymus*, *quale malum ſit, quod adverſarium habet Deum.*

Ambr. l. 10. ep. 84.

Aug. de nat. & grat. cap. 27. & epiſt. 109. in pſal. 99. de D. i. lib. 3. ep. 23. Hier. ep. 45.

5. Cæterum vt iam ad inſtitutum noſtrum differamus, dicimus, Catholicos, quantum ad fidei myſteria in vna eademque Eccleſia agnoſcere credendi regulam, cui omnino obediunt & acquieſcunt. quod genus aſſentiendi ſæpius appellat *S. Auguſtinus*, *Credendi ſimplicitatem*, ac ſpiritus paupertatem, eo autem mentis, ſuperbiam frangi, ac in-modeſtiæ lagem placide componi, quis non animadvertit?

Aug. l. 1. de Serm. Dom. cap. 3.

6. At Proteſtantes recuſant omnino hanc credendi formam admittere; & eo iraſcendi in ipſis vim acuunt, vltra modum eam arroganter extollunt. hac elatione efferati, Græcæ ac Latinæ Eccleſiæ Patribus ſe præferunt, ex alto ſuperbiæ ac furoris tribunali, ſententiã in alios omnes proiicere præſumunt. Veriſſime *S. Irenæus* de hæreticis loquens ſcribit: *Vnumquiſque fictionem, quam a ſemetipſe adinvenit, illam eſſe ſapientiam dicit, ſeque indubitate & incontaminate & ſincere abſconditum ſcire myſterium.*

Iren. lib. 5. cap. 11.

Solis noſſe Deos, & cæli Numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum. *Bardorum* hoc olim, modo Proteſtantium. Omnes ſane hæretici totidem turres ſunt & Babel. Turres, quandoquidem ad altitudinem privatæ intelligentiæ, quod ad divina, ſe præ ipſa Eccleſia viſibili perveniſſe gloriantur: flecti nolunt: novos Prophetas, novos Dei conſiliarios, novarum revelationum participes ſe venditãt. Pariter *Babel* ſunt: quandoquidem ex hac ſuperbiæ turrita altitudine, qua omnes iudices, omnes ſupremi, omnes primi auctores, confuſiſſime inter ſe diſſentiant, & linguarum multiplicitate vnitatem ſenſus confundunt. Babilonij illi ſeſe mutuo non intelligebant loquentes: hæretici vero ſeſe intelligentes, mutuo tamẽ ſeſe contemnentes nõ intelligunt. Qui vero quod ad divina, ſua in ſcripturis exponendis docta & privata exercitatione gloriam appetunt, iidem quod ad humana eiuſdem gloriæ cauſa ſeditioſi fuerint. proinde *Tertullianus* egregie opponit hanc privatam ſcripturarum diſcuſſionem Regulæ fidei. *Fides tua te ſalvum fecit, non exercitatio ſcripturarum. fides in regula poſita eſt: habes legem & ſalutem ex obſervatione legis. exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolum de peritiæ ſtudio.* probe autem noſcens, vanos & ſuperbos plerumque reddi, privatam ſcripturarum tractationem ſibi conſtituentes credendi regulam, ſic conſulit, alium Regulam credendi indicando: *Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti.* Hoc idem agit *S. Auguſtinus* omnibus ſuadendo *Simplicitatem credendi*. Fieri ergo non poteſt, vt Proteſtantes in rebus fidei curioſi & glorioſi, non ſint in civilibus ſuperbi & inquieti. Qualis illa ſuperbia, quæ in Proteſtantibus præfert privatum ſenſum orbis conſenſui: domeſticos lares vniverſi iſtius capitolio, anguſtos gurgites Borealis inventionis generis humani oceano, vel circumfluo Nilo! fides interim Catholica

Gen. 11.

Tert. l. præſ. cap. 14.

Aug. cont. Ep. fund. cap. 4.

Et loca continue ſolis damnata vapore
Irrorat, Populiſque ſalus ſitientibus errat.

Claud. Epi. de Nilo.

7. Catholici dum ſuum præſentem ſtatum, quantum ad iuſtitiam, certamque deſtinationẽ ad beatitudinem intuentur, ea ſunt animi moderatione, vti omnem ſuperbiæ elationem ſenſus aut corporis, declinent. norunt eo gradu ipſis a Deo infundi iuſtitiam, quo ſe per fidem, amorem Dei, contritionem, ac ſpem præparaverint. Ob quam cauſam dicimur in ſcriptura iuſtificari operibus: primo quod opera diſponant ad gratiam iuſtificationis, ac eis proinde adſcribitur in ſcripturis: vt poie fidei, ſpei, charitati, Pœnitentiæ. proinde quo iſtarum diſpoſitionum

Heb. 11.

Iacob. 2.

2 Cor. 10. Rom. 8. et 10. Gall. 5. 1. Pet. 4. Math.

S. Luc. 7

actus erunt in nobis perfectiores, eo ipſa forma iuſtitiæ fuerit cumulatior. deinde dicimur iuſtificari ex operibus, quatenus acceptæ iuſtitiæ fructus & effectus ſunt opera virtutum: *Quæ ſacimus ait Auguſtinus quod Deus iubet*: quippe legibus diuinis iuſte reſpondentia. Quamobrem Catholici propriam diſpoſitionem, ſeu cooperationem cum gratia Chriſti triumphantes, defectus ſuos ac demerita deprehendunt: quorum intelligentia, flatus ſuperbiæ in eis comprimitur, vera humilitas inducitur & conſeruatur. ſimiliter cauſas ſecum reputantes, ob quas Deus ſummam ſuam gratiam poterit eis denegare, iuxta animis colligentes varia pericula tentationum, quibus iuſtitia amittatur, ſimulque occulta Dei iudicia, quibus pro ſuo beneplacito de omnium fauoribus ex gratia conſtituit, intelligentes, longe recedunt ab omni ſenſu ſuperbiæ, aut contra timorem Dei ſecuritatis.

August. 83. quæst. q. 76.

8. Cæterum vero Proteſtantes vna fide ſibi iuſtitiam polliciti, eamque quæ filii Dei, cum quo æqualiter iuſtos ſe gloriantur, mirum in modum dogmatis ſpiritu inſoleſcunt. Superbiebant *Gnoſtæ*, ſe, quod ad iuſtitiam, æquales conſtituentes *Ieſu* filio Dei, vt narrat *S. Irenæus*. ſuperbiebant iidem Pelagiani, ſe Angelis æquales profitentes, vt narrat *S. Auguſtinus*. porro vltra omnem modum ſeſe ſuperbia efferunt Proteſtantes, cum *Gnoſtis* ſe vocantes *Semina electianis*, filios Dei prædeſtinatos, & quaſi iam cohæredes cum Chriſto. Hæc ſunt, quæ Proteſtantum animos per ordinem ad ſuas perſonas proprias, præ arrogantia faciunt inſanire. Videamus iam, poſtquam eorum appetitum iraſcibilem ita in faſtum inceolum deprehenderimus, quo modo in ordine ad alios, & conciues idem in ipſis appetitus iraſcibilis vi dogmatum incrudeſcit.

Ir. lib. 1. Aug. lib. 2. cont. duas ep. Pel. Pel. 7.

9 Catholici, quos inuenerint ſibi in rebus fidei aduerſantes, miti præditi ſpiritu, docent prius quam corrigunt: ac vniuerſalis Eccleſia iudicio eos repugnare oſtendunt. admonent, fœdum eſſe, pauculos aliter ſcripturas interpretari, quam eas Eccleſia Catholica hactenus interpretata. ex quo, dum ad pœnales correctiones deſcendunt, ſane ex charitatis dulcedine & teneritudine id faciunt: nempe ne errantibus ſuperſit libertas errandi, ac perdendi animas ſuas: neque eis adſit expedita poteſtas alios trahendi in hæreſes ac damnationis partē. nihil certe hac methodo ſuauius, moderatius nihil.

10. Proteſtantes autem, argumentis deſtituti credibilitatis fidei, ac authoritate Eccleſiæ Catholicæ, in orthodoxos ipſis haud conſentientes irruunt luporum inſtar, illos non docent, ſed e veſtigio immaniter trucidant, diſcerpunt. a nobis fugientes, ſeſe recipiunt ad tyrannos, ad rebellantium munita loca: plerumque ad rupes, ad maritima, aut paludes: & ex illis vniuerſum genus hoſtilitatis in nos exercent. omnis ipſorum *Minerua* nihilo mitior *Megara*.

11. Cum etiam apud nos in rebus ad fidem ſpectantibus diſcordiæ oriuntur, & infirmitate humana perurgente, excandeſcere quodammodo in rixas videntur, ad æſtum tamen comprimendum, ad furorem cohibendum, ſuſcipimus & admittimus vnanimi conſenſu Eccleſiæ ſupremum & irrefragabile iudicium. a quo prolata ſententia, excitatum tumorem illico compeſcit, conflatum incendium extinguit, animorum offenſiones altercationibus procuratas, Charitatis lenitate ad concordiæ temperiem reducit. hæc noſtra diſciplina optime inſtituta contra iraſcendi rabiem.

12. E contrario Proteſtantes, exortas Controuerſias immortales quaſi efficiunt: adeo vt inde eorum flammæ diſſentionum, æternas illas in inferno præludere & imitari videantur. Hoc ex eo venit, quod nullum tribunal viſibilis Eccleſiæ agnoſcunt, quod litem dirimat, aut controuerſiam componat. ex quo neceſſum fuerit, perpetuo eos ardere ferocia, crudelitate efferari eorum partes in quoluis ipſis contradicentes. En, quomodo crudæ huic iraſcendi pronitati materiam & fomentum continuo ſubijciunt ad iraſcendum ac debacchandum? quæ omnia magis conſtabunt, poſt quam iræ Proteſtanticæ facinora quædam notiſſima, tragœdias, & immanitates paucis recoluerimus. Enimuero dogmatis ingenium, quod amplectuntur, ſimul ac falſa illa Septentrionis mola, qua ab indole plerumque coagmentantur, in ſummam barbariei horriditatem eos faciunt exaſperari.

13. In Germania natali ſolo iſtius cruenti Antichriſti, quamprimum nitum Lutheranicum guſtaſſent recens facti Proteſtantes, quaſi nihil hominis retinerent præter appetitus acerbitatē, ſtatim ad arma, ad rebellandum conclamatum: adeo vt Ruſticorum cruore in ſeditione ſparſo, magna eius pars madauerit. quo enim impetu illi Ruſtici ab Eccleſiæ magiſterio defecerāt, eodem plane in legitimos Principes bellum commouerunt. *Zuinglius*, Sclopetarius verbi Præco, immanes motus miſeræ plebeculæ concitauit in Heluetia: in quorum tumultibus pugnauit miles, Hæreſiarcha perijt.

14. Quod ad Galliam ſpectat, infinitum eſſet, hic omnia ſingillatim recenſere, quæ Proteſtantes *Hugonotici*, adhuc infantes quaſi, perpetrarunt: quibus cum *Hercule*, vel in cunis, familiare, ſerpentibus colludere. De Admiralij Principis Condenſis inhumanis factis, hæc quidam, Proteſtantes compellans, ſcripſit. *Regnum hoc ante veſtram perduellionem, bonorum & commodorum omnium copia adfluebat, domeſtica, externaiſque militum copiis debellandum, diripiendum, euertendum tradidiſtis: eiuſdem munitiſſimas vrbes & portus aliquas, Galliæ hoſtibus, pacto, acceptoque precio vendidiſtis: percuſſores & veneficas, qui Regem, qui Reginam Matrem, Regiasque liberos, & potentiſſimos quoſque Proceres luce priuarent, vndique conquiſiuiſtis.* imo vti tulit ipſis peculiaris Genius, eorum rabies neque bonis literis pepercit. *Bibliotheca, quæ in noſtra Gallia inſtructiſſima atque antiquiſſima fuere, paſſim arſerunt.* Quid porro in loca munita inuadentes, in Eccleſias ac Religioſorum ſepta irrumpentes, crudelitatis egerint, idem Auctor perſequitur. *Mecaaſis, in Comitatu venetica, Catholici arce exuti, e faſtigio rupis acti præcipites. Carnifices violato templo, arcem incenderunt, vt in illo iuuentus, quæ eo confugerat, arderet.*

Aucto furo Gall. Genebrar in Cle. 7. Sleidan. lib 6. Bellarm. in. 1. Concion. 11. De mor. Hæret.

arderet. Ad ſanctum Michael in Vaſconia, ab hereticis Catholici viui aggeſta humo obruti, Pueri medii ferro ſecati, Sacerdotum viſcera intorta, ſenſim exalta. Monacho penē amputarunt, coctumque deuorare coegerunt: tandemque vt quid de cibo actum eſſet viderent, miſerum per medium ſecarunt. Mulieribus grauidis vteris ferro caſis infantes ad ſaxa acti, ante mortem habuere quam vitam. Conſtat ſupra quinquaginta mille Sacerdotes, omnis generis vtroq; tumultu, & lentis & crudelibus ſuppliciis eſſe peremptos: quibusdam eorum pelle detracta, qui, octauo deinde, aut nona die, quaſi ad inſaniam redacti, ſpiritum exhalabant. Multis caput amputatum, alii militari ſupplicio minoribus tormentis expoſiti, aut aenearum machinarum ori alligati, emiſſo igne in fruſta diſtracti. Plurimi vnco ſummo gutturi affixo, dolore & inedia confecti. non pauci in templorum crucibus ſuſpenſi. plurimi ſulphureo puluere inſtructi, lardoque peruncti, miſſoigne arſerunt. alii candentibus verubus viui per poſteriores partes infixi. alii clauis ferreis in abraſam capitis partem adactis, extincti. nonnulli exenterati, quorum viſcera frumento reſperſa, in alimentum porcorum ceſſerunt: En panopliam furiati Proteſtātiſmi, qno, vt ſcribit *Richeomius*, Eccleſiaſticorum
Richeom. rum virorum quadraginta & duo millia confecti! Quis humani generis hoſtis tunc temporis ad exercendum crudelitatem, *Neronem* expectaſſet; adeoque impetu belli non cōparente?

15. Flandria pariter & Hollandia iſtis lanienis a Guſijs Proteſtantibus miſere fœdatæ. inde *Gulielmus Eſtius* luculentam contexuit hiſtoriam
Eſtius, hiſt. quorundam ex ordine *S. Franciſci* Gorchomij,
Mart. Gor. laqueis ab illis necatorum. qui etiam ſub veſperam ſuſpenſi ad trabes, nihilominus tota nocte, ad militum ludibrium, ſpirabant.

16 In Anglia vero huiuſmodi Proteſtantici furores, occāi ſui fluctibus ſane iniquiores, vti ſpectabiliores, ita diuturniores extitere. quo tēpore eo loci regnabat *Henricus* octauus, duo peſſimi errores oriebantur. prior, Regem ſupremum Eccleſiæ caput aſſerebat, alter Monachos ſuis clauſtris ac poſſeſſionibus exuendos contendebat. verum prius quam eſſet de illis ab orthodoxis diſceptatū, contra Eccleſiæ totius auctoritatem, Regis ira ſui primatus inficiatores neci ſtatim addixit, monachos exturbandos vndique curauit. vbi apparuit docta rei inquiſitio, aut placida veritatis declaratio? furioſis ac libidinoſis vt video nil pteter arma ſuperſunt. quid precor, demeriti, innocentes & imbelles *Carthuſiani* habuere, a quibus ſupplicium plane Scythicum ſumeretur: quibus parum ſtrāgulatis viſcera eruerentur: adeo vt ferūt, quemdam ex eis ferro exenteratum, dum carnifex manu eius cor direptum vænebatur, dixiſſe, *Bone Ieſu, Bone Ieſu, quid tandē facies cum corde meo*!

16 Subinde imperante *Elizabetha*, plures
Auct. Angli. Hiſt. Carth. quam centum ac viginti Sacerdotes eodem ritu, quo *Carthuſiani*, confecti fuere. & quamobrem? ob id ſolum, quod illi miſſione freta a Romano Pontifice, eius auctoritate muniti, ad fidem catholicam prædicandum, in Angliam ſuam venerint. quid? num fides catholica vbique ante *Lutherum* nō credidit nō definiuit hac facultate præditum Romanū Epiſcopum, tot fidelium, tot Epiſcoporum, ac Principum profeſſionibus modo aſſerta ac celebrata? o furoris dedecus, noſtræ Patriæ ab illa fœmina ac ſuis iniuſtum! Quibus nephandum parricidium acceſſit, quo Sereniſſimæ Reginæ Scotiæ, *Iacobi* Regis Matri, coniuratis Genuum, ceruices publici carnificis manu iuſſit reſcindi.

17 Certe inter exempla plane dementis immanitatis, ab hæreſi prodeuntis, nullum expreſſius vnquam conſtetiſſe arbitror, quam quod in Anglia hactenus apparuit. Dubio procul ſi modo pænas, quas ibi leges Sacerdotibus ac catholicæ fidei profeſſoribus decernunt, quiſpiam ſecum animo reputet: vt pote quod Sacerdotes eo miſſi a Pontifice Romano, ſint publice manu carnificis iugulandi, ſemiuiui poſtea in partes lacerandi, Eccleſiaſtica ſepultura priuandi, hæredibus dirempta bona eorum, regio fiſco addicenda: quod in vniuerſum Catholici tribus partibus fortunarū ſpoliandi, quod capite plectendi veluti perduelles, ſi ſacerdotibus opem tulerint, ſi ab eis Eccleſiæ Chriſti reconciliati fuerint: is dicet omnino, eiuſmodi cruciatus ac damna incuti non debuiſſe, niſi delictorum atrocitates & enormitates id demererentur. at precor te lectorem, vbi talis atrocitas vel enormitas, vbi proportio inter noxam & pænam videntur?

——— *o nullo ſcelus* Senec Thy.
Credibile in æuo, quodque poſteritas neget!
Erepta viuis exta pectoribus tremunt,
Spirantque venæ, cor adhuc pauidum ſalit.

18 Porro ex vna parte grauitatem pænæ Sacerdotibus & Catholicis decretæ expendens, ex altera vndequaque circumſpicere coger, ſi qua tandem inueſtigem in nobis ſcelera, quæ tam cruda nocumenta a iudice infligenda exigere poterint, ac eis merito occurrant. Dicunt duo a nobis committi flagitia, eorum iudicijs perquam horrenda. vnum, quo contra leges patriæ Sacerdotes in Regnū Angliæ intramus: aliud, plurimos ex populo, nobis vtpote paſtoribus, adhærere facimus, nec cū Proteſtantibus in ſacris amplius velle communicare. ſunt ne hæc vſque adeo deteſtanda crimina, quæ illas pænas iuſte demereantur? Pro nobis reſpondeant Hiſpania, Gallia, Italia, maior pars Europæ: ipſa Anglia per mille annos florens ante tempora *Henrici* octaui: adeoque orbis terrarum, & pro nobis ſententiam ferent. hæc ſcilicet non eſſe adeo enormia & abbominanda facinora. hæc autem duobus modis eleuamus, expungimus. primo, quod cauſamur, nos in Angliam ingredi, iniuſſu licet Parlamenti, iure tamen diuino & Eccleſiaſtico, quibus commiſſa poteſtas perſonis eccleſiaſticis, a ſuis ſuperioribus miſſis, proficiſcē in omnes mundi partes ad prædicādum Euangelium, fidem Catholicam, & ad miniſtranda Sacramenta. Deinde merus ingreſſus non poteſt eſſe tam atrox facinus, aut omnino dignus eis pænis, niſi ſimus conuincendi, quod in ipſo regno, quando inibi ſumus, quod ad doctrinam & mores, deteſtabilia delicta committamus, ob quæ, ſupra nominatis pænis, ex norma iuſtitiæ coercendi. cæterum quæ amabo te, eiuſmodi ſunt penes nos deteſtabilia & innaturalia facinora?

lēt in hoc articulo mortis a ſe ſuſtinendas, huiuſmodi queſtionibus eum a diuinorum contemplatione importunius auocare. Nihilominus, ac ſi penes illam gentem nullus eſſet fidei articulus æternæ ſalutis neceſſarius, pręter illius profeſſionem, quo crederetur, Reginam caput fuiſſe Eccleſiæ, exclamabant adhuc magnis vocibus: *Quid putas, quid putas, de Regina noſtra primatu?* Senex iſtorum ſtridoribus multum moleſtatus, latinis verbis Deum inuocauit: *Deus bone, bone Deus, quot corui circa vnum cadauer!* Paulo autem poſt dira carnificina diſcerptus obijt.

21. In cuius martyrij claritudinem a noſtri temporis hiſtoriagraphis conteſtatam, reum hic orbi ſiſto *Camdenum*, rerum Britannicarum ſcriptorem. ille ſine omni teſte ſui pronunciati, ſine vllo argumento probabilitatis, abſque fronte plane hiſtoriographi, literis commentatus, hunc ipſum præter perduellionem in *Elizabetham*, veneficium iuxta paraſſe ad tollendum e medio Reginam Scotiæ, ac eius Filium *Iacobum* Regem defunctum. Enimuero obſtupeſco, dum recolo tantum hominis in ſcribendo impudentiam. huius facinoris nulla facta mentio in tribunali: publicus rumor nihil tale vnquam euulgarat. nullius literæ id memoriæ hominum commendarunt. Et quorſum amabo te, in hoſce Principes, qui Catholici erant, ipſi fauorabiles fortaſſis fuerint, vel tales eſſe potuerint, parricidium meditaretur? verum, adulandi nimia libido, ac quo in *Diua* tuæ laudes effuſior videare, a Britannicis lineis ad bruta mendacia te infeliciter abduxere. at pergo. *Camden. Elizab.*

22. Statim ac in Scotiam ex Anglia Proteſtantiſmus irrupiſſet, illico ſubditi eo veluti furiati, in ſuam Reginam optimam licet & caſtiſſimam, infamiam, arma, ac necem intentabant. quid docte de rebus fidei controuerſis diſputarint, quas ſolidas rationes ad perſuadendum attulerint, nunquam audire potui. verum ſcio, Eccleſias ab ipſis paſſim a fundamentis dirutas, bellum vbique excitatum, Reginæ mortem deſignatam, captiuitatem eius procuratam, Secretarium præ oculis ipſius prægnantis fiſtula diſploſa occiſum: prolem, nempe Regem *Iacobum* defunctum, mucronibus ipſorum in materno viero addictum, expoſitum. Qui quidē hoſtes fidei animaduertētes, martyrum ſanguine augeri potius quam diminui Eccleſiam, paupertatem decretis legibus orthodoxis incuſſere. quod genus perſequutionis vel ipſam internecionem, quantum ad pænæ grauitatem, ſuperare, iudicauit *S. Ambroſius. Grauis laqueus proſcriptionis; qui ſæpe frangit eos inopiæ deformitate, quos mortis formido non fregerit.* *Ambr. ſerm 14. in Pſalm 118.*

23 Neque id ſane minimum indicium furoris in Proteſtantibus, quod in genere perſequendi Catholicos vſurpant, ſcilicet dum eorum bona ſæpius diripiunt. hoc enim facientes alicui Patri Familias Catbolico, eodem cum illi, tum vxori ac liberis honorem & quaſi vitam paulatim conſumunt. ſi damnum pertineret ſolum ad patremfamilias, tollerabilius; ſed ante oculos ipſius vxorem & liberos loco & honore debitis deſtitui, morte illata malum deterius merito æſtimari poterit. in hoc genere cum qualitate ciuilis mortis, diuturnitas pænæ reperitur: qua non ſolum bonorum fit amiſſio, ſed multis inſuper gemitibus ac lacrymis plerumque ærumna vitam funeſtat, ac eam manentem morte acerbiorem reddit.

Viuimus, vt nunquam ſenſu careamus amaro,
Et grauior longa fit mea pœna mora.
Sic inconſumptum Tityi ſemperque renaſcens
Non perit, vt poſſet ſæpe perire iecur. *Ouid. lib. 1. De Pont. Eleg. 2.*

Sunt itaque in hac rerum vniuerſate tres ordines hominum plus iuſto cholerici: Fabri nempe ferrarij, coqui, & hæretici. illi quidem ob elementum ignis valde familiare: hi ob ſuperbiam ab eis profeſſam. quæ quidem intemperies, vbi vires ipſis deſunt, aliunde etiam nobis innoteſcit: ſcilicet ex genere ſtili ab ipſis vſurpato. egerunt enim in nos mendacia, calumnias, minas: & vltra has flammas nihil produnt, ſoliditatis. Sit nobis Deus liberator de inimicis noſtris iracundis. iam eſt, quod agamus de animi tranquillitate ac conſtantia quippe partes in homine iraſcibilis muneris. *Pſalm. 17.*

24. Eccleſiæ Catholicæ auctoritas ſi ex aduerſo priuatis noſtris opinionibus occurrerit, ſiue ad errandum propenſi, ſiue ad ambiendum incenſi fuerimus, intempeſtiuos tamen animi motus in nobis compeſcit, ac iubet nos eſſe quietos, firmos in profeſſione veritatis Catholicæ. Malumus proinde potius in Eccleſia correctos, pauperes & humiles degere, quam extra illam magiſtri haberi, multiſue bonis abundare. hæc propria eſt noſtra virilitas, hæc columna, cui innitimur, in noſtris ædibus duntaxat inuenitur. proinde vt ait *S. Ciprianus*, tempeſtas aduerſitatis non pellit ex Eccleſia radicata robora, ſed leues tantummodo paleas: homines ſcilicet animi impotentia eneruatos. *Cypria. ep. 1*

25. Cœterum comperiemus in vniuerſum hæreticos, auctoritatis in Eccleſia negligentes, non niſi ex animi imbecillitate ſeu partis iraſcibilis in eis intemperie a noſtris defeciſſe, ac prauis opinionibus, tanquam validis procellis ſuccubuiſſe. *Impatientia* ait *S. Cyprianus, in Eccleſia hæreticos facit: & ad Iudæorum ſimilitudinem, contra Chriſti pacem & charitatem rebelles, ad hoſtilia ac furioſa odia conuertit. Ad hæreſes atque ſciſmata proſilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis inuidetur.* De *Theubate*, vno ex primis hæreſiarchis, hæc *Euſebius. Eccleſiam ante virginem deprauauit, eo quod in Epiſcopatus petitione repulſam tuliſſet.* de alijs hæc *Tertullianus*: *Vbi tunc Marcion Ponticus nauclerus, Stoæ ſtudioſus? vbi tunc Valentinus Platonica Sectator? nam conſtat illos neque adeo olim fuiſſe, Antonini fere Principatu, & in Catholicam primo doctrinam crediſſe apud Eccleſiam Romanenſem ſub Epiſcopatu Eleutherii bene dicti, donec ob inquietā ſemper curioſitatē, qua fratres quoq; vitiabāt, ſemel & iterū eiecti.* quē quidē *Marciō*, teſte *Epiphanio*, eiectus ex Eccleſia, ob ſtuprū *Cypria. De Bono patiēt. de vnit. Ec.* *Euſeb. lib. 5. Hiſt. cap. 15.* *Tertull. in Præſcrip.* *Epiphan. hær. 4.*

 virgini

ac morienti,conformes fieri,beneficij loco, & quaſi placentam a Dei Filio de ſua quadra ad nos delatam babemus in hac vita diris ac duris exagitari.columbina cum illo ex inſtituto relligionis compaſſio, facile nos compellit, vt velimus eius ſocij eſſe in malorum tollerantia: vt eius colore ſanguineo, & violaceo libenter patientes imbuamur. lætamur proinde, ex hoc videntes, in nobis, nempe in animis & corporibus noſtris,delineatam veram imaginem Filij Dei. ſcimus conducibilius, ire ad domum triſti-

Cant Vlt.

tiæ huius, nempe ad Eccleſiam Chriſti, officinam ac montem mirrhæ, quam ad palatium voluptatis,ad putredinis lacunam. Nihil nobis intolorabile poſtquam hoc luctu indurati fuerimus,nihil in contraria iucunditate expetibile exiſtimabimus,cum ſemel Chriſto patienti cõpati, eique morienti commori,inter omnia humanæ vitæ officia, ſuprema, potiſſima, melleaque eſſe didicerimus. Manus Dei noſtra ſiue proſpera ſiue aduerſa diſponens, manus eſt,cui ineſt conſilium nempe manus ſumma, æquiſſimaque ratione in cũctis ſuis effectibus directa.

Prouerb. 31

Operata eſt conſilio manuum ſuarum. Proſpectat enim perpetuo in noſtrum bonum: quam dum ſiniſtre moerentes interpretamur,veluti rectam in aqua virgam deprauato viſu incuruamus.

Hil. in. pſal. 118.

Certe hæc omnia, ait *S. Hilarius*, *ad documentum fidei, & ad præmium glorioſæ patientiæ profecerunt. Infirmitas noſtra efficit, vt malum eſſe id quod patimur, exiſtimemus.*

28. Cæterum Proteſtantes neque hinc confirmantur in curſu virtutis,dum aſpera patiuntur.dicunt enim,Chriſtum in cruce morientem non eſſe noſtris oculis expoſitum, vt pænam a nobis ipſis expetamus, ſed omnino vt exultemus,cogitantes, eius iuſtitiam eſſe noſtram: ipſum affatim pænarum ac dolorum in ſe admiſiſſe, quo nos de reliquo a triſtibus immunes deliciaremur. porro ipſo effectu quid patentius quam quod proteſtantes hoc genus condolentiæ prorſus negligant? Verum an aliunde fortes qui minus patientes, nunc explorandum.

29. Quod ad hanc partem fortitudinis ſpectat,recolendum diſcrimen inter fortitudinem, quæ recto iudicio dirigitur,ac impetum ad eius ſimilitudinem, animi paſſione vigente, erumpentem. Sicut enim in ebrijs, ob vim ſpirituum calidorum, cerebrum impetentium, cernitur quædam ſpecies hilaritatis & amicabilitatis,quæ ſedato illo æſtu euaneſcit, ita pleriſque ineſt audacia cum contemptu cuiuſcumque periculi,adeoque mortis ipſius, ex mera in illis rationis debilitate & appetitus ſenſitiui acriori concitatione. ad illam autem veram expreſſamque fortitudinem plurimum faciunt prudentia, iuxta ac ſenſualitatis mortificatio,

Heb. 11.

vt alias diſputatum. hoc ritu fortis *Moyſis*, in ſuo populo recuſans principatum. Fortis pari-

Gal 2
Greg. lib 35. Mor. cap 13.
Præf. in Iob cap. 3.

ter *S. Paulus*, dum ſuæ virtuti diffiſus, Hieroſolymam iuit, quo cum *S. Petro* de myſterijs fidei conferret: quod *S. Gregorius* animaduertit.

30. Proteſtantium autem ſtudia ac conſilia, aliena prorſus a prudentia & mortificationis diſciplina, vti ſupra oſtendimus. proinde non alibi videntur animoſi,niſi vbi in imbelles,procul omni diſcrimine,reperiuntur immanes. li in illis paſſio non fuerit commotior, ac ex furore turbulentior, iacebit prorſus in ipſis omnis vis nobilis aut magni aſſultus. Dicant mihi, quænam ſunt illa efferа regna ab ipſis inita, ad propagandum Chriſti fidem? vbi apud eos vigent Conſilia, ſeu opera ſupererogationum, aut heroicorum conatuum,nempe voluntariæ paupertatis, receſſus, caſtitatis, obedientiæ ac reliquorum propoſitorum, quæ ſua fortitudine carni & ſanguini vehementius obluctantur? hic frigent, hic fugiunt,hic diſſoluti contabeſcunt.interim ad mendacia,ad opprobria, ad ſtyli immodeſtiam,omnemque linguæ conſtuprationem quam animoſe calent?

31. Bella a Catholicis geſta ſatis indicant, quam ſingulari robore ſint præditi,ac a fortitudine commendandi. neque ſolum bellis defenſiuis ſua tutari, quinimo ad externa loca progreſſi,ea quantumuis munita,ſuis imperijs ſubiecere.hoc ritu Hiſpani & Luſitani ſuperiori ſæculo Indiam tam orientalem quam occidentalem armis occuparunt, Aphricæ partem debellarunt.eodem *Carolus Quintus* rebellantem Germaniam compeſcuit: quod & nuper præſtitit ad miraculum vſque noſter inclitus Imperator *Fredericus*, Auſtriacos, Bohemos, Hungaros, Palatinos ad obedientiam a defectionibus armis reducendo.Sereniſſimi duces *Albanus*, *Ioannes Auſtriacus*, & *Parmenſis* Flandriam, Brabantiam,Hannoniam, ſceptro Hiſpanico renitentes victorioſis belli ſucceſſibus, ad famæ & honoris duraturas immenſitates, glorioſiſſime recuperarunt.

32. Interim vero Proteſtantes nulla alia fortitudinis ſpecie illuſtres, præter illam, quæ vtcumque defenſiua, quæ angulis incluſa, quæ plane Bacchica & immanis. Enimuero loca ſuis ingenijs, qua aquarum alluuionibus, qua paludibus ſepta, diutius tenere, eximiæ alicuius fortitudinis ſpecimen exhibere non poterit. quo in genere Hollandi & Zelandi perduelles, in Regem Hiſpaniarum iam multis annis armati, ad exiſtimationem virorũ fortiũ adſpirare nõ valuerint: illis enim aquæ fauorabiles & limus;in quæ Elementa pugnare vix potentiſſimus auderet. quibus adiungenda ſoli ipſorum qualitas, nempe pinguis & facili opere in ceſpites,in moles, in aggeres foſſiles. in quibus accumulandis gens illa, baiulorum more, induſtria. ob quam cauſam *Henricus Quartus* Galliarum Rex,incidẽte ſermone de comite *Mauricio*, dicere ſolebat, eũ *Talpam eſſe nõ militẽ*. Enimuero nunquã fama ad meas aures adhuc detulit nomẽ vllius Hollandi aut Zelandi,ex rebus in acie fortiter geſtis celebre aut clarum. peculiarem porro, ex iræ rabie, vindictæ modum experunt, qui plane barbarus, & non niſi impotentis animi indicium: ripas enim adgeſtas ad depulſandum maris æſtum a continente, ſæpius aperuere: quo in latos campos infeſta vnda, irremediabili poſteritatis malo incurreret, & ad æternam ſterilitatem optimas terras ſalſugo excedens damnaret. O Gothi, o Vandali, vos iſtis multo mitiores,quibus vel præliantibus poſte-

ritatis ſaltem cura adfuit! Profecto ſi Rex Catholicus hanc ignobilem viam nocendi tentare voluiſſet, a multis iam annis in Hollandos & Zelandos immiſſi *Deucaliones* eos obruiſſent: nec illis ſuperfuiſſet vllus *Prometheus*, qui rediuiuos excitaſſet, qui illorum *Bromium* aut piraticam auræ noſtri ſæculi reſtituiſſet. Quod vero ad nos

Aug. lib. 2. de Mor. Eccl. cap. vnum de vnic Baptis cap. 2. 16.

attinet, libenter aures præbemus *S. Auguſtino. Non ſane parua res eſt parumque glorioſa conſolatio cuiuſcumque noſtrum, ſi ab inimicis Eccleſiæ cum ipſa Eccleſia criminemur.* Cæterum an illi, qui, vt videmus quod ad illius vitæ negocia tracti, ſint quod ad diuina etiam tales, vel præſumptuoſi, in ſequentibus profligabitur.

CAPVT XV.

Spei, quæ in Diuinam Bonitatem tendit, quaque Hominis voluntatem, ex ſententia Theologorum, vt iraſcibilem adficit. eamdem apprime ad mores præſtantiſſimos inſtituit. Contra, ſpes a Proteſtantibus profeſſa, eam temerariam, præſumptuoſam, aut pigreſcentem exhibet.

SPei Chriſtianæ obiectum cauſamque motiuam in ipſa Dei erga nos bonitate ad donandum nobis beatitudinem, iuxta ac ſuā gratiam, laudabiliſque actionis robur infundendum affluentiſſima, orthodoxi demiramur & agnoſcimus. Cuius inſpectu, in omni neceſſitate & periculis cunctis iſtius vitæ, vtpote maris æſtuoſi, ſupra quam dici poterit, corroboramur ac conſolamur. Non enim hæc ſpes in vnum tantummodo præmium beatitudinis, illud animoſe expectando, ſe erigit, quinimo pariter ad media, quibus, vtpote a Deo conſti-

S. Thom. 2. 2. q. 17. art. 4.

tuta, comparatur, ſuo nixu ſe extendit, vt ait *Sanctus Doctor*: quod nempe in eis etiam diuina ergo nos bonitas, Spei Cynoſura, eluceat. Quomodo cumque vero ſuam vim exerat ſpes, ſiue in finem, ſiue in media, perpetuo, vt admonu-

Hebr. 6. Aug. lib. cōt. ſtoic. & epicur. cap. 7. de pecc. Merit. cap. 6. lib. 2.

it Apoſtolus, *Ad interiora velaminis* penetrat: ſcilicet expectat vel ipſum præmium per ſe, quod in velaminis interiori penetrali collocatur, vel media conducentia ad illud præmium, huiuſmodi velamine myſterij a noſtra cognitione ſecretum. Et quod attinet ad Dei bonitatem, tametſi ea natura ſua ſit ad nobis gratificandum effuſiſſima, nihilominus ſuppoſito lapſu generis noſtri, eadem modo ſuauior, amantiorque erga nos efficitur Chriſti domini Perſona me-

Math. 10.

ritis & inſtitutis: quæ tanquam quidam ignes non ſolum in terram dimiſſi, ſed etiam ad Deum Patrem elati, illud ipſum bonitatis immenſum in imbres adeoque torrentes beneficiorū, copioſius quam prius ſoluerunt. Cœterū quicquid factum in hoc genere quod ad Dei bonitatem a Chriſti perſona ac meritis, illud etiam refundendum in hanc ipſam bonitatem, Chriſtum, meritaque illius nobis gratis donantem: adeo vt in nouo teſtamento maior bonitatis iſtius in nos teneritudo, defluxus denſior, in eamdem bonitatem, ſeipſam temperantem, effundentemque ſe copioſius, fuerint reſoluenda. Neque hoc ita intelligendum, quaſi Dei bonitati realem aliquam hinc varietatem acceſſiſſe opinemur, ſed ſolum, quod ratione habita doni & effectus potioris in nos collocari, de ipſius bonitatis gradu, dulcedine & copia diuerſimode iam philoſophemur. In hanc itaque bonitatem delata noſtra ſpei, tranſcendit naturæ opera, quibus ethnici olim ſuam expectationem definiebant: Imo vt ait *S. Auguſtinus*, excedit montes ipſorum Sanctorum: quippe qui nequaquam *Ipſi montes ſunt, in quibus ſpes noſtra ponenda eſt.* Speramus itaque æternam gloriam: ſperamus itidem Dei gratiam, qua nobis fortes dulceſque vires accreſcant ad perficienda illa omnia munera, quæ ipſe Deus eiuſmodi fini acquirendo inſtituit, ac a nobis abſoluenda decreuit.

Aug. Tra. in Ioan.

2. Eſt itaque diuina Bonitas veluti fons in medio paradiſi, diuerſimode quod ad effectus ſupernæ gratiæ nobis applicabilis: ſcilicet nobis in hunc finem applicatur per verbum Dei, per Sacramenta, per bona exempla, per Sanctorum tam viuentium in terris, quam regnantium in cœlis, ſuffragia. ob hanc cauſam *S. Petrus* motus in nobis fidei & Spei, refert in Deū: *Vt Fides veſtra & ſpes eſſet in Deo.* Prima quæ in Deo veritas, nobis credentibus applicatur per verbum Dei, per traditionem Eccleſiæ, per miracula, per rationes motiuas ad credendum. ad quæ dum nos recipimus, ad primam veritatem eodem accedimus: nec huic quicquam detrahimus. ſimiliter accedentes in hoc officio dum ſperamus, ad ea, quæ nobis applicāt Dei bonitatem, vtpote ad Sanctos, & alia, eodem accedimus ad Dei bonitatē. idque abſq; vlla in eā iniuria. cæterum quantum ad hæc media, comparata ad applicandum nobis Dei bonitatem, ſpecialis quædam ratio ineſt eidem Dei Bonitati. applicat, vt videmus, noſtris vſibus tubus fontis liquorem; ſed quod ſit tubus, quodque ad nos aquam deriuet ex fonte, id non habet a fonte, ſed a ſe, aut aliunde. Verum quod verbum Dei, quod Sacramenta, quod bona exempla, quod Sanctorum ſuffragia ad nos deducant Dei gratiam, aut ad id vim aliquam ſortiantur, id totum accipiunt a Dei in nos bonitate. ſi ergo ſpes noſtra deferatur in verbum Dei, in Sacramenta, ſi in bona exempla, ſi in Sanctorum ſuffragia, eius reſolutio deſinit in bonitatem Dei, per quam, virtutem hæc retinent ad applicandum nobis per effectus gratiæ illam Dei bonitatem. non ergo hæc diſtrahenda a Dei bonitate, ſed cum illa coniuncta debent a nobis cogitari, vt ſpes noſtra ſit in Deo. Dei idcirco bonitas non ſolum veluti cor eſt quoddam ardens ad nobis benefaciendum, verum etiam manus, cuius in homine vis a corde extenta ad donandum: perinde ac ſi ex corde talis manus exiret. ſi aliquid nobis præbeat gratiam, id prouenit a Dei bonitate: ſi gratiam oblatam ſuſcipiamus: illud ipſum effectus diuinæ in nos Bonitatis. videte quam largiflua, quam ſui communicatiua hæc dei dulciſſima & affluentiſſima bonitas! ſtultum itaque quorumdam iudicium, dicentium, ſeſe recipientes ad Sanctos eos oratū, nō conferre ſe ad deum, adeoq; repugnare

Gen. 2.

1. Pet. 1.

Thren. 3. Rom. 8.

vertis

Math. 11. verbis Chriſti : *Venite ad me.* quaſi vero S. Paulus accedens ad Theſſalonicenſes & alios, qui pro eo Deum orarent, non ſe contulit ad Deum? contulit profectò. pariter nos accedentes ad Sanctos noſtris precibus, eodem accedimus ad Deum; nobis nempe per Sanctorum preces applicabilem.

3. Ex iſtis elucet diſcrepantia inter ſpem diuinam & humanam ad bona honoris, poteſtatis, ſuauitatis & diuitiarum extenſam. etenim hanc Philoſophi reputarunt initium & fomentum omnis inquietudinis & moleſtiæ in vita humana. quod quidem duplici ex cauſa deſcendit. primo ex eo, quod hæc ſpes cum ſit obuallata difficultatibus, timoribusque obiecta, tum inde ſperantis animum diuexet, & anxietate quadam perplexum tenet. Deinde quod multa incidant ſpei huiuſmodi votis contraria, eique optata ſæpius eripiant, eo neceſſe eſt, ſperantem adfligi. Enimuero concupitis deſtitui, eaque alijs cedere in peculium, duplex cauſa amaritudinis. Sen. ep. 101. ad lucil. *O quanta dementia* ait *Seneca*, *ſpes longa incohantium! Omnia mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt. Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere. id quoque quod tenetur, per manus exit: & ipſam quam premimus oram, caſus incidit.* Qualia autem vincula nectat ſpes humana, quibus nos a libertate detineat, ſuo cantu *Boetius* iſtis expreſſit:

Boet. lib. 1. de conſol. Met. 4.
At quiſquis trepidus pauet vel optat,
Quod non ſit ſtabilis, ſuique iuris,
Abiecit clipeum, locoque motus
Nectit, qua valeat trahi catbena.

Cæterum ſpes in Deum elata, hominem veluti dulci & ſecuro ſomno oppreſſum, in ſinu Dei placidiſſima quiete reponit. Cui ſi mortis aliquis aculeus adhæreat, is non propagatur ab eius obiecto Deo, ſed ab infirmitate voluntatis in homine; quæ in diuinos motus tarda, & ad cadendum in impuras voluptates lubrica. hinc timor, hinc trepidatio. *Iacta* inquit Pſalmiſta, *ſuper Dominum curam tuam & ipſe te enutriet.* Pſalm. 54. quaſi diceret, Non ſit tibi tua ſpes oneri, impedimento aut materiæ perturbationis: ſed quod deſideras, id a te veluti eiectum, iacta in Deum: & ipſe te quiete fruentem nutriet non aliter, quam mater infantem. Eandem ſententiam 1. Pet. 5. reddidit Apoſtolus Petrus. *Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſe cura eſt de vobis.* Spes humana continuo aliquod hac illacque colligit, & in pectus illud tanquam onus coacervat. ſpes autem diuina, iactat, proijcitque omnia in Deum, de reliquo ſui ſecura firmatur. Spes noſtra, dum in exempla reſpicimus iuſtitiæ diuinæ, vtpote in ea, quæ Angelis damnatis, in Iudæis reprobatis elucent, nos timentes reddit, videntes etiam & gaudentes: vbi extrema inuicem caſtigata, in mediocritatem coaleſcunt: Pſalm. 51. *Videbunt iuſti & timebunt, & videbunt ſuper eum.* nam vt ait *S. Hilarius*, *Impiæ & diffidentis de ſe conſcientiæ eſt, timere ſine gaudio. & in ſolentis natura eſt, ſine timore gaudere.* Hil. in pſ. 51. Nihilominus qui firma ſpe elatus in Deum, ac quantum ad ſeipſum ſui pectoris æſtus gratiæ diuinæ viribus, rationi ſubdiderit, is inter turbines iſtius vitæ non verſatur: ſed in ſublimi poſitus, ſupra omnes fortunæ caſus elatus.

Claud. pane Theod.
——— *vt altus Olympi*
Vertex, qui ſpacio ventos, hiemeſque relinquit,
Perpetuum nullo temeratus nube ſerenam.
Celſior exurgit pluuiis auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.
Sic patiens animus per tanta negotia liber
Emergit, ſimiliſque ſui, iuſtique tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia ſuadet.

4. Quamobrem ne ſpei motus cæcus penitus ſit in nobis, aut temerarius, præſumptuoſus, vel etiam aliquo ſenſu deſperationis perplexus, opus eſt, intueamur in ea, quæ ſperamus, vt omnes eorum pariter rationes, conditionesque, quæ fuerint, perſpectas habeamus: alioquin in tenebris ambulantes, vt præmonuit Saluator, non ſciemus quo ſperantes vadimus, aut vnde diſceſſimus. Leges itaque ſpei iſtis deſcribit *S. Auguſtinus*: *Spes eius in Deo ſit, vt nec illecebra capiatur, nec timore frangatur.* Hoc eſt, tunc ſpes ſuum finem proſpere adſequitur, quando voluntas humana neque voluptate delinita, neque timore perterrita, ſeu nullo impetu appetitus ſenſitiui concuſſa, contra præcepta naturæ, Dei aut ſuperiorum, delinquit: aut ſi deliquerit, pœnitentia in priſtinum iuſtitiæ ſtatum reſtituitur. Duobus itaque ſpes noſtra, vt firma ſit & certa, adſtringitur: Hebr. 6. nempe expectationi diuinæ gratiæ, ſiue per Sacramenta ad nos deriuandæ, ſiue aliunde inſpirandæ ſeu infundendæ: iuxta ac noſtræ cum eadem gratia cooperationi ad ſeruanda mandata: quorum obſeruantiam eis Deus neceſſariam inſtituit, qui ipſum in cælis viſuri, ſi modo ad adultam ætatem ſuperſtites peruenerint: Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Et quod mandata non ſeruantur niſi per fidem veram ac Catholicam: quorum mandatorum executiones ſunt vita & forma ipſius, quando a charitate procedunt: Rom. 5. 1. Tim. 1. 1. Ioan. 5. idcirco emolumentum ſpei & eius robur dependent a vera & Catholica fide, a qua extorres, & eo ab Eccleſia alieni, manent ſine vlla vera ſpe ſalutis omnino, qui in quacunque demum materia, principali, aut minus principali, reuelatis a Deo obſtinate renuunt fidem attribuere. exire enim ab eccleſia vi dogmatis, nihil eſt aliud, quam 1. Tim. 1. exterius doctrinam quamcunque contra illius regulã & imperium profiteri. proinde hæreticus eſſe non poteſt in eccleſia: & omnes, quod docet Apoſtolus, hæretici, etiam in minimis a Deo reuelatis, in vniuerſum pertinaciter errantes, paſſi ſunt naufragium fidei: quorum propterea ſpes falſa eſt, inanis & fictitia; cum neque fideles ſint, neque membra Eccleſiæ cenſeantur.

5. Ac licet a Deo expectemus gratiam, qua moueamur & adiuuemur ad bonos conſenſus proferendos, nihilominus illa gratia, quantumuis efficax, non eripit nobis libertatem arbitrij, qua ſimiles Deo conſtituimur. Bell. lib. 4. de Grat. & lib. Arb. cap. 5. & 15. hæc autem libertas continetur in eo Dominio, quo homines, ad ſimilitudinem Dei, ſuorum actuum Domini exiſtunt. hoc autem dominium ita in ſe actus ſuos ſibi ſubiectos complectitur, vti ſit in eiuſdem poteſtate ſitum, illos efferre aut non efferre, etiam ſuppoſitione facta, quod illa gratia, cui quis poſtea conſenſerit, iam acceſſerit:

 ſicut

Hieron in ca. 20. Hier. Etenim futuri alicuius veritas, vt aſſerit *S. Hieronymus*, non dependet a cognitione viſionis in Deo: haud enim futurum quia a Deo præuidetur, ſed potius contra, ideo præuidetur, quia futurum. pari modo obiectum cognitionis illius *Media*, habet in ſe propriam rationem intelligibilitatis, antequã accedat illa cognitio *Media*. Quocirca ſi gratia ſua natura non aduerſetur libertati arbitrij, neque futurus ſub condicione cõcenſus aduerſabitur, tametſi ordinetur a Deo ſine illa cognitione *Media*. ordinari enim poterit ſecundum veritatem obiectiuam ſub ea ratione, quam in ſe complectitur, independenter a cognitione *Media*.

8. Ex quo ſequi etiam videtur, ſine eadem cognitione *Media*, poſſe Deum peculiarem fauorem exhibere conſentienti & perſeueranti, quem non exhibet non conſentienti & non perſeueranti. Etenim ſola collatione gratiæ efficacis huic præſtitæ, & ſufficientis duntaxat alteri datæ, ille ab iſto, tametſi ambo æquales fuerint in maſſa perditionis, diſcernitur, licet cognitio *Media* vtriuſque collationem non præceſſiſſet. potuit ergo Deus abſque cognitione illa *Media* prædeſtinare hoc ipſum, quod modo effectu contigit, & eodem ex ſolo ſuo beneplacito & dono hunc ab illo diſtinguere: Rom. 1. 9. 10. 11. illi tribuens ex iudicio, huic vero ex fauore & ſpeciali miſericordia. Hoc autem Deum poſſe efficere, euidens, quandoquidem poſſibile, adeoque illud ipſum quod iam exiſtit. Nil ergo vetat quominus Deus concedendo alicui gratiam efficacem, etiam ſine illa *Cognitione Media*, decernat futurum in eodem conſenſum vi gratiæ quam largitur: quo pacto erga alterum, cui gratiam ſufficientem ſolum impertit, non ſe gerat. at de his hactenus.

9. Quando vero ait *Concilium Tridentinum*, homines Dei vocationi conſentire & *Cooperari*, Concil Tri. Seſſ. 6. ca. 4. vult eam Dei vocationem eſſe actum humani intellectus, qui iidem ſit Dei lumen in nobis: nam vocatio ſonora, vnde ducta metaphora ad vocationem ſpiritualem, obiectum eſt auditus: auditus autem cum ſit ſenſus perceptiuus, & diſciplinæ organum, intellectum repræſentat potius quam voluntatem. hæc autem proprie non dicitur audire, niſi in eo ſenſu, quo dicimus *Dictis audientem*, ſeu obedientem alteri, audire. obedit autem voluntas dupliciter intellectui: primo quidem ſui motu indeliberato & ſubitaneo, ad quem vitaliter & ſponte ſolummodo concurrit. Concil. Auros. 2. Secundo, motu deliberato, ſcilicet libere, intellectui aſſentiendo & *cooperando*. de quo genere auditus in voluntate, loquitur Scriptura: *In audita auris obediuit mihi*: Pſalm. 19. Heb. 10. nempe aure corporis & aure mentis percipiendo verbum meum, mihi obediuit voluntas, libere in munus fidei conſentiendo. Ac tametſi ille bonus motus indeliberatus & ſubitaneus in voluntate, ſit gratia Dei antecedens, & præueniens, cui voluntas poſtea conſentit libere, Dei gratiæ *cooperando*, nihilominus hic motus in voluntate non eſt illa gratia, de qua loquitur Concilium, quando dicit hominis voluntatem, *Dei vocationi cooperari*: nam quam primum incipiunt in homine conſenſus & cooperatio deliberata, deſinit in voluntate ille motus indeliberatus, vt liquet: ſimul enim non mouetur voluntas indeliberate & deliberate. proinde cum nihil poſſit cooperari alteri, quod non eſt, deliberatus conſenſus non cooperatur indeliberato. neque putandum, deliberatum conſenſum, quaſi in ſe duplicatum, cooperari ſibiipſi. quando ergo ait Concilium, voluntatem cooperari vocationi Dei, intelligit cooperari actui intellectus, ſeu diuino in eo lumini: quod etiam phyſice ſimul durat, cum eadem cooperatione voluntatis.

10. Recte idcirco hæc Dei vocatio appellatur lumen Dei, quod in nobis ſplendet, quod docet & allicit voluntatem ad conſentiendum: qualia lumina ſunt ante acceptam fidem, colluſtrationes Sanctæ, poſtea ipſa fides, & aliæ illuminationes, quæ a fide dependent. opera autem bona, præſtita a voluntate, eatenus ſunt lumina, quatenus a luminibus, veluti in cælo intellectus, illuminantur. De quibus luminibus, quibus *cooperamur*, loquitur Apoſtolus: *Gratias agentes Deo patri, qui dignos fecit in partem ſortis* Coloſſ. 1. *Sanctorum in lumine*. Cuius luminis vim videtur exprimere *S. Iob*, recolens præterita tempora, in quibus eximia beneficia gratiæ a Deo acceperat: *Quando* inquit *ſplendebat lucerna eius ſuper* Iob. 29. *caput meum*. Lucerna Dei ponitur ſuper capita noſtra, quia diuina eius lux ſupernaturalis eſt, neu per ſenſuum opera comparabilis. Deinde ſicut ſol in eis partibus maxime ſplendet, & vmbras fugat, in quibus ex alti propendiculo ſuos radios dimittit:

——*atque vmbras nuſquam flectente Siene*. Lucan. lib. 2

ita Dei illuminatio diuinitus deſcẽdẽs, ſuper noſtra capita collocata, vndiquaq́; ſplẽdet: in cuius luce omnes actionis circumſtantias hac illacque poſitas videamus, neque ex vlla parte ſit vmbra erroris, quæ nos in lapſus inducat.

11. De obiecto iſtius illuminationis in mente, loquitur Saluator: *Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Ioan. 8. En potentiam cognitæ veritatis, ſalus & liberatio hominis. Dicit homines liberandos non bonitate, ſed veritate. cuius rei hæc cauſa, quod bonitas amata neminem liberet, niſi prius in ea veritas perſpecta fuerit: proinde veritati, vtique priori & origini, adſcribit Saluator liberationem. Ex Imperatoribus Romanis aliqui cognominati liberatores, ſed armis & virtute bellica id nominis adepti. Chriſtus autem Dominus liberator ſua veritate, qua hominũ mentes imbuit. In quam ſententiã Doctiſſimus & Sanctiſſimus Cardinalis *Bellarminus* hæc retulit: *Qui purificante & il-* Bellar. lib. 1 De Gem. columb. c. 6 *luminante Domino incipit intelligere, nihil eſſe vere magnum, nihil vere ſuaue, nihil vere vtile hominibus niſi gratiam Dei in hac mortali vita, & futuram vitam æternam, liberabitur facile ab amore humano & ingreditur viam pacis, per quam ambulat ſecurus & gaudens, donec perueniat ad ciuitatẽ Hieruſalẽ cæleſtẽ.*

12 Quamobrem quod Spei obiecta materialia, eorumque condiciones, *Arduitatem* quamdam cum noſtris viribus comparata, in ſe habeant, idcirco Theologi illi ſedem aſſignant in humana voluntate quatenus *Iraſcibili*. Proinde *Clemens Alexandrinus* Spem vocat *Sanguinem fidei*,

ſeu

ſeu vim eius animoſam in pericula, aduerſaque tendentem. hinc ſpes cauta eſt & timorata, non ſecura prorſus aut iucunda. Quis non timeret ſe occaſionibus peccati hic ſæpius obij ci quem non percellit metus Gehennæ, ac ne propter delicta ſubtrahat Deus eam gratiæ copiam, quam alioquin daturus? Quis non horret ali-quando iudicium Dei, permittentis aliquos in-cidere in peccatum, mortale, a quo per pæni-tentiam nunquam ſunt ſe recepturi?

Prudent. in Pſych.
Cunctanti ſpes fida comes ſuccurrit, & offert
Vltorem gladium, laudiſque inſpirat amorem.

Cum *Marcion* Deum timendum negaſſet, ita il-
Tertull. li. 1. cont. Marci.
lum redarguit *Tertullianus: Stulte, quem Dominum appellas, negas timendum: cum hoc nomen poteſtatis ſit etiam timenda?*

13. Verum ne officium a nobis præſtandum difficilius appareret: neque timor tantus irrue-ret, quantus nos de penſo iſto cogitantes ni-mium conſternaret, prouidit eadem Dei boni-tas varia Media, auxilio pleniſſima, quibus no-ſtra ſpes cum affectu, tum etiam effectu, facili-taretur. Et quod ad fidem attinet, Eccleſiam ſuam nobis dedit in Normam credendi: eam-que tanta auctoritate illuſtrem ac notam fecit,
1. Tim. 1. Ephes. 5.
vtpote domum Dei, columnam & firmamen-tum veritatis, vti dicere eius cauſa poſſumus
Pſalm. 92
cum Pſalmiſta, Deum adloquuti: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* quod vero ad mo-res ſpectat, eiuſdem munere principes habe-mus iuxta ac prælatos, qui ſuis legibus, moni-tis, & exemplis, ad bene recteque viuendum plurimum nobis conferant momenti. Præci-pua autem noſtræ ſpei firmamenta, ſeptem ſunt Eccleſiæ Sacramenta, cum numero, tum effi-cacia ad cauſandum gratiam, noſtris vſibus ac-commodatiſſima: quod, comparatione habi-ta inter vitam naturalem, ciuilem, atque ſpiri-tualem; eleganter & docte oſtendit Cathechiſ-
Cathechis. Rom 2. part cap. de Sacram.
mus Romanus. *Cuius rei cognitio* inquit, *hanc v-tilitatem adfert, quod populus eo maiori pietate om-nes animi ſui vires ad laudandam & prædicandam Dei erga nos ſingularem beneficentiam conuertat, quo plura ſalutis, ac beatæ vitæ adiumenta nobis diuinitus parata eſſe intellexerit.* Succurrit etiam noſtris neceſſitatibus, vbi Sacramenta deſunt, idque copioſe, pluuia Dei voluntaria, nempe gratiæ auxilia, ad ſuperandas tentationes, ad implenda præcepta, ad bene agendum, ad peccatum re-pellendum vim conferentia: ita vt nulla inſtet tentatio tam grauis, aut tempus ſic vrget ad præceptum ſeruandum, quin ex Dei bonitate, quo crimen vincamus, nobis adſit gratia ſuffi-ciens ad debitum exequendum: quam ſi non reddiderimus efficacem, haud gratiæ defectu, ſed noſtra potius ſocordia & culpa id contige-rit. Religio porro ſpei vires incredibiles vbi-que ſuppeditat, qua Deum colentes & orantes, eius gratiam obtineamus. Quæ vt commodius ſui ſpeciem oſtentaret, curauit diuina proui-dentia, eximia loca illi paſſim conſtitui, pulcros, ritus in eis exerceri, homines a mundi rebus a-uocatos & diuinis conſecratos, eidem præfici, vt in tantæ virtutis ſtudium acrius tot ſignis in-duceremur. Quod etiam omnes Chriſtum Do-minum agnoſcentes, ſimus vnum corpus, ſeu v-nius corpis membra; inde emergit publica quædam panoplia ex Sanctorum communio-ne: quam ſic Cathechismus Romanus optime ſuo more explicauit. *Omnium Sacramentorum*
Catech Rom. in Explicat. ſymb.
fructus ad vniuerſos fideles pertinent. particeps ego ſum dicit Pſalmiſta *omnium timentium te.* in quẽ
Pſalm. 118.
ſenſum ita diſſeruit. *S. Ambroſius. Sicut membrũ par-*
Ambr in Pſalm. 118.
ticeps eſſe dicimus totius corporis, ſic coniunctum om-nibus timentibus Deum. In hac vero communio-ne Sanctorum, illud eximium, quod ex Sancto-rum in cælis pro nobis orationibus accreſcit. Magna ſane poſſunt apud Deum magni illi beatique ſpiritus pro nobis, principes & iudices mundi, peculiares Dei amici, & in nos vltra quam cogitare poſſumus beneuolentiſſimi. Quis ergo inter tot ſpei munimenta, animum deſpondebit, aut potius alacris non fuerit ad
Pſalm. 118.
currendum in via mandatorum Dei?

14. Hæc quæ ſpem catholicam circumſtant, ſi a nobis ad mores ciuiles ac ſacros referantur, apprime comparata ad eos efformandos vide-buntur. Imprimis timor, ſpei aſſecla, & veluti ſaburra in naui vortices maris ſulcante, eadem optimum ſanctæ vitæ ſuſtentaculum. Timor iſte, dum ſuperbiam animi expugnat, humilita-tem parit: proinde ſicut eſt timor ſanctorum
Pſalm. 18.
permanens in ſæculum ſæculi, ita pariter eſt humilitas ſanctorum permanens in ſæculum ſæ-culi; *Deus enim humilia reſpicit in cælo & in terra.* nihil enim in cælo tam altum, quod non reſpe-ctu Dei humilitate dimiſſum: nihil tam ſecu-tum, quod non Deo eã timore reuerentiali ſub-
Iſa. 8.
iectum: ſub quo nempe tremunt angeli, om-neſque cælorum poteſtates. Cur autem Deus noſtram ſpem veniæ, timore pænæ caſtigatam eſſe voluit, rationem aſſignat *S. Auguſtinus.* Cum
Auguſtin. in Pſalm. 101.
dixiſſet, ſine ſpe veniæ homines incurſuros in deſperationem, ſubiungit: *Rurſus ne de ſpe veniæ peius viuerent, fecit diem mortis incertum, providen-tiſsime vtrumque conſtituens, & reuertentes, quo re-cipiantur, & differentes vnde terreantur.* Neque re-pugnat timor iſte a ſpe definitus, fortitudini:
Ariſto. lib. 1 magnor. c. 8
quandoquidem, vt ait *Ariſtoteles, Mediocres ti-mores augent fortitudinem: ſi des aliquem adeo intre-pidum, vt nec Deos metuat, non fortis ille, ſed inſanus eſt.* Imo timoris expugnatio, præludium ad o-
Clem. Alex 3. Strom.
mnem licentioſam turpitudinem, vt ait *Clemens Alexandrinus. Si ergo omnia licent, nec vitandum eſ-ſet, ac a ſpe excideremus propter malas actiones, eſſet fortaſsis eis aliquis prætextus, cur male viuerent & miſerabiliter.* Timore itaque muniti ac circum-uallati, cautius acceptam iuſtitiam, etiam firmi-ter ſperantes, cuſtodimus, ad omnem peccandi occaſionem expaueſcentes. Idcirco pura debet eſſe illius vita a vitiis, qui pænas a Deo ob pec-catum infligendas ſecum diligentius medita-tur: ac conſequenter agente eodem timore, vel in ſecretis locis, & vbi immunitates eſſe ſo-lent, continuo flagrabunt odium peccati & eiuſdem ſedula euitatio. Ab huiuſmodi timore in anima redundant in corpus quoque mores decentes & compoſiti. Nam quem admodum nimio exultantes & audaces ſpiritus corpora ſolent in petulantes geſtus compellere, ita e contrario timor eiuſmodi ſpiritus compeſcens, corporis motus omnes ad moderationem com-

ponet & certa diſciplina ſeuerius coërcebit.

15. Conuenit etiam moribus noſtris, beatitudinis expectationi auctoritatem vnius eiuſdemque Eccleſiæ, quod ad fidem capeſcendam, duratum præbere, ne incertis greſſibus phanatice in eius negocijs, quaſi inter aduerſos ventos, progrederemur; ſimulque vt cum alijs concordantes ſententias in rebus diuinis retineamus. hoc pacto tanquã Filij nondum manu miſſi, in domo paterna plurimis curis liberamur, haud alionde quam ab Eccleſia, credendi regula, ante oculos poſita: quo ſubinde noſtra ſpes fidentius ac tranquillius optimis aliarum virtutum ſtudijs inſudat. Et in vniuerſum a noſtris ſuperioribus huiuſmodi vtilitatem capimus, dum illi nobis etiam quaſi ocian[t]ibus, qua ſuis legibus & monitis, qua bonis ipſorum exemplis plurimum adiuuant ad ea præſtanda munera virtutum, quibus ſperamus nos beatitudinem tandem conſequuturos. Leges enim Dei, Naturæ Principum ac Prælatorum, ſubiectos ad virtutem promouent directiue & coërcitiue, vt conſtat: ſunt enim a recta ratione profectæ, & alios inducunt in operationea rectæ rationi ſeu virtuti conſentientes. Dedecus proinde eſſet ſpei, ſi modo ſoluta ab omni lege vagaret quodammodo, beatitudinem ſibi pollicendo non ſolum abſque medijs diuinitus & humanitus decretis, verum etiam ſine illis officijs virtutum, quæ hominis propria, & ornamenta illius exiſtunt præcipua.

Ephes. 4. Iacobi. 1. 1. Tim. 1. Ariſtot. in Ethic. cap. 5. Ariſt.

16. Sacramentorum autem vſus a nobis cognitus, triplici argumento nos corroborat & incitat ad ſpei opera. Principio, quatenus ex eorum numero, & efficacia percipimus, quanta ſit bonitas Dei erga nos, ſingulorum ſtatuum in vita humana neceſſitatibus peculiari Sacramento ſuccurrentis, omnemque eiuſdem partem, & diſtincta illius officia ſeorſim Sacrantis. Deinde hoc præſtat, dum nobiſcum reputamus magnitudinem effectus ex hoc & altero Sacramento, qui gratia iuſtificante, & alia etiam Sacramentali, conſtat. Baptiſmi memoria nos Chriſtianæ puritatis admonet. Confirmationis cogitatio, condicionem noſtræ militiæ nobis repræſentat. Confeſſioois notitia, ſalutarem expiationem & animi nitorem ante oculos ſtatuit. Euchariſtiæ Sanctiſſimæ meditatio, qualis ſit a pane, qui de cœlo deſcendit, in nobis animorum corroboratio, docet. Ordinis inſpectio, admonet, quam ſancta ſit eorum condicio, qui ſacris adminiſtrandis addicuntur. Extremæ vnctionis agitatio nobis innuit, quanta innocentia eſſe debeat in illa anima, quæ in cœlum ex corpore ſecuro migratura. Matrimonij repetitio, aduertere nos facit, quam ſit indiſſolubilis nexus maritalis: iuxta ac quali amore & fidelitate ſeruandum illius pactum a coniugibus initum. Cuius bona, hæc ex ſententia *S. Auguſtini: Generandi ordinatio, fides pudicitia, connubij Sacramentum.* Poſtremo cum Sacramenta ſint etiam publici ritus religionis, inde ad virtutem pariter adiumenta, etiam ad mutuam charitatem incitamenta, quatenus ad eorum celebritates, plures in eodem loco conueniunt: cuiuſmodi concurſus ad tam ſacra officia, magnum eſſe ſolet momentum charitatis inter ciues.

Catechis. Rom. cap. de Sacram. Ioan. 6. Aug. lib. 2 cont. lit. Petil. c. 104. Auguſt. de pec. ac. orig. cap. 34.

Iucundiſſima porro cogitatio communionis Sanctorum, quæ etiam ad mutuam inter ciues beneuolentiam ſumma quædam prouocatio. vt enim in vno corpore membra inter ſe viciſſim exiſtunt [illegible], ita euenit in Eccleſia, corpore Chriſti myſtico, vt ſinguli in ea boni aliquid ſpiritualis ab alijs ſibi in ea coniunctis mutuentur. Noluit Deus hominem in quolibet ſtatu eſſe penitus animal diſtractum, ſed potius beneficiorum participatione cum alijs coniunctum. In ipſa beata angelorum republica cernuntur mutuæ illuſtrationes, radijque cognitionum ab illis ad alios continuo eiaculantur. ſimili modo in republica Eccleſiæ, officia ciuium reciproce exhibentur ad ducendum, ad purgandum, ad vniendum illos cum Deo, omnium ſupremo Domino. Optandum itaque in hac republica optimos fore ciues, quippe a quorum Communione copioſior donorum ſpiritualium influxus reperiatur. Ægra corporis humani membra non tantum alijs membris ſuppeditant vigoris, quantum ſana: ita cum peccata in Eccleſiam plurimum inualuerint, languent quodammodo eius membra, & vix retinentia quod ſibi ipſis ſufficiat, parum ad alia tranſmittunt beneficij. Huius rei intelligentia quantum ad amorem inter fideles, curamque ſanctitatis, enimuero vrbaniſſima ac diuiniſſima.

Rom. 12. Dionyſ. lib. de cœleſt. hierarch. cap. 3.

17. Verum, nec exile aliquod noſtræ ſpei ſuffulcrum Sanctorum in cœlo æſtimata in nos pietas, iuxta ac poteſtas eorumdem expenſa, qua nobis poterunt, quantum ad Dei fauores nobis conciliandos, prodeſſe. ſublimis iſt[a] hæc eorum condicio agnita a nobis, nos facit honorificentius iudicare de virtute, quæ ad tantam dignitatem in ipſis adſpirauit, iuxta ac nobis animos adfert acriores ad imitandum eorum ex virtute exempla, quo ſimili demum decore coronemur. Illi quidem nobiſcum ſunt eiuſdem corporis, ſeu Eccleſiæ, membra: cuius vna pars, Eccleſia eſt glorioſa in cœlis, patiens altera in Purgatorijs locis, tertia partim victorioſa, partim in agone conſtituta, nempe in terrenis iſtis ſedibus, veluti in lubrico, collocata. Totus vero iſtius reipublicæ commercium hoc, ſanctiſſimum, plurimum habet in ſe vt vtilitatis, ita pariter iucunditatis. Quorum Sanctorum ſuffragia dum noſtræ ſpei auxiliantur, tantum abeſt, quod Chriſti meritis aut Dei bonitati, cui ſolum ſperando innitendum, detrahant, quod ea potius commendant & exaggerant: beneficio enim Meriti Chriſti, ac diuinæ bonitatis largitione, illa in donis accepimus: Neque in eis alio modo ſpem ponimus, niſi vt vtraque, tanquam cauſæ in effectibus, in eis elucent, ac nos ad ſperandum prouocant.

Chryſoſt. hom. [illegible] Greg. Nazian. in laud. Baſil. Ephes. 5.

18. Cæterum vero Proteſtantum ſpes, iraſcibilis facultatis audax, proterua & importuna præſumptio, iuxta ac turpis totius vitæ inde progreſſæ reſupinatio, imo contaminatio: quæ iam ſingillatim oſtendenda ac probanda.

prius iſtis conficitur. Illa ſpes præſumptione inſoleſcit, quæ ſine medijs a Deo conſtitutis æternam beatitudinem expectat. huiuſmodi exiſtit Proteſtantum ſpes: præſumptione ergo laborando intumeſcit. Maior propoſitio negari non poteſt. Minor probatur. Media a Deo cōſtituta, per quæ ſperanda vita æterna, ſunt mandatorum obſeruatio, Sacramentorum vſus virtutum per Chriſti gratiam merita: at ſine iſtis, imo cum eorum oppoſitis, expectant Proteſtātes beatitudinem: eam ergo expectāt præſumptuoſe. Maior propoſitio ex dictis ſatis conſtat. Minor ita oſtenditur. Mandatorum Dei & naturæ obſeruationes ducunt Proteſtantes impoſſibiles: inſuper affirmat *Lutherus*, fideles vi vnius fidei in Chriſto omnia mandata ſeruare, tametſi in proprijs perſonis ea violent: quod etiam *Beza* affirmauit. Dicunt enim, ſatis eſſe vnā fidem ad beatitudinem, etiam vbi exterius fides negatur, vbi luxuriatur, & omnia flagitia committuntur; quod antea oſtendimus: ita vt charitas & opera virtutum neque per modum cōdicionum ſeu appendicum fidei, requirantur ad beatitudinem conſequendum. Si enim ſola fides ſimul cum violationibus omnium mandatorum in aliquo perſeuerauerit: cum quibus violationibus charitas & opera virtutū nequeunt conſiſtere: ea, etiam ſecreta a mandatorū obſeruantia & operibus virtutum, valida fuerit in eodem ad comparandum beatitudinem. ſidem autem non poſſe ſeparari a charitate & mandatorum obſeruantia definire, repugnat affirmantibus, fideles etiam peccare: aduerſatur pariter principijs Proteſtantum, ſtatuentibus, fideles, manentes fideles, ſeu iuſtos, poſſe luxuriari, deliciari, iniuſte occidere, ſidem negare: poſſe integrum decalogum ſingulis momentis vi motuum concupiſcentiæ tranſgredi: poſſe peccare mortaliter in omni opere, quod exercent. Ergo ſine mandatorum obſeruantia, ſine eorum meritis, vel per modum condicionum & effectuum, etiam abſque Sacramentorum ritibus, ſibi pollicentur beatitudinem: quod certem contra ordinem a Deo præfixum eſt ſuperbiſſime præſumere. Proteſtantes itaque præſumptores ſperando, ſicut Pelagiani operando. Pelagiani quidem ſine gratia Chriſti exiſtimauere ſe potuiſſe omnia ea facere, quæ ad beatitudinem poſtulantur. Proteſtantes abſque meritis, ſine charitate, quæ legem ſeruat, ſine operibus virtutum: imo cum operibus vitiorū, ſperant beatitudinem ex ſola Dei miſericordia concedendam. ergo tam præſumptuoſi, quam illi: imo multo magis quā illi. etenim vt optime diſſerit *S. Thomas: Grauius peccat, qui diminuit diuinam virtutem, quam qui propriam virtutem ſuperextollit.* Proteſtantes vero diuinam virtutem diminuunt ſperantes: quatenus nempe gratiam ſufficientē ad implenda præcepta aſpernantur, numerum & efficaciam Sacramentorum inficiantur: in quibus diuina virtus in noſtrum ad ſperandum adiumentum enituit.

Luth. de lib. Chriſtian. Beza in colloq. Mompil.

V Titak. lib. 2. de decat. orig. c. 1. & 2.

S. Thom. 2a 2æ q. 21. art. 1. ad. 1.

19. Vlterius diximus, hanc ipſam fiduciam Proteſtanticam, in barbariem & fæditatē morum tendere. quod iſtis oſtenditur. Tam certo ſtatuunt ſibi proteſtantes ſe eſſe prædeſtinatos ac ſaluandos, ac ipſum Deum exiſtere. Cuius dogmatis vi ſoluuntur imprimis timore pœnæ, vt pote amittendi iuſtitiam periculo vt loquuntur ſinaliter, vel incidendi in tormenta gehennæ. Deinde liberantur etiam omni ſolicitudine recte viuendi aut exercendi munera virtutum. prius eſt in confeſſo apud eos, aperte renuentes timere: alterum ex eorum doctrina in propatulo apud nos. Quale hic ergo illis calcar ad rebellandum, in vniuerſum ad libidinandum, firma hæc perſuaſio de vita æterna tandem obtinenda, licet quæuis flagitia in vita commiſerint, aut committere decreuerint? Audiant ſuum *Lutherum*, poculi ſui *Bacchum*. *Scriptura iubet bona opera facere: tu id ſic intelligas, quod Scriptura prohibeat bona opera facere. ſola fides iuſtificat, non fides, quæ dilectionem includit, vel coniunctā habeat. Quando ſic dicitur, fides iuſtificat quidem, ſed oportet ſimul ſeruare mandata Dei, quia ſcriptum eſt, ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: ibi ſtatim Chriſtus negatus eſt, & fides abolita.* Caueant itaque ſibi Principes ab hac ipſis læthali proteſtantū fiducia, cuius motum in cœlum, nullum in eorum perſonas parricidium retardabit. Eamdem caueant omnes boni ciues, cum inter eos agentes proteſtantes, de cœlo diploma accepere ad impune adulterandum, furandum & omnem barbariem in eos exercendum. Neque ſolum qui hac fruuntur ipſorum fiducia, in alios immanes fuerint, verum etiam illi, qui ea deſtituuntur pari modo ſcelerati. Nam non ſentientes ſe iſta hac certa Fiducia corroborari, cuius ſenſum ſoli ſtulti habent, exiſtimabunt illico, ſe iam prorſus reprobos, quandoquidem iudicijs Proteſtantum illiuſmodi explorata & percepta fiducia cum Dei prædeſtinatione copulatur. Ex quo fiet, vt ſe vltro tradant vniuerſo generi libidinum, renuentes abſque omni in hac vita voluptate, æternos in inferno demū dolores experiri.

Luth. Tom. 3. pag. 171.

Tom. 1. in nouu. Teſt. pag. 339 in 2. cap. ad Gal.

Schluſ. lib. 1 Theol. Cal.

Eck. in Griſopas art. 10 Ram. Tuc. 5.

20 Inflammantur Catholici amore virtutum, dum ſperant beatitudinem tanquam earum fructum, ac in ipſis meritorum ſtipendium. At Proteſtantes hoc pondus meriti inficiati, eodem hominibus adimunt ſtudia virtutum: quippe eorum ſenſu vana & omni caſſa expectabili prouentu. *Operari*, inquit *Cyprianus*, *tu putas Ruſticum poſſe, ſi dixeris, agrum peritia omni ruſticitatis exerce, culturis diligenter inſiſte, ſed nullam meſſem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliueti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes?* Similiter ſi quis perſuaſa habuerit dogmata Proteſtantica, contra virtutis bonitatem & meritum inſtituta, is ad vitæ probitatem eodem languebit, eique penitus ſuperſedebit.

Cipr. ep. 52.

21. Cum porro vires Sacramentorum reſcindunt: vtpote affirmantes, nihil gratiæ efficere ex opere operato, inde ſpei firmamenta conuellunt. Hinc docent baptiſmum non prodeſſe infantibus: & reliqua adultis conſtituta Sacramenta nihil aliud eſſe quam obiecta ſenſuum, inſeruientia memoriæ fidelis iam iuſtificati. ſequuntur ergo hac ex parte Meſſalianos hæreticos: quorum vnus teſte *Theodoreto* affirmauit *Baptiſmale lauacrum, his qui eo tincti erant, nihil omnino prodeſſe.*

Beza de Re Sacram.

Theod. l. 4. Hiſt. cap. 10.

13. Iſtis

13. Iſtis ſatis manifeſtum dedimus, Proteſtantum dogmata partem in hominis animi intellectualem, diuioam & rationalem erroribus & ignorantia excæcare: Concupiſcibilem porro ad voluptates laxare, Demum Iraſcibilem efferare. Supereſt probemus, eadem, voluntatem, quatenus rationalium virtutum ſedem, a conuictu ciuili & boni in vniuerſum quod ad alterum ſpectat. redditione, alienam conſtituere: vt integra eorũ barbaries ſub vno aſpectu, veluti totius hominis corruptrix, proponatur.

CAPVT XVI.

Qua a Catholicis de ipſius Dei amabili condicione, iuxta ac de mutua inter ciues charitate dogmatica definiuntur, efficaciſſima ſunt motiua cum ad deum ipſum amandum. tum etiam proximum diligendum. Quorum omnium rationes Proteſtantum contraria pronunciata reijciunt prorſus & exſcindunt.

QVantum momenti conferat amor Dei ad omnes virtutes tam ciuiles quam ſacras, alias diximus. Hic autem erga Deum amor, ab eius cognitione propagatur: & eſt velun ardens in anima hominis radius, tam intelligentiæ lumine, quam affectus calore conſpicuus. Deum autem tunc ad hunc effectum cognoſcimus, quando eius abſolutas amabilitatis perfectiones, ſimul ac illius beneficia in nos collata, mente nobiſcum recte voluimus & expendimus. Superius narrauimus, abſolutas Dei perfectiones, vtpote bonitatis, miſericordiæ, iuſtitiæ, agnitas a Catholicis, acres quippe vires habentes ad inflammandum noſtrum erga ipſum amorem, Proteſtantes inficiatos, eodem amoris noſtri cumulum extenuaſſe, eiuſque quod ad diuinorum dilectionem, frigore quodam conſtrinxiſſe. Dicam modo de ſingularibus tantæ bonitatis muneribus, nobis affluenter conceſſis: ex quorum notitia cum inter nos firmius, tum cum Deo ardentius, ex charitate copulamur.

2. Tametſi autem ea debet eſſe in nobis diuinæ iuſtitiæ notio, cuius vi Deum timendum iudicemus, nihilominus cauendum etiam, ne ex tali iuſtitia aut diuinis decretis aliquid ſtatuamus, quod innatæ Dei bonitati aduerſetur. Cũ enim hæc bonitas, ſi non naturæ luce, ſaltẽ gratiæ, admodum naturæ acceptabilis, documento nobis innoteſcat, periculum imminebit, cum fidei retinendæ, tum etiã admittendæ, ſi aliquid Dei bonitati contrarium, proponatur credendum: citius enim homines vniuerſam fidẽ aſpernabuntur, quam quid credant aut æſtiment, Dei bonitati oppoſitum. In quam Dei bonitatem, adeoque cum præiudicio fidei ſuſcipiendæ & profitendæ delinquunt meo quidem iudicio illi Theologi, qui ex iuſtitia Dei vindicatiua infernales in æterno igne æternas aduſtiones infantibus ſine baptiſmo ex hac vita decedentibus, decernunt: ſiue hac in re ſequuti fuerint doctrinam *S. Auguſtini* ſiue non. enimuero particularis ſententia *S. Auguſtini*, certa regula non eſt fidei noſtræ, nedum Theologiæ. imo quæcumque docuerit *S. Auguſtinus*, ſubijcienda auctoritati præſentis Eccleſiæ: & eius particularia dogmata ſcholæ Theologicæ definitioni non præiudicant. adfuit ſpiritus Sanctus *S. Auguſtino* ſcribenti: idem quoque adeſt modo, vt pie credendũ, ſcholæ Theologicæ, communi iudicio definitam aliquam ſententiam proferenti: neq; facile debemus credere, communem præſentis ſcholæ doctrinam, a veritate deflectere. Ecquis vero dubitat, pleraque in *S. Auguſtino* reperiri, vtpote illius propria & ſingularia, quæ a communi Theologorum ſententia haud probantur?

3. Cogitet itaque apud ſe aliquis, imprimis numerum illorum infantum, qui a peccato *Adami* per totũ orbem terrarum vſque ad hanc horã viuos exceſſere ſine Baptiſmo: iuxta ac animo colligat quotquot duraturo mundo, eam ſortẽ infelicitatis impoſterũ habituros. Deinde quod ad rationem culpæ in eis, idem animaduertat, eiuſmodi infantes nulla ipſorum perſonali potitis intellexiſſe condiciones, ſub quibus gratiã originalem *Adamus* a Deo pro ipſis accepit, aut percepiſſe vim tentationis ſerpentinæ, qua idẽ *Adamus* inſtigabatur ad violandum Dei legẽ, aut quid eſſet, fore hominem per cognitionem boni & mali Deo ſimilem. pariter videat, illoſmet infantes nullo perſonali motu in ipſis arbitrij conſentiſſe in peccatum *Adami*: quandoquidem illo peccante non erant aliter quam in communi parente, quam in fonte & ſemine naturæ. poſtremo cernat animo idem, quã ſit horrendus cruciatus omniũ ab igne in inferno punitorũ: ita vt inde intelligat, minus multũ eũ infãtibus a Deo agi, ſi is nobis ſpectantibus, tã animis quã corporibus conſtantes, in fornacẽ *Babylonicam* [Chryſ. Ho. in 24 Math] conijceret æternũ inibi arſuros, quam ſi illo igne infernali torreret. quibus penſatis, certe idẽ pronunciabit, alienũ a Dei bonitate, præſertim per [Baſil orat in 40. Matt.] meritum & ſanguinẽ Chriſti facta propitia, tales infantes ſine baptiſmo morientes tam horrendis ſuppliciis caſtigare. Cum ergo ratio ſeu forma culpæ, quæ ineſt peccato actuali & originali nõ eſt vniuoca, quamobrẽ eis eſſet communis pœna ſenſus, decreta a Deo, vniuoca? Aſſeruit aliquando *Iulianus* Apoſtata, licet falſo, Deum Iudeorum fuiſſe crudelem: nimirum propter cædes diuinitus aliquãdo ſontibus inflictas, propter terrores illi populo frequentius diuinitus incuſſos. *Qua autem*, dicebat *Iulianus*, *laudatur* [Cyril. lib. 7 cont. Iulian] *imitatio? Ira, Furor, & ferox crudelitas*. Verum ſi quicquam ſenſiſſet de horum ſententia, quantũ ad pœnas infantum in inferni igne, de quibus agimus, potiori ratione potuiſſet adduci vt affirmaret, Deum Chriſtianorum eſſe crudelem. Hac ergo ex parte officiunt fidei Chriſtianæ, quam duram, immanem, & aduerſantem reddunt Dei bonitati. quod vero adſerunt, inficiatores pœnæ ſenſitiuæ in igne ad huiuſmodi infantes ſpectantis, ſuſpectos eſſe quaſi cum *Pelagio* negarent in illis peccatum originale, mera eſt iniuria & calumnia, idque hominum parũ curantium quid dicant, dum quouis modo ſuam factionem promouere videantur.

4. Pari modo in Dei bonitatẽ offendit illorũ ſẽtentia, qui gratiã Dei per Chriſtũ ſufficientẽ, eamque ab efficaci diſtinctam, non admittunt.

Et quidem quantum ad largitionem gratiæ ſufficientis, a Deo præſtandam eis, qui graui tentatione vrgentur in malum?, aut quibus inſtat tempus obſeruandi aliquod præceptum ſeu naturale ſeu diuinum, ſeu poſitiuum, admodum parcam omnino & reſtrictam nobis exhibent aliqui Dei bonitatem. Volunt itaque iſtis caſibus incidentibus, non adeſſe ſemper hominibus gratiam ſufficientem, qua adiuti peccata vitarent & officia virtutum exequantur, niſi eatenus, quatenus orare poſſint Deum, ad talem gratiam obtinendum: quem niſi orauerint, neceſſitate inſuperabili ad peccandum eoſdem deferri, facile concedent. Verum ab illis ſciſcitor, ſi alicui tentato & officium ſuum ad implendum legem animaduertenti, non occurrat vlla cogitatio de orando Deo, in quonam ſtatu quo ad animæ ſalutem talis collocetur? diceris, credo, hunc orare Deum non poſſe, & conſequenter neceſſario in peccatum trahi a dæmone & ſua concupiſcentia: nihilominus ad extremum etiam taliter delinquentem, in inferno puniendum in perpetuum. ita ſane *Caluinus* lubenti animo definiret. ſed Catholicus horrere potius deberet, inſpecta Dei bonitate, ad tale quid efferendum. vlterius quæro, num ita conſtituti orare poſſint Deum viribus ſolius naturæ, vt gratiam acquirant, an ad talem orationem requiratur gratia Chriſti antecedenter ſeſe habens ad orationem, vtpote eius principium? prius ſine labe Pelagiana dici non poterit. poſterius fatetur, non omnem gratiam præuenientem ab oratione dependere, ſed aliquam a mera Dei bonitate per Chriſtum. vlterius peto: vtrum ille, qui non orat Deum ſicut oportet, potuerit orare nec ne? ſi dicant potuiſſe, tunc fateri debent Dei gratiam pure ſufficientem, quæ efficax non ſit, adeoque quæ realiter ab efficaci diſtinguatur. ſin adſerant eum orare non poſſe, tunc gratiam ad prædeſtinatos & ad perſeuerantes ſolum attinere fatebuntur; iuxta ac homines a Deo damnandos propter peccata, quæ ob impotentiam in ipſis & neceſſitatem omnino antecedentem, euitare nequiuerint: quod cum *Caluino*, ſtatuere homini Catholico deteſtandum plane eſſe debet. Cæterum etiam ſine oratione dari gratiam ſufficientem, ad credendum, & bene operandum probari poterit ex S. *Auguſtino*, diſerte affirmante, Iudæos non credentes Chriſto, tamen potuiſſe credere. *Non enim, ait, vt eſſent infideles cogebantur in inuiſum, ſed nolendo credere infidelitatis crimine non carebant.* Non conſtat autem, hoſce Iudæos oraſſe Deum, vt ab eo illuminarentur: nihilominus teſte S. *Auguſtino*, potuere credere; quod nequit intelligi abſque gratia ſufficienti: ſine qua, non minus fuiſſent ad credendum antecedenter impotentes, quam homo cæcus ad videndum.

Aug.ep.107. Tract.54 in Ioã.ep.207. in pſ.91.de Nat.&.Grat cap.69.

5. Spectat etiam ad eamdem Dei bonitatem, ipſis reprobis, ſeu non perſeuerantibus vſque ad finem vitæ, vel etiam peccantibus, gratiam ſufficientem impertiri ad credendum, ad bene viuendum, ad perſeuerandũ, ac ad vitanda peccata. enimuero ſi in reprobis nulla ſit a Chriſti morte præſtita gratia, non apparet ratio, ob quam dicamus, Chriſtum Dominum pro omnibus mortuum: quorſum enim pro reprobis mortuus, ſi ipſis a Chriſti morte nullum gratiæ beneficium accreuerit? Cæterum vt loquitur S. *Auguſtinus*, *Omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt vnus.* Iſtius gratiæ ſufficientia cernitur in Dei vocatione, vt expreſſe definitum in *Concilio Arauſicano* & *Tridentino*. qua vocatione aſſerit *Concilium Tridentinum*, Deum cor hominis tangere, nos præuenire & mouere ad conſenſum. Ex quibus conſtat falſiſſimam eſſe illam cuiuſdam Doctoris ſententiam, qua dicit, hanc vocationem non eſſe Chriſti gratiam, niſi illi voluntas humana conſenſerit, vt ſit illi *Salutaris*. nam conſenſus noſter non facit gratiam Chriſti eſſe in nobis, qua Deus nos præuenit, qua ſtat & pulſat ad oſtium animæ, ſed illius potius eſt effectus: cui ſi quis non conſenſerit, nihiloſeſius illa eadem vocatio eſt gratia Chriſti: vel contra communem orthodoxorum ſententiam iudicandum, non omnem gratiam iam a lapſu generis humani nobis dari ex meritis Chriſti, ſed aliquam aliunde prouenire. Hanc vero gratiam præuenientem & tangentem cor hominis, poſſe eſſe mere ſufficientem, diſerte tradit idem *Concilium Tridentinum*, affirmando, homines ea præuentos poſſe eam abiicere, ſeu ei non conſentire. Nec eſt quod dicant, vi tentationis adactos in peccatum, nulla plane gratia a Deo præueniri: nam tunc eorum lapſus eſſet neceſſario, ac a Deo: quandoquidem ſine gratia ſufficienti nemo poteſt tentationi reſiſtere. Hoc expreſſe nos docuit S. *Auguſtinus* duo definiendo. Primo ait, *Adamum* potuiſſe perſeuerare in ſtatu iuſtitiæ per gratiam, quam a Deo accepit: ſcilicet *Poſſe non peccare, poſſe non mori*. ex quo liquet hanc gratiam fuiſſe mere ſufficientem, non efficacem. deinde affirmat, hãc in *Adamo* facultatem per quam potuit perſeuerare, extitiſſe effectum gratiæ ſeu adiutorij ad perſeuerandum: *Sine quo, per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet.* At quis Catholicus audebit pronunciare, in peccata concedentes, aliter ſe gerere non poſſe, non perſeuerantes, perſeuerare non poſſe, niſi ſpiritum *Caluini* ſequi voluerit ſpiritu Eccleſiæ Catholicæ poſthabito? Forte dicent, huiuſmodi poſſe habere gratiam efficacem, & proinde libere peccare, libere non perſeuerare. at fruſtra. nam vel poſſunt hanc gratiam efficacem conſequi viribus naturæ, vel ad hoc debent neceſſario a gratia præueniri? prius, Pelagianum eſt, cum impar ſit natura, ad conſequutionem gratiæ ſupernaturalis. poſterius dici ab ipſis nequit: quandoquidem fateantur, peccantes & non perſeuerantes nulla gratia prorſus mere ſufficienti præueniri: ergo abſolute & antecedenter non potuerunt non peccare & perſeuerare ſimiliter nequiuere, eis ablata poteſtate ad non peccandum & perſeuerandũ. At reſpondebunt, ſaltem eos ſufficientem gratiam accepiſſe in *Adamo*. Ita *Caluinus*. longe ſane, aliter S. *Auguſtinus* differẽs de eis, qui volũtatẽ dei intelligẽtes, actione & cõſilio Deo nõ obedierũt: *Vnde nõ obedierunt*, inquit *niſi ſua peſſima voluntate, cui grauior damnatio diuina æquitate debetur?* Enimuero ſine gratiæ ſufficientis

Aug.lib.2. de ciu. cap. 8.lib.6.cõt. Iul. cap. 4. Conc. Arauſ. 2.in concil. Trid.ſeſſ.6. cap 5. Eſtius in 2. S.d 28 Nũ. 16.

Suar.lib.3. de Aux.cap 4.

Aug lib. de corr.&.Grat cap.11.12.

Calu.lib.2. Inſt. cap.6. ſect.6.

Aug.ep.105

ſufficientis auxilio; in talibus non potuit *S. Auguſtinus* peccatum attribuere voluntati in ipſis: haud ſane plus, quam oculis priuato, defectus viſionis adſcribere: aut id alicui vitio vertere quod defugere is non potuerit.

6. Neque parum, vt ego quidem ſentio, moribus ſacris ac cultibus officiunt huiuſmodi cruda, acerbaque de Dei prouidentia ſuſcepta dogmata. Imprimis fidem noſtram Chriſtianam aduerſariam reddunt communibus notionibus de diuina bonitate & miſericordia ſuſceptis: eoque eam exhibent grauiſſimis tentationibus obnoxiam, quis enim haud ægre fert, ſe credendo recedere debere a ſenſu in Deo pietatis, ac ſuauitatis in genus noſtrum? neque ſatis fuerit, quod faciunt, huiuſmodi ipſorum dictis velum alicuius myſterij obtendere, quaſi deberemus contra iudicium naturale eis fidem adhibere. familiare eſt etenim hæreticis myſteria vbi non ſunt proponere. myſterio illuſit Orthodoxis olim *Eutyches*; qui cum ad diſputandū eſſet inuitatus a Catholicis de veritate naturæ humanæ in Chriſto, myſterium ſuum interpoſuit, dicendo, abſit vt ego de natura Dei in me ſuſcipiam diſputandi munus. Hodierna die *Lutherani, Vbiquitarij* humanæ naturæ *omnipræſentiam & omnipotentiam* profeſſi, myſteriorum oſtentu nobis inſultant. *Caluinus* de quadam ſua Chriſti præſentia in Euchariſtia fabulatus, ad altitudinem cuiuſdam myſterij longe ab oculis noſtris ſe recipit. Quocirca non dubito, quin hæc quorundam de Deo crude dicta, ſub inuolucro myſterij, fidei cum admittendæ, tum conſeruandæ, plurimum detrahunt. ſpei quoq; diuinæ eiſdem ſuis ſententiis adferunt detrimenta: Cum enim ſpes tota feratur in Dei bonitatem, & erga noſtrum genus paternam affectionē, tum hi qui Dei bonitatem & plus quā paterna viſcera negant, videntur quodammodo ſuis dogmatibus eiuſdē ſpei curſum retardare & dulcedinem illius miro acore inficere. Denique in charitatem erga Deum eodem offendunt. enimuero amor charitatis eo magis ardet, quo obiecta debita inueniuntur vberioribus fontibus bonitatis & ſuauitatis redundantia. cæterum hi ſuis æſtimationibus hanc in Deo bonitatem coercent, & illius in nos varios fluxus impediunt: ex quo neceſſe fuerit, noſtrum in illum amorem diminui aut impedri: quæ mala ne in noſtros mores a Theologia deſcenderent, ideo doctiſſimi & ſanctiſſimi Scriptores, iſtis axiomatibus ſeu decretis ſeſe Chriſtiano & pio zelo oppoſuere. Quibus contraria ſcripta hæc ſolum habent: nempe vt eis applaudant hæretici, & ex eis ſcandala patiantur Catholici. *Sentite de Domino in bonitate.* Quod vero haud conſentiens in veram fidem, non excuſetur a culpa ob defectum gratiæ, diſerte aſſerit *S. Hilarius*, cauſam defectionis non referens in abſentiam gratiæ ſufficientis, ſed in prauitatem humanæ voluntatis. *Ac ne quod a multis ſæpe ſolet, rationis aliquam habeat auctoritatem, cum aſſerunt propriam Dei manum eſſe, vt quis in Dei rebus atque operibus verſetur, excuſantes infidelitatem ſuam, quod ceſſante erga ſe Dei voluntate, maneant infideles. Eſt quidem in fide manendi a Deo munus, ſed impediendi a nobis origo eſt.* quando ergo impeditur bonus conſenſus, adeſt in illū gratia ſufficiens, alioquin origo impedimenti non tam eſſet in nobis, quam in defectu gratiæ, quod *S. Hilarius* inficiari videtur. Noſtra quidem Sancta fides in ſublimia & diuina obiecta erecta, non in ſe complectitur veluti meteora ſolum admirabilium myſteriorum, quæ viſo in nobis intelligentiæ ſui aſpectu tantum cōſternarent, aut opprimerent: quinimo potius tanquam *Manna*, quæ vnitim ſtupenda & iucunda, cum rebus, mentis humanæ captum excedentibus, ſuaue pabulum præbet amoris Dei, & reliquarum virtutum ardentia fomenta ſuppeditat.

Tom. 1 côc. ep. Eutych.

Sap. 1.

Hil. in pſal. 118.

Exod. 16.

7. Omnibus autem hæreticis imprimis inſitū ingenium, Beneficiorum Dei magnitudinem ſuis hæreſibus aut diminuere vel penitus exterminare: quo in illum credentes, ab inſigni aliquo gradu amoris in ipſum, ad tepores aut lentitudines relabantur: iuxta ac vt non ſolum charitas, verum etiam fides, quæ a charitate outrimentum, vitam & formam capit, tandem in ipſis emoriatur. Quoto enim gradu amor Dei in aliquo creſcit, eodem priuatus amor lucri aut voluptatis, ex quibus omnes in conciues iniuriæ erumpunt, extenuatus imminuitur. Poteſtati enim mortis, ait *S. Gregorius* Dei dilectio recte comparatur: *Quia viuorum mentem, quam ſemel ceperit, a delectatione mundi funditus occidit.* *Plato* & alij Philoſophi imperium hoc in Dei amore ignorantes, publici tamen eius loco ac communis Boni amore ciuibus perſuaſo, tentarunt particulares amores tam voluptatis, quam quæſtus, in illis eodē expugnare. Proinde teſte *Cælio Rodiginio*, eam beatam ac fælicem ciuitatem dixere *Plato* & alij, *In qua meum, non meum, qui dicunt, minus audiunt.* Cæterum admiſſa inter ciues rerum proprietate, vt tamen ex earum cupiditate non generentur contumeliæ, nocumentaue vlla in conciues propagentur, optimum remedium ab amore Dei. Ob quam anſam hæretici cauſas amandi Deum negantes, eodem charitati in conciues inimiciſſimi extitere. Inter hos vero Proteſtantes: qui, vt Neſtoriani, teſte *S. Cyrillo, Ingratiſſimi erant manſuetudini Seruatoris*, ita eiuſdem manſuetudini, ſimul ac munificentiæ ingratiſſimi: imo earum inficiatores pertinaciſſimi. quod tunc periculoſius etiam perficiunt, quando ſub prætextu Euangelij & verbi Dei, eiuſmodi Dei manſuetudini & munificentiæ impiiſſime aduerſantur. *Arius* pro Deo vero, ſecunda perſona, creaturam meram noſtro amori expoſuit complectendam. *Neſtorius* Chriſtum non Deum, ſed a Deo eximie dilectum eidem charitati mortalium inaniter obiecit. *Eutyches* nobis propoſuit Chriſtum natura humana exutum, & in aliam a nobis extraneam, neſcio quam, mutatum, parum neceſſitudinis nobiſcum habentem. *Manichæus, Marcion*, liberi arbitrij poteſtatem, carnis reſurrectionem eiurantes, Deum videndum a nobis exhibuere non vt virtutis auctorem, ſed fati dominum: non vt generis noſtri reparatorem, ſed vt eius potius aſpernatorem. Pelagiani haud admittentes neceſſitatem gratiæ internæ a Chriſto nobis dandæ,

Greg. lib. 10 in Iob. c. 3

Rod. l. 2 cap 21. Plato in Dial. de Iuſt. & Regno.

Cir. Homil. 3.

Chriſtum depingere tanquam doctorem, non vt curatorem naturæ: non vt noſtræ imbecillitatis adiutorem. Nulli autem hæretici vnquam ſua capita in eccleſiam extulere, qui tot Dei beneficia ſimul expugnarunt, quibus charitas in deum accenderetur, ac proteſtantes. Imo omnes eorũ in nos directæ partes nihil aliud eſſe videntur, quam totidem beneficiorum Dei reiectiones & impugnationes manifeſtæ. quæ ipſorum copiæ, cum maxima ex parte negatiuis conſtent, tum illa ipſa negatiua nihil aliud ſunt, quam in ſingularia Dei dona inficiationes & contumeliæ illatæ, vt iam oſtenderimus.

8. Dei vero amor, ſicut & mutua dilectio inter homines, propriæ ſunt impreſſiones fidei Chriſtianæ, ac effectus creditæ ab ipſis charitatis, quam Chriſtus in mundum oſtendit. ob quam cauſam *Tertullianus* enarrans rationem Chriſtianæ diſciplinæ, poſtquam eorũ ſynaxes ſeu ſacros conuentus deſcripſiſſet, intulit mentionem Eleemoſynatũ. *Modicam vnuſquiſq; ſtipẽ menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo poſsit, apponit. nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hac quaſi depoſita pietatis ſunt: nam inde non epulis nec potaculis, nec ingratiis voratrinis diſpenſatur: ſed egenis alendis, humandiſque, & pueris & puellis, re ac parentibus deſtitutis, ætatoque domitis ſenibus. item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis vel in cuſtodiis, duntaxat ex cauſa Dei, Secta alumni confeſsionis ſuæ ſunt.* quæ quidem officia charitatis adeo frequentia ac plena fuere in Chriſtianorum ſtudiis, vti Ethnici id deprehenderint. *Sed eiuſmodi vel maxime dilectionis operatio, notam nobis meruit penes quoſdam. vide, inquiunt, vt inuicem ſe diligant.* Ob quem nexum amoris, ſeſe Chriſtiani mutuo tunc vocabant *Fratres. Itaque quod animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiſcreta ſunt apud nos. præter vxores.* hinc conquerebantur pagani, ob Chriſtianorum largas eleemoſynas, templorũ vectigalia Romæ diminuta fuiſſe. Quibus reſpondit *Tertullianus. Plus noſtra miſericordia inſumit vicatim, quam veſtra religio templatim.*

Tertull. Apol. ca. 39
Tertul. in Apol. cap. 42.

9. Tanto perpetuo vis viguit charitatis in Chriſtiano inſtituto, vti vel *Martis* ferrũ emollierit ſenſu quodam teneritudinis, eiuſque rabiem a crudelitate vulnerum, a funeribus internecionum auerterit. Cæterum non hoc præſtitit, quaſi fortitudinis rigorem quicquam inde remiſerit, aut diſſoluerit, ſed in eo operam poſuit, vt fortitudinis Chriſtianæ vis firma & erecta quidem maneret, non vero truculenta in furores, & minime victoriæ neceſſarias ſtrages, erumperet. Cuius rei ſingulare exemplum, cum decore Imperatorio, cernere licet in *Conſtantino Magno*, genuino & ſincero Chriſti ſpiritu imbuto, adeoque omnibus imperantibus, & bellum gerentibus, diuinitus præfixa idæa: qui rudem illam duramque Romanam gentem ſuam, artificio pietatis in voluntatem victis miſerendi induxit. De quo hæc *Euſebius. Quapropter ſuos, cum fuiſſent in pugna victoriam adepti, hortari ſolebat, vt captiuorum miſererentur: & cum homines eſſent, natura humana nequaquam eos caperet obliuio. atque ſi aliquando militum animos ferociores cerneret, auri munuſculo eos refrenare; pariperque, vt qui aliquem ex hoſtium numero viuum cepiſſet, aliqua certi auri ſumma remuneraretur. atque hanc veluti illecebram ad hominum conſeruationem, Imperatoris excogitauit prudentia: adeo vt infiniti etiam ex ipſis barbaris, incolumes euaſerint, Imperatore, ipſorum vitam auro redimente.* Hic idẽ Imperator, ac Chriſti Domini vexillifer, adeo erat charitate emollitus, vt in iudicio conuictos, & pecuniis mulctatos, coram culpam deprecantes, ſuis ſumptibus lætos fecit, vt narrat idem *Euſebius*.

Eſeb. lib. 1. De vit. Conſtantin. c. 13
Euſeb. lib. 4 de vit. Conſtantin. c. 4

Lene fluit Nilus. ſed cunctis omnibus extat
Vtilior, nullas confeſſus murmure vires.

Claudian. paneg. Mal. Theo.

Eſt vero quod Principes imitentur fluentem Nilum potius quam torrentes aut omnia rumpentem & ſternentem *Danubium*.

Acrior ac rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas. eadem clementia ſæui
Gurgitis immenſum deduxit in oſtia Gangem.
Torrentes immane fremant, laxiſque minentur
Pontibus, inuoluant ſpumoſo vortice ſiluas.
Pax maiora decet peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit mandataque fortius vrget
Imperioſa quies. Ob hanc cauſam in typũ, Chriſtus Dominus a Dauide appellatur virga: *Virga directionis virga Regni tui.* Cui virgæ adiunxit Iſaias Propheta florem: & flos de radice eius aſcendet: *Vt virga ſeueritatem*, quod eleganter *S. Hilarius* admonuit, *floris ſuauitas temperaret*, quo admonentur Principes, florere debere eorum virgas: vnde in eis autoritates non ſolum rigidæ, ſed & populis exiſtant etiam amœnæ. Quod cum in omnium imperantium virgis ſpectandum, tum maxime in virgis Aronicis: nempe Præſulum in Eccleſia virgis, quæ ad exemplar virgæ Aronicæ, florere debent ad iucunditates ſubditorum.

Pſalm. 44.
Hilar in Pſalm. 4. Eccl. 2.
Num. 17.

10. Præclarum iuxta ac fortiſſimum ad hanc charitatem, & mutuam inter Ciues beneuolentiam Eccleſiæ matris, ex forma in ea regiminis, vnitas: ex qua ad omnes eadem fides deriuatur. quemadmodum enim hæc fides a cunctis res precioſiſſima habetur; ita in ea conſenſus mirabilem affectum amoris inter concordes excitabit. Si enim inſitum ſit mortalibus, eos plurimum diligere, qui in vniuerſum cum ipſis idem ſapiunt, in vnam colendam veritatem ſimili ſtudio collimant: idque faciunt vehementius, quam ſi corporis filum ac formã nacti eſſent naturæ opere ſimillimam: quandoquidem in eis ratio, quæ animi ſunt præferat aliis, quæ corporis: id multo ſane in illis manifeſtius apparebit, qui eadem norma in eamdem diuinæ fidei ſententiam inducuntur: qui in eadem ſchola eius myſteria diſcunt, qui ab eiuſdem matris vberibus lacteum & nitentem illius ſuccum, paruuli omnis doli expertes, ſugunt. *S. Hilarius* loquens de Eccleſia, ait, *Vnius mentis & fidei & charitatis domus illa eſt.* & poſtea: *Pax enim Eccleſiæ & vnitas, virtutem nobis firmitatemque præſtat.* ex hac communione quod ad fidem, ſummam oriri inter homines charitatem, egregie docet *S. Gregorius Nazianzenus*. Ex cuius vi non ſunt Chriſtiani, vt ait *S. Auguſtinus*, Synagogæ pecora, videlicet non quomodocunque

Grego. Naz. orat. in Max.
Math. 18.
1 Cor. 2.
Hilar. in pſal. 132.
Grego. Naz. orat. in Max.
Auguſt. in Pſalm.

aut vi timoris congregata, ſed Eccleſiæ filii, animorũ conſpiratione & charitate in vnum cætum conuenientes. Hinc Sancti Patres concordiam in rebus fidei, ex qua charitas exoritur, retulere paſſim in Eccleſiæ docentis & defi-

Tert. l. Præſ.

nientis vnam eamdemque auctoritatem. *Quæ iura*, inquit *Tertnllianus, non alia ratio regit, quam einſdem ſacramenti vna traditio.* In quam ſententiam luculentus omnino S. *Iranæus*. *Quid enim, ſi de modica aliqua quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oportet in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum eſt?* quod ſi non fecerint, ſed proprio ſpiritui Scripturas interpretanti, innitantur, reputandi *Audaces & impudentes, a Satana immiſſi ad ſeductionem & perditionem eorum, qui non firmam fidem, quam ab initio per Eccleſiam acceperunt, cuſtodiunt.*

Iren. lib 3 cap. 4. l b. 1. cap 3 9

4. Illa certe credẽdi regula diuinior, quæ plus ad pacẽ & charitatẽ conducit inter homines. vt enim omnis quod ad ſententias diſſenſio prona eſt ad diſcordias ac diſceſſus, ita, vt ait S. *Baſilius*: *Nihil æque germanos Dei cultores inter ſe conciliat, atque conſentientes de Deo ſententiæ.* Vt enim Chriſtus Dominus ipſa eſt pax, ita in nobis locus ei in pace factus: veluti ex contrario diabolus a pace auerſus & in Dei imperium turbulentus, non cupit alium locum quam ſeditione commotum. *Sicut enim in pace*, ait *S. Bernardus*, *factus eſt locus Domini, ſic in diſcordia locum fieri Diabolo manifeſtum eſt.* In illo loco, vbi ſupra Apoſtolos deſcendit ſpiritus Sanctus, erat quidem vehemens commotio ex ſpiritu ſeu vento in eo reſonante: nihilominus cum hac commotione, vno conclaui vnanimes omnes continebantur. Ita in Dei Eccleſia, quæ fidei regula, cernitur vehementia quædam animorum ex amore diuinæ gloriæ, cuncti tamen in hac ipſa ſpiritus vehementia pacem reperiunt: dum nempe vnius corporis membra, vnius domus habitatores, vnius matris filij conſiſtunt. In pacem ergo cõiurati Proteſtantes, qui iſtius Conclauis repagula diſrumpunt, quo ſubinde ſpirituum ſeu procellarum turbidines hac illacque in eo ſpirantes, homines ibi manentes tanquam pulueres vario in ſectas & inimicitias agitent, torqueantque. *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.* Et quorſum hoc ritu non in conclaui, ſed in vaſtitate mundi flat ac reflat Diabolus, niſi vt lampadem charitatis inde extinguat? in hoc ei meta & ſcopus proponuntur: indigne enim fert in pace apparere ardorem & lumen charitatis: proinde pace violata, nihil dubitat quin amorem iſtum diuinum, qui in otio non quieſcit, ſed in opere indefeſſus ſedulus ac perpetuus feruet, expugnet. Charitas quidem in pace deliciatur, ſed non torpeſcit otio. *Quia autem* inquit *S. Gregorius, nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis, nihil eſt delectabilius diabolo extinctione charitatis.* Hoc prudenter ſatis expendens *Sozomenus*, cauſam refert ob quam, Græca Eccleſia tumultuante, occidentalis in vnitate fidei ac charitatis interim permanſit: *Quoniam*, inquit, *Patrum decretis rite gubernata erat omnino a contentione & captiosis verborum argutiis, quæ inde naſci ſolent, libera & vacua fuit.*

Baſil. orat. de pace.

Bern. Serm. de dedic.

Act. 2.

Iacob. 4.

——— multa ambago viarum
Anfractus dubios habet, & perplexius errat.
Sola errore caret ſimplex via, neſcia flecti
In diuerticulum, Diuijs nec pluribus anceps.

5. Hanc ipſam legem fidei, quæ pariter lex charitatis, Principum inſtitutis commodiſſimam quoque eſſe facile videre. Nam vt in vniuerſum fides Chriſtiana maiorem parit cordis teneritudinẽ quam vllæ veterum credulitates, ita in illa conſenſio, admirabilem elicit vim mutui amoris inter ciues, veluti ſanguinis & aquæ e latere Chriſti fluentium coaggulo inter ſe coniunctos, Ex cuius inſtitutione emollitos & ardentes pronum erit Principi in quid vnum conſilij & actionis inducere: illoſque ſemper habebit cautos, ne vllo facto huiuſmodi charitati repugnare videantur. Duo præcipue ciuile officium tam in Principibus, quam eorum ſubditis, impediunt: concupiſcentia ſcilicet, & ira quibus fidei noſtræ dogmata, ſimul ac forma regiminis in Eccleſia plurimũ obſiſtũt. De priori iam ſatis diſputatum. Poſterius ex eo liquet, quod ante Chriſti aduentum in terras, totus mundus armis inhorruerat, neque tantæ diſſentionis contra charitatem ſola cauſa erat immanis ambitio, & cupiditas habendi, verum etiam diuerſæ a diuerſis gentibus cultæ religiones. Oportune itaque Chriſtiana fides ſuccurrit iſtis motibus iræ, quæ, vt in obiecta pia, ſuauiaque intendit, ita ſua vnitate, & forma Eccleſiaſtici regiminis, qua concors vnitas ſeruanda, nempe Eccleſiæ Monarchia, homines componit in ſummam conſentionem charitatis: omnes enim eius vi eadem credunt myſteria, ac propter monarchiam Romani Pontificis, omnes Romani cenſeantur. quod etiam ita inualuit, vt in Aphrica, Ariani, teſte *Victore*, in vniuerſum Catholicos appellabant *Romanos*. hoc egregie adnotauit ac cecinit ab antiquis temporibus *Aurelius Prudentius*.

S. Thom. 2. 2 q 40. art. 1 ad. 2

Ioan. 21

Vict. de. Pers VVād. Hier. lib 1. cont. Auff. Prud. lib 2. cont. Simm.

Omnibus in terris, quas continet occiduus
Oceanus, roſeoque aurora illuminat ortu,
Miſcebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armataque feras in vulnera mutua dextras.
Hanc frenaturus rabiem Deus, vndique gentes
Inclinare caput docuit ſub legibus iiſdem,
Romanoſque omnes fieri, quas Rhenus & Iſther,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hibern.
Corniger heſperidum quas inter labitur, & quos
Ganges alit, tepidique lauant ſeptem oſtia Nili.
Ius fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit.

6. Momento hoc ad charitatem deſtituuntur Proteſtantes omnino: ſiquidem iudicium & irrefragibilem auctoritatem haud concedentes Eccleſiæ, diſcordias non modo vberius inde proferunt, verum etiam excitatas perennius nutriunt, non vlla plane cenſura vnquam definiendas. Eccleſiam nullam, Magiſtram ducunt in rebus fidei præter Apoſtolicam: nempe Apoſtnlorum temporibus florentem: aliam, ſiue præſentem, ſiue præteritam, vtpote erroribus violatam, altercantes ſuperbiſſime aſpernantur. At neque illam abſolute probant, ſed ſolummodo in eum ſenſum admittunt, qua-

tenus

tenus literis noui Teſtamenti eis innoteſcit, atque vt eiſdem Chriſtus dominus & Apoſtoli de myſterijs fidei expreſſe ſtatuerunt. quo rerum ſummam haud reducunt ad Eccleſiam Apoſtolicam, vt prætendunt, ſed ad priuatum. vniuſcuiuſque ſpiritum, nouum Teſtamentum interpretantem: ita vt Apoſtolica Eccleſia id demum ſenſerit, id egerit in negocio religionis, quod ipſi priuatim & ſeorſim cogitarint. Definiat aliquid poſtea Eccleſia, ex vnanimi in illa conſenſu Patres quidquam doceant, id totum, eis iudicibus, reuocandum ad ſucudem noui Teſtamenti, eorum priuato, etiam ruſticano ſpiritu, intellecti: adeo vt literarum penitus exones, de literis fidei pronunciare audeant ac arbitrari. Idcirco licet nouum Teſtamentum ſit omnino vnum, idem & inuariabile, tales nihilominus, minime fuerint eorũ priuati ſpiritus: ac inde neque ipſum nouum Teſtamentum, quatenus illis ſpiritibus ſubijcitur, amplius vnũ & idem, ſed cameleontis inſtar. in mille formas ac ſpecies ab eis immutabunt. Quæ quidem diuerſitas ſpirituum in omnem tandem erumpet intemperiem inimiciæ, iræ ac furoris.

Prudent l. 2 cont. Sym.
Ite procul gentes, conſortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei, diſcedite longe,
Et veſtrum penetrate chaos, quo vos vocat ille
Prauus inferna perplexa per auia noctis.

Vbi precor, carnis integritas inter ſpinas aut tormenta ſupererit? ſimiliter dicere poſſumus, vbi charitas vigebit, cum vbique opinionum diuerſitates fidem in aduerſas partes, violentiſſime diſtraxerint? Exemplũ huius rei petam ex Hollandia. in ea diſſident ac mutuo ſeſe hæreticos vocant *Arminiani* & *Gomariſtæ*. quæro a Proteſtantibus, vt charitas ex fidei vnitate inter eos concilietur, quodnam remediũ? dicent, a partibus audiendam Eccleſiam Apoſtolorum. cæterum illic ambæ partes profitentur ſe eam ſam audire, & ex eiuſdem præſcripto omnino ſentire: quid aliud eis faciendum? Eccleſia illa audienda, affirmabunt, quatenus verbis noui Teſtamenti loquitur, & non aliter. adhuc partes dicent, ſe id præſtitiſſe, ac tandem inueniſſe pro ſuis aduerſis dogmatibus literas noui Teſtamenti eſſe fauorabiles. an vltra has Gades aliquid pelagi nauigabilis, quod *Hercules* aliquis Batauicus emetiatur?

Prud. ibid.
At nobis vita Dominum quærentibus vnum
Lux iter eſt, & clara dies & gratia ſimplex.

Quamobrem duo mala in Ciuitate hinc perficiunt Proteſtantes. Primum, ſpargendo vbique loci venena diſſidiorum in perniciem charitatis. Deinde e medio auferendo omnem auctoritatem, quæ apta ad litem componendum, ad charitatem læſam aut exciſam reſtaurandum.

Aug. Tract. 6. in Ioan. *Oſtende mihi*, inquit S. *Auguſtinus*, *vnde habeant charitatem, qui diuidunt vnitatem?*

Mantuan. li. 3. calamit.
——— *indicium cœli magneta latentis*
Perdidimus-

Prudent. in carm. cont. Infidel.
Quid non libido mentis humanæ ſtruat?
Quid non malorum pruriat?
Fidem minutis diſſecant ambagibus,
Vt quiſque lingua nequior.

Plutarch. de Gen. Socrat. 14 Duplex autem humanæ malitiæ a charitate recedentis, gradus, vt animaduertit *Plutarchus*, dum peculiaria iudicia ac dogmata ſectatur. primus cernitur in appetitu excellentiæ ex ſingularitatis electione, qui humanus dicitur. alter deprehenditur in violenta eorum perſequutione, qui melius ſentiunt: quo vel proxime humana peruerſitas, vt ait, ad diabolicam iniquitatem accedit. Et quidem vterque gradus conſpicuus in Proteſtantibus, qui eis vtrimque violant charitatem. Eorum proinde voces: *Sit autem fortitudo noſtra lex Iuſtitiæ: quod enim infirmum inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Grauis eſt nobis etiam ad videndum.* Sap. 2. Iſtius ingenij fuere Impp. Romani, teſte *Tertulliano*, qui Chriſtianos perſequuti. Tertull. Apol cap. 5.

15 Charitatis erga Deum hominesque ſingularia incitamenta, iuxta ac fomenta, Eccleſiæ ſeptem Sacramenta, omnem vitæ partem Deo dedicantia, præſtantiaque, vt quam ſuauiſſime fortiſſimeq; cum alijs conciuibus cohæreamus, merito cenſenda. proinde eis rebus conſtat magna eorum pars, vt pote aqua, pane, vino, oleo ac balſamo, quæ Sanctiſſimas iuxta ac ciuiliſſimas in ſe continent ſignificationes. Picer. verb. Aqua. aqua apud veteres, ſymbolum eruditionis: quod ſua facie criſtallina rerum ſpecies efformet. eadem concordiæ & cohærentiæ indicium ac cauſa illius enim interuentu arida vel diſparata in vnam maſſam coagulantur: quod & conſtitit in illo primigenio limo, ex quo corpus humanum plaſmatum, vt notat S. *Irenæus*. Iren. l. 2 c 6. Panis ex plurimis granis coalitus: vinum ex multis vuis expreſſum, quæ in vnum quid coeuntes, officium charitatis inter homines aptiſſime repræſentant. Cyrillus catech. 6. Oleum miſericordiam, morum nitorem: balſamum famam ex opinione virtutis prognatã, pulcherrimis ſchematibus ob oculos ſtatuunt. Cum autem expediat, ciuium intelligentias ſupra hæc omnia aſpectabilia ad diuina cognoſcenda & amanda eleuari, tum Sacramentorum conuenientes omnino externæ formæ, quæ egregie hæc efficiunt. In quibus dum ſpiritualia veluti in ſuis ſimulacris contemplamur, non ſolum erga illa animis mirifice afficimur, verum erga alia inferiora ad ea quomodolibet relata, ingenti quadã cupiditate incendimur. Quam autem concinne humanæ vitæ accommodentur ſeptem Sacramenta, quo Deum & in vita ſocios ex charitate diligamus, ita id explicat Catechiſmus Romanus: *Homini ad viuendum, vitamque conſeruandam & ex ſua reipublica vtilitate tradendam, hæc ſeptem neceſſaria videntur: vt ſcilicet in lucem edatur, augeatur, alatur, ſi in morbum incidat, ſanetur, imbecillitas virium reficiatur. Deinde quod ad rempublicam attinet, vt magiſtratus nunquam deſint, quorum auctoritate & imperio regatur. ac poſtremo legitima ſobolis propagatione ſeipſum, & humanum genus conſeruet. Quæ omnia, quoniam vitæ illi, qua anima Deo viuit, reſpondere ſatis apparet, ex eis facile Sacramentorum numerus colligetur. Primum enim eſt Baptiſmus, velati cæterorum ianua, qua Chriſto renaſcimur. Deinde Confirmatio, cuius virtute fit, diuina gratia augeamur & roboremur. Baptizatis enim iam Apoſtolis, vt S.* Cat. Rom. 2. part de Sacram. Sect 11. S. Thom 4. cont. Gent. cap. 58.

Augu-

Lucæ.24.

Auguſtinus teſtatur, inquit Dominus, Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Tum Eucharistia, qua tanquam cibo vere cæleſti ſpiritus noſter alitur & ſuſtinetur. De ea enim dictum eſt a Saluatore: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Sequitur quarto loco pænitentia: cuius ſpe ſanitas amiſſa reſtituitur, poſtquam peccati vulnera accepimus. Poſtea vero extrema Vnctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur & animi virtutes recreantur: ſiquidem beatus Iacobus cum de hoc Sacramento loqueretur, ita teſtatus eſt: Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Sequitur Ordo, quo publica Sacramentorum miniſteria perpetuo in Eccleſia exercendi, ſacraſque omnes functiones exequendi poteſtas traditur. Poſtremo additur Matrimonium, vt ex Maris & fæminæ legitima & ſancta coniunctione, Filij ad Dei cultum & humani generis conſeruationem procreentur & religioſe educantur.

Ioan.6.

Iacop.5.

16. Cæterum renuunt Proteſtantes concedere, adeo bonum ac benignum extitiſſe Deum in genus noſtrum; ſacrorum quippe munerum reſcindunt, efficaciam eorundem negant, effectus repellunt, ſibi proponentes, horum eleuatione, charitatis in Deum feruorem aut penitus extinguere, aut ſaltem ad tenue quid ludentis phantaſiæ reducere. Eorum iu dicis locis ſeptem Duo ſolum ſubſtituenda: *Baptiſmus* & *Cæna*. Ille ex ſententia illorum neutiquam vtilis infantibus. iſta pane & vino meris conſtans, nihil aliud eſt, quam imago Chriſti, per ſolam fidem animas mortalium paſcentis.

17. Verum vt ad quædam paticularia Sacramenta, ad amorem Dei & proximi præcipue conducentia, accedam, Equidem crediderim, nihil tam luculẽto ac pulcro ſchemate vniuerſam naturam ſanctæ charitatis ac ciuilitatis referre, ac auguſtiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum. Retulimus ſupra, vniuerſam Ciuilitatis notionẽ referri ad bonã inſtitutionẽ partis in homine Rationalis, Concupiſcibilis & Iraſcibilis. quarum, ex vno hoc myſterio, recte a nobis conſiderato, optimæ informationes deducuntur. Inprimis transferentes cogitationem ad lumen rationis, in hominis intellectu ſpectandum, eius ſingularem imaginem comperiemus in eximio illo candore, qui lucis Filia, quo ſub ſpeciebus panis azymi contectum hoc Sacramentum eniteſcit & inſtar niuis præ oculis noſtris albeſcit. Color iſte angelicus, virgineus, fraudis neſcius. Iſtius porro viſibiles ſpecies, aquæ interuentu, in vnum ſunt concretæ. aqua autem ſymbolum intelligentiæ. porro dubio procul, gratum Deo ſpectaculũ, in quo videat nos huius myſterij veritati fidem adhibentes, omnem arrogantem in nobis intellectus aſſultum in obſequium fidei ſubducere. Nouimus huius omnes difficultates, nec a Proteſtantibus eas docendi, quibus in nobis intelligentia impeditur ab aſſenſu in obiectum adeo latens & abſtruſum. nihilo ſecius ea vis obedientiæ in nobis ad credendum viget, vti libenter volumus in cultu illius humiliter credere, ſimulac dulciter amare. certe fieri non poteſt, quin Deus adprobet plurimum in nobis hanc mentis diſciplinam & dimiſſionem: veritatis quippe in eo intuitu cõprimimus in nobis reluctantem illius quamcumque peruicaciam. Vlterius ſi affectus aliquis calidus, purus tamen, in voluntate vt concupiſcibili excitandus: vel ſi impurus ac fædus ab ea comprimendus, en tibi aromata omnis generis odoratiſſima, quibus diuinus amor foueatur, fœculentus autem exigatur. En flammas, quibus animæ phænix immoriatur. Eo Chriſtum Dominum iſtius formis comprehenſum, depictum, omnis honeſtæ cupiditatis pabulum, illicium, amoris veri philtrum, dulcedinis fauum. Quod ſi ciuem deceat, honeſta cauſa vrgente, bonoque publico poſito in diſcrimine, dum iniquorum vires in illud inuadunt, facultatis iraſcibilis robora exerere, nihil ad hoc potentius, quam dum videmus martyrij typum in Sacroſancta Euchariſtia, ſanguinem nempe Chriſti domini ſeparatum, quantum ad ſpecies externas, poni in altari a corpore: quo admoneamur, Charitate id poſtulante, quod obſeruauit S. *Cyprianus*, prius ſanguinem noſtrum nos velle effundere, quam Dei & iuſtitiæ partes deſerere. Ne tamen hæc ipſa facultas nimium ferociat, ecce tibi ab hoc eodem Sacramento inſperſum rorem, infuſum lac pietatis, miſericordiæ, ac in alios dulcedinis: quandoquidem ſub eius ſpeciebus ipſemet Deus & homo, cum omni ſua Maieſtate, cum vniuerſis meritis, in placentam humillime noſtri cauſa effingi voluit, in potum eliquari, quibus miſeri homines, adeoque deo aliquando inimici, reficiantur, & eius guſtu delicientur. Quis hunc ſenſum altius imbibens, de cætero in alios ſæuus fuerit aut truculentus? O Sacramentum *Pietatis, ô ſignum veritatis, ô vinculum Charitatis!*

Cypri lib. de Martyr.

Cyrill in cap. 6. Ioan. Cyrill. Hier. Catechis.

Auguſtin. Tract. 26. in Ioan.

18. Enimuero ad totius hominis perfectionẽ acquirendam plurimũ conducunt iſtius Sacramenti veritas ac virtus. nam quod in hominis mente rationale ac diuinum, id hinc multum capit vtilitatis. Imprimis mens & ratio in hoc myſterio deprehendunt epitomen quamdam; ſeu memoriale beneficiorum Dei, vtpote creationis omniũ ex nihilo, Natiuitatis Chriſti, noſtri Baptiſmi, mortis Chriſti, eiuſdem Reſurrectionis, iuxta ac Aſcenſionis. Incipit eſſe modo quodã miraculoſo omnium creaturarũ ſumma ſub ſpeciebus panis ac vini, in ſubſtantias corporis ac ſanguinis Filij Dei tranſeuntibus panis & vini ſubſtãtijs per eam ipſã poteſtatẽ immediate, per quã omnia ex nihilo facta. ſpeciebus panis & vini Chriſtus cõtectus, non ſolũ cũ exili quãtitate, quali demenſus a matre in præſepio ponebatur ac pannis inuoluebatur, verũ etiã vltra Mannæ minutum granũ, in puncto ac indiuiſibili, in altari collocatur. ſcimus ſpecies panis in hoc Sacramento aqua coagmentatas: ac connotamus animis Baptiſmum, vt eo in mẽbra corporis Chriſti myſtici coaleſcamus. Emiſſo cruore & ſpiritu mortuus Chriſtus: iuxta cuius typi rationem, animaduertimus, calicem, illius cruoris eſſe vaſculũ, & *Corporale* ſeu mappã in altari, corporis ſyndonem. Reſurrexit Chriſtus de ſepulcro in ſua perſona: & iã pariter reſurgit, iuxta ac aſcẽdit manibus ſacerdotis a ſepulcro altaris eleuatus. eoq; fine in noſtra corpora ſub ſpeciebus panis intrat, vt ipſe tanquam vitis preſſet, vt noſtræ animæ, vtpote palmites ipſius, a vitijs reſurgant,

Pſalm. 110.

Cyrill. catech. 5.

Exod. 16.

Ephes. 4.

Ioan. 6.

reſurgant, & ad felicitatis coronam tandem adſcendant.

19. Adhuc porro hinc ratio & mens mutuantur ſuas vtilitates. Nouimus corpoream mo- Ariſt.lib. 1. de Anim. lem omnino requiri, vt eam anima, tanquam organicum ſubiectum informet. nouimus nihilominus, hanc ipſam molem, animæ operationes ac deſideriorum conſequutiones plurimum impedire, ſi a materia ſecretas ſubſtãtias velimus animis deſcribere, id corporea quantitas prohibebit. ſi alicubi eſſe deſideremus, in hoc loco nos detinebit vel inuitos iſtius molis extenſio. proinde quo ſignificaret Deus, qualis tandem finis ac reformatio corporeæ iſtius in nobis dimenſionis, multa contra ingenium quantitatis Chriſtus Dominus patrauit: adeo vt primum & vltimum illius miraculum vim quantitatis quodammodo repreſſerint. Dum ex vtero virginis matris exiuit, noluit vt ſui corpuſculi quantitas, materni vteri integritatem violaret: Dum in cœlum aſcendit, ita penetrauit illius ſubſtantiam, vti eiuſdem quantitaté minime diſruperit. quibus notitiam nobis inferre voluit, fore quandoque noſtrorum corporum quantitates quodammodo ſpirituales: nempe ſubtiles ad penetrandum omnia obſtacula, iuxta ac agiles ad adeundum momento omnia loca. Cuius rei ſingulare documentum dedit nobis Deus in hoc etiam Sacramento, in quo vltra noſtras cogitationes, intuemur ſuperatas vires quantitatis: quandoquidem totus Chriſtus ſub minima particula ſpecierũ panis ac vini conti-

Philip. 3. neatur. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ,*
Hilar. lib. 10 de Trinit. *configuratum corpori claritatis ſuæ.* Corpus Chriſti Domini verum & reale, quod tamen ad dimẽſiones quantitatis, ponderis grauitatem, virtute diuinitatis eleuatum ad ſpiritualem quendam ſtatum, *Vt calcet vndas*, quod ait *S. Hilarius. & ſuper fluctus eat, & non degrauetur in greſſu, neque aquæ inſiſtentes veſtigijs cedant, penetret etiam ſolida, nec clauſæ domus obſtaculis arceatur.*

20. Porro quod in homine concupiſcibile, id hinc pariter beneficium accipit. ecquis non amat panem, quem comedit paulo poſt conuertendum in ſui corporis ſubſtantiam: cum ille panis apprehendatur a manducante vt aliquid ſui? Ecquis non amabit Chriſtum, panem ſuum, in quem, illum manducans, conuertendus, habiturusque longe meliorem condicioné, quam ſi in ſeipſo; quantumuis florenti ex imperio, maneret. Communis panis nutriendo, tranſit in nos, & eo nobiliorem ſortem acquirit quam ſi panis eſſet: at hic panis nutriendo mutat nos in illum, & inde ad ſublimorem ſtatum excitamur, quam ſi mere homines, aut etiam mundi Domini, eſſemus. Hic panis proinde ſumopere diligendus. Si quod pulcrum, quod magnum, quod in alios beneuolum, quod opulentum, quod excelſum, quod ex humilitate & munificentia ſuaue, ſit diligendum; hic profecto

Ioan. 6. panis, qui dat vitam mundo; ſupra omnia alia diligendus. quid eſt, quod Filius Dei voluerit

Pſalm. 77. eſſe pro nobis panis non Angelorum modo, ſed & hominum? *Panem Angelorum manducauit homo.* panis Angelorum Manna, quia ab Angelis factũ: hic autem panis Angelorum, quia ſuo conſpectu Angelos paſcit ac ſuſtentat: imo panis, qui Angelos creauit.

21. Panis iſte ob vim Charitatis in nos, primus 1. Reg. 21.
inter panes calidos, qui olim in conſpectu Dei per ſacerdoté proponebantur, nos vt in ſe immutat, ita nos panes, idque charitate calidos, iuxta ac vinum meraciſſimũ cupit eſſe. Hoc vero fit, quando doctrina, opere, conſilio, auxilio, ſumus alijs panis ac vinum, quibus indigentes paſcantur ac in Chriſtum nobiſcum paſti ac poti conuertantur. ſi hoc officium Charitatis decuit Filium Dei, nos ad eius exemplar itidem conuenit idem alijs præſtare, vnde ex pane robur, ex vino ſpiritus hilaritudinem conſequantur. Hoc vero amantium fuerit, recteque concupiſcentium.

22. Amor ingenioſus paſſim dicitur, quo ſe amato communicet. exiſtunt quidem & alij amores ſatis igneo ingenio præditi, quo amantium vota expetitis bonis potiantur: quales amores exiſtunt, vt loquuntur *Concupiſcentiæ*. hoc modo auari & fures amore habendi incenſi, miros quoſdam modos incredibili quadam mentis vi excogitant ſibi acquirendi compendia. corporum pariter amores, arcu ſuo Cupidineo, ſcilicet inſtrumento ingenioſi doli, vtuntur, quo ſuas obtineant voluptates. Cæterum iſte Dei amor in nos, quem oſtendit in hoc Sacroſancto myſterio, non eſt amor concupiſcentiæ, delatus in amantis bonum, ſed amicitiæ, amatæ perſonæ ſpectãtis commodum: in quod tendit non ſolum acri niſu, verum etiam ingenioſiſſimo ſchemate. Natura & nutrices quadam ingenij ſolertia imbuuntur, vt ab eis ad infantes alimentum a prædeuetur, quod alioquin ſui origine a tali effectu longe diſſitum videatur. Cæterum omnium ingenia, vel maxime excedit diuinæ bonitatis per hoc Sacramentum exhibitæ ingenium; quod non ſolum efficit, vt corpore & ſanguine Filij Dei lætemur, ſed inſuper vt ſub nobis gratis ſpeciebus panis & vini, tanta Dei dona in nos inferantur. qua in re non ſentimus balnei tantum fomentum, non malagmatis ſalubritatem, quæ extrinſecus manent, etiam dum ſanant, ſed internis ipſis animi præcordijs, corporiſque intimis viſceribus excipimus Chriſtum Dei Filium, & hominem Sacratiſſimum. quod precor amantis ingenium vel in ſuam vtilitatem quantumuis intenti, ſimile aut par huic ingenio nos amantis Chriſti, in noſtrum emolumentum delato? In quo ingenio oſtendendo humilitas & Charitas quodammodo contendunt, quæ maiores partes in hoc beneficio ſibi vendicaret. Ingenium idcirco Chriſti vſum adhibuit etiam cum infinita poteſtate, ſummæ humilitatis: dimiſit enim ſe Chriſtus eo noſtri cauſa, vt ſpeciebus modici panis & vini veluti *Dauidis* inſanientis coram *Achis* Rege, teſte Aug. in pſal.
S. Auguſtino, totus contineretur: humilitas eſſe- Ioan. 1.
ctus extitit omnino infinitæ virtutis: adeo bene Luc. 13.
inter ſe conueniunt humilitatis agnus, ſynapis granum, cum ſole & gigante robuſtiſſimis: quis enim præter Deum, hoc potuerit vnquam efficiſſe? Nos vulgariter

ex

ex infirmitate humiliamur, Deus autem ex ma-
xima poteſtate. Deinde ingeniũ hoc diuinum,
amore in nos acuebatur, præſtititque, vt Deus
hoc pacto in noſtram reſectionem, in noſtras
delicias, in noſtram firmitatem & conſolationẽ
eſſet ingenioſe amans, & amanter ingenioſus.
Equidẽ haud miror illud ingeniũ, quod propriũ
conſectatur prouentum: inſtruitur enim ab a-
more concupiſcentiæ, quam etiam naturæ intẽ-
peries efferauit: ſed illud ingeniũ demiror, quale
in Chriſto Domino, quod cũ ipſius humilitate,
noſtra decora & emolumẽta efficaciſſime pro-
Chriſo. ho- curauit. Hoc ingenium enimuero dignum
mil. 50 ad Deo, idoneaque nobis propoſita idea, quam a-
pop. mantes imitemur. Quid hoc, quod ſanctus dei
amor vel ad pueros deſcenderet! in more enim
Euag. lib. 4. poſitum, teſte *Euagrio*, vt pueris ac impuberibus
Hiſt. c. 35. darentur particulæ ſanctæ Euchariſtiæ, ſi quæ
ſupereſſẽt comedendæ. quo quid Dei reſpectu
humilius aut amantius! quæ hæc Dei in nos te-
neritudo! hinc enim non ſolũ Dei amor nobis
conciliatur, ſed Deiparæ virginis & Sanctorũ
amores acquiruntur. cuius rei indiciũ apud eũ-
Niceph. lib. dem *Euagrium* & *Nicephorum*, quod puer forte ex
17. Hiſt. c. 25 eadẽ Euchariſtia cum ſocijs pueris comedens,
id patre Hebræo reſciẽte, ab ipſo fuit coniectus
in ardentiſſimã fornacem: in qua illæſus per tri-
duũ, & ſeruatus interrogãti matri rei cauſã dix-
Euag. lib. 4. it, *Mulier veſte amicta purpurea, crebro ad me venit,*
Hiſt. ca. 35. *porrexit aquã, qua carbonum flammas corpus ambien-*
tes extinguerem: cibũ denique dedit, quoties eſuriebã.
Valde credibile, hanc mulierẽ, extitiſſe Deipa-
rã virginẽ, ex qua, veluti fornace, charitate ar-
dẽtiſſima, eat tractus panis Euchariſtiæ Sacroſã-
ctæ: quo notũ faceret, pie de hoc Sacramẽto par-
ticipantes, ſub ipſius peculiari præſidio vitã a-
gere & manere. Hic Dei amor vltra imaginẽ ſui
largiendo eſt progreſſus ad res ipſas corporis &
ſanguinis Filij Dei. Cũ enim Iconoclaſtæ hæ-
retici pronunciarent, adorandã imaginẽ Chri-
ſti in Euchariſtia, iſtis vocibus ſe oppoſuere eis
Baron. Tom Patres in Cõcilio ſeptimo: *Ergo liquida demonſtra-*
9. pag. 591. *tũ eſt, quod nec Dominus nec Apoſtoli, aut Patres ima-*
ginem dixerunt ſacrificium ſine ſanguine, quod per ſa-
cerdotẽ offertur. ſed ipſum corpus & ipſum ſanguinem.
23 Quod autẽ ſpectat ad facultatẽ in nobis ira-
ſcendi, ſeu fortia & difficilia aggrediẽdi, in hoc
ipſo myſterio præſtantiſſimã normam eam in-
ſtituendi cõtemplamur. officiũ hoc perſpicimus
in quadẽ temperie poni humilitatis & audacita-
tis. ſi quod humile in nobis, id ſine audacia re-
periretur, prorſus elumbe, merſque iaceret. Vi-
ciſſim ſi audacia ſola imperaret, robuſta, cæ-
ca, ac bruta in nobis cerneretur aggreſſio. id-
circo vt in Chriſto, Dei agno, quantũ ad vitæ
conuerſationẽ humilitas videbatur, ita in mor-
te, in perpeſſione ærumnarũ, quo Patris impe-
Bernardi riũ exæquebatur, vt notat *S. Bernardus*, leonina
Serm. 22. in fortitudo ſpectabilis erat. imo in hoc ipſo Sa-
Cantic. cramento vtriuſque formas luculenter expreſ-
ſit. Bone Deus, quanta humilitas Filii Dei, ſpeci-
ebus panis ac vini contegi, manibus ſacerdo-
tis tractari, eleuari, deponi! quanta etiã fortitu-
do eiuſdẽ, qua ſanguinem, qui in calice, ſparſit,
quo patri obediret, & nos viciſſim eidem recõ-
ciliaret? Docet idcirco nos hoc ſacroſanctũ my-
ſteriũ, quod ad vim iraſcendi mites debere nos
eſſe & humiles, iuxta ac audaces forteſque. ſicut
Chriſtus Dominus in hoc Sacramento ſe agnũ Auguſtin in
præbet, vtpote ſacerdotis manibus & voluntati pſalm. 33.
ſubiectũ, nihilominus leonem quoque ſe eodẽ
oſtendit, & leoninos ſpiritus de illo communi
cantibus pollicetur. alij agni quidem ſuæ natu-
ræ condicione imbelles, maxime autẽ cum pro-
prio cruore madent. Hic vero agnus, etiam ma-
nens agnus, bellicoſiſſimus, ſuo vel cruore pur-
putatus, martios conatus exercet, & ad bellum
animat conuiuas. *Idoneus non poteſt eſſe ad marty-* Cypri. ep. 54
rium, ait *S. Cyprianus*, *qui ab Eccleſia non armatur ad*
prœlium, & mens deficit, quam non recepta Euchari-
ſtia erigit & accendit. Ob quam vim iraſcibilem,
prodeuntem ex hoc ſacro myſterio rite ſuſcep-
to dicit *S. Chryſoſtomus*, Communicantes rece- Chriſoſt ho
dere ab altare veluti *Totidem leones ignem ſpiran-* mil. de En-
tes, & Dæmonibus factos terribiles. Cũ ergo omnẽ cœni.
animi partẽ, rationalẽ, cõcupiſcibilẽ & iraſcibilẽ
inſtituat hoc Sacramentum ad excellentiã vir-
tutis. tum quod ſpeciem ingerat aliorum dono-
rum Dei, recte dici poterit Topazius lapis pre-
cioſus; in quo ſolo, vt ſcribit *S. Hilarius*, *Cæterarũ* Hilar. Enarr.
gemmarum optimarum, precioſiſſimarumque ſpecies, in pſalm. 118
& in vna illa diuerſiſſimorum colorum permixtio
cant meantur.
24. Proinde ad hoc Sacramentum rite ſuſcipi-
endum, requiri videtur cuiuſdam belli præpara-
mentum. Poſtquam *Abraham* hoſtes debellaſſet, Gen. 14.
fratrem *Lot* cum alijs ex ſuo populo eorum ma- Heb. 7.
nibus eripuiſſet, tunc ei occurrit *Melchiſedech* rex
Salem, ſeu iuſtitiæ, & pacis, vt ait Apoſtolus:
qui ſacerdos Dei quod eſſet altiſſimi, in typum
Euchariſtiæ, vt loquitur *S. Cyprianus*, panem & Cypri in
vinum in gratiarum actionem Deo immolauit. cœn. Domi.
tunc ſcilicet ſuauis tunc ſalutaris hic panis, &
pingue illius holocauſtum, quando vitiis, pra- Pſalm. 19.
uiſque affectionibus, vtpote prophanis Regibus,
eorum quaſi cæde facta, ſuperatis: quando ani-
mæ facultatibus a ſeruitute voluptatum in li-
bertatem rationis vendicatis. quis ad Euchari-
ſtiæ diuina Sacra accedit. Pace animum a vi-
ctoria prius ſerenante, & iuſtitiæ gladio præua-
lente in malefacta, ſubinde gratus fuerit aduen-
tus *Melchiſedech*, grataque Panis & vini libatio.
Arma autem antea ab *Abrahama* in peccata mo-
uenda qua eorum confeſſione, qua ob ea com-
miſſa cordis contritione, qua propoſito non
amplius addicendi animæ vires eiuſmodi deli-
ctis: veluti quis cum eodem *Abrahama* familia-
res ſuos a captiuitate liberaret, vt ad Sacroſan-
ctæ Euchariſtiæ guſtum, veluti in ſomno medi-
tationis, cum fructu adſpiremus. Hoc modo
dormiente *Iona* Propheta, ad eius caput deuo- Ion. 4.
lutus fuit panis ſubcinericius: *Dulcis eſt ſomnus ope-* Eccleſ. 5.
rantis, ſiue parum ſiue multum comedat.
25. Enimuero ferreus omnino is debet eſſe,
qui ad hoſce calores non incaleſcat, vel non
ſumma pietate in Deum & homines ex eis
molleſcat. Atque inter cætera iſtius di-
uiniſſimi edulij beneficia, id imprimis elu-
cet, quo viatici nomen remque ipſam ſu-
bit, ad eos in extremis ferme poſitos
aduentantis, qui ab omnibus rebus mundi de-
ſerti, robur & conſolationem tanti hoſpitis ap-

pulſu moribundi prǽſtolantur. Referam ſolum in argumentum dicti, quod *Angelus Politianus* de *Laurentio Medices*, Magno *Hetruriæ* Duce Teſtis oculatus literis mandauit. *Nocte dein media quieſcenti meditantique ſacerdos adeſſe cum Sacramento nunciabatur. Ibi vero excuſſus, procul, inquit a me hoc abſit: patiar vt Ieſum meum, qui me finxit, redemit, ad vſque cubiculum huc venire? Tollite hinc obſecro, me quam primum, tollite, vt domino occurram. Et cum dicto ſubleuans ille ſe, quantum poterat, atque animæ corporiſque imbecillitatem ſuſtentans, inter familiarium manus obuiam Seniori ad aulam vſque procedit. Tum is ad genua prorepens, ſupplexque ac lacrimans; Tune inquit mitiſſime Ieſu, tu nequiſſimum hunc ſeruum tuum dignaris inuiſere? at quid dixi ſeruum? imo vero hoſtem potius, & quidem ingratiſſimum, qui tantis abs te accumulatus beneficijs, non tibi dicto vnquam audiens fuerim, & tuam toties maieſtatem læſerim! Quod ego te, per illam, per quam genus omne humanum complecteris, charitatem, quæque te cœlitus ad nos in terram deduxit, noſtraque humanitatis induit inuolucris; quæ famem, quæ ſitim, quæ frigus, æſtum, labores, irriſus, contumelias, flagella, & verbera: quæ poſtremo etiam mortem crucemque ſubire te compulit. per hanc ego te Salutifer Ieſu, quæſo, obteſtorque, auertas faciem tuam a peccatis meis: vt cum ante tribunal tuum conſitero: quo me iamdudum citari plane ſentio, nō mea fraus, non culpa plectatur, ſed tua crucis meritis condonetur. Valeat, valeat in cauſa mea ſanguis ille tuus, Ieſu, precioſiſſimus, quem pro aſſerendis in libertatem hominibus, in ara illa ſublimi noſtræ redemptionis effudiſti. hæc atque alia cum diceret, lacrimans ipſe, lacrimantibusque qui aderant vniuerſis, iubet eum tandem ſacerdos attolli, atque in lectulum ſuum, quo Sacramentum commodius adminiſtretur, referri. Quod cum ille aliquamdiu facturum negaſſet, tamen ne Seniori ſuo foret minus obſequens, exorari ſe paſſus, iteratis eiuſdem ſententiæ verbis, corpus ac ſanguinem Dominicum, plenus iam Sanctitatis, & diuina quadam maieſtate venerandus, accepit.*

Angel. Polit. Epi.

26. Si porro Principum ſtudiis idoneum, ſubditos inter ſe amantes & ab inferendis iniurijs auerſiſſimos habere, dubio procul, ad id maxime conducere iſtius Sacramenti neceſſitudinem, eis ſatis fuerit manifeſtum. Eſt enim hoc Sacramentum, charitatis Sacramentum, in quo ciues idem corpus & eiuſdem Chriſti ſanguinem participantes, horrebunt eis malum aliquod inferre, quos Chriſtus tantarum rerum communione ita coniunxit, nobilitauit.

1. Cor. 10. 11.

Eſt aliquid ſpectare Deos, & adeſſe putare,
Et quaſi cum vero Numine poſſe loqui.

Ouid. 2. de pont. ad Cottem.

Copulam hanc hominis cum Deo ita expreſſit S. *Chryſoſtomus: Vnum corpus ſumus, membra carnis Chriſti, & oſſium eius.* Vniuerſum virtutum apparatum, diuiniſſimum hunc cibum comitari idem affirmat, ex quibus perfecta ciuilitas conſummatur. *attendamus nobis, dilectiſsimi, talibus fruentibus bonis: & cum aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quopiam huiuſmodi vitio, conſideremus, quibus ſumus facti digni: taliſque cogitatio nobis irrationabilium motuum ſit correctio. Hoc enim myſterium non a rapina tantum, verum & ab omni tenui inimicitia purum eſſe penitus iubet: eſt enim Pacis myſterium.*

Chriſoſt. homil. 44. in Ioan. Hom. in Encen. Homil. 62. 83. in Matt.

Non ergo mirum, ſi modo fonte in medio paradiſi poſito ac ſcaturiente, illico vndiquaque flores erumpant:

Gen. 2.

Turget humus, medioque patent conuexa ſereno,
Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia nigro
Induit, & dulci violas ferrugine pingit.

Claudia. lib. 2. de Rapt. Proſerpinæ.

Quemadmodum mater dum ſuo infantulo blanditur, varia ſigna exprimit ſui in eum affectus: vtpote ridenti vultu, cantu & ſimilibus: maxime vero id efficit, vbera ſua exerendo, quæ fontes nutrimenti: ita dicere poſſumus, deum olim generi noſtro veluti infantulo ſingularis amoris ſignificationes dediſſe: cæterum id modo excellentiſſime peregiſſe, vbera ſua aperiendo, & ea nobis præbendo: quæ ſunt ſpecies Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: ex quibus lac, mel, & vinum, æternæ vitæ alimentum, fidei ſimplicitate & vitæ innocentia infantes haurimus. Certe cruor Domini, qui in calice a nobis agnoſcitur, egregium ſymbolum diuini amoris in nos, cum eo conſtet Deum nos amaſſe vſque ad ſanguinis effuſionem:

———*vires ſanguis amoris habet.*

Ouid. ep. Dei. (?)

27. Cæterum, vt mihi cum Card. *Bellarmino* videtur, vltra veritatem realis præſentiæ in hoc Sacramēto, in eo nō eſt exquirēda ratio productionis iteratæ, quæ Phyſica ſit: quaſi eiuſmodi actionis vi corpus & ſanguis Domini denuo producantur; ita vt ſi non exiſterent prius, modo virtute tranſubſtantiationis fierent Phyſice. Verum quidem, Sanctos Patres, *Cyrillum Hieroſolomitanum*, S. quoque *Ambroſium* in hoc myſterio tranſubſtantiationem comparare omnium creationi ex nihilo, mutationi itidem aquæ in vinum: nihilominus ſimilitudines in omnibus non requirunt proportionem conuenientiæ, ſed ſolum in eis, quæ inſeruiunt inſtitutæ decretæ illuſtrationis. voluere itaque Patres eis ſimilitudinibus Duo ſignificare. primo, nihil ſubſtantiæ panis & vini ſupereſſe, corpore & ſanguine Chriſti incipientibus eſſe ſub ſpeciebus panis ac vini: deinde ad hoc præſtandum, non deeſſe Deo poteſtatem. Compararunt etiam aliquando Patres hoc myſterium incarnationi: in quo, ſi formalem terminum reſpiciamus, vi cuius homo ſubſtantialiter Deus, nulla interuenit ex multorū ſententia, productio Phyſica: ſed aliquid aliud a nobis minime cōceptibile, vti alias adnotauimus. Comparant quoque Chriſti Natiuitati, in qua nihil apparet phyſicæ productionis. Hoc equidem ſenſerim, ne maiorē difficultatē, quæ credulitatē noſtrā moretur, myſterijs adferamus opinionibus, quam neceſſe. Proinde veteres Doctores Scholaſtici, qui in hoc myſterio ſubſtantialem terminum actionis diuinæ adſtruerent, ſatis duxere, affirmare, Chriſti corpus & ſanguinem eſſe ſubſtantialiter præſentia in hoc Sacramento, non vero per aliquē duntaxat eorum effectum, aut typum: quo pacto dicere ſolemus, aliquem in certo loco fuiſſe in perſona præſentem. Quod autem difficile intelligere in hoc Sacramento verborū vi denouo fieri corporis & ſanguinis Chriſti Domini reproductionem, oſtendi poterit hoc argumento.

Cyril. Catec. 5. Myſtag. Ambr. lib. 2. de Sacram.

28. Vt aliquid produci cogitemus, ſiue primo ſiue

ſiue ſecundo, debent talis productionis animo conſtitui Duo termini inter ſe oppoſiti & incompoſſibiles, vti ſatis cōſtat ex Philoſophia. verum tales termini deſignari non poſſunt in hac ab aliquibus aſſerta reproductione, ergo huiuſmodi reproductio non eſt aſſerenda. Maior propoſitio ſatis manifeſta. Minor ita oſtenditur. Iſti termini, ſi qui fuerint, debent eſſe termini *A quo* motus progreditur, & *In quem* motus deſinit. deinde termini ita debent eſſe oppoſiti & incompoſſibiles, vti Terminus *A quo* præciſe tantundem neget ſiue per priuationem ſiue abſolutam negationem, quantum terminus ad quem ponit ſeu realiter conſtituit. Iam vero quod ad hanc reproductionē, terminus *A quo* aut eſt negatio ſubſtantialis corporis & ſanguinis Chriſti quantum ad exiſtentias, aut negatio eorum quantum ad denominationem ſecundo productorum: ſcilicet non eſſe reproducta, vel non eſſe reproducta tot vel tot vicibus. prius genus termini a quo adſtrui non poteſt: quandoquidem ante hanc reproductionem realiter erant corpus & ſanguis Chriſti, neque ſunt incompoſſibilia cum termino ad quem, quo ſupponitur reproduci ſubſtantialiter ſeu quantum ad exiſtentias. At neque alterum ſtatui poterit; nam ſicut terminus ad quem ſubſtantialis productionis dicit mere & pure ſubſtantiam exiſtentem, & non denominationem qua dicitur talis ſubſtantia ſecundo, aut tot vicibus producta: nam ſi hanc in ſe clauderet formaliter, non daret ſpeciem actioni phyſicæ & ſubſtantiali; qualis enim terminus formalis, talis actio. iſti vero Termini *Primo, Secundo*, ſunt meræ fabricæ intellectus cōparatiui: ita Termin⁹ a quo cogitandus mere & pure negatio aut priuatio ſubſtantiæ quantum ad exiſtentiam. ſed talis negatio aut priuatio implicat contradictionem, & eſt falſa. quandoquidem perpetuo corpus & ſanguis Chriſti exiſtunt. eſſe vero & non eſſe aſſerta de eodem ſubiecto implicant contradictionem. *Eſſe & non eſſe, ait S. Hilarius, contraria ſunt, neque hæ diuerſæ ſignificationes in vnum atque idem coeunt, quia manente alia, altera non erit.* Ac reuera licet actione ſubſtantiali aliquid ſubſtantialiter tranſiret ab eſſe primo ad eſſe vice ſecunda, nihilominus tranſiret a duobus terminis *a quibus* ſcilicet *a non eſſe ſubſtantiali*, iuxta ac *a non eſſe ſecundo*: & tranſiret pariter ad duos terminos *ad quos*, nempe *ad eſſe ſubſtantiale* & conſequenter *ad eſſe vice ſecunda aut tertia*. hi etenim termini diſtinguūtur ſpecie & genere, vt patet: nam *non eſſe ſubſtantiale*, & *eſſe ſubſtantiale* ſunt ſuo modo ſubſtantialia & pertinēt ad genus phyſicum. at *non eſſe ſecunda vice* & *eſſe ſecunda vice*, ſunt termini ſolum rationis conferentis & comparantis.

29. Si ad hos magnos effectus ac ſacræ ciuilitatis impreſſiones eximias, comparatio inſtituatur inter Catholicam Euchariſtiam, ac Proteſtantium panem & vinum ſeu ceruiſiam, Deus bone, quanto interuallo diſtabunt? illis ſymbolis non plus attribuunt quam ſignis Chriſti, animam hominis per fidem nutrientis: quantum etiam ſoli, lunæ, aut alijs picturis, per modum obiectorum fidem excitantium, poterunt iure concedere. quod ſi illis forte annexa promiſſio gratiæ, ſiue fidei, eorum vſu corroborandæ, quid illis amplius permittunt, quam Scripturis, quam miraculis, quam hiſtorijs, quæ etiam fidem ſimili modo corroborare poterunt? Quæ fides, ſi numquam amitti queat, aut tentatione expugnari, quod ipſi ſentiunt, cui precor inſigni commodo ſuccurrit Sacramentum, fidem excitando vel ſtabiliendo, ſine quo, ſalute ex fide integra & ſecure perennante? veræ itaque Proteſtantes Euchariſtiæ gratiæ, & veritati aduerſati, eos ad id inſtigante diabolo plurimis virtutibus inter homines eodē repugnant, eaſque a ciuitate repellunt. Etenim catholica fides huiuſce myſterij egregium apparatum religionis, qua templorum ſtructuris, qua altarium ſplendoribus, inſtruit. Eadem Sacerdotes, tantorum ſacrorum cum confectores, tum diſpenſatores, virginitate exornat, graui veſtitu coercet, vitæ puritate imbuit: ac timidos reddit, ne alicunde inquinati, indigna euadant eorumdem receptacula, aut tractatores inidonei. harum idcirco virtutum hoſtes Proteſtantes, qui Euchariſtiæ loco panem merum ſubſtituunt cum potu, ſcientes, talium domeſticorum Elementorum non eſſe tantam religionem, aut ad ea adminiſtranda tantam innocentiam, vel eiuſmodi virtutum excellentias, poſtulari. In centrum hoc incidunt omnes eorum ac dæmonum hac in re conatus & impietates. Nolunt virtutes, charitatis ardores deteſtantur, religionis ornatus odio proſequuntur, ſanctitatis aromatica lumina prophanare cupiunt, caſtitatis ebora conſpurcari & exſcindere moliuntur.

30. Inter ſingulares charitatis & amoris mutui ſpecies, illa præclara, quæ virum & vxorem amanter ſancteque conſociat & in officio continet nexus coniugalis. a qua beneuolentiæ forma plurimæ aliæ in ciuitate propagantur: ſicut ex aduerſo, illa violata, emoriuntur. Amor etenim ille: quod & alias diximus, qui matrimonio proprius, aliam prorſus faciem intuetur amabilis cuiuſdam formæ, quam illa eſt, cuius decus depingit color in ore flagrans aut vernans, quam in corpore artuum venuſtates oſtentant, vel in ſermone ſuauiloquentia commendat: neque exterius ſui obiectu in oculos intuentium obuia incurrit, ſed animi ipſius latentibus bonis complexa, ſolius rationis acumine peruestigabilis, interius prorſus deliteſcit & alicit.

Coniugium, pactamque fidem non crimina poſco, Ouid epiſt.
Debitus vt coniunx, non vt adulter, amo. Acont. ad Cydip.

31. Quocirca ad confirmandum animos coniugum inter maximas illius ſtatus difficultates, Sacramenti ratio fuit a Chriſto domino in Chriſtianorum connubijs inſtituta: vt ei inde ſumma indiſſolubilitate accreſcenti, ſumma pariter ſanctitas oportune vtriſque ſuccurreret. Fidem datam proinde in negocio tam ſacto infringere, graue crimen habebitur a coniugibus: & omnino piaculum ducent, adulterio non ſolum iuſtitiæ aduerſari, ſed etiam Sacramenti ſanctimoniæ, Chriſtique Sanguini dedecus inferre. Olim inter reliqua, inſpectum cingulum, quo vxor a marito cingebatur, admonebat coniuges, quam ſacrum, quam inuiola- Alexander. s Neopol. lib. 2. ep. 5.

 bile,

bile, quam ad obſequium promptum eſſet matrimonium.

Ouid.ep. Phyllis.

Cui mea virginitas auibus libata ſiniſtris,
Caſtaque fallaci zona recincta manu.

verum Chriſti ſanguis, quo ipſe Deus, non *Veneris* æſtus, ſacrat coniugum matrimonia, ad hoc conducet multo efficacius. Quamobrem exemplum amoris Chriſti erga Eccleſiam, cuius ſignum, coniunctio Matrimonialis inter virum & fæminam, confirmabit coniuges in mutuo &

Ephe. 5. Gen. 16.

inuiolabili amore. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Dilexit Chriſtus Eccleſiam, vt *Abraham* Æthiopiſſam. Diligit quidem,

Origen. in 6 cap. Gen.

tametſi eius membra maculas rugaſque contrahant, vt eius amore abſque ruga erroris aut macula malefacti, demum floreant. quo ſancte admonentur coniuges, leuiora delicta aut quaſuis imperfectiones non debere ardorem charitatis inter eos extinguere: ſed potius eo tendere, vt meliores, ſanctioreſque amoris continuatione euadant. Enimuero vt ſanguini Chriſti non inferenda contumelia, ita neque fidelitati coniugali, eo ſacratæ, iniuria. Cuius diuinæ inſtitutionis ſcopum eſſe affirmat Ca-

Catechis. Rom. ca. de Matrim.

thechiſmus Romanus, *Vt mutua charitatis vinculo coniuncti, alter in alterius beneuolentia cõquieſcat.* Qua concepta a coniugibus ſanctimonia Sacramenti, ſimul cum eiuſdem inde orta indiſſolubilitate, vt *Ad Iracundiam & diſſidia tardiores eſſe conſueuerint, eademque etiam ſingulari quodam, ſancto ac puro amore coniuncti.* Demum ſubiungit: *Vt populus ad veri Dei & Saluatoris noſtri Chriſti cultum & religionem procrearetur atque educaretur, Sacramenti dignitas illi tributa eſt.* Ex quibus videmus, quanta vtilitas a fidei myſterio, in Chriſtianorum coniugijs ſpectabili, ad ciuiles vſus dimanet.

32. At proteſtantes quod ad ſeruandum hoc vinculum matrimonij illæſum, non tantum ſacri illi adijciunt ſuo dogmate, quantum olim Ethnici: putantes nempe illud contractu mere ciuili conſtare; adeoque in multis caſibus ita diſſolubili, vt partibus etiam viuentibus, a diuortio licitum ſit aliud inductum matrimoniũ. haud ergo mirum, ſi non tam religioſe ſeruent leges matrimonij vt nos: ſi parum timeant violatione thori ciuile pactum reſcindere & contaminare: ſi nullo egregio amore apud illos coniuges inter ſe deuinciantur.

33. Atque in vniuerſum charitas, quæ aliorum bonum reſpicit, ortum ſortitur in ſui mortificatione, in imminutione amoris proprij, in ſeuera diſciplina cohibente in homine facultatem concupiſcibilem & iraſcibilem, vt alias oſtendimus. iam autem declaratum, fidei Catholicæ ſententiam validam eſſe ad appetitum ſenſitiuum omni ex parte refrænandum: contra credulitatem Proteſtanticam tam concupiſcentiæ voluptate quam iræ cruditate eſſe infamem. quamobrem ex quibus capitibus oſtenditur, eos eſſe voluptati deditos, ira rabidos, eiſdem probatur, erga alios reperiri eos pariter truculentos, charitatis penitus expertes. Etenim tam voluptatis appetitio ingens, quam ſuperbiæ impetus ardentior, crudelitatem & indolentiam ad adſpectum miſeriarũ in alijs proferre ſolent.

Optimates populorum inquit *Amos* propheta, pompatice *ingredientes domum Domini, nihil compatiebantur ſuper contritione domus Ioſeph.* Præcipua Amos. 6.

autem munimenta ad charitatem, omnemque virtutem expugnandum a diabolo vſurpata, ſunt mentis ſuperbia & carnis luxuria, vt notat *Iſidorus*: in quæ vitia quam ſint prona dogmatum inſtinctu ingenia Proteſtantum, iam ſatis dixiſſe videamur. Iſidor. lib. 2. de ſum bon. ca. 39.

34. Inflammat porro ardor charitatis orthodoxos cupiditate peregre proficiſcendi in barbaras nationes, vnde luce Euangelij imbuantur ac ſaluentur. idem illos commouet ad eam induſtriam actionis, quæ naturæ indoli difficillima: vt pote quæ tam legis naturalis & diuinæ obſeruationi impenditur, quam aliis Conſiliorum inſtitutis: nempe ſtudio paupertatis voluntariæ, obedientiæ, caſtitatis perpetuæ. Cæterum ſi quæ in Proteſtantibus charitas, ea ad hæc officia plane langueſcit. de profectionibus Apoſtolicis, a noſtris ſuſceptis fertur *Caluinum* dixiſſe: *Relinquamus hoc negotium locuſtis illis, qui nomen Ieſu mentiuntur.* Ex quibus video, Proteſtantes ſaltem vna virtute commendabiles: nempe quod in ſacris negotijs haud ſint auari aut nimium rapaces, plurima, nobiliſſimaque virtutum opera Ieſuitis vltro relinquentes. Ad aſpectum vero legis naturæ & Dei, veluti Gorgonum, obſtupeſcit in eiſdem charitas: ac cauſatur, imparem ſe eſſe in ipſis quæ conando earum impoſſibilitates exæquet. Quales vero ipſi ſolide & expreſſe ſint, a nemine credibilius relatum puto quam ab ipſo *Caluino. Præclarum quidem*, ait, *Zelum ſimulant: ſi tamen intus excutias, reperies plenos eſſe fraudibus. vix eorum decimum reperies, qui alio fine nomen Euangelio dederit, quam vt ſolutius in omnem laſciuiã diffluerent.* En flores primitiuæ Eccleſiæ! en eius charitatem in locis Proteſtantum! Caluin. in 2. cap. pet.

35. Catholici de Iuſtificatione ex opere operantis definientes, neceſſarium ducunt præparamentum in animo peccatoris, motum charitatis in Deum, vt bono motu conuertatur, qui peccando ab illo prauo auerſus remanſit: quem ſtatim ſequitur gratiæ iuſtificantis a Deo infuſio. Conuertimur enim ad Deum, ipſum amando, vt ille ſe ad nos conuertat ſuo munere nos ſanctificando. veritate conuerſionis noſtræ, de terra orta, illico iuſtitia conuerſionis Dei ad nos, de cælo proſpicit: ambæque conuerſiones præclaro oſculi modo conueniunt. Proteſtantes autem ne iuſtificatio ſit ex operibus, & non ex ſola fide, hunc charitatis motum ad iuſtificationem minime requirunt. Nam ſi fidem iuſtificantem iſte amor præcederet, illi Deum tunc diligerent, qui in Chriſti redemptionem nondum credunt: quod longe abſurdiſſimum. Excidit ergo amor Dei omni loco diſpoſitionis ad iuſtificationẽ, ſi vera Proteſtantũ doctrina.

Concil. Tri. Seſſ. 5. cap. 6

Pſalm. 84.

36. Et quidem nos ita diligimus proximos, vti nobiſcum ſtatuamus, in illos odium aut iniuſtitiam grauiorem, animæ Sanctitati repugnare. Vnde cauti ſumus, ne illos vnquam lædamus, aut in quouis genere emolumenti eis detrahamus. in quos ſi forte quid iniqui commiſerimus, e veſtigio nos vrget ſolicitudo ad ſa-

tis-

tisfaciendum, ac reſtituendum, intelligentes, a ſatisfactione & reſtitutione voluntatem alie-nam, exortem eſſe omnis amicitiæ cum Deo. quo curioſe propterea inquirimus de ſpeciebus & gradibus iniuriarum, Caſus vt loquuntur, conſcientiæ in materia iuſtitiæ expendentes, vnde melius & exactius, quæ in illo genere delicta vel maxime diffugienda, iuxta ac quorum ritu pro illis commiſſis a nobis ſatisfaciendum. Verum Proteſtantes iam ex ſua fide certi exiſtunt, nullam proinde in conciues fraudem, vllumue malefactum, ipſis, vt pote iuſtis & prædeſtinatis, imputandum, aut nocumentum animæ intuliſſe credunt, tametſi apud ſe ſtatuerint, numquam velle pro illis ſatisfacere, aut ablata reſtituere. Nam ſi factum ipſum furti non imputatur illis: quod etiam in ſanctum & iuſtum virum abſque damno iuſtitiæ, vt ipſi ſtatuunt, poterit incidere; quamobrem quæſo imputaretur propoſitum numquam reſtituendi ablatum? Qualis tunc precor, ex barbarie peſtis vitæ ſacræ & ciuilis, Proteſtantiſmus?

37. Catholici incitatione diuinæ charitatis vehementer cupiunt arctiſſime vniri cum Deo: in hac quidem vita per gratiam, & in altera per gloriam. in quem finem amorem Dei & proximi colunt, cuius merito copioſiorem gradum iuſtitiæ ſimul ac viſionis beatificæ donum conſequantur. vt enim in catena ferrea tracta a magnete, primus circulus fortius trahitur quam remotiores, quod magneti vicinior, ita homines per excellentiam iuſtitiæ propius ad Deum accedentes, vehementiori gratiæ impulſu & feruore maiori ab eo incitantur ad opera virtutum: cui etiam pronius ipſi aſſentiuntur quam alij a Deo quodammodo longius diſtantes, hoc ipſum explicat *S. Gregorius Nazianſenus* exemplis ferri igniti & lapidis: facilius enim ſcintilla excutitur ex ferro ignito, quam ex lapide; ita qui in Deum ardentiſſimi ex charitate, ii promptius & vberius ex ſe eliciunt ſcintillas virtutum, quam eiuſmodi ardoris expertes. Sed Proteſtantes hoc charitatis illectamentum a ſe expellunt, ſententiam ferentes, in omnibus parem & eamdem reperiri iuſtitiam, nempe illam Chriſti forinſecus credentibus imputatam. Et quod nullum operum meritum admittunt, ideo fruſtra in hac vita laborari dicunt, quo quis ex premij qualitate propius ad Deum accedat, aut cum illo arctius copuletur. Atque hæc ſunt, ex quibus videre licet, quam idonei ſint comparati Proteſtantes ad reddendum in vita ſocijs bonum, quod illis debent.

Baſil. ep. 139

38. Denique haud parum Catholici, quantum ad ſenſum charitatis, diſcriminantur a Proteſtantibus virtute religionis, & externæ ceremoniæ Deo exhibendæ ſtudio, alias dictum, religionem ſuo apparatu & cultu aſpectabilibus ad humanitatis officia plurimum conducere, quod cum hominis cor erga Deum a ſuperna tenerum ac dulce reddiderit, tum inde illud præclare diſponat, vt etiam erga in vita ſocios amabile & tractabile conſtituat. Proinde Catholici cum inſigniter pij ac munifici ſint quantum ad religionis oſtentum, ac ſumma charitate inde emolliti erga Deum ſimul ac ſuperos: eodem quoque in alios in vita ciues faciles, iucundi ac mites efficiuntur. Contra vero Proteſtantes erga Deum & cælites colendos, omni Epicureo frigidiores & parciores, vt in cultum duri, ita in homines inhuman. Quid illis in ſacris præter boatū cantilenæ vniſonæ, præter rabulantis miniſtri conciunculam? Cum ergo ipſorum corda minime ſint ſubacta religionis humilitate, nihil miri, ſi in homines ſæui & barbari inueniuntur. In cuius rei argumentū, etiam Londini prodijt nuper liber impreſſus, cui argumentum *Hollandica crudelitas*, in quo ea narrantur de Hollandia immanitatis exempla, etiam in Anglos ſecum in hæreſi conuenientes Symmiſtas, quæ ferme omnem fidem ſuperant, & de quibus Hollandus Catholicus nunquam cogitaſſet, & quæ alia cauſa tantæ barbariei in illa gente, niſi religionis externæ incuria, imo contemptus? Cui ſatis, miniſtrum furentem & debacchantem vtcumque audire, quantum ad integrum religionis officium. proinde erga Deum horrentes, ſi in homines quoque ſint truculenti, non miror. porro ſi quæ ſpeciesculæ Religionis apud Proteſtantes vigeat, ea plane inanis & ludicra, nempe a leui aliqua auctoritate inſtituta: proinde haud mirum ſi oſcitanter & ridicule obſeruetur. contra vero externus ritus penes Catholicos religionis maiori ſua ex parte a Traditione Apoſtolorum deſcendit, aut a lege Eccleſiæ, cui ſpiritus ſancti aſſiſtentia promiſſa præſcibitur. Quantum autem detrahat erga religionem obſeruantiæ, eiuſdē leuior inſtitutio cogitata a plebe, declarat factū Romanorum, inuentis cum corpore *Numæ*, libris religionum leges continentibus: de quo hæc *Plinius Secundus*: *Morbo ſolutus, in Ianiculo ſepultus eſt, vbi poſt multos annos arcula cum libris a Terentio quodam exarata: qui libri, quia leues quaſdam ſacrorum cauſas continebant, ex auctoritate Patrum cremati ſunt.* Proteſtantibus autem neque ex parte cauſæ, neque ex parte auctoritatis, ſuppetit aliqua dignitas, qua cōdant ciuiles aut ſacras religiones: proinde vel noſtra debent vſurpare, vel omnis religionis externæ expertes conſiſtere.

Math. 20.

Plin lib. 2. de vir. illuſt. cap. 3.

39. Cum itaque tot Dei beneficijs omnes nationes inter ſe colligantur, tum æquum, non vllas charitate excludēdas. Non me latet quidē ipſa ſola natalicia, quod ad ingeniorum vires, mortales diſcreuiſſe. verum hoc Dei factum non debet cedere in detrimentum charitatis, quod ad tanti opificis potentiam & ſapientiam declarandas inſeruit. plus tamen iuſto vbique ferme in charitatem inualuit huiuſmodi in particulas deciſa nationalitas. Hic appulſus ad externos, ei videbitur ſimplicior, alius aſtutior, hic animo elato, alter abiecto iudicabitur: vnde deſpectus vel odium contra iura charitatis propagantur. Hinc videmus cum aliqui ſint a ſuis tyrannis oppreſſi, externos homines vix ſe mouere ad illis ferendum auxilium, ac ſi non tam eſſent communis Eccleſiæ, quam vrbe Maioris, ſua tarditate notiſſimæ, membra. Apellato ad eos fidei cauſa exul, etiamſi Ordinis virtute conficiat ſacrum corpus & ſanguinem Chriſti, nihilominus quod alienigena, negligetur: inde

potius

Aug. epiſt. ad Ianuar. nus aliæ eorum locis ſubſtituendæ, vt illæſum perpetuo ſeruetur ius naturæ, quo obligantur cuncti mortales, ad Deum externo ritu idonee colendum. in quod ius apertiſſima impietate delinquunt moderni hæretici, omnem cæremoniam vituperantes, aut eam ſolam religioni concedentes, quæ noui teſtamenti verbis expreſſe deſcribatur.

3. Ob hanc cauſam Chriſtianorum ſacra, quantum ad pondus ac valorem, creuere ſupra modos vmbrarum ac figurarum in veteri teſtamento. Et vt vmbra cum ſole quantum ad ſplendorem, cum corpore aliquo quantum ad ſubſtantiam, cum ipſo præſtantiſſimo, quod ad perfectionem imperfectum, cum veritate præſtita, eius promiſſio, cornuta ex Exod. 20. fulgore facies *Moyſis*, cum Chriſti diuina perſona, non valent de maieſtate contendere, ita neque veteris teſtamenti religioſus ſumptus, collatus cum dignitate religionis Euangelicæ, & a Chriſtianis vſurpatæ, comparationis vim ſuſtinere poterit. Quocirca quod Chriſtianus cultus in ſe ſit complexus quicquid illuſtris ſpeciei in religione Iudæorum, ſimul ac Gentilium cernebatur, inde, licet falſo, exiſtimauit *Iulianus*, illum ex vtriſque compoſitum, Nam, *Si quis*, dicebat, *pro vobis veritatem conſiderare volet, inueniet, veſtram impietatem ex Iudaica audacia & Gentilium confuſione & differentia* Cyril. lib 7. cont. Iulian *conflatam*: vt ſcribit *S. Cirillus*. Et quidem quod cultus externus apud nos debeat eſſe magnificus, colligitur ex gradu & qualitate diuinæ prouidentiæ erga nos ſpecialiter exhibitæ. In vniuerſum opinione diuinæ prouidentiæ inducimur ad colendum Deum, vt do- Aug lib. 1. de Mor Ec. cap. 5. cet *S. Auguſtinus*. *Nullum enim arbitror aliquo religionis nomine teneri, qui non ſaltem animis no-* Senec. lib. 4. de Benef. cap 4. *ſtris diuina prouidentia conſuli, exiſtimet.* quocirca quod effectus diuinæ prouidentiæ creduntur a nobis maximi, quos in nos Deus per Chriſtum contulit, inde expedit, apud nos religioſam cæremoniam eidem apte conſentire, ac ſua forma proinde eximiam reperiri. In quo negocio reſpiciendæ quoque vires & Plin. præfat ad veſpaſiã. facultates colentium Deum. nam, vt ait *Plinius*; *Dijs lacte ruſtici, multaque gentes ſupplicant, & mola tantum ſalſa litant, qui non habent thura: nec vlli fuit vitio, Deos colere quoquo modo poſſet.*

Horat lib. 3 carm. od 23 *Mollibit auerſos penates*
Farre pio, & ſalienti mica.

Licurgus in iſtis minimis ſpectabilem eſſe voluit ſuam religionem: *Ne vnquam*, vt loqui- Plutarch. in Licurg. tur apud *Plutarchum*, *Deum venerari deſiſtamus.* Sed quod apud Iudæos tota facies religionis erat magnifica ac ſplendida, cum rerum ipſarum nitoribus, tum muſicæ harmonijs, ideo religionum feſtiuitates ab eis cõgrue Gaudia ap- Machab. 2. pellabantur: quarum proinde damna, ab hoſte inducta, luctum & ingens malum merito ex- Hos. 2. Thren. 1. iſtimabant. *Et ceſſare faciã omne gaudium eius. Filia Sion lugent.* Atque in vniuerſum, vt alias notauimus, apud omnes gentes, cæremoniæ ſplendor, colentibus Numen delectationem quandam animorum adferebat: Eo ſcilicet ſpectaculo peractum, quod ſenſibus humanis gratum, ſplendidum ac iucundum. *Apis natalem*, vt ſcri- Solin. lib. de ſitu orb. cap 35. bit *Solinus* de Alexandrinis, *Memphitici celebrant iactu pateræ aureæ, quam proijciunt ſtatim in Nili gurgitem.* Ob hanc cauſam non niſi nobilibus Plutarch in Thes. in Alex. Caſſ. lib 6 cap. 21 fas ac ius tractandi diuina voluit eſſe *Theſeus*, vt narrat *Plutarchus*: quales apud Romanos Patricij dicebantur, teſte *Caſsiodoro*. Ex quo inter cætera id fiet, vt a ciuibus perſonæ ſacræ magno æſtimentur honore: quippe intelligentibus, illos munera religionum obire ſanctiſſima auguſtiſſimaque: eoque ſe ab illis non leuia accipere beneficia, ſed ſumma, & vel ipſa externa ſpecie diuiniſſima.

4. Inter alios vero noſtræ religionis ritus, hic facile palmaris apud nos, qui in Sacrificio cernitur, quo ſummus honor Deo impenditur, ſimulque præſtantiſſima hoſtia, corpus namque & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & Euſeb. lib 1. dem Euang cap. vlt. vini, ei a Sacerdote nouæ legis immolatur. In quo, veluti in compendio, adeoque in rebus infinito gradu nobilioribus, credimus contineri quicquid imperante lege naturæ *Cain* & Gen. 40. Gen. 47. *Abel* ſeorſim Deo obtulere. In eo enim offeruntur Deo optimæ fruges terræ, veluti odores agri pleni, panis & vini ſpeciebus depictæ, Ioan. 6. interius illum complectentes, qui panis & vinum animarum. Itidem animalium nobiliſſimum litamus: ſcilicet Chriſtum Dei Filium, Heb. 7. viuum ad interpellandum pro nobis. Et quod illa apud Iudæos quotidiana cruenta animalium in templo mactatio, extiterit moleſta, & aliquo ſenſu horroris ipſis myſtis cruda, idcirco, vt notat *Arnobius*, quo rei præſtantiæ, faci- Arnob lib. 7 litas quoque ac ſuauitas ritui accederent, hoſtia noſtra incruento ritu Deo ſacrificatur. *Hæc quidem*, vt ait Concilium Tridentinum, Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. Malach. c. 1 *illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt: quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus in omni loco mundam offerendam prædixit.* Ex quo genere ſacrificii vt admirabilis vis oritur religionis, ita pariter ciuilitatis. Etenim dignitate, maieſtate, ſuauitate tantæ hoſtiæ expenſis, animis ſumma charitate & deuotione accenſis, altaria adeunt pij, vtpote *Sedes corporis & ſanguinis Chriſti*, vt loquitur *Optatus*: Tert. lib. de pœnit. vbi Dominum ſuum venerentur, vbi agnum immolatum ſibi reddent propitium: vbi iudicem ſuum placent futurum, vbi expiationem ſuam obtineant præſentem & deſideratam. Cum enim cœli benefici in terram influxus roris ac pluuiæ, oriuntur ab eis vaporibus, qui Cat. Rom. part. 2. q 61 Pſalm 39. pſalm. 50. Gen. 8. ſurſum ab ipſa terra emittuntur, tum æquũ eſt, diuinam clementiam inclinari in nos amantius ex eorum precio quæ illi pie amanterque offerimus. Hoc pacto Chriſtus animam ſuam dũ in cruce penderet, martyrii nobilitate & Sacrificii ſanctitate ornatam, ad Deum Patrem deſtinans, eo omnem in illo rigorem ad vindicandum emolliuit ad miſerendum. Recte idcirco loquitur Catechiſmus Romanus: *Si enim veteris legis ſacrificia, de quibus ſcriptum, ſacrificium & oblationem noluiſti: & iterum: ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis. ita placuerunt Domino, vt Scriptura Deum odoratum eſſe odorem ſuauitatis, id eſt*

ſum. Idem quod ad ornamenta Eccleſiarum, teſtatur *Iulianus* Apoſtata, indigne ferens, tam precioſis vaſibus Filio *Mariæ* miniſtrari, vt ſcribit *Gregorius Nazianzenus*: Quale erat illud poculum, ſeu calix, in ſacratiſſimo loco repoſitus, quem mentiebantur Meleſiani, a *S. Athanaſio* ſacrilege confractum, vt *Conſtantinus Magnus* eidem per ſuas literas ſignificauit.

Gregor Naz. orat. cōt. Iul.
Cōſtant. ep. ad Athan.
Prud. carm. de S. Laurēt.

10. Sacramentorum porro religiones apud nos, ſua ſpecie itidem inſignes ac ſplendidæ: quippe vaſa, diuinæ gratiæ plena, bonitatis Dei in nos ſingularia inſtrumenta, ſanguinis Chriſti pixides ſacratiſſimæ, ac munerum diuinorum ſignacula; vt de eis paſſim loquuntur Patres. Cum ergo ſunt ijs pariter ad religionem relata, ideirco eis Deum colimus, ſimul ac fidem in Chriſtum exterius profeſtamur. Quorum dignitates adſtruit origo, ex qua in noſtros vſus redundarunt. *De latere Crucifixi* vt ait *S. Auguſtinus percuſſo, Sacramenta Eccleſiæ profluxerunt*. Fontem ea propter honoramus, & in illo theſauros ſapientiæ ac bonitatis diuinæ pie & religioſe recolimus. Cæremoniarum etiam tota ſeries ſuo decore apud nos veneranda. Imagines floridæ, altaria exculta, luminarium fulgores, odorum nubeculæ, rem diuinam proloquuntur. In iſtis, veluti quibuſdam characteribus, diuina expreſſa legit animis populus ea recolens, indeque gratias Deo ac honorem pro eiſdem acceptis amantius dipendit: ſpeciem ſibi proponi cogitat hic in terris cæleſtis illius Hieruſalem, cuius ſplendores nunc per tranſennam cogitet, & eorumdem amore incendatur. Etenim cum ſtatutis temporibus voluit Deus fideles a communis vitæ negocijs feriatos, in diuina eſſe intentos, æquum fuit, talia ſpectanda illis tunc obijci in locis ſacris, qualia ad oblectationem, iuxta ac timorem, ſeu venerationem, plurimum conducere ab eis viderentur: ne in ipſis campis, dum ruſticarentur, in hoc genere præſtantiora quam in templis ſibi proponi cauſarentur. Cuius rei cura, quod ad multa, cum tetigerit matrem Eccleſiam, tum inter cætera, in hunc finem luminum ſeu lampadarum, oleo ceraue conſtantium, cæremoniam inſtituit: quod *Aurelius Prudentius* ante mille annos aſſeruit, iuxta ac eius cauſam explicauit:

Auguſtin. de peccat. orig. cap. 34.

Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ ſuffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perſpicuo iacit vitro.
Credas ſtelligeram deſuper aream
Ornatam geminis ſtare trionibus.
Et qua Phoſphoreo iam temone regit iugum
Paßim purpureos ſpargier Heſperos.
O res digna, Deus quam tibi roſcida
Noctis principio grex tuus offerat
Lucem, quam tribuis nil pretioſius
Lucet, qua reliqua præmia cernimus.
Tu lux vera oculis, lux quoque ſenſibus,
Intus tu ſpeculum, tu ſpeculum foris.
Lumen, quod famulans offero, ſuſcipe
Tinctum pacifici chriſmatis vnguine.

Pruden. Catheme.

11. Imo antiqui ſcriptores non ſolum memoriæ noſtræ commendarunt, ſplendorem externum Chriſtianæ pietatis, verum etiam exinde intulere, veriſſimam eſſe noſtræ fidei ſententiam adeoq; Chriſtum Dominum Deum extitiſſe. Tunc, nimirum tempore *Conſtantini Magni*, Hieroſolyma horrens ruinis, frequentiſſimis & magnificentiſſimis Eccleſiis eſt adornata. *S. Hieronymus* cum perſequutionem Diocletiani recenſuiſſet, hæc ſubdidit. *Quo eo tempore crederes, rurſus Eccleſias conſtruendas, ab his ipſis qui ante deſtruxerant; non quod ijdem homines fuerint, ſed quod eadem Regatus Poteſtas, quæ prius ſolebat in infideles cum ditioribus, & quaſi ex Senatus conſulto Chriſti nomen conabatur extinguere, nunc expenſis Reipublicæ Eccleſiarum Baſilicas extruat & ex alto ſumma faſtigia: vt non ſolum laquearia & tecta fulgentia auro decoret. ſed parietes diuerſi marmoris veſtiat cruſtis: & Diuinos libros, quos prius tradebat incendio, nunc deauratos & purpuratos, & gemmarum varietate diſtinctos, in cuſtodiam Romani veneretur ſtatus!* Cuius rei cura tanta inceſſit animos Chriſtianorum etiam in primitiua Eccleſia vel furente perſequutione, vt *Apuleius*, ethnicus ſcriptor, in oratorio Chriſtianorū vidiſſe ſe dicat eius lacunar ſeu fornicem auro obductum, porta ænea idem oratorium magnificentiæ ergo munitum. non friguit vnquam noſtra religio paruis ſumptibus contenta, aut noſtri, inſtar *Horatii*, Dei parci cultores extitere, ſed potius pro rei dignitate & veritate magnifici: vt cum primis liquet ex *Conſtantino Imp.* & eius matre *Helena*: de quibus *Euſebius*, *Cyrillus Hieroſol.* & *Paulinus*.

Zonar. Hiſt. lib. Euſeb. l. 10. Hiſt. c. 4. D. laud. Cōſtant. Hierō. ep. 8 Zach. Optat. lib. 6.
Apul. Dial.
Horat lib. 1 carm. od 34
Euſeb in laud Conſtā
Cyril. catec.
S. Paulin. ep 11. ad Seuē.
Ouid. lib. 1. Faſtor.

Flamma nitore ſuo templorum verberat aurum,
Et tremulum ſumma ſpargit in æde iubar.

Verum quidem eſt, noſtros in ſuis Apologiis & tractatibus diſſerentes contra paganos, vtpote *Arnobium*, *Minutium*, & *Lactantium*, quandoquidem pagani requiri dicebant in noſtris ſacris cæremonias & dies feſtos, mentionem feciſſe internorum actuum, vtpote odii in peccatum, charitatis in Deum & proximum, & vitæ innocentiæ: nō quod noſtra religio tunc tēporis externa pompa careret, ſed quod non exæquarit multitudines rituum ab *Ouidio*, *Feneſtella* & aliis deſcriptorum, mentionem fecere præcipue actuum internorum: quos cum pagani nihili feciſſent, ſcite intulere, noſtras religiones in cordibus hominum, illorum autem in digitis duntaxat reperiri. Hoc autem ideo libentius vrſere contra paganos, quod illis detegere ritus ſacrificii Chriſtiani, nefas duxerint; quos varios fuiſſe manifeſtum facit Eccleſiæ traditio.

Arnob. lib. 1 cont. Gent.
Minut. in octauio.
Lactan. lib 6 de ver. Cultu. cap. 1.
Ouid lib. de Faſt.
Feneſtella l. de Magi. Rō.

12. Equidem exiſtimo, ea parte muneris, qua tres Reges recens nato Domino aurum detulere, Duo fuiſſe præſignata. primum, fore Reges ſubiiciendos ipſius regiæ poteſtati: deinde auri copiam in vſus cultus ipſi impendendi a Regibus & Principibus vltro largiendam. Hinc *Conſtantinus Magnus* Eccleſiæ ab ipſo ædificatæ Hieroſolymis laquearea voluit auro affabre eſſe delibuta, vt tradit *Euſebius*. *Quod ſi fiat*, nēpe fabrica Eccleſiæ, dicebat *Conſtantinus*, ſcribens *Machario*, *laqueata, ſcite quoque inaurari poterit*. De cuius Eccleſiæ altari hæc *Theodoretus*: *Porro Sacroſanctum altare aulæ plane regalibus,*

Math. 2.
Euſeb lib 3 vit. Conſtāt. c. 31. Theod. li. 1. Hiſt.

regalibus, & monimentis, lapidibus precioſis, auroque quo illuſtratur adornabitur. In quem ritum inſequentes etiam Principes plane effuſi extitere. *Pulcheria*, Filia *Arcadij* Imp. poſtquam perpetuam Deo virginitatem vouiſſet, quo ab eadem eius rei extaret argumentum, vt recenſet *Sozomenus*, [Sozom lib. 9. Hiſt. ca. 1.] *Ex auro gemmiſque precioſis admirabile quoddā donarium, & ſpectaculum omnium pulcherrimum pro virginitate ſua & imperio Fratris, ſacram menſam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dedicauit: idque ipſum vt cunctis eſſet conſpicuum, in fronte eiuſdem menſæ literis expreſſit.* En quo dignitatis & Sanctimoniæ per Christum iam peruenit Regum principumque aurum! [Hilar in Pſalm. 51.] *S. Hilarius* diſſerens de religioſis feſtis Iudæorum, propter ſolum ſplendorem, ait in eorum templo fuiſſe *Æmulas æternorum temporum temporarias feſtiuitates*. primitiuæ Eccleſiæ ritus, quod ad ſacrificium & alias cæremonias inſinuat *Conſtantinus Magnus*. [Conſtant. orat. cap. 10.] *Ac talis Euchariſtica ſacrificium ab hominibus peragitur, vacuum a ſanguine, vacuum ab omni violentia. neque thuris odor deſideratur, neque ignis incenſus: ſed puri luminis tantum, quantum ſat eſt, ad mentes eorum, qui preces faciunt illuminandas ſuppeditandum.* Dixit vero lumen adhibitum a Chriſtianis eſſe purum, quo illud diſtingueret ab igne vſurpato ab ethnicis ripote fumo & nidore admiſto. Atque dum publico ritu in Eccleſia recens conſtructa a *Conſtantino* tempore Dedicationis eiuſdem, illius laudes celebrarentur, narrat *Euſebius* doctioribus ſacerdotibus concionantibus. [Euſeb. lib. 6 vit Conſtan cap. 45.] *Alij qui nihil horum poterant efficere, incruentis ſacrificiis, & myſticis conſecrationibus diuinum Numen placabant.*

13. Sunt etiam apud nos publicæ & liturgicæ precationum, conſecrationum, ac diuinarum laudum formæ, quæ *Breuiario* ac *Miſſali* continentur, religione ſane pleniſſimæ. In priori quidem tria præcipue aduerto, ad pietatem plurimum facientia. Primum per omnes dies & feſta anni, ſiue Chriſti Domini ſiue Sanctorum, apta ex Scripturis & Patribus diſtributa officia. Alterum, *Lectionum. Collectarumque* ille idoneus vſus, qui appoſite rebus gerendis in vita humana tunc ex more incidentibus, reſpondeat. hinc ſi anni tempus diuitias & horrea lætiora ſuppeditare ſoleat, ex *Breuiario* perſonant diuinæ & efficaces admonitiones contra æbrietatē, luxuriam, & in pauperes indolentiam. ſi aliquando rerum ſtatus oportunus infælicitati tempeſtatum ac bellorum, tunc ad patientiam ac fortitudinem conducentia monita idem *Breuiarium* ingeminare aſſueſcit. ſi corpora humana ſanguine pro anni temperie, aut copioſiori ſagena, incaleſcant, tunc noxæ originalis memoriam, [Gen. 32.] tunc ieiunij diſciplinam ingerit. quo, *veluti caſtris Dei*, omnem vitæ partem in nobis contra vitia Eccleſia pia mater tuetur ac defendit. [Cyril. catec. 9. Gregor. Naz. in laud. Baſil. Hierō. Epitaph. Paul.] Poſtremum, ex eius eſt præſcripto perpetuus ferme die & nocte per certas horas inſtitutus Dei cultus: hunc vero vocibus conſtantem, diuidit *S. Auguſtinus* in *Gratulationem* & *Orationem*. [Auguſtin. in Pſalm. 103.] *Gratulamur*, inquit, *ex eo, quod eſt, oramus vt ſit, quod nondum eſt.* Circa hæc occupatur ſeptem horis, [Tertull. li. 2. ad Vxor.] vt loquuntur, concinnendis, *Breuiarij* pietas. Virginum Deo ſacratarum partitas precationes & laudes Deo ſoluendas, ita recolit *S. Ambroſius* ex inſtituto *S. Liberij* Papæ: [Ambro. li. 3. de virgin.] *Certa ſolennes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendæ cum e ſomno ſurgimus, cum prandemus, cum cibum paramus,* [Chriſoſt. in Pſalm. 95.] *cum ſumpſerimus, & hora incenſi: cum denique cubitum pergimus.* Impletur idcirco in Eccleſia Catholica prophetia *Zachariæ*: [Zachar. 12.] *Effundam ſuper domum David, & ſupra habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precum.* Horarum, nempe *Tertia, Sexta* ac *Nona*, adſcriptarum orationi per certa interualla, ad exemplum *Danielis*, & Apoſtolorum, [Cyprian. in orat. Dom.] in Eccleſia Dei, meminit *S. Cyprianus* in ipſa primitiua Eccleſia florens, ac de iſtis ſcribens.

14. Imo ex noſtris aliqui adeo aſſidui ſunt in officijs orandi ac laudandi Deum, vti vel nocturnas horas, ac ſi Angeli eſſent, aut oſtra matutina, pietati conſecrarint, aliquo modo id in [Iob. 38.] terris præludentes, quod in cœlis vberius effecturi. In primitiua Eccleſia nocturnas vigilias exercuiſſe Chriſtianos, auctores ſunt *Tertullianus, S. Ambroſius* & *S. Auguſtinus*, qui id ſæpius teſtantur. [Tertul. Apol.] proh cœleſtem plane horum conditionem, in qua caro & ſanguis ad ſtatum quodammodo beatorum hic inſurgunt, neu volunt noctium tenebris aut ſilentio ad ſomnum inuitantibus cedere, aut a perenni conuerſatione cum Deo & ſuperis diſiungi! Hi cum Angelis & Beatis ſpiritibus aulici ſunt Dei, & in eius auiario, vt loquitur *S. Ambroſius*, luſciniæ. [Amb. Ser. 43.] *Si deuotior* inquit, *imitare luſciniam, quæ & nocturna ſpacia peruigili cantilena decurrit.*

15. Religio autem, ſi quæ ſit Proteſtantum, illa prorſus impia ac barbara. Religioſi videri volunt non aliquid expreſſe conſtituendo, ſed noſtra potius inficiando, deridendo: idcirco apud eos religio ex variis eorū negationibus, & violationibus, quæ apud nos in more poſita, cōflata, negatiua plane & barbarica duntaxat reperitur. Ad duo autem vniuerſa, quæ in hac re ſeu pararello diſputanda, reuocare poterimus: ſcilicet ad Perſonas ſacras, iuxta ac ipſamet Sacra. Quod ad prius, ſatis euidenter apparet, externam faciem religionis apud Proteſtantes ſe oſtendentem, omnino eſſe diſcrepantem ab ea, quæ in Primitiua Eccleſia ex traditione Chriſti Domini & Apoſtolorum eluxit. de hac enim ita *S. Ignatius* diſſeruit, vti [Ignat. ep. ad Magnes. & Antiochen.] Eccleſiæ Hierarchiam conſtantem ex Epiſcopis, Preſbiteris, Diaconis Subdiaconis, lectoribus, Oſtiarijs, Exorciſtis deſcripſerit. horum autem nullus vſus, nulla ferme nomina apud Proteſtantes. & extra Angliam, præter Miniſtros, ſeu Diaconos, nullos myſtas connumerant. imo in Anglia ipſa in vnaquaque particulari Eccleſia, Miniſter ſolus & ſummus. olim quidem erant in Eccleſia Miniſtri, nempe Diaconi quod ſacerdoti ſeu Præsbytero aut Epiſcopo in ſacris inſeruirent: ideoque nuncupati miniſtri. Horum erat, ſacerdoti ſacrificanti materiam ſacrificij porrigere, ex commiſſione cōcionari, Euangelium in eccleſia recitare, Euchariſtiam cōmunicare, Eleemoſynas pauperibus, & conuiuij ſeu Agapis partes diſtribuere. *Qui apud nos*, inquit, *Iuſtinus Martyr vocantur Diaconi, atque Miniſtri, diſtribuunt vnicuique præſentium, vt participent eum, in quo gratia acta ſunt, panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt.* [Iuſtin. Apol. ad Antonin.]

Cum

Cum ergo nomen *Diaconi* & *Miniſtri* ſit relatiuum ex ritu Eccleſiæ Apoſtolicæ, ad ſacerdotem, ad Epiſcopum, quam abſurdi Proteſtantes, qui Miniſtros in vnaquaque parœcia volunt eſſe ſupremos? num ſuam Eccleſiam, ſi Dijs placet, reformatam, vltra primæuam eſſe volunt? Hac ergo ex parte religione deſtituuntur. In eorum vero Hierarchia quales Myſtæ continentur? *Eſt Miniſter*, eſt *Æditus*, eſt *Campana*, eſt *Funis*.

Plutarc. cõt. Colotem. Auguſtin. li. 1 Ciu. ca. 30. Euſeb. lib. 2 Chron. in præfat. Chr.

16. Quod ad alterum, Inter omnes Dei cultores, vt ex *Plutarcho* conſtat, ſiue ex vera fide, ſiue ex anili ſuperſtitione tales fuerint eos instituente *Cecropide*, teſte *Euſebio*, Sacrificium in ritibus habuere: ſoli autem Proteſtantes ſacrificium, & cum eo ſacerdotium religione ſua excludunt: adeoque flore ipſo ac neruis religionis ſoli deſtitui impie voluerũt. Porro ſi in vniuerſum ea conſiderare proponamus, quæ dempto Sacrificio ad metum ac reuerentiam erga Deũ ex religione aliqua conducant, nihil eorum apud illos, *Cum Horatio parcos Deorum cultores* ſupereſſe comperiemus. Imprimis Eccleſiarum illuſtres Fabricæ non ſpectant ad exiles, quas profitentur religiones. quis enim tantum apparatum loci requireret ad rabidas ac mendaces conciunculas declamandas: quis ad baptiſmum vel cœnam, quæ, vel ipſis teſtibus, nihilo meliora quam Chriſti imagines, peragenda, eiuſmodi magnificentiam exigeret? Quod ſi inquiramus de cæremoniis, relatis ad ipſorum ſacra, omnibus ferme denudantur, & cunctas ex profeſſo reſpuunt. Solemne apud eos effatum, non alio ritu externo colendum deum, quam in ſacris literis diſerte expreſſo: quod cum ſemel apud ſe ſtatuerint, tunc neque inter ſe numero ac formis cæremoniarum conueniunt, neque vllas omnino lubentes admittunt: adeo vt, quo habeantur vtcumque religioſi, eas vſurpant paſſim cæremonias, quæ a Deo in ſacris literis haud iubentur, ſed quæ, vel ipſiſmet pronunciantibus, ſuperſtitioſæ: hoc eſt hominum decretis, non Dei mandatis ad cultũ ipſius relatæ. Hinc quod in Anglia Proteſtantes ad honeſtandam ſuam religionem, quædam a Romana Eccleſia mutuantur, *Puritani* ſeu Caluiniſtæ, ea plane ſubſannant, ad ſuperſtitionem & ineptam imitationem tranſcribunt: adeo vt eo doctiores ſe haberi volunt, quo a cæremoniis religionis, a ſubiectione ciuili, a iuſtitia operũ, a ſcientia humana puriores: eadẽ prorſus analogia, qua canes, aſini & Dæmones, Puritani cenſeantur. Ob hanc cauſam Scoticus quidam miniſter videns arã in Regia Capella ad modum aliquem Romanæ Eccleſiæ ornatã, ſic in illã ludere voluit.

Horat. l. 34

Cur hic ſtant clauſi libri duo regis in ara?
Pollubra ſicca duo, lumina cæca duo?
An quia Religio ſtat Anglis clauſa ſepulcro?
Lumine cæca ſuo, ſorde ſepulta ſua?
Romano vt ritu Regalem ſtrueret aram,
Purpuream pingit religioſa lupam.

Meluinus

Cæterum hæc oſtenta, myſteria ſunt Regum: quorum ſoli ſenſus, in eorum intrent penetralia. Hoc carmine ſatyricus ille miniſter meritus & conſequutus carceres Turris Londinenſis: vbi diu manſit. an vero ibi pinguiora paſcua inuenerit, quam in Scotiæ campeſtribus, mihi nondum exploratum.

——— *Numa viſa reualuit,*
Et ſecum ambages, caſaque iuſſa refert.

Ouid. lib. 4. Faſtor.

Cæterum ad particularia eorum myſteria iam deſcendamus.

17. Ex Sacramentis nullam prorſus prætendere poterunt Proteſtantes religionem: quod ita oſtenditur. Sacramentum rebus conſtat, ſimul ac verbis, vti omnes plane fatentur. verbum quidem nos admittimus diuino iure ſtabilitum, certum ac definitum: quod itidem ſit *Conſecratorium*, illud ſcilicet, quod ex opere operato vim habet circa aliquem effectum ſacrum: ſiue ille effectus ſit gratia ſanctificans, animæ reſpectu, ſiue reſpectu materiæ eius deſtinatio ad gratiam aliquam proferendum: qualis Tranſubſtantiatio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti. Cuiuſmodi verba in Baptiſmo ſunt iſta: *Ego te baptizo in nomine Patris & filij & Spiritus ſancti.* In Euchariſtia: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* hæc autem verba, ſeu formas, vſurpare non poterunt Proteſtantes niſi admittant præter Scripturas in ſuas religiones etiam Eccleſiæ traditiones. Nam verba, quæ iubent baptiſmum adminiſtrandum in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti, non iubent repetenda hæc præciſe verba, quæ diſerte explicant perſonas Trinitatis, ſed ſolum mandant, in nomine Trinitatis, hoc eſt in virtute Trinitatis, baptizare. Multa autem fiunt in nomine Trinitatis, quæ non habent expreſſam inuocationem Trinitatis. Paſtores enim & concionatores ſua munera exequuntur in nomine Trinitatis: & ab Apoſtolo ſuademur, vt omnia faciamus in nomine Chriſti: tamen hæ functiones, aut Apoſtoli ſuaſio, non obligant vt ſemper factis præmittamus verbalem profeſſionẽ, qua dicamus, nos hæc facere in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti. Ex verbis ergo inſtitutionis, remota Eccleſiæ traditione, non euincitur, baptizantem debere hæc concepta verba proferre. Idem conſtat de verbis ad Euchariſtiam conficiendum requiſitis. nam tametſi Chriſtus dixerit, porrigendo eam Apoſtolis: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſimulque adiunxerit: *Hoc facite in meam commemorationem*, nihilominus clare non probatur inde conſecrantes ſacerdotes debere illa verba proferre, niſi traditionem non ſcriptam ad cultum Dei poſtulemus. Quamobrem in vniuerſum Proteſtantes aut nulla verba exigunt ad eorum baptiſmum & cænam, vel illa volunt eſſe, ſi dijs placet, *Concionatoria*. Verum neque conueniunt inter ſe de hoc verbo *Concionatorio*. Nam aliqui dicunt, hoc nihil aliud eſſe, quam lectionem illius Scripturæ in nouo Teſtamento, quæ Sacramenti inſtitutionem narrat. alij vero definiunt, hoc verbum concionale, eſſe miniſtri ipſius vagam concionem: ita vt ille nequeat baptiſmum infanti exhibere, qui concionari neſciat.

Math. 7.

1. Cor 6.

Ioan. 19.

18. Verum Proteſtantes hac in re vel ſuperſtitioſi, vel impij omnino conſiſtunt. quod ſic illos doceo. Nullus locus Scripturæ præſcribit, vt baptizans, vel cænam peragens, legat aliquid

ſuam rempublicam tranſtulere. vel[a] fures haberi recuſent, maneant ſimiæ nostræ & Antichriſti ipſius, etiam ſuorummet iudicijs, imitatores incliti. Impietate quoque ſuperſtitionis inde contaminantur, Deum nempe colentes cultu voluntario: ſcilicet hominum mandatis, non legibus diuinis. Rideantur hi cum omni ſua ſcena non a noſtris modo, verum & a ſuis. Relatu dignum, quod circiter viginti annis ab hinc, cum *Antuerpiæ* cauſa cuiuſdam negocij verſarer, mihi de hac ipſa re quidam Belga narrauit. Dixit ſe aliquando Londini agentem adiuiſſe capellam Reginæ *Elizabethæ*, quo tempore inciderat feſtum quoddam, miniſtrorum Proceſſione, cantu ac ſimilibus, ad normam veteris Eccleſiæ, celebratum. Forte etiam tunc reperit ibi quendam Germanum familiarem ſibi amicum, hanc ipſam pompam vna ſpectaturum. Ad ſpeciem illius ſolemnitatis factam, quæſiuit Germanus a Belga, quid ipſi videretur de tota hac ſerie ſacræ ſolemnitatis. Cui Belga: quid hoc a me requiris, cum hæc apud meos ſint vſitatiſſima, neque mihi noua vel inſolita videantur? quin tu potius dicito mihi de hac ipſa religione tuum iudicium. reſpondit, quoniam id cupis, ita accipe. *Videntur mihi Angli ex ſuo regno Papam fugaſſe, idque adeo feſtinanter, vt coegerint ipſum veſtes ſuas a tergo relinquere: quibus, vt modo videmus, iſti ouantium ritu choros ducentes, induuntur, perſonantur.*

22. At fortaſſis in pſalmodia Geneuenſi, & in ſuis formulis precum, magnam vim ineſſe affirmabunt religionis. ſed pſalmodia illa ineptis rithmis conſtans, iuxta ac fæde violato ſenſu ſcripturæ, immaniter in templis eboans, tantum abeſt a religione, quantum boatus tauri ab harmonia. Iuſtum ſane compendium: ideo ſcilicet mortuum filium Dei in cruce, vt homines *Geneuenſes* odas tantillum cantillarent! num ex iſto cantu, de palma honoris Deo redditi, contendere audebunt cum templo *Salomonis*, [illegible] omni inibi ſupellectile & cæremonia? [illegible] promiſcue pueri, cantant puellæ: [8] falſa res eſt; culmen tandem imponitur rudis carminis Dei ac Chriſti religioni? Quod ad orationem, mirum fuerit Proteſtantes orare Deum, qui ſuis dogmatibus cum atheis, Stoicis & Pelagianis, neruos orationis diuerſimode incidunt. Non orant vt iuſti ſint, vt ipſis peccata remittantur, vt tandem ad beatitudinem in cælo adſpirent: iam enim fidei ipſis pronunciatis harum rerum certi. ſi orarent pro eis, non tam pij quam infideles Deo apparerent. Quam gemebundi turtures! potius quam æſtuantes cicadæ hi dum orant? vel quam rauci corui, dum ipſis cadaueribus inhiantes, præſumunt ac ſuperbiunt grandibus vocibus, ſibique videntur in paradiſo religionis deliciari? *Sed diuites* dimiſit *inanes.*

8 Senec. lib. Nat. q. cap. 35 lib. 5. de benef. cap. 2 Aug. Ep. 92. de Nat & Grat cap. 14 58 de lib. arb. cap. 83. Ep. 107.

Aug. Tract. 2. in Ioan, Luca. 2.

23 De vniuerſa ſpecie Anglicanæ religionis iuuenis quidam Chinenſis, vel naturali viſus iudicio, ſententiam viſus luculentam tuliſſe. hic ab annis aliquot a quodam, qui piraticam in tractibus orientalibus exercebat, in Angliam, ſimul cum paternis mercibus, abductus, tamdiu ibi egerat, quo vſque linguam Anglicanam ſatis pro neceſſitudine addiſceret. Iſte patria religione duntaxat imbutus, ſæpius a ſuis familiaribus Anglis ſolicitabatur, vt ipſorum Eccleſias adiret, earumque ritibus vel ſemel intereſſet. Cæterum quantumuis ad hoc eorum poſtulationibus vrgeretur, inducere tamen is in animum noluit, vt hoc in eorum ſaltem gratiam præſtaret. Tandem vero importunis illorum poſtulationibus commotus, eis morem geſſit, ſimulque cum eis illa ſacra contemplabatur. Poſtea ad idem præſtandum ab eiſdem iterum incitatus, nullis verbis eorum perſuaderi potuit, vt Eccleſiam denuo inuiſeret. Angli admirati Chinenſis obſtinatum propoſitum, ab eo petierunt, quamnam ob cauſam hoc efficere tantopere detrectaret: quibus ita reſpondit: *Miror profecto, quamobrem tam ſerio requiritis a me hoc officium? quid obſecro in veſtris Eccleſiis Deo dignum, aut religioni idoneum videre potero? ſolum in eis audire eſt quemdam ex libro neſcio quid alta voce legentem, aut e loco ſublimi aliquid ad populum loquentem. Verum nullum ibi ſacrificium viſendum: nullus ſplendor cæremoniæ ibi conſpiciendus: denique nihil apparet magnifici, cuius videndi cauſa veſtram Eccleſiam iterata vice frequentarem. Denique, vt iterum dicam, nullum ibi Sacrificium: proinde nullo modo id faciam amplius, quod veſtri cauſa ſemel, licet male, præſtiti.* Hic idem iuuenis parum poſtea, cum Londini tunc verſaretur, nauigandi opportunitatem nactus, patriam paganus repetijt, qualis in noſtram Inſulam aduenerat. Idcirco tam exors pietatis eſt conficta apud noſtrates religio, vti omnibus in orbe diuinis cultibus ſit inferior, ac talis, qualem vel communis mortalium ſenſus impietatis merito condemnet. Quod vero extenuata aut eiecta religione in republica, mores peſſimi & barbaries ſubinde propagentur, vt alibi demonſtrauimus idcirco Anglicana vmbratilis religio eiuſmodi damna; præſertim iraſcibilis partis feros & indomitos motus, omnino in ciuibus procreabit. Et quidem inter alios, *Puritani*, profeſſi ſe Deum colere ad exemplar ſimplicitatis apoſtolicæ, & ab omni Eccleſiæ traditione abhorrentes, prorſus impij conſiſtunt. Hi ſummam religionis abſoluiſſe ſe ſentiunt, ſi indoctum miniſtellum priuatim & in angulo concionantem auriculari quadam cæremonia audiuerint: ſi tunc reuolutam vnius oculi pupillam in cœlum, Sagittariorum inſtar, contorſerint; ſi omnia audita a præcone ad conſolationem certæ prædeſtinationis ſuæ retulerint: ſi ad reprobandum operum, hoc eſt virtutum, ad ſalutis neceſſitatem, ſeparatos, libertatemque in ſe cõſcientiæ quod ad cuncta officia ſanctitudinis ſimul ac crudelitatis, incunctiſſimeque in eum finem textus articulatim recenſitos perceperint. Satis apud eos Deum coluit, qui ſe iuſtum, ſe prædeſtinatum, ſibi nihil ſceleris imputandum, indubie interno ſenſu promiſerit. In hoc compendio artæ ipſorum, ritualia omnia, ſacrificia, preces, Sacramenta, religionis demum cuncta momẽta inueniuntur.

CAPVT

pore Eccleſiam Dei Sanctis honores dierum ſacrarum & aliarum cæremoniarum, Patribus tam Græcis quam latinis approbantibus exhibuiſſe. vel nominent ſuos Proteſtantes, qui verbis, qui ſcriptis, Sanctorum cultum redarguerint. Num ſine ſubſidijs paſtorum, contra pietatem, in Eccleſiam inualuit ſuperſtitio? num id demum ducendum ſuperſtitioſum, quod moderni Proteſtantes ſoli, barbari in Deum ac Sanctos gigantes, tale dixerint? Diſcant, diſcant ignorantes trunci Alphabetum ſuum, & prius percipiant potius quid ſit ſuperſtitio, quam eam in *nobis*; quid dico in nobis, imo in tota Eccleſia, adeoque primitiua, inſulſe vituperare præſument.

Cypr. lib. de Mart. cap. 36. Gildas de excid. Brit. Greg. Niſſen in vita. Greg. Thau.

5. *S. Cyprianus* morem primitiuorum Chriſtianorum, de Sanctis martyribus diſſerens, ita recenſuit: *Sacrificium precu ſemper vt meminiſtis offerimus, quoties martyrum paſſiones & dies anniuerſaria ratione celebramus.* Perſequutionem in Chriſtianos exercente *Diocletiano*, *Gregorius Thaumaturgus*, vt ſcribit *Gregorius Niſſenus*, Sanctis dies feſtos dicauit, in quibus voluit populum feriatum, eorum cultui incumbere, ſimul, ac commune epulum parare, quo læti ac iucundi tum temporis redderentur. Qui ritus adeo inualuit, vt *Iulianus* Apoſtata ſic Chriſtianos compellauerit, teſte *S. Cyrillo*: *Monumenta omnia impleſtis*; quod ſcilicet Eccleſias in honorem ibi conſtruxerant Sanctorum, vbi eorum corpora ſepeliebantur.

Cyril. l. 10. cont. Iul.

Zoſimus hæc de *S. Euphemia* retulit: *Ibi Euphemiæ religioſa martyris extructa Eccleſia ſtabat, quæ propter cultum Chriſto præſtitum honore afficitur.* Hunc ipſum ritum honorarium a puriſſimis Chriſtianis *S. Policarpo* exhibitum recoluit *Euſebius* has eorum voces narrans: *Oſſa eius, potiora lapillis pretioſis; auroque puriora, ex cineribus ſelecta, eo loco repoſuimus, qui illis erat decorus, conſentaneuſque: vbi ſane nobis in vnum aliquando coactis, Dominus præſtabit vt celebrem eius martyrij diem, inſtar natalis feſti, cum exultatione & gaudio, quantum fieri poteſt, maxime recolamus; idque ad martyrum memoriam qui antea tale certamen confecerunt: tum ad eorum excitationem, mentiſque ad talem conſtantiam præparationem, qui poſtea Chriſtum eo genere mortis ingenue confeſſuri ſunt.*

Zoſim. lib. 5. Hiſtor.

Euſ. lib. 4. Hiſt. cap. 15.

6. Si reſpicere memoria velimus ad prima illa tempora, in quibus Eccleſia Chriſti veluti purus ſol in aurora extulit caput ſuum in lucem, in illis animaduertemus, cultum Sanctorum egregio quodam religionis apparatu mores fidelium obtinuiſſe. quod genus pietatis noſtræ eodem longiſſime diſſitum eſſe ab idolatria videre poterunt Proteſtantes, quo deprehendant illius ſtudioſos, in idololatriam exitioſos hoſtes & triumphatores extitiſſe. Deus bone, quid alienius animo *Conſtantini Magni* ab idololatria, qui vbique idola peſſumdedit, & prophana Numina ſuis ruinis orbi ridenda propoſuit? Hic ipſe tamen templum ſplendidiſſimum Conſtantinopoli honoribus Apoſtolorum *Petri* ac *Pauli* dedicauit: quo ſolebat tunc populus, vt ſcribit *Euſebius*, eos oratum confluere. Ergone vel flos primitiuæ Eccleſiæ, idololatriæ erucis corruptus? Ergone extremi oſores idololatriæ eiuſdem fautores extitere? Hoc ipſum ingenium ad inſequentes Dei cultores deſcendit. *Templum*, ait *Sozomenus*, *inibi magnificum Dei Cæſarius ipſe in honorem Thyrſi Martyris ædificauerat.* Subinde recens inuentis Reliquijs eiuſdem *Thyrſi & Quadraginta Martyrum*, *Pulcheria* Imperij Gubernatrix, *Cum debito honore, pompa ac Pſalmodijs celebrata* eorũ funera perfecit. *Euagrius* recoluit templum Antiochiæ ſtatutum memoriæ honorariæ *S. Ignatii* Martyris, & aliud erectum in honorem *S. Babilæ* Martyris. Quis orthodoxorum Proteſtantum correxit aliquando ſuis Scriptis hunc Eccleſiæ errorem, aut impediuit, quo minus ad tempora *Lutheri* ac *Caluini* idem ritus perennaret? Fuit ne Eccleſia toto illo ſpatio idololatrica, nullo interim chriſti paſtore exercente vim ſuam paſtoralem in tam ingens malum? Neque opus fuerit, nobis protrudant *Iconoclaſtas*: etenim hi Proteſtantes non erant; exierunt porro ab Eccleſia; ab illa damnari: demum eiſdem extinctis, perpetuo floruit in Eccleſia cultus Sanctorum: qui etiam continuo coniunctus victorijs & trophæis vbique gentium in idola & ficta Numina. ſtulta plane ac demens hac ex parte omnis in nos Proteſtantum redargutio. Nos vero Sanctos colentes, non recedimus dogmate refractario ab Eccleſia, ſed mores antecellorum etiã in primitiua Eccleſia ſequimur & imitamur: qui, vt ſcribit *Euſebius confecratos Martyribus honore proſequebantur, & feſtorum ſolemnitates in Eccleſijs celebrabant: quæ omnia ſecundum Imperatoris voluntatem gerebantur.* Horum columnas & immortales pyramides cogitantes, facile contemnimus Proteſtantum arenas & quiſquilias, quæ omni vento circumferuntur, & diſſipantur. Quaſi vero ille non melius intellexere Scripturas, quam Proteſtantes, quantumuis ad imperitum populum de ſibi inſperato lumine glorientur? Hoc lumen ipſorum nihil aliud, quam ſuperbæ ſtultitiæ venditatio; ac ſi ipſi ſoli in lumine verbi Dei verſarentur, Patres autem in primitiua Eccleſia in meris tenebris, errores & ſuperſtitionem perſequerentur.

Euſeb. lib. 4. vit. Conſt. cap. 6. 23.

Soz. lib. 9. Hiſt. cap. 2.

Euag. lib. 1. Hiſt. cap. 16. 22.

Euſeb. lib. de vit. conſ. cap. 23.

7. Cæterum in duobus præcipue externum Sanctorum cultum ponimus: ſcilicet in eorum imaginibus collocandis & venerandis, iuxta ac eorundem reliquijs honore proſequendis. ambo vero eodem ſpiritu etiamnum profitemur, quo ipſa Eccleſia Chriſti a ſui principio ac deinceps vtraque pie obſeruauit. Quocirca quod noſtræ mentis cogitationes, & ex eis deducti affectus voluntatis, pendeant a rebus, quas ſenſus noſtri percipiunt, ideo vt Sanctos vtriſque illis naturæ facultatibus proſequamur, in locis, præſertim ſacris, eorum imagines ob oculos ſtatuimus, quibus moniti, eorum reminiſcamur, ſimulque tandem diſcamus ad imitandum, quid præclari in vita egerint, aut acerbi in cauſa Dei perpeſſi fuerint. Æmulatur hac in re Eccleſiæ pietas, Sanctorũ manſiones in cœlo: & populũ admonet, quã iſti iam fælices ſint, ac quo to gradu terrena omnia beati iã tranſcenderint.

Chriſoſt. homil. de S. Ignat.

Ac licet Iudæi ex Dei ipſius lege, parci omnino fuerint quod ad hominum vel animalium imagines admittendas, nihilominus multa in ipſorum templo, Deum ac futurum Chriſtum ipſis repræſentabant: nempe arca, propitiatorium, Sacerdos cum ſuo veſtitu ſacro, & in vniuerſum ſacrificia: quæ, vtpote ſacras imagines adorantes, *Scabellum* Dei etiam religioſe coluere, ac illis intermedijs eorum prototypa, ſeu res ipſas ſignificatas, venerati. Sicut enim imago quid reſpectiuum ſeu relatiuum ad id, quod ſpectabile reddit, ita eius cultus illius eſt cultus, quod ea figuratur: imo non niſi eius cauſa exterius a quopiam pie colitur. Colitur quidem imago geſtu externo corporis, quippe qui fiat coram illa & ad illam: quo, veluti cæremonia, animus ſignificat internam ſubmiſſionem, quam porrigit
Theod. lib. 2. epiſt. 8. prototypo. *Non tanquam Deos, ait Theodorus Studita, imagines nos adoramus Chriſtiani: quod Græci faciunt. a...ſtiſed affectionem tantummodo & charitatis noſtræ ſtudium erga figuram perſonæ, per imaginem expreſſæ, declaramus.* Imagini habitus honor, vt ſcribit *Sanctus Baſilius*, ad exemplar tranſit.
Baſil de Amph.

8. Craſſo idcirco, vel in naturæ lucem errore laborarunt Iconoclaſtæ hæretici, Chriſtianorum imagines appellantes idola, ac merito
Conc Nic. 2 Art. 2. eo nomine a Concilio Niceno ſecundo anathemate perculſi. Idolum enim, aut Deus habitus
1. Cor. 8. falſi Dei imago, nihil, vt ait Apoſtolus: quandoquidem omnis falſitas nihil. cuius omnino ſortis non ſunt apud nos imagines Sanctorum, etenim falſi Dei haud exiſtunt ſigna. Neque dici valent nihil, cum verorum & exiſtentium Sanctorum ſint imagines: aliquid ergo ſunt, & aliquorum. quod in naturam idoli minime
Theod. Ep. 8. lib 2. Cir. lib. 6. cont. Iul. conuenit. *Idolum enim eſt*, inquit *Theodorus Studita, & appellatur, quod dæmonis, aut alterius cuiuſpiam ex eis, quæ Gentiles turpiter pro dijs coluerunt; ſpecimen repræſentat fœdum, & mali deterius. quales enim cauſa, tale prorſus eſt cauſatum & cuius abominandum eſt prototypon, nihilo minus abominãda eſt imitatio. ſic enim harum rerum peritis viſum eſt hæc nomina diſtinguere, qui idolum falſi imitationem eſſe dixerunt, imaginem vero expreſſam ſimilitudinem.* Quocirca ſi iſtis ita reniti Proteſtantes voluerint, vti imaginem idem eſſe contendant quod idolum, tunc rerum diuinarum imagines in templo *Salomonis*, vtpote cherubini, arca, altaria, mala punica, veſtitus ſacerdotalis, adeoque ipſa ſacra ſcriptura inter idola cenſenda: tunc Chriſti imago miſſa *Abagaro* Regi Abyſſinorum: tunc imagines *Petri* ac *Pauli* a *S. Silueſtro* oſtenſæ *Conſtantino Magno*, idola nuncupandæ: quod longe impijſſimum abſurdiſſimumque: imo in templo olim Arca, Propitiatoriũ, Rationale, erant idola, quandoquidem futurorum aut
Ierem. 7. præteritorum bonorum imagines. ô miniſter & idolum!

9. Perſonis deferendum cultum, honoratis ſuis imaginibus, docuit vel natura ipſa apud omnes gentes. Ob hanc cauſam prælatæ Imperatorum Romanorum imagines exigebant a præſente populo honoris ſignificationem. eamque Chriſtiani etiam dabant, viſis illis imaginibus, quandiu ad artificium *Iuliani* & aliorum, Greg. Nazi lib. 2. cont. Iulian.
cum illis non miſcebantur vel coniungebantur idola, ſeu *Martis* aut aliorum fictorum Numinum ſimulacra. Hinc ſub interminata pœna læſæ Maieſtatis, prohibuit *Tiberius* in loca probroſa Sueton in Tib. cap. 58.
ſuam imaginem deferri, vt narrat *Suetonius*. ac *Seneca* illius periculum recoluit, qui in digito an- Senec. lib. 3. de Benef. cap 4. Euſ. lib. 4 de vit. Conſt. cap. 15. 16.
nulum geſtans, cui impreſſa imago Imperatoris, manum ad capiendum vrinale extenderat. *Conſtantinus Magnus* ſui imaginem prohibuit inueni in templa idolorum, teſte *Euſebio*. Quod autem honorari poſſit excellentia in aliqua ſui imagine, vel re ad eam peculiariter ſpectante, docet contra Proteſtantes ritus Eccleſiæ primitiuæ: hinc enim fuere tunc fideles adducti, vt crucem Chriſti venerarentur. *Sozomenus* de S Zom. lib. 1 Hiſt. cap. 3. 8
Conſtantino Magno hiſtoriam recolens & morem eius militum repetens quod ad crucis cultum, dicit, *A militibus adorari conſueuit*. de *Conſtantino* vero hæc intulit: *Nam Sanctæ Cruci plurimum tribuit honoris*. Tanta vis huic ritui per totam Eccleſiam inerat religionis, vti vel hoſtes Sacrarum Imaginum, veneratione ſint proſequuti crucẽ, licet imperatoris imagini eiuſdem cultum deferre ſacrilegium duxerint. de quo ipſorum more hæc *Theodorus*: *Sed quoniã a vobis Imperatoriæ ima-* Theod. ep. ad conieſſ.
ginis honor odio eſt, crux vero veneratione digna cenſeatur, primum illud capere non poſſum. Nos itaque per actum externum delatum ad Imaginẽ, eodem colimus imagine repræſentatum. In quam ſententiam citat *Theodorus* verba *S. Athanaſii*. Sin putaremus imagines eſſe Deos, aut falſorum Deorum ſimulacra, quod veteres cogitarunt, ac ſub illis reſpectibus eas coleremus, quod nullo modo facimus, ſed valde horremus, idololatriæ crimen committeremus. Idololatriam vero in hoc genere gentilium recenſent *Tacitus*, Tacit. Anal. lib. 15. Tert. Apol. Iren. lib. 1. cap. 24. Euſ lib 7. Hiſt. cap. 14.
Tertullianus, Irenæus, Euſebius.

10. Cogitantes porro Sanctorum corpora ad virtutem profetendum, eorum animabus in vita inſeruijſſe, eſſe res, quæ ad ipſorum perſonas quam proxime ſpectant: denique in præmium virtutis quandoque in cœlo condecoranda, inde eorumdem corporum reliquias Eunap. in vita Philoſ.
ſtudioſe, antiquo more, vt teſtatur *Eunapius*, ſeruamus, ac illas pie venerantes, ipſiſmet Sanctis eũdem cultum exhibemus. Et quidem priſcis temporibus ij ſolum huic pietati refragati, qui carnis reſurrectionem cum *Manichæo* negarunt, vt tradit *S. Auguſtinus*. Præter quos, alij Aug lib 20. cont. fauſt. cap. 21. lib. 32. cap. 12 13 Tert. Apol. cap. 42. lib. de Reſur. Cedren in Conſtant.
quoque ſubinde, qui virtutis, qui meriti, qui Sanctitudinis hoſtes, in hunc pietatis modum itidem rabide inſurrexerunt. Dubio procul, ſancto ſpiritui gratum hoc ſeruitium in nobis: quandoquidem eius dona digne recolit, hominibus amabilia & honorabilia oſtendit: ac docet, ab animabus ad corpora, ſingulari quodam fluxu dignitatis, Sanctorum virtutes deueniſſe. Similiter hoc idem officium Chriſti Domini meritis decus adferendo, eius voluntati acceptatiſſimum fuerit: nihil enim aliud agit, quã quod iuſtitiæ & Sanctimoniæ ab eo acceptæ abundantiam excellentiamque adſtruit. hominum denique ciuili ſtatui conueniens hæc ipſa forma pietatis: dum enim hinc ritus iſte religioſus virtutis præſtantiam commendat,

ſocietates

ſocietates coalitas pariter eodem confirmat, quæ vna virture, & de illius precio idonea iu animis ciuium opinione concepta, ſtabiliuntur.

11. Certe ſi quis velit animo recolere corporum officia, quæ in Sanctis fuere virtuti ac Deo impenſa, is dubio procul, merito honoranda, etiam animabus ſpoliata, iudicabit. Familiare Sanctis, in vita veluti ante oculos Dei ſua corpora in terrã proſternere & eiſdẽ ſũmæ humilitatis eo ſpectaculũ exhibere. quod omnino eis magis placet, quã elementorũ ornamẽta & diuitiæ, quam cœli ipſius fulgores. Quem tenerius complexus pater Familias, quam ſuum prodigum Filium, animo pænitentem, corpore laceris pannis veſtitum, ac in genua pronolutum? In conſpectu eiuſdem Dei, ob eius amorem, Sanctorum corpora ſiti, fame & æſtu exaruere, algorum ſpiculis inhortuere, perſequentium baculis, flagellis, alapis, vulneribus confecta & contrita: tantis ob amorem eiuſdem Dei perpeſſionibus miti ingenio ſubiacuere. O quanta fælicitate hinc corpora ſua ad eorum principium, nempe Deum, reduxere Sancti, quum aliorum corpora voluptatibus conſtuprata, ab eius imperio diffuglunt, & in illud bellum mouent! profecto ſi quis oculis intueretur ſanctum aliquem, diſciplina & feruore charitatis corpus coercentem, non tantum illius animam diligeret, qnin imo & corpus honoraret libeoter: vtpote Sanctitatis vehiculum, inſtrumentum, imo & Sacrificium, quod cum *Iſaaco* libenrer anima iubente, portat ligna ad ſe comburendum, permittit ſe ligari, dimittit ſe in genna, vt letalem mortis ictum excipiat. ô flores ô gemmæ, ô culmlna in bac vita corporũ humanorũ!

Luc. 15.

Gen 22.

12. Succnrrere poterit animis noſtris quæ perpeſſi Dei Sancti, quod ad ipſorum corpora in tenebris carcerum, in pædore & ſqualore locorum, in ſordibus naturæ a neceſſarijs deſertæ, in tormentis, in carnificina. & in boc genere neu minima cenſenda, quæ in ſua corpora admiſere ſancti, in lõginquas terras ad nationes Barbaras vltro peregrinantes cum *S. Frãciſco*, cum *S. Iguatio de Loiola* cum *S. Franciſco Xauerio*. hoc ſane iudicabimus, ſi itinerum ac viarum terra marique ab eis ſuſcepta, incommoda, ſi inhoſpites & feros populos, quos adiere, cogitauerimus. quam ignobili ritu ab externis fuere ſæpius tractati iſti virtutum heroës! vbi ipſis debitus ac natiuus honos pendebatur, vbi idoneus victus ſuppeditabatur? quinimo potius in illis natalium, ſcientiæ ac virtutum lumina ſplendores obruebantur plane ſordibus contemptus & ignominiæ: & qui alijs frequenter cibos dedere, fame premi voluere. ex quo factum, vti iudicio, cælitus adprobato, Chriſti cultores exiſtimarunt non ſolum exoſculandas Sanctorum reliquias. & corporum exuuias, verum etiam eis rebus impendendum cultum, licet viliſſimis, quæ ad eorum corpora quoquo modo ſpectarunt. Hinc pronunciauit *S. Chryſoſtomus*. *Fimum, in quo ſedebat Iob, omni tribunali regio eſſe venerabiliorem*. Conferant iam velim ſua corpora quæ dapibus æſtuant, quæ muſco fragrant, quæ gemmis ardent, cum horum corporibus, cum horum byſſis retortis, tabernaculi vſibus cedentibus. o fungi! o adamantes!

Chryſt. ho. 5. ad. Pop.

Exodi. 5.

13. Quam potens virtus, quæ res cœteroqui ignobiles, quod ad eam vtcumque pertinentes, nobilitat ac illuſtrat? *S. Chryſoſtomus* diſſerens de Sancto *Iob*, ita fidelium morem ſuo tempore recolit: *Multi longam & tranſmarinam peregrinationem a terra finibus in Arabiam obeunt, vt fimum illum cernerent & conſpicati terram deoſcularentur, quæ illius victoris certamina & cruorem omni auro precioſiorem ſuſcepit*. Atque in argumentum veritatis idem diſputando, quo paganis credibilis noſtra fides efficitur, dicit, ſepulcrum *Alexandri*, aut vllius Imperatoris nequaquam eum honorem conſequutum, quem Romæ & Conſtantinopoli delatum habet ſepulcrum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum. imo adiungit, Imperatores, etiam depoſito diademate, ad illud venerabundos accedere ſolere. æſtimatio hæc facit omnino ad dignitatem virtutis, ad Sanctitatem gratiæ per Chriſtum, qua virtus expreſſa, ad magnitudinem meriti Chriſti, cuius illa gratia effectus, commendanda: quorum in nobis debiti reſpectus, præcipua ad ciuilitatem incitamenta, tametſi Proteſtantes virtutũ hoſtes, gratiæ detractores, meriti Chriſti extenuatores, in fauorem barbariei, aliter ſentire ſecum obſtinarint. Hinc *S. Cirillus* ſermonem iuferens de clauo, quo Chriſtus crucifixus, polito in fræno *Conſtantini*, ait: *Equos regum clauo crucu exornari, quid aliud declarat, quam ſummam Imperatorum pietatem?* Imo bumani corporis appendices, vtcumque ad virtutem relatas, religione ſacrari poſſe exiſtimarunt veteres. *Vigebat illis temporibus conſuetudo*, ait *Plutarchus*, *vt qui ex Ephabis exceſſiſſet, de comis Deo primitias darent*. Vnde quæſo, apud Iudæos ſacræ primæ fruges, & aliæ res externæ, niſi quia ad hominem referebantur, earum vſu ad virtutem inſtituendum? inaurat itaque virtus omnia, ea miro decore venuſtat, ac veneranda noſtris oculis exponit. hoc impulit *Conſtantinum Magnum*, vt deuote cicatrices orthodoxorum, locaque eis effoſſorum oculorum oſcularetur, vt narrant *Theodoretus* & *Cedrenus*. In huius ipſius rei argumentum, pius ſenſus inerat *Iuſtino* itidem imperatori, petenti ab *Hormiſda* Papa ſibi mitti *Sanctuaria* ſeu *Brandia*: vela ſcilicet ex lino aut ſerico, quæ Sanctorum reliquias tetigerant. *Sanctorum enim non modo corpora*, inquit *S. Chryſoſtomus*. *ſed & ipſi loculi & monumenta ſpirituali gratia referta ſunt*. Huius rei prototypon in ſepulcro Chriſti Domini, cuius ſaxum fideli corde & ore amantiſſime *S. Paula oſculabatur*, *lambebat*, vt recolit *S. Hieronymus*. Olim *Cæſar*, vt ſcribit *Plinius Secundus*, cum eſſet ei allatum caput *Pompei Magni*, virtutes defuncti mente intuitus, *Illud plurimis & precioſiſſimis odoribus cremandum curauit*. Vide quam natura prona hac ex parte in cultum virtutis!

Ghryſoſt. Hom. 5. ad Pop.

Chriſoſt. homil. 57.

Cyril. in c. 14. Zachar.

Plutarch. in Thes.

Theodor. lib. 1. c. 11. Cedren. in Conſtantin.

Epiſt Horm Tom 1 Epi. Rom. pont.

Chriſoſt. homil. de S. Ignat.

Hieron. de obit. Paul.

14. Et quidem hinc de Chriſti Domini meritis ac ſtudijs, pro humano genere collatis, digna exiſtit apud nos reputatio. Enimuero ex fructibus & effectibus,

deuenimus in cognitionem excellentiæ in cauſa eorum ac origine. (Apol. 7.) Idcirco animaduertentes, Sanctos, qui propter iuſtitiæ puritatem in ſanguine agni dealbauerunt ſtolas ſuas, qui gratiæ viribus Chriſti morte & ſanguine comparatis, ad tam eximium gradum peruenere actionis bonæ, Sanctitatis ac gloriæ, valores operum Chriſti, ac eius bonitatis immenſitatem ex eis colligimus. Fragilem aliquem hominem non ſolum in ſeipſo carnis malitiam ſuperaſſe, verum totius quaſi mundi aduerſas vires profligaſſe, prouenire nequiuit niſi a diuino quodam robore inſpirato, non niſi ab auctore veritatis ac virtutis. Quod ſi nobiſcum reputemus contumelias, crudelitates, omniaque genera miſeriarum a Sanctis perpeſſa, eaque ſubinde conferamus cum illis honoribus, quibus in Eccleſia Dei modo illuſtrantur, nil dubitabimus pronunciare cũ *S. Chryſoſtomo*, fidem Chriſtianam (Chriſoſt. homil. quod Chriſtus ſit Deus) quæ illos ad tantum faſtigij a tanta ab iſſo opprobrii euexit, diuinam eſſe ac veraciſſimam. Hinc etiam vel idiotæ ipſi apud nos docti & a Chriſto actorum in ſua Eccleſia intelligentes euadunt. Etenim Sanctorum præconia, ſigna, & honores eis indicant, quales in vita fuerint, iuxta ac quam Chriſtus in eiſdem fortis extiterit. non in verbis nudis, ſed in factis expreſſis capiunt inde notionem meritorum Chriſti, & illius inter homines in agro huiuſce mundi, per omnia tempora voluti decurrentis agriculturæ ac meſſis. Poſtremo, cum Sancti in æterna illa luce iucundati, noſtri cura teneantur, ſintque nobiſcum eiuſdem Eccleſiæ membra, & erga nos charitate accenſa ac coronata flagrent, omnino exiſtimandum, ciues, qui illis honores ſoluunt, fore ipſorum votis & precibus, in negociis iſtius vitæ plurimum fælicitandos. Facile cadunt ab illis fauis, liquore turgidis, ab illis Chriſti cincinnis, vt ait *S. Paulinus*, rores mellei, (Paulin. Ep. 1.) ab illis fornacibus prono impetu eiaculantur, ad nos ſcintillæ; ab illis amatoribus calentiſſimis amoris impreſſiones inſignes decidunt vberrimæ. *Certe defunctorum animæ*, inquit *Plato*, apud (Euſeb. li. 12. præpar. c. 1.) *Euſebium, virtutem quandam habent, qua vel poſt mortem rebus humanis auxiliantur.* De *Hieremia* traditum fuiſſe & creditum Iudæi contendunt, et Machabæorum liber retulit, ipſum poſt (2. Mach. 15.) mortẽ, *Orare pro populo*. Ob hãc cauſam, Sãctorum reliquijs parcendum omnino duxit vel immaniſſimus Scihta *Alaricus*, Romam deuaſtaturus. Nam cum eius milites immenſam prædam (Caſſiodo. li. 12. Ep. 20.) rei ſacræ egiſſent, vt narrat *Caſſiodorus*, *Apoſtoli Petri vaſa cum ſuis deferentibus excepiſſet, mox vt rei cauſam, habita interrogatione, cognouit, ſacris liminibus deportari deferentium ipſorum manibus imperauit: vt cupiditas, quæ deprædationis ambitum admiſerat ſcelus, deuotione largiſſima deleret exceſſum.* Similem Carthagini Sanctorum cultum (Victor. lib. 3) diſcribit *Victor Vticenſis*. *Protegam hanc ciuitatem* (Iſa. 37.) decebat Deus, *propter me, & propter David ſeruum* (Chryſ. hom 2. in pſalm. 50.) *meum. David*, inquit *Chryſoſtomus*, *mortuus eſt, & merita eius viuunt. Hi ſunt*, inquit *Theodoretus*, *veri hominum duces, principes, propugnatores, cuſtodes,* (Theodoret. lib de martyr.) *per quos a nobis infortunia auertuntur, proculque arcentur quæ a dæmonibus inferuntur mala. Eorum nomina nobis impoſita: quin etiam naſcentibus Filijs ea imponi curant: ita cuſtodiam illis tutelamque fortiſſimam comparantes.* Meminit idem templorum Sanctis dicatorum. *Supra martyres vero templa conſpicua cernuntur, magnitudine præſtantia, omni præterea ornatus genere variata, ſplendoremque quodammodo pulcritudinis ſuæ late fundentia.* Meminit etiam votorum eis de more nuncupatorum: *Nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii porro manuum ſimulacra ſuſpendunt ex argento, aurove confecta.*

15. Enimuero relatu mirum, quantam poteſtatem ſit Deus ſuis Sanctis largitus. Cum Deus iam eſſet in procinctu quaſi ad exercendam ſuam iuſtitiam vindicatiuam in populum Hebræum ob eorum peccata, intuitus *Moyſen* pro eodem populo miſericordiam & indulgentiam implorantem, ei dixit, *Dimitte me vt iraſcatur* (Exod. 32.) *furor meus contra eos.* quanta vis ſanctitatis in *Moyſi*, quæ Dei brachia quodammodo a feritu cohibuere! O Dei amorem in Sanctos, qui in eis fabricatus aurea & precioſa vincula, quibus ipſemet conſtringatur, quibus ludat vinctus in orbe terrarum & diliciæ eius, eſſe enim Filiis hominum! In quæ verba Exodi hæc *S. Auguſtinus* (Sap. 8.) commentatus, *Dimitte me: Ac ſi diceret noli eos diligere, & conteram eos, quia ne id faciam, dilectio tua in illos, intercedit.* (Auguſtin. queſt. 149. in exod.) Hinc Filius Dei tantum detulit Sanctis, vti maiora miracula ab eis (Ioan 14.) patrari voluerit, quam ipſemet patrauit: *Opera quæ ego & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Adeo excellenti effectu voluit ſe Deus in ſanctis exprimere, vt dij quodammodo inde apparuerint, hoc eſt valde ſimiles & adfines Deo. ſi ergo vnum quodcumque agat ſecundum eam virtutem, qua actu eſt præditum, mirum non fuerit, Deum per ſanctos magna efficere, ac eiſdem magnam vim ineſſe ad agendum, quandoquidem actu & præſtantia Deo ſimillimi: quippe in quibus ſanguis Filii Dei, quod ad modum gratiæ, & donorum, abundauerit: in quos cœlum deſuper cum affluentia rorarunt, & ipſi copioſe in terra dedere fructus ſuos. (Iſa. 45.) *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis* (Pſalm. 104.) *nolite malignari.*

16. Ex hoc ritu pietatis, dignitatem virtutis animis metimur, ac conſequenter aſſurgimus in magnam æſtimationem ſanguinis Chriſti ſimul ac gratiæ diuinæ, a qua virtutum opera in Sanctis fluxere: iuxta ac meritorum Chriſti, a quibus eiuſmodi gratia profecta. Hoc egregie elucidaſſe viſus *Sanctus Ambroſius*, qui cum rationem reddat cultus noſtri reliquiis Sanctorum exhibiti, tum illum ab idololatriæ fœda nota, quam exinde prophani gentiles noſtris nominibus inferebant, diſcreuit. *Honoro*, inquit (Ambro. Ser. 14. de SS. Nazar. & Celſ.) *in carne martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices. Honoro per confeſſionem Domini ſanctos cineres. Honoro in cineribus ſemina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, quod dæmones reuerentur, quod Chriſtus honorauit in gladio, quod cum Chriſto regnat in cælo.* Iſtius itaque cultus cauſas refert *Sanctus Ambroſius* in nobilitatem virtutis, in præſtantiam gratiæ, in ſplendorem cæleſtis præmii, in

dæmonum

dæmonum horrores. Etenim aliquando a deo ſancti *Babilæ* reliquias Daphniticum diabolum compreſſerant, vti falſus, ſe non poſſe reſponſa dare petentibus, quamdiu prope iacerent illius Martyris ſacræ exuuiæ, vt recolit *S. Chryſoſtomus*: ac inde probat, Chriſtum fuiſſe Deum, quandoquidem in ſuorum demortuis corporibus tam potentē. Opinio virtutis & in ea Sanctimoniæ commouit animum *S. Helenæ*, vt locis ſacris in paleſtina venerationem deferret.

Chryſ. de 5. Babil. Ruffin lib. 1. ca. 37.

Ac poſtquam, ait *Euſebius*, *locis in quibus Seruatoris erant impreſſa veſtigia, debitam venerationem adhibuerat, atque conuenienter prophetico Sermoni, dicenti, Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius, pietatis ſuæ monumenta, quibus poſt ſe relictis, poſteris hominibus prodeſſet, ſtatim fabricari aggreditur*. Eximiam virtutis formam ac diuinam vim ſecum expendens *Theodoſius* Iunior, eiuſdem amore & admiratione incitatus, honorem detulit vel vili cuiuſdam Sancti viri palliolo ſeu ſacco, vt commemorat *Socrates*. *Fertur præterea ſaccum, quo Epiſcopus Chebrorum, qui Conſtantinopoli obierat, indutus erat, induiſſe eumque quantumuis ſordidatum induiſſe: perſuaſum nimirum, ſe aliquid ex mortui ſanctimonia inde percepturum*. Quid ergo aliud moliuntur huic pietati aduerſantes, quam vt eo virtutis momentum extenuant, gratiæ ac meriti Chriſti valores debilitent: dæmonum autem poteſtatem amplificent?

Euſeb. lib. 3. de vit. Cōſtant. cap. 3.

Socra. lib. 7. Hiſt. cap. 22.

Tum de corporibus Sacris ſauilla,
Et perfuſa mero leguntur oſſa,
Quæ raptim ſibi quiſque vendicabat
Fratrum, tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut geſtare ſinu fidele pignus.

Pruden. in Carm. de S. Fructuoſo mart.

17. Quod etiam religio ſit veluti condimentum vitæ Gymnaſticæ, iuxta ac fomentum ſacræ ac ciuilis charitatis, inde venit Catholicos multiplici feſto eam exercentes in Sanctos, iucunditatis plurimum inde haurire, ſimulque occaſiones ſæpius arripere diuinioris & amanioris cū alijs neceſſitudinis. Delectat eos feriatio multiplex a laboribus: Cæremonia Eccleſiæ, conuiuij interdum hilaritas, ſocietatis Fraternitas, veſtium nitiores, Sanctorum ſpectatæ virtutes, veluti in horto diuerſi flores, eorum animis admirabilem ingerunt voluptatis ſenſum. *Licet enim*, ait *Seneca ſine luxuria agere feſtum diem*. cupido eorum facta aſſequendi, aut imitandi, immenſa quadam voluptate eorundem ſtudia vertit. *Martyres noſtri*, inquit *S. Auguſtinus*, *quorum natalitia celebramus, ſanguinem ſuum propter hæc credita, nondum viſa fuderunt. Natalicia Sanctorum cum ſobrietate celebrate*.

G.egor. lib. 1 Ep. 7.

Auguſtin. in pſalm. 88. pa. t. 2.

18. Ac inter alias formas honorariæ æſtimationis, quas Sanctis exhibemus, ea vna, quam in eorum ſignis & imaginibus conſtituimus. veteres Romani, ex ſuis virtutum facinoribus inclyti, quæ in bello præclare geſſerant, ea in tabulis depicta, dum triumpharent, populo oſtēdebantur, vt recolit *Plinius Secundus*. *Paulus Æmilius Rerum geſtarum ordinem in tabula pictum publico poſuit*. in quem finem Romæ hodierna die cernuntur plurimæ tabulæ marmoreæ, nobilium virorum geſta explicantes. Enimuero haud minus æquū, Chriſti ſanctis poni tabulas & imagines, quæ eorum virtutes quodammodo depictas poſteritati commendent celebrandas. an non indigens hujus ritus noſtri generis conditio, cuius memoria & affectus a rebus ſenſui obiectis dependent? an non hoc meretur Sanctorum dignitas, quæ ſupra apices veteris Romæ eminentior, clarioribus actionibus eluxit? Depinxit ſe Deus creaturarum nobis propoſitis notis, quarum inſpectu in eius notitiam & cultum induceremur. quamobrem ergo, hiſtoriarum contextu, & imaginum viuis figuris non erunt a nobis Sanctorum præclara munera exprimenda, vnde in eorum notitiam, amoremque magis prouocemur? Mos fuit olim Eccleſiæ Chriſti, honores titulorum Sanctis conſecraret contra diaboli ingenium tales honores impedire. En coryphæū proteſtantum! Maligeni hæ voces in rabiem acti contra *S. Vincentiam* Martyrem, vt canit *Prudentius*:

Plin. ſecun. lib. De vir. Illuſt. ca. 56. Alex. Neopol. l. 6. c. 6

Iam nunc & oſſa extinxero,
Ne ſit ſepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque figat Martyris.

Prud. carm. de S. vincēt

19. Proteſtantes autem, cum opprobrio in Chriſti merita, cum rebellione in ipſius Eccleſiam, cum flagitio in Sanctimoniam, cum detrimento in fidem, cum clade in religionem, huic ex more noſtro cultui Sanctorum, veluti turbine acti, aduerſantur. Ecquid miri ſi honores Sanctis detrahant, poſtquā omnem ſanctitatē ſuis dogmatibus e medio abſtulerint! Nos iuſtitiam ſive ex opere operato Sacramenti, ſiue ex opere operantis contritionis ac Dei amoris, conſtituentes, pronunciamus, eam peccata quantumuis in altum animi impreſſa, perpetuo expungere ac delere. Vt ita definiamus, nos compellit ſacræ Scripturæ auctoritas, quæ iuſtitiam Chriſtianam appellat lucem tenebras exigentem, aquam & Chriſti ſanguinem, omnes ſordes eluentem: renouationem interiorem, hominem a ſtatu peccati, ad ſtatum filiorum Dei transferentem: dealbationem, vitiorum deformitates auferentem: ſemen Dei & gloriæ, ſemen puri fructus, ſemen diaboli eijciens: pulcritudinem, omnem malefacti intortam, nigramque ſpeciem exterminantem. Ex quo, merito lætantur orthodoxi, cogitantes ſe acceptæ iuſtitiæ beneficio tantis malis ſcelerum penitus exutos & liberatos. *Non a nobis hæc vitia ſeparata, alicubi alibi erunt, ſed in nobis ſanata, nuſquam erunt*, vt ait *S. Auguſtinus*. hoc beneficium a Chriſto nobis donari inficiantur Proteſtantes, ac dicunt, omnia peccata, quod ad reatus, maculas, ac dedecora, ſupereſſe iuſtificationi: ſolum in gratiam Chriſti per fidem apprehenſi, credentibus non imputari contendunt. ita ſentiunt, quoniam volunt iuſtitiam in Sanctis non eſſe formam in eis inhærentem, ſed externam duntaxat Chriſti iuſtitiam forinſecus illis imputatam: quæ quod non adficiat animas eorum, eas purgare nequit aut expiare. Ex quo etiā ſequitur, nullo modo, quod ad rem ipſam, Sanctos eſſe iuſtos, ſolide & expreſſe in eis manentibus delictis, ſed iniuſtos potius ac Deo odioſos. Non enim poteſt homo iuſtus eſſe alterius iuſtitia, magis quam doctus alterius do-

Efe. 5. hs. 5.

1. Ioan. 1.

Auguſtin. l. 2. con. Iul. c. 5. in Ench. c. 15. 16.

Caluin. 2. Inſt. cap. 6. ſect. 24. VVitaker. l. 3 de peccato orig. cap. 35.

rerum neſcios, vel in tanta gloriæ luce, conſtituunt. Quamobrem te Bone Deus, iuxta ac Sanctos tuos verbis Eccleſiæ, ſponſæ tuæ, oro:

Gentem auferte perfidam credentium de finibus,
Vt Chriſto laudes debitas perſoluamus alacriter,

24. Cæterum vero hi ipſi Sanctorum detractores, in immenſum adulationis ſoluuntur erga illos magnates, qui ipſis fauent. Iconoclaſtæ, ſeu Hagiomachi, eorum parentes, Reges & Imperatores adeo ſublimes dixere, vt iura diuina illos nullo modo valeant attingere. Quidam apud noſtros de Regina Angliæ quondam, *Elizabetha Bolena* diſſerens, in hæc verba perorauit: *Hæc orbi terrarum tantam lucem regiæ virtutis ſplendore affundit, vt iam omni laude maior ſit, & adoranda non adornanda videatur.* Sanctorum Martyrum, Epiſcoporum, Monachorum, Virginumque virtutes, caſtimoniæ, ab iſtu retræ grapho in noſtræ Inſulæ ſua deſcriptione paſſim cum ludibriis traducuntur: Interim vna *Elizabetha* non adoroanda ſtilo, ſed cultu adoranda ab eodem proponitur.

Theoſte. in vits ſtudit. — Camd. præf. Britan.

Si ſaperes Matris odiſſes iure Sorores,
Numina cultori perniciosa ſuo.

Ouid. lib. 2. Triſt. Sand. de Schiſm. — Cice. lib. 2. de legib.

Nam illud, ait Cicero, vitioſum Athenis, quod Cylonio ſcelere expiato, Epimenide Creta ſuadente, fecerunt Contumeliæ fanum & impudentiæ: virtutes enim non vitia conſecrare decet. ataque vetus ſtat in Phalario Febris & altera Exquiliys malæ fortunæ, deteſtataque. quæ omnia eiuſmodi repudianda ſunt Num adoranda, quod ſacrilegio incesta, contra animi ſententiam ſub auſpiciis regni iurauit, ſe religionem Catholicam Romanam defenſuram, illæſam in omnibus ſeruaturam, quam poſtea Eccleſiarum direptionibus, & crudis cædibus expugnauit! Num adoranda, te precor, quod infinitis iniuriis Heroicæ Memoriæ Regem Hiſpaniæ *Philippum* ſecundum laceſſiuerit, adeoque immeritum, & illius malefacta plurimis annis patientiſſime & generoſo animo diſſimulantem? An adoranda, quod in Gallia ſubditos contra regem ſæpius excitarit, corroborarit: & a perduellibus diuenditos portus occupauerit: Adorandam ne cenſes, quod Reginæ Scotiæ *Maria Stuarta*, etiam iure Angliæ tunc Reginæ, ac ſuæ Dominæ, ceruices pluſquã ſeruili manu reſciderit? Crudelium parentum proles ipſa crudelior: Libidinoſorum libidinoſior a te adoranda!

Senec. hipo.

Diua non miti generata Ponto.

Habeas hanc quam in tuos Faſtus referas adorandam: Nos vero illius memoriam, non ſolũ quod ferme centum ſacerdotes religionis ergo publice mactarit, ſed etiam propter alia cruda inceſtaque eius ſcelera, cum ſequente poſteritate deteſtamur:

Ouid. lib. 5. Faſtor.

Sanguine pharetrata ſpargitur ara Deæ.

Elizabetheani iſti *Αἰλοι* quam olim apertis proditionibus & conatiis in *Stuartos* infeſti? quam modo latentibus conſiliis in eoſdem Maleuoli? Nocius ſerpens ſiue ſibilet, ſiue lateat.

25. Hoc inter alia multa, haud obſcuro conſtetit ſeditioſo facinore, quod anno ſuperiori, dum Princeps *Carolus* eſſet in Hiſpania, in Eccleſia Sancti *Petri* Londini perpetrarunt. grauiter itaque offenſi, quod Princeps iuiſſet in Hiſpaniam; adeoque ſubuerirĩ, ne matrimonium inter ipſum ac filiam Regis Hiſpaniæ, Dominam *Mariam*, cauſa futura eſſet libertatis alicuius in Anglia quoad ad Catholicæ Religionis profeſſionem, famoſum libellum, vt mihi hic Brugis narrauit *Comes varuicenſis*, varias criminationes in Regem *Iacobum* ac illius regimen continentem, poſuere in manibus ſtatuæ ſepulcralis, *Elizabethæ* defunctæ olim poſitæ, eam tanquam Diuam in cælo eo compellantes, ac veluti Numini ſuas querelas exponentes. poſtridie vero diuino ſcilicet a ſua Diua reſponſum, idque eiuſdem manibus ipſis porrectum, inuenere: in quo omnia arma, tragædias, tumultus, odium Regis ſonabant. etenim hoc pacto feralem illius fœminæ memoriam, in pacem publicam, in Regis ipſius vitam, contumelioſiſſime ab inferno excitarunt. Hinc intelligimus, qualis illa Diua, quæ pro Rege *Iacobo*, & prole regia intercedat.

26. Imo ex hoc vno pro Catholicorum ritu conſiſtit maximum præiudicium in Proteſtantes: nempe quod Catholici Sanctorum ſolemnibus diebus, numero haud paucis, ſæpius ſeſe auocant a negotiis iſtius mundi, ac conſequenter acrius ac frequentius diuina contemplentur quam Proteſtantes eas aderſati, proinde eoſdem iſtis magis pios & ſpirituales reperiri. Hoc argumentum ita carmine expreſſit *S. Paulinus*:

Quod ſi miſta ſeges tribulis mihi germinat, & cor — Paul. Nat. 9.
Incultum ſtimulat terreni ſpina laboris,
Vel Feſtis Domino ſtudeam me offerre diebus,
Vel pro parte mei tanquam confinia vita,
Corpore ne toto trahar in conſortia mortis.

An non ergo in ſpiritum Chriſtiani hominis coniurati hoſtes Proteſtantes, qui harum ſolemnitatum dies attribuere volunt curis ſæcularibus, imo ludorũ nugis potius quã rerũ diuinarũ contemplationi, quam animi & corporis ſequeſtrationi a rebus vanis adeoq; noxiis iſtius mũdi? quorum ritus plus obſecro, confert ad amorem Dei, ad ſpiritus perfectionem?

CAPVT XIX.

Defunctorum religioſa ſepultura, ac pro eorumdem refrigerio ſuperſtitum ſuffragia, ſanctimoniæ & ciuilitati plurimum proſunt; quantumuis Proteſtantes in vtriuſque detrimenta, tantam in nobis pietatem vituperent.

CÆremonia, quam in funerum exequiis exercet Eccleſia Catholica quod ad ſpeciem externam, non tam ciuili apparatu conſtat, vtpote atratis veſtibus, carminibus, quam ſacro, eoque tria ſignificante: corporum nimirum reſurrectionem, animæ defuncti in purgatoriis locis expiationem: demum in æterna requie, quam precatur, illius fælicitatem. Huiuſmodi ſunt ſacrificium altaris, accenſa lumina, odores, pſalmodia, cõceptæ orationes, & ſimilia pietatis apud nos inſtrumenta. Et quantum ad corporum reſurrectionem, licet eam ignorarint veteres, & Philoſophi in vniuerſum negarint,

gloriam offerenda, particeps efficeretur. ſi tunc temporis illi ſepulcro Apoſtolorum adſtitiſſet aliquis Caluiniſta, vidiſſetque acceſſu & orationibus fidelis populi ibi honoratos in ſuis Reliquijs Apoſtolos illos, iuxta ac fuſas eiuſdem populi preces pro anima iam defuncti Imperatoris, quomodo in eo ſathanas ſuiſſet ſtomachatus, quomodo pios ſuperſtitionis, & idololatriæ accerſiuiſſet quomodo Eccleſiã tunc Catholicam condemnaſſet! Nihilominus, vt narrat idem *Euſebius: Iam populus cum ſacerdotibus non ſine lacrimis & ſane magno cum gemitu, preces pro anima Imperatoris Deo fundebant.* Hunc imitatus alius Imperator, *Theodoſius* iunior: is enim teſte *Theodoreto*, ad preſentiam Reliquiarum *S. Cryſoſtomi*, preces Deo obtulit, quo motus veniã largiretur peccatis ſui defuncti parẽtis. nũ hæc exorciſmi in Proteſtantium ſpiritus, dæmone pleniſſimos?

Euſeb. lib. 4 De vit. cõſt. cap. 71.

Theod. lib. 5. Hiſt. c. 36

3. Multiplex quidem ex hac noſtra pietate in vitæ mores redundat vtilitas: eaque cum ſit nobis propria, aliarum ſectarum ſtudia, quod ad hoſce effectus, longiſſime excedit. Manichæi ſummũ optabile duxere, in quo corpore, vtique a malo Principio propagato, & ab illo prouenientibus innumeris ancti incedis, liberarentur. *Bella*, inquit *Plutarchus, ſeditationes & pugnas nulla alia res excitat, quam corpus & eius cupiditates.* & alibi: *Non enim ſola duntaxat, vt mare, ita corpus etiam tempeſtatibus & procellis poteſt exagitari, ſed plus turbarum, earumque maiorum intus alit & infert.* In eamdem ſententiam hæc *S. Ambroſius: Caro noſtra diuerſis agitatur fluctibus & freti modo fluctuat paſſionibus, quibus huc atque illuc tanquam ſuper vndas moleſtiarum ſuarum nunc fame, nunc ſiti, nunc cupiditate, nunc gaudio, nunc dolore iactatur.* Porro Philoſophia veteres docuit, non timendam mortem, ſed optandam potius; quippe quæ corporeos artus, veluti animæ vincula diſſoluat, quo mens ſubinde perfectius rerum diuinarum præſertim notiones, obſtaculis ſoluta, aſſequatur. *Nam corpus hoc*, inquit *Seneca, animi pondus ac pœna eſt: premente illo vrgetur, in vinculis eſt niſi acceſſerit Philoſophia, & illam reſpirare rerum naturæ ſpectaculo iuſſerit, & a terrenis dimiſit ad diuina.* Eadem admonuit, neminem exacta hac vita manere aliquod malum, ſed in ſtellis potius manſiones ac delicias: quam fœlicitatem Romani ſuis floribus defunctis obrabant, illique ſua opinione acceptæ applaudebant.

Plut. Conſ. ad Apoll. Plut. lib. de vita ſtoic.

Ambr. lib. de Noe & arca cap. 15

Senec. ep. 55 65.

——— *Manibus date lilia plenis.*
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis. *Suetonius* hæc de *Nerone* mortuo: *Non defuerunt, qui per longum tempus vernis, æſtiuiſque floribus tumulum eius ornarent, ac modo imagines prætextatas in roſtris proferrent.*

Spartian. in vero.
Suet. in Ner.

4. Cæterum hæc, cum Chriſtianis in funere collata ſignificationibus, ad conſolationem, ac ciuiles mores parum facere videbuntur. Affirmat vero *S. Auguſtinus*, inter cætera commoda a cæremonia ſepulcrali & oratione pro defunctis, hoc vnum, quod *Qualeſcumque conſolationes viuentium ſint.* Imprimis corpus defuncti efferimus, non vt nudam molem, ſed vt animæ ſociam ſubſtantiam, ac ſingulare ad virtutem illius inſtrumentum, eaque etiamnum clarum & conſpicuum. optimorum certe corporibus ex impreſſæ a virtutibus notæ, ex quibus honores ſepulcrales a ſuperſtitibus ſuo iure promereantur. Huius rei prototypon ſuſpicimus Chriſti Domini corpus, noſtræ quidem redemptionis holocauſtum, omnis Sanctitatis apothecam. *Bona arundo Chriſti caro*, inquit *S. Ambroſius quæ ſerpentis caput, & mundanas cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit.* A qua præſtantia carnis Chriſti, ad noſtra corpora etiam ſanctimonia quædã prouenit. *Tingit carnem tuam*, ait idem *Ambroſius*, *in Chriſti ſanguine, ſi vitia diluas, peccata detergas, mortem Chriſti in tua carne circumferes, ſicut Apoſtolus docuit, dicens, Mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes. Noli ad terrena inflecti, ne tuam arundinem inflectas.*

Aug. Ench. cap. 110.

Ambr. lib. 5. in Luc. c. 7.

Ambr. ibid.

1. Cor. 4. Iſa. 42.

Ac tametſi corporum vmbræ animæ lucem impediant, nihilominus quod homo non tam inſtruatur in hac vita ad exactam rerum notitiam, vt aduertit *Mirandulanus*, quam ad exercitia virtutum actiuarũ, idcirco magna ratio corporis in illo habenda, quod ad tales virtutes egregie conducit; vt oſtendit præclare etiam *Gregorius Nazianzenus*. Qualem honorificam exiſtimationem de corporibus piorum ſuſceptam, vt in nobis Deus confirmaret, effecit, vt corpora Sanctorum multa miracula patrarint, ac dæmonibus ipſis terrores ac tormenta ſæpius incuſſerint: vt de corpore *S. Babilæ* martyris narrat *S. Chryſoſtomus*. *S. Gregorius* ſcribens de reliquijs Sãctorũ *Proceſſi* & *Martiniani*, *dicit, Viui et ægri veniunt & ſanantur, periuri veniunt, & a dæmonio vexantur, dæmoniaci veniunt & liberantur.* Iam vincula, compedes, inſtrumenta necis, in honore fuere apud pios, ad corpora quippe Sanctorum relata, vt oſtendunt *S. Cyprianus* & *S. Auguſtinus*. *S. Chryſoſtomus* loquens de gladio, quo *S. Paulo* amputatum caput, & clauis *S. Petri*, ſic vouet, *Sit mihi gladius ille pro corona & claui Petri pro gemmis inſitis in diademate.* Huiuſmodi corporum, in baptiſmo vtpote lotorum, virtutis actione ſãctificatorum, ſacroſancta Euchariſtia viuificandorum, olei ſacri vnctione delibutorum, excellentias, funereis cæremonijs recte celebramus. Quã es virtus, in Chriſti cultoribus diuina & tui effuſius, adeo vt quæ oculis luſtras, quæ manu tractas, quæ pede calcas, in ordines gẽmarũ tranſcribis, vel etiã res ſuis formis viliſſimas, ligna nempe, lapides, pulueres, quos venerationis ergo, teſtatur *S. Hieronymus*, fideles in Paleſtina ſuis oculis admouiſſe!

Miand. or. de Homin. dignitate.
Greg. Naz. or. de bapt.

Chriſoſt. de S. Babila
Greg. Hom. 32 in Euan.
Aug. Ep. 137 75.
Cypr. exhor. ad ma tyr.
Aug. ſerm. 1. de Sanc.
Chryſ. apud Metaph. in feſto pet. & Paul
Ioan. 3. ibid S. Cyrill.

——— *quocumque per herbam*
Reptaret, fluxere roſa, candentia naſci
Lilia, ſi placido ceſſiſſent lumina ſomno,
Purpura fulgebat viola factura cubile
Gramineum, vernatque tori regalis imago.

Hieron. Ep. ad Euſtoch. ad. Demetr. Claudiã. in laud. Seren.

5. Tetigit quodammodo Deus humanam animam, vt magnes ferrum, & illico anima ſe ad Deum conuertit. tetigit quadam ad illum contactum proportione, anima ſua virtute corpus, & ſtatim corpus ad ſpiritum ſe conuertit, adeoque ſpiritualem quamdam conditionem eodem acquiſiuit. an non ſpirituale, ad Reſurrectionem adſurgere? *Seminatur*, inquit *Apoſtolus, corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* an non ſpirituale, adſpirare ad incorruptionis æternitatem? an non ſpirituale, hic corpora,

1. Cor. 15.

ab animabus ſeparata, coli ac diligi a ſuperſtitibus? an nō ſpirituale, eadem corpora vigere virtute ad turquendum dæmones, ad curandum ægrotos, claudoſque? ſi hæc & tanta in terræ gleba operata manus diuina, proh mirum, quid effecit in ſubſtātijs incorporeis, in Angelis & animabus Sanctis? At vnde hæc noſtrorum corporum ornamenta? Certe a corpore Chriſti Domini. quemadmodum enim fermentū maſſæ inſperſum, eidem vitam & motū quodammodo impertit, ita Chriſti corpus, ipſa diuinitate illuſtratū, quaſi cum noſtro genere commixtū, noſtris corporibus dona ſpiritualia ac plane diuina contulit, quo inde intelligeremus, quanta vis & bonitas diuinitatis, quāta gratiæ & virtutis in nobis dignitas, ea qua in hunc ritum noſtra etiam corpora nobilitantur. In Arca olim, cedri libani cū humiliati, tum nobilitati. humiliati, quandoqnidē de monte *Libani* exciſi & abiecti in terram. nobilitati, quod rebus diuiniſſimis ſeruandis conſecrati. pari modo corpora hæc noſtra, vtpote receptacula virgæ *Aaronis*, vrnæ & tabularum legis, virtutum diſciplinis, animæ imperio dimittenda, actionibus virtutum, quæ circa voluptates & dolores verſantur, accommodanda: & ſubinde ad altitudinem ſtatus cuiuſdam ſpiritualis, de quo diximus, ſublimanda: ita vt cum cedris ſint in altiori loco dum in templo manent, quam ſi in mundi iſtius *Libanis* ad aſtra vſque ſua capita attollerent.

Cip. ad Demet.

Math 13. Iren. lib. 2. cap. 6.

Exod. 25

Ariſt. 2 eth.

6. Pars etiam iſtius religionis ſepulcralis, deſtinatur a noſtris ad repræſentandum rerum mundanarum exitum & vanitatem, quarum iucunditates & compendia vniuerſa, triſti ac lugubri morte ante aliorum oculos terminantur. *Nonne omnia tranſeunt & decurrunt?* inquit *S. Auguſtinus? & va hit, qui inhæſerint tranſeuntibus, qui ſimul trāſeunt!* Hic videmus corporum pulchritudines, in ſumma fragilitate ad illiciendū fortiſſimas, corrumpi, in ergaſtulum tumuli detrudi. *Eadem* dicebat *Domitianus*, Imperator, *te manēt meorum capillorum fata, & fert animo fero comam in adoleſcentia ſeneſcentem. Scias nec gratius quicquam decore, nec breuius.* Scitiſſime *Boëtius*: *Sed æſtimate, quum vultu, corporis nimia bona, dum ſciatis, hoc quodcumque miramini, triduana febris igniculo poſſe diſſolui.* Voluptates iſtius vitæ deſinunt hic in periodum illis valde funeſtam. Faſtus, ambitus in hoc exitu ad ſordes & horrores deijciuntur. *Tradunt,* inquit *Plutarchus*, *ſicut ex bobus apes, ex equis ſaci ex aſinis crabones generantur, ita humana corpora, & præſertim medullas, humoremque ex eis profluentem, ſerpentes producere. itaque non abſque ratione permoti antiquiores heroibus draconem conſecrarunt.*

Aug Tract. 9 in Ioan.

Suet. in domit. cap 8.

Boët. l. 3 de Conſol.

Plut. de virt Moral. Cōt. ad Apoll.

7. Sanctius autem eſt, quod de Reſurrectione defuncti corporis noſtra ex ritu funeris profitetur religio: cuius rei conſideratione moderate ferimus a morte cladem, iuxta ac intelligimus, virtute hic corpora gubernanda, non vero voluptate contaminanda. huiuſmodi corporū noſtrorum reparationem multa ſunt, quæ quodāmodo nobis oſtendunt ac probant. ac præterquam quod eadem reparatio indicetur conditione ipſorum, quatenus virtutis in vita organa, illa etiam videtur colligi ex eorumdem excellentiſſimis ſpeciebus ac formis: ſunt enim totæ ad rationis vſum fabrefactæ ac delineatæ, & ad adipiſcendā ſcientiam rerum vndiquaque poſitarum apprime deductæ, vt aduertit *Minutius fœlix*: *Illi ideo natura ſublime fecit caput, collo flexibili impoſuit.* Sicut ergo virtus & ratio immortalitati adſcriptæ, pariter & humanum corpus, quod eis inſeruit. Hinc etiam inter omnia animantia, ſermone ſolus homo, corporis ſui qualitate, vtitur: rationis autem inſtrumentum ſermo articulatus, vt dicunt Philoſophi: adeoque illum adhiber ratio ſummo quodam imperio ad perſuadendum alios & permouendum. credibile autem non eſt, tam inſigne momentum ad rationem, ac imperandum ita conducens, alio termino definiri, quam ratio ipſa, & illius imperium. *Vna facundia conſueuit in ſenecta demum abſolutum vigorem oſtendere.* Neque ſolum a lingua ac gutture prolatus ſermo, quendam edit articulatum ſonum, verum etiam interiores animi affectus, a ratione excitatos, ſpectabiles reddit: ſiue hoc fiat ſimpliciter loquendo, ſiue cantando. quo pacto corpus rationis aliquid participans, eo immortalitatis ideo tendit, quo mens & ratio in homine. Ad hoc ipſum vtcumque ſignificandum, referri quoque poterit vis in forma humani corporis ad commouendū diuerſimode animalia, volucres & piſces, quas Deus hominis corporeæ auctoritati ſubiecit. Notat *S. Baſilius*. vel vmbram hominis territare ſolere efferatiſſimas beſtias, vtpote illud corpus effigians, quod ratione armatum, eademque ad ſummam dignitatem ſublimatum. Eo porro eſt decore, quo in ſui admirationem & amorem, inter alia rationis expertia, mirabiliter Delphinos compulit. *Diuo Auguſto* principe, narrat *Solinus*, *in Campania delphinum puer fragmentis panis primo illexit, & in tantum conſuetudo valuit, vt alendum ſe etiam manibus ipſius crederet: mox cum profluxiſſet puerilis audacia intra ſpaciatum Lucroni lacus vectauit. vnde effectum, vt a Baiono litore equitantem puerum puteolos vſque veheret. hoc per annos plurimos tamdiu geſtum, donec aſſiduo ſpectaculo deſineret miraculum eſſe quod gerebatur. Sed vbi obijt puer, ſub oculis publicis eius mærere delphinum interiit.* Quidam alius quoque puer *Ieſſenſis*, vt refert *Plutarchus*, ſæpius etiam dorſo delphini inſidere ſolebat, & tranare ſinum maris tali vehiculo vſus, donec vi grandinis & pluuiæ in fluctus inde deiectus mergeretur. cuius cadauer idem delphinus ad terram poſtmodū detulit, illique aſſidēs, præ doloris magnitudine, commoriebatur. Imago ſane omnibus imperitantis mentis, in ſpecie humani corporis ſeſe prodens, hæc mira extulit, eoque declarauit, eius rediuiui durationem, tandem menti ipſi coëxtendendam.

Minut in Octau.

Lucian. dial Mened.

Baſil Hom de. prim. g. Hom. dign.

Solin. lib. 9.

Plut. lib. de Anim. ſol.

8. Animaduertere etiam Patres, inter hæc concreta, in vſus humanorum corporum a Deo creata, ne aliquando propriæ dignitatis homines obliuiſcerentur, plurima Reſurrectionis ſpeciem hominum oculis identidem ingerere. Hæc diſcuſſere *Athenagoras*, *Tertullianus*. *Aurelius Prudentius*, *Epiphanius*, *Theophanes*, *Cyrillus Hieroſolymitanus*, *Gregorius*, *Aeneas Gaza*, *Minutius Felix*, *Paulinus* & alij.

Ath de Reſ. Tert de. Carn Chri. Epiph Anc. Prud lib. 2. cont. Sym.

Non deſunt exempla mea virtutis: in ipſis
Seminibus natura docet reuiuiſcere tancta,

Poſt,

Cyril. catec. 19 Gregor. Homil. 20. in Ezechil Æneas Gaza de Reſur. Minut fæl. Octauian. Paulin. de obitu Celſi

Peſt .. tum. ſiccantur enim percunte vigore,
Quę vixere prius: tunc ſicca & mortua ſulci
Aut foueis mandata latent, & more ſepulcri,
Obruta, de tumulo rediuiuo germine ſurgunt.

Sol quotidie, inquit S. *Gregorius*, *noſtris oculis moritur, quotidie reſurgit. ſtellæ matutinis horis nobis occidunt, veſpere reſurgunt. Arbuſta aſtiuis temporibus plena foliis, & frugibus videmus, quæ hiemali tempore nuda foliis, floribus ac fructibus, & quaſi arida remanent: ſed vernali ſole redeunte, cum a radice humor ſurrexerit, ſuo iterum decore veſtiuntur.*

Cuncta reſurgendi faciem meditantur in omni
Corpore, & in terris germina, & aſtra polo.
Noctes atque dies ortus obituſque viciſſim
Alternant moritur nocte reſurge die.

Paulin. de S. Celſo. puer.

Nuda ſeris, veſtita legis, iacis arida grana,
Atque eadem fructu multiplicata metis.
O peruerſa fides, & diffidentia nobis,
Credere nos terris, & dubitare Deo!

8. Quocirca vt proijcientes ſemina in terras, non triſtantur, dum cogitant, ea rediuiua fore in viridi herba & culmo, in maturo fructu ac ariſta, ita noſtrorum funerum ritus recreant animos aſpicientium, illis proponentes mortuorum corporum futuras ſolidas glorias & ornamenta. abſcondit ea quidem terra, ſed vt eadem in lucem poſtmodum emittat ſpecioſiora conſumit, verum vt detractis ſordibus, puriua eluceant reſoluit, at vt denuo coalita, phenicum inſtar, meliori æuo reuiuiſcant.

Prudent. Cathemer.

Lacrimas ſuſpendite matres,
Nullas ſua pignora plangat:
Sic ſemina ſicca vireſcunt
Iam mortua, iamque ſepulta,
Quæ reddita ceſpite ab imo
Veteres meditantur ariſtas.

Priſci autem dum corpora defunctorum cremarent, id muneria peragebant per defuncti virilis ſexus propinquiores: qui tamen triſte miniſterium, pietatis ſuæ officium exiſtimarunt: proinde a funere auerſi, funeſtas faces ſubdebant, dolentes, quod numquam reparandi corporis fabricam eo deuaſtarent.

Virgil. 6. Æneid.

——— *& ſubiectam more parentum*
Auerſi tenuere facem.

Hinc etiam intelligunt ſuperſtites, ſua corpora cœlo adſcripta, non eſſe indignis modis voluptatum hic tractanda, non eſſe abijcienda ad imperia vitiorum, neu quaſi per lacunas ducenda libidinum; ſed morum potius ſeueritate coercenda, ac ſtudijs virtutum nobilitanda:

Lucæ. 10. Ioann 5.

Æquales enim Angelis ſunt, & Filii ſunt Dei, cum ſint Filii reſurrectionis. appoſite Filij reſurrectionis dicuntur homines, quandoquidem iterata vice renaſcuntur, terra tanquam matria aluo denuo egreſſi ad vitam.

Rom. 8.

Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. vt corpora tandem viuant, prius morti tradenda, & veluti ad qualitatem ſubſtantiæ immaterialis, victus parcimonia, caſtitate & diſciplina redigenda, vt iã proprij ingenii factis extinctis, quodammodo mortua, ac biſſus retorta in templo videantur. Nam ante mortem & funus, quæ oculis noſtris cernuntur, præcedunt alia mors & aliud funus eorundem corporum, quæ mente intelliguntur. adeoque eorumdem reſurrectio, quantum ad vitæ nouitatem etiam antecedit, vt poſtea fælicius moriantur, ſepeliantur, ac reſurgant.

Rom. 6.

Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo Non alia futura corpora, gloriæ receptacula, quam quæ fuere prius arma iuſtitiæ. Hoc eſt, non ſolum corporei artus in nobis debent vitiorum contaminationibus carere, verum inſuper armatas vires in eas exercere; & eis eſſe veluti gladios, lanceas, cæteraque militiæ inſtrumenta. quam hoc ratum, cultellum propenſum in voluptatem, oportere eſſe in illam ignitum, acutiſſimumque ferrum! in cœlo proinde haud coronanda corpora, niſi quæ non modo hic armata fuerant, ſed etiam ipſa arma in omnem impuritatem exuerint. in quibus oculus expugnauit colorum illectamenta, tactus debellauit carnis lenocinia, auditus fregit cantus ſirenarum, ac vera arma, diſſipantia ac ſuperantia omnem iucundam prauitatem, ſeſe in hac vita probarint. proinde quemadmodum finito bello, ſolebant veteres arma penatibus adfigere, aut in templis ſuſpendere, ita noſtrorum corporum arma, poſtquam iſtiua vitæ difficultates & tentationes expugnauerint, æternis illa ac fœlicibus in cœlo manſionibus victricia excipientur.

9. At non ſolum ad luctum funebria celebrãnum, ritus noſtri deſtinantur, ſed præcipue etiam ad defuncti, qua Sacrificij oblatione, qua fuſis precibus, expiationum referuntur. Quo, præter charitatem erga vita functum, & eiuſdẽ ſuperſtites amicos, ſignificamus, quantũ puritatem requirat cælũ, vt quis in illud ingrediatur.

Apocal. 20.

Nemo enim ignorat, reperiri in ipſis etiam iuſtis reatus, temporalibus pœnis iuſto Dei iudicio quandoq; caſtigandos: & iuſtos eoſdẽ quibuſdã leuioribus ſeu quotidianis criminibus, vt loquitur S. *Auguſtinus*, coinquinari.

Auguſtin. in Enchir. cap. cap. 64 too. lib. De cur. pro Mort.

Certum vero, hæc expianda, eluenda, antequam animæ in cælũ aditus concedatur. vt autem horum debita exſoluantur, multa fiunt a ſuperſtitibus charitatis ac pietatis officia, eorum memoriam viuam ac vegetam tenentibus, quos fata abſtulere. Pariter reputantes diros illos morſus, quos in flammis patiuntur vel ipſi iuſti, cautius in vita crimina non modo grauiora, verum etiam minora euitabunt. quorum omnium rationes ſacratiſſimæ ſane, ac ciuiliſſimæ merito iudicentur.

10 Et quum ad amicos defunctorũ, qui adhuc in viuis, iure quodam naturæ ſpectet, preces pro eorũ expiatione Deo exhibere, tum ipſorũ defectus, quantum ad hoc beneficium pro mortuis, ſupplet pia mater Eccleſia, vt teſtatur S. *Auguſtinus*.

Auguſt lib. de Cur pro Mort. cap. 4

qui monet, *Supplicationes faciẽdas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica Societate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumcumque ſub Generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia: vt quibus ad iſta deſunt parentes, aut Filij, aut quicumque Cognati vel Amici, ab vna eis exhibeantur pia Matre communi*. In quo genere pietatis exercitæ ab Eccleſia, imprimis animaduerto quãdã varietatẽ, ob quã vt prædixit Pſaltes, *Amicta varietate*. ſicut enim eius Spõſus Chriſtus quodam modo varius & cum *Ioſepho* polymita tunica indutus: nempe in hac vita ſui parte glorioſus, alia paſſibilis,

Pſalm. 40. Gen. 37.

ta & ipſa Eccleſia nunc in triumphis Sanctorum fulget, poſtea in ſuorum funeribus luget, eorumque in purgatorijs locis perpeſſionibus lugubri cæremonia indoleſcit. imo ſenſus teneritudinis adeo ipſius ingenio familiaris, vti etiam cùm ſuorũ martyrũ victorias celebrat, quodammodo compaſſione quadam pungi videatur. Psalm. 78. Hinc in publicis eorum officijs verba Pſalmiſtæ lamentantis vſurpat: *Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, poſuerunt morticina ſeruorum eſcas volatibus cœli: carnes Sanctorum tuorum beſtijs terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hieruſalem & non erat qui ſepeliret. vindica Domine ſanguinem Sanctorum tuorum qui effuſus eſt.* Precipuo autem ritu hoc præſtare videtur in ſolemnitate Sãctorum *Innocentium*: in qua vtitur doloroſo colore violæ, canticum *Gloria in excelſis* omittit, & verba eſieri prophetæ, *Vox in Rhama audita eſt, ploratus & vlulatus multus.* Quod genus indolentis pietatis eo in Eccleſia mirabilius, quo ad eos extenditur, ad quos cognationes aut ſenſus non perueniunt. Idcirco ad exemplar noſtræ Matris eſt quod viſcera miſericordiæ & cõpaſſionis ſuſcipiamus duamus, quicquid Stoici dicunt in cõtrariũ &, erga animas in purgatorio cũ patiẽtes timus cũ eadẽ ex teneritudine doloris pijlicet caro & ſãguis in nobis, vſque eo ſeparationis non perueniunt.

11. Religiones Proteſtantum hac in re aut nullæ aut plane frigidæ, & ineptæ. Si enim volunt non aliquam in funeribus adhibendã pietatis cæremoniam, niſi quam Nouum Teſtamẽtum diſerte deſcripſerit, deſperem ſi ſciam, quomodo ex religionis lege, mortuos ſuos tandem ſepeliant. Quantum vero ad ſignificationem Reſurrectionis, omnis eorum apparatus: ſcilicet ſine cruce, ſine luce, ſine pſalmodia, ſine ſuffitu tenuiſſimus. Miſera ſane res Reſurrectio mortuorum, eorum beatitudo, non niſi tenue emolumentum, ſi non aliunde quam ex cæremonijs Proteſtanticis, eorum capienda a nobis intelligentia. Præter quoſdam atratos, & gentilicia inſignia in magnatum funeribus adhibita, nihil ferme eſt apud eos cæremoniæ, ſacri prorſus nihil. Quod ſi eorum doctrina vera, qua dicunt, non colendum Deum niſi ritu a Deo ipſo mandato, ipſimet condemnant omnem ſuam pompam funebrem ſuperſtitionis. Vt ergo puri ſint adoratores, eadem debet eſſe aſini & hominis, penes ipſos ſepultura.

12. Eo porro, quo Purgatorij fidem eijciunt, ipſum cœlum violant, attribuentes defunctis quantumuis flagitioſis, nondum expiatis, in cœlo hæreditatem & imperium: imo decedentibus ex hac vita in actu parricidii contra vitam principis, in actu adulterii, furti, vel ſacrilegii. adeo hi Purgatorium deteſtantur, vt cœlo eodẽ extremam inferãt iniuriam. Hinc quidam Archiminiſter Anglus olim reprehendit quemdam Oxonii, quod is dixiſſet, Puritanum, qui tunc temporis ad deſperationem adactus, e pinnis turris Eccleſiæ *S. Sepulcri* Londini, ſeſe dederat præcipitẽ, diem clauſiſſe in ſtatu damnationis. Quæ repræhenſio nullam aliam cauſam potuit habere, præter opinionem, qua is iudicarat, Puritanum ſemel in Chriſtum credentem, & Euangelii promiſſa apprehendẽtem, indubie ſaluandum, quodcumque in Deum, in Regem, hominesque egerit, nulla licet pœnitentia flagitium in vita retraxerit. & huiuſmodi ſunt oſores Purgatorii, qui cœli contaminatores, qui Regum, legumque hoſtes. Quod ſi animis repetamus varia officia virtutum erga defunctos, Morus. in ſuppl. ani.
quæ obeunt Catholici, præſertim eleemoſinam in pauperes, ſacrificia frequentes celebrantes, fide purgatorii ad hæc incitati, ea omnia relinquunt Proteſtantes, mera interim ſocordia reſupinati, ſtultæ & brutæ ſuæ fiduciæ in Chriſtum æternum indormiſcunt.

CAPVT XX.

Sicut apud nos a Sacerdotum cælibatu, & immunitatum Priuilegijs ornatur religio, ita Proteſtanticorum Miniſtrorum coniugijs, eiuſmodi immunitatum inopia, ſi qua penes illos religio, deprimitur, & in popularium contemptum, cum ipſorum perſonis, abijcitur.

IN vniuerſum ſuperius ſatis oſtenſum, ſtudium virginitatis plurimũ facere ad dignitatem religionis. quod cum verum fuerit, tum illud conſequens, diuiniorem, ſacratioremque religionem, eam diſtrictius poſtulare, vt ſacerdotum excellentia eiuſdem præſtantiæ examuſſim reſpondeat. Nulla autem Sacra vnquam adeo ſublimia in orbe apparuere: adeoque vel tam expreſſe caſtitatem ſignificantia, ac noſtra Chriſtiana: in quibus conſpicuus Saluator noſter, incruento ritu a Sacerdotibus immolandus, inuocandus, adorandus, tractandus, cum ſua perſonali virginitate, tum matris ſuæ ſimili puritate commendabilis. Venit enim ipſe in hunc mundum, vt inter alia ipſius munera eum etiam virginitate illuſtraret: quod nullus adhuc vnquam effecerat: proinde ex cultu virginitatis, a Chriſtianis profeſſo, vim diuinam vt virtutis ita pariter veritatis ineſſe fidei Chriſtianæ Patres, *Euſebius, Athanaſius, Ambroſius* recte ſuis diſputationibus confecere. Non enim Euſeb. lib. 1 demonſt. c.
ſua ſola nobilitate hac ex parte cõtentus Chri- S. Athanas.
ſtus, quinimo ipſe virginitatis ſtudio inſignitus, Apol. ad
alijs multis ſui imaginem quodammodo impreſ- Conſtant.
ſit, quo ipſum virginem modo infiniti in ipſius Amb. lib. 1.
Eccleſia filiarum virginum cohortes comi- de Virgin.
tarentur. Certe in Chriſti Domini actionibus ac perpeſſionibus, nulla virtus magis conſpicua quam fortitudo, quæ in difficilia ſe erigit. redimere enim mundum, illum ſcelere perpurgare, ad humilitatem, ad rerum mundanarum contemptum, ad Charitatem inſtituere, quam fuerit opus ſpiſſum & impeditum! quo munero difficilium, quibus officijs, circa ardua occupatus, non excludenda caſtitas, aut virginitatis cupiditas: cum recte *S. Auguſtino* & *S. Thoma* ad Aug. lib. 1.
fortitudinem referantur. qua fortitudine caruere de Ciu. cap.
re religiones Græcæ ac Romanæ: imo vt ſcri- 28. S. Thom.
bit *S. Ambroſius* pœnis infamiæ potius cælibes ca- 2. 2. q. 151.
ſtigarunt. *Veſtales* poſt trina decennia, religione art. 1 ad 2.
ſolutæ, Sacerdotibus nubebant, vt *Plutarchus* Ambr. de
refert. olim Iudæi ratione ſolum certi muneris viduis.
Plut. probl.

ſacri, ita.

facri, ab ipſis obeundi, ſtatutis temporibus caſtitatem exercebant. Ex quo rectè inquit *Aurelius Prudentius*, perpetuam ex voto virginitatem, propriam reperiri ſolummodo Chriſtianorum. (Prud. lib. 2 cont. Sym.)

Tandem virgineam faſtidit Veſta ſenectam
Nubit anus veterana ſacro perfuncta labore.
Deſertis focis quibus eſt famulata iuuentus,
Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas.

(Optat. lib. 2) *Veni ſponſa mea* inquit *Optatus veni a libano, id eſt, de imperio Romano: vbi ſacerdotia ſunt & pudicitia, & virginitas, quæ barbaris gentibus non ſunt.*

2. Enimuero ſi quis naturæ vim in voluptatem concubitus intentam paulo attentius conſideret, præſertim cum iam peccati originalis intéperies ei acceſſerit, pronunciabit omnino, ingens & plane cæleſte eſſe illud robur, quod eam comprimat & ad meliora bona renitentem retorqueat; eoque tale in nobis imperium non niſi ad Chriſti meritum ac gratiam referendũ. Hinc contingit vel naturæ inſtituto, homines puriori tactu præditos, ac conſequenter maioribus ingenijs imbutos, feruentiores reperiri in hanc illecebræ cupediam, cuius ideo eis appetitionis cauſam ex Philoſophiæ documentis ita cæcinit *Mantuanus*:

(Mant. carm. de Calamit. vita. lib. 2.)
Omnibus his natura potens & prouida curis
Addidit hos ſtimulos, atque hunc animantibus ignem
Quo praſtant magis oſſa calent, venus acrior viget.
Nam meliora magis prohibens natura perire,
Ad genus augendum flammis acrioribus inſtat.

Indolendum itaque huiuſmodi magnis ac melioribus inter mortales, ſi hiſce flammis arſerint; & ſi florem ſuum ab eis immunem ſeruarint, eſt quod agnoſcamus in eiſdem reperiri & flagrare ex Chriſti munificentia, diuinum charitatis ardorem, eas compeſcentem. In cuius virtutis altitudinem, ad diuinorum imitationes, apud nos inſurgunt præcipua quæque ac maxima officia.

(Mant. carm. cont. poet. Impudic.)
Caſta dei genitrix caſtus regnator Olimpi.
Mens capit ambroſias non niſi caſta dapes.
Lex venerem faſtis vetat exercere diebus,
Sacra miniſtrorum corpora caſta volunt.
Pierides caſtæ, caſtæ Libetrides vndæ,
Tota pudicitiam vera Poeſis amat.
Eſt Helicon virgo, virgo Peneia Daphne,
Caſtalides aiunt virgine matre ſatas.

3. Floridam itaque hanc animi corporiſque integritatem, in trophæum pudicitiæ, iuxta ac in falaces voluptates, cæleſtis victoriæ ſignum, cum ſuo ipſius ortu, tum vitæ progreſſu, ac demum exitu, adeoque omnibus dato conſilio, Chriſtus Dominus ſibi ac ſuperis conſecrauit: carnem, quam ex communi noſtro genere delibauit, ex matre virgine, lilio quippe ſpinis incincto, *In inuio & in inaquoſo apparens*, ſecundus *Adam* ſuum paradiſum virgineum inhabitans, deſumpſit. inde obſtetricante dei manu eductus non coluber, ſed agnellus, qui in typum, in illectamentum virginitatis virgo effloruit. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum calorum.* Et quare propter Regnum cælorum? ideo nempe quod cælum, in quo beatorum ſedes, ſit longe alterius qualitatis, quam elementa, quæ inferius in hominum corporibus ad libidinem efferueſcunt; quandoquidem *Quinta ab eis eſſentia*; in cuius luce nullus fumus, in cuius puritate nullæ ſordes, in cuius immutabili æternitate, nulli interitus craſſiorıs voluptatis cernuntur. Maneat *Venus* in *Cypro*: nullus ei locus in paradiſo. Proinde ſicut ij, qui nauticam artem profeſſuri, naualia tractant, ad mare familiarius accedunt; militiæ itidem adſcribendi, ea præludunt armis, quæ in acie gerenda. ita Chriſti eximij cultores ſecum cogitantes conditionem Regni cælorum, quæ eos manens, non minus diſtat a *venere*, quam ſummum ab imo, quam immortale a mortali, inde ſuæ aulæ hic in terris ſeipſis oſtendunt quamdam formam, ſui æterni regni nitores commendant appetentes hic Eunuchi fieri *Propter Regnum calorum*. Neque quod putarunt veteres, ignis ſuo ingenio adeo eſt alienus a concubitus voluptate, ac regnum cælorum. Proinde eius in cælo, non in penetrali *Veſta*, aut focis Hieroglificum nobis obijcimus virginitatis: *In Reſurrectione enim neque nubēt neq; nubentur ſed erunt ſicut Angeli Dei in calo.* Et qui in Regno cælorum præcipui? an non Chriſtus Dominus, & Beatiſſima virgo Deipara *Maria*? hinc dicit. *S. Epiphanius*. *In nomen Chriſti plurimos ſectari* caſtitatem, & eodem imitari virginem *Mariam*, quam appellat *Principem virginitatis*. In qua, robur quoddam inſigne maxime ſpectabile. vt enim terra ſuapte vi ſtare dicitur, & eo fortis æſtimatur, ita olim *veſta*, quæ virginitatis Domina a priſcis habita, ſic vocata, quod ſua vi magna ſtet.

(Pier. verb. ignis & veſt. — Math. 22. — Epiph lib. 3 cont. Her. Tom. 2)

Stat ea terra ſua: vi ſtando veſta vocatur:
Cauſaque par Graij nominis eſſe poteſt. (Ouid. lib. 6 Faſtor.)

Rectè idcirco noſtri Theologi hanc vim in virginitate, quæ firma contra tentationes conſiſtit, virtuti fortitudinis adſcripſere. Et quod libido quadam ira & rigore repellenda, inde *Aurelius prudentius* in eam victoriam faciliorem dicit quam in ambitionem.

(Prud. Ham.)
—— *facile eſt frenare rebelles*
Affectus carnis nimiaſque retundere pulſus
Materia fragilis, & v. ſcera victa domare.
Quippe animus longe praſtantior, vtpote ſummo
Artuere dimiſſus ſubieitos ſi velit artus
Imperio quaſſare graui, iuſſiſque ſeueris
Dedere regnanti Domino, vis nulla reſiſtit.

Hinc veteres finxiſſe, viſi ab apro interfectum *Adonidem*, quod laſciua voluptas, indignatione quadam animi & irata aſperitate, ad ingenium apri, ſit comprimenda: alia autem vitia, quæ dicuntur ſpiritualia, vt ſuperentur, requirunt maiorem in nobis vim ſpiritus & rationis: & proinde in ea victoria difficilior: vt omittam eorum ſuggeſtiones eſſe magis fallaces & *aligeras*, vt loquitur *prudentius*; vnde latentius, & ſub ſpecie tacti excuſabilis, magis inualeſcunt. Spolia te, & expedite curres: te caſtea, & cælum tanquam metam attinges. Vtrimque ſpolium, vtrimque ex ſpolijs lucrum. quo tendat virginitas, olim oſtendere in tabernaculo pelles hiacinthinæ, eorum corporum typi, in quorum mortificationibus cæli color elucet. De cælo dilapſum modo aureum pomum: detur pulcriori: illi nempe, qui anima ſplendidiori Deo cupit & ambit famulari. *Quj poteſt capere, capiat.* *Adoretur*, inquit *S. Cyrillus*, *qui de virgine natus* Chri- (Exod. 26 — Math. 19 — Ciryl Cat. 12.)

caſtitate ſanctiori, qua vouetur Deo, adulterijs eſſe peiores. Quam vero ſit grauis noxa a voto caſtitatis ad connubia tranſire, rei natura, vel patrum attente conſiderata, facile omnibus declarabit. homines etenim ſui ingenij inſtinctu, vehementius ſolent in eos commoueri, qui per furtum, vel latrocinium, ipſis aliquid eripuerint: hoc enim reputant ſe læſos non ſolum quo ad peculij direptionem, ſed etiam dignitatis exiſtimationem. Quid miri ergo, ſi Deus illis vehementius iraſcatur, qui ſuorum corporum ſibi conſecratos flores per laſciuiam illi adimerent & eo maior diuina efferueſcit ira, quo caſtitatis votum in ſe ſpectatum ei precioſius, & angelorum nitoribus vicinius. Grauior enim iniuria ex furto gemmæ, quam ferri.

7. Multi extitere, qui animis magnis præditi, indigne tulere, adeoque valde commoti, quod vilis condicionis homines auſi in eorum dignitates inſurgere. inter quos fuit *Valentinianus* Imp. de quo hæc *Socrates*. *Simul atque legati Sauromatum aduentarant, eique viſi ſunt abiecti admodum & ſordidi, ſciſcitabatur, ecquid omnes Sauromatæ eſſent eiuſmodi? Cumque legati reſpondiſſent; Sauromatorum ſaeculo optimos ad illum aduentaſſe, Valentinianus iracundia ſupra modum inflammatus eſt, ingentique clamore ſublato dixit: male actum eſſe cum imperio Romano, quod eius adminiſtratio ad ipſum deueniſſet, quo regnante, tam egens, ac ſordidum Barbarorum genus animo non erat contentum, ſe ſuis finibus cum ſalute continere, ſed arma ſumere, Romanorum fines populari, ad bellum animo confidenti proficiſci maturabat. atque tantopere ſuos neruos vociferando diſtendit, vt omnes venas aperiret, omneſque arterias rumperet. vnde tanto ſanguinis copia effuſa eſt, vt in Caſtello quod Bergition appellatur, extremum vitæ diem obierit.* (Socrat. lib. 4 hiſt. cap. 26.) Pottori ſane ratione qui animi & corporis puritates virginales Deo conſecrarit, ſentiet in ſe excitanda vim facultatis iraſcibilis, quæ indignabunda depellat libidinum fæces inuadentes in huiuſmodi altum ſtatum ſacræ perſonæ, ne cæli in ea color, inferni nigrore, terræque ſordibus aliquando violetur. Hoc ſiti ira, quæ in alios plerumque iniuria, in noſipſos fuerit ſalutaris.

Corpora viua nefas ſtygia vectare carina. (Virg. Æn. 6.)

Certe indignũ, puriſſimas Heliconidis nymphas, a ſalacibus Satyris deprauari, lilia in carbones deturbari. Merito idcirco cuſtodia caſtitatis attribuitur fortitudini, quæ hominis virtus ea parte, qua iraſcibilis. ſpectabiles idcirco in cælo virgines, quæ dum in viuis eſſent, vt ait S. *Cyprianus*, *Concupiſcentiam carnis & corporis, continentiæ robore ſubegerunt.* (Cyp. lib. de Mortal.) iſtud autem in ſe rigoris robur nõ tam facili opera inuenitur in eis, quorum amans ingenium, quorumque ſanguis purior: proinde in eiſdem rarior caſtitas videtur. fortem animum, tanquam proprium ſolum, exigunt lilia caſtitatis, non fauum mellis, non humũ fluore ſuo pinguiorem, in quo radices figant. Fuere in templo *Salomonis* ad hoc ſignificandũ, columnæ ex ære, ſuper quarum capita ponebatur, *Opus in modum lilij*: ſcilicet columnæ, ſeu fortes viri homines, ij demum bene comparati, qui lilijs caſtitatis niteſcant. quod ſi quis eius voto addictus, ſe languidiorem [illegible] at, opertet precium ſe conijciat tanquam vas vdum in fornacem charitatis & amoris diuini, vnde ex feruore dureſcat. vt etiam hæc lilia portes, ſis candelabrum ex auro puriſſimo, ex quo erant pariter in templo Dei *Lilia procedentia*: nempe ſis Dei amore purum aurũ; retineat quoque mens tua haud vulgare lumen eruditionis: quandoquidem non niſi columnæ huiuſmodi, & candelabra idoneæ ſedes caſtitatis; nec in quauis gleba creſcunt hi flores candentis puritatis. (3 Reg. 17.) (Exod. 25.)

8. Quamobrem, quod gratia mundo data per Chriſtum, ſit ſua virtute excellentiſſima, inde ab initio eccleſię, Chriſtiana dignitas ad hunc florem virginitatis adſpirauit, ac inde voluit ardorẽ charitatis cum ebore candeſcere. Cæterum quo hoc inſtitutum noſtrorum ſublimius, eo hoſtes excitauit in ſe acriores, detractores immaniores. Inprimis Pagani hanc puritatẽ: veluti quæ in vita humana, vt loquitur *S. Ignatius*, quid Præſtãrius: quaque vt ſcribit *Athenagoras*, cupiebant ſe Chriſtiani *Deo viciniores* reddere: conſpicati, illos criminati, perinde vellent genus humanum tandem virginitatis ſterilitate extinguere. at quales hi, non alij ſane quam in luxuriæ ardores rabidiſſimi. *Si qui forte* inquit, *Tertullianus*. *vere de ſterilitate conqueri poſſunt, primi erunt lenones, Perductores, Aquarioli, tum Sicarij, venenarii Magi, item Arioli, Aruſpices, Mathematici: hic infructuoſos eſſe, magnus fructus eſt.* (Ignat. ep. ad Phil. Athen. Apol.) (Tertul. Ap. cap. 42.) en hominum claſſes, in virginitatis opprobria armatas! ſubiunxere alij, virginitatis ſtudium martium feruorem debilitare in hominum pectoribus, vt narrat *Prudentius*:

An ae pudicitia gelidum iecur vtile bello eſt?
An tenerum pietatis opus ſudatur in armis? (Prud. Pſych.)

In horum ordines ſe tranſcripſere poſtea hæretici in primitiua Eccleſia, nihil eximij in virginitatis decore agnoſcentes: proinde in eius contumeliam, & ad Catholicorum mores vituperandos, per ironiam dixere *Mulam eſſe quoq; virginem.* Ex iſtis intelligant velim Proteſtantes, quo nam ſpiritu ducuntur, qui virginitatis profeſſioni & illius voto, perfectionis & meriti rationes adimunt, & credenti in Chriſtum, ſeu eius iuſtitiam fide apprehendenti aut inutile faciunt virginitatis inſtitutum, vel haud maioris meriti & commodi, quam eſt matrimonii vinculum iugale.

9. Proteſtantium autem miniſtri, ſicut ſacra haud habentque tanta puritate digna, ita neq; in voluptatem vxoriam accenſi, in ſuas perſonas admittendam indicant. Iconoclaſtarum Imperator hæreticus, in monachis catholicis cælibatum deteſtatus, ſub maximis pœnis eis hanc legem per ſuum præfectum edixit: *Qui vult Imperatori ac nobis obedire, induatur veſte alba, & hac hora ſumat vxorem*: vt ſcribit *Anaſtaſius*. *Lutherus* in hanc cupediam lixatus, abſolute pronunciauit, errasſe patres in Concilio *Niceno* cælibatum Sacerdotibus præſcribentes. quos hac ipſa de cauſa phanaticos etiam appellat *Caluinus*. *Balæi* apoſtatæ apud nos hæ voces de ſeipſo prodiere. *Horribilis beſtia, ſum execrabilis Antichriſti maledictum characterem deinceps eraſi, extirpaui, deleui.* quam acute huic nebuloni lanceolæ ad extirpandum, ad eradendum, ad delendum quod (Anaſt. Hiſt. Iconocl.) (Luth. lib. de Conc. Calu. opuſc. Theo.) (Bale. in cen.)

ritus Eccleſiæ, vt ſcribit *Tadenſis*, antiquitus im-
Tudeā hiſt. Saracen. preſſerat *Non enim ab homine neque per hominem, ſed ex ſpeciali Chriſti verbo & dono, fideliſſimam accepi vxorem Dorotheam vt non amplius eſſem papæ creaturā ſed Dei, iubentis, qui non continet, nubat in Domino.* Dubio procul, *Dorothea* hæc, omnibus naturæ ac gratiæ donis fulgida, quæ ex Dei mandato *Baleo* in vxorem ceſſit! num Deo cura de huiuſmodi bobus & aſinis, qui non tam in Chriſto nubunt, quam in Chriſto libidinantur?

9. Imprimis vt dixi, munera ſua prophanant, iuxta ac ſuas perſonas vituperant, cælibatum recuſantes, & rebus vxorijs implicati. Detur mihi aliquis miniſter proci ſtudijs inflammatus, aut Zelotypiæ ſuſpicionibus perplexus, & tunc
Plut. in M. Coriol. illi proponam legem Romanam apud *Plutarchum*: *Age quod agis: Animos ſcilicet ſacrificio adhibere iubentem, nec vllis interuenientibus operibus, quæ plurima humana rebus vi & neceſſitate quodāmodo fieri contingit, diuinus auerteretur cultus.* quid præſtabit apud iſtum procum lex Romana? nū ab Amaſia ipſius omnem cogitationem auocabit, num ſecurū ea reddet, illum prædicantem, non contracturum affinitatem cum vllo cornuto ligno in Zodiaco? *Age quod agis*: inepta profectò apud hunc admonitio, cum nihil minus animo agat, quam quod in Eccleſia agere corpore videtur.

Ouid. epiſt. Laod.
Res eſt ſoliciti plena timoris amor.
Sit amor hic magnas nemo ſecuras erit.
Nos ſumus incerti, nos anxius omnia cogit
Quæ poſſunt fieri, facta putare, timor.

Porro Sacra ſua hoc pacto diminuunt, & vel ſub ſacris gentilium longe inferius collocant
Alex. lib. 4. Pen. cap. 17. Proteſtantes. *Sacerdos iam Diis immolat*, ait *Alexander Napolitanus*, *& rem diuinam facit, prius corporis ablutione purgatur. a Venere abſtinet, vt ſanctius, puriuſque accedat.* Idem pariter recolit *Plu-*
Plut. in Nū. *tarchus*. Etenim præter Iudæos, etiam Pagani putarunt caſtitatem ſpectare ad Sacrorum dignitates. ob hanc cauſam inter alia ipſorum decreta vnum fuit, quod ad Sacra *Matris Deum*, fœminæ iubebantur a maritis ſeorſim agere per nouendies, qui ſacris interim addicebantur, vt *Ouidius & Iuuenalis* narrant.

Ille petit veniam, quoties non abſtinet vxor
Ouid. 4. Faſt. *Concubitu. ſacris. obſeruandiſque diebus.*
Iuuen. Sat. 6. *Mollia qui nupta ſecuit genitalia teſta.*

Verum ſacra Proteſtantica, ſcilicet *Concio, Cantio, Lotio, Cœna*; huiuſmodi nitorem non requirunt. Quis porro ad amplificandam religionem Proteſtanticam, ad eam illuſtrandam, ſumptus faciet vectigalium aut prædiorum ſuorum, poſtquam conſtiterit, omnia futura aurea vellera prolis miniſtricæ, ſegetem, quam vxoria pompa ac deliciæ, ſobolis luxus, luſus, & matrimonia demetant, popinam, in qua leuitica ac bucolica pubes luxurietur? Enimuero ſi caſti Sacerdotes non præceſſiſſent, qui prouentus hos Eccleſiaſticos promeruiſſent, iam diu non alium florem ſui oſtendiſſent miniſtri, quā quem oſtendunt haleces, capitatim pendentes in fumario.

10 Quod itaq; perſonis eccleſiaſticis, virginitate veluti concretis, ſummum inſit robur ad opera præſtanda virtutum tam intellectualium, quam Moralium, inde nepharius dæmon huius rei conſcius, incitauit Proteſtantes ad decus hoc impugnandum, ad hoſce neruos conterendos, illoſque excidendos. volunt itaque neminem ita adſtringi voto caſtitatis, quo minus ei integrum ſit, ad connubia tranſire, ſi carnis ardor eum ad id inſtigarit: quo in euentu, dicunt, votum caſtitatis obſeruatu impoſſibile, ac proinde neminem obligare. quale hoc in illis vlcus putredinis! ſimili enim modo, voto obſtrictus ad ſeruandum legem naturæ, aut decalogi, ad obediendum Principi, vrgente tentatione in oppoſita, cauſari poterit, ſe voto haud teneri, quandoquidem moleſtiam, quæ non minor eſt, quam ea quæ inſtigat quempiam contra votum caſtitatis, diutius perferre non poterit, & proinde ſe religione illius eo ipſo ſolutum.

11. Cæterum ſcire vellem hæreticos, altioribus & diuinioribus inniti apud Clerum catholicum ſtudium caſtitatis, quam vt facili opera ab eiuſmodi emiſſarijs conuellatur. Chriſtus Dominus cum ſua Matre puriſſima, integritatem hanc nobis commendarunt, cum vitæ genere, tum peculiari circumſtantia ſuæ Natiuitatis. natus quippe ſaluator virgo ex virgine, & tempore quodammodo virgineo, nimirum in ipſo ſolſtitio brumali. Habet Deus, vt recolit *S. Iob*, Iob. 38.
Niues in theſauris: quæ tunc effundi ſolent de cælo in terram, quando in hyemis alto ſol vel maxime a nobis receſſerit. eſt autem nix hieroglyphycum caſtitatis. in quo ſibi viſa eſt complacuiſſe Deipara virgo, quando deſtinando locum in monte *Eſquilino* Romæ, vbi in ipſius honorem ædificanda Eccleſia, effecit, vt in medio æſtu Auguſti, totus ille mons, ſpectante Papa cum clero, populoq; Romano, niue eſſet contectus. Enimuero hæc nix virginea, Proteſtantibus erit tandem exitioſa. Scribitur a *Cicerone* & aliis, *Brennum*, Dynaſtam Gallum, cum ſuis Apollinis Delphici phanum ſpoliaſſe. a quo facinore hæc *Pythia* effata: *Ego prouidebo rem iſtam, & albæ virgines. Ex quo factum*, ait *Cicero*, *vt & viderentur virgines ferre arma* Cicer. lib. de diuin.
contra, & Niue Gallorum obrueretur exercitus. tanta enim copia niuium in milites *Brenni* cecidit, vt inde perirent. quanta vindicta a niue! quā potens Nix, cadens de theſauris Dei, ad armatos ipſos ferratoſque ſuperandum? Vos autem eſtis Proteſtantes, barbari *Brenni*, qui virginibus Eccleſiæ mille iniurias & mendacia intuliſtis. Vos ſiquidē earum monaſteria deſtruxiſtis, vos earum bona diripuiſtis, vos earum virtutibus detraxiſtis, vos earum perſonas veſtris mendacijs defamaſtis. Mihi credite, iſtæ albæ virgines, iſtæ ſacris lineis indutæ, acres ſunt ad vindictam: robur ſunt Eccleſiæ Chriſti, illis affatim nimium ad vos obruendum: ab albis iſtis virginibus eſtis quandoque debellandi. nulla pharetrata *Diana* iſtis cōparabilis: *Tritogenæ*, oculis cæſiis ſunt, & ex cerebro *Iouis* ortæ: bellis Heſiod. Th.
aſſuetæ, aduerſis viribus indomabiles. Imo ſub illis niuibus abſtruſa eſt magna vis diuini ardoris, quo calent noſtræ virgines, vtpote amoris Dei, & veritatis: proinde eſt quod ignea plane

tela

tela expectetis ab iſtis virginibus in vos eiaculanda, quæ omnem veſtram cæcam & arrogantem audaciam expugnabũt. Ad has virgines ſpirituum Princeps, ſpiritus Sanctus, iuxta ac Sãcti Angeli ſæpe appellunt: tum quod eorum conſortio plurimum delectenrur, tum qund eis diuina robora inſpirent in ſibi infeſtos hoſtes.

Ouid. lib. 1. Triſt. Eleg. 8

Aſpicis vt veniant ad candida tecta columba,
Accipiat nullas ſordida turru aues?

12. Ad ornandum porro religinnem, præter cenſus ſatis amplos, ſacris perſonis conſtitutos, accedunt exemptionum priuilegia, quibus idemmet iure legum pnre ciuilium, quantum ad earum vim coercitiuam, ſoluuntnr ac liberãtur: quæ Concilium tridentinũ aſſerit, diuinis ordinationibns ſimul ac Eccleſiæ Sanctionibus, cõdita eſſe ac confirmata.

Concil. Tri. Seſſ. 22. ca. 12

Duo quidem in noſtro Clero ſpectabilia in religiunis cultum, quæ hæc priuilegia ſibi cõcedi poſtularunt. primũ, magnitudo Sacrificii, quod populo inde conferunt. ad illud referuntur diuiniſſimæ hoſtiæ, ſcilicer Sacroſanctæ Euchariſtiæ cum conſecratio, tum eiuſdem in ſacrificio oblatio: Sacramentorum adminiſtrationes, ſeu vt loqnirur Apoſtolus, diſpenſationes ſanguinis Chriſti, purgationes & ſanctificationes animarum. quocirca ſi intuitu gradus in ſacris, priuilegia Sacerdotibus concedenda, profecto noſtrorum Sacerdotum maxima eſſe debent: quorum quippe Sacra, omnium diuiniſſima, vt oſtendunt *S. Hieronymus* & *S. Chryſoſtomus*. Ad poſterius ſpectant expiationes populi, eiuſdem refectiones per conuiuium ſacroſanctæ Euchariſtiæ, per omnes ſtatus vitæ munitiones eorum contra peccata, & porrecta continuo auxilia ad virtutes, ſacrificiorum celebritates. quorum rationibus exiſtunt noſtri Sacerdotes anctores vitæ ſpiritualis in alijs: Reges quodammodo itidem populi apparent, qui animas eorum regans ac ſuſtentent: angeli pariter æſtimantur, qui Dei mandata ac munera ad populum deferant.

Hieron. Ep. ad Nepot. Chriſoſt. lib. de Sacerd.

Ex quibus, etiam Principibus Chriſtianis accedit non paruum momentum ad imperandum. nam videntes clerum ac populum beneficiorum mutua collatione arctiſſime coniungi, eiuſdem cleri auctoritate ſe poſſe populum vebementius ad obſequendum permouere deprebendent. eaſdem quoque Cleri exemptiones cum perſpexerint ad dignitatem religionis plurimum conferre, in vna religione nobilitata, intueantur reliquas omnes virtutes ciuiles in vectigalibns ſuis angeri, & confirmari: imo dum Principes Sacerdotum priuilegia exacte defendunt, eodem ſe populo tamquam pios, ac religioſos commendabunt: quo nomine, quod ad ciuilia, omnium indicijs potentiſſimi euadant: non enim ad hunc finem parum, Principem a populo haberi religioſum. In bunc finem religionem extollendi, Perſæ, Aegyptii & Romani Sacrorum curam Regibus ac nobilibus commiſere, vt recolit *Plutarchus*: ne myſtarum perſonæ prophano magiſtratui, cum contumelia relligionis, ſubiacerent.

Plutar. in Artaxerxi.

Cuius rei cogitatio, vt ſcribit *Diodorus*, cobibnit *Sabacum* Regem Aegypti ab impio facinore. per ſomnum is viderat, non futurum ſibi tutum regnum, niſi occiſis Sacerdotibus, per media ipſorum cadauera cum ſuis tranſiret. ſed *Aegipto excesſit, id eligens potius, quam impia cæde coinquinatum regno potiri.*

Diodor. lib. 2. cap. 2.

13. Etiam ad boc adſtruendum vel natura ipſa propenſiſſima. Sacerdotũ enim officia diuina ſunt & ſupernaturalia: ratione quorum, eorum perſonales ſtatus ſimiles habendi. repugnat vero rationi, dignitatem ac ſtatum nubiliorem coercitiue ſubiici minus nobili: qualis eſt dignitas & ſtatus pnre temporalis, a religioſa dignitate & ſtatu ſeparatus, ſi comparetur cum dignitate ac ſtatu Eccleſiaſticis. Quod ſi ratio Ciuilis membri in republica ſpectetur in vniuerſa eius latitudine, tunc religiuni addicti, exiſtunt quoque ciuilia membra reipublicæ: quatenus religio abſolute eſt virtus non ſolum ſacra, ſed etiam ciuilis: quod *Plato* & *Ariſtoteles* affirmant. Quomudo ſacerdotes, Pontifices, ſunt ciuilia membra reipublicæ, & vnumquodque membrum, etiam Eccleſiaſticum, coercitiue ſubeſt alteri membro ciuili: nempe Sacerdotes Epiſcopis, Epiſcopi Metropolitanis, bi ſummu Pontifici, iſte ſoli Deo, a quo ſolo immediate ſuam accepit auctoritatem, vt oſtendit *S. Ignatius.*

Plato lib. de Regno. Ariſt. lib. 7. pol.

Ignat. ep. ad Magnes. ad Philadel.

14. Proteſtantes vero in religionis ornamenta hoſtes capitales, omnia iura exemptionum aſpernantur & boc titulo impietatis in Deum, principnm adulatores & buccinatores ſeu boni ciues inepte videri volunt. Facile animaduertunt, ſe nulla talia munera miniſtralia exercere, aut populo eiuſmodi beneficia porrigere, qualia illa promererentur: proinde vltro eis renunciant, quo ſaltem bonorum ſubditorum opinionem aucupentur, ſimulque in nos ferocius, vt in rebelles, declamitent, qui ea retinere, & merito vendicare ſatagunt. Videte diſparitatem: nos Eccleſiæ, illi purpuræ applaudunt. notate exitum. nos Eccleſiæ auctoritate purpuram defendimus, illi purpuræ falſa laudatione eam Eccleſiæ patrocinio ſpoliant, adeoque violant, contaminant, diſcerpunt. At quorſum ſpectatis ſacris, gauderent exemptionibus miniſtri? an quia cõcionantur? minime ſane: eo enim paſſim mentiuntur, Scripturas deprauant, eccleſiam impugnant. officiũ ſane quod plerumque exequitur imberbis, aut ſemibubulcus veteranus. num qnia lauant infantes. Cæterum negantes ipſimet Baptiſmum infantibus delere peccatũ originale, teſte *S. Auguſtino*, inde Baptiſmum reddunt *Ludibrium. S. Ambroſius* affirmat, fieri euacuationem Baptiſmi, ſi non remittat lotis peccatum originale. vel quod panem & vinum in memoriam Chriſti populo largiuntur? ſed obſtat, cum populo domi ſuæ affatim ſit imaginum Chriſti. nibil proinde in boc ipſorum myſterio digni prinilegio. Fortaſſis quod remiſſionem peccatorum diuulgent parochianis. Enimuero hoc futiliſſimum, excipiendnm potius riſu, quam remunerandum honore. quantũ precor, valet buiuſmodi auruſpicium? dicunt ſe denunciare peccata eis remitti, qui promiſſionibus Euangelicis prius crediderint. Verum

August. lib. 3. cont. Iul. cap. 3.
Ambro. lib. 1. in Luc. cap. 54.

hoc norunt ſatis bene parochiani ipſimet omnes, idq; tanquã ſuæ fidei articulum: cuius fidei effectus non ſuſpenditur ad vocem miniſtri cõcionantis, vt ipſi certo ſibi ſtatuunt. Vnde ergo tandem digni, qui gaudeant exemptionibus & priuilegijs? quæ apud eos Sacra, id dignitatis poſtulantia? relinquantur ergo communi ſorti vulgarium, pari ſupplicio cum eis afficiantur: relinquantur, dico ſuæ impietati, ſacrilegio, & publico orbis contemptui.

12. Alienum ſane a religionis maieſtate ac ſãctitudine, eiuſdem myſtas, qui & Patres populi, qui in illis ſpiritualis vitæ auctores, perinde ac ſi corpora animabus præſtarent, ſupplices ſiſti ad eorum tribunalia. quinimo vt ex priuilegijs Cleri augeſcit in animis populi opinio rei ſacræ, ita Clerus ipſe tanto immunitatis honore expenſo, ſtudioſius conabitur, morum excellenti forma ſe dignos tantis ornamentis exhibere: nõ enim minus honeſtates quã artes honore affici ſolent. Deijcis proinde ſenſus miniſtrorum inſpecta ab ipſis vulgaris plane ſua condicio, qua laico magiſtratui ſe vident ſubiectos. quod & impedimento eſt, quo minus in alta virtutum conſilia eorum contentiones inſurgãt. quamobrem in hac ſacrorum hominum depreſſione, Sacra ipſa, ac Deum ipſum, ſacrorum auctorem, atque finem, eleuant: adeoque eodem extremam proferunt barbariem.

13. Sunt porro quidam Proteſtantium ita impietate ſua efferati in religionis maieſtatem, vti ad iudicium *Wiclephi* recolandos cenſent ſtatutos Cleri cenſus, eorum locis appetentes quas vocant *Beneuolentias*, ſeu ſpontaneas populi eleemoſynas. An non miſerum, debere paſtores animarum, quantum ad victui neceſſaria, quantũ ad largitiones ex charitate, quantum ad pietatis opera, pendere omnino a voluntatibus plebis? Hinc etiam Prædicatoribus libertatem docẽdi, admonendi ac corrigendi præreptum iri quis non videt? pergunt quoque adhuc Clero detrahere honorarios titulos, ac ornamenta ſcientiarum, quæ in academijs Doctoribus dari ſolent: quo in Cleri extenuatione, religionem pariter dedecorant, ac Deum ipſum plane contemnunt. Diuina cum hoc pacto deiecerint, quid magni, quantum ad virtutem, ſupererit in republica? quam acris ſit religio, ſeu cultus Dei externus, ad præclara facinora etiam belli iam diximus. neque aliquod conſilium adeo caler, ac illud, quod ab æſtimatione religionis dimanat. idcirco Proteſtantes nulla præclara ſpecie religionis iuſtituti, traduntur tamquam mancipia partis in ipſis concupiſcibilis luxui & iraſcibilis furori. Poſtremo quo ab eis ex omni parte religio eſſet impugnata, locis quoque ſacris detrahunt immunitates: perinde ac eadem eſſet ratio Eccleſiæ & horrei, in ea altaris, atque menſæ in triclinio. Cuius ſtudij impietas propagatur apud eos ab abiecta condicione rei ſacræ: quæ cum magni nihil referat, vtpote *Lotio*, *Cantio*, *Concio*, *Cæna*, nihil miri ſi eiuſmodi loci, in quo talia peraguntur, immunitates negligant, neque tam diuinis coloribus lacera ipſorum reſegmina imbuenda iudicent. Deus bone, an ad hoſce fructus excitandos, adeo impietate infames, opus fuerit, filium Dei incarnari, ac in cruce morte obita ſuſpendi!

14. Id in more poſitum hominum, quod ad vitæ negocia, vt quando res humanæ, vtpote ornamenta & magnificentia iſtius vitæ, amplificantur, tum diuina ſimul deijciantur plane, ac nullius propemodum æſtimationis euadant. Contra autem cum de magnitudine humana exiles cogitationes formantur, quod vera ſapientia efficit, tunc de diuinis, de æternis bonis, ingentes eo loci ſolent. Romani, antequã adeptaeſſet ab eis imperij amplitudo, aut ab eis in Diuos conſecrati ipſorum Imperatores, quæ Numinum erant apud ipſos religiones, illæ ſane auguſtæ: quæ vero vitæ ſpectabant commoda, exilia.

Priuatus illis cenſus erat breuis,
Commune, magnum. nulla decempedis
Metata priuatis opacam
Porticus excipiebat Arcton: Horat. lib. 2 Carm. od. 15
Nec fortuitum ſpernere ceſpitem
Leges ſinebant, oppida publico
Sumptu iubentes & Deorum
Templa nouo decorare ſaxo.

Cæterum ijdem Romani, rebus proſperis ſubinde elati, ac toti poſiti in ſuorum *Cæſarum* admiratione, templa fœno, ſigna Deorum, aranearum telis committebant: eo preſertim tempore, quo Chriſti fides Romæ primum apparuit. Dubio procul, inter alia effecta a Chriſto Domino, hæc duo fuere haud leuioris notæ: ſcilicet Diuina extollere, humana vero deprimere. Quamobrem Catholici apposite Chriſti Domini ingenium referunt, quippe Religionis ſacra augentes, extendentes, mundi vero faſtus & poteſtates extenuantes. Contra Proteſtantes, ſui Antichriſti ingenium produnt, dum Religionum formas debilitant, ſacerdotũ dignitates eleuant, Principum autem iura excitant ad apicem vel iuriſdictionis ſacræ: & eiſdem lenocinantes, eorum gladios in nos diſtringi curant.

CAPVT XXI.

Cum maxima ſit Religioſi ſtatus in republica cum Sanctitas, tum etiam vrbanitas, a Catholicis culti, tum Sectariorum partes illum auerſatæ, vtriuſque decoribus priuantur.

ILlos religioſos vulgo nuncupamus, vtpote a Clero diſtinctos, qui ſpeciali viuendi genere ſeu regula, ad finem, quem intendunt, conſequendum, inſtituuntur. alioquin ſi illorum ſit ſtatus religioſus dicendus, qui a mundi rebus abſtracti, religioni & animarum ſaluti incumbunt, omnes Clerici maioribus ordinibus initiati, iure dici poterunt religioſi. Duo autem dictos religioſos a reliquo maiori Clero, quod ad religionem, ſecernunt: votum nempe paupertatis, ac certa quædam ſub aliquo Superiori viuendi formula: caſtitatis enim voto & obedientiæ Clerus ſæcularis etiam adſtringitur. Tota autem diuerſitas inter religioſos ipſos oritur a diuerſitate regulæ, ſeu

diſciplinæ

diſciplinæ, ordinatæ ad peculiare munus ab illis ſeorſim exequendum; ſiue id fuerit pure monaſticum; nempe contemplatiuum, ſiue actiuum, ſiue ex contemplatione & actione mixtum. vt autem horum in ciuitate propria officia & ex eis vtilitates manantes ad alios, intelligamus, operæ precium fuerit, prius excellentiam ſtatus explicare in Clero Sæculari, cauſaſque paucis diſcutere, ob quas a populo ſummo in honore & amore haberi debeant.

Ephef. 4. 2. Sunt itaque in Clero Sæculari illæ perſonæ, quæ Spiritus ſancti inſtitutione ordinarij ex officio paſtores, & patres animarum exiſtunt. qui, ſi vitæ qualitatem ſpectemus, ita a mundi ſtudijs caſtitatis & obedientiæ legibus ſegregantur, vt idonei ſint omnino ad alios docendum,
1.Tim. 3. ad eis conferenda Sacramenta, præbendumque vitæ ſuæ conditione viua exempla ad mundi res contemnendum, omneque genus virtutis, tam intellectualis, quam practicæ, exercendum. Sic nihilominus ad imitationem Chriſti Domini, quod ad externa, ciuilis conuerſationis temperatur in illis ſequeſtrano, vti eis, quos paſcunt, quodammodo ſimiles eſſe videantur. Hac enim ſimilitudine & vicinitate, ſuarum ouium amores ſibi oportunius conciliant, ſimulque paratiores euadunt ad illis in omnibus euentibus melius ſuccurrendum. Et quod horum, quantum ad finem, quem ſibi præſtituunt, ſumma ſit dignitas & excellentia, ex duobus oſtendi poterit. Principio ex eo, quod Eccleſiæ hierarchiam & quaſi ſubſtantiam eius conſtituant: ſine quibus nequit ea conſiſtere. Deinde ex eo
Ephef. 5. quod eorum mores, veſtitus, qualitates, omnia denique, ſacris Eccleſiæ canonibus decernuntur, & a Spiritus ſancti ſapientia eadē deueniſſe nulli dubium eſſe oportet. Hi ſunt, quos poſuit Deus in Eccleſia in laicorum ordinarios paſtores, ſalutis illorum, vtpote auctores, & eos, qui ab aquis baptiſmalibus, vſque ad funera ipſorum, cum ipſis familiariſſime amantiſſimeque verſantur, adeoque ſacris ſuffragijs eorum animas corporibus exutas, pijſſime proſequantur. Summa itaque charitatis neceſſitudo inter hos & omnes laicos intercedit. Vnum porro corpus ita cum illis excellentiſſime componunt, vt a nullis tam dextere reformari, ad præclaras virtutes excitari poſſint quā a ſuis: hoc eſt ab eiuſdem corporis & ordinis ſanctioribus membris, quo in munere, noſtro ſæculo, egregiam operam nauauit *S. Carolus Borhomeus*, cuius exemplum haud pauci ſequuti, magnum emolumētum vniuerſo Clero ſæculari noſtro æuo attulere. Si officium doctrinæ ſpectemus, aptiſſimi, qui in academiis publice doceant: quod noſtrorum anteceſſorum pietas & ſapientia vbique oſtendunt, illos paſſim academijs perficientes. nec ſolum idonei, qui alios ibi inſtruant verum etiam, qui literis dignitatem quar…am perſonarum ſuarum grauitate & …co quem tenent in republica conſciſcan…: quod oculi etiam noſtri etiamnum oſtentatur. Si ergo bonum vniuerſale Eccleſiæ ſpectemus, opus omnino, populus, tā quod ad eruditionem, quam ad virtutis præſtantiam, iuxta ac ſtatus decorem, opinionem honorificam de Clero ſæculari concipere: illudque etiam magis requiſitum, quam cuiuſuis alterius ordinis æſtimata a popularibus præſtātia. imo niſi quod ad doctrinam & mores floruerit Clerus ſæcularis, abſolute dicere non poſſumus florere Eccleſiam. Cum enim ſint in Eccleſia præcipui, & maxime quaſi de ſubſtantia in eadem hierarchiæ, eorum præ alijs omnibus ſpectanda & procuranda eminentia tam quod ad virtutes intellectuales, quam actiuas.

3. Verum quemadmodum ſingulis ætatibus ſtius ordinis viri egregij extitere, & qui alijs Heroicarum virtutum exempla præbuere, ita in particulari ex Anglia, etiam poſt ibi dominantem hæreſim, apparuere multi conſpicui, incredibili charitate in animarum ſalutem inceñſi. Horum Pater & Coriphæus Illuſtriſſimus piæ memoriæ *Card. Alanus*, qui vndiqua- Nicol. Fitzherbert in
que ad ſe vocans Duaci, & poſtea Rhemis in vita Card.
Gallia, Dei & patriæ ſuæ amantes, in eis locis Ælan.
Collegia fundauit, literis ſane & omni genere virtutis excultiſſima. hi, dum in Anglia crudeliſſimæ perſequutiones in orthodoxos immanitatem vbique exercerent, dum leges regni nil præter neces & lanienas ſacrorum hominum ſpirarent, dum omnia tribunalia innocentum ſacerdotum ſanguine adhuc maderent, tantum abfuit, horum aſpectu exterritos, a profectione in Angliam ſe cohibuiſſe, quinimo quo maior diritas ibi ante ipſorum oculos apparebat, eo acrioribus petitionibus, adeoque vberioribus lachrimis, quorum ego teſtis fui, a ſuis ſuperioribus miſſionē implorabāt. Iam etiam ingenti cum fructu & ſumma concordia per plurimos annos ſtudijs ſuis, itineribus hinc inde inſtitutis, adeoque paſsis martyrijs, haud parum fructum extulerant ante ad aduentum vllorum religioſorum, & in talem militiam ab eis initum conſortium. Et quod miraculi loco merito haberi poterit, non vno impetu hæreticorum confecti, vt olim Chriſtianis contigit a paganorum manu vexatis, ſed multorum annorum ſucceſsione decurrente, martyrium Sacerdotes paſsi ferme ducentum: interim continuato quodam ſpectaculo, eorum oculis obiectū ſæuiſsimæ & ſanguinolentiſsimæ crudelitatis terroribus.

4. Verum enimuero ſtatus & ordines Religioſorum rebus tam Eccleſiæ, quam reipublicæ pariter, vtiliſsimi, vt iam ſatis ſuperius viſi oſtendiſſe. Illis in vniuerſum competit abductio quædam a negocijs mundi, ad quam votū paupertatis & obedientiæ particularis, vltra votū caſtitatis, illis cū reliquo Clero commune, plurimum eos promouent: Cuius vi operoſius incumbunt in id, quod inſtituti ipſorum propriū. Monachi quidem, tametſi rerum diuinarū contēplationi dediti, nihilominus valde etiā idonei, Dioniſ. De
qui in ſuis monaſterijs ſcholas apperiāt, etenim Eccleſ. Hier.
ſolitudo egregium mediū ad comparandū do- cap. 6.
ctrinam, illam præſertim primā, ac ſummā, videlicet metaphiſicā: illos proinde ac hoc ſtudij aptiſsime parat. quorſū enim in hoc genere excellerēt, niſi vt partā ſcientiam in alios transfunderēt? In oriēte quidē olim monachi, in mores ferme eremitarum deuenere, vt ex *S. Cryſoſtomo. S.*

Chriſo. hom 4. in Math.

7 Quales autem vitæ genere extiterint noſtri Monachi, diſcant a *S. Chryſoſtomo. Si quis nunc ad Ægypti veniat ſolitudinem, paradiſo prorſus omnem illam eremum videbit digniorem & innumeros Angelorum choros in corporibus fulgere mortalibus. eſt enim cernere tota illa regione diffuſum exercitum Chriſti, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cæleſtium conuerſationem in terris imitantem. S. Auguſtinus* de iſtis agit copioſiſſime, & oſtendit eos ex illo ortos & propagatos ſpiritu, qui mores ecclesiæ Catholicæ decreuit. *Nihil de eis dicam, qui ſecretiſſimi penitus ab omni hominum conſpectu, pane ſolum & aqua contenti, diſertiſſimas terras incolunt.* Subinde de Cœnobijs iſta adiunxit *Quis nō illos miretur & prædicet, qui contemptis atque deſertis mundi huius illecebris, in communem vitam caſtiſſimam, Sanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus: nulla ſuperbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, ſed modeſti, verecundi, pacati, concordiſſimam vitam & intentiſſimam in Deum, gratiſſimum iſti munus offerunt a quo iſta poſſe meruerunt. Nemo quidquam poſſidet proprium, nemo cuiquam oneroſus eſt. Patres vero non ſolum Sanctiſſimi moribus, ſed etiam diuina doctrina excellentiſſimi, nulla ſuperbia conſulunt his, quos filios vocant, magna ſua in iubendo auctoritate, magna eorum in obediendo voluntate.* Quid in iſtis precor academici, quid Miniſterici aut Miniſtricæ? Quamobrem veſter *Lutherus* elicuit ex monaſterio *Boram*, eam conſtupratum, ſi monaſteria fuerint erecta in gratiam veſtræ religionis?

Auguſti lib. 1. de Morib. Eccle. ca. 31.

8. Veteres, qui de caſtitate commentari, ij duo præſidia illi attribuere, induſtriam ſcilicet actionis, ſimul ac receſſus ſolitudinem. vnde apud eos caſta *Diana*, vtpote continuis venationibus fatigata ſiluarumq; ſecretis ab alijs diuulſa. Caſtus itidem *Hippolytus*, at e cælo ad terram dimiſſus in præſidijs fuit *Dianæ*, vitam ſubinde degens, nemorum cultor fuit, & auſteræ vitæ profeſſor.

Virg Æn. 7.

At Triuia Hippolytum Secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Ægeriæ nemorique relegat.
Solus vbi in ſiluis Italis ignobilis æuum
Exigeret, verſoque ibi nomine virbius eſſet.

Verum quod *Pæon*, Deorum Medicus, ſeu *Apollinis* filius, huiuſmodi caſtum de cælis ad terreſtres ſedes dimiſerat, finxere tantæ virtutis aſpernatores (eum quippe ciuili conſortio ineptum reputantes) *Iouem* ad inferos fulmine adegiſſe:

Fulmine Phœbigenam ſtygias detruſit ad vndas.

Verum nobis in vno Chriſto eſt *Pæon*, qui ſuis pharmacis, a cæleſti ſubſtantia delibatis, homines ad virginitatem colendam in terris, noua quadam vita eis inſpirata, componat, ſimulque idem *Hippolytus*, vtpote perfectiſſimæ virginitatis exemplar, eremo & pernoctationibus aſſuetus. haud me latet, inſtitutum ſolitudinem colentium, ac Deo vacantium, quemadmodum & cætera præclara, in culpam, adeoque odium a multis pertractum. neque hoc contigit modo a Christi Domini ortu, & eius Euangelio, ſed etiam a priſcis temporibus. *Otioſum hominem, ait Seneca, ſeductum exiſtimas vulgus, & ſecurum, & ſe contentum, ſibique viuentem: quorum nihil vlli contingere, niſi ſapienti poteſt. Ille quidem nulla re ſolicitus, ſcit ſibi viuere. Ille enim, quod eſt primum, ſcit viuere.* Vnde qui literis operam nauarat Romæ,
——— *nomen incertis habet.*

Math. 4.

Senec. Ep. 55 ad Lucil.

Ouid. lib. 2. Triſt.

9. Verum vel a principio Eccleſiæ Chriſti, extitiſſe certum & ſpectabilem tam virorum quā fæminarum ſtatum, virginitatem cum diſciplina monaſtica voto ſtabilientium, ex Hiſtorijs iuxta ac Patrum teſtimonijs exploratiſſimum. Horum meminit *Philo* Iudæus, eorum memoriam recolens, qui ſub Regimine & regula *S. Marci* Euangeliſtæ agebant Alexandriæ. quos dicit non ad morem Græcorum Sacerdotum, vi ad caſtitatem ſeruandam adactorum, concubitum repudiaſſe, *Sed virginitatem inſtituto bono & cupiditate futurorum conſeruaſſe.* Eorumque meminit etiam *S. Ignatius*, hos per epiſtolam ſalutans, *Qui in perpetua degunt virginitate.* addit porro, virginum profeſſarum votum non niſi præſente Epiſcopo emittendum; quantum ad decernendum illud genus vitæ quod ſacræ virgines ineunt, & hoc ipſum poſtea confirmatūt Concilia Carthaginenſe Quartum & Mileuitanum. *Athenagoras* in ſua apologia pro Chriſtianis refert multos ex illis totius vitæ ſpacio colere virginitatem, quo Deo viciniores euadāt: quos aſſerit *S. Cyprianus* ſe caſtraſſe propter regnum cælorum: *S. Epiphanius vt liberioribus animis diuina legis meditationi vacarent. Conſtantinus Magnus*, teſte *Sozomeno*, eos priuilegijs ornauit, *Qui caſtimonia & virginitati ſe conſecraſſent.* Quibus honoris ergo tantum detulit *Helena* Imperatrix, vt illis *In menſa ſeruierit*, ſicut narrat *Theodoretus*. Cuius rei, & eximiæ ab Euangelio Chriſti impreſſionis, illuſtre monumentum tradit *Sozomenus*. Scribit itaque *Pulcheriam* filiam *Arcadij* Imp. & ex paterno teſtamento imperij gubernatricem, fratre agente in minore ætate, virginitatem perpetuo colendam emiſſo voto ſibi propoſuiſſe. *Nondum, ait quintum decimum annum agens, ſupra ætatem ſapientiſſimum & diuinum ſpiritum accepit, ac primum Deo virginitatem ſuam deuouit: deinde vt ſorores ſuas ad idem vitæ inſtitutum educaret.* Qui vero extra humanam ſocietatem vitam agentes, cum Deo & ſanctis familiarius verſabantur, ij caſtitatis ſtudium conſectati. *Agnoſcat ait Cyrill. Hieroſol.* eorum ordo & inſtitutum, qui vitam ſolitariam agunt caſtitatis *gloriā*. Eo autē precio habuit Eccleſia primarius cœlibatum virginum ſanctimonialium, vti *Iouianus* pijſſimus Imperator, capitalem pœnam in eum ſtatuerit, qui haſce virgines a propoſito caſtitatis abducere tentaret; quod *Sozomenus* prodidit. Cæterum præter hoc votum virginitatis emiſſum a religioſis illis antiquis, Patres & Hiſtoriæ memoriæ poſteritatis ſignificarunt, eos adhibuiſſe victus auſteritatem: vtpote vilia indumenta, frequentia ieiunia, continuas meditationes, nocturnas precationes & pſalmodias, paupertatis & obedientiæ profeſſiones.

Phil. lib. De vit. Contep.

Ignat. ep. ad Smun.

Concil Carth. 4. cp. 32. 36. Mileu. c. 26 Athen. Apol.

Cypr. ep. 62.

Epiph. Hær. 30.

Sozam. lib. 3. cap 13. Theodor. li. 1. Hiſt. cap. 18. Sozam lib. 5. c 13. 9. Hiſt. ca.

Cyril. Hier. Catech. 12.

Sozam lib. 6. cap. 3

Dioniſi Eccle Hier cp. 9. Euſeb. lib 2. Hiſt. cp. 15 Sozam. lib. 1. cp. 9. 13. Socrat. lib. Hiſt. ca. 5.

10. Certe qui ſæculi & mundi iſtius ingeniū, a ſcripturis & ſua experientia edoctus nouerit, is dubio procul iudicabit, diuino ſpiritu in Eccleſia Dei factū, vnde nonnulli illud vitæ genus inirent, quod diſcretum a turbis & ſtrepitu populariter

Baſil. de Reg Auguſt de Mor Eccl.

pulueritet viuentium. ob quam cauſam, vt eſt in Parabola, exiit in forum Paterfamilias, qui inde quoſdam ocio oppreſſos educeret, & ad vineæ ſuæ a foro ſeiunctæ culturam tranſcriberet. *Forum*, ait *S. Hilarius*, *pro ſæculo accipi res ipſa admonet, æquabilis turbis hominum, calumniarum, iniuriarumque contentionibus, & diuerſorum negociorum difficultatibus ſemper tumultuoſi*. Cæterum hi non ſunt vſque eo in penetralibus abditi, quin etiã foro ſint commodo, & in illius vel culmina obtineant ſacram quandam auctoritatẽ. Quid obſecro, *S. Simeone*, cognomento *Stylita*, ſeceetius aut alienius a foro, adeoque ab ipſa terra; quippe in altitudine ſeu capitellu cuiuſdam columnæ habitante? Nihilominus forum & fori ſummus Princeps *Theodoſius Iunior* eius vim perſeſcere, imo etiã ei paruere. Decreuerat *Theodoſius* iſte, pacis cõciliandæ cauſa in republica, in vſum religionis Eccleſiã quandam Antiochiæ Iudæis concedendã. quod cum fama intellexiſſet iſte columnæ incola, *Eo nomine*, vt narrat *Euagrius*, *libere ſcripſit Imperatori, adeoque eum acriter propterea increpauit: ſolum namque ſuum Imperatorem Deum veritus eſt; vt Imperator Theodoſius, quo Chriſtianorum ſatisfaceret Voluntati, ſua mandata reuocaret*. Hi ſuo inſtituto vitæ, vt teſtatur *S. Hilarius*, ſequuntur, *voluntaria non legitima. Et his obtemperare, libertatis potius quam neceſſitatis officium.*

Math. 20.

Hilar. in Math. Can. 20. & in Pſalm. 118.

Hilar. in Pſal. 118. in Math. Cã 19

11. Quod itaque Hæretici Proteſtantes inficiari non poterint, quantumuis impudentes ad definiendum, in Dei eccleſia ab eius exordio extitiſſe Monachos & Moniales, fatentur vltro tales fuiſſe, idque ſuæ religionis profeſſores. Dicunt ergo Monachos olim nihil aliud præ ſe tuliſſe, quam quod etiamnum academici profitentur, vtpote ſtudijs literarum addictos, licet cũ vxoribus cõuixerint: Etenim ab hac ceſca diuortiũ non patitur eorum academia. Moniales affirmant, vitam certis regulis adſtrinxiſſe, & earum aliquas genialis thori vſibus inſeruijſſe: nam ſine hoc, Euangelij libertas, ipſorum ſententiis penitus intercideret. an vero extra Angliam vſpiam locorum reperiatur Muſa Proteſtantica, quæ ita de Monachis cantillet, penitus me latet. Sane dolendum, ignoraſſe *Ouidium* ſpecies Metamorphoſeon, quas commentantur ſecum Proteſtantes: eas ſi nouiſſet, ceciniſſet, imo ceeciniſſet,

Rob. Abb. Reſp ad Biſch. Sec. 4.

Ouid. lib. 1. Metamorp.

In noua fert animus mutatas dicere formas.

In hunc tenorem, quod ad dogmata, mutarunt Deum in diabolum, Chriſtum in peccatorem, Sanctos in laruas, Eccleſiam in ſpiritum, Sacramenta in picturas, in idola, Chriſti vicarium in Antichriſtum, ieiunium corporis in ieiunium mentis, gratiam iuſtitiæ in phatasma. Quod ad mores, mutarunt *S. Baptiſtæ* melotem ex pilis camelorum, in ſericum vndulatum, eius mel ſilueſtre in mel Atticum, eiuſdem locuſtas in mattis delicias poenitentiam mutarunt in reſipiſcentiam, leges in vmbras, Monachos in academicos, Moniales in *Xantippas*, eremum in academiam, lilia in hæderas, roſas in ſpinas, omnia in luxum.

Lucan li. 10

Fulget gemma torus, & iaſpide fulua ſuppelex,
Strata micant Tyrio, quorum pars maximo ſucco
Cocta diu, virus non vno duxit aheno.
Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco,
Vt mos eſt Phariis miſcendi licia telis.

O ſi mihi permiſſum aſpicere vel vnicum cœtum Monachorum ad ingenium & inſtitutũ Proteſtantum! viderem equidem credo illum Senatum quem deſcripſit Poeta:

Tornoque collectu ſtipatur curia monſtru.

Claudi. lib. 1 in Rufin.

Longe aliud propoſitũ religioſorum eſſe debere docet *S. Hilarius*. *In cæleſtum ſcientiam homo erudituſ eſt, quid sibi cum terrenis operibus & geſtis? Auis effectus es, cur non in naturæ tuæ elemento moraris? volucres enim cæli nuncupantur. non iniuſtæ ergo illis in poſſeſſione terrena habitationis inſidiæ ſunt. Seculo renunciaſti, quid tibi cum ſæculi rebus? quid quæris captus in ſæculo? quid quæris iniuriam loquens in regione non tua? Dic potius & vere ipſe tu voce Pſalmiſtæ dicentis iſta: Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ & volabo & requieſcam? Natura auium eſt, vt non niſi cum volent requieſcant: tu autem iam factus es columba, volando requieſcis, id eſt, in cæleſtem te ſedem & cognitionem a laqueis terrenis volatu fidelis animæ efferendo.* Quæ autem in vita populari nos mala obuallant, & vndiq; ad praua incitant, idem Doctor iſtis eleganter deſcribit. *Rapiunt oculos noſtros rara incogniti maris gemma, occupat animum terræ aurum, totis nos mentis noſtræ illecebris ſpiritualis nequitiæ & aeris huius potestates circumuolant. per vitæ præſentis moleſtias, per aliena voluptatis mores atq; laſciuiã inſidiantes [illegible] ſcamur, vt oderimus, vt amemus, vndique exp[illegible] & appetimur.* Fælix ille forẽſis vitæ ſtatus: [illegible] vltra metas noſtræ expectationis collocatus, in quo

Hilar. in Pſalm. 118.

Hilar. in Pſalm. 1. 4.

——— *emitur ſola virtute poteſtas.*

Claudian. Paneg. [illegible] Conſul. [illegible]

12. Mirum itaque haud fuerit, ſi in noſtris religioſis pars intellectiua, cognitione ſplendeat, ſi concupiſcibilis, charitate accenſa, ſi iraſcibilis dulcedine morum emollita, ſub rationis imperio placide conquieſcant. optime probat *Origenes* mentem clarori intelligentia fulgere, poſtquam fides & diſciplina eam ſubegerit: de quo genere cognitionis loquitur propheta: *Niſi credideritis non intelligetis*: quod etiam *S. Bernardus* egregie proſequitur. iſti cenſendi *Noacı*, apud quos viget quies, qui requie[ſc]unt poſt diluuium a ſuis laboribus & alios in eandem quietem pariter inducunt. apud quos ceſſat terra a belli tumultibus, & immani ſtrepitu, quo orbis reliquus concuti aſſueuit. *Noe* ſacrificante, odoratus Deus odorem ſuauitatis, ſeu Hebraice quietis, vt animaduertit *Caietanus*. In qua ipſorum quiete & ſolitudine retinent etiam cõuictum, ex quo, ad omnes virtutes acquirendas multum adiuuantur. *Virtutum ait Cicero amicitia adiutrix data eſt. non vitiorum comes: vt quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea quæ ſumma ſunt peruenire, coniuncta & ſociata cum altera perueniret.*

Orig. tract. 12 in Math.

Iſa. 30.

Bernard. Serm. 1 in Cantic. Ep. 108.

Gen. 5.

Gen. 8.

Caiet. in 8. cap. Gen.

Cicer de Amicit.

10. Cæterum quod optima quæque quibuſdã malis aut vicina, aut oportuna, mirũ videri non debet, humana fragilitate expenſa, ſi inter ipſos religioſos, illos & cletũ Secularẽ, ſimultates aliquando gliſcentes inueniantur: vel ſi diabolica fraude intercedente, id contra charitatem ab aliquibus fiat, quod in eius ſubſidium a Sancto Spiritu primitus inſtitutum. Huiusmodi autem diſſentionis ſpecies in eos acrius

inuadit

inuadit; qui habitu, nomenclatura, & diſcipli-nis diſcreti, quod ad externa tamen, idem ter-me munus cum alijs obeūt, & quaſi in communi opere ſeorſim cum maxima diſſimilitudine habitus, nominiſque congrediuntur. vtinam res ipſæ, noſtris oculis ſubiectæ, huius rei veritatem, non vt contingit, comprobarent. Ac præter v-nam & eandem formam operis externi a di-uerſis initam, ad augendam materiam inuiden-tiæ & contentionis inter eos, accedunt quo-rumdam ordinum priuilegia, quibus alijs ſuis cooperatoribus in popularium oculis præfe-runtur. ex quo duo mala paſſim proficiſcuntur. Primum, quo animi deiiciuntur eorum, qui il-lis carent priuilegijs: quippe videntes, a ſuperi-oribus ſuis ſe eis indignos reputari, iuxta ac de-ſtrui honorifica plebis æſtimatione, qua alij publicitus eorum cauſa præfulgent. alterū cer-nitur in murmurationibus, quibus odium cō-ſlent priuilegiatis. horū meo iudicio ex duobus remediū: ex vnitate ſcilicet, & æqualitate. Ra-
Concil. Tri. in decretis tione vnitatis conſiderata, Concilium Tridentinū quod ad multa, auctoritatem Epiſcopalem ad religioſos ipſos gubernandos extenſā eſſe vo-luit; in qua religioſi, alioquin diſiuncti vitę mo-ribus ab alijs, vniri ac ad pacem componi tamē cum illis optime poterunt. æqualitate vero de-creta, inuenietur illa mater & radix concordiæ in omni republica & ſocietate, ſicut contra, in-æqualitas in vnoquoque conuentu ſeges eſſe ſo-let rixarum & inuidentiæ. ſed quod inæquali-tas ſit aliquando tam in Eccleſia, quam ciuitate admittenda, eius concedendæ norma ducenda a communi charitate, & eius ratione a com-muni bono. Quando ergo prudens magiſtratus aduertit, ad inæqualitatis inſtitutionem, futurū damnum charitatis, & concordiæ inter ciues aliquos in ciuitate, alioquin ad præclara facino-ra comparatos, animum & impetum quod ad bona inſtituta, remiſſuros: quomodocumque hæc mala euentura, ſiue ex infirmitate particu-larium ordinū, nullo pacto talia priuilegia im-pertienda aliquibus, ſed inter omnes potius æ-qualitas, quantum fieri poterit, ſtabilienda.

13. Præclaris iſtis eccleſiæ luminibus & Ath-letis deſtrui voluere Proteſtantes. *Pauonibus* ca-
Math. 14. rent. *Hippolytis* deſtruuntur. Hi nempe ab ec-cleſia, tempore hiemis fugientes, ob nimium fri-gus impietatis, tantam charitatem haud reti-nent, quanta ad vota religioſorum emittenda ac ſeruanda, ad vitæ ipſorum rigores ſuſtinēdos & profitendos merito poſtulatur; includi paruo gyro recuſant, in immenſo libertatis excurren-tes. obedire detrectant, ad principatum neſcio quem ſuperbi ſpiritus contendentes: in eunuchorum choros ingredi propter reg-num cælorum acquirendum, horrent, potius
Math. 19. ſe in aulam *Veneris* admitti emiſſarios appe-tentes. Diuitiarum ornamentis ſpoliari, pauper-tatis ærumnis adfligi, penitus deteſtantur, vo-luptatum vero ſumptuoſarū cupidiſſimi. Enim uero ſi nulla virtus labe careat mortalis noxæ, ſi nullum opus valeat meriti apud Deum pon-dere, ſi vna fides ad ſalutem ſufficiat, vt ipſi de-finiunt, quorſum de rigidis religioſorum pla-citis & inſtitutis cogitarent? At quod ab iſtis ciuilis ſocietatis incommodum? omnes ad nup-tias currunt, quas nullum ſpecimen caſtitatis pri-us honeſtauit, aut ad eas præparauit. apud quos nuptiæ paſſim iuxta fœdatæ ac violatæ, prolo-quuntur damna ex neglectu virginitatis. Hæc enim præſertim voto confirmata, ipſis eti-am nuptiis decus adfert & firmamentum. Contendunt porro, Caſtitatis votum mi-nime eſſe licitum, cum non ſit animæ ſaluti neceſſarium. Volunt etiam, illud rem impoſſibilem proponere: tandem ſtatuunt, vouenti innoxium, mixto matrimonio voti reli-gionem excidere. Dico hæc omnia in Deum, in Chriſtum impia, in patriam, in legem naturæ peſtifera & barbara. auferunt enim Deo vecti-gal religionis, quod illi debetur: Chriſti gratiam inſufficientem reddunt ad præſtandum officiū virtutis: integrum faciunt, Principi datam fi-dem fallere. promiſſiones in vniuerſum fruſtra-re: quorum quippe minor obligatio ac inter-dum facilior ſolutio quam illius, quod Deo ex voto promittitur: Obedientiæ pariter munus in republica debilitant, non ferentis eam, quæ religioni deuouetur. Denique pecuniarum pe-riculoſum amorem in ciuitate augent, negligen-tes in religioſis earum contemptum.

14. Neque ſolum monachis deſtitui vult ſe-cta proteſtantica, quinimo inciuili & inhuma-no argumento eorum ſtatum conuellere & vi-tuperare. Hinc ſi in aliquibus ex hoc aut altero ſexu vitia detexerint, illico concludunt, omnes tales eſſe, ac eorum viuendi genus prorſus vitu-perabile. hoc S. *Auguſtinus* ſuis temporibus Aug. Ep. 137
adnotauit ab aliquibus factum: at quam inep-te iſtis oſtendit. *Ad quid aliud ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi vt quiſque Epiſcopus vel Clericus vel Monachus vel Sanctimonialis ceciderit, omnes ta-les eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cum aliqua maritata inuenitur ad-ultera, nec proiiciunt vxores ſuas, nec accuſant ma-tres ſuas.* At hæretici voto caſtitatis conuician-tur hoc modo ex aliquarum delictis, ſic Turcæ traducunt apud Chriſtianos vnius cum vna cō-iugium propter quorumdam adulteria, inde-que polygamiam admittendam contendunt, ſi-cut quidam Philoſophi vagum concubitum. En metam laxæ libertatis in ſpurcitiem carnis, oculis & votis Proteſtantum propoſitam.

15. Denique alias adnotauimus, vitam a re-bus mundi ſecretam, paratiſſimum medium ad ſolidam doctrinam, & eam, quæ *Metaphyſica* eſt, comparandum. proteſtantes idcirco illam in religioſis vituperantes, eiuſmodi alta eruditio-ne deprauantur: ſiquidem leuiſſimæ & garrien-tes cicadæ, rerum extimis duntaxat inhærentes. Hoc cum in Anglia deprehendiſſet Rex *Iacobus*, iuxta ac videns, ob defectum firmioris Theo-logiæ paſſim ibi academicos ad inanes vmbras Puritanorum deflectere, vt audiui, illis man-dauit, quantum ad Philoſophica, certum tem-poris ſpacium eius curſui impenderent, ac quod ad Theologica, abdicatis quorumdam priuatis Cathechiſmis, Latinæ ſimul ac Græcæ Eccleſiæ Patrum libris prælegendis incumberent. Ve-rum tantam admonitionem nihil operæ precii in Academijs Anglicanis peperiſſe etiam in-

tellexi

tellexi. Credo certe, quod optimis Principis volũtatibus *Sus* ac *Mineruæ* ibi obſtiterint. Atque in hac re ipſius Religionis, Proteſtantes ſe declarant ac produnt, reſpectu omnium Gentiũ, culentium Deum, tenuiſſimos. etenim præter Sacerdotes, apud Iudæos vt erant Rechabitæ, Ieſſæi, Nazarei, ita penes alios inueniebantur quinque religioſi: hoc eſt pæculiari vitæ genere omnino religioni dedicati. Genus hoc vitæ ab ipſis exordijs Eccleſiæ inſtitutum, plurimos continuo retinuit ſectatores, admiratores, iuxta ac laudatores, fautoreſque. Alexandriæ, ad normam traditam a S. *Marco*, floruere Monachi, quorum encomia *Philo* Iudæus proſequutus. Græcia tota ſicut Ægyptus referta fuit monachorum churis, vt narrat *Theodoretus*. Eoſdem ſibi chariſſimos habuit *Conſtantinus Magnus*, quos & mirifice coluit. Eius mater *Helena* Deo ſacratas Virgines inuiſit, familiaritate & epulo publice excepit. Et qui demum Proteſtatores, iſtis exemplis & teſtimoniis refragati! eorum nouitas horum potius cedat antiquitati, eorum impietas, libertatis Chriſtianæ plane bruta æſtimatio, horum ex Chriſti præcepto diſciplinæ religioni, ſeueritati, atque ſanctimoniæ ſe dimittant corrigendas, abolendas.

Phil. de vit. Contemp. Hieron in Philõ Theodoret. lib. 4.

16. Cum vero Proteſtantes multa criminentur in Religioſis, quæ ſcilicet eorum cenſuris aduerſantur libertati Euãgelij: nempe tria vota, clauſtralem obſeruantiam, & alia; tum quod in lege habeant de nocte ſurgere, & choriſtas tunc agere, aperte legi naturæ repugnare clamitant. An non dicunt, nox a natura inſtituta, in qua animalia dormiant & relaxẽtur alterna quiete?

Cum ſilet omnis ager, pecudes, pictæque volucres?

Virgil. Æneid. 4.

quam ergo a natura alieni, qui nocturnas horas ſomno & quieti eripiunt, quas in Pſalmis, Hymniſque cantandis importune collocent! Vide, quam doctus Phyſicus euaſit *Gnoſta* noſter Proteſtanticus! Hoc ſemel decreto ab ipſo poſito, illico tenebitur cadente ſole, quando nimirum nox incipit, vi legis naturæ, cubitum petere, ac ſtatim, ſabatum in lecto ſeruare vſque ad ſurgentem ſolem matutinum; ita vt ſi cœnam veſpere diutius protrahat, ſi mane muſas ſuas citius adeat, violatæ legis naturæ reus habeatur. Quod vero bina in anno ſolſtitia diuturnitate & breuitate noctium hoc naturæ penſum moleſtum mortalibus reddant, id eos nihil moratur; quo minus cum pecudibus, pictiſque volucribus tota nocte ſileãt, aut ad diſceſſum *phoſphori* dieque efferente caput, ſtatim ſurgant: quandoquidem vtrinque lex naturæ ſit ab omnibus inuiolabilis habenda. Hic video noſtrum Proteſtatorem in *Beelzebub*, Principe muſcarum: quarum ingenium nocturnis horis ſilere & quieſcere, eiicientem non dæmonia, ſed angelos, videlicet Religioſos qui in terris, illis ipſis horis ad Dei laudem, neque ſilent neque quieſcunt. *Ochozias* Rex, qui defectione ſua a fide Catholica, per cancellos cœnaculi ſui cecidit, ac inde ægrotauit, illos, quandoquidem familiares *Beelzebum*, alloquitur: *Ite conſulite Beelzebub Deum Accaron, virum viuere queam de infirmitate mea hac.*

Luc. 11.

4. Reg. 1.

17. Recte quidem comparauit *S. Auguſtinus* Religioſos in Eccleſia, volucribus in arborum excellarum cacuminibus nidos habentibus. Hos nidos, monaſteria dicit eſſe, Magnatum virorum ſumptibus plerumque extructa: in quibus cælo vicini, quietius religioſi Deo famulantur. Adiungit, aliquandu contingere, vti impij tyranni rerum potiti, hoſce nidos deiiciant, eorumque commodis priuent. Verum in hoc euentu, ait, ipſos Religioſos non penitus loca ſua relinquere, ſed ad ſimilitudinem volucrum cæli, quibus nidi adempti, circumuolitare, nudatis ramis inhærere, ac triſtibus vocibus querelas proferre, ſimulque miſericordiæ ſenſum ſuis thrænis audientium pectoribus incutere, quo potentes viri permoti, nidos ſuos ſibi Deoque reædificent. & donec hoc peractũ fuerit, vt ipſe dicit, neque loca deſerunt omnino, neque cantus gemebundos penitus intermittũt. Spectabile hoc mihi videtur in Anglia, vbi quondam pulcherrimi nidi, ac monaſteria, religioſorum vſibus opportuna, floruerunt. quibus ab impio *Henrico* deiectis, ſemper aliqui remanſere, ac modo plures aduenere monachi, qui virtutibus, & columbinis gemitibus teſtari ſuum deſiderium, in antiquis ramis nidos iterũ obtinendi, quibus gaudeant, Deo ac cælitibus, die nocteque in eis cantantes. *Et ſi forte cedri libani iratæ fuerint, & aliquid moleſtiæ vel ſcandali ſeruis Dei in ramis ſuis commouerint, volitant quidem inde paſſeres: ſed væ Cedro remanenti ſine nidis paſſerum.* Væ hæreticis, ſuperbis cedris, qui in ramis ſuis nolũt admittere religioſorum nidos. In hoſce Deo ſacratos, rabidi hoſtes olim Donatiſtæ, vt narrat *S. Auguſtinus*: vtpote ebrioſi in ſobrios, præcipites in conſideratos, furentes in ſimplices, vagantes in congregatos, debacchantes, vt ipſe loquitur. illos poſtea imitati *Iconoclaſtæ*, qui vt Sanctorum nomina, ita & monachorum, incredibili odio expugnarunt.

Auguſt. Ep. 100 de Mor Eccle. lib. 1. cap. 31.

Auguſt. in Pſal. n. 103. conc. 3.

18. Vt ergo aliquid ſummatim inferam, quotuor ſunt præcipue, ob quæ Proteſtantiſmus inciuilis recte æſtimetur, Principio ad iudicandum, quod cum aduerſetur ſuo diſceſſu fidei catholicorum, neque horum numerum, niſi plures, adeoque inter ſe pugnantes opiniones complectatur, poterit exæquare, inde multorum odijs erit obnoxius, & eorum impugnationibus qua literis, qua armis, vndique opportunus. Deinde idem Proteſtantiſmus cum non ſtabiliatur credibilitate & vnitate Traditionis in Eccleſia Catholica, pacis quietudinem, virtute illæſa, ſuſtinere nunquam poterit. nam hac florente, datur ciuibus frequencius occaſio examinandi eius ſententiam: quippe belli rimoribus aut tumultibus haud auocatis a veritatis contemplatione: proinde incredibilitate priuati ſpiritus omnia iudicantis, infirmitate, mutabilitate & vanitate eiuſdem occurſantibus, aut nouæ ſectæ indies in republica excudentur, aut prius ſuſcepta credulitas penitus relinquetur. Enimuero ſi *Hollandi* tantundem temporis paci impendiſſent, quantum rebellionum motibus, iam diu ante hanc horam ſuas religiones varijs ſectarum altercationibus in minutiſſima errorum reſegmina laceraſſent: ve enim hoc minus fecerint, præſtitere vaſorum

bellico

bellicorum clangores, Piratica, & pugnæ: tum apud eos vel decem annorum pace durante, experti omnia religionis momenta diſſidentionū opinionibus plane conuulſa, ruinam totius profeſſionis præſagiiſſe. Quod porro pace rerum ſtatus tranquillante, voluptates maiores vires acquirunt, indeque virtutis imperium in maius diſcrimen vocatur, cum Proteſtantum dogmata plane venerea ſint, ac veneris ipſius lenones, eo euadit, ea minus eſſe ciuilia: vtpote quæ ſpirante Fauonio, cito manus datura impuritati laxioris vitæ, qua corumpi neceſſum Ciuilitaris firmamenta ac decora. Poſtremo ſi quæ ſit in homine ingenitat aſperitas ſeu cruditas, ea amore Dei, dolore ex peccatis, cultu religionis, ſenſu pietatis, in proximum charitate, in alios amicitia, ad mitea mores componuntur: quibus præſidijs quod Proteſtantum hæreſis deſtituatur, inde immanes crudeleſque contra ciuilitatis facilitatem & dulcedinem euadunt. ſi quid ergo emolumenti ciuilibus moribus accedat ex fide, ex Scientia, ex Sapientia ex Prudentia, ex Arte, ex Conſcientia, illud totum euertit Proteſtantum ſecta: pariter quod ex ſtudijs virtutum moralium & Theologicarum eiſdem ciuilibus moribus munimen accreſcit, eadem Proteſtantum factio, in fauoram voluptatis & barbariei, ſpernatur, expugnatque.

19. De hac ipſa animi ac morum contra ciuilitatem in Proteſtantibus intemperie, prophetiam edidiſſe viſus *S. Paulus* Apoſtolus; in qua ſingillatim recenſet partis Rationalis, Cōcupiſcibilis & Iraſcibilis in eiſdem contra veritatem & virtutem futuram in nouiſsimis temporibus rebellionem. Quantum ad vim in illis rationia, ait, *Habentes quidem ſpeciem pietatis*. etenim ſplendido titulo *Reformatoram Eccleſiæ* ſeſe ornarunt Proteſtantes, ſe Scripturarum diuinos interpretes, ſe meriti in Chriſto encomiaſtas venditarunt. *Virtutem autem eius abnegantes.* ſic enim ineis ratio inſtructa, vt fidem, religionem, omneſque virtutes, ſub earum nominibus commendatis expugnarēt. Quantum vero ad facultatem in eiſdem concupiſcendi, iuxta verba Apoſtoli: *Homines ſeipſos amantes, cupidi, incontinentes, voluptatum amatores magis quam* Dei. quantum autem ad iraſcendi energiam, exiſtunt *Elati ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſcelesti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, immites, ſine benignitate, proditores proterui, tumidi.* quibus verbis id totum *S. Apoſtolus*, in vituperium Proteſtantum complexus, quod nos in illos ex eorum dogmatibus hoc poſtremo libro diſputauimus; & a quo methodum & argumentum diſſerendi mutuati ſumus. Expendamus modo, ſi placet, vires ac neruos Proteſtantiſmi, ex quibus paulatim coaluit, in tot populos deplorato effectu, hoc noſtro ſæculo, inualuit.

2. Tim. 3. Epi. Iudæ.

CAPVT XXII.

De ſex Educatoribus, ſub quibus natus Proteſtantiſmi Hercules, creuit: quibuſque ſubinde exploratis, & a Mundo cognitis, decreuit: ſcilicet Sibylla ſtultiſica, Pſeudolo Hypocritico, Epicuro Gnoſtico, Aiace Flagellifero, Tarquinio Superbo, & Noſtrorum Peccatis.

HErcules iſte Proteſtatorius, natiuo ſpectato Solo, nec *Græcus*, nec *Celticus*, nec *Gaditanus*, ſed *Hiperboreus*. Quem proinde, licet ſub nubilo cœlo natum: Scilicet, *Veruecam in patria, craſſoque ſub aere*, non debemus tamen te-putare penitus alienum ab igne *Promethei*, & radijs *Apollinis*, tametſi illius cerebrum, concretiori, fluidiori ac frigidiori maſſa conſtare, nil vetat quo minus id opinemur. Enimuero mundus iſte terreſtris, eſt veluti quidam communis naturæ fornax, in quo a ſole ardor vario ac diſcrepante gradu, hominum corpora, quaſi totidem panes, coquit, torretque. In cuius fornacis medio, veluti ſub Æquatore, ita ardor intenſe vrit, vt inde in hominum corporibus omnia criſpa & in nigredinem exuſta videantur. Iuuenal. lib. 4. ſatyr. 10.

——— pars ſanguinis vſti,
Torta caput refugos gereas a fronte capillos. Lucan. li. 10

In ea autem fornacis parte, quæ vtrimque a medio parum ſecernitur, ardor apparet moderatus, qui coloris Sanguinei florem omnino non tam depaſcitur quam in venuſtatem caſtigat: proinde *Mineruæ* oculis cæſijs ſeu oliagineis apprime conuenit. Extrema autem latera iſtius fornacis, nō niſi languentem excipiunt æſtum: vbi *Diana* ferme omni imperio *Apollinem* ſpoliauit, & conſequenter in iſto fornacis ſitu, panes ſcilicet humana corpora, molliores, candidioriſque euadunt: quales illi populi, de quibus idem poeta:

Hæc Libycos pars tam flauos gerit altera crines. Prud. carm. de Natiu. Chriſt.
Vt nullus Cæſar Rheni ſe dicat in aruis
Tam rutilus vidiſſe comas

Vt enim circuli Polares, tardius ſe mouēt, minus ſpacij eodē tēpore percurrētes, ita in Borealibus animi motus tā mētis quā appetitus, tardiores.

Cur legat tardus plauſtra Bootes. Boet. lib. 4. Met. 5.

Summa itaque hæc eſt: edito in lucem iſto *Hercule Proteſtantico*, quoſdam in iſto fornace laterales, nempe flatuoſos & lutulentos panes, *Phœbo* omnino inconſulto, ſibi mentem, ſibi vim ingenij vendicare, haſque dotes & ornamenta alijs inficiari ineſſe, quippe ignorātibus plane vniuerſi ſenſus in ſacra Scriptura, non intelligētibus quæ ſunt notiones ſuperſtitionis & idololatriæ; cum ipſi meridiana luce clarius eas in ſuis Aquilonibus aſſequantur. Hoc ritu gigantes Boreales ſub ſuo *Briareo*, olim cæleſtibus Dijs cædes & ruinas minitati. ſimili modo eiuſdem ſortis Proteſtātes ſeptētrionales ſub vexillis *Lutheri*, noſtro infœlici ſæculo, faſtuoſe & barbarice reliquis omnibus oculariores & doctiores gloriantur. quibus vero modis *Hercules* iſte in molē, in cētū manus ſeu centū hæreſes cū *Briareo* neruoſq; ex creuerit, iā a nobis ſuccincte oſtēdetur. Helio. Theo

2. Quocirca *Hercules* iſte Proteſtanticus ſtatim ac adoleſcere cepiſſet, habuit in ſuo comitatu imprimis *Sibyllas*, quas adiret, & a quibus ad capeſcendam ſectam inſtueretur. quarū præcipua *Stultifica*, nominabatur. certe multa ſunt, quæ Proteſtantiſmi ſtultitiam pro-

dunt, equame cœlo Boreali, ſub qoo eius præcipue profeſſores degunt plerumque, ſua craſſitie ſimillimam. Nos autem quædam ſolum illius membra ac partes hic diſcutiendas delegimus. Ante omnia, ſtulium fuit, eam fidem amplecti, cuius nulla prorſus, ratione auctoritatis eam vnquã profitentis, credibilitatis nota eminuit. Nã eoipſo, quo Proteſtãtes ſibi ſtatuere ritu ſuo ſic credere, vniuerſam Eccleſiã eiuſque Paſtores, adeoque eorum præclara geſta in ſuperandis perſequutionibus, in Concilijs celebrandis, in ritibus exercendis, omnino reprobarunt. Eodem priuatum ſpiritum, qui ſcripturas interpretetur, normam credendi vagam ſcilicet præſcribentes, ſe a nullo damnato hæretico poſtmodum ſecernere potuere, aut vllum hæreſeos iuridice damnare: quinimo impotentes inde ad ſeruandum apud ſe fidei ſtabilitatem & vnitatem, vti alias diximus. Et quemadmodum ſingularis eorum ſtultitia apparuit eam amplectendo fidem, quæ argumentis credibilitatis penitus deſtituitur, ſic etiam eadem conſtiit, quod momenta credibilitatis, quæ noſtrã fidẽ aſſectantur, nun percipiunt animis, probantue.

3\. Sunt vero ex iſtis, qui adhuc in diſciplinis iſtius *Sibyllæ* pluſquam cæteri profecere. cũ enim doctior eorum pars perſpexerint, antiquos Patres Eccleſiæ tam Græcæ quam latinæ, adeoque vniuerſam praxim Eccleſiæ Catholicæ etiam in quinta ætate ſuis dogmatibus aduerſari, omnia eorum momenta, ad mera nomina, aut ad næuos illorum temporum retulere. Cæterum vero nuper in Anglia excitauit hæc ipſa *Sibylla* quoſdam ad eam profeſſionem faciendũ, qua Scriptis diuulgarunt, primis quingentis annis floruiſſe fidem non aliam quam Proteſtanticam, Patres omnes, ac inter eos *S. Ignatium* martyrem & Epiſcopum Antiochenum, fide & religione extitiſſe Proteſtantes: denique ante *Concilium Tridentinum*, Eccleſiam Chriſti viſibiliter fide, religioneque fuiſſe Proteſtanticam. quam hi pleni ſua fatua *Sibylla*! profecto demiror plurimum, quamnam Bibliothecam hæc *Sibylla* ſuis inſtruxerit! Fortaſſis credere eos facit, *S. Epiphanium* ſcribentem contra hæreticos pro Sacrificio *Miſſæ*, nihilominus crediſiſſe nõ eſſe, tale Sacrificium. *S. Hieronymum*, differentem pro operum meritis, & Reliquiarum cultu, neutrum tamen in fidem admiſiſſe. *S. Auguſtinum* diſputantem contra *Donatiſtas* pro viſibilitate & infallibilitate Eccleſiæ: contra *Manichæos* pro libero arbitrio, contra *Pelagianos* pro iuſtitia infuſa, pro purgatorio, plane contraria ſenſiſſe: *S. Chryſoſtomum* pro Sacerdotio & ſacrificio perorantem, vtraque tanquam errores repudiaſſe. certe aut ſtulte penitus hæc *Sibylla*, vel Proteſtantibus tradidit folia Sibyllina plane aerea, & Phantaſtica, arte potius magica confecta, quã vllo ſolido opere cõſtantia. Quid precor de Proteſtantibus recolũt *Euſebius, Socrates, Theodoretus, Zoſomenus*, quid venerabilis *Beda Oroſius*, aut *Gregorius Turonenſis*? *Abducit ſuperos alienis Theſſalis aris.*

Epiphan. cont Aer. Hieron. cõt. Virgil. & Iouin. Aug. de vtil. cred. li. cont do. nat. con. Ma noch. cõt. 2. ep. pelag. de cur pro mort Chri. de Sacer.

———— hoc iuris in omnes
Eſt illi ſuperos. an habent hæc carmina certum
Imperioſa Deum: qui mundum cogera, quicquid
Cogitur ipſe, poteſt?

Lucan lib. 6

4\. Hæc ipſa *Sibylla ſtultifica* ſubinde illos ducit ad alias ſtultitiæ ſpecies, quibus eos plane incapaces reddidit ad aſpiciendum lumẽ veritatis. Animaduertere aliquando, reperiri mores Cleri Catholici corruptos, vtpote intemperantiæ, & quæſtui nimium deditos: quo viſo, ſtatim illis ſuggeſſit *Sibylla* ſtultifica, vt concludant, fidem & religionem eorum a veritate alienas, fraudi & lucris penitus deſtinatas. verum ſi in iſtis ſolide proceſſerit diſputando *Sibylla*, conſequens, optima ratione potuiſſe olim Gentiles argumentari contra fidẽ, & religionem Iudæorum, a Deo traditas: quandoquidẽ Iudæos vitiis violatos deprehendebãt: ac in particulari turpes fœneratores ab eis paſſim dicebãtur, vt narrat *Appianus*: indeque ob ſua ſcelera, patentiſſime notabant, plus quam vlla alia gens, lepra diuinitus caſtigatos. certe ſtultum, ab aliquorum malis moribus argumentum deducere falſitatis in fide & religione, quas profitentur. App. lib. 1.

5\. Adhuc vero iſthæc *Sibylla*, ſuo aſello inuecta, penetrauit vlterius ad intimos ſeoſus Proteſtantiũ. perſpexere in Eccleſiis Catholicorum vſu vigere multas cęremonias, quarũ nulla mentio eis innotuerat legentibus quatuor Euangelia, aut Actus Apoſtolarum. quo deprehenſo, illos admonuit hæc ipſa *Sibylla*, omnẽ earũ apparatum ad ſuperſtitionem pertinere, proinde colendũ Deum ſtatuerunt, eis neglectis, ipſa ſola ſpiritus ſimplicitate Euangelica, & Apoſtolica. Cæterũ ineptiuit plane in eis eorum *Sibylla*. nã in nulla, vel Eccleſia ipſorum, ſiue Britannica ea fuerit, ſiue Gallica, ſiue Hollãdica, ſiue Germanica, ſiue Bernenſis, reperitur cultus eiuſmodi putus, de quo illa *Sibylla* ſomniauit: quinimo multa exterius in locis ipſorum dicuntur, leguntur, & cãtãtur, quæ expreſſe nõ præcipiuntur in Nouo Teſtamento. porro ſtultũ, arbitrari, nihil in religione vſurpãdũ, pręterquãquod expreſſe in ſacris literis iubetur, ac proinde a traditione ſacra nihil religioſi ad noſtros ritus deduci.

6\. Sed neque parum in aliis ſtultescit hæc eorũ *Sibylla*. vident Proteſtantes, in eiſdem Eccleſiis erectas ſtatuas, & imagines Sanctorum, Sacramenta adminiſtrari. quibus inſpectis, tam potens fuit in eis *Sibylla* ſtultifica, vt omnino illis perſuaſerit, Catholicos colentes Sanctos, eſſe idololatras, eos inuocantes, non a Chriſto, ſed ab illis gratiã expectare: ab elementis mundi, aqua nempe, pane, vino, oleo, verbis conceptis, non a fide in Chriſtum animæ ſalutem requirere. Durũ porro pœnitentiæ Inſtitutũ ſequentibus Catholicis, & impigre ſtudia bonorũ operum profitentibus, fecit Proteſtantes credere hæc *Sibylla*, fidei in Chriſtũ nunciũ eos prorſus remiſiſſe, omnemque ſpem felicitatis ſuæ in eis ſolis abſtento Chriſto collocaſſe. Ab hac ipſa Stultitia duo mala prouenere. primũ, quo Proteſtantes in ſuas hæreſes gregatim ruere voluere: alterum, quo incapaces redditi doctrinæ, non niſi ægre admodum nunc intelligunt eorum rationes, quæ pro illorum informatione diſputamos: ac proinde conuerſio illorũ difficilior eſſe iam aſſueuit.

7\. Cũ in vniuerſũ hæreſis penitius introſpecta speciẽ referat ſummæ cuiuſdã turpitudinis, tum proinde, ne eius interiora ac latentiora conſilia veluti cadauera ſepulcri, ab imperitioribus, videantur,

videantur, mirum adhibet diſſimulationis artificium. quo non ſolum in eam directus acrior obtutus repellatur, verum etiam candidioribus mentibus forma quædam honeſti, adeoque diuini, contemplanda inijciatur. Duo præſertim illius deformitatem conſtituunt. primum, auſus in aliquo ad particularia dogmata eligenda cum contemptu totius Eccleſiæ illi refragantis. alterum in illius obiecto ac materia ſatis conſpicuum: nempe aduerſaria quædam vis in illius pulcritudinem, quam virtutes in ſe complectuntur & oſtendunt. hæc dedecora vt celet hæreſis, nihil faſcinationis omittit, nihil hypocriſis poſt ſe relinquit. Enimuero non tantum falſitas hæretica ſub fuco veri ac probi, proprio marte fallacias inſtruit, ſed inſuper ad imitationem paganiſmi, in noſtram fidem olim deſæuientis, fictam quandam venuſtatem, penecillo tam doctrinæ quam eloquentiæ, ſibi ſtudioſe comparauit. *Symmachus* Romanus, cauſam agens veteris illius ſuperſtitionis, aſſerebat, Prud. lib 1. cont. Symm. auſpicijs antiquioris religionis Romam ad magnitudinem imperii deueniſſe, eamque iam dilumbaſſe & extenuaſſe ferme vſque ad barbariem, Chriſtianam diſciplinam: quod & *Soſimus* antea fecerat, de hac ipſa re contra noſtros conqueſtus. Sciſcitabatur ab illis *Symmachus*, num putarent, Deum nulla cura tactum erga genus humanum, priuſquam Chriſtus in orbem aduentaret, eum nouis dogmatibus informaturus, ſed permiſiſſe, nullo inſtructore ab eo interim miſſo, illum ruere in errores adeoque in damnationis baratrum: nobiliſſimamque gentem Romanam, virtute ac poteſtate inclitam, diuinorum ignoratione obcæcatam, turpiter ab ipſius cognitione defeciſſe? quod argumentum Aug. ep. 107 paganos in noſtros magnis viribus vrſiſſe teſtatur *S. Auguſtinus*. Cæterum dolus iſte in hæreſi luculentior, quandoquidem ea paganiſmo improbabilior, ſuique oſtentu deformior, ac ideo eiuſmodi inuolucri indigentior. *Megæra* vt inter nymphas compareat nympha, magis elaborato indigebit ſe fucandi conſilio, quam in illum finem *Glicerium*.

8 Olim Hæretici, profeſſi ſummum amorem Aug. lib 17. con. cap. 29 in Chriſtum Dominum, vt narrat *S. Auguſtinus*, affirmarunt, eius carnem non fuiſſe paſſibilem. Tom. 1. conc. parem in Chriſtum pietatem prætendebat *Eutiches*, qui dixit, ſe non audere pronunciare, corpus filii Dei eſſe corruptibile, aut humanis in Ambroſ de. Incar. cap. 7. firmitatibus obnoxium. Teſte *S. Ambroſio*, *Apollinariſtæ*, Chriſto animam attribuere renuebant, ne diuinæ perſonæ animæ perturbationes ineſſe ſimul definirent. Species & membra hypocriſis pelagianæ ita recolit *S. Auguſtinus*: Aug. lib. 5. cont. 2. ep. Pelagian. *Hæ ſunt nebulæ de laude creaturæ, de laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrij, laude Sanctorum*. Cæterum Proteſtantes, in hac arte veteres hæreticos ſuperarunt, & quod vniuerſi ſeorſim præſtiterunt in hunc effectum, illi coniunctim cuncta vſurparunt. Nulla Syrenis vnquam adeo truculentum cecinit carmen, nullus Græcus iam immanem Equi exercuit religionem: nulla Babilonia adeo mortiferum aurei crateris propinauit venenū. Apoc. 6. Hoc artificio peſſimi hæretici antiquitus ad opinionem orthodoxam peruenerunt. *Arius*, vſque adeo immanis hoſtis Dei, ac Chriſti Domini, nihilo ſecius ita ſe *Protheum* finxit, vt Catholici formam ei ineſſe, plurimi etiam inter pios, exiſtimarent. inde, cum eiectus eſſet a *S. Petro*, Epiſcopo *Alexandrino* ab Eccleſia, ad eum in carcere tunc pro fide Chriſtiana detentum acceſſere Arii deprecatores, *Alexander* & *Achillas*, qui ab illo Epiſcopo veniam *Ario* conciliarent. *Donatiſtæ* ſic ſe egere verſipelles, vt permulti iudicarint, eorum hæreſes in re indifferenti verſari, neque æternæ ſalutis, quippe Ciuiles ad ſummum lapſus expertes. Breu. Rom. *Pelagiani* pari aſtutia errores ſuas illuſtrarunt pigmentis orthodoxi ſtyli, vt ſæpius reputati a pleriſque orthodoxi tam in Paleſtina, quam Romæ. *Lutherus* ob hæreſum congeſtum cumulum, in occidente alter plane *Manichæus*, abuſus quoſdam in aliquibus locis apud Catholicos vituperando, ac in eos ſolum ſuam doctrinam ſe armare affirmando, aliquibus Catholicis ſuſpicionem iniecit, quod zelo non prorſus malo ſuccenderetur.

9. Principio itaque quod Chriſtianorum auribus ſacræ ſcripturæ nomen ac ſententię cuiuſdam diuinitatis ſenſum ingerere ſolent, idcirco earum teſtimonijs ſpiſſim confertis, tanquam folijs, quibus primi parentes poſt ſuum peccatum, corporum nuditates velarunt, Proteſtantes a ſe inuentas hæreſes honeſtare laborarunt. Gen. 3. Præcipue, itaque diuini verbi præcones & cultores vnici videri appetierunt, cauſati, prioribus ſæculis ignorātia inuolutis, neglectum omne earum ſtudium; fidei dogmata non ex eis, ſed humanis potius inuentionibus & argutijs excuſſa, popularium animos inſcite occupaſſe. Nunc vero ipſorum opera reuocatos omnes ad lumen Euangelij, ad Scripturæ diſcutiendum medullam: interim Catholicis Romanis eius prorſus inſciis, Traditiones meras & hominum figmenta conſectātibus, gloriati. & quod præcedentibus temporibus liturgia conſtiterit lingua Romana, plebi ignota, imo eidem Biblia vulgari idiomate deſcripta, paſſim interdicta, modo ipſorum induſtria in templis non alia quam vernacula lingua concrepante, traductis etiam Bibliis in voces ipſis idiotis notas, affirmare non dubitarunt, ſe tanquam recentia lumina ſacræ Scripturæ notitiam in mundum, adeoque vulgarium oculos intuliſſe, e tenebris Romanorum, in publicum conſpectum Scripturarum ſententias eduxiſſe. Quicquid nos, dixere, ſentimus, euulgamus, cantamus, id liquidis Scripturæ verbis, non *Thomæ*, non *Scoti* aut vllius hominis ſola auctoritate, ſtabilitur. Quæ etiam reijcimus dogmata, cum ſola Scriptura ſufficiat ad noſtram inſtructionē, iure optime ideo a nobis reprobantur, quo illius paginis non conſignentur, vbi quæſo, in illis aliqua mentio Miſſæ, vbi Purgatorii, vbi Tranſubſtantiationis, vbi ſeptem Sacramentorum, ieiunij Quadrageſimalis, thurificationis in Eccleſia notiones, aut illius externæ religionis præceptum, quam Romani in more habent, inueniuntur? Summatim nos verbum Dei purum, noſtræ fidei & cultui præficimus, Romani ſua hominum commenta. Hæc poſtquam audiſſet

ſet ſimplex popellus, non aliter ad exiſtimatam ab ipſis reformationem accurrere, quam ſi e cælis, ſonante Claſsico, vt id facerent, eſſent commonefacti.

10. Verum enimuero hanc fraudem minime ſubodorati, partim quod Catholicorum ſtudia collata in diuiniarum Scripturarum elucubrationes, qua concionibus, qua editis commentarijs, eos laterent, partim quod non animaduerterunt, omnium hæreticorũ morem, armis, quibus Eccleſiam impugnant, ſcripturæ verba prætendere. Scripturarum enim ſe inclitos præ alijs aſſertores profeſsi, qui, teſte *S. Auguſtino* affirmarunt, primos parentes cæcos fuiſſe a Deo creatos, quod ſcriptura dicat, poſt peccatum eorũ oculos apertos. Scripturarum intelligentiam ſibi vendicarunt, qui Deum corporeũ pronunciarunt: cum referat Scriptura, illum ſpecie externa quodammodo incorporatum, ſæpius apparuiſſe, diſerteque aſſerat, ignem eſſe vrentem, vt *S. Epiphanius* retulit. Scripturarum calentiſsimos ſeſe venditarunt *Manichæi* duo rerum principia fingentes, vnũ bonum, alterum malum: & a malo in odium boni conditum vetus Teſtamentum: quandoquidem in illis diuinis literis perſpexerint deſcribi aduerſus vires carnis & ſpiritus; mundi & cœli, iuxta ac Deum quodammodo lamentantem, quod Iudæis dederat præcepta non bona. Corporum humanorum reſurrectionem impugnarunt *Origeniſtæ* quod eam Spiritualem definiat Scriptura futurum. *Ariani*, vt conſtat ex *Euſebio Neoceſarienſi*, ſub Scripturarum ſpecie contra myſterium cõſubſtantialis Trinitatis diſputabant. *Neſtoriani* ideo Chriſtum duabus perſonis conſtare ſtatuebant, quod Scriptura illum paſsim hominem nuncupet. Porro non percepit idem populus e maieſtate religionis liturgicæ, ſeu publicæ, eſſe vſum docti idiomatis, parum attente conſiderauit, a paſtoribus accipiendum illis ſenſum Scripturæ, non a ſeipſis eam legentibus inueſtigandum. haud ineptum fuerit hoc recenſere; quod de fæmina quadam hæreſi *Manichæiſmo* infecta, cum *Sergio* colloquuta, narrat *Lucas Siculus. Dic ergo mihi*, dicebat illa, *cur ſacra Euangelia non legis? quibus ille verbis illectat, nec occultum potius intuens nequitiæ venenum, quod latebat, ita reſpondit. Nobis illa legere non licet, ſed ſacerdotibus dumtaxat. at illa, non ita eſt, inquit, vt putas, nec enim perſonarum eſt exceptio apud Deum. omnes ſiquidem homines vult ſaluos fieri Dominus, & ad agnitionem veritatis venire. at Sacerdotes veſtri quoniam Dei verbum adulterant, & myſteria occulant, quæ in Euangelio continentur, idcirco vobis audientibus non omnia legunt, quæ ſcripta ſunt, ſed, quædam legunt, quædam omittunt.* En genium proteſtantici Spiritus tam in viris quam in fæmellis! at precor, quid tandem didicit hæc manichæa frequenti Scripturarum ſua lectione? accipite præclaram certe doctrinam: ſcilicet, omnes Iudæos tandem cœlo exturbandos, quod Euangelium dicat, filios Regni eijciendos foras. pariter tam fidei, quam morum normã eſſe Eccleſiæ traditionem, vt ait *Euſebius*, miſer Populus neutiquam intellexit, ac ideo ad voces miniſtrorum, exiſtimauit, traditionem omnem, velpote merum hominum conſilium, ex diametro eum Scriptura pugnare. Verum ſciſcitor, quid tandem diſcuſsis bibliis didicere Proteſtantes? quid in cœlo, quid in terra inde arcani nouere? in cœlo aſpexere Deum auctorem eſſe peccati, illi nullam, aut abſurdam competere prouidentiam iudiciariam: Sanctos ibi nullos reperiri, nedum a nobis honorandos aut inuocandos. in terra perſpexere, principum leges non obligare conſcientias ſubditorum: Eccleſiæ, vtpote fallibili, nõ eſſe ſimpliciter credendum: non reperiri in hominum moribus decus virtutis, aut vitii dedecus: nullum peccatum credenti & ſperanti in Chriſtum nocere, aut illi imputari. an non conſultius ad calceos conſuendos, vel ad molendina vertenda, fuiſſe hoſce aſinos relegatos, quam remiſſos ad Biblia, ex quibus adeo barbara, impia, horrendaque expreſſere?

August. de Gen. ad lit. cap. 1. lib. 1.
Epiphan de Hær. Anth.
Ezech 20.
Epiſt. Euſe. ad Arium.
2. cor 1.
Lucas Sicu apud Baron Tom. 9 pag 3,6.
Math. 8
Euſeb lib. 1 demõſt. c. 6.

11. Pergunt porro adhuc in hoc genere fallaciæ, Scripturarum oſtentu miſeræ plebeculæ ſpeciem diuinæ colluſtrationis ementiri. proclamant ſe religionem decreuiſſe omnino ad ipſa verba ſacri textus, nullam perferentem admixtionem Traditionis humanæ: cum ex aduerſo Romani non aliam profiteantur, quam in officina humanæ auctoritatis excuſam. ad horum florum adſpectum, aut auditũ huiuſmodi glorioſæ venditationis, ad notitiam tantæ, tamque cœleſtis puritatis, dictu incredibile, quanto proteſtanicæ ſectæ amore ſimplex plebecula inarſit, Huiuſce hypocriſis poſteris ideam prætulere ii Principes, qui nimiæ poteſtatis a populo obtinendæ cupidi, finxere, ſe cum Diis habuiſſe commercia, ac dicta ab illis accepiſſe, quæ aliis proponenda. hac arte olim corrupta vates Delphica, viſa φιλιππίζειν, hoc eſt fauere Philippi Macedonum Regis conſiliis. ſimiliter fautores *Cæſaris*, ei regiam Romæ dignitatem optantes, ad id præſtandum, Sibyllinos verſus ad ſuum deſiderium interpretabãtur *Quorum interpres, vt ait Cicero, nuper falſa quadam hominum fama dicturus in Senatu putabatur. eum quem reuera Regem habebamus, appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalui eſſe vellemus.*

Cicer. lib. 2. De Diuin.

Cæterum hiante ore ad delicias defecatæ religionis, quid accepit plebs præter vmbras *Narciſſi*, præter ſpumam inanis cultus, adeoque pietatis vacuitatem? non enim omnia religionis officia diſertis verbis Scripturæ declarantur. imo apud Iudæos *Salamon*, *Machabæi*, apud Chriſtianos *Maria Magdalena* ex diuino inſtinctu, abſque diuinarum litterarum mandato, religionem decreuere. ſatis quod noſtra, a prioribus tradita, diuinis literis non aduerſentur.

3. Reg. 10
2. Mach. 10.

12. Quo etiam ſplendidiori adhuc apparatu oculos plebeiorum perſtringerent, iuxta ac noſtras partes ipſis infeſtas, odioſius traducerent, ad illos differentes, euulgarunt, ab ipſis ſtare Patres Græcæ & Latinæ Eccleſiæ: noſtraque dogmata nil aliud quam hæreſes, ab Eccleſia olim & in ea a Patribus reprobatas. In hunc tenorem pro roſtris inſulſe exclamauit aliquando in Anglia *Iuellus* apoſtata: quem impudentia ita in veritatem armarat, vt ipſi nihil penſi, quid in aures miſeri illius populi ex alto loco effunderet: *O Auguſtine,*

Conc. Iul. apud Hard.

o Hie-

ô Hieronime, ô Ambroſi, ô Gregori, ſi in errore verſamur, vos in illum nos compuliſtis. hoc illi promulgaſſe ſatis: audiuiſſe poſtea refutatum nimis. In hunc ipſum modum Donatiſtæ affirmabant, pro ſe ſtare *S. Cyprianum.* Ariani in patrocinium ſuæ ſectæ citabant *Lucianum* martyrem: proinde ſequaces ſuos appellabant *Collucianiſtas*, vt ſcri-
Thod lib. 5 cap 6. bit *Theodoretus*. Quod beatiſſimam Virginem, & reliquos Sanctos colendos aſſeruimus, incuſarunt nos Hæreſeos Collyridianorum, & Angelicorum. quod liberum in homine arbitrium propugnauimus, Pelagianorum ſuperbiã noſtris nominibus affinxere. quod imagines, & reliquias Sanctorum venerati, reos incuſarunt veteris idololatriæ: quod Chriſti corpus exiguis ſpeciebus includi panis in myſterio altaris credimus, conſentire nos illis hæreticis affirmarunt, qui ſolidam carnis ſubſtantiam a Chriſto aſſumptam pernegarunt. Cæterum eodem pla-
Aug. lib. 1. cont. Iul. c. 2. & 7. ne ſpiritu Pelagiani manicheiſmum imponebant *S. Auguſtino*; perinde ac ſi nuptias vituperaſſet. in illum citarunt pariter *S. Chryſoſtomum, S. Ambroſium,* & *Iulianum*, vt ipſe *Auguſtinus* teſtatus. verum ex hac parte iſtorum hypocriſis vix eius colorem refert apud Proteſtantes: adeo enim, dum Patrum auctoritates ſibi conciliare ſtudent, ſcatent plane falſificationibus, impoſturis, & mendacijs apertiſſimis. & dum hinc plebi palpum obtrudunt, omnibus doctis ſe deridendos, bonis odio habendos, proponunt.

13. Ad hypocriſim quoque eorum ſpectat, dum ſeipſos, ad plebem loquentes, deſcribunt in opere fidei, diuino Spiritui omnino fidentes, ac eius vi duntaxat credentes. Cui Spiritui opponunt per calumniam auctoritatem Eccleſiæ Catholicæ: proinde aiunt, ſe Deo credere, ſe ſo interiſo lumine ad credendum permoueri:
VVitak. in Scrip. Catholicos interim non Deo, ſed meris hominibus in eccleſia fidem adhibere: non interna reuelatione ſtabiliri, ſed ſolum humana credulitate incitari. Ad hoc animum aduertens rudis populus, incepit Eccleſiæ voces ac definitiones ſtatim aſpernari, faſtidire in negotijs fidei: tutum autem ac totum duxere, ad inſpiratum diuinitus lumen, aliorſum ab ea, ſe recipere: cum Deo potius, quam hominibus fidei momenta tractare. Cæterum inaniſſima proſus eorum inter Eccleſiam & a Deo inditum lumen, quantum ad fidei aſſenſum, excogitata antitheſis. quandoquidem tam illius neceſſariam infalli-
Epheſ. 4. bilitatem in proponendo, quam huius diuinam vim in impellendo & mouendo, Catholici admittunt. Etenim ne priuatus Spiritus, inſtar erratici planetæ, a quopiam prætenderetur, illi inſeruire voluit Deus Eccleſiæ notum magiſterium: rurſus, ne humana infirmitas in officio ſupernaturali præſtando, nimium de ſe præſumeret, eiuſdem prouidentia infundendum lumen interius inſtituit, quod illius imbecillitati ſuccurrat; præſtetque, vt quod eccleſia ſemel denunciauit, illud deinceps inſpirato robore adiuti, firmiſſime & cum alijs congruenter, credamus.

14. Huic porro hypocriſi Proteſtantum ſingularem vim attulit, quod reſpectu Chriſti Domini & illius meriti, ſeſe cum noſtris, quantum ad hoc conferentes, de ſeipſis pronunciarunt, & contra nos hac in parte diſputarunt, nos dixere, iuſtitiam & ſanctitatem non aliam quærimus præter illam Agni Dei, nobis imputatam. Romani autem non hac contenti, ſuam volunt, eamque ipſis inhærentem. Nos ita ad pedes Chriſti abiecti eſſe voluimus, vti in bono opere nihil actionis vitalis nobis tribuamus, ſed omnem actiuitatem eius gratiæ adſcribamus.
Romani autem ſe audacius erigunt, cooperationem cum Dei gratia ſibi vendicantes. Tantum porro abeſt, quod noſtris operibus aliquando fidamus, vt libenter fateamur, ea omnia peccata eſſe mortalia: proinde nos plane euacantes, non operibus noſtris, ſed vna fide in Chriſtum, ac fiducia in ipſum, ſalutem animarum aſſequuturos confidimus. Cæterum Romani, fidei & ſpei in Chriſtum delatis, adiungunt opera ſua, quæ etiam bona & meritoria eſſe profitentur ac præſumunt: quinimo ſuas quoque ſatisfactiones, adeoque illas, quæ Sanctorum fuere, Chriſti ſatisfactioni diffidentes, ſibi comparant, vt illis, nedum Chriſti ſolis perpeſſionibus ſaluentur. Cum hæc ad populum miniſtri protulere, illico is in nos mirifice excanduit, ac putauit, nos ſine fide & fiducia in Chriſtum, meris laboribus liberi arbitrij ad iuſtitiam & beatitudinem velle contendere. hinc plane conſectum exiſtimauit, ſectam ſuã, quæ tantum Chriſto concedit, eſſe diuinam: noſtram autem credulitatem a Chriſti miſericordia, gratia, merito, paſſione, atque ſatisfactione diſtractam, erroneam reperiri, humi ſerpentem, & diabolicam. vt quod verum eſt hac in re fatear, hæc ſpecies hypocriſis Proteſtanticæ, efficaciſſima extitit ad vulgi animos permouendos: cæterum doctorum habita ratione, craſſa & ſtupida potius omnis iſtius fictionis apparuit commentatio. o præclarum decus & dignitas Chriſto delata a Proteſtantibus, quorum largitione, in fœdas voluptates ſoluuntur, & in quiduis agendi turpiſſimam immunitatem! hic non in virenti arbore, ſed ſuper ſterquilinium cantillat honores Chriſto eorum Philomela. hic *Apelles* hyprocriſeos ipſorum, non politam tabulam pingit, ſed inferni ſordes inaurat. Neque huius rei modo a nobis exigenda probatio, cum eam hoc libro quinto luculentam ſatis expreſſerimus. quibus ſi aliquis Proteſtantũ obluctari auſus fuerit, fidem adſtringo, me ſuæ fidei & fiduciæ in Deum ſpurcitias vberius adhuc excuſſurum. & vt vno verbo interim dicam, nõ iſtis aliquid Chriſto aſſignant, ſed ſuo ventri, carnis ſuæ laſciuæ importunitati omnia tranſcribunt: perinde ac ſi Chriſtum ipſum in eorum cameriam ſecum attrahere credentes & fidentes laborarent. Petijt Propheta *Dauid* liberari a labijs iniquis & a lingua doloſa. verba labiorum iniquorum ſunt aperta iniuſtitiæ & impietatis inſtrumenta. *Doloſæ autẽ linguæ, ait S. Hilarius, opus fallax eſt, cum per ſimulationem noxiam ſub religionis lumine euertat religionem, & per vitæ ſpeciem deducat ad mortem. Hæreticorum quoque iſta mendacia ſunt, Prophetarum dictis & Euangeliorum virtutibus, & Apoſtolorum præſcriptionibus, mendacio occultatis, aliter omnia tradere & di-*
Romol Th. 5 VVitaker lib 2 de peccat. orig.

hoc norunt ſatis bene parochiani ipſimet omnes, idq́; tanquã ſuæ fidei articulum: cuius fidei effectus non ſuſpenditur ad vocem miniſtri cõcionantis, vt ipſi certo ſibi ſtatuunt. Vnde ergo tandem digni, qui gaudeant exemptionibus & priuilegijs? quæ apud eos Sacra, id dignitatis poſtulantia? relinquantur ergo communi ſorti vulgarium, pari ſupplicio cum eis afficiantur: relinquantur, dico ſuæ impietati, ſacrilegio, & publico orbis contemptui.

12. Alienum ſane a religionis maieſtate ac ſãctitudine, eiuſdem myſtas, qui & Patres populi, qui in illis ſpiritualis vitæ auctores, perinde ac ſi corpora animabus præſtarent, ſupplices ſiſti ad eorum tribunalia. quinimo vt ex priuilegijs Cleri augeſcit in animis populi opinio rei ſacræ, ita Clerus ipſe tanto immunitatis honore expenſo, ſtudioſius conabitur, morum excellenti forma ſe dignos tantis ornamentis exhibere: nõ enim minus honeſtates quã artes honore affici ſolent. Deijcit proinde ſenſus miniſtrorum inſpecta ab ipſis vulgaris plane ſua condicio, qua laico magiſtratui ſe vident ſubiectos. quod & impedimento eſt, quo minus in alta virtutum conſilia eorum contentiones inſurgãt. quamobrem in hac ſacrorum hominum depreſſione, Sacra ipſa, ac Deum ipſum, ſacrorum auctorem, atque finem, eleuant: adeoque eodem extremam proferunt barbariem.

13. Sunt porro quidam Proteſtantium ita impietate ſua efferati in religionis maieſtatem, vti ad iudicium *Wiclephi* recuſandos cenſent ſtatutos Cleri cenſus, eorum locis appetentes quas vocant *Beneuolentias*, ſeu ſpontaneas populi eleemoſynas. An non miſerum, debere paſtores animarum, quantum ad victui neceſſaria, quantũ ad largitiones ex charitate, quantum ad pietatis opera, pendere omnino a voluntatibus plebis? Hinc etiam Prædicatoribus libertatem docẽdi, admonendi ac corrigendi præreptum iri quis non videt? pergunt quoque adhuc Clero detrahere honorarios titulos, ac ornamenta ſcientiarum, quæ in academijs Doctoribus dari ſolent: quo in Cleri extenuatione, religionem pariter dedecorant, ac Deum ipſum plane contemnunt. Diuina cum hoc pacto deiecerint, quid magni, quantum ad virtutem, ſupererit in republica? quam acris ſit religio, ſeu cultus Dei externus, ad præclara facinora etiam belli iam diximus. neque aliquod conſilium adeo calet, ac illud, quod ab æſtimatione religionis dimanat. idcirco Proteſtantes nulla præclara ſpecie religionis inſtituti, traduntur tamquam mancipia partis in ipſis concupiſcibilis luxui & iraſcibilis furori. Poſtremo quo ab eis ex omni parte religio eſſet impugnata, locis quoque ſacris detrahont immunitates: perinde ac eadem eſſet ratio Eccleſiæ & horrei, in ea altaris, atque menſæ in triclinio. Cuius ſtudij impietas propagatur apud eos ab abiecta condicione rei ſacræ: quæ cum magni nihil referat, vtpote *Lotio*, *Cantio*, *Concio*, *Cœna*, nihil miri ſi eiuſmodi loci, in quo talia peraguntur, immunitates negligant, neque tam diuinis coloribus lacera ipſorum reſegmina imbuenda iudicent. Deus bone, an ad hoſce fructus excitandos, adeo impietate infames, opus fuerit, filium Dei incarnari, ac in cruce morte obita ſuſpendi!

14. Id in more poſitum hominum, quod ad vitæ negocia, vt quando res humanæ, vtpore ornamenta & magnificentia iſtius vitæ, amplificantur, tum diuina ſimul deijciantur plane, ac nullius propemodum æſtimationis euadant. Contra autem cum de magnitudine humana exiles cogitationes formantur, quod vera ſapientia efficit, tunc de diuinis, de æternis bonis, ingentes eo loci ſolent. Romani, antequã adeptaeſſet ab eis imperij amplitudo, aut ab eis in Diuos conſecrati ipſorum Imperatores, quæ Numinum erant apud ipſos religiones, illæ ſane auguſtæ: quæ vero vitæ ſpectabant commoda, exilia.

Priuatus illis cenſus erat breuis,
Commune, magnum. nulla decempedis
Metata priuatis opacam
Porticus excipiebat Arcton: Horat. lib. 2 Carm. od. 15
Nec fortuitum ſpernere ceſpitem
Leges ſinebant, oppida publico
Sumptu iubentes & Deorum
Templa nouo decorare ſaxo.

Cæterum ijdem Romani, rebus proſperis ſubinde elati, ac toti poſiti in ſuorum *Cæſarum* admiratione, templa fœno, ſigna Deorum, aranearum telis committebant: eo preſertim tempore, quo Chriſti fides Romæ primum apparuit. Dubio procul, inter alia effecta a Chriſto Domino, hæc duo fuere haud leuioris notæ: ſcilicet Diuina extollere, humana vero deprimere. Quamobrem Catholici appoſite Chriſti Domini ingenium referunt, quippe Religionis ſacra augentes, extendentes, mundi vero faſtus & poteſtates extenuantes. Contra Proteſtantes, ſui Antichriſti ingenium produnt, dum Religionum formas debilitant, ſacerdotũ dignitates eleuant, Principum autem iura excitant ad apicem vel iuriſdictionis ſacræ: & eiſdem lenocinantes, eorum gladios in nos diſtringi curant.

CAPVT XXI.

Cum maxima ſit Religioſi ſtatus in republica cum Sanctitas, tum etiam vrbanitas, a Catholicis culti, tum Sectariorum partes illum auerſatæ, vtriuſque decoribus priuantur.

ILlos religioſos vulgo nuncupamus, vtpote a Clero diſtinctos, qui ſpeciali viuendi genere ſeu regula, ad finem, quem intendunt, conſequendum, inſtituuntur. alioquin ſi illorum ſit ſtatus religioſus dicendus, qui a mundi rebus abſtracti, religioni & animarum ſaluti incumbunt, omnes Clerici maioribus ordinibus initiati, iure dici poterunt religioſi. Duo autem dictos religioſos a reliquo maiori Clero, quod ad religionem, ſecernunt: votum nempe paupertatis, ac certa quadam ſub aliquo Superiori viuendi formula: caſtitatis enim voto & obedientiæ Clerus ſæcularis etiam adſtringitur. Tota autem diuerſitas inter religioſos ipſos oritur a diuerſitate regulæ, ſeu

diſciplinæ

diſciplinæ, ordinatæ ad peculiare munus ab illis ſæorſim exequendum; ſiue id fuerit pure monaſticum; nempe contemplatiuum, ſiue actiuum, ſiue ex contemplatione & actione mixtum. vt autem horum in ciuitate propria officia & ex eis vtilitates manantes ad alios, intelligamus, operæ precium fuerit, prius excellentiam ſtatus explicare in Clero Sæculari, cauſaſque paucis diſcutere, ob quas a populo ſummo in honore & amore haberi debeant.

Epheſ. 4. 5. 2. Sunt itaque in Clero Sæculari illæ perſonæ, quæ Spiritus ſancti inſtitutione ordinarij ex officio paſtores, & patres animarum exiſtunt. qui, ſi vitæ qualitatem ſpectemus, ita a mundi ſtudijs caſtitatis & obedientiæ legibus ſegregantur, vt idonei ſint omnino ad alios docendum, 1. Tim. 2. ad eis conferenda Sacramenta, præbendumque vitæ ſuæ conditione viua exempla ad mundi res contemnendum, omneque genus virtutis, tam intellectualis, quam practicæ, exercendum. Sic nihilominus ad imitationem Chriſti Domini, quod ad externa, ciuilis côuerſationis temperatur in illis ſequeſtratio, vt i eis, quos paſcunt, quodammodo ſimiles eſſe videantur. Hac enim ſimilitudine & vicinitate, ſuarum ouium amores ſibi opportunius conciliant, ſimulque paratiores euadunt ad illis in omnibus euentibus melius ſuccurrendum. Et quod horum, quantum ad finem, quem ſibi præſtituunt, ſumma ſit dignitas & excellentia, ex duobus oſtendi poterit. Principio ex eo, quod Eccleſiæ hierarchiam & quaſi ſubſtantiam eius conſtituant: ſine quibus nequit ea conſiſtere. Deinde ex eo Epheſ. 5. quod eorum mores, veſtitus, qualitates, omnia denique, ſacris Eccleſiæ canonibus decernuntur, & a Spiritus ſancti ſapientia eadẽ deueniſſe nulli dubium eſſe oportet. Hi ſunt, quos poſuit Deus in Eccleſia in laicorum ordinarios paſtores, ſalutis illorum, vtpote auctores, & eos, qui ab aquis baptiſmalibus, vſque ad funera ipſorum, cum ipſis familiariſſime amantiſſimeque verſantur, adeoque ſacris ſuffragijs eorum animas corporibus exutas, pijſſime proſequantur. Summa itaque charitatis neceſſitudo inter hos & omnes laicos intercedit. Vnum porro corpus ita cum illis excellentiſſime componunt, vt a nullis tam dextere reformari, ad præclaras virtutes excitari poſſint quã a ſuis: hoc eſt ab eiuſdem corporis & ordinis ſanctioribus membris, quo in munere, noſtro ſæculo, egregiam operam nauauit *S. Carolus Borhomeus*, cuius exemplum haud pauci ſequuti, magnum emolumẽtum vniuerſo Clero ſæculari noſtro æuo attulere. Si officium doctrinæ ſpectemus, aptiſſimi, qui in academiis publice doceant: quod noſtrorum anteceſſorum pietas & ſapientia vbique oſtendunt, illos paſſim academijs perficientio. nec ſolum idonei, qui alios ibi inſtruant, verum etiam, qui literis dignitatem quandam perſonarum ſuarum grauitate & [illegible] quem tenent in republica conſciſcant: quod oculi etiam noſtri etiamnum conteſtantur. Si ergo bonum vniuerſale Eccleſiæ ſpectemus, opus omnino, populo, tã quod ad eruditionem, quam ad virtutis præſtantiam, iuxta ac ſtatus decorem, opinionem honorificam de Clero ſæculari concipere: illudque etiam magis requiſitum, quam cuiuſuis alterius ordinis æſtimata a popularibus præſtãtia. imo niſi quod ad doctrinam & mores floruerit Clerus ſæcularis, abſolute dicere non poſſumus florere Eccleſiam. Cum enim ſint in Eccleſia præcipui, & maxime quaſi de ſubſtantia in eadem hierarchiæ, eorum præ aliis omnibus ſpectanda & procuranda eminentia tam quod ad virtutes intellectuales, quam actiuas.

3. Verum quemadmodum ſingulis ætatibus alius ordinis viri egregii extitere, & qui alijs Heroicarum virtutum exempla præbuere, ita in particulari ex Anglia, etiam poſt ibi dominantem hæreſim, apparuere multi conſpicui, incredibili charitate in animarum ſalutem incenſi. Horum Pater & Coriphæus Illuſtriſſimus piæ memoriæ *Card. Alanus*, qui vndiquaque ad ſe vocans Duaci, & poſtea Rhemis in Gallia, Dei & patriæ ſuæ amantes, in eis locis Collegia fundauit, literis ſane & omni genere virtutis exculti ſsima. Nicol Fitz. herbert in vita Card. Ælan. hi, dum in Anglia crudeliſſimæ perſequutiones in orthodoxos immanitatem vbique exercerent, dum leges regni nil præter neces & lanienas ſacrorum hominum ſpirarent, dum omnia tribunalia innocentum ſacerdotum ſanguine adhuc maderent, tantum abfuit, horum aſpectu exterritos, a profectione in Angliãm ſe cohibuiſſe, quinimo quo maior diritas ibi ante ipſorum oculos apparebat, eo acrioribus petitionibus, adeoque vberioribus lachrimis, quorum ego teſtis fui, a ſuis ſuperioribus miſſionẽ implorabãt. Iam etiam ingenti cum fructu & ſumma concordia per plurimos annos ſtudijs ſuis, itineribus hinc inde inſtitutis, adeoque paſsis martyrijs, haud paruum fructum extulerant ante ad aduentum vllorum religioſorum, & in talem militiam ab eis initum conſortium. Et quod miraculi loco merito haberi poterit, non vno impetu hæreticorum confecti, vti olim Chriſtianis contigit a paganorum manu vexatis, ſed multorum annorum ſucceſsione decurrente, martyrium Sacerdotes paſsi ferme ducentum: interim continuato quodam ſpectaculo, eorum oculis obiectũ ſæuiſsimæ & ſangiuolentiſsimæ crudelitatis terroribus.

4. Verum enimuero ſtatus & ordines Religioſorum rebus tam Eccleſiæ, quam reipublicæ pariter, vtiliſsimi, vt iam ſatis ſuperius viſi oſtendiſſe. Illis in vniuerſum competit abductio quædam a negocijs mundi, ad quam votũ paupertatis & obedientiæ particularis, vltra votũ caſtitatis, illis cũ reliquo Clero commune, plurimum eos promouent: Cuius vi operoſius incumbunt in id, quod inſtituti ipſorum propriũ. Monachi quidem, tametſi rerum diuinarũ contẽplationi dediti, nihilominus valde etiã idonei, qui in ſuis monaſterijs ſcholas apperiãt. etenim ſolitudo egregium mediũ ad comparandũ doctrinam, illam præſertim primã, ac ſummã, videlicet metaphiſicã: illos proinde ac hoc ſtudij aptiſsime parat. quorſũ enim in hoc genere excellerẽt, niſi vt partã ſcientiam in alios transfunderẽt? In oriẽte quidẽ olim monachi, in mores ferme eremitarum deuenere, vt ex *S. Cryſoſtomo. S.* Dioniſ. De Eccleſ. Hier. cap. 6.

7 Quales autem vitæ genere extiterint noſtri
Chriſo.hom 4.in Math.
Monachi, diſcant a S. *Chryſoſtomo. Si quis nunc ad Ægypti veniat ſolitudinem, paradiſo prorſus omnem illam eremum videbit digniorem & innumeros Angelorum choros in corporibus fulgere mortalibus. eſt enim cernere tota illa regione diffuſum exercitum Chriſti, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cæleſtium conuerſationem in terris imitantem.* S. *Auguſtinus* de iſtis agit copioſiſſiuie, & oſtendit eos ex illo ortos & propagatos ſpiritu, qui mores ec-
Auguſti lib. 1. de Morib. Eccle. ca. 35.
cleſiæ Catholicæ decreuit. *Nihil de eis dicam, qui ſecretiſſimi penitus ab omni hominum conſpectu, pane ſolum & aqua contenti, deſertiſſimas terras incolunt.* Subinde de Cœnobiis iſta adiunxit *Quis nõ illos miretur & prædicet, qui contemptis atque deſertis mundi huius illecebris, in communem vitam caſtiſſimam, Sanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus: nulla ſuperbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, ſed modeſti, verecundi, pacati, concordiſſimam vitam & intentiſſimam in Deum, gratiſſimum illi munus offerunt a quo iſta poſſe meruerunt. Nemo quidquam poſſidet proprium, nemo cuiquam oneroſus eſt. Patres vero non ſolum Sanctiſſimi moribus, ſed etiam diuina doctrina excellentiſſimi, nulla ſuperbia conſulunt his, quos filios vocant, magna ſua in iubendo auctoritate, magna eorum in obediendo voluntate.* Quid in iſtis precor academici, quid Miniſtrici aut Miniſtricæ? Quamobrem veſter *Lutherus* elicuit ex monaſterio *Boram*, eam conſtupratum, ſi monaſteria fuerint erecta in gratiam veſtræ religionis?

8. Veteres, qui de caſtitate commentati, ij duo præſidia illi attribuere, induſtriam ſcilicet actionis, ſimul ac receſſus ſolitudinem. vnde apud eos caſta *Diana*, vtpote continuis venationibus fatigata, ſiluarumq; ſecretis ab alijs diuulſa. Caſtus itidem *Hippolytus*, at e cælo ad terram dimiſſus in præſidiis fuit *Dianæ*, vitam ſubinde degens, nemorum cultor fuit, & auſteræ vitæ
Virg. Æn. 7.
profeſſor.

At Triuia Hippolytum Secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Ægeriæ nemorique relegat.
Solus vbi in ſiluis Italis ignobilis æuum
Exigeret, verſoque ibi nomine virbius eſſet.

Verum quod *Pæon*, Deorum Medicus, ſeu *Apollinis* filius, huiuſmodi caſtum de cælis ad terreſtres ſedes dimiſerat, finxere tantæ virtutis aſpernatores (eum quippe ciuili conſortio ineptum reputantes) *Iouem* ad inferos fulmine adegiſſe:

Fulmine Phœbigenam ſtygias detruſit ad vndas.

Verum nobis in vno Chriſto eſt *Pæon*, qui ſuis pharmacis, a cæleſti ſubſtantia delibatis, homi-
Math. 4.
nes ad virginitatem colendam in terris, noua quadam vita eis inſpirata, componat, ſimulque idem *Hippolytus*, vtpote perfectiſſimæ virginitatis exemplar, eremo & pernoctationibus aſſuetus. haud me latet, inſtitutum ſolitudinem colentium, ac Deo vacantium, quemadmodum & cætera præclara, in culpam, adeoque odium
Senec. Ep. 55 ad Lucil.
a multis pertractum. neque hoc contigit modo a Chriſti Domini ortu, & eius Euangelio, ſed etiam a priſcis temporibus. *Otioſum hominem, ait Seneca, ſeductum exiſtimat vulgus, & ſecurum, & ſe contentum, ſibique viuentem: quorum nihil vlli contingere, niſi ſapienti poteſt. Ille quidem nulla re ſolicitus, ſcit ſibi viuere. Ille enim, quod eſt primum, ſcit viuere.* Vnde qui literis operam nauarat Romæ,
——— *nomen incertis habet.*
Ouid. lib. 2. Triſt.

9. Verum vel a principio Eccleſiæ Chriſti, extitiſſe certum & ſpectabilem tam virorum quã fœminarum ſtatum, virginitatem cum diſciplina monaſtica voto ſtabilientium, ex Hiſtorijs iuxta ac Patrum teſtimonijs exploratiſſimũ. Horum meminit *Philo* Iudæus, eorum memoriam recolens, qui ſub Regimine & regula *S. Marci* Euangeliſtæ agebant Alexandriæ. quos dicit non ad morem Græcorum Sacerdotum, vi ad caſtitatem ſeruandam adactorum, concubitum repudiaſſe, *Sed virginitatem inſtituto bono &* Phil. lib. De vit. Contep.
cupiditate futurorum conſeruaſſe. Eorumdem meminit etiam *S. Ignatius*, hos per epiſtolam ſalutans, *Qui in perpetua degunt virginitate.* addit Ignat. ep. ad Smirn.
porro, virginum profeſſarum votum non niſi præſente Epiſcopo emittendum; quantum ad decernendum illud genus vitæ quod ſacræ vir- Concil Carth. 4. cp. 32. 36. Mileu. c. 24 Athen.
gines ineunt, & hoc ipſum poſtea confirmarũt Concilia Carthaginenſe Quartum & Mileuitanum. *Athenagoras* in ſua apologia pro Chri- Apol.
ſtianis refert multos ex illis totius vitæ ſpacio colere virginitatem, quo Deo viciniores euadãt: quos aſſerit *S. Cyprianus* ſe caſtraſſe propter reg- Cypr. ep. 62.
num cælorum: *S. Epiphanius vt liberioribus animis* Epiph. Hær. 30.
diuinæ legis meditationi vacarent. Conſtantinus Magnus, teſte *Sozomeno*, eos priuilegijs ornauit, *Qui* Sozam. lib. 3. cap. 11.
caſtimoniæ & virginitati ſe conſecraſſent. Quibus Theodor. li. 1. Hiſt. cap. 18. Sozam lib 5. c. 13. 9. Hiſt. ca.
honoris ergo tantum detulit *Helena* Imperatrix, vti illis *In menſa ſeruierit*, ſicut narrat *Theodoretus*. Cuius rei, & eximiæ ab Euangelio Chriſti impreſſionis, Illuſtre monumentum tradit *Sozomenus*. Scribit itaque *Pulcheriam* filiam *Arcadij* Imp. & ex paterno teſtamento imperij gubernatricem, fratre agente in minore ætate, virginitatem perpetuo colendam emiſſo voto ſibi propoſuiſſe. *Nondum, ait quintum decimum annum agens, ſupra ætatem ſapientiſſimum & diuinum ſpiritum accepit, ac primum Deo virginitatem ſuam deuouit: deinde vt ſorores ſuas ad eadem vitæ inſtitutum educauit.* Qui vero extra humanam ſocietatem vitam agentes, cum Deo & ſanctis familiarius verſabantur, ij caſtitatis ſtudium conſectari. *Ag-* Cyril. Hieroſ. Catech. 12.
noſcat ait Cyrill. Hieroſol. eorum ordo & inſtitutum, qui vitam ſolitariam agunt caſtitatis *gloriã.* Eo autẽ precio habuit Eccleſia primatiua cœlibatum virginum ſanctimonialium, vti *Iouianus* piiſſimus Imperator, capitalem pœnam in eum ſtatuerit, qui haſce virgines a propoſito caſtitatis abducere tentaret; quod *Sozomenus* Sozam. lib. 6. cap. 3
prodidit. Cæterum præter hoc votum virgini- Dioniſi Eccle Hier. cp.
tatis emiſſum a religioſis illis antiquis, Patres & 9. Euſeb. lib
Hiſtoriæ memoriæ poſteritatis ſignificarunt, 2. Hiſt. cp. 15
eos adhibuiſſe victus auſteritatem: vtpote vilia Sozam. lib.
indumenta, frequentia ieiunia, continuas me- 1. cp. 9. 11.
ditationes, nocturnas precationes & pſalmo- Socrat lib.
dias, paupertatis & obedientiæ profeſſiones. Hiſt. ca. 5.

10. Certe qui ſæculi & mundi iſtius ingeniũ, Baſil. de Reg
a ſcripturis & ſua experientia edoctus nouerit, Auguſt de
is dubio procul iudicabit, diuino ſpiritu in Ec- Mor Eccl.
cleſia Dei factũ, vnde nonnulli illud vitæ genus inirent, quod diſcretum a turbis & ſtrepitu populariter

pulariter viuentium. ob quam cauſam, vt eſt in Parabola, exiit in forum Paterſamilias, qui inde quoſdam ocio oppreſſos educeret, & ad vineæ ſuæ a foro ſeiunctæ culturam tranſcriberet. Forum, ait S. Hilarius, *pro ſæcula accipi ras ipſa admonet, æquabilt turbis hominum, calumniarum, iniuriarumque contentionibus, & diuerſorum negociorum difficultatibus ſemper tumultuoſis*. Cæterum hi non ſunt vſque eo in penetralibus abditi, quin etiã foro ſint commodo, & in illius vel culmine obtineant ſacram quamdam auctoritatẽ. Quid obſecro, S. *Simeone*, cognomento *Stylita*, ſecretiua aut alienius a foro, adeoque ab ipſa terra; quippe in altitudine ſeu capitello cuiuſdam columnæ habitante? Nihilominus forum & fori ſummus Princeps *Theodoſius Iunior* eius vim perſenſere, imo etiã ei paruere. Decreuerat *Theodoſius* iſte, pacis cõciliandæ cauſa in republica, in vſum religionis Eccleſiã quandam Antiochiæ Iudæis concedendã. quod cum fama intellexiſſet iſte columnæ incola, *Eo nomine*, vt narrat *Euagrius*, *libere ſcripſit Imperatori, adeoque eum acriter propterea increpauit: ſolum namque ſuum Imperatorem Deum veritus eſt; vt Imperator Theodoſius, quo Chriſtianorum ſatisfaceret Voluntati, ſua mandata reuocaret*. Hi ſuo inſtituto vitæ, vt teſtatur S. *Hilarius*, ſequuntur, *voluntaria non legitima. Et his obtemperata, libertatis potius quam neceſſitatis officium.*

Math. 20.

Hilar. in Math. Can. 20. & in Pſalm. 118.

Hilar. in Pſal. 118. in Math. Cã 19

11. Quod itaque Hæretici Proteſtantes inficiari non poterint, quantumuis impudentes ad definiendum, in Dei eccleſia ab eius exordio extitiſſe Monachos & Moniales, fatentur vltro tales fuiſſe, idque ſuæ religionis profeſſores. Dicunt ergo Monachos olim nihil aliud præ ſe tuliſſe, quam quod etiamnum academici profitentur, vtpote ſtudijs literarum addictos, licet cũ vxoribus cõuixerint: Etenim ab hac ceſſa diuortiũ non patitur eorum academia. Moniales affirmant, vitam certis regulis adſtrinxiſſe, & earum aliquas genialis thori vſibus inſeruijſſe: nam ſine hoc, Euangelij libertas, ipſorum ſententiis penitus intercideret. an vero extra Angliam vllibi locorum reperiatur Muſa Proteſtantica, quæ ita de Monachis cantillet, penitus me latet. Sane dolendum, ignoraſſe *Ouidium* ſpecies Metamorphoſeon, quas commentantur ſecum Proteſtantes: eas ſi nouiſſet, ceciniſſet, imo ceciniſſet,

Rob. Abb. Reſp ad Biſch. Sec. 4.

In noua fert animus mutatas dicera formas.

Ouid. lib. 1. Metamorp.

In hunc tenorem, quod ad dogmata, mutarunt Deum in diabolum, Chriſtum in peccatorem, Sanctos in laruas, Eccleſiam in ſpiritum, Sacramenta in picturas, in idola, Chriſti vicarium in Antichriſtum, ieiunium corporis in ieiunium mentis, gratiam iuſtitiræ in phãtaſma. Quod ad mores, mutarunt S. *Baptiſtæ* melotem ex pilis camelorum, in ſericum vndulatum, eius mel ſilueſtre in mel Atticum, eiuſdem locuſtas in maris delicias pœnitentiam mutarunt in reſipiſcentiam, leges in vmbras, Monachos in academicos, Moniales in *Xantippas*, eremum in academiam, lilia in hæderas, roſas in ſpinas, omnia in luxum.

Lucan li. 10

Fulget gemma torus, & iaſpide fulua ſuppelex.
Strata micant Tyrio, quorum pars maxima ſucco
Cocta diu, virus non vna duxit aheno.
Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco,
Vt mos eſt Phariis miſcendi licia telis.

O ſi mihi permiſſum aſpicere vel vnicum cœtum Monachorum ad ingenium & inſtitutũ Proteſtantum! viderem equidem credo illum Senatum quem deſcripſit Poeta:

Ternaque collectis ſtipatur curia monſtris.

Claudi. lib. 1 in Ruffin.

Longe aliud propoſitũ religioſorum eſſe debere docet S. *Hilarius*. *In cæleſtium ſcientiam homo eruditus eſt, quid tibi cum terrenis operibus & geſtis? Auis effectus es, cur non in natura tua elemento moraris? volucres enim cæli nuncupantur. non iniuſte ergo illis in poſſeſſione terrena habitationis inſidiantur. Sæcula renunciaſti, quid tibi cum ſæculi rebus, quid quæris captus in ſæculo? quid quæris iniuriam loqui in regione non tua? Dic potius & vtere ipſe tu voce Pſalmiſtæ dicentis iſta: Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ & volabo & requieſcam? Natura auium eſt, vt non niſi cum volent requieſcant tu autem iam factus es columba, volando requieſce, id eſt, in cæleſtem te ſedem & cognitionem a laqueis terrenis volatu pſalendo anima efferendo.* Quæ autem in vita popul ri nos mala obuallant, & vndiq; ad praua incitant, idem Doctor iſtis eleganter deſcribit. *Rapiunt oculos noſtros raræ incogniti maris gemmæ, accupat animum terra aurum, totis nos mortis noſtra illecebris ſpirituales nequitiæ & aeris huius poteſtates circumuolant. per vitæ præſentis moleſtias, per alienæ volũtatis mores atq; laſciuiã inſidiantes vt iraſcamur, vt oderimus, vt amemus, vndique expetimur & appetimur.* Fælix ille forẽſis vitę ſtatus: ultra metas noſtræ expectationis collocatus: in quo

Hilar. in Pſalm. 118.

Hilar. in Pſalm. 1. 4.

— — *emitur ſola virtute poteſtas.*

Claud. in Paneg. [illegible]

12. Mirum itaque haud fuerit, ſi in noſtris religioſis pars intellectiua, cognitione ſplendeat, ſi concupiſcibilis, charitate accenſa, ſi iraſcibilis dulcedine morum emollita, ſub rationis imperio placide conquieſcant. optime probat *Origenes* mentem clariori intelligentia fulgere, poſtquam fides & diſciplina eam ſubegerit: de quo genere cognitionis loquitur propheta: *Niſi credideritis non intelligetis*: quod etiam S. *Bernardus* egregie proſequitur. iſti cenſendi *Noach*, apud quos viget quies, qui requieſcunt poſt diluuium a ſuis laboribus, & alios in eandem quietem pariter inducunt. apud quos ceſſat terra a belli tumultibus, & immani ſtrepitu, quo orbis reliquus concuti aſſueuit. *Noe* ſacrificante, odoratus Deus odorem ſuauitatis, ſeu Hebraice quietis, vt animaduertit *Caietanus*. In quo ipſorum quiete & ſolitudine retinent etiam cõuictum, ex quo, ad omnes virtutes acquirendas multum adiuuantur. *Virtutum ait Cicero amicitia adiutrix data eſt non vitiorum comes: vt quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea quæ ſumma ſunt peruenire, coniuncta & ſociata cum altera perueniret.*

Orig. tract. 12 in Math.

Iſa 50.

Bernard. Serm. 3 in Cant. Ep. 108.

Gen. 9.

Gen. 8.

Caiet. in 8. cap. Gen.

Cicer de Amicit.

10. Cæterum quod optima quæque quibuſdã malis aut vicina, aut oportuna, mirũ videri non debet, humana fragilitate expenſa, ſi inter ipſos religioſos, illos & clerũ Secularẽ, ſimultates aliquando gliſcentes inueniuntur: vel ſi diabolica fraude intercedente, id contra charitatem ab aliquibus fiat, quod in eius ſubſidium a Sancto Spiritu primitus inſtitutum. Huiuſmodi autem diſſentionis ſpecies in eos acriua

inuadit

inuadit; qui habitu, nomenclatura, & diſcipli-nis diſcreti, quod ad externa tamen, idem fer-me munus cum alijs obeūt, & quaſi in communi opere ſeorſim cum maxima diſſimilitudine habitus, nominiſque congrediuntur. vtinam res ipſæ, noſtris oculis ſubiectæ, huius rei veritatem, non vt contingit, comprobarent. Ac præter vnam & eandem formam operis externi a diuerſis initam, ad augendam materiam inuidentiæ & contentionis inter eos, accedunt quorundam ordinum priuilegia, quibus aliis ſuis cooperatoribus in popularium oculis præferuntur. ex quo duo mala paſſim proficiſcuntur. Primum, quo animi deiiciuntur eorum, qui illis carent priuilegiis: quippe videntes, a ſuperioribus ſuis ſe eis indignos reputari, iuxta ac deſtitui honorifica plebis æſtimatione, qua alii publicitus eorum cauſa præfulgent. alterū cernitur in murmurationibus, quibus odium cōſlent priuilegiatis. horū meo iudicio ex duobus remediū: ex vnitate ſcilicet, & æqualitate. Ra-

Concil. Tri. in decretis

tione vnitatis conſiderata, Concilium Tridentinū quod ad multa, auctoritatem Epiſcopalem ad religioſos ipſos gubernandos extenſā eſſe voluit; in qua religioſi, alioquin diſiuncti vitę moribus ab alijs, vniri ac ad pacem componi tamē cum illis optime poterunt. æqualitate vero decreta, inuenietur illa mater & radix concordiæ in omni republica & ſocietate, ſicut contra, inæqualitas in vnoquoque conuentu ſeges eſſe ſolet rixarum & inuidentiæ. ſed quod inæqualitas ſit aliquando tam in Eccleſia, quam ciuitate admittenda, eius concedendæ norma ducenda a communi charitate, & eius ratione a communi bono. Quando ergo prudens magiſtratus aduertit, ad inæqualitatis inſtitutionem, futurū damnum charitatis, & concordiæ inter ciues aliquos in ciuitate, alioquin ad præclara facinora comparatos, animum & imperium quod ad bona inſtituta, remiſſuros: quomodocumque hæc mala euentura, ſiue ex infirmitate particularium ordinū, nullo pacto talia priuilegia impertienda aliquibus, ſed inter omnes potius æqualitas, quantum fieri poterit, ſtabilienda.

13. Præclaris iſtis eccleſiæ luminibus & Athletis deſtitui voluere Proteſtantes. *Pruinibus* ca-

Math. 14.

rent. *Hippolytis* deſtituuntur. Hi nempe ab eccleſia, tempore hiemis fugientes, ob nimium frigus impietatis, tantam charitatem haud retinent, quanta ad vota religioſorum emittenda ac ſeruanda, ad vitæ ipſorum rigores ſuſtinēdos & profitendos merito poſtulatur, includi paruo gyro recuſant, in immenſo libertatis excurrentes. obedire detrectant, ad principatum neſcio quem ſuperbi ſpiritus contendentes: in eunuchorum choros ingredi propter regnum cælorum acquirendum, horrent, potius

Math. 19.

ſe in aulam *Veneris* admitti emiſſarios appetentes. Diuitiarum ornamentis ſpoliari, paupertatis ærumnis adfligi, penitus deteſtantur, voluptatum vero ſumptuoſarū cupidiſſimi. Enimuero ſi nulla virtus labe careat mortalis noxæ, ſi nullum opus valeat meriti apud Deum pondere; ſi vna fides ad ſalutem ſufficiat, vt ipſi definiunt, quorſum de rigidis religioſorum placitis & inſtitutis cogitarent? At quod ab iſtis ciuilis ſocietatis incommodum? omnes ad nuptias currunt, quas nullum ſpecimen caſtitatis prius honeſtauit, aut ad eas præparauit. apud quos nuptiæ paſſim iuxta fœdatæ ac violatæ, proloquuntur damna ex neglectu virginitatis. Hæc enim præſertim voto confirmata, ipſis etiam nuptiis decus adfert & firmamentum. Contendunt porro, Caſtitatis votum minime eſſe licitum, cum non ſit animæ ſaluti neceſſarium. Volunt etiam, illud rem impoſſibilem proponere: tandem ſtatuunt, vouenti innoxium, mixto matrimonio voti religionem exuere. Dico hæc omnia in Deum, in Chriſtum impia, in patriam, in legem naturæ peſtifera & barbara. auferunt enim Deo vectigal religionis, quod illi debetur: Chriſti gratiam inſufficientem reddunt ad præſtandum officiū virtutis: integrum faciunt, Principi datam fidem fallere. promiſſiones in vniuerſum fruſtrare: quorum quippe minor obligatio ac interdum facilior ſolutio quam illius, quod Deo ex voto promittitur: Obedientiæ pariter munus in republica debilitant, non ferentis eam, quæ religioni deuouetur. Denique pecuniarum periculoſum amorem in ciuitate augent, negligentes in religioſis earum contemptum.

14. Neque ſolum monachis deſtitui vult ſecta proteſtantica, quinimo inciuili & inhumano argumento eorum ſtatum conuellere & vituperare. Hinc ſi in aliquibus ex hoc aut altero ſexu vitia detexerint, illico concludunt, omnes tales eſſe, ac eorum viuendi genus prorſus vituperabile. hoc S. *Auguſtinus* ſuis temporibus Aug. Ep. 137

adnotauit ab aliquibus factum: at quam inepte iſtis oſtendit. *Ad quid aliud ſedeat iſtis, & quid aliud captant, niſi vt quiſque Epiſcopus vel Clericus vel Monachus vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proiiciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas.* Vt hæretici voto caſtitatis conuiciantur hoc modo ex aliquarum delictis, ſic Turcæ traducunt apud Chriſtianos vnius cum vna cōſugium propter quorumdam adulteria, indeque polygamiam admittendam contendunt, ſicut quidam Philoſophi vagum concubitum. En metam laxæ libertatis in ſpurcitiem carnis, oculis & votis Proteſtantum propoſitam.

15. Denique aliàs adnotauimus, vitam a rebus mundi ſecretam, paratiſſimum medium ad ſolidam doctrinam, & eam, quæ *Metaphyſica* eſt, comparandum. proteſtantes idcirco illam in religioſis vituperantes, eiuſmodi alta eruditione deprauantur: ſiquidem leuiſſimæ & garrientes cicadæ, rerum extimis duntaxat inhærentes. Hoc cum in Anglia deprehendiſſet Rex *Iacobus*, iuxta ac videns, ob defectum firmioris Theologiæ paſſim ibi academicos ad inanes vmbras Puritanorum deflectere, vt audiui, illis mandauit, quantum ad Philoſophica, certum temporis ſpacium eius curſui impenderent, ac quod ad Theologica, abdicatis quorumdam priuatis Cathechiſmis, Latinæ ſimul ac Græcæ Eccleſiæ Patrum libris prælegendis incumberent. Verum tantam admonitionem nihil operæ precii in Academijs Anglicanis peperiſſe etiam in-

tallexi

tellexi. Credo certe, quod optimis Principis volũtatibus *Sui* ac *Mineruæ* ibi obſtiterint. Atque in hac re ipſius Religionis, Proteſtantes ſe declarant ac produnt, reſpectu omnium Gentiũ, colentium Deum, tenuiſſimos. etenim præter Sacerdotes, apud Iudæos vt erant Rechabitæ, Ieſſæi, Nazatei, ita penes alios inueniebantur quoque religioſi: hoc eſt pæculiari vitæ genere omnino religioni dedicati. Genus hoc vitæ ab ipſis exordijs Eccleſiæ inſtitutum, plurimos continuo retinuit ſectatores, admiratores, iuxta ac laudatores, fautoreſque. Alexandriæ, ad normam traditam a *S. Marco*, floruere Monachi, quorum encomia *Philo* Iudæus proſequutus. Græcia tota ſicut Ægyptus referta fuit monachorum choris, vt narrat *Theodoretus*. Eoſdem ſibi chariſſimos habuit *Conſtantinus Magnus*, quos & mirifice coluit. Eius mater *Helena* Deo ſacratas Virgines inuiſit, familiaritate & epulo publice excepit. Et qui demum Proteſtatores, iſtis exemplis & teſtimoniis refragati! eorum nouitas horum potius cedat antiquitati, eorum impietas, libertatis Chriſtianæ plane bruta æſtimatio, horum ex Chriſti præcepto diſciplinę religioni, ſeueritati, atque ſanctimoniæ ſe dimitrant corrigendas, abolendas.

Phil. de vit. Contemp. Hieron in Philõ Theodoret. lib. 4.

16. Cum vero Proteſtantes multa criminentur in Religioſis, quæ ſcilicet eorum cenſuris aduerſantur libertati Euãgolii: nempe tria vota, clauſtralem obſeruantiam, & alia: tum quod in lege habeant de nocte ſurgere, & choriſtas tunc agere, aperte legi naturæ repugnare clamitant. An non dicunt, nox a natura inſtituta, in qua animalia dormiant & relaxẽtur alterna quiete?

Virgil. Æneid. 4.

Cum ſilet omnis ager, pecudes, pictæque volucres?

quam ergo a natura alieni, qui nocturnas horas ſomno & quieti eripiunt, quas in Pſalmis, Hymniſque cantandis importune collocent? Vide, quam doctus Phyſicus euaſit *Gnoſta* noſter Proteſtanticus! Hoc ſemel decreto ab ipſo poſito, illico tenebitur cadente ſole, quando nimirum nox incipit, vi legis naturæ, cubitum petere, ac ſtatim, ſabatum in lecto ſeruare vſque ad ſurgentem ſolem matutinum; ita vt ſi cœnam veſpere diutius protrahat, ſi mane muſas ſuas citius adeat, violatæ legis naturæ reus habeatur. Quod vero bina in anno ſolſtitia diuturnitate & breuitate noctium hoc naturæ penſum moleſtum mortalibus reddant, id eos nihil moratur, quo minus cum pecudibus, pictiſque volucribus tota nocte ſileãt, aut ad diſceſſum *Phoſphori* dieque efferente caput, ſtatim ſurgant: quandoquidem vtrinque lex naturæ ſit ab omnibus inuiolabilis habenda. Hic video noſtrum Proteſtatorem in *Beelzebub*, Principe muſcarum:

Luc. 11.

quarum ingenium nocturnis horis ſilere & quieſcere, eiicientem non dæmonia, ſed angelos, videlicet Religioſos qui in terris, illis ipſis horis ad Dei laudem, neque ſilent neque quieſcunt. *Ochozias* Rex, qui defectione ſua a fide Catholica, per cancellos cœnaculi ſui cecidit, ac inde ægrotauit, illos, quandoquidem familiares *Beelzebum*, alloquitur: *Ite conſulite Beelzebub Deum*

4. Reg. 1.

Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac.

17. Recte quidem comparauit *S. Auguſtinus* Religioſos in Eccleſia, volucribus in arborum excelſarum cacuminibus nidos habentibus. Hos nidos, monaſteria dicit eſſe, Magnatum virorum ſumptibus plerumque extructa: in quibus cælo vicini, quietius religioſi Deo famulantur. Adiungit, aliquando contingere, vti impij tyranni rerum potiti, hoſce nidos deijciant, eorumque commodis priuent. Verum in hoc euentu, ait, ipſos Religioſos non penitus loca ſua relinquere, ſed ad ſimilitudinem volucrum cæli, quibus nidi adempti, circumuolitare, nudatis ramis inhærere, ac triſtibus vocibus querelas proferre, ſimulque miſericordiæ ſenſum ſuis thrænis audientium pectoribus incutere, quo potentes viri permoti, nidos ſuos ſibi Deoque reædificent. & donec hoc peractũ fuerit, vt ipſe dicit, neque loca deſerunt omnino, neque cantus gemebundos penitus intermittũt. Spectabile hoc mihi videtur in Anglia, vbi quondam pulcherrimi nidi, ac monaſteria, religioſorum vſibus oportuna, floruerunt. quibus ab impio *Henrico* deiectis, ſemper aliqui remanſere, ac modo plures aduenere monachi, qui virtutibus, & columbinis gemitibus teſtari ſuum deſiderium, in antiquis ramis nidos iterũ obtinendi, quibus gaudeant, Deo ac cælitibus, die nocteque in eis cantantes. *Et ſi forte cedri Libani iratæ fuerint, & aliquid moleſtiæ vel ſcandali ſeruis Dei in ramis ſuis commouerint, volitant quidem inde paſſeres: ſed væ Cedro remanenti ſine nidis paſſerum.* Væ hæreticis, ſuperbis cedris, qui in ramis ſuis nolũt admittere religioſorum nidos. In hoſce Deo ſacratos, rabidi hoſtes olim Donatiſtæ, vt narrat *S. Auguſtinus*: vtpote ebrioſi in ſobrios, præcipites in conſideratos, furentes in ſimplices, vagantes in congregatos, debacchantes, vt ipſe loquitur. illos poſtea imitati *Iconoclaſtæ*, qui vt Sanctorum nomina, ita & monachorum, incredibili odio expugnarunt.

Auguſt. Ep. 100 de Mor. Eccle. lib. 1. cap. 31.

Auguſt. in Pſal. in 103. knar 3.

18. Vt ergo aliquid ſummatim inferam, quatuor ſunt præcipue, ob quæ Proteſtantiſmus inciuilis recte æſtimetur. Principio ad iudicandum, quod cum aduerſetur ſuo diſceſſu fidei catholicorum, neque horum numerum, niſi plures, adeoque inter ſe pugnantes opiniones complectatur, poterit exæquare, inde multorum odijs erit obnoxius, & eorum impugnationibus qua literis, qua armis, vndique oportunus. Deinde idem Proteſtantiſmus cum non ſtabiliatur credibilitate & vnitate Traditionis in Eccleſia Catholica, pacis quietudinem, virtute illæſa, ſuſtinere nunquam poterit. nam hac florente, datur ciuibus frequentius occaſio examinandi eius ſententiam: quippe belli rumoribus aut tumultibus haud auocatis a veritatis contemplatione: proinde incredibilitate priuati ſpiritus omnia iudicantis, infirmitate, mutabilitate & vanitate eiuſdem occurſantibus, aut nouæ ſectæ indies in republica excudentur, aut prius ſuſcepta credulitas penitus relinquetur. Enimuero ſi *Hollandi* tantundem temporis paci impendiſſent, quantum rebellionum motibus, iam diu ante hanc horam ſuas religiones varijs ſectarum altercationibus in minutiſſima errorum reſegmina lacerâſſent: vt enim hoc minus fecerint, præſtitere valorum

bellico

bellicorum clangores, Piratica, & pugnæ: nam apud eos vel decem annorum pace durante, experti omnia religionis momenta diſſidentionũ opinionibus plane conuulſa, ruinam totius profeſſionis præſagiſſe. Quod porro pace rerum ſtatus tranquillante, voluptates maiores vires acquirunt, indeque virtutis imperium in maius deſcrimen vocatur, cum Proteſtantum dogmata plane venerea ſint, ac veneris ipſius lenones, eo euadit, ea minus eſſe ciuilia: vtpote quæ ſpirante Fauonio, cito manus datura impuritati laxioris vitæ, qua corrumpi neceſſum Ciuilitatis firmamenta ac decora. Poſtremo ſi quæ ſit in homine ingeniat aſperitas ſeu cruditas, ea amore Dei, dolore ex peccatis, cultu religionis, ſenſu pietatis, in proximum charitate, in alios amicitia, ad mites mores componuntur: quibus præſidijs quod Proteſtantum hæreſis deſtituatur, inde immanes crudeleſque contra ciuilitatis facilitatem & dulcedinem euadunt. ſi quid ergo emolumenti ciuilibus moribus accedat ex fide, ex Scientia, ex Sapientia ex Prudentia, ex Arte, ex Conſcientia, illud totum euertit Proteſtantum ſecta: pariter quod ex ſtudijs virtutum moralium & Theologicarum eiſdem ciuilibus moribus munimen accreſcit, eadem Proteſtantum factio, in fauorem voluptatis & barbariei, ſpernatur, expugnatque.

19. De hac ipſa animi ac motuum contra ciuilitatem in Proteſtantibus intemperie, prophetiam edidiſſe viſus *S. Paulus* Apoſtolus: in qua ſingillatim recenſet partis Rationalis, Cõcupiſcibilis & Iraſcibilis in eiſdem contra veritatem & virtutem futuram in nouiſsimis temporibus rebellionem. Quantum ad vim in illis rationis, ait, *Habentes quidem ſpeciem pietatis*. etenim ſplendido titulo *Reformatorum Eccleſiæ* ſeſe ornarunt Proteſtantes, ſe Scripturarum diuinos interpretes, ſe meriti in Chriſto encomiaſtas venditarunt. *Virtutem autem eius abnegantes.* ſic enim in eis ratio inſtructa, vt fidem, religionem, omneſque virtutes, ſub earum nominibus commendatis expugnarẽt. Quantum vero ad facultatem in eiſdem concupiſcendi, iuxta verba Apoſtoli: *Homines ſeipſos amantes, cupidi, incontinentes, voluptatum amatores magis quam* Dei. quantum autem ad iraſcendi energiam, exiſtunt *Elati ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, immites, ſine benignitate, proditores proterui, tumidi.* quibus verbis id totum *S. Apoſtolus*, in vituperium Proteſtantum complexus, quod nos in illos ex eorum dogmatibus hoc poſtremo libro diſputauimus; & a quo methodum & argumentum diſſerendi mutuati ſumus. Expendamus modo, ſi placet, vires ac neruos Proteſtantiſmi, ex quibus paulatim coaluit, in tot populos deplorato effectu, hoc noſtro ſæculo, inualuit.

2. Tim. 3. Ep. Iudæ.

CAPVT XXII.

De ſex Educatoribus, ſub quibus natus Proteſtantiſmi Hercules, creuit: quibuſque ſubinde exploratis, & a Mundo cognitis, decreuit: ſcilicet Sibylla ſtultiſica, Pſeudolo Hypocritico, Epicuro Gnoſtico, Aiace Flagellifero, Tarquinio Superbo, & Noſtrorum Peccatis.

HErcules iſte Proteſtatorius, natiuo ſpectato Solo, nec *Græcus*, nec *Celticus*, nec *Gaditanus*, ſed *Hiperboreus*. Quem proinde, licet ſub nubilo cœlo natum: Scilicet, *Veruecum in patria, craſſoque ſub aere*, non debemus tamen re- Iuuenal lib. 4. ſatyr. 10. putare penitus alienum ab igne *Promethei*, & radijs *Apollinis*, tametſi illius cerebrum, concretiori, fluidiori ac frigidiori maſſa conſtare, nil vetat quo minus id opinemur. Enimuero mundus iſte terreſtris, eſt veluti quidam communis naturæ fornax, in quo a ſole ardor vario ac diſcrepante gradu, hominum corpora, quaſi totidem panes, coquit, torretque. In cuius fornacis medio, veluti ſub Æquatore, ita ardor intenſe vrit, vt inde in hominum corporibus omnia criſpa & in nigredinem exuſta videantur.

——— *pars ſanguinis vſti,* Lucan. li. 10

Torta caput refugos gerens a fronte capillos.

In ea autem fornacis parte, quæ vtrimque a medio parum ſecernitur, ardor apparet moderatus, qui coloris Sanguinei florem omnino non tam depaſcitur quam in venuſtatem caſtigat: proinde *Mineruæ* oculis cæſijs ſeu oliagineis appime conuenit. Extrema autem latera iſtius fornacis, nõ niſi languentem excipiunt æſtum: vbi *Diana* ferme omni imperio *Apollinem* ſpoliauit; conſequenter in iſto fornacis ſitu, panes ſcilicet humana corpora, molliores, candidioriſque euadunt: quales illi populi, de quibus idem poeta:

Hæc Libycos pars tam flauos gerit altera crines. Prud. carm. de Natiu. Chriſt.

Vt nullus Cæſar Rheni ſe dicat in aruis

Tam rutilas vidiſſe comas

Vt enim circuli Polares, tardius ſe mouẽt, minus ſpacij eodẽ tẽpore percurrẽtes, ita in Borealibus animi motus tã mẽtis quã appetitus, tardiores.

Cur legat tardus plauſtra Bootes. Boet. lib. 4. Met. 5.

Summa itaque hæc eſt: edito in lucem iſto *Hercule Proteſtantico*, quuſdam in iſto fornace lateralea, nempe flatuoſos & lutulentos panes, *Phœbo* omnino inconſulto, ſibi mentem, ſibi vim ingenij vendicare, haſque dotes & ornamenta alijs inficiari ineſſe, quippe ignorãtibus plane vniuerſi ſenſus in ſacra Scriptura, non intelligẽtibus quæ ſunt notiones ſuperſtitionis & idololatriæ; cum ipſi meridiana luce clarius eas in ſuis Aquilonibus aſſequantur. Hoc ritu gigantes Boreales ſub ſuo *Briareo*, olim cæleſtibus Dijs cædes & ruinas minitari. ſimili modo eiuſdem ſortis Proteſtãtes ſeptẽtrionales ſub vexillis *Lutheri*, noſtro infœlici ſæculo, faſtuoſe & barbarice reliquia omnibus oculatiores & doctiores gloriantur. quibus vero modis *Hercules* iſte in molẽ, in cẽtũ manus ſeu centũ hæreſes cũ *Briareo* neruoſq; excreuerit, iã a nobis ſuccincte oſtẽdetur. Helio. Theo

2. Quocirca *Hercules* iſte Proteſtanticus ſtatim ac adoleſcere cepiſſet, habuit in ſuo comitatu imprimis *Sibyllas*, quas adiret, & a quibus ad capeſcendam ſectam inſtrueretur. quarũ præcipua *Stultifica*, nominabatur. certe multa ſunt, quæ Proteſtantiſmi ſtultitiam pro-

 dun-

videantur, mirum adhibet diſſimulationis artificium. quo non ſolum in eam directus acrior obtutus repellatur, verum etiam candidioribus mentibus forma quædam honeſti, adeoque diuini, contemplanda inijciatur. Duo præſertim illius deformitatem conſtituunt. primum, auſus in aliquo ad particularia dogmata eligenda cum contemptu totius Eccleſiæ illi reſtagantis. alterum in illius obiecto ac materia ſatis conſpicuum: nempe aduerſatia quædam vis in illius pulcritudinem, quam virtutes in ſe complectuntur & oſtendunt. hæc dedecora vt celet hæreſis, nihil faſcinationis omittit, nihil hypocriſis poſt ſe relinquit. Enimuero non tantum falſitas hæretica ſub fuco veri ac probi, proprio marte fallacias inſtruit, ſed inſuper ad imitationem paganiſmi, in noſtram fidem olim deſæuientis, fictam quandam venuſtatem, penecillo tam doctrinæ quam eloquentiæ, ſibi ſtudioſe comparauit. *Symmachus* Romanus, cauſam agens veteris illius ſuperſtitionis, aſſerebat,

Prud. lib 1. cont. Symm

auſpicijs antiquioris religionis Romam ad magnitudinem imperii deueniſſe, eamque iam dilumbaſſe & extenuaſſe ferme vſque ad barbariem, Chriſtianam diſciplinam: quod & *Soſimus* antea fecerat, de hac ipſa re contra noſtros cõqueſtus. Sciſcitabatur ab illis *Symmachus*, num putarent, Deum nulla cura tactum erga genus humanum, priuſquam Chriſtus in orbem aduentaret, eum nouis dogmatibus informaturus, ſed permiſiſſe, nullo inſtructore ab eo interim miſſo, illum ruere in errores adeoque in damnationis baratrum: nobiliſſimamque gentem Romanam, virtute ac poteſtate inclitam, diuinorum ignoratione obcæcatam, turpiter ab ipſius cognitione defeciſſe? quod argumentum

Aug. ep. 107

paganos in noſtros magnis viribus vrſiſſe teſtatur *S. Auguſtinus*. Cæterum dolus iſte in hæreſi luculentior, quandoquidem ea paganiſmo improbabilior, ſuique oſtentu deformior, ac ideo eiuſmodi inuolueri indigentior. *Megara* vt inter nymphas compareat nympha, magis elaborato indigebit ſe fucandi conſilio, quam in illum finem *Glicerium*.

8 Olim Hæretici, profeſſi ſummum amorem

Aug. lib 17. con. cap. 29 Tam. 1. cõc

in Chriſtum Dominum, vt narrat *S. Auguſtinus*, affirmarunt, eius carnem non fuiſſe paſſibilem. parem in Chriſtum pietatem prætendebat *Eutiches*; qui dixit, ſe non audere pronunciare, corpus filij Dei eſſe corruptibile, aut humanis in

Ambroſ de. Incar. cap. 7.

firmitatibus obnoxium. Teſte S. *Ambroſio*, *Apollinariſtæ*, Chriſto animam attribuere renuebant, ne diuinæ perſonæ animæ perturbationes ineſſe ſimul definirent. Species & membra hypocriſis pelagianæ ira recolit *S. Auguſtinus*: *Hæ ſunt nebulæ de laude creaturæ, de laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrij, laude Sanctorum*. Cæterum

Aug. lib. 3. cont. 2. ep. Pelagian.

Proteſtantes, in hac arte veteres hæreticos ſuperarunt, & quod vniuerſi ſeorſim præſtiterunt in hunc effectum, illi coniunctim cuncta vſurparunt. Nulla Syrenis vnquam adeo truculentum cecinit carmen, nullus Græcus tam immanem Equi exercuit religionem: nulla Babilonia adeo mortiferum aurei crateris propinauit venenũ.

Apoc. 6.

Hoc artificio peſſimi hæretici antiquitus ad opinionem orthodoxam peruenerunt. *Arius*, vſque adeo immanis hoſtis Dei, ac Chriſti Domini, nihilſecius ita ſe *Protheum* finxit, vt Catholici formam ei ineſſe, plurimi etiam inter pios, exiſtimati. inde, enim eiectus eſſet a *S. Petro*, Epiſcopo *Alexandrino* ab Eccleſia, ad eum in carcere tunc pro fide Chriſtiana detentum acceſſere Arii deprecatores, *Alexander* & *Achillas*, qui ab illo Epiſcopo veniam *Ario* conciliarent. *Donatiſtæ* ſic ſe egere verſipelles, vt permulti iudi-

Breu. Rom.

carint, eorum hæreſes in re indifferenti verſari, neque æternæ ſalutis, quippe Ciuiles ad ſummum lapſus expertes. *Pelagiani* pari aſtutia errores ſuas illuſtrarunt pigmentis orthodoxi ſtyli, vt ſæpius reputati a pleriſque orthodoxi tam in Paleſtina, quam Romæ. *Lutherus* ob hæreſum congeſtum cumulum, in occidente alter plane *Manichæus*, abuſus quoſdam in aliquibus locis apud Catholicos vituperando, ac in eos ſolum ſuam doctrinam ſe armare affirmando, aliquibus Catholicis ſuſpicionem iniecit, quod zelo non prorſus malo ſuccenderetur.

9. Principio itaque quod Chriſtianorum auribus ſacræ ſcripturæ nomen ac ſententię cuiuſdam diuinitatis ſenſum ingerere ſolent, ideirco earum teſtimonijs ſpiſſim confertis, tanquam folijs, quibus primi parentes poſt ſuum pecca-

Gen. 3.

tum, corporum nuditates velarunt, Proteſtantes a ſe inuentas hæreſes honeſtare laborarunt. Præcipue, itaque diuini verbi præcones & cultores vnici videri appetierunt, cauſati, prioribus ſæculis ignorãtia inuolutis, neglectum omne earum ſtudium; fidei dogmata non ex eis, ſed humanis potius inuentionibus & argutijs excuſſa, popularium animos inſcite occupaſſe. Nunc vero ipſorum opera renocatos omnes ad lumen Euangelij, ad Scripturæ diſcutiendum medullam: interim Catholicis Romanis eius prorſus inſciis, Traditiones meras & hominum figmenta conſectãtibus, gloriati. & quod præcedentibus temporibus liturgia conſtiterit lingua Romana, plebi ignota, imo eidem Biblia vulgari idiomate deſcripta, paſſim interdicta, modo ipſorum induſtria in templis non alia quam vernacula lingua concrepante, traductia etiam Bibliis in voces ipſis idiotis notas, affirmare non dubitarunt, ſe tanquam recentia lumina ſacræ Scripturæ notitiam in mundum, adeoque vulgarium oculos intuliſſe, e tenebris Romanorum, in publicum conſpectum Scripturarum ſententias eduxiſſe. Quicquid nos, dixere, ſentimus, euulgamus, cantamus, id liquidis Scripturæ verbis, non *Thomæ*, non *Scoti* aut vllius hominis ſola auctoritate, ſtabilitur. Quæ etiam reijcimus dogmata, cum ſola Scriptura ſufficiat ad noſtram inſtructionẽ, iure optime ideo a nobis reprobantur, quo illius paginis non conſignentur, vbi quæſo, in illia aliqua mentio Miſſæ. vbi Purgatorii, vbi Tranſubſtantiationis, vbi ſeptem Sacramentorum, ieiunij Quadrageſimalis, thurificationis in Eccleſia notiones, aut illius externæ religionis præceptum, quam Romani in more habent, inueniuntur? Summatim nos verbum Dei purum, noſtræ fidei & cultui præficimus, Romani ſuis hominum commenta. Hæc poſtquam audiſ-

ſet ſimplex popellus, non aliter ad exiſtimatam ab ipſis reformationem accurrere, quam ſi e cælis, ſonante Claſsico, vt id facerent, eſſent commonefacti.

10. Verum enimuero hanc fraudem minime ſubodorati, partim quod Catholicorum ſtudia collata in diuuiarum Scripturarum elucubrationes, qua concionibus, qua editis commentarijs, eos laterent, partim quod non animaduerterunt, omnium hæreticorũ morem, armis, quibus Eccleſiam impugnant, ſcripturæ verba prætendere. Scripturarum enim ſe inclitos præ alijs

August. de Gen. ad lit. cap. 5. lib. 1.

aſſertores profeſsi, qui, teſte *S. Auguſtino* affirmarunt, primos parentes cæcos fuiſſe a Deo creatos, quod ſcriptura dicat, poſt peccatum eorũ oculos apertos. Scripturarum intelligentiam ſibi vendicarunt, qui Deum corporeũ pronunciarunt: cum referat Scriptura, illum ſpecie externa quodammodo incorporatum, ſæpius apparuiſſe, diſerteque aſſerat, ignem eſſe vrentem,

Epiphan de Hær. Anth.

vt *S. Epiphanius* retulit. Scripturarum calenniſsimos ſeſe venditarunt *Manichæi* duo rerum principia fingentes, vnũ bonum, alterum malum: & a malo in odium boni conditum vetus Teſtamentum: quandoquidem in illis diuinis literis perſpexerint deſcribi aduerſus vires carnis & ſpiritus; mundi & cœli, iuxta ac Deum quodammodo lamentantem, quod Iudæis dederat præcepta non bona. Corporum huma-

Ezech 20.

norum reſurrectionem impugnarunt *Origeniſtæ* quod eam Spiritualem deſiniat Scriptura futu-

Epiſt. Euſe. ad Arium. 2. cor 1.

rum. *Ariani*, vt conſtat ex *Euſebio Neoceſarienſi*, ſub Scripturarum ſpecie contra myſterium cõſubſtantialis Trinitatis diſputabant. *Neſtoriani* ideo Chriſtum duabus perſonis conſtare ſtatuebant, quod Scriptura illum paſsim hominem nuncupet. Porro non percepit idem populus e maieſtate religionis liturgicæ, ſeu publicæ, eſſe vſum docti idiomatis, parum attente conſiderauit, a paſtoribus accipiendum illis ſenſum Scripturæ, non a ſeipſis eam legentibus inueſtigandum. haud ineptum fuerit hoc recenſere; quod de fæmina quadam hæreſi *Ma-*

Lucas Sicu apud. Baron Tom. 9 pag 3,6.

nicijſmo infecta, cum *Sergio* colloquuta, narrat *Lucas Siculus. Dic ergo mihi*, dicebat illa, *cur ſacra Euangelia non legis? quibus ille verbis illectus, nec occultum potius intuens nequitia venenum, quod latebat, ita reſpondit. Nobis iſta legere non licet, ſed ſacerdotibus dumtaxat. at illa, non ita eſt, inquit, vt putas, nec enim perſonarum eſt exceptio apud Deum. omnes ſiquidem homines vult ſaluos fieri Dominus, & ad agnitionem veritatis venire. at Sacerdotes veſtri quoniam Dei verbum adulterant, & myſteria occulant, quæ in Euangelio continentur, idcirco vobis audientibus non omnia legunt, quæ ſcripta ſunt, ſed, quædam legunt, quædam omittunt.* En genium proteſtantici Spiritus tam in viris quam in fæmellis! at precor, quid tandem didicit hæc manichæa frequenti Scripturarum ſua lectione? accipite præclaram certe doctrinam: ſcilicet, omnes Iu-

Math. 8

dæos tandem cœlo exturbandos, quod Euangelium dicat, filios Regni eijciendos foras. pari-

Euſeb lib. 1 demõſt. c. 6.

ter tam fidei, quam morum normã eſſe Eccleſiæ traditionem, vt ait *Euſebius*, miſer Populus neutiquam intellexit, ac ideo ad voces miniſtrorum, exiſtimauit, traditionem omnem, vtpote merum hominum conſilium, ex diametro cum Scriptura pugnare. Verum ſciſcitor, quid tandem diſcuſsis bibliis didicere Proteſtantes? quid in cœlo, quid in terra inde arcani nouere? in cœlo aſpexere Deum auctorem eſſe peccati, illi nullam, aut abſurdam competere prouidentiam iudiciariam: Sanctos ibi nullos reperiri, nedum a nobis honorandos aut inuocandos. in terra perſpexere, principum leges non obligare conſcientias ſubditorum: Eccleſiæ, vtpote fallibili, nõ eſſe ſimpliciter credendum: non reperiri in hominum moribus decus virtutis, aut vitii dedecus: nullum peccatum credenti & ſperanti in Chriſtum nocere, aut illi imputari. an non conſultius ad calceos conſuendos, vel ad molendina vertenda, fuiſſe hoſce aſinos relegatos, quam remiſſos ad Biblia, ex quibus adeo barbara, impia, horrenda que expreſſerent?

11. Perguot porro adhuc in hoc genere fallaciæ, Scripturarum oſtentu miſeræ plebeculæ ſpeciem diuinæ colluſtrationis ementiri. proclamant ſe religionem decreuiſſe omnino ad ipſa verba ſacri textus, nullam perferentem admixtionem Traditionis humanæ: cum ex aduerſo Romani non aliam profiteantur, quam in officina humanæ auctoritatis excuſam. ad horum florum adſpectum, aut auditũ huiuſmodi glorioſæ venditationis, ad notitiam tantæ, tamque cœleſtis puritatis, dictu incredibile, quanto proteſtanticæ ſectæ amore ſimplex plebecula inarſit. Huiuſce hypocriſis poſteris ideas prætulere ii Principes, qui nimiæ poteſtatis a populo obtinendæ cupidi, finxere, ſe cum Diis habuiſſe commercia, ac dicta ab illis accepiſſe, quæ aliis proponenda. hac arte olim corrupta vates Delphica, viſa φιλιππίζειν, hoc eſt fauere Philippi Macedonum Regis conſiliis. ſimiliter fautores *Cæſaris*, ei regiam Romæ dignitatem optantes, ad id præſtandum, Sibyllinos verſus ad ſuum deſiderium interpretabãtur *Quorum interpres*, vt ait *Cicero*, *nuper falſa quadam hominum fama dicturus in Senatu putabatur. eum quem reuera Regem habebamus, appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalui eſſe vellemus.*

Cicer. lib. 2. De Diui.

Cæterum hiante ore ad delicias defecatæ religionis, quid accepit plebs præter vmbras *Narciſſi*, præter ſpumam inanis cultus, adeoque pietatis vacuitatem? non enim omnia religionis officia diſertis verbis Scripturæ declarantur. imo apud Iudæos *Salamon*, *Machabæi*, apud Chriſtianos *Maria Magdalena* ex diuino inſtinctu, abſque diuinarum litterarum mandato, religionem decreuere. ſatis quod noſtra, a prioribus tradita, diuinis literis non aduerſentur.

1 Reg. 20 2. Mach. 14.

12. Quo etiam ſplendidiori adhuc apparatu oculos plebeiorum perſtringerent, iuxta ac noſtras partes ipſis infeſtas, odioſius traducerent, ad illos diſſerentes, euulgarunt, ab ipſis ſtare Patres Græcæ & Latinæ Eccleſiæ: noſtraque dogmata nil aliud quam hæreſes, ab Eccleſia olim & in ea a Patribus reprobatas. In hunc tenorem pro roſtris inſulſe exclamauit aliquando in Anglia *Iuellus* apoſtata: quem impudentia ita in veritatem armarat, vt ipſi nihil penſi, quid in aures miſeri illius populi ex alto loco effunderet: *O Auguſtine, o Hie-*

Conc. Iul. apud Hard.

ô Hieronime, ô Ambroſi, ô Gregori, ſi in errore verſamur, vos in illum nos compuliſtis. hoc illi promulgaſſe ſatis: audiuiſſe poſtea refutatum nimis. In hunc ipſum modum Donatiſtæ affirmabant, pro ſe ſtare *S. Cyprianum*. Ariani in patrocinium ſuæ ſectæ citabant *Lucianum* martyrem: proinde ſequaces ſuos appellabant *Collucianiſtas*, vt ſcri-
Thod lib. 1 cap 6. bit *Theodoretus*. Quod beatiſſimam Virginem, & reliquos Sanctos colendos aſſeruimus, incularunt nos Hæreſeos Collyridianorum, & Angelicorum. quod liberum in homine arbitrium propugnauimus, Pelagianorum ſuperbiã noſtris nominibus affinxere. quod imagines, & reliquias Sanctorum venerari, reos inſularunt veteris idololatriæ: quod Chriſti corpus exiguis ſpeciebus includi panis in myſterio altaris credimus, conſentire nos illis hæreticis affirmarunt, qui ſolidam carnis ſubſtantiam a Chriſto aſſumptam pernegarunt. Cæterum eodem plane ſpiritu Pelagiani manicheiſmum imponebant
Aug. lib. 1. cont. Iul. c. 2. & 7. *S. Auguſtino*; perinde ac ſi nuptias vituperaſſet. in illum citarunt pariter *S. Chryſoſtomum*, *S. Ambroſium*, & *Iulianum*, vt ipſe *Auguſtinus* teſtatus. verum ex hac parte iſtorum hypocriſis vix eius colorem refert apud Proteſtantes: adeo enim, dum Patrum auctoritates ſibi conciliare ſtudent, ſcatent plane falſificationibus, impoſturis, & mendacijs apertiſſimis. & dum hinc plebi palpum obtrudunt, omnibus doctis ſe deridendos, bonis odio habendos, proponunt.

13. Ad hypocriſim quoque eorum ſpectat, dum ſeipſos, ad plebem loquentes, deſcribunt in opere fidei, diuino Spiritui omnino fidentes, ac eius vi duntaxat credentes. Cui Spiritui opponunt per calumniam auctoritatem Eccleſiæ Catholicæ: proinde aiunt, ſe Deo credere, ſe ſe interno lumine ad credendum permoueri:
VVitak. in Scrip. Catholicos interim non Deo, ſed meris hominibus in eccleſia fidem adhibere: non interna reuelatione ſtabiliri, ſed ſolum humana credulitate incitari. Ad hoc animum aduertens rudis populus, incepit Eccleſiæ voces ac definitiones ſtatim aſpernari, faſtidire in negotijs fidei: tutum autem ac totum duxere, ad inſpiratum diuinitus lumen, aliorſum ab ea, ſe recipere: cum Deo potius, quam hominibus fidei momenta tractare. Cæterum inaniſſima proſus eorum inter Eccleſiam & a Deo inditum lumen, quantum ad fidei aſſenſum, excogitata antitheſis. quandoquidem tam illius neceſſariam infalli-
Epheſ 4. bilitatem in proponendo, quam huius diuinam vim in impellendo & mouendo, Catholici admittunt. Etenim ne priuatus Spiritus, inſtar erratici planetæ, a quopiam prætenderetur, illi inſeruire voluit Deus Eccleſiæ notum magiſterium: rurſus, ne humana infirmitas in officio ſupernaturali præſtando, nimium de ſe præſumeret, eiuſdem prouidentia infundendum lumen interius inſtituit, quod illius imbecillitati ſuccurrat; præſtetque, vt quod eccleſia ſemel denunciauit, illud deinceps inſpirato robore adiuti, firmiſſima & cum alijs congruenter, credamus.

14. Huic porro hypocriſi Proteſtantum ſingularem vim attulit, quod reſpectu Chriſti Domini & illius meriti, ſeſe cum noſtris, quantum ad hoc conferentes, de ſeipſis pronunciarunt, & contra nos hac in parte diſputarunt, nos dixere, iuſtitiam & ſanctitatem non aliam quærimus præter illam Agni Dei, nobis imputatam. Romani autem non hac contenti, ſuam volunt, eamque ipſis inhærentem. Nos ita ad pedes Chriſti abiecti eſſe voluimus, vt in bono opere nihil actionis vitalis nobis tribuamus, ſed omnem actionem eius gratiæ adſcribamus. Romani autem ſe audacius erigunt, cooperati- Romol Th. onem cum Dei gratia ſibi vendicantes. Tantum s VVitaker porro abeſt, quod noſtris operibus aliquando lib 2 de fidamus, vt libenter fateamur, ea omnia pecca- peccat. orig. ta eſſe mortalia: proinde nos plane euacantes, non operibus noſtris, ſed vna fide in Chriſtum, ac fiducia in ipſum, ſalutem animarum aſſecuturos confidimus. Cæterum Romani, fidei & ſpei in Chriſtum delatis, adiungunt opera ſua, quæ etiam bona & meritoria eſſe profitentur ac præſumunt: quinimo ſuas quoque ſatisfactiones, adeoque illas, quæ Sanctorum fuere, Chriſti ſatisfactioni diffidentes, ſibi comparant, vt illis, nedum Chriſti ſolis perpeſſionibus ſaluentur. Cum hæc ad populum miniſtri protulere, illico is in nos mirifice excanduit, ac putauit, nos ſine fide & fiducia in Chriſtum, meris laboribus liberi arbitrij ad iuſtitiam & beatitudinem velle contendere. hinc plane conſectum exiſtimauit, ſectam ſuã, quæ tantum Chriſto concedit, eſſe diuinam: noſtram autem credulitatem a Chriſti miſericordia, gratia, merito, paſſione, atque ſatisfactione diſtractam, erroneam reperiri, humi ſerpentem, & diabolicam. vt quod verum eſt hac in re fatear, hæc ſpecies hypocriſis Proteſtanticæ, efficaciſſima extitit ad vulgi animos permouendos: cæterum doctorum habita ratione, craſſa & ſtupida potius omnis iſtius fictionis apparuit commentatio. o præclarum decus & dignitas Chriſto delata a Proteſtantibus, quorum largitione, in fœdas voluptates ſoluuntur, & in quiduis agendi turpiſſimam immunitatem? hic non in virenti arbore, ſed ſuper ſterquilinium cantillat honores Chriſto eorum Philomela. hic *Apelles* hypocriſeos ipſorum, non politam tabulam pingit, ſed inferni ſordes inaurat. Neque huius rei modo a nobis exigenda probatio, cum eam hoc libro quinto luculentam ſatis expreſſerimus. quibus ſi aliquis Proteſtantũ obluctari auſus fuerit, fidem adſtringo, me ſuæ fidei & fiduciæ in Deum ſpurcitias vberius adhuc excuſſurum. & vt vno verbo interim dicam, nõ iſtis aliquid Chriſto aſſignant, ſed ſuo ventri, carnis ſuæ laſciuæ importunitati omnia tranſcribunt: perinde ac ſi Chriſtum ipſum in eorum caneruam ſecum attrahere credentes & fidentes laborarent. Petijt Propheta *Dauid* liberari a labijs iniquis & a lingua doloſa. verba labiorum iniquorum ſunt aperta iniuſtitiæ & impietatis inſtrumenta. *Doloſæ autẽ linguæ, ait S. Hilarius, opus fallax eſt, cum per ſimulationem noxiam ſub religionis lumine euertat religionem, & per vitæ ſpeciem deducat ad mortem. Hæreticorum quoque iſta mendacia ſunt, Prophetarum dictis & Euangeliorum virtutibus, & Apoſtolorum præſcriptionibus, in mendacio occultatis, aliter omnia tradere & di-*

cere quam ſcripta ſunt. In hunc ritum cum *ſpeudolus Hypocriticus Hercalem* ſuis aritibus pene reddidiſſet academicum, ſubintrauir illico *Epicarus Gaoſticus*, qui eius ſequentem ætatem excipiens informandā, ſuæ ſectæ dulcioribus blandimentis ad voluptatum flores traduceret: ne Apuleiano aſino eſſet inferior, cuius labiis nō niſi roſæ, placentæ. Imo in tantum audaciæ increuit in ipſis ſpiritus, vt ſibi plane polliciti, fore omnino per haſce artes *Pſeudoli Hypocritici*, etiam inconſulio focario vel ſole, vt tandē circa medium fornacis, haud reperiatur maior æſtus ingenij quam in ſuis extremitatibus hyperboreis; ita vt breui omnes ſint adæque ac ipſi, panes futuri in eodem flatulenti & lutulenti. Cæterum modo ad *Epicarum Gnoſticam*, iam in academiam, vbi *Sus & Minerua* eum præſtolabantur, irruentem, oculos conuertamus.

15. Cum voluptatibus porro ingens ſit in noſtra natura appetitio, eaque ex omnibus eius partibus vndiquaque erumpat, tum ea nō quomodolibet expoſita, ſed diuinis etiam dogmatibus promiſſa, permiſſaque, Proteſtantum Catheciſtæ inſignem multitudinem agreſtium & ocioſorum ingeniorum ad ſe turmatim attraxere. quamprimum enim perceperant ab eis, vnicuique ex priuata animi ſententia integrum, ſic aut aliter credere, meritorum, ſatisfactionum, obligationum, obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, vitæ religioſæ, pænitentiæ, ieiuni jacerbitates tutum refugere, nibil nociui peccatrici iucunditati ineſſe, nullam vim ciuilis legis ad eorum conſcientias peruadere, ac ſi in ipſorum oculis pomum aureum de cælo iam recens cecidiſſet, ad proteſtantum partes certatim confluxere, Vna fide, Euangelij Promiſſiones apprehendente, iuſtificari, carne interim deliciante, voluntate & appetitu haud aliter ex ſe continuo mortalia peccata emittentibus, quam ſoroax ſcintillas excmere ſolet, tanquam quidam voluptatis Oceanus eis obuerſatus, incredibili vi in ſententiam Proteſtantiſmi vulgares homines pellexit. quid autem mirum, ſi corui ad cadauera, ſi muſcæ ad putridas carnes conuolarint? quod ergo iucundiſſimæ Proteſtantum partes non rationi, ſed ſenſui, idcirco huic inſidias Sirenarum tetendere, illam vero faſcinare aut extinguere furiarum more ſtuduere.

Calu. in cap 6. ad Rom.

16. Poſtquam autem *Hercales* vario genere voluptatum ſaginatus fuit, tota vis deuorati ab ipſo ſaccari, concreuit in bilem, ſpiritusque plane ignei omnem in illo mentem & ſanguinem occuparunt, adeo vt in furores pronus omnino fuerit. Cuius rei cauſa commodus ad ipſum acceſtus *Aiacis Flagelliferi*, cuius conſilijs ad omnem immanitatis intemperiem incitaretur. Quamobrem præualuit etiam viribus furibundus initio Proteſtantiſmus. exploratum hoc fecit imprimis Germania: in qua Proteſtantes ſæpius horrenda bella mouere in Catholicos. & quia ibi loci parui inueniuntur Status, facile ab eis occupabantur: præſertim cum inter ſe haud bene conuenirent. Idem in *Gallia* in *Heluetia*, & *Sabaudia* conſtitit. Videmus enim quod vi & armis obtinnerint in eis regionibus loca munitiſſima: vtpote Rupellam, Montem Albanū, Geneuam, Baſileam, Zurichum, vrbes Rhætiæ, Zelandiæ & Hollandiæ opida: & ſimilia ſuis clauſtris & repagulis ferme inacceſſa. In *Anglia* quidem, *Hibernia*, ac *Scotia*, Hæreſia iſtorum, legum diritate ſola ad principatū peruenit, & rerum ſummam obtinuit. vſque eo etiam in Catholicos rabidi vbique Proteſtantes, vt illos nullo modo cōcines patiantur, ſi modo ad dominatum adſpirauerint: eos expellere aut mactare potius, vbi poterunt, eligentes. Primis initijs iſtius feralis ſectæ, magnum momentum attulit armata inuaſio in Eccleſias ac monaſteria: in quibus auri & argenti prædam expectabat. Cui impreſſioni impiæ poſtmodū ſucceſſit in legitimos Principes Rebellio, qua in *Hollandia*, *Zelandia*, *Gallia*, *Sabaudia*, & *Heluetia* religio Proteſtantica cepit incrementa. in cuius per haſce prouincias propagatione nihil lenis aut Apoſtolici vſlibi ſpectabile, ſed armata omnia, incenſa, ferrea & cruenta ſeſe in noſtros oculos cum horrore ingerunt. Furoris in iſtis exemplaria olim in *Donatiſtis*: quorum, teſte *Conſtantio Magno*, *Rabida audacia*: in *Arianis* quoque, alijſque, non niſi impotentis iræ viribus in orthodoxos debacchantibus. Imitantur etiam ſuo furore *Arianos*, qui relicta controuerſia ipſa, qua diſſentiebant a Catholicis, ad accuſationes conuerſi, libellos criminatorios *Conſtantino* exhibuerunt, vitia quorumdam Epiſcoporum continentes. hoc præſtitere Proteſtantes effuſiſſime, tori in culpandis Catholicis religioſis diſerti, rabidique. Cum vero rerum augmento & aliquibus victorijs aucti eſſent Proteſtantes, tunc eorum *Herculi* cæpit eſſe in Deliciis *Tarquinius Superbus*, vnicus eidem *Patroclus* & conſiliarius.

Optat. lib. 5.

Toſim. lib. 1 cap. 6.

17. Idcirco Superbiā ſuis dogmatibus prætēdētes, eius ſuauitate ac cupiditate delinitam multitudinem a gremio matris Eccleſiæ ad ſe compulere Proteſtantes. Altum quid, eoque nomine præclarum ab eis iudicabatur, non amplius obedientia erga Eccleſiam ſalutem ex fide diuina conſequi, ſed propria ſcientia, ſcripturarum priuata diſcuſſione & intelligentia ad apicem rerum ſe iam perueniſſe exiſtimabant: quod idiotæ licet, nihilominus Bibliorū interpretatione de omnibus fidei controuerſiis iudicare iam poſſent, adeoque ex eiſdem ſententiam depromere damnationis in omnes Patres Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, in vniuerſalem morem credendi in Eccleſia Catholica, iuxta ac in eadem Deum colendi. huic faſtui expetibili a vulgo alias vires adflauit priuata credulitas, quam ſequacibus ſuis Proteſtantes pollicebantur, æternæ nempe ſuæ ſalutis ac prædeſtinationis: Cuius an maior voluptas, vel gloriatio fuerit, facile dici haud poterit. Certum autem eſt, ex vana hac perſuaſione, qua idiotæ ſeducti exiſtimabant, etiamnum inter ſtellas & Sāctos ipſos ſe quodammodo ſpaciari, immanem quandam plebis maſſam factioni Proteſtantum accreuiſſe. Olim aſpectabilis faſtus iſte in *Ario*, *Donato*, antiquorum Patrum commentaria ſpernentibus, vt refert *Vincentius Lirinenſis*. De Nouato hæc S. Cyprian. *Auaritia inexplebili cupiditate furibundus, arrogantia & ſtupore ſuperbi*

Vinc. aduer. Hæret.

Cypr. ep. 49

tumoris inflatum, omni Sacerdotum voce damnatum.

18. Cæterum nihil tam Proteſtantiſmi ferax ac illo grauidum, quam Catholicorum peccara, etenim non ſolum verum, quod de hæreſi pronuncisuit S. *Cyprianus*, dicens eam non eſſe
Math. 18. primum peccatum reſpectu priuatarum perſonarũ, ſed etiã neq; prouinciarũ, ſi in eas aliquãdo inuſlerit. Teſte Saluatore, nullũ tã opportunũ tẽpus ſeminandi in agro eccleſiæ zizania, vt eſt hominibus dormiẽtibus &c. quidẽ dormiunt homines omni genere voluptatus poti: hoc eſt dũ veritatem ignorant, iuxta ac dum virtutem negligunt. vt enim ſomnus ſenſuum ligatio, ita ignorantis & mala vita rectæ rationis veluti oppreſſiones quædam. non exerit lumen ſuum ratio, errore obtenebrata, ignoratione detenta, aut in fæces voluptatum aſſenſu deducta. Dormiunt itaque ignorantes, dormiunt itidem perperam agentes: voluptas & ignorantia res valde ſoporiferæ. exiſtimo itaque aliquot annos ante ortum proteſtantiſmi, ſomnum quemdam arcuiſſe vigiliam ſolidioris literaturæ a ſtudijs orthodoxorum. quo ſpacio ſi quis forte in eloquentia floruerit,: quorum etiam exiguus numerus, is in omnium erat admiratione. ac in vniuerſum quod ad Cleri mores attinet, de illorum prauitate coniecturam aliquam licebit fa-
Conci. Tri. cap. Reform. cere ex Capitibus reformationum, quæ Concilium Tridentinum in eum direxit: ex medi-
Bellarm. Concion. 1. de Tribul. camentis enim fit iudicium de morbi qualitate, Germania quidem tunc temporis tumultibus æſtuabat. Dux Saxoniæ & alij ibi Principes, in *Carolum* Quintum rebellabant, adeo vt ad perturbatum illum ſtatum vtcumque tranquillandum coactus fuerit *Carolus* Proteſtantibus liberum vſum ſuæ impietatis concedere. Italia interim Gallorum incurſionibus vexabatur. Ipſa Gallia ita a *Franſci* Regis excitatis motibus agitabatur, vt etiam vel peſſimis impunitas concedenda videretur. poſtea quoque inter Regem *Henricum Valeſium* & principes quoſdã, vigentibus ſuſpicionibus, putauit Rex rebus ſuis expedire, *Huganotis* libertatem, ſuorum rituũ impertiri. Vnde ſub patrocinio noſtrarum ſimultatum, noſtræ incuriæ quod ad res diuinas, maximum cepere incrementum conſilia Proteſtantum. Verum quod Anglia viſa quaſi Proteſtantiſmi emporium, & omnium ſuarum machinationum veluti officina, de illius conditione ea exoriente & progrediente paulo fuſius, inquiremus:

Ouid. lib. 2. *Inque ſuo noſter puluere currat equus.*
Faſtor. Stati. ——— *orſa dolor prohibet atque ira tacendi,*
lib. Siluar. *Impaciens, triſteſque cadunt in verba liturae.*

Cogor equidem Gentis meæ dedecora, eiuſdem in orthodoxos rigores enarrando, deplorare: non quod ſi illius ingenium & priſtina pietas expendantur, vlli nationi cedat quantum ad indolis dulcedinem, morumque nitores, ſed vt in manifeſto ponatur, quam ingens malum hæreſis, quam grandis noxa, ab Eccleſia, Chriſti ſponſa, deficere. Hoc apud nos naturæ ornamenta vaſtauit, hoc diuinos gratiæ fauores repulit: hoc ſummatim naturam exaſperauit, cum Deo commercium penitus interſcidit.

19. Quamobrem ſi Proteſtantiſmi radicem & obſtetricem manum in Anglia inueſtigare velimus, vtramque in fœda ac barbara *Henrici* octaui, apud noſtrates *Cornuti Dionyſii*, libidine reperiemus: adeo vt affirmare poſſimus, hodierna die Proteſtantes in Anglia & Scotia caruiſſe imperio, ſi illius Principis laſciuia impuriſſimæ *Bolenæ* formam deperiens, in odium tandem Romani Pontificis impie non erupiſſet. primum itaq; Proteſtãtiſmo vitam dedit violati thori impietas. eidem ſubinde motum ſuppeditarunt monaſteriorum direptiones. poſtea vires eidem indidere optimorum virorum crudeliſſima funera. poſtremo eius capiti coronam impoſuit vſurpatus a Rege in Eccleſiaſticis principatus. Quod olim cecinit *Andromacha* de nuptijs *Helenæ*, perbelle quadrat in nuptias *Bolenæ*.

O coniugale tempus! an quiſquam audeat Sene. Troa.
Negare, quiſquam dubiu ad thalamos eat
Quos Helena ſuadet? peſtis, exitium, lues
Vtrius parenti. Cernis hos tumulos ducum
Et, nudatot iis oſſa, quæ paſſim iacens
Inhumata campis? hoc Hymen ſparſit tuus,
Tibi fluxit Aſia, fluxit Europa cruor.

20. Illico a thoro impuriſſimo ad inſulam aſſurrexit *Henricus*: quaſi ſibi propoſuiſſet a *Venere* tranſire ad *Phœbum*, a ſacrilegio ad Præſulatum: quod & tanta violentia deinde præſtitit, vti in furorem adactus a *Venere*, omnes alii repugnantes, re adhuc nondum diſcuſſa, nouus factus Papa, obruerit, vel diſcerpſerit. Cum *Aiace* inſaniens in proprias oues, earum lanienam crudua tyrannus exercuit, quem iſtis iure optimo Car-
dinalis *Polus* compellauit: *Qui Eccleſiæ conſuetudi* Polus lib. 4. Henric. 8.
nem & decreta, multis etiam ſæculis firmata, ſic animo effrenato & irreuerenti reijcis, vt quæ a tuo priuato Concilio Domi ſunt ſtatuta, veteribus Eccleſiæ decretis longe præſtras. quorum præcipua in dubium vocas, nullo autem ſatu credis. Quis quæſo, magis irreuerenti & effrenato animo peccare poſſit? Hunc
porro recentes annales Angliæ in ſeriem Im- Præfat. Hiſt.
maniſſimorum tyrannorum iam pridem retu- Raulean.
lere, Pudeat Proteſtantes, ſe a tali parente profeminatos, eorumque religiones, iſto iubente, in lucem Anglicanam primum tam infauſto omine ſideris canicularis dominante, ſe extuliſſe.

21. *Henrico* e viuis ſublato, & in imperio ſuccedente ipſius filio *Oduardo*, nihil plane diuini ſeſe prodidit, quo percepto, exiſtimaremus, ſub illo nutritum Proteſtantiſmũ, aliquo Numinis fauore progreſſus feciſſe. Imprimis ſua impietate ridiculum, puerum hunc ſibi in Eccleſia Anglicana ſuprematum vendicaſſe, ſumpſiſſe, vſurpaſſe, cuius auſpicijs Proteſtantũ religiones ad rerum ſummam peruenirent. At neque *Oduardus* ipſemet imperium geſſit, ſed potius eius tutores, homines plane factioſiſſimi, quique ſua ambitione ſibi ipſis ac Regi interitum procurarunt. quorum varios in rempublicam abuſus, adhuc ſuperſtite *Oduardo*, probe intelligens *Ioannes Storaus*, V. I. Doctor, ac in comitijs pro populo proloquutor, Auus meus, in publico Procerum conſeſſu exclamare non dubitauit:
Væ regno, cuius Rex puer eſt. Imo illius conſiliarij, Eccleſia. 10.
homines prorſus laici, liturgiam nouam edere præſumpſere, eamq; ſua lege publice in Eccleſia exercen-

exercendam ſtabilire. De qua *Hugo Weſtonus*, Patruus meus magnus, & Eccleſiæ Weſtmonaſterienſis Decanus, in Synodo, Londini habita, imperante Regina *Maria*, hæc perorauit. *Quid? quod libro blaſphemiis cõſpurcatiſſimo, erroribus refertiſsimo, qui nomine religionis religionẽ tollit, Sacramẽta diminuunt, uniuerſum orbem condemnat, quẽ precatorium nuncuparunt, vniuerſis obtruendo, nunquam acceſſerit noſter calculus: ſine noſtro enim conſilio, nedum conſenſu, facta, transfacta ſunt omnia.* quid hic aliud in parentibus Proteſtaantum ſpectabile, præter impietatis monſtra, confuſionis perturbationes, impietatis impudentiam, nouitatis prurigenem, ſuperbiæ tumorem, imo & parricidij noxam? creditur enim, hos primos ipſos fautores proteſtanticæ ſectæ, puero Regi venenum, ex quo, lento morbo interijt, propinaſſe. Enimuero vt principem, ſic rempublicam protegebant.

Orat. VVeſton. in Synod. Londinen.

21. Verum *Maria*, lectiſſima, ſanctiſſimaque Heroina, *Odoardi* ſoror, fratre iam defuncto, imperio potita, nihil non egit, vnde dirutam ab hæreticis Hieruſalem reſtauraret. cuius beneficio tempus aliquantiſper habuere reſpirandi ac ſe colligendi viri Eccleſiaſtici, in quo de cauſis ruinarum iudicarent, ſimulque de reformationum remedijs maturo deliberarent, & ſtatuerent. In quem finem ab eis in Eccleſia *S. Pauli* Londini habita ſynodus, in qua Prælati & viri graues de vtriſque ſententias ſuas dixere. inter quos *Ioannes Harpesfeldus*, clarus Theologus, in hæc verba loquutus. *Dum Magno eſſe in precio voluerunt Epiſcopi & Sacerdotes apud Regni proceres, dum quoquomodo ſeſe in illorum fauorem inſinuarunt, dum placere illis per omnia ſtudent & Sacerdotibus dignitatis grauitatem, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeueritatem, & Cleri libertatem amiſimus. Nullum eſſe poteſt in Laicorum moribus vitium, quo nos non coinquinamur. Illine rerum fluxarum ſtudio toti ſunt addicti? nos ſimiliter terrenis cogitationibus immergimur. Illi contentiones inter ſe & Clerum inimicitias exercent? nos itidem nobiſcum & cum illis odio certamus. Illi peierare, mentiri, nihil non lucri cauſa diſsimulare ſolent? non aliter & nos iuſiurandum intrepide violamus, quiduis fingere, quiduis prætendere ad temporale commodum, audemus. Illi alea, ſaltationibus, & huiuſmodi vanis rebus ætatem terunt? nos in hac vanitate illos æquamus.* In hanc ipſam ſententiam iſtis proloquutus Doctor *Pieus*, *Eccleſiæ Ciceſtrenſis* Decanus. *Fieri enim nunquam poteſt, vt Eccleſiæ huius bonos & decus integrum conſiſtat, ſi aut per ambitionem, quod iam prioribus annis factitatum eſt, inexhauſtæ quorumdam cupiditati turpiter inſeruiamus, adulterantes verbum Dei, aut ſi Ziſania & hæreſeos peſtem ſuperſeminantibus quibuſdam, ſupini & ocioſi veritatis ſatellites in vtramque aurem dormiamus aut poſtremo, ſi quod diu nonnulli fecerunt, carnis curã fecerimus in concupiſcentijs, idq; impune.*

Harpesf. Orat.

Piei. Orat.

22. Imperante hac ipſa Regina, ne cauſarentur Proteſtantes, ſe viribus ſolum tunc oppreſſos, variæ cum ipſis inſtitutæ diſputationes, quibus plerumque præfuit *D. VVeſtonus*: qui etiã ſuis argumentis ſic aduerſarios preſſit, vti ad ſilentium & vel audientium ſibilos eos adegerit, vt ſcribunt *Raimundus*, & *Robertus Perſonius*. Cuius famæ quod Proteſtantes paſſim detrahere conentur, nullam aliam vindictæ rationem iniquiſſime exequentes, haud abs re fore exiſtimaui, nobiliſſimorum ac grauiſſimorum virorum de eo elogia hic recenſere. Cum itaq; Cleri ſuffragijs electus, qui in Synodo eſſet eiuſdem Proloquutor, cauſas publice declamantes præcipui viri, declararunt, ob quas illi inter tot alios ſatis idoneos munus eiuſmodi detulere. *In ferendis autem ſuffragijs noſtris* dicebat Decanus Ciceſtrienſis, *etiamſi non deerant & eruditione & morum probitate viri cum primis ſpectabiles, quæ ex re periculum imminebat, ne quorumdam ſtudia diſtraherentur in partes, dum alius alium merito admiratur & ſuſpicit, nullo tamen aut ambiente, aut poſtulante, veluti corde vno & anima vna in vnum hunc virum inſigniſſimum conſpirauimus, omnes hunc præfecimus cœtum, qui veluti verbi dux, ſingulis apud vos nominibus noſtris exæquatur, quæ aut locus aut tempus exigent. Commendauit nobis hunc virum, Patres præſtantiſſimi, recondita ſacrarum literarum cognitio. Commendauit ſingularis & eximia rerum experientia, prudentia & ſapientia. Commendauit etiã pia & mitis ſuauiloquentia & eloquutio: quæ vt præclara ſunt Dei optimi maximi beneficia, ita eadem huic minime profitura ingenue cum Paulo aſſererem, niſi his acceſſerit etiam maxima charitas, ſumma profitendæ veritatis conſtantia, & ad ipſa uſq; vincula & carceres in veritatis teſtificationem, inuicta & inconcuſſa perſeuerantia. In qua cum multi fœde ceſſerint, vnus hic e paucis perſtitit integer & purus, quem neque gloria, aut rerum illarum, quas vulgus admiratur, præda pertraxit in naſſam, vt alios permultos: neque terriculamenta aut minæ, quæ puſillanimes nimium perterrefaciunt, titubantem, quod dicitur, deturbauit e veſtigio. imo vt palma potius, auctore Plinio aduerſus incumbentia onera quodammodo vires colligit, ita hic grauiſſima multorum inuidia ſupra modum exagitatus, adeo non ſuccubuit, quod eſt deſperantium, vt quo magis impeterent, eo magis contemneret.* Iſtis ſua enconia adiunxit Archidiaconus *Londinenſis*. *Mire & inſigniter eſt prudens, multa ſolertia & dexteritatis, eruditionis & elegãtiæ dotibus cõmendatiſſimus. Homo denique virtutum omnium choro ſic clarus, vt quem huic præferamus certe non habemus: quamquam in noſtro cœtu, vt diximus, viri ſunt multi, iique longe doctiſſimi & ornatiſſimi. huic VVeſtonus nomen eſt, cuius fama per totam Britanniam longe eſt celeberrima.* Denique Epiſcopus Londinenſis, aliorum Epiſcoporum nomine oratoribus in ſynodo ita reſpondit. *Itaque cum veſtris ſuffragiis virum tam doctum, tam ingenioſum, tam eloquentem, tam catholicum & bonum, denique tam omni laude dignum & omnibus tam gratum & charum in Referendarium veſtrum concordibus ſtudiis elegiſtis & præſentaſtis, quid ni expectetis, vt magna a Patribus vobis, vt par eſt, & habeatur, & agatur, & referatur gratia! Quin ab omni clero & populo, quos tam magno affeciſtis beneficio, ingentem laudem & gloriam pro veſtris meritis reportetis!* Ex quibus intelligant ſectarij, qualem & quantum virum ſuis odijs ſibi ſtatuerint violandum. De *Ioniano* optimo Imp. non niſi breui tempore regnãte, hęc *Theodoretus*: *Arbitror equidem vniuerſitatis moderatorem Deum, quo noſtrã improbitatem acrius coerceat, primum nobis ſuppeditare bona, deinde nos eiſdem denuo ſpoliare: atque*

Raimond. de orru.

Perſon. lib. de diſput.

Decan. Ciceſt. Orat.

Orat. Archi. Londinenſ.

Reſpon. Epiſc. Lond.

Theod. lib. Hiſt. cap.

altero quidem docere quam facile poſſet ea quæ vult præbere, altero autem nos coarguere, velut eiuſmodi beneficia parum promerentes, & eo pacto ad vitam rectius, honeſtiuſque ſiue inſtituendam impellere. Hæc eadem videntur quadrare in illud breue ſpacium, quo ſanctiſſimæ Reginæ *Mariæ* Regnum, afflictis in Anglia Eccleſiæ rebus affulſit.

23. Haud me latet, Anglos Proteſtantes, ſplendidiſſimis iſtius Heroinæ natalibus aduerſari, ac dicere, eam ortam ex matrimonio minus legitimo, quandoquidem Patrem *Henricum octauum* habuerit, qui eam ex nobiliſsima *Catharina*, defuncti ſui fratris *Arthuri* vxore, ſuſceperat. verum ab illis ſciſcitor, num eiuſmodi matrimonium repugnarit Iuri Naturæ nec ne, vel an ſolum legi in
Leuit. 18. 20 Leuitico latæ contrauenerit? Prius minime cauſari potuerunt, quandoquidem ex vi præcepti diuini
Deut. 25. frater tunc ducebat in vxorem eam, quæ a fratre defuncto relicta, vt ei ſemen ſuſcitaret. quaſi vero lex Dei, Naturæ legem expugnauit? Eleuat quidem naturam Deus, eam adiuuat, non autem vnquam violat. hoc enim ſi faceret, ſibimet, vtpote Naturæ auctori, euaderet contrarius: imo malum quid excitaret, quod enim naturæ contradicit, id neceſſario malum. Num impediuit illud matrimonium lex lata Iudæis? ignorantiæ tunc extrema vel hæreſi *Cerinthiana* laborant Proteſtantes, volentes Chriſtianos, lege iudiciali Iudæorum obſtringi. Nec eſt quod more ſuo ſatis ſtupido, interponant verba *S. Ioannis Baptiſtæ* ad *He-*
Marc. 6. *rodem: Non licet tibi habere Vxorem fratris tui:* quandoquidem conſtat, tunc ſuperſtitem fuiſſe *Herodis* fratrem, aut de illa *Herodiade* vxore prolem ſuſcepiſſe. S. autem *Ioannes* non aliter loquebatur quam ex tenore legis latæ in Leuitico: nihil dum a Chriſto de hac re habuerat in mandatis. illa autem non obſtante, potuit *Henricus* ducere vxorem fratris *Arthuri*, vt illi defuncto ſemen ſuſcitaret. vbi ſpecies ergo moechiæ? ſi ergo matrimonium viri cum defuncti fratris vxore licitum fuit, ac vt loquuntur honeſtatis capax ex fine ſuſcitandi ſemen fratri mortuo, cur non eodem modo, adeoque magis, id nunc capax honeſtatis ab euentu ac fine boni publici in aliquo Regno? Cæterum attendant velim ſui Protoplaſtæ *Lutheri* iudicium: qui nihilo obſtante Natura, aut lege, expreſſe adprobauit coniugiũ vxoris cum fratre ſui mariti, etiam in viuis adhuc manente marito, ſi a matrimonio, etiam conſummato, impotentia ad vſum matrimonij interceſſerit. in quo caſu conſulit *Lutherus* vt dicat vxor marito impotenti:
Luther. ſer. de Matrim. *Faue quaſo, vt cum fratre tuo proxime tibi ſanguine coniuncto, occultum matrimonium paciſcar, ſic vt tu nomen habeas.* Audite *Proteſtatores*, veſtri *Adami Germanici* voces, ſeu potius videte illius *Lupercalia* in paradiſo voluptatis. quid dicent Elizabethiani Proteſtantes ſuo Luthero?

24. Conſequens omnino, *Elizabetham* ſpuriam fuiſſe, vi ortus & ſanguinis incapacẽ coronæ Angliæ: eius enim mater *Anna Bolena*, viuente *Catharina*, ſuperinducta fuit pellex *Henrici octaui*. proinde *Elizabetha*, eadem *Catharina* viuente, nata, lege diuina & ciuili notha fuit: niſi binas pariter vxores Proteſtantica libido vni marito iure conceſſerit. Quod quidem adeo clarum fuit & euidens, vti parlamentum Angliæ, eius decreto ſubſignate *Henrico*, *Elizabethæ* patre, ſtatuerit pro ſpuria habendam & ineptam ad coronam. Ac licet idem ſanciuerat Parlamentum furente libidine *Henrici* etiam de *Maria*, nihilominus hoc ſubinde in alio Parlamẽto fuit expreſſis verbis retractatũ. quod vero ſemel de *Elizabethæ* ſpuria condicione in Parlamento definitum, id nunquam vlla lege fuit tabulis poſtea expunctum.

25. Cæterũ nobiliſſimæ & pijſſimæ Reginæ *Mariæ* funus, cum religione, omnes pariter virtutes, adeoque integram Ciuilitatem, ſecum e regno Angiæ extulit, *Elizabetha Bolena*, damnati ab Eccleſia thori Filia, ibi coronam poſtea obtinente. Hæc non tam ex amore ſectæ, quam ad ſe in imperio ſtabiliendum, Proteſtantiſmum per fidei Catholicæ ruinas prouexit. nunquam credidit, Catholicos ſe aliquando habituros pro legitima Principe, quam ſententia Pontificia ſpuriam declararat: neque deerant noui homines, qui opinionem hanc, ſemel animo Ipſius impreſſam, ſuis dictis indies augerent & confirmarent. Porro vt præter ſpurij vitulaminis proſapiam, ad proteſtãtiſmi educationem aliquid alterius monſtri accederet, ſola inter fæminas ſuprema gubernatrix, ſeu ſupremum Eccleſiæ caput, a ſuis etiam haberi voluit, quo ſub ſpurio feminili præſulatu vires caperet Proteſtantiſmi hydra. hac regnante, plane Cadmea ſeges diuerſarum religionum nata, innumeras protulit in noſtra Inſula religiones, quæ continuis iurgijs & querelis inuicem infeſtæ, omnem reipublicæ pacem intempeſtiue perturbabãt. quibus coniunctæ ciuium mutuæ inimicitiæ, æmulationes, luxus, impunitates tã in aula quam foras permiſſæ, honeſtos mores, ac præcipue charitatem vbique ferme violarunt. Nec contenta Anglos ſuos diuerſimode vitiis corrupiſſe, quinimo in exteras nationes venena rebellionum, factionumque furiæ inſtar ſparſit funeſtiſſimæ. Vicinam Scotiam, conductis ad id rebellibus, contra Reginam *Mariam*, Regis *Iacobi* matrem, ſuis pecuniis in impietatem, ſimulque parricidium armauit. Galliam Hugonotis propemodum in prædam dedit, eiuſque regni Regem eo in ſummas anguſtias redegit. Hiſpaniam, Portugalliam incurſionibus, piraticis iniuſtiſſime diu vexauit. Demum aliquot annis ante fatum, ſuorum Magnatum propẽſiones in Regem Scotiæ perſentiens, dolore & odio rei intime cõceptis, mente delirauit, corpore contabuit, tandem abſque bono omni motu in diuina, miſerime expirauit. atque iſtis emblematibus exornata, ſane digniſſima, quæ *Mater Eccleſia proteſtantica* cenſeatur: nec equidem inuideo Proteſtantibus tantam ſuæ originis gloriam. Vnum ſcio quod ad præconia *Elizabethæ*, frequentia modo in ore Proteſtantium, maximos ſcilicet præſentis Principis hoſtes, eſſe in eis celebrandis frequentiores: vt hinc intelligamus cãtus cauſam.

26. Immanis autem perſequutio & laniena, quas exercuit *Elizabetha* in Catholicos, eo nomine ſceleratior merito habeatur, quo ex haud obſcuris indiciis colligi poſſit, quod contra animi ſententiã, in gratiam ſolum ſui ſtatus, ab ipſa perpetratæ fuerint. ſi enim educationem ipſius ſpectemus, ea fuit Catholica, quantum vnquam ſcire potuerim. Pater *Henricus*, ſolum ea parte hæreticus, qua Romani Pontificis pri-

matum ioficiatus, ſe caput Ecclesiæ Anglicanæ extulit. Mater *Anna Bolena*, tametſi noui homines, ſcilicet Proteſtantes, in noſtra Inſula recens orti, in odium *Catharinæ* Reginæ ac Religionis Catholicæ, ei applauſerint, ac viciſſim ipſa eis: nihilominus quod ſciam, nunquam hæreſis profeſſionem publice oſtendit. imo cum ei in area turris Londinenſis recidēdæ ceruices ob meretricium, viſa Catholice obijſſe. *Elizabetha* autē ritu Catholico inter alia ſe cruce ſignabat perpetuo, quoties admirandæ alicuius rei fama ad eius aures appulerat. arā in domeſtica capella ex more ferme Catholicæ Eccleſiæ, ornatam retinuit.
Fitzl. Britā. Monomach lib. 3. cap. 5. Atque vt ſcripſit *P. Henricus Fitzſimonius* S. I. Sacerdos, mihi perquam familiaris, bonus & doctus Religioſus, teſtimonio vſus *Lanſaci* Regis Franciæ conſiliarij, & Reginæ matris oeconomi, falſa *S. Petri* & Romani Pontificis monarchiam. pariter ingenue Duci *Feriæ* aſſeruit, ſe omnino realē præſentiam corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Euchariſtia credere. de qua re literæ eiuſdē Ducis ſeruantur adhuc in archiuis *Cymanca* in Hiſpania. Nihilominus ſimplex popellus in Anglia, partim ex odio præſentis regiminis, partim ex deſiderio Sanguinariæ in Catholicos perſequutionis, nihil frequentius in ore habet, quam nomen *Elizabethæ*. Equidē haud eis inuideo, tali gemma fructibus.

27. *Eliſabetha* hac in viuis eſſe deſinente: cui vitā triſtitia, deſperatio, & atra bilis, abſque omni pietatis ſignificatione, eripuerant, Sereniſſimus *Iacobus*, optimo ſanguinis iure ad Angliæ & Hiberniæ imperia, ſummo itidem populi applauſu, boniq; expectatione, peruenit. Quē, quod ſane maxime dolendū, omni nixu Proteſtantes conati, in odiū Catholicorum, adeoque Principū externorum, fidem Catholicam profitentiū incitare, qui in illo rediuiua *Elizabetha*, adhuc domi, foriſque furere videretur. verū fuit quod intelligerent, aliā longe quod ad hoc intercaſſiſſe cōdicionē *Iacobi*, aliā *Elizabetha* extitiſſe. hæc enim legitimo parentū coniugio deſtituta, eique a ſede Romana cauſa natalium abiudicata, non ſolum ab illa ſede recedere, quinimo eamdē pro virium & impietatis ſuę modo impugnare, omneſque illi adhærentes affligere, rationi conſentaneum eſſe reputauit. Verū Potentiſſimus noſter *Iacobus*, inſtructus tam ſumma nobilitate, quā hæreditario Sanguinis iure, cui etiam externi Catholici Principes plurimū ſemper fauebant, illique diadema exoptabant, nō erat incendēdus a ſuis ad diuortiū ab eis, aut diſſidiū cū illis. Neque ſane voluit ratio, vt tantus Rex omnē ſuam dignitatem, priuatorum, nedū rebelliū Hollandorū, duntaxat voluntatibus dimitteret, quaſi paucis ſuorū placere, idq; male agendo, Regi *Iacobo* ſufficeret. Neq; enim aliūde quærūt in Anglia puritani Regem modo ab amicitia cum Rege Catholico, alijſque Principibus Catholicis, diuellere, niſi vt in illum, tandē ab optimis amicis diuulſū, liberius dominentur. Enimuero nunquam quieſcent, donec Regis conſilia ſuis deſiderijs ſubiecerint, quo abſoluta ſui Euangelij libertate demum perfruantur. niſi ad hunc periodum peruenerint eorum conatus, iugi agitatione Regis animus in Parlamentis, & alibi, ab eis permouendus. luculēter hoc conſtitit *Hugonotarum* in Gallia inſtitutis, qui iam inter Regis ſubditos recenſeri nolūt, niſi illis fas fuerit omnia pro arbitrij ſui intēperie tranſigere. Laudandus itaque *Ludouicus* Rex Chriſtianiſſimus, qui in hac iuuenili ætate, amore flagrās fidei Catholicæ, iuxta ac nominis Gallicani, illos rebellantes, ceteroquin indociles, vi & armis ad obediendum compellit. optima ſane via incedit nobiliſſimus iſte heros, cum ad bonos ſibi coniungendum, tum ad peſſimos coercendum. vt enim piſces aquis extractæ, illico moriuntur, ita Proteſtantes, poſtquam eis ereptæ fuerint iſtius vitæ deliciæ, extemplo contabeſcunt. efficiēt Deo volente facinora *Ludouici*, vt diutius Gallia, a ſeipſa diuiſa, inſtar Troiæ, non incumbat ſibi. præſtabunt, vt ad auditum Gallicani imperij, externi homines illud reuereantur, cogitantes, non iam, vt prius, alijs atq; alijs vectigaliū conſilijs in partes diſtractū, ſed æqualitate officij totū vbiq; auguſtiſſimi, optimique *Ludouici* dominationi ſubiectū. Sen. Troa.

28. Enimuero ſi hæreſis in Europa haud fuerit Principū armis compreſſa, fruſtra ciuilis ſtatus flos in illa a nobis expectabitur. Fiat ergo id quod cōſuluit *S. Auguſtinus*: ſcilicet doceantur Hæretici & caſtigentur. quod ad doctrinā, Eccleſiæ paſtores & Doctores hiſce annis elapſis, qua concionibus, qua libris editis, ſuo muneri non deſuere, adeo vt Catholica veritas vel ſole ipſo clarior in omnium oculis, qui veritatis notionem appetunt, etiamnū ſplendeat. quod autem ad caſtigationem, obſeruentur ea ſolum, & a Principibus exequutioni mandentur, quæ a concilio *Lateranenſi* Secundo, iuxta ac *Tridentino*, in hunc finē decreta, quæque tempore *S. Dominici* re ipſa in hæreticos tranſacta. Aug. ep. 48. 50.
Fruſtra omnino hoc non dum præſtito, ſonarunt quidam claſsicum ad bellū contra Turcas, quaſi non eſſet inanis & intempeſtiua vox, rebus domi turbatiſſimis, de inferendo bello exteris prolixius perorare. Solum hoc ſciſcitor ab iſtis, num ſcilicet Proteſtantes hæretici ſimul cum Catholicis euocandi ad hoc Sacrum bellum, vel domi relinquēdi iſti promiſcuē conſcribendos dicant, mirabor eorum intelligentiam, qua dum non perceperint, illos maiore odio in nos flagrare quam in Turcas: quod ex dictis ipſorum, & frequentibus in nos Turcarum inuocationibus illis conſtare potuerit. Ecquid tunc martij in Turcas præſtabunt, qui in acie communi hoſtes noſtri plane funeſti, cum Turcis autem colludiones? ſin aſſerant, eos domi relinquendos, dubio procul eis gratum fecerint, quandoquidem tunc eis integrum fuerit, in abſentia noſtrarū viriū, omnia Eccleſiæ Catholicæ munimenta occupare. Nil dubito pronunciare, breui & facili opere extinguendas hæreſes Proteſtantū, ſi in id vel Eccleſiaſticus vigor adhibeatur. quaſi vero ad hoc ſpiritui Sancto, qui Eccleſiæ præſidet, deſint vires, quantumuis hæreſes Proteſtantū ſint ſectis multiplices, & numero profeſſorum gregales! ſolummodo noſtro opere ſuſtentantur, quo priuatis & caducis lucris ſtudentes, Eccleſiæ diſciplinam omittimus, imo tranſgredimur.

29. Proponant itaque ſibi ante oculos Proteſtantes illū exitū, quo Chriſtus Dominus e medio deleuit veterum religiones. Expendant ſecum ideo extinctas, quod bona concupiſcibilia & iraſcibilia iſtius breuis ac miſeræ vitæ plus æquo amplificarunt: quorum contraria ſormes in Chriſto Domino, in Deipara virgine

virgine

virgine in Apoſtolis eluxere:& tunc facile quoq,
ſuas religiones exterminandas viderint,propterea
quod eadem concupiſcentiæ & Iræ bona nimiū
exaggerent & hominum moribus commendent.
Expendant velim Proteſtantum Miniſtri,
Poëtarum adnormas veteris Sibyllæ cantantium
veluti excrementa, quod concupiſcentiæ & iræ
cupiditates impie & falſo celebrarunt, eaque
laudibus extulere, quæ aut rei veritate con-
temnenda, aut penitus abdicanda. Nouerant
formas hominum & mulierum ad locendū vſq;
voluptatis ſuis coloribus illuſtrare,ornatus veſtiū.
Vi . Eu. quos miſerorum ,principum luxus conſueuerat,
Cul lib 9 ,vtpote *Didonæ* aulæa,*Cleopatra* gemmas,imperan-
Claudia. in tium purpuras:
conſ. *Diues Hydaſpru ſulgebat purpura gemmis:*
3. Honor quæ nihil aliud quā prauorum affectuum irrita-
menta,in faſtigium admirationis extulere. quæ
quod Chriſtianis inſtitutis aduerſantia,ideo Poe-
tis quaſi a Chriſto Domino ora occluſa, & ab e-
ius diuulgato Euangelio Nomina poetarū rariſſi-
ma: adeuq; etiānum vix audiuit nomen Poëtæ
abſque riſu. at quamobrē? ideo ſcilicet quod cou-
cupiſcentiæ & iræ oblectamenta nimium ſuis cā-
tibus laudarunt. Proinde fieri neutiquā poterit, vt
hoc noſtro æuo ad ingeniū antiquorum poëtarū
reuiuiſcat Poëſis,niſi,quod ſanc luctu dignū,ſi id
cōtigerit,cupiditates mortaliū in hæc concupiſcē-
tiæ & Iræ obiecta inconſideratius deferātur, qui-
bus Poetæ ſuis numeris applaudāt. Bibāt Deum
precor, ſi qui futuri poetæ, ex amore caſtiori: nē-
pe ex fontibus caſtitatis, humilitatis & charitatis.
Poëtis ſimiles Proteſtātū Miniſtri,quippe in cupe-
dias libidinū & iræ feruētiſſimi præcones:quorūq;
inde ſimiles per Chriſtum cum Poëtis interitus.
30. Certe ſi quis animo ſecum expenderit , locū
aliquem in orbe Chriſtiano priuari bonis illis ſpi-
ritualibus, quæ a fide Catholica, vbi colitur,pro-
ueniunt, ſimulque mente recolligat ingentia illa
mala, quæ ex mutatione etiam ſtatus ciuilis, ſe-
quuntur cladem illius fidei, is pronunciabit om-
nino,non aliam ob cauſam permittere Deum hæ-
reſes in detrimentum fidei inualeſcere, quā quod
grauia peccata ciuium hanc poënam a iuſtitia di-
Socr. Proœm. uina procurarint. Quam autem agnata ſit ciuilis
lib. 5 Hiſt. ſtatus perturbatio Eccleſiæ damnis, ita declarat
Sozom. lib. *Socrates. Facile adducor ad credendum , iſtarum rerum*
8. Hiſt. c. 25. *viciſsitudinem non ex aliquo caſu fortuito, ſed ex noſtris*
1. Tim. 5. *peccatis initia cœpiſſe, nobiſque ſupplicij cauſa tanta in-*
commoda inflicta eſſe: ſiue vt eſt apud Apoſtolum , uti
quorundam hominum peccata mani feſta ſint præceden-
tia ad iudicium ,quorundam autem & ſubſequantur. Et
quidem quod ad vtilitatem ſpectat Religionis
Chriſtianæ,eam vt videtur , voluit Chriſtus Do-
minus quaſi ex diametro aduerſari antiquæ cre-
dulitati Græcorum & Rumanorū. Hi enim,quod
noſtri animaduertere,in fauores ſuarum affectio-
Euſeb. orat rum, vtpote iratæ ſuperbiæ ad dominandum,li-
in laud. bidinis ad laſciuiendum,ad iraſcendum, Numina
orat. ad. confinxere. Huius generis fuere Nationes, ſuæ re-
coet. Sanct. ligionis ingēio,quæ ad mores Chaldeorum,gentis
Abac 1. amaræ, vt loquitur *Abacuc* Propheta , *immolarant*
ſagenæ ſuæ, & ſacrificarunt reti ſuo : Scilicet religio-
nem condidere,quę *Martis* furoribus, ſuis propriis
cupiditatibus vindictæ,ſuperbiæ,immanitatis,ſa-
cra exiſteret. Cui in diuinis perſuaſioni prorſus
contraria fides Chriſti,quæ ideo e cœlo dilapſa in
homines , vti , in eos affectus , turbulentiæ
nempe iræ ac voluptati cōtrarios indoceret. hoc
proclamant Chriſti conceptio in virgine, natiui-
tas in paupertate,vita in ærumna , mors in poëna,
omnia ipſius in charitate . idcirco hanc diuinam
vim ſuæ fidei opponens Chriſtus Dominus reli-
gionibus Græcanicis & Romanis , eas penitus
vbique terrarū profligauit,deleuit. Ac licet . Tur-
ca,qui iam in Græcia,& in magna parte domina-
tur imperij Romani, ſit auerſus animo a noſtra
Sanctiſſima fide, nihilominus Deo diſponente,
acerrimus eſt hoſtis veteris illius religionis Græcæ
& Romanæ. Iam vero ob noſtra peccata permi-
ſit Deus in hanc ipſam fidem Chriſti inſurgere
Proteſtātea,ac inde duo perficienda ſibi præſti-
tuere . primum abolitiu eſt fidei Chriſtianæ per at-
heiſmum , vti oſtendimus : alterum ad indolem
Græcorum & Romanorum illorum, eam conde-
re Chriſti fidem,quæ animi perturbationibus, vl-
tra omnem *Venerem* aut *Martem* .gratificetur . In
quorum ſtudiis in hunc finem Duo quoque con-
ſideranda. primo quod hæc iubeantur ſub præter-
tu fidei in Chriſtum adſtruendæ, ſub inuolucro
Reformandæ Eccleſiæ. Deinde quod hæc agant
abuſu Sanctiſſimæ fidei ,corruptione verbi Dei,
cæleſtis chirographi , & veluti in omnia diuina
ſacrilegio ore & facti. Quamobrem licet noſtra
peccata cauſæ extiterint, ob quas permitteret De-
us hæc monſtra, hæc, Antichriſti mancipia , in fi-
dem diuinam & omnia ſacra arma infidelitatis
& impietatis intentare , nihilominus quod iſta
perficientes, ſceleribus ſuis longe noſtrorum cri-
minum reatus excedant,minime dubito pronun-
ciare,eos a diuina iuſtitia tandem conterendos,
& præmiſſis ipſorum nuper vbique tragoedijs,id
etiam breui futurum illoſmet omnari modo no-
ſtri eos iure punire non deſinant ab Eccleſia in-
ſtituta diſciplina, qui doctrinam eis a noſtris de
nunciatam, animis pertinacibus iam diu repule-
re. Tempus eſt docendi : itidem tempus caſti-
gandi. Ex iſtis ſuccenturiatis, non diſtractis, re-
medium.
29. Cum itaque huiuſmodi fautoribus & tutori-
bus, de quibus egimus, innitatur vniuerſa moles
Proteſtantiſmi, nulli mirum videri debet, ſi appa-
reat res plane occidua, atq; in omniū oculis iam
deflore ſcat. Notum eſt , nullum ſpiritum pieta-
tis , nullam curam virtutis , aut odium aliquod
peccati, apud Proteſtantes modo reperiri. Eui-
dens,in incerto,in controuerſo,in Euripo verſa-
ri omnem ipſorum fidem : homineſque languere
penitus de illorum dogmatibus inquitentes. ſi
doctrinam ſpectemus, ſi commentaria ipſorum in
ſacram Scripturam edita expendamus , præter
Nullam & *Nulla* nihil ſe oſtendet. Quis iā eorū no- Palm 12.
minatur hic Theologus abſque ſibilo,& riſu? eni-
muero defecerunt ſcrutantes ſcrutinio: quorum
flores autumnales decidere, inſtant vero funera.
Sit itaque iam definitum , principijs dogmaticis
ciuilis & ſacræ vitæ conuenire fidem Catholicam,
eis autem repugnare penitus ſectam Proteſtan-
ticam: illam ſacram & ciuilem, hanc impiam, bar-
baramque.

Finis Libri Quinti & Ultimi,

Auctoris

Auctoris ad Angliam Apoſtrophe.

AMor in te meus, patria dulciſſima, id tui cauſa me literis mandare abſentem modo compulit, quod a me præſente audire tua iā dudum inhumanitas recuſauit. Enimuero vt vno verbo dicā, grauiſſimo malo confecta, plane iaces, priſtino colore depaſto, marceſcis, viribus caſſis, contabeſcis: vita ipſa propemodum extincta, ægre admodum ſpiritū ducis. neque hoc mei ſolius de tua extrema miſeria iudicium, ſed inſuper auſim dicere, maioris, illuſtrioris, ſapientioriſque eorum partis, qui Chriſti fidem etiamnū profitentur: vt omittam tibi aſſerere, veterem Eccleſiam, ac in ea Patres tam Græcos quam Latinos, eiſdem nominibus, quibus ego, hanc tuam cladem deplorare, te illius contagione corruptam pronunciare, adeoque tantæ noxæ ream ad ſupremum Dei tribunal confertis ſentētijs agere, accuſare. quinimo ita es a teipſa quodammodo tamquā alter *Pentheus*, diuulſa, ſic tibi ipſi quaſi in ſpeculo temet contemplanti moribunda diſplices, vt vel illi, qui corporis tui veluti artus cenſentur, qui hoc ipſū malum tecum diligunt, quo tu ſponte deuaſtari cupiniſti, qui eodem quo tu nouellæ diſciplinæ titulo faſtuoſe gloriantur, decoris gratiam, ornamentorum emblemata, ſanitatis robur, animæ momentum in te deſiderari affirmant. Certe ingenti malo ad interitum, ad inferni vſque portas prona conflictaris. Eo porro inde grauius laboras, quo illius natura obſcurius te præterit, quo minus illos noueris, qui intimis tuis illud radentes inſeruerunt. *Magna eſt velut mare*
Ierim. 8. *contritio tua, & quis medebitur tui?* Verum vt tandem intelligas, non tantum eſſe in Iſrael Prophetas, ſed etiam amantiſſimos expertiſſimoſque medicos, qui lepram tuam curent, vtraque ſimul tibi patefacere aggrediar, quo tanti mali a te inſpectis detrimentis, originibuſque, peſtem illius maturius excernas, vitāq; eis præſidijs denuo cōfirmes, quibus priori ſanitate reddita, in illud inualeſcas, tibi, mūdo, Deoque cōualeſcas. Tu itaque imprimis, abſentis, ſpretis, exactiſque Eccleſiæ Catholicæ Paſtoribus, quorū conſecrationes, vocationes, miſſiones, iuriſdictioneſque certæ, & ab anteceſſoribus Præſulibus ductæ, nouis neſcio quibus hominibus, lerna Geneuenſi ortis, impie ac ſeditioſe prorſus adhæſiſti, qui eis ſacris characteribus deſtituti, ingreſſu ſuo, in pacem & vnitatem Eccleſiæ coniurato, ſe a Deo immediate, ſeu a lymphata plebecula, ſacra officia accepiſſe, inſulſe improbeque nimis non ordinatim, ſed paſſim incedentes profitebantur. Verum in hanc fraudem, in hāc temeritatem te induxere *Miniſtri*, qui ſucceſſionis traducem aſpernati, ſe quaſi recens e cœlo ad te delapſos, inanibus vocibus afferebant, atque inde in tuis oculis Euangeliſtarum ſplendoribus coruſcare falſati illi *Thaumāſides* tibi minus oculatæ videbantur. Quo factum, vt a te erga Eccleſiam in negocijs fidei obedientia ſemel repudiata, ſtatim a reliquo orbe, non modo tecū ſuperſtite, verum prius per mille annos florente, adeoque Apoſtolorum ipſorum præſidentijs illuſtrata, credendo tota diſſētires: & quod plus eſt, temporum interſtitijs, haud longa mora interpolatis, inſtar lunæ, mutationem identidem ſubeūtis, in Prothei formas variata, nulli ſimilis, tibi vero diſſimilis, omnibus inſuper erroribus oportuna, perpetuo appareres. Hanc autem tui in te Spiritus inquietudinē, multiplicemque in eo æſtus reciprocationem, in pectus tuū inuexere *Miniſtri*, infælicis *Eoli* ſoboles, nullam aliam fidei regulam a te inſpiciendā docentes, præterquam tuo priuato ſenſu complexam, decretamque. huic nouitati tibi inhianti, quo ritu vēto chamæleon, nihil apud te in hoc genere precioſum eſſe cœpit, niſi quod clancularium, quod furtiuum: ſcilicet quod antelucanis horis a nocturnis tuis lectoribus, quod in locorum penetralibus, a cubicularijs Doctoribus diuulgatum: quod ab exoticis Babylonicæ *Geneuæ*, aut *Amſterlodami* oraculis cloacinis ad te tranſmiſſum. Cæterum vero *Miniſtri*, doctrinæ, antiquitati, & cum aliis conſenſioni nuncium remittentes, in hanc ſententiam recentis, iuxta ac peregrini delectus, animum tuum prurientem in incertum adegere. Orbi vniuerſo, extra tuum Oceanum poſito, innotuit, te dogmata fidei ſequi, quæ ſui argumēto abſurda, ſui falſitate lege Dei ſimul ac naturæ contraria: quod & te abunde docere poterunt, ſi tibi hæreſis omnem ſcintillā intelligentiæ haud oppreſſerit, quæ hactenus a nobis diſputata audiueris. Ecquis alius tantæ tuæ cladis auctor, ſi non *Miniſtrorum* grex, populares illi Getæ, qui ſacrarū literarū maieſtate ſimulque Sanctimonia abuſi, earum coloribus fœdos errores veluti eruſcatos, credulitati tuæ, tamquam diuina effata, vaferrime commendarunt. hiſtis enthuſiaſmis & ſuſurris inſuetis dementata, eo ruſticæ plane ſuperbiæ, eo contumeliæ odioſæ modo deueniſti, vt intumeſcens in te ſpiritus præſumpſerit publice definire, anteceſſores tuos per mille annos vſque ad Eliſabethianum imperium, turpiter in tenebris ignorantiæ, idololatriæ, ſuperſtitionis, luce Euangelii deſtitutos, diſſituiſſe, miſere palpitaſſe: ac modu *Italiam*, *Hiſpaniam*, *Galliam*, eiſdem malis implicari: te ferme ſolā ad rectā interim Scripturarū interpretationē, de redemptione per Chriſtū ſinceram æſtimationē adſpiraſſe. Auſū hunc Luciferianū tibi inſpirarunt *Miniſtrorum* voces: eiſque ad templi pinnacula es elata, vt inde in Barathrū præceps deturberis. Nouam porro, ac rei naturæ repugnantem externæ religionis epitomen tibi confeciſti, in qua ſacerdotio ablegato, Sacrificio abacto, ſacra cæremonia eiecta, aris euerſis, monaſteriis ſubrutis, Eccleſiarum ſuppellectile expilata, in vna concione, ſeu aurium prurientium tinnitu, in ore debacchantis miniſtelli vſque ad ſpumam rabiei, vniuerſum religionis apparatum ac ſummam, ſi quæ fuerit, ſpectabilem reddidiſti. Ad hanc pariter inſaniæ impietatem te adduxere *Miniſtrorum* voces; qui omnium bellariorum loco habent, in corona miſeræ ſubiectæ plebeculæ

culæ, ab alto detonare, pro libito in ipſis petulantis voluntatis, pro lubrico indocti cerebri, quiduis aut in quoſuis promiſcue vociferari. Verum non vt veritatem ſincere addiſcas, tantus in te viget ardor audiendi eorũ ſtrepitus, vt video, ſed vt latenti in te concupiſcentiæ libramento morem geras ac gratificeris. inde ad eos verbi præcones frequentius ac cum maiori turba accedis, qui te tuæ prædeſtinationis certiorẽ reddant, imo te eſſe prædeſtinatũ confidentius aſſeuerant: qui acriori vehementia contendũt, tibi fidendum Chriſti meritis, fide mera a te apprehenſis legem Dei naturæ, ſeu honeſtatis interea luci non eſſe tibi preſcriptam diuinitus vt eam obſerues, ſed vt impoſſibilam ducens, eius violationes propter fidem in Chriſtum tibi nõ imputari omnino tecum ſtatuas. qui in iſtis deliciis ſpurci ſpiritus propinandis, in iſtis indulgentijs diuulgandis copioſior, explicatior, ac reſolutior fuerit, is tibi in gemmis, is tibi in angelis. Propterea ſi huiuſmodi declamatores ad legem veritatis euangelicæ ſeuerius differerent de malo peccati, de neceſſitate obſeruandi mandata, de timore Dei, non plures ſane ex tuis ad eos properarent, quam modo apud te ad expiatricis ſeptimanæ Cineres, aut Quadrageſimæ ieiunium feſtinare ſolent. peccatores qui te iſtis lactarunt, inueniuntur *Miniſtri*: cum enim pauca a te exigant animæ tuæ ſaluti neceſſaria, licet ipſis plurima, quo voluptati effuſius tecum velificentur, omne animæ ſubſidium in ſolam fidem ad te perorantes iam pridem contulerunt. ſic etiã mente & intelligentia es debilitata vt a te nullus prorſus audiatur ſolidioris literaturæ ſonus, academijs tuis plane euiratis, & in vmbraculis facilioris ſtudij ocianiibus. Ex quo externi homines ſæpius dicunt, ſe numquam a te aliud ſcriptum accepiſſe, niſi verboſum, puerile, confuſum, contumelioſum, in antiquorum teſtimonia mille impoſturis refertum. Si quid in legum peritia erudire te præſtitiſſe forte antumes, mente repetas velim cenſuram *Eraſmi* in aucos tuos *Mercurios* prolatam, qua affirmauit, illam nihil aliud eſſe, quam indoctorum hominum aliqualem doctrinam. Et quis modo in iſtis partibus, qui vllum ex tuis legum municipalium cultoribus, ex vllus editi operis fama adhuc natum intellexit? ſi iſtius tuæ debilitatis intellectiuæ auctores noſce diſcupias, intueare *Miniſtros*, ſub prætextu Bibliorum vnice legendorum, ſub onere rei familiaris & vxoriæ, ſcientiarum ſtudia reijcientes, cum ſatyris, Muſis proterue aduerſantes. Mirum idcirco haud fuerit, ſi in te omnem ſenſum, potationũ illuuie reſupinatum plane intueamur; quam tibi vel mea ætate prorſus incognitam plurimi mecum teſtari poterunt. eam autem ex nupero commercio cum *Bromio Batauico*, non illo collino, ſed alio ex lacuna & caccabo, conſtrixiſti; quemadmodum *Nicoſi* fumos, quibus vbique eum cerebri detrimento deturpatis, & neſcio quid nigroris infernalis co-ominaris, tibi ardens India inſufflauit. Ac quod diuinæ maieſtatis penes te incuria, nihil ferme tibi in ore familiarius quam blaſphema, iuramenta, quam in ſacra irriſoria dicteria, & procacitates. qui autem te in hanc cupediam illecebræ ſoluerunt, in iſtam irreligioſitatẽ & ſemipaganiſmum inſtigarunt, Miniſtri ſunt, tibi educationis ſeueritates, morũ grauitates, vocibus & exemplis ſuis adimentes. Cumque varijs modis ad libertatis ac ſuperbiæ delicias diſſoluaris, tum inde te monarchiæ ferme pertæſam multis ſane indicijs aliquoties tu ipſa oſtendiſti. idcirco ad ideas *Hugonotarum* nuper tumultuantium in Gallia, Gutiorum itidem id Belgio modo rebellantium, domeſticorum Imperiorum anarchias affectare videris. Haud ſane obſcure hoc nuperis annis indicauit parlamentarius in te arteriæ pulſus, toties priuilegia, neſcio quæ, ingeminans, vrgenſque, quibus in ipſum Regem tuum tandem inualeſceres, liberiuſque optimis eius conſilijs pro tuo libito repugnares. Non ita pridem publice edito libello Rex *Iacobus* vniuerſo orbi conteſtatus, te vna monetæ excuſione, omnia iura coronæ tibi arrogaſſe: per te effici, quantum in te vires puritanicæ tulere, vt non magis ipſe Rex eſſet, quam perſonatus aliquis in ſcena: adeoq; minus idoneum eodem ipſum reddi, quocum Principes externi negocia ſtatus tractarent. En tuæ ſuperbiæ alter aſſultus: quæ cum primum in Eccleſiam ac ſummum pontificem inſurrexerit, iam etiam in Reges inuaſit. Verum hanc in te intemperiem condidere *Miniſtri* ſuis inſpiratis vocum tempeſtatibus, quibus Eccleſiæ monarchiam ſua etiam anarchia impugnarunt. Quo porro mala hæc in te, in vnam peſtẽ glomerata, pertinaciora euaderent, tota dedita priuatis tuis laribus, ac ſauonibis, cũ externis hominibus amicabilẽ congreſſũ faſtidis, imo truculento omnino marte, & horrenda vel tuorum carnificina arcendum deſideras, ne ab illis ſalutaria amulæta ad te peruenirent. Hiſpanũ dico, armis, literis, imperioque inclytum, in noſtrã ab antiquis temporibus gentem amicitia fidum, munere ſemper beneficum, coronæ Anglicanæ teſte quondã Rege *Iacobo*, amantiſſimum, furoribus tuis expugnandum propoſuiſti: nihil, quod ad externa attinet, vltra ſocietatem Hollãdorũ, a quibus rebellandi & ſorbillandi horrores & methodos addiſcas, tibi Socios in exemplar præſtituendo. Cæterum *Miniſtri* ii ipſi ſunt, qui cũ ſerpentibus, delectati cauernis, & foraminibus, te a ciuilioris orbis conſortio diremptam cupiunt, quo ſubinde turius, ac liberius in corpus, animamq; tuam voluptatis ergo, tanquam corui in deuio & ſecreto ad cadauera conuolantes, ſimulque prædæ ſuæ inhærentes, debacchentur. Vlterius ingens ab externis, vel in nomen Angliæ odium conflaſti tuis prope infinitis iniurijs, quibus eis nocere inſtituiſti: in quem finem tibi familiare, Catholicos Principes, eorumque ſubditos, veluti Antichriſti mancipia paſſim traducere, eam ſcilicet ſolam ob cauſam, quod Romano Põtifici in Eccleſiaſticis rebus, vtpote Chriſti, vicario, obtemperent. Cui contumeliæ adiungere ſoles varias calumnias, quibus abſurda dogmata, mores impios eiſdem affingis: nempe dum proclamas, eos Sanctorũ imagines tanquam Gentium idola pronos adorare, illos, quantum ad expectationẽ cæleſtis beatitudinis, omnino fidere non Chriſto, ſed Sanctis: non a

fide,ſed a ſuis laboribus , non a gratia , ſed a libero arbitrio,cæli chariſmata præſtolari. at neu iſtis contenta,quinimo quam plurimas tragœdias,plurimo etiam ſanguine cruentatas, in eorum incolumitates excitaſti.hoc pacto crudeles in Gallia Hugonotas quondam in ſuum Regem armaſti,ad arma ſæpius ſollicitaſti: piraticam cum Hollandis in Hiſpanum multis iam annis exercuiſti. In vniuerſum , quo tu domi quiete trucrere, (Pſalm.46) *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Neque parum inde ab eiſdem deteſtaris, quod multos ſacerdotes , quorum officia ipſi in ſacroſanctis habent, quorumq; perſonas eximio cultu proſequuntur,ob id ſolum,quod a Romano Pontifice miſſi ad te , tuiq;boni cauſa aduentarint, immani lanieoa diſcerpſiſti: imo quod nec pepercerit tua feritas nobiliſſimæ heroinæ *Mariæ Stuartæ*,Regis quondã *Iacobi* matri ,adeoque iure ipſo tuæ Reginæ,quin potius vulgaris carnificis truculẽta manu ceruices ei reſcideris. At dubio procul, qui te plane quod ad iſta furiatã reddidere , non alij,quam tui *Miniſtri*: quorum *Minerua*, quod firmioribus rationibus deſtituta,inter ſordes langueat,earum loco in catholicos incurſura , conſilijs ſuis *Megeram* præfecit: ſanguinem non oleum cupit eorum euangeliũ. Deoique cum iam multos annos extra Eccleſiæ Catholicæ ambitum,vera fide,Sacramentiſque Chriſti ſpoliata,incertis paſſibus oberraſti, velim animo repetas eorum numerum,qui quondam e tuis viſcerbus deciſi, animas poſtea corporaque Stygi deuouere, qui in illius cauernæ flammis æternum inde arſuri ? Deplorent in te merito ciues ſuorum parentum,amicorum,fratrum ſempiternos huiuſmodi interitus, quibus cateruatim huc vſque a longo tempore periere teque Angliam,a cæli ſãctis Angelis,ad spoſtatrices inferni angelos , de monte eccleſiæ perinde corruiſſe,ac ſi oleo numquã fuiſſes vncta, aut ſalutari baptiſmans latice dealbata. Inquiſitio autem tua in ſcrutinium auctorum tantæ in te ruinæ intenta , non alios profecto iſtius ſtragis *Sinones* reperiet , quam *Miniſtros* , qui te (2. Reg.4.) perfidæ ,morum iniquitati,impietati,& ipſi orco penitus addixere. Nos Catholicos inquilini tui traducunt,ſcio, pro noſtris, ac ſi vel contra naturæ ingenium in ditionem tuã eſſemus proditores: maxime vero quod in Romanum Põtificem & Regem Hiſpaniarũ officijs propenſi, hoc crimen impietatis nobis affingunt. Cæterũ hinc errore es ab illis penitus a veritate & materno in nos affectu diuulſa,adeo vt modo vel tui vteri fœtus omnino ignorare videaris. Enimuero ſi recuſemus adire phana tua, ſi ſectã tuam ſtilo & ſanguine refutemus, ſi te furente & in quamdam *Megeram* mutata, ad exteras nationes a tuis flammis,ſcorpionibus & hydris fugiamus,id ſolum facimus,vnde noſtra opera tu illa tandem compareas,quæ olim fuiſti,quando in orbe terrarum virtutibus,literis,armis & imperio claruiſti. Matrem proinde cupimus deniã in viam reducere, deformatam venuſtare, captiuam liberare , mortuam ad vitam reſtaurare. verum illi , quos tu etiamnum in gremio foues, quos vberibus lactas,filij tui non ſunt,Angli nõ ſunt,ſed potius neſcio quæ marina ex Titanum ſobole monſtra , quæ in continentem proterue proſiluere.An illi tui filij, qui in externos principes,cum tua frequenti clade & perpetuo dedecore,tui amantiſſimos,hoſtili & armato odio inflammant,efficiuntque,vt vbi in te *Palladis* oliua cum croco tuo floreret , ibi ardens *Ætna* in iuga intumeſcat , in cuius clauſtris immanes *Cyclopes*, & ferrei *Brontes* in tuas tragœdias , & Anglicani ſanguinis terra marique inundationes , *Martis* ferra excudant : qui *Bella volunt*, (Pſalm.67.) neque iuſtam cauſam belli præ ſe ferentes,neq; belli requiſita inſtrumenta ex prudentiæ norma retinentes? Num illi demum filij tui qui vel nomen tuum per totam Europam, Aſiamque ex hæreſi ,ex diſſolutis moribus, ex iniurijs,ex carnificioa in tuos inet infamẽ effecere ! qui te numquam victoriarũ tropbæis aut literarum ſplendoribus nobilitarunt ! qui iam degeneres facti, antiquum nomen Angliæ, Maiorum noſtrorũ trophæis erectum;quo vel ſole clarius orbi terrarum innotuiſti non nouantiquum hoſtilis gentis *Britannia* demutarunt aut nomenclatura, ex ſimplici,polymitam reddiderunt ! Audi nos Mater *Anglia*:neque huius nominis eſt quod te iam pudeat , poſtquam a mille annis & vltra eius fama gloriaque ad ſummum adſpirauerit: quoniam vterini filii te adloquimur. Apud nos honoratiori loco *Ethelbertus* Rex tuus,quã *Brutus*, Græcus Dynaſta,hoſtis tuus. nobis amabilior Cygneus *Thameſis* tuus, *Albana & Pharphar:* (4. Reg.cap.5) quorum aluei in Damaſco , ſua etymologia ex *Sãguinis ſucco* crudelis. Nobis dulciores roſæ tuæ aliorum vrticis, quæ & tetigere Nepotes. Malum tuum iſtis ante oculos explicatum habes, iuxta ac eiuſdem actores,& auctores a me indigitatos vides. Deus bone, huccine rerum venimus ! quæ ambo ideo diſtinctius , rotundiuſque a me enarrata deprehendis,quod vt id facerem,ſumma in te charitas , amorque tui flagrantior me pene coegerint. Supereſt malum exhorreſcas, illius inſtructores a te repellas,ac ſic demum ad præſentem , ſimul ac futuram gloriam, catholica,docta,fidelis,pia,ſanctaque peruadas.

Laus Deo opt. Max. Beatiſsimæ Deiparæ Virgini Mariæ,
S.Odouardo Regi & Confeſſori,huius operis,in Die eiſeſtiuo
Typis vltima manu excuſi,Præſidi,& omnibus Sanctis.

INDEX

gio liberarentur. Supremo antē gradu ciuile pectus *S. Pauli*, *anathema* in ſeipſum deſiderantis, qui Iudæi ſalui conſiſterent. Sane in illius boni communis exacta cognitione, ac in eiuſdem procuratione, tota ferme laus ciuilitatis conſiſtit. præclarum ſane ingenium Ciuium Spartanorum, de quo *Plutarchus*: *Lacedæmonii vero honeſti partem primam vtilitati patriæ tribuentes, im aliud nec accipiunt, nec norunt, quam vnde Sparta capere poſsit incrementum.*

Plutarch. in Ageſil.

7. Hoc quidem bonum commune ex duplici ſpecie boni conflatur: ſcilicet ex bonis animi, & bonis corporis. Animi bona virtutibus, & diuina gratia conſtāt. corporis bona proferunt externa emolumenta diuitiarum, poteſtatis, iucunditatis, & honoris. priora bona ſuis naturis bona: poſteriora, vt a prioribus ordinantur. quibus autem qualitatibus inſtituendus ciuis, qui de bonis ciuicis diſponat, egregie ſtatuit *Plutarchus*: *Quo cum putat, magnas res poſſe conficere, qui in humiles cogitationes animum dimiſerit? nec profecto multos iuuabit indigentes, qui multis indigeat. Ego magni momenti viaticum in republica non diuitias, ſed per ſe ſufficientiam exiſtimo: quæ quia luxurioſum omnem apparatum repudiat, nullius voluptatis cauſa, grauiſsimum ciuitatis munus intermittit. Deus ſiquidem nulla re ſimpliciter eget. Hinc illam hominis virtutem, cui minimam alterius acceſsio neceſſaria eſt, perfectiſsimam putamus. Nam vt corpore optima valetudo, temperato, nec luxurioſo veſtitu, nec delicijs opus eſt, ſic vita & domus, quæ bene valent, non exquiſitis, ſed vtilibus copiis contenta ſunt. Neceſsitatis cum rationem habere pro facultatibus oportet. Veluti ſi quis plurimas opes cumulat, cum pauciſsimis vtatur, ei multa deeſſe conſtat: verum ſiue non vtitur apparatu rerum quas appetit, vanus eſt, ſiue appetit, obſtat autem per auaritiam ſibi, quo minus fruatur, miſer.* Verum quod hoc ipſum bonum publicū ex diuerſis generibus gubernationum conſurgat, proinde de illis primis, quæ proxime naturæ indolem ſequuntur, ſtatuendum videtur.

Plutarch. in Comparat. Ariſt. & Caton.

CAPVT VIII.

Quatuor ſumma, ac prima genera Imperiorum: Diuinum ſcilicet, Rationale, Concupiſcibile & Iraſcibile, recenſentur & expenduntur.

Clem. Alex. lib. 1. ſtrom. Plato. dial. 9. de Repub 2. de legib.

CLemens *Alexandrinus*, doctrinam *Platonis* ſequutus, quatuor ſuprema genera recenſet Imperiorum: *Diuinum, Rationale, Concupiſcibile* & *Iraſcibile*. quæ ideo dicuntur ſuprema genera, quod, Diuino excepto, ab vno Deo adminiſtrato, admittere poſſunt differentias *Monarchiæ, Ariſtocratiæ*, vel *Democratiæ*. Diuinum imperium illud eſt, quod a Deo erga ſuas creaturas ſpirituales, ac corporales, dum eas condit & in ſuos fines deſtinat, medijſque ad eos adipiſcendos inſtruit, dum præmiat, caſtigatque ex miſericordia, ac iuſtitia ſua, exercetur. hoc genus imperij neceſſario eſt monarchicum, ſicut neceſſario vnus ſolum Deus exiſtit, qui ab alio conſorte quo ad regimen, aut aliunde, dependere non poteſt. De hoc imperio, præter ſacrarū literarū auctores, agunt *Dionyſius Areopagita, S. Auguſtinus, Oroſius, Saluianus Maſsilienſis*, & alij. Tria reliqua genera ducuntur a tribus partibus humanæ naturæ; ſcilicet a facultate in ea rationali, vnde imperium *Rationale*, a poteſtate in eadem concupiſcendi: vnde Imperium *Concupiſcibile*; & ab energia in ipſa iraſcendi, ex qua Imperium *Iraſcibile* propagatur. Hinc in tribus omnem vim humanæ virtutis *Cicero* recte collocat: ſcilicet in cognitione veritatis, in moderatione appetitus & in propulſatione contrariorum. quocirca quatuor iſtæ formæ imperiorum oriuntur ex totidem principijs actionum in homine. quorum reſpectu, dum voluntas in illo medium quendam locum occupans: hoc eſt inter rationem in ſupremo collocatam, & appetitum ſenſitiuum quaſi in imo poſitum, ſituata, efficit, vt eius moribus aliqui hominum ad Angelos ſimilitudine quadam accedant; dum nempe ad rationis normam ea facultate operantur, qua Angelis adſines exiſtūt: alij viciſſim in pecora degenerāt, cōmunibus eis cū pecoribus appetitus moribus, eamdem voluntatem ſubijcientes. excitāda itaque voluntas vt diuinam, & rationalem vitam degat, ad ſuperiorem rationis partem, & quodammodo inferioribus extrahenda. ſunt enim in aliquibus voluntates tanquam immundi piſces ſine ſquammis, ſuo pondere ad limum depreſſæ, vt pote ad brutorum mores: quorum piſcium eſum olim Iudæis Deus prouide interdixit. aliæ autem veluti etiam piſces ſuis ſquāmis ad ſuperficiem purioris liquoris, per quam cæli lumina cernuntur, euectæ: ſcilicet diuino adflatu & rationis lumine inſtitutæ ad agendū virtuti optime incumbunt. Duo itaque imperia in faſtigio quodam eminentia, *Rationale*, & *Diuinum*: alia duo inferius ſubſidentia: *Concupiſcibile* & *Iraſcibile*. & quod actiones partis concupiſcibilis veluti in fundo naturæ, priores ſint illis quæ Iraſcibilis, ideo imperium concupiſcibile viliſſimum merito iudicetur. Quando ergo aliqua ex iſtis potentiis in cœtu hominum, aliarum comparatione præualet, tunc ad eius iuſſum ac legem in eodem certa ſpecies Imperij decernitur. Idcirco imperium rationale tunc emergit inter ciues, quando ex rationis vera ſententia leges & conſuetudines, denique omnes partes regiminis, ſtatuuntur: quale Græci, ac inter eos Athenienſes, ſibi vendicare ſolebant. Imperium *Concupiſcibile*, illud, quod ciuibus voluptatem vt finem vltimum proponit, omniaque ſtudia eodem refert: quale creditur fuiſſe illud *Sardanapali*, & aliorum paſſim in *Aſia* imperantium. Iraſcible dicitur, quod omnia ad militiam, ad vitæ rudem & inconditam auſteritatem, deſtinat: Cuiuſmodi erat illud *Dioniſii, Alexandri, Herculis*, Tyrannorum apud *Argiuos, Lacedæmoniorum*, ac aliorū in Septemtrione infinitos populos regentium, vt refert *Clemens Alexandrinus*. Romani ideo duplices poſuere triumphos, concupiſcibiles ſcilicet, & iraſcibiles. concupiſcibilis ille æſtimabatur, qui incruentis victoriis concedebatur in præmium vincentium. Iraſcibilis habebatur, qui parta fuit victoriis multo ſanguine conſtantibus. Hoc diſcreuere myrto, & lauro, vt ſcribit *Plutarchus*

Dionyſ. l. de Cæleſt. &c.

Eccl. hierar. Auguſt de ciuit Dei. Oroſius. hiſt. Saluio. de Iudic.

Ariſt. lib. 1. Eth. c. 1. Cicer lib. 2. off.

Ariſt 7. lib. Ethic. cap. 6.

Clem. Alex lib. 2. ſtrom

Plutarch in M. Corol. Gell. l. 2. c. 6

Plutarchus, quippe quod in myrtho quid aquei, flaccidi, ac venerei, in lauro ignea vis reperiatur. vt enim fructus radicis ſaporem refert, ita in homine actiones,& modi iubendi, naturam ipſius produnt,& ab ea, pro diuerſitate in ipſa ingenii, vario inſtituuntur. proinde non ſolum taliter loquuntur homines, quales ſunt, verum etiam quales moribus ſunt,ſic imperare volunt: ac ideo magiſtratus oſtendit virum.

Plato dial. 10. de Repub.

2. Ex quibus generibus, quod ad humana, vnum ſolum ciuile reputat *Plato*, nempe imperium *Rationale*: alia duo ab appetitu Concupiſcibili,& Iraſcibili deducta,appellat barbarica, ſeu Tyrannica. Sicut enim in homine appetitus ille duplex ex ſe turbatus eſt, in tranſuerſum actus, ita in republica tyrannis, inquit, a tota ratione auerſa, non aliunde inſtituitur, quam, vel a voluptate, vel a crudelitate imperantium. atq; inde duplex ſpecies Tyrannidis deſcēdit, concupiſcibilis & iraſcibilis. Cæterū vero recta ratio,cōſtans & moderata vitæ regula,ac in ſolidum bonum perpetuo directa, imaginē gerit in homine Principis Ciuilis in Republica,quod vſque adeo clarum eſt, vt in hoc maxime laborent Tyranni, vnde ex obtentis fucis rationis ac virtutis,etiā dum peſſima ex ſua libidine cōcupiſcentes,aut iraſcentes imperant,ſimiles videantur,nō vero vt ſunt,Barbari,aut Tyranni.

Clem Alex. lib. 1. Strom.

3. Iuxta quam Imperiorū partitionem, *Hyppodamus* apud *Clementem Alexandrinum*,tres conſtituit ſpecies amicitiæ,& neceſſitudinis inter homines: primam appellat diuinam,fide,religione neque vltra naturæ vires coalitam: ſecundam humanam, vtpote a ratione, quæ in homine res præcipua,formatam: poſtremam animalem vocat, appetitu nempe concupiſcendi, & iraſcendi,qui nobis cum aliis animalibus communis, decretam. atque de iſtis quatuor generibus imperiorum ſingillatim pauca dicenda.

4. Diuinum imperium, quod tribus perſonis ex æquo, quod ad proprietatem, ineſt, non ita definitur perſonarū ipſarum numero, quaſi vnus Deus diuerſimode ad ſe relatus, tribus perſonis dominaretur. nam regnum quodcunque,vt diximus, conſtat ex diuerſis partibus, non niſi ordine quodam ſuperioritatis,& inferioritatis,harmonice digeſtis: qualis ordo, aut partitio in diuinis perſonis haud inueniuntur. licet enim inter illas ſit ordo principij, ac manantis a principio, ſeu ordo originis, nullo tamen modo ordo ibi maioris ac minoris, ſuperioris & inferioris cogitari poterit, vbi omnes tres perſonæ vnus Deus, ſummaque æqualitas in eiſdem ſingulis reperitur. Imperium idcirco diuinum conſiderari debet in voluntate diuina, tribus perſonis inſita, reſpectus varios fundante ad ipſius Dei creaturas tam in cælo, quam in terris,adeoque vbique exiſtentes, eius auctoritatiua bonitate ac ſapientia diuerſimode cōditas & gubernatas. Alio tamen & alio modo, vt aduertit *S. Dionyſius*, res ſibi ſubiectas regit Dei omnipotentia. quædam enim ipſis inditis qualitatibus ita in fines ſuos ab ipſo deſtinantur, vt vel ſolo naturæ in eis pondere in illos continuo ferantur; neque alio rſum poſſunt vlla renitentia reſilire: vtpote omnia concreta ex materia ac forma corporeis, cælum, elementa, mixta,animantia. alia vero, vti Angeli,& homines,ita dono creationis, gubernationis, ac ſpecialis fauoris diuini,ad ſuos fines incitantur; vt non ſolū connixu ſuo illos attingāt, quinimo hoc perficiant cum laude operis, cum actionis meritoriæ præſtantia:quippe libere ſeſe mouentes,& in vtramque partem ſponte concedentes: quod *Gregorius Nazianſenus* in argumentū diuinæ erga nos bonitatis,merito interpretatur: nimirū, *Vt noſtra quoque aliqua ex parte ſit virtus, neque a natura ſolum nobis inſeratur: ſed voluntate etiam, animique propoſito excolatur, arbitrijque libertate parem in vtramque partem motum habente.*

Dionyſ. l. 1. de Cæleſt. Hierar. c. 1.

Gregor. Nazianſ. or. de Natiu.

5. Quædam itaque Deus in lucem profert, vel ad nihilum etiam redigit ſua ſola actione, aut conſeruationis ſubtractione, vtpote cælum & terram,angelos,& animum ex nihilo creando, multaque ad nihil reuocando. alia per adminicula cauſarum ſecundarum educit: non quod ad ea producenda earum ope indigeat; ſed quum ipſemet ſolus ea excitare potuerit, vt naturæ tamen a ſe conditę decus quoddam adferret, eius opera ac miniſterio in agendo vti voluerit: niſi fortaſſis ex imperfectione effectus, vt pote *Modorum ſeſe habendi*, relationum, actionumque vitalium, quod contra *Nominales* multi contendunt, ad ſecundarum cauſarum efficientias reſtrictorum ab intrinſecis ſuis principijs, eorum reſpectu quædam ſint, quæ a ſolo Deo proferri non poſſint. vtcumque vero hac in re ſentiendum fuerit, nulla ex cauſis ſecundis eius voluntati efficaci poterit reſiſtere, tametſi plurima incidant, ſimplici eiuſdem beneplacito renitente, vt noſtri Theologi optime definiunt.

Boet. lib. 1 Conſ. Met. 9

——— *tu cuncta ſuperne,*
Ducis ab exemplo, pulcrum pulcherimus ipſe,
Perfectaſque iubens perfectam abſoluere partes.
Tu numeris elementa ligas, vt Frigora Flammis,
Arida conueniant liquidis, nec purior ignis
Euolet, aut merſas deducant pondera terras.
Tu triplicis mediam natura cuncta mouentem
Connectens animam, per conſona membra reſoluis:
Quæ cum ſecta duos motum glomerauit in orbes
In ſemet reditura meat, mentemque profundam
Circuit, & ſimili conuertit imagine Cælum.
Tu cauſis animas paribus, vitaſque minores
Prouehis, & leuibus ſublimes curribus aptans,
In cælum, terramque ſeris, quas lege benigna
Ad te conuerſas reduci facis igne reuerti.
Tu requies tranquilla Piis, te cernere finis,
Principium, Rector, Dux, Semita, Terminus idem.

6. Diuinum hoc imperium, tametſi omnes mortales complectatur, ſingulari tamē ratione ciues olim habuit Iudæos: quippe a Deo ipſomet legis inſtructione,auxilioque, præ omnibus aliis ad ipſius voluntatem, ac ipſorummet fœlicitatem, optime inſtitutos. Cuius imperata apud illum populum erant triplicia, *Moralia*, *Ceremonialia*, ac *Iudicialia*. Cæterum diuinum hoc imperium, lege ab eo ſancita ſtabilitum, non tam cernitur in rebus externis, quam in internis animæ virtutibus, aditum ad veram beatitudinem aperientibus. propterea Apoſtolus palam dixit: *Non eſt enim regnū Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in* Rom. 14.

Spiritu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX.

RERVM MEMORABILIVM

QVÆ IN HOC THEATRO

SPARSIM CONTINENTVR.

Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum ſiue Sectionem capitis indicat.

ABducimur a vitijs ex cognitione turpitudinis in eis
Abſtinentiæ videntur ciues a natura addicti pag. 315.14.
Abſoluta poteſtas deſpotica ciuilis non eſt, ſed barbara. 11.13.
Acerbior caſus fortunæ Catholicos ſolatur quod ſciant Deum ab ipſis ſtare, nihilque pro nomine Ieſu pati non cupiunt. 536.25.26.& 27.
Actiones monaſticæ ad ciuilem ſpectant. 12.2.
Actionum humanarum duo Principia. 75.1.
Actiones ſacræ, ſed & ciuiles, a fide & diuina reuelatione præſcribeodæ. 131.17.
Adminiſtratio boni ciuilis a virtuta ſumenda. 48.6.
Aduerſa impetu & amore hominem ad Deum compelluot 123.5.
Aeris mutatio frequens, animorum mutationes frequētes denotat. 33.8 9. 10.
Aeris, ſolis & radiorum ſolarlū quæ vis in corpora humana. ibid. 3 & 4.
Affectus varij ex varietate ingeniorum. 31.12.
affectus in appetitu ſenſitiuo cauſæ originales in corporis diſpoſitione reperiuntur. 43.1.2.& 3.
Affectus parentum in prolem tenerior vnde procedit. 51.5.
Affectus & ætas puerilis quibus laborēt condicionibus 52.6.
Affectuum internorum indices ſunt oculi. 68.1.
Afflictis hominibus aſylum, Dei amor. 64.8.
Agreſtes homines & male educati cur boni communis notitiam non habeant. 21.2.
Amicitiæ inra, ſine recta inſtitutione non bene ſeruantur. 64.6.
Amicitiæ ſpecies tres inter homines 24.3.
Amor priuatus & priuati commodi coniugibus infeſtus. 59.12.
amor ſui ex voluntate & concupiſcentia oritur. 71.10.
Amor ſui culpabilis eſt & opponitur amori honeſti. ibid. 2.
Amoris ſui malitia vnde ſpectanda ibid.
Amor ſui & amor ciuilis opponuntur. ibid.
Amor, primus imperator potentiarum & paſſionum. 73.3.
Amor ſui faſcinat intellectum. ibid.
Amor ſui meticuloſus tyrannus. 73.4.
Amor ſui ciuilitatis hoſtis. ibid. 1.
Amor ſui charitate ſupprimendus. ibid. 2.& 6.
Amor ſui in principe quam pernicioſus. 74.4 & 5.
Amor Dei eſt vinculum, quo homines cum Deo ac inter ſe copulantur. 269. 1.
Amor Dei condidit vniuerſi mundi machinam, vt naturæ beneficio humanis vſibus eſſet prouiſum. 270. 2 & 3.
Amor voluptatis a ciuili viro coercendus certa diſciplinæ forma. 522.2.
Amor erga Deū ex eius cognitione propagatur. 545.1.
Amor erga Deum & proximum verus, nullus eſt apud Proteſtantes. 557.38.
Amoris dei & proximi tria incentiua, 271.4.
Amore amandi conciues ob ornamenta ſcientiæ, virtutis & bonæ indolis, quibus decorantur. 273.10.& 11
Amor erga Chriſtum, ex eius innata perfectione & optima eius voluntate & amore, quo nos beneficijs cumulauit. 275.1 & 2.
Amoris in Chriſtum illectamenta ſunt eius actiones & beneficia in nos collata. 276.4 & 5.
amor noſter quatuor meditatur, quæ Chriſtus paſſus eſt: quæ ad ciuilitatem faciunt. ibid. 6.7.& 8.
Amori coniugali & fidelitati quæ difficultates obſiſtunt. 281.2.& 3.
Amor conſanguineorum & cognatorum e re ciuili eſt. 283.2.
Amoris amicitiæ tres ſpecies. 283.1.
Amor amicitiæ eſt communicatio affectus & inter bonos tantum reperitur. 293.1.
Amor amicitiæ amico virtutem procurat ibid. 2.
amoris amicitiæ duo commoda quo ad officium ciuile
Amicitia colenda & habenda tanquam quid vtile. 294.4.
Amicitiæ triplex fructus iucundus. ibid. 5.
Amicitiæ deſiderium omnibus genribus innatum Stoicis exceptis. 294.6 & 7.
Amicorum defectum moderate perferre ſapientis eſt. 297.8.
Anarchiam ſuam vnde Proteſtantes hæretici in negotijs religionis ac fidei ſtabiliunt. 521.15.
Anima lampas criſtallina, in qua charitas & lumen ſcientiæ illucent. 85.1.
Anachoretis dat deus beneficia corporalia & ſpiritualia. 9.
Anglicana crudelitas quibus figmentis in Catholicos ſæuire ſtatuit. 533.18.19.20.21.22.
Anima humana comparatur ferro a magnete tracto. 94.5.
Animæ multiplex cogitatio ad mores ciuiles egregie conducit. 142.1.
Anima Dei flatu in corpus inſpirata, in duobus

bus

bus dei effigiem exhibet. ibid.3.
Anima ſceleribus polluta ſummo pudore afficitur. 200.9.
Animam tot facultatibus inſtructam cur deus nobis dedit 207.1.
Animam duobus modis Conſcientia excruciat. 200.7 & 8.
Animæ triplex clades ab intẽperantia infertur. 313.14.
Animi Indolis ſtili genere ſæpe proditur, ſicut et indolis vitium 159.12.
Animi faſtus & arrogantia a prudenti viro longe abeſſe debent. 180.7 et 8.
Animo commiſſum crimen externus vultus manifeſtat, ſic virtutis decor in corpus redundat. 232.13.
Anglica natio ratione cœli et ſoli in affectibus moderatior. 35 10.
Appetitus ſenſitiuus duo habet, videlicet amorem et dolorem, motibus et legitus moderandos. 148.10.
Apolo triceps quomodo prudentiæ ſymbolũ. 179.4
Apoſtoli et ſancti Chriſto boni odores, ac huius odoris deliciis plures ad Chriſtum attraxerunt. 222 15. 16. et 17.
Ars a natura ortum cepit, et eam imitari ſtudet. 171.1.
Artis quæ forma, obiectum et finis ibid. 2.
Artis et virtutis moralis quæ differentia ibid. 3.
Artis finis complectitur neceſſitatem, vitæ facilitatem ac voluptatem. 174.4.
Artium inuentio, ſpecies, numerus et æſtimatio dependent ab hominum ſtatu triplici. ibid. 6.
Artes olim qui vituperarunt ibid. 7. et 8.
Artibus exculta ciuilitas quaquauerſum ſpirat incommditates. 173 9.
Appetitus ſenſitiuus ſeminarium eſt diſcordiarum & quo modo. 370. 2. et 3.
Artes voluptuariæ multa damna adferunt. 174. 12.
Artes oculis et auribus blandientes magis otioſæ: quæ vero tactui, magis noxiæ. ibid. 13.
Ariſtocraticus ſtatus corrumpitur nobilium æmulatione et inæqualitate orta ex diuitijs et populi fauoribus. 365. 18.
Ariſtocratia Epiſcoporum eſſet inconueniens Sanctitati Eccleſiæ, ſicut & principum & magiſtratum ciuilium, imo fide & religioni noxia & infeſta. 520, et 9.
Artes fraudulentiæ cum præualent in moribus principum, barbariem in rempub. relegatis moribus ciuilibus et rationibus, induxunt. 408. 9.
Apoſtatiã Lutheri & Caluini quomodo excuſent hæretici 435. 18.
Apoſtatæ Lutherus & Caluinus a chriſto receſſerũt & ab Eccleſia, ideo omni iuriſdictione et miſſione et vocatione deſtituti ſunt, et in orbem furioſe et hæretice prouſilierunt 435. 19.
Apoſtaticus eſt ſtatus defectionis hæreticorum, quia ab omnibus fere articulis fidei receſſerunt. ibid. 20.
Apoſtoli etſi immediate a Chriſto iuriſdictionem & poteſtatem ordinis ſortiti ſunt in vniuerſum orbẽ, tamen quod ad illas, fuerunt S. Petri ſupremæ & ordinariæ Iuriſdictioni ſubiecti. 514. 14.
Aſtrologi non impune permittendi cum diſpendio aliarum ſcientiarum. 380. 14.
Aſtrologi ſuis prædictionibus genus humanum curis & angoribus replent. ibid. 15.
Aſtrologi ciuium egregios conatus retardãt, & eorum animos ad præclara labefactant. 381. 16.
Aſtrologi decepti ſæpius in acerbam fortunam delapſi perierunt. ibid. 17.
Aſtrologi duabus rationibus vituperabiles. ibid. 18.
Aſtrologiæ contemplatio quæ diuinans eſt, multos in errorem induxit. 377. 1. & 2.
Aſtrologi vanitatis & arrogantiæ ſpeciem diuinando oſtendunt. ibid. 4.
Aſtrologi hominis voluntatem fatali neceſſitati dimittentes, virtutem fœdant, & vitia ornant. ibid. 12
Aſtrologi vnde dicti. 377. 4.
Aſtrologi rebus & ſcientijs ciuilibus pernicioſi & quare. 378. 5.
Aſtrologorum diuinatio in animæ hominis dignitatem debacchatur. 380. 11.
Aſtrologorum dogma infert vim Charitati, iuſtitiæ ac prouidentiæ diuinæ. ibid. 13.
Aſtronomia ortum habuit ex Hebræis ſecundum quorundam opinionem. 377. 3.
Athei omnem cogitationem ſuam a diuinis auertunt. 367. 2.
Athei deſtituuntur neceſſitudine cum Deo, quam decernit Religio. ibid. 4.
Atheiſmus Filia & partus barbariei, & effectus vitiorum eam in vita proferentium. ibid. 3.
Atheiſmus Ingenij rigorem inducit, quo efferati populi, omnem morum ciuilitatem & virtutem abijciunt. ibid. 2.
Auſtrales populi ſolem habuerunt pro Deo & quare, 373. 6.
Authoritas principis vnde ſtabilienda. 10. 14.

B.

IN baptiſmo quando ingredimur Eccleſiam, quomodo profiteamur tacite mortem, ſepulturam & reſurrectionem noſtram. 574. 2.
Barbaries inſidias inſtruit ciuilitati morum & ipſis virtutibus. 366. 1.
Barbarum non tantum ſignificat exoticum & extraneum, ſed quod alienum eſt a præſidijs & ornamẽtis virtutis & ciuilitatis. ibid. 22.
Beatum in rebus humanis aut perfectum nihil. 77. 9.
Beati ratione beatitudinis Deo proximi, & ideo honore & cultu digni. 566. 1.
Belli & conuictus ratio a qualitate regionis deducitur pag. 35. 11.
Belli in ſtatu fortitudo & patientia neceſſaria, non tamen ſine iuſtitia. 213. 9.
Belli tempora ſcientijs inepta, quæ in contemplatione conſiſtunt. 215. 6.
Bellum quandoque quam pax vtilius. 216. 8.
Bellum ne prorſus ſit immane & barbarum duo requirit. 396. 18.
Benedictiones & conſecrationes variarum rerum diuinam opem et virtutem rebus benedictis conciliant. 266. 5.
Beneficia omnia a Chriſto nobis exhibita, reducuntur ad redemptionem et exemplum. 276. 5.
Beneficiorum dei magnitudines hæreſibus et erroribus diminuere, eſt hæreticis inſitum. 547. 7.
Beneuolentia inter ciues eſſe oportet, non quæ a voluptate et vtilitate male partorum, ſed quæ ex virtute. 291. 2.
Bonitas dei eſt fons viuus in medio paradiſi et quomodo. 538. 2.
Bonitas diuina applicatur nobis per verbum Dei, Sacramenta, bona exempla et per Sanctorum tam in

via

via quam in patria: ſuffragia ibidem.
Bonitas Diuina eſt cor ardens ad nobis benefaciendum ibid.
Bonitatem Dei offendit illa ſententia, quæ dicit infantes ſine baptiſmo decedentes, horrendis ſupplicijs inferni caſtigandos. 545.2.
Bonitatem Dei offendit & illa ſententia eorum, qui gratiam per Chriſtum ſufficientem non admittunt. ibid num. 4. & 547.6.
Bonitatem Dei deprædicat gratia ſufficiens data reprobis ſiue non perſeuerantibus. 546.5.
Bonum commune quale & quid ſit. 17.1.
Bonum commune duplici ratione in ciuitate aliqua reperitur. ibid.
Bonum commune plura complectitur quam bona corporis aut fortunæ. 19.8.
Bonum commune ab ingenuis diligendum. 22.5.
Bonum commune perpetuo duraturum ad poſteros tranſmittere. præclarum eſt. 23.
Bonum commune conflatur ex bonis animi & corporis. ibidem.
Boni communis quæ partes. 19.9.
Boni communis pulchritudo quædam eſt intellectualis, quædam vero æterna. 18.5.
Bono communi duo ſunt conſpicua. 17.2.
Bono communi multi ſe deuouere. 22.6.
Bona omnium ſunt in quadruplici differentia. 403.1.

C.

Charitas in regno Dei quid faciat. 186.
Charitas tanquam regina, radix & mater omnium virtutum in vita ciuili ſpectanda. 273.12.
Charitas eſt perpetuo ferax omnium virtutum. 291.3. & 4.
charitas complicat ciues, deinde omnium mortalium ſocietatem. 292.6.
Caluinus chriſtum ignorantiæ & inſcitiæ inſimulat. 472.12.
caluinus chriſtum patris obedientiæ rebellare voluiſſe & de eius bonitate deſperaſſe falſo blaſphemat. 473.16
Calamitates ob ſcelera immiſſæ diuinam manifeſtant prouidentiam. 120.17 & 18.
Carminis vſus in ſacris, veris & prophanis fuit ſemper celeberrimus. 161.5.
calori nutritiuo inſeruit triplex facultas. 306.2.
Caſtimoniam & continentiam fides Chriſtiana dicit eſſe corporis ac animæ ſanctitatem. 319.13.
caſualia & fortuita habent cauſam ſuam in alto receſſu naturæ. 102.6.
Catholici inſtructi fide chriſti, pleniſſime moderatos & mites ſe exhibent hæreticis. 422.16.
Catholicum dogma cognoſcitur Eccleſiæ catholicæ traditione. 427.13.
catholici ab hæreticis odio haberi mirum non eſt, ſicut nec virtuoſi ab impijs. 224.21 & 22.
Catholicus tentatus de fide, ad Eccleſiæ fidem recurrit. 447.8.
catholicus recreatur, dum admirabilem vim fidei ad morum ſanctimoniam adhibet, qua Proteſtantes carent. 448.11.12.
Catholici recte ſentiunt de operibus chriſti & eius merito & ipſum proponunt Deum colendum adorandum & tremendum 471.12.
catholici peccati horrendam peccati ſpeciem agnoſcunt & fatentur illud adeo minime fieri nec ipſo volente. 501.18.
Catholici ciuile iudicium de vitij turpitudine, a praua voluntate profecti, recte tenent. ibid. 17.
catholici ipſius conſcientiæ ſententia iura principum ac iuſſa obſeruanda definiunt, quo monarchias ſtabiliant. 510.6.
Catholici admittunt magiſteria docentis ac definientis, hæretici vero nullum plane etiam patrum antiquorum. ibid. 4 & 5.
catholici omne otium abijciunt in ſtudio litterarum: hæretici vero in ſuis ſtudijs voluptati duobus modis ſe dedunt. ibid. 6.7.
Catholici concupiſcentiam reprimunt, vt euadant iuſti & Sancti, et ſeueritatem acre eius deſiderijs adhibent. 524.8.9.& 10.
catholici in mortificandis petulantijs carnis, prudentiæ modum non excedunt, Proteſtantes vero omni voluptati frænos laxant. ibid. 11.
Catholici conſenſum internum in voluptatem, peccatum æſtimant, nec vnquam omittunt quod peccatū impedit. e contra Proteſtantes credunt ſe prædeſtinatos peccatum facere. ibid. 13. & 14.
catholici timore amittendi iuſtitiam ſolliciti ſunt: proteſtantes vero de ſua ſalute certam habent fiduciam 526.14.& 15.
Catholici virtutem arduam proſequuntur, quam proteſtantes inertia & otio ſoluti contemnunt, ibid 16.& 17.
catholici legem naturæ & Dei, regulam ſuarum actionum admittunt. Proteſtantes exleges omnino ſunt & eſſe volunt. ibid. 18 & 19.
Catholici dolorem pœnitentiæ ab adultis præmittendū iuſtificationi credunt: Proteſtantes vero ſine dolore aut contritione in ſua ſola fiducia ſceleratæ conquieſcunt. 527.21, 22.23.& 24.
catholici ne peccent, ſedulo & continuo vim concupiſcentiæ inferrunt: Proteſtantes vero neque chriſti crucem neque crucis mortificationem aſſumere volunt. 527.24. et 26.
Catholici ſatiſfactionem per opera pœnalia ſponte aſſumpta diuinæ iuſtitiæ conantur exhibere, Proteſtantes vero chriſtum pro nobis omnia ſatiſfeciſſe perpetuo occinunt. 528.26. et 27.
catholici non iam ſua quam aliena peccata ex commiſeratione lugent, Proteſtantes cum vera fide omnē humanitatem plane exuerunt. ibid. 28 et 29.
Catholici ſtatuta ieiunia certis anni temporibus a matre Eccleſiæ cum alacritate perſoluunt, Proteſtantes vero huic auſteritati quaſi Epicuri de grege porci aduerſantur. ibid. 30 et 31.
catholici in hebdomada pœnoſa & ſancta cum Eccleſia mortem Filij Dei plangunt peccata ſua deteſtati, Proteſtantes nulla mirrha amantis ac dolentis animi chriſtum colunt. ibid. 32. et 33.
Catholici virginitatis florem ſolicitudine & parſimonia ſeruandum ſuadent: Proteſtātes vero Venerem, Adonidem & Bacchum amant. 529.34.35.& 36.
catholici modum libidini conſtituunt per matrimonij Sacramentum, proteſtantes vero ſanctitatem matrimonio adimentes, eius violationem facilitant. ibid. 37. et. 38.
Catholici voluptati renunciātes, Religionis tria vota in magno numero emittunt: proteſtātes vero Apoſtaſia & defectu libertati carnis fauent. 530. 39. et. 40.
Catholici voluptatis fugaces, natiuis relictis locis ad exteros peregrinantur, vt eorum animas

animas lucrentur: proteſtantes vero otio & diliciis obſuideſcunt & non niſi rapiendi & latrocinandi cauſa loco mouentur. 520.40 & 41.
Catholici ſententijs ſuis, contra voluptates decertant: proteſtantes vero venere & bacho nil ſuauius ducunt ibid. 43 & 44.
Catholici inſigni charitatis ac beneuolentie ardore elucent: Proteſtantes vero Chriſti Eccleſiam impugnant ſæuitia & pigritia. 530.1 & 2.
Catholici in Eccleſia vnam agnoſcunt regulam fidei: credendi videlicet ſimplicitatem, quam Proteſtantes recuſant. 531.5 & 6.
Catholici admittunt & optant fide & operibus a Deo iuſtificari. Proteſtantes vero vna ſola fide in Deum inaniter gloriantur. 531. 532.7 & 8.
Catholici primo docent quam corrigunt: proteſtantes vero ad inſtar luporũ rapiunt & iugulãt ibid. 9 & 10.
Catholici in fidei diſſidijs iudicium Eccleſiæ requirunt: e contra Proteſtantes ſemper litigant ibid. 11. 12. 13 & 14.
Catholici diuinas conſolationes in ſuis afflictionibus ſentiunt. Proteſtantes vero carentes virtute, nullas præter carnales habent ibid. 15 & 16.
Catholici in ſuis ærumnis Chriſtum intuentur, ex cuius aſpectu ſanantur, e contra Proteſtantes contendunt Criſtum deſperaſſe & damnati hominis pœnas ſenſiſſe. 539.27 & 28.
Catholici amore virtutum inflammantur & ſperant beatitudinem vt fructũ earum, ac meritorum ſtipendium. 544.20.
Catholica Euchariſtiæ myſteria infinito gradu diſtant a cœna Proteſtantica. 555.29.
Catholici cupiunt affectu charitatis deo arctiſſime vniri in hac vita per gratiam, in altera vero per gloriam. 557.37.
Charitate deſtituti proteſtantes, & a iudicio Eccleſiæ reſilientes, diſcordias nutriunt & excitant. 549.5.
Charitas quæ aliorum bonum reſpicit, ex varijs ortum ſumit. 556.33.
Charitatis ardor inflammat Catholicos vt ad barbaras nationes proficiſcantur fidei amplificandæ cauſa ibid. 34.
Charitatis motũ in Deum vti neceſſariam præparationem ad gratiam iuſtificantem requirunt chatolici ibid. 55.
Cauſa amoris mutui in coniugatis eſt moderatus thori vſus & modeſta conuerſatio 320.4.
Cœli & elementa, & eorum ornatus pro numinibus habita, nullam ciuilitatem facere queunt. 374.952.
Cœlibatum & continentiam ſacrorum hominum quibus rationibus impij & prophani homines conuellere nituntur 261.7.
Cælibabatui addictis & a matrimonio auerſis proſpicitur per religiones caſtitatem vouentes. 263.5.
Cæli ac terræ per Geographicas & Aſtronomicas contemplationes inueſtigatio morum ciuilitati accommoda. 543.10.
chriſtus totus aromaticus, ſuarum odore virtutum populos innumeros ad ſe traxit. 222.15.
chriſtus ſeruator fecit nos excellere ſuper omnes nationes in vnius & veri Dei cognitione. 457.5.
Chriſtus quomodo redẽptor & doctor noſter. 467.4.
Chriſtus homo exiſtens, filius quoque Dei naturalis fuit & non ſolum adoptiuus, vt iuſti. ibidem.
Chriſtus in extremo vitæ, ex ſummo amore matris curam egit, eam dilecte commendans diſcipulo. 477.30
chriſtus quomodo pro nobis factus ſit peccatũ. 571.29
Chriſti Domini excellentia in ipſius perſona, operibus meritis, donis nobis collatis ſpectanda. 466.3.
chriſti humana natura eadem ſubſiſtentia ſubſiſtit, qua diuina. 469 7.
chriſti Domini diuinitati Duæ hereſes Arrii & Neſtorii olim infeſtæ. 471.11.
Chriſti in humanitate duo prouenerunt ab ipſa diuinitate, quæ chriſtianorum ſingulari ſunt priuilegia. 467.3.
chriſti Domini anima omnium rerum cognitione & ſcientia illuſtrata fuit 172.13.
Chriſti appetitus ſenſitiuus ſemper fuit rectæ rationi compoſitus ac ſub moderamine diuinitatis. 473.16. & 17.
chriſti corpus vt proprium inſtrumentum proxime coniunctum diuinitatis, plures excellentiſſimos effectus produxit. 474.20.
chriſti corporis virtutes & vim negant heretici blaſphemantes. ibidem.
chriſti inſigne beneficium in nos reputamus, quod eius merito Eccleſiam matrem habeamus, cuius doctrina ſine omni ſuſpicione erroris ſecure accipimus 476.28.
Chriſti meritis & gratia datur quod in nobis opera virtutum diuini premii meritoria reddatur. n chriſti Domini voluntas plane impeccabilis fuit. 473.15.
chriſtiani Deum rerum omnium effectorem & creatorem fatentur, nec vllo modo eam peccati authorem agnoſcunt. 463.16.
Ad chriſtiani nominis decus ſpectat maxima quæque de Domnio & principe noſtro chriſto profiteri. 466.3
Ciuiles homines nouiſſe debent virtutum præſtantiam & ſingularem eius in anima effectum. 501.19.
ciuilis ratio quæ, & quæ ratio ſtatus. 2.5.
ciuilis debiti quæ differentia. 1.3.
Ciuilis authoritas an a Deo mediate aut immediate in principem deuenerit. 6.23.4 & 5.
ciuilis vitæ exempla prebent apes, aranea & formica. 18.10.
Ciuilis vitæ incunditatis Duo fontes. 19.6.
ciuili in vita quæ incunditatem adferant. 18.6.
Ciuili in vita multa hoc ſæculo redarguenda pag. 1.1.
ciuilitati quæ indoles aptior. 13.
Ciuilitatis tres partes. 3.9.
ciuilitatis ſtudij quæ origo & indigentia. 4.1.
Ciuilitatis neceſſitas inferunt duo ibid. 2.
In ciuilitate quæ conſideranda. 1.2.
Ciuilitatis primus gradus incipit a conditis ciuitatibus 43.
ciuilitatis ſemen multitudo ibid. 7.
Ciuilem ad coniunctum quomodo iuuenes inſtituendi. 56.2.
ciuile decus non proſpero ſucceſſu voluptatis, ſed rigore aduerſantis diſciplinæ comparatur. 71.10.
ciuili homini ſapientia cognitioque Dei vt principii & finis omnium neceſſaria. 88.1.
ciues ad Deum conſultius ſpem eleuare debent in cõſideratione prouidentiæ diuinæ. 93.3.
ciuis non debet proprium hominis officium ignorare
ciues iucundam vitam non ducunt ſine diſciplina. 64. 7. & 8.
Ciuium tres ordines in vnaquaque ciuitate. 93.1.
Ciuium bonorum remuneratio in hac vita, eſt diuinæ prouidentiæ manifeſtatio. 109.14.
Ciues malis vexatos, non a fortuna & fato, ſed

a Deo principe & optimo patre exiſtimandū 123.6
Ciuili Sapientiæ duo obiecta, nempe Deus omnia ſua gubernaos prouidentia, & animæ immortalis dignitas. 128.9.
Ciuilis vir finem & modum actionis moralis bonæ & circumſtantias expendere debet. 147.6.7.8.& 9.
Ciuilis prudentia, ad cognoſcendas virtutes & vitia & recte iudicia facienda, moralis ſcientiæ principijs indiget. 148.12.
Ciuilibus ſtudijs magna vtilitas ex vera & genuina eloquentia. 162.17.
Ciuilem vitam quatuor in vniuerſū cardines continent 210.1.
Ciues ſeorſim, tam pacisquam belli artes ignorare non debent. 211. 6.
Ciuilē vitam continent actionis honeſtas, & concordiæ firmiter inter ciues contexta ordo. 373.9.
Ciuiles fuere Iudæi maximi inter omnes nationes terræ & quare. 376.17.
ciues oportet ea mala expendere, quæ ex peccato. 197.5
Ciuitati nihil perniciolus quam ſi magiſtratus in parte vel in toto fuerit atheus. 368. 5.
Ciuis bonus non eſt appellandus qui bonus vir non fuerit. 235.5.
Ciuis bonus poteſt eſſe tripheiter vir malus. 235.3.
Ciuilitatē maxime inſtituit & ſtabilit amor Dei. 235.9
Ciuis bonus æſtimandus non eſt, qui ſuis criminibus diuinam iuſtitiam prouocat, ſed inter ſceleratos reputandus. 237.10.
Ciues ex iuſtitia ſubiectiua & poteſtatiua euadunt alijs amabiles 238.4.
Ciuilis religio requirit cæremonias illuſtres & maieſtate plenas. 247. 7.
Ciues erga ſe mutuo charitate & Beneuolentia affecti eſſe debent. 290. 1.
Cibi copia tam nutritiuæ quā retentiuæ & digeſtiuæ officit. 310 12
Ciborum dua genera vitanda, & quæ illa ibid. 11.
cibi immoderatius ſumpti ingentem copiam vaporis ad cerebrum emittunt. 313. 4.
Cogitatio prima hominis aliqua bona an ſit effectus diuinæ prouidentiæ voluntariæ. 100. 5.
cogitatio hominis nec Angelo nec dæmoni, ſed ſoli Deo nota. 68.1.
Cognitio ſpeculatiua multarum rerum ad mores ciuiles facit. 81. 5.
Cognitio ſpeculatiua ad actionem non pertinens, quatenus admittenda. 81.6.& 7.
Cognitionis Dei in nobis triplex genus. 89.3.
Cognitio ciuilis alia experimētalis alia ſcientifica pag. 141.11.
communionis quod ad amicitiam tres ſpecies. 283.1.
Compaſſio Chriſti paſſi maxime ad ciuilitatem facit, quod pluribus oſtenditur. 278. 8. & 9.
compaſſione Chriſti paſſionis, Chriſto eſt compatiendum, vt affectus amoris & doloris in nobis excitetur, crucis ſignum vbique erectum ibid. 8.
Compaſſionē Chriſti paſſi Deus pater maxime probat. 278. 10. & 11.
Compaſſio Chriſti paſſi efficit contritionē de peccato 279. 12.
Compaſſio Chriſti paſſi a corde fero & barbaro non exprimitur ibid. 13.
Concordiæ & pacis inter omnes origo & fons eſt vna & communis fides, vnum fidei veræ dogma, & in eo conſtantia. 128.7.
Conciliū Tridentinum chatechiſmo ſuo ex Cicerone colorem & ſtilum dedit: ex S. Thoma Aquinate vero neruos, vim & energiam veritatis. 161.16.
Coniuges ſine felle amaritudinis & iecinore ardoris & libidinis eſſe debent. 319. 13.
Coniugibus expetendum quod virtus poſtulat & non id ad quod libido inflammat. 320. 5.
Coniugali ac matrimoniali continentiæ duo proſunt ex Sapientium inſtituto. 321.6.
Coniugium quo ritu apud veteres Eccleſiæ patres ſuſcripiebatur. 280.4. & 5.
Coniugij opus ratione finis nobiliſſimum inſtitutum. 280. 3.
Coniugatorum diſſidia ingentis mali cauſa & origo. 28.6.
Coniugis ſuſpicio violati thori exulcerationem acerbiorem efficit in coniuge & in tota familia ibidem.
Coniugalis nexus præclara ſpecies eſt charitatis & amoris, quæ cernitur. 555.30.
Conſcientia eſt ciuibus optimum munimentum contra vitia quæ rempublicam perdunt. 503. 2.
Conſcientia tenore actionis perpetuo honeſtatem exercet ibid. 4.
cōnſcientia duo mala diſtinguit in flagitio ibid. 2.
Coniugij Sacramenti ratio tradditæ eſt ad confirmandos animos coniogum ibid. 31.
coniugij vinculum illæſum nō relinquunt proteſtantes. 556.32.
Conſcientia quid ſit definitur, & quomodo operetur. 197.8.
conſcientia ſceleribus contaminata, prouidentiam Dei excutere nititur.
Conſcientiæ remorſus ex tribus quæ conſiderat peccans, Deo videlicet quē offendit, damnis aliorū quæ infert, & propriæ animæ excellentia quam occidit. 198.2.
Conſcientia rea peccati, Deum fugit, nec eius viſionem admittit ibid. 3.
Conſcientia peccati ſibi conſcia, ſæua in propriū ſubiectum ibidem.
Conſenſu communi communitas conueniens in vnū corpus, triplicem poteſt habere materiam ad leges condendas 510.7 & 8.
conſiliarij, rigidiori diſciplina imbuti eſſe debēt. 66.7
Contemptus ſpeciei externæ & ſplendoris, virtutis inſigne, & ad mores ciuiles adiumentum eſt. 80. 3.
Contemplatio rerum humanarum & celeſtum libidines reprimit. 87.6.
Continentia vidualis ciuilis eſt omnino, & etiam ſacra. 321. 7.
continentia & cœlibatus ſacrorum hominum facit ad morum ciuilitatem, in qua Sancte & eminenter chriſtiani veri Dei cultores excellunt, 259. 1. & 2.
Conuictus rationes vt optimæ ſint, temperantiæ remedio moderandæ. 311. 13.14.15.16.
corpus humanum concinne tabulæ ex cera comparatur. 231.11.
Corporis inſpectio & agnitio, ciuili homini non negligenda. 142.4.
In corpore tria attendenda Ibidem.
Conuerſationis mutuæ officium cum externis Deus & natura hominis ſuadent. 300.1.2.
conuerſationis mutuæ officium cum exteris in duobus continetur. 301.4.
Corporis exercitium eſt ſanitati, robori & venuſtati vtiliſſimum ibidem.

Crux ſeruatoris ab Heraclio Imperatore portata, maieſtatis eius pondere preſſo quid denotet. 153.1.
Cultus nulli rei niſi excellenti debetur, ideo Deo qui omnia excellit, excellens cultus religionis debetur. 241. 1.
Cultus religionis non ſolum interno voluntatis ac intellectus opere fit, ſed etiam externo & corporeo, & quare, ibidem
Cultus ſacrificii latreutici in religione Catholica palmam Sanctitatis obtinet. ibid. 8.

D.

DAmnandine ſint illi, quorũ Deus, quidquid in hac vita egerint, reprobationem decreuerit. 105.17.
Defunctos hac vita, ſumma fœlicitas manet ſi purgatorias pœnas euaſerint, aut ſumma miſeria. 105. 26.
Dæmon plures ſuperat voluptate quam timore. 189 3
Democratia mutationem ſubit ex rerum copia, luxu & inæqualitate nimia inter ciues 365. 17.
Dæmon maxime ingreditur corpora vitijs polluta. 19.7
Dæmon Chriſto ſeruatori Deo & homini aduerſatur 382.4.
Dæmon a ſuis exigit quæ rectæ rationi & religionis decentiæ aduerſantur ibid. 8.
Dæmon eos quos promiſſionibus ineſcauit, ludificat & decipit, 386. 9.
Dæmones non incãtationibus, ſed Eccleſiæ exorciſmis terrentur. 383.3.
Dæmonum commercium peſſima inciuilitas & generi humano iniurioſa. ibidem 4.
Dæmones nefandis & abſurdis actionibus addicti. 584 5.
Dæmonum præſtigia & maleficia oſtendunt deprauatas mentes illorum, qui eis ſupplicant & ſequuntur. 385.7.
Dæmones ciuilitati infeſtos eſſe ex ipſorum mutuo odio colligitur. 386.10.
Deſpoticum imperium quid: ſit & quale Imperij genus. 403.1.
Deſpoticum imperium tribus modis poteſt in bona ciuium introduci. ibid. 3.
Deſpoticum Imperium aduerſatur ciuilibus virtutibus a ciuibus deſiderandis & maxime amicitiæ. 406. 11. & 12.
Deus ſpeculum eſt contemplationis omnibus. 91.8.
Deus parens noſter eſt nobis ſemper præſens. 94. 7.
Deus quia vitia punit magis amabilis eſt. 98. 7.
Deus vindicator malorum, homines ad ſe per bonitatem inuitat. ibidem.
Deus vult a nobis agnoſci, cõprehendi minime. 121.1
Deus qui omnia creauit in gratiam bonorum, quantum ad vſum duo apud ſe conſtituit. 125. 9.
Deus humani generis ſalutem in fide mediatoris conſtituit. 125.11.
Deus mundum creando ſpeciem quandam artis exhibuit, 171.2.
Deus duplici modo concurrit ad virtutem ornandam. 191. 11.
Deus tempore tranquillitatis intellectum luxuriantem ad ſcholam acerbitatis velut puerum reuocat. 215.6
Deus in hac miſera vita omni iucundo bono nos ſpoliare noluit. 226.1.
Deus annuens votis præcantium, non facit id noſtro modo intelligendi, ſed quia eius bonitas extenditur ad aliquem effectum piis conceſſum ab ipſo. 253.12
Deus ex varietate appetituum harmoniam concordem elicit & vnitatis conſenſum producit. 271.5. & 6.
Deus vult nos ad ſe accedere orantes. 350.7.
Deus inuitat nos ad centrum immobile fœlicitatis æternæ ex agnitione mobilitatis rerum. 366, 21.
Deus in ſe vnus & ſimplex oſtenditur contra plures. 372. 5.
Deus dat quandoq; voluntatis ſuæ ſignificationem per externas rerum ſpecies & quomodo. 387. 14.
Deus pater eſt mundi & opifex & vitæ noſtræ exemplar. 457. 2.
Deus omnipotens, neceſſarium & liberum complectitur. 460. 8.
Deus per Chriſtum ad nos proprius venit & familiariter nobiſcum verſatur. 467. 4.
Deus voluit per Imperii Romani amplitudinem expreſſiſſe Ideam quandam futuri Romani pontificatus & quare. 515.9.
Deus ſine cognitione media poteſt dare peculiarem fauorem conſentienti & perſeueranti, quem non exhibet non conſentienti & non perſeueranti, 541. 8.
Dei præſentia æſtimata, a malefactis cohibet. 94. 7.
Dei notitia Chriſtiana, amore ardentiori nos in ipſum inflammat. 95.8.
Dei amplior notitia ſuauitatem morum deguſtare nos facit. ibid. 9.
Dei prouidentia erga hominem duo reſpicit atque ideo duplex eſt Dei prouidentia 99. 1.
Dei in manu omnia eſſe poſita, ex conſideratione prouidentiæ homo conſequitur 105.18.
Dei prouidentia ſe habet perinde ac ſi hominem in curam ſuſceperit ſolummodo. 106. 3.
Dei prouidentiam ſtolidi homines ex duobus erroribus impugnant. 122. 3.
Dei ſimplicitas & immutabilitas, in hac vita plene a nobis perſpici nequit. 252. 10.
Dei amor valde potens eſt, omneque imperium ciuilis vitæ in hoc amore eſt collocandum. 271.9.
Dei amor, ſuauitatem conuictus & animi quietem hilaritatemque confert ciuibus. 274.15. & 14.
Dei amor circa deum, cæteræ virtutes circa media, quibus Deus vltimus finis noſter acquiritur, verſatur. ibid. 15.
Dei amor aliorum amorum fæces ignea ſua puritate & ardore exterminat. 275.
Dei cognitio totum genus humanum renocat ad vnum principium & finem, ideo maxime ciuilis 374 10.
Dei bonitas commendanda quod Angelos in noſtram tutelam contra dæmones deſtinauerit. 386. 13.
Dei vnitas & perſonarum trinitas eiuſdem perfectiones declarat. 458. 3. et, 4.
Dei meditatio plurimum valet ad noſtrum officium abſoluendum ibid. 2.
Dei prouidentiam in nos quæ commendent 460. 7.
Dei oculis & viſui omnia patent & illis nihil occultũ. 462. 14.
Dei bonitas patet ex hoc quod homo corpore & anima conſtet & viſibilia & inuiſibilia temperauit in vnum ad noſtrum ſubſidium. 464. 19.
Dei opera ſunt in ſe perfectiſſima, & ea quæ vnitatis analogia ad illum proximius accedunt, melioribus qualitatibus ornantur. 478. 1.
Dei in prouidentia eius perfectionis characterem quomodo conſpicimus. 460. 9.
Dei timor aut iuſtitia eius, ipſius bonitati aduerſari non debet. 545. 2.
Dei amor & proximi propria eſt impreſſio fidei chriſtianæ

ſtianæ & effectus charitatis Chriſti mundo oſtentæ. 548.8.
Dei amor perpetuo inter Chriſtianos viguit & perpetuo excitabitur in Eccleſia ibid. 9. & 10.
Dei beneficio omnes nationes inter ſe colliguntur, & ideo nullæ a charitate excludendæ. 557.39.
Dei maieſtas in ſuo cultu ceremonias requirit & hoc oritur ex duobus. 558.
Deo quomodo Catholici attribuunt poteſtatem Iudiciariam & quare & quomodo. 462.11. 12. 13.
Deorum pluralitate dæmon vnius Dei notitiã eripuit, & ſimul religionem, ſpem & charitatem. 371. 1.
Deorum pluralitatem introduxit infirmitas humanæ mentis & Poetarum argutum Ingenium ibid.
Deorum fabuloſa numina & eorum prolapſia luxurioſa & inceſta, barbariei & vitijs ſuffragãtur. 375.13.
Deum vnum falſi philoſophi, plurium Deorum idololatriam vna profeſſi ſunt. 372.4.
Deum ductu naturæ nouimus præ omnibus eſſe a nobis amandum: idque ob plures reſpectus. 171.7. & 8
Ad deum recurrendum qui nos doceat qualis ipſe ſit & quo ritu colendus. 130. 16.
In Deo conſpicua ſunt eius poteſtas, intelligentia & amor.
Dignitati religionis Catholicæ conneciens eſt Eccleſiarum principes ſacris initiari. 520.10.
Dijs gentium diuerſis cur diuerſa animalia appoſita, & applicata. 143.6.
Diuinitas Imperatoribus & principibus ab Infidelibus attributa, inciuilis & barbarica. 375.14.
Diuina virtus infinita propemodum in argumentum Chriſtianæ fidei effecit. 107. 8.
De diuinis non aliter Philoſophandum quam ad modum quendam humanarum rerum. 118.2.
Diſciplina, quę corporis, & animæ facultates cohibeat, pueriliս ætas inſtituenda. 51.2.
Diſciplina ſeuerior genus quoddam eſt mortis. 347.11
Diſciplinæ ſeueritas ad quid conferat. 544.
Doctrina ſacra maxima dicitur Sapientia 89.2.
Doctrina de veritate Dei quid doceat ciuem. 91. 6.8. & 9.
Doctrinæ huius ſpectanda ex abſtractione materiæ. 142. 7.
Doctrina nulla in mundo fortius clamat contra voluptuoſos & voluptates, quam fides Catholia chriſtiana. 403.22.
Dogmatum duplex proprietas, vniuerſalitatis videlicet & particularitatis. 431. 10.
Dogmata Proteſtantium Lutheri & Caluini ſunt refractaria, ſeditioſa, inordinata, poſteriora. 434. 17.
Dogmatis Eccleſiæ Catholicæ profeſores iuriſdictionem definendi habent contra alios & aliter dogmatizantes. 430. 10.
Dogmatis de diuinia & vna fide vnitas, ac in eadem conſtantia, humanæ ſapientiæ non conueniunt, ſed diuinæ & ciuili. 128.7.
Dolus conuerſationi ciuili & prudentiæ politiciæ aduerſatur. 413.3.
Dolus & fraudes in Republica inſtituere barbarum non politicum eſt. ibidem.
Dolus & aſtus ſubſeruiunt priuato commodo & immodico ſuo amori. 414.4.
Doloſus abvtitur Deo, ſanctiſſima veritate ac virtute. 415.8.
Dolus & aſtus non ſolum in ciuiles mores peſtiferi, ſed maxime nociui, quando falſatis Dei cultu & fide ſimulati reperiuntur. 414.5.
Dolus enorme peccatum, quando cum homicidio Propheta illud iungit, dicens, viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. 415.8.
Doli peruerſum genus, quod in periurijs inuenitur propter iniuriam Deo inflictam. 419.9.
Doli & aſtus, qui ciuibus pernicioſi, ſunt magis in voluptuoſis quam in bellicoſis. 399.9. & 11.
Dominium alium & vis proprietatis quomodo diſferant 403. 2.
Dubitationes de fide quas inducunt proteſtantes, inducunt ad magiam, apoſtaſiam & Atheiſmum.
Dulcedo & ſuauitas virtutis, neceſſariæ conditioni humanæ, ac vitæ ciuili. 228.9.
Dulcedo & ſuauitas virtutis ex triplici ratione. 226.11.

E

Eccleſia formam ciuitatis exprimit. 40.7.
Eccleſia ad Chriſtianos principes venit, potentia & diuitijs minor, ſed virtutibus & gratia maior. 123. 4.
Eccleſia imperio virtutis attraxit ad ſe reges: & illi eam vberibus lactarunt 222.15.
Eccleſia imperio virtutis orbem deoicit & illum Chriſto & Deo cum eius regnis & imperijs reddidit. 225. 23.
In Eccleſia Chriſti, vtpote regno eius, ſylua aromatica virtutum omnium apparuit. 222.15.
Eccleſiis ac ſacris locis præuilegia paticularia conceſſa vt ſint in aſylum et refugium delinquentium. 258.10
Eccleſiarum Catholicarum immunitas ſemper extitit maxima et inuiolata. 259. 11.
Eccleſiæ locus ciuilis eſt, celebrationique myſteriorum dedicatus. 265.2.
Eccleſiæ non tantum inſignes propter fabricam, ſed propter crucis Chriſti erectæ tropheum et multa alia. ibid. 3.
Eccleſia ob ingentẽ charitatem ex fide vniuerſali, animas fidelium venialibus aut temporalibus pœnis nõ expiatas, oratione et ſacrificio iuuat. 268.4
Eccleſiæ triplex pars, vna triumphans, alia militans in terris, tertia patiens in Purgatorio. ibid. 5.
Eccleſiæ Romanæ dignitas enincit illam nulla nota defectionis, rebellionis aut apoſtaſiæ quouis tempore conſiderato reſpectu Eccleſiæ, inſimulari poſſe. 431. 11. 12. et 13.
Eccleſiæ in triclinio Chriſtus et Maria ſimul ſunt in nuptiis Canæ Galileæ: ideo in Eccleſia Chriſtũ inuocamus et Mariam frendentibus hæreticis. 484.18.
Eccleſia Chriſti vera Catholica, quæ Apoſtolorum ſcriptis inhæret, et ſimul matrem virginem Mariam colit. eidem ſpiritus Sanctus ſuperuenit in Apoſtolis cum virgine Maria. 485.21.
Eccleſia ſpeciem habet Reipub. cuius monarcha ſolus Chriſtus dominos: ea eſt forma quædam imperii et quomodo. 512. 1.
Ad Eccleſiam in dubiis fidei tanquam ad inrefragabile tribunal recurrendum. ibidem.
Eccleſiæ, quæ Chriſti corpus myſticũ eſt, caput et monarcham Petrum Chriſtus creauit. 515. 3.
Eccleſiæ Catholicæ monarchia multiplicẽ vtilitatem attulit fidelibus 514.6.
Eccleſiæ monarchiam Petro datam et primatum, eadem inſtitutione contulit Chriſtus Romanis Pontificibus, Petri ſucceſſoribus. ibid. 5.

Eccle-

Eccleſiæ monarchica iuriſdictio rebus Chriſtianorum commodiſſima; quatuor functionibus definitur. pag. 515.10.
Eccleſiæ vox eſt norma fidei & regula: cuius vnitas congrue ſequitur fidei vnitatem. 517.13.
Eccleſiæ monarchia bene comparata ad Hæreſum errores comprimendos. ibid. 14.
Eccleſiæ Concilium generale, ad vnitatem fidei retinendam aut propagandam, facilius congregatur ex monarchia 517.15.
Eccleſiæ monarchia magnam vim confert principibus. ibid. 16.
Eccleſiæ monarchia principum diſſidia efficaciſſime componit. ibid. 19.
Eccleſiæ iuriſdictio eſt ſupernaturalis & a iure diuino ortum ſortita eſt. 518.1.
Eccleſiæ iuriſdictio quo ad ſacra & diuina ad homines ſpectat. ibid. 2.
Eccleſiæ Catholicæ auctoritas motus Catholicorum quoſdam compeſcit: hæretici qui eam contemnunt, ſemper in controuerſiis agunt. 535.24.
Eccleſiæ auctoritati ducatum præbere, conuenit moribus noſtris, expectationiq; beatitudinis. 543.15.
Effectus a contrarijs cauſis contra agentium rationes, argumenta diuinæ prouidentiæ. 114.23.
Elizabethæ Angliæ reginæ contra conſcientiam dictũ ad conſeruationem ſui ſtatus, & propoſitum admirabile. 135. 3.
Eloquentia vſui ciuili prodeſt. 151.4.
Eloquentia triplex, rationalis, concupiſcibilis & iraſcibilis. ibid. 5.
Eloquentia iuncta authoritati in Republica nihil potentius. 152.7.
Eloquentiæ Abuſus ad vanitates & turpes actus, hæreſumque errores ſtabiliendos dignus vituperio. ib. 8.
Eloquentiam tanquam inſtrumentum veritatis ac virtutis & probitatis, ſacrarum rerum tractatio, ſi grauitas & maieſtas adſint, admittit. 193.4.
Epicurei ex quatuor capitibus Dei prouidentiam quomodo negarunt. 115.1.2.3.4. & 5.
Epicurus quibus rationibus conuellit fructum religionis. 249.2.
Epicurus verum Deum dixit eſſe infinitum, ſommum & immutabilem. 251.7. & 249.6
Equale in quod Iuſtitia intendit duplex eſt, naturale & poſitiuum. 238 2.
Error mentis ſibi fingit formas in vitijs, quæ virtutibus ſunt ſimiles. 193.4.
Euentus magni ex paruis principijs, argumenta diuinæ prouidentiæ. 114.22.

F

FAcultas retentiua & nutritiua quid efficiant in corpore humano. 309.6. & 7.8. & 9.
Fama non ex opinione exurgit qua homines, ſed qua virtuoſi & virtutibus præditi. 304.4.
Fama quid ſit & quanti facienda. ibidem.
Fama bona, inter præcipua huius vitæ bona iure habenda. ibid. 6.
In Famam & bonum nomen alterius debacchari, crudele & immane. ibidem.
Familiam apte moderatus, aptior iudicatur cui magiſtratus ſummus deferatur. 284.3.
Fatum non officit hominum pietati, eo quod neceſſitatem non inducat hominum voluntati. 253.13.
Fœminarum vultus cur facile immutentur. 68. 1.
Fœlicia ipſa infœlicitatum occaſiones nobis eſſe ſolent. 124.8.
Fides & credulitas ad negotium ciuile magni eſt momenti. 11.7.
Fides neceſſaria ad veram ſapientiam de Deo & attributis eius conſequendam. 126.1.
Fidei cauſæ extrinſecæ quatuor enumerantur. 127.4.
Fides a ſcientia diſtinguitur quod fidei elementum ſit authoritas, ſcientiæ vero ratio. 127.5.
Fidei homines fideles maxime initi, quibus rationibus conſtet. ibid. 6.
Fidem ſupra humanam Philoſophiam ad ciuilem ſapientiam requiri multis oſtenditur. 128.8.
Fides animam format, quietat & roborat contra aduerſarios. 131.17.
Fidei triplex eſt credibilitas. ibid. 2.
Fidei ſuæ, etſi nõ veræ, omnes nationes credibilitatem oſtendere conati fuerunt. 132. 3.
Fides vt credentis ſit, quæ efficiant. ibid. 4. 5.6.
Fidei credibilitas ad optimam conditionem ſtatus ciuilis requiritur. 133.7.
Fides obtruſa ſine credibilitatis certitudine vt eſt hæreticorum ita incommoda ciuibus adfert. 133.8. & 9.
Fides in ſe habet vim vt errantes et negantes ſuam veritatem, reducat ad aſſenſum ſui. 134.11.
Fides an mutari aut violari poſſit. ibid. 1.
Fidem eiuſque religionem, vt ſe ac rempublicam tuerentur multi principes, ciuilibus rationibus poſtpoſuerunt. 135.3.
Fidei a Deo reuelatæ & ſtabilitæ nulla vis aut humana authoritas præualet. 136.5. & 6.
Fidei & doctrina illa inciuilis, quæ ad ſtatus politici nutum aut lucrum, mutabilis eſt. ibid. 4.
Fides ſuprema ac inuiolabilis quo ad credita & ad alia ſiue poſitiua ſiue naturalia. 139. 7.
Fidei Chriſtiana ad actiones virtutum, amorem Dei & odium peccati, moralis Theologiæ ſcientiam in ſui obſequium admittit. 149.14. et 15.
Fides vera multum valet ad pacis ciuilis conſeruationem. 213.1. et 214.4.
Fidei Chriſtianæ ac Catholicæ proprium eſt robur, poſſe in pace imperium contra vitia mouere. 216.9
Fides Catholica facit fideles mites per authoritatem prædicantium, et auditum verbi Dei et obedientiam Dei et Eccleſiæ. 416.1.
Fidei Catholicæ naturæ conueniunt infantilis ſuauitas et ſimplicitas. 417.2.
Fidei dogma, quanam authoritate nobis annuntiari debeat vt denuncietur Catholicum: diſputatur. ibidem. 4.
Fidei Catholicæ directrix debet eſſe prædicatoria & vniuerſalis doctrina, prius hominum conuerſionibus data, omni tempore conſpicua & vnitate ſua, a ſucceſſione Chriſti & Apoſtolorum deducta. 418 4.
Fidei noſtræ myſteria charitate incredibili in proximum inflammant & ab omni importate actionis vacant: vnde etiam eius authoritas defenditur. ibid. 5.
Fides ea quæ traditioni Eccleſiæ incumbit, ſola eſt vera credendi ſimplicitas. 428.4.
Fidei cauſa formalis eſt actus credendi, quo quis diuina myſteria in ſpeculo & a longe in hac vita contemplatur. 438.4.
Fidei Catholicæ quomodo ſe opponunt Proteſtantes & hæretici. 439.6. 7.8.9.
Fidem cum ſpe quomodo confundant hæretici ibid.

Fidei

Fidei formam genuinam Catholici exactiſſime vita & ſcriptis colunt. 438.
Fidei cauſa materialis eſt id quod in fidem admittitur. 438. 3.
Fidei Catholicæ robur eſt eius vnitas ſine errore. 441. 14.
Fidei orthodoxæ & Catholicæ vſum, acquirendæ beatitudini neceſſarium, proteſtantes negant nocentes ciuilitati. 444. 21. & 22
Fidei Catholicæ quatuor ſunt momenta, quæ cordibus fidelium dominantur & ſummæ charitatis motu afficiunt. ibid.
In fide dubius animus ad duo reſpicit. ibid. 4.
In fide dubius quibus argumentis confirmandus ibidem. 5.
Fidei catholicæ robur Indicat rationes credibilitatis, & quæ illæ. 446. 12. 13. 14. 15. vſque ad 30.
Fidei Catholicæ finis ex operatione virtutum omnium, eſt Sanctificatio hominis. 497. 3.
Fides eſt quæ iuxta Apoſtolum virtutem efficit: quod nec lex naturalis nec Moiſaica fecit: ſuntque excellentiſſima, quia ad legem gratiæ fidei & Euangelij pertinent. ibid. 4.
Fides ſola iuſtificans ab hæreticis compoſita, & ficta in perniciem cedit principum & totius reipublicæ perturbationem, eo quod libertatem vitiorum permittat. 507. 8. 9. 10.
Ex Fide ſola iuſtificante vehementer incitantur ſcelerati ad peccandum, quando omnem Pœnalem tollit punitionem. ibid. 10.
Fidei noſtræ veritas patet, quod in monarchis & ciuibus energiam habet eximiã ad virtutẽ & præſtantiſſima opera producendi. 508. 32.
Fidei regula illa diuinor quæ plus ad pacem & charitatem hominum conducit. 519. 4.
Fidei noſtræ Sacramentorum numerum hæretici reſcindunt & in hoc negant Dei bonitatem. 551. 16.
Flecti Deũ, qui immutabilis eſt, noſtris precibus, quomodo intelligendum. 251. 9 & 10.
Fragilitas humana non permittit integrum bonum in amicitijs familiaribus. 284. 6.
Fortitudo animi quomodo comparanda. 337. 1.
Fortis vir nõ eſt ſine timore, ſed ipſum moderatur. 338. 3
Fortitudo continet in ſe quid aſperum. ibidem. 2.
Fortitudinis proprium munus eſt, omnia aduerſa recto iudicio & virtutis conſtantia perferre. ibid. 4.
Fortitudo, ciues a falſitatis & honeſtatis damno, a dedecore & infamia liberat. 340. 7.
Fortitudinis munus indiget ingenti diſcuſſione. 339. 5
Forti in viro videtur compendium totius ciuilitatis. ibid. 6.
Fortitudo patrocinatur honeſto & vero. 340. 7.
Fortitudinis pertinacia a ratione, in optimum quid defertur. ibidem.
Fortitudinis eſt aggredi ardua, generoſo impetu timorem deponere, & animum obfirmare ne impatientia & dolore ſuperetur. 341. 1.
Fortitudinis virtus circa difficilia verſatur. ibid. 4.
Fortitudine inueteratus error eſt expugnandus. 342. ibidem.
Fortitudo dirigitur dono conſilij, quod verſetur circa meliorem boni electionem. ibid. 5.
Fortitudinis exempla præclara multi dedere, ibid. 6.
Fortitudinis qui effectus & quæ bona. 344. 3.
Fortitudo eliminat ab homine ſuperbiam & vanam gloriam. 344. 3.
Fortitudo generat imperium in omnes animi affectus. 345. 4.
Fortitudo vt ſtrenuus dux, motus concupiſcentiæ mortificatione extinguit. ibid. 5.
Fortitudo efficit illa duo ab Epicteto recẽſita, ſuſtine & abſtine. ibidem.
Fortitudo vbi deeſt, creſcit petulantia, leuitas & brutalis quædam rigidita. ibidem.
Fortitudo vt diligentiſſimus animæ excubitor, vigilantiam & robur habet. 346. 6.
A Fortitudine ſalus animæ maxime dependet & ea animæ ſtatus ſtabilis fit & vires acquirit. ibid. 7.
Fortitudo eſt quæ ſola a pugna quieſcit cum dulcedine quadam. ibid. 8.
Fortitudo animam tranquillat, eius motus compeſcẽdo. 347. 9.
Fortius is fert huius vitæ diſpendia ac quietius, qui ea ex iudicio prius contemplerit. ibid. 11.
Fortitudinis magna pars eſt conſideratio quod omnia a deo fiunt & ab eius voluntate dimant. 349. 4.
Fortitudinis conſtantiam efficit noſtræ voluntatis cũ diuina conſenſus, ibid. 5.
Fortitudinis magnæ ſignum in tentatione praua, perſiſtere patienter in officio virtutis. ibid. 6.
Fortitudinis ac conſtantiæ noſtræ vis a deo oratione petenda. 350. 7.
Fortunæ aduerſa minus ſentit, qui virtutis præſtantiã ex calamitate educi nouerit. 122. 4.
Funerum cæremonia in Eccleſia Catholica, ſacro apparatu perficitur tria ſignificando. 473. 1.
Functiones ſiue actiones duæ in ciue deſiderantur. 1.
Functionis ciuilis non infima pars animam curare. 141. 1.
Fundamenta ciuilis ac ſacræ vitæ Chriſtianæ, diuina prouidentia in fide diuinitus illapſa in animam, optima ratione collocauit. 437. 1.
ſundamenta duo, quibus oſtenditur ad commodũ tã ſpirituale quam corporale, in deo firmiſſime nobis ſperandum. 251. 8.
Funera pie defunctorũ omnes nationes curarunt religioſo aliquo ritu pag. 267. 1.
Funera ſuorum veri Dei cultores ob ſpem reſurrectionis ſplendide curarunt, tanquam quæ in cœlo radio beatitudinis illuſtranda erunt. 267. 1. 2. 3.

G.

GAllicæ nationis quæ indoles. 42. 9.
Geniorum tanquam numinum æſtimatio multos populos in idololatriam depulit. 372. 3.
Genij quos veteres vt deos ſuſpexere, libidini iræ & impotẽter paſſionibus obnoxii, 374. 11.
Genethliaca futurorum prædictio prorſus inanis & vmbratilis. 379. 8 & 9.
Gratia quantumuis efficax non aufert libertatem arbitrii. 539. 5. 6. 7.

H.

HÆreſes & ſchiſmata in ſumma pace, Philoſophia ac Theologia ſilentibus, plurimũ excriuntur. 212.
Hæreſis pacis Filia matrem interim deteſtatur. 114. 3.
Hæreſis moderna duo in ſe habet. ibidem.
Hæreſis morum ciuilitati & ingeniorum manſuetudini quomodo aduerſetur. 418. 6.
Hæreſis & fides ortodoxa ſibi opponuntur, ſicut volũtas Catholici & hæretici. ibidem.

Hæreſis fera conuincitur, quia diſſentit a Catholicis in materia fidei 419.7.
Hæreſis fera ex æmulatione, cuiusſeruor durus ſicut infernus.ibid.8.
Hæreſes ſubſannatrix, impia & blaſphema: quæ peccata ſunt immitioris ingenij.ibid.9.
Hæreſeos finis voluptas, libertati ac malitiæ velamini inſita, vnde hæretici acres & bilioſi.420.10.
Hæreſis incredibili audacia & pertinacia ſeſe Eccleſiæ opponit, quod ſine acri mordacitate non fit. ibid.11.
Hæreſis pre ſefert quid reformatorium & a communis conſuetudine & doctrina declinatorium: vnde eum applauſu potens fit. ibid.12.
Hæretici quo titulo ſe ſpectabiles fecerunt ad pelliciendum multos in errorem.428.12.
Hæreſis ferro flamma & armis ſe ingeſſit, quod legitimis diſtituta rationibus.428.13.14.15.
Hæreſis permiſſa, multitudinem populorem excitat ad ſuperbiendum iraſcendum, & vindicandum. 423.17.
Hæreſis in perniciem Catholicorum orthodoxæ fidei orta, cauenda monitu ſaluatoris, in deſerto & penetrali 424.20.
Hæreticorū quale deſertum & quod penetrale, ibidem 21.22.23.24.
Hæreticorum deſerta & penetralia qui adeunt: & quã hoc ſit perinicioſum adeuntibus.425.25.26.
Hæreſis vbi nõ dominatur, libertatẽ clamat, ſed ſi præeſt crudelis, barbara in Catholicos.426.25.26.
Hæreticus ideo hæreticus quia præſentis Eccleſiæ traditioni aduerſatur.428.3.
Hæretici patres omnes quaſi erroribus vitiatos ſpernunt, & omnia ad ſuum priuatum ſpiritum & iudicium reuocant 436.22.
Hæreticorum modus, quo ab ingenio noua moliuntur, oſtendit ſe refractarie tranquillitati rerum & actionum aduerſari in Repub. Chriſtiana 437.23
Hæreticos cur ſydera errantia dixerit Apoſtolus. 447.7.
Hæreſis Arriana quomodo conata ſit dei perfectionem infringere. 459.5.
Hæretici Proteſtantes negant diuinam prouidentiam, & Authoritatem hominibus relictam ad iudicium fidei & errorum.464.20.
Hæreſis Caluiniſtarum præclaris notis fæcunditatis & virtutis Dei refragatur.459.6.
Hæreticorum Proteſtantium ſectæ, in duo elementa reſoluitur, ſcil.in impietatem & Epiſcuriſmum. 465.22.
Hæretici ſuorum authores errorum & Magiſtros laudibus extollunt, & Chriſtum conuitijs inceſſunt. 466.2.
Hæreſum refutatio, inſigne lumen ſcientiæ in Eccleſiã intulit.489.8.
Hæreticorum ingenium ſtudijs auerſum, ideo prorſus inſipidum, inconſtans & vmbratile 491.3.
Hæretici Proteſtantes ardorem recte operandi extinguunt in ſuis, docentes virtutum officia eſſe ſordes & peccata in conſpectu Dei.499.10
Hæretici conantur omnem conſcientiæ remorſum eliminare, vt homines liberius peccent.505.5.
Hæretici docent, homini neceſſariũ peccare: ideo inciuiles ſunt in principum leges, & Dei prouidentiam, docent impium eſſe, apponere neceſſitati peccantium leges pænales ibidem.6.
Hæretici contendunt ſolam infidelitatem eſſe peccatum: impietatem & incredulum eſſe ſeruum peccati.ibid.7.
Hæretici monarchiam Eccleſiæ renuentes, a ſe mutuo diſſident.521.16.
Hæretici contenduot Iuſtitiam ſimul manere cum ipſo peccato in anima.506.7.
Hæreſeos omnis quis ſcopus. 521.18.& 19.
Hæreſis Scotiam inuadens ſtatim in Reginam debacchata eſt.535.22.
Hæreſis nõ patrem familias tantum, ſed et familiarum extinctionem intendit.ibid.23.
Hiſtoriæ ſacræ & prophanæ quæ differentia.105.1.
Hiſtoriarũ, legum, morum externorum & ſtatuum notitia a viro ciuili exacte precipienda.148.
Hiſpanicæ nationis quæ laudes.8.
Hominis natura eſt ſocialis.2.
Homines plures occiſi ab hominibus, quam a feris. 16. & 17.
Homines cur in ſocietates conuenerunt. 50.12.
In hominis iuſtitutione natura, ratio & aſſuefactio attendenda. 51.3.
Homo in ſe cœli & terræ ſymbola complectitur.74.8.
Homo ratione Dominii, idem quaſi apparet in terra quod Deus in cœlo.85.2.
Hominis quanta excellentia. ibid.
Hominus imperium ab intellectu & ratione.ibid.
In Hominem vt in finem deſinunt vniuerſa.100.8.
In Homine Deus tria efficit, corpus, appetitum ſenſitiuum & voluntatem.ibid.3.
In Homine ſingularis eſt quædam mentis impreſſio, notitia, ſuaſio & vocatio bonæ actionis a diuina prouidentia. 103 81.
Homo varijs naturæ inſtrumẽtis virtutem conſequitur & veritatem 125.2.
Homines laborant aurum & gemmas e terræ viſceribus euere, verum virtutis pretium non dignantur requirere.193.7.
Hominum nullum genus ad ciuiles mores melius compoſitum quam Catholicorum.277.6.
Homo ſolus inter animantia affectu miſericordiæ mouetur.290.8.
Homines Deum imitantur, quando alijs benefaciunt. 291.1.
Honor vniciniq; commendandus ex modo virtutis ac poteſtatis.297.1.
Honoris ſigno peccari poteſt tam in exceſſu quam in defectu ibidem.
Honoris exhibitione quæ mediocritas ſeruanda ibidem.3.
Honoris improportio vel datur in adulationem vel in commodum.297.3.
Honoris indebita appetentia ex amore proprio oritur. ibidem.
Honorariæ compellationes, ſalutationes, nominum procationes, in fraudem & ad maleolentiam ſæpe referuntur.298.4.
Honoris indebiti auidus, inciuilis, in turbarum motus & diſſentiones preceps a duobus oritur.ibid.5.
Honoris minus auidi et moderatores antiqui et priſci præ modernis oſtenduntur.299.6.
Honoris faſtus et exceſſus cultus, omnibus inciuilis: in Eccleſiæ et ſecularibus principibus maxime vituperabilis. ibibem.7.
Humilitas habet magnam vim manſuetudinis in rebus ſimilibus.531.3.

Humilitas Chriſti eſt dulce illectamentum & egregia forma & ſpeculum quo Deus videtur.276.3.
Humilitas vitæ ciuili commoda & quare 394.9.
Hypocriſis nihil aliud eſt quam virtutis adulteratio 232.5.
Hypocrita fur ſpiritualis dicitur, qui ex fictitia virtutũ imagine gloriam & voluptatem venatur ibidem.
Hypocriſis eſt ſacrilegium ſpirituale.233.7.
Hypocriſis & virtus fictitia ſoluunt iura ſocietatis ciuilis & Amicitiæ leges violat.233.8.
Hypocriſis tria nocumenta adfert Reipublicæ. ibid.9.
Hypocriſis veram virtutem ablegat & barbariem contra ciuilitatem nutrit.
Hypocriſis tirannidẽ a ſe producit idque dupliciter 12.

I.

IGnorantia rerum humanarum in ciues multum noxia & barbarica.370.11.12.
Ignorantia & neglectus doctinæ litterariæ deprimit mentem & ad vitia impellit.491.9
Imitari vel inuiti debent Proteſtantes Eccleſiæ Catholicæ ritus. nam ceremoniis vtuntur, adhibẽt Canonicos, Archidiaconos.564.21.
Impatientia & ſuperbia mater hæreſum.495.18.
Imperium ex multitudine ciuium 6.10.
Imperium barbarum quale 409.1.
Imperiorum quatuor genera.23.1.
Imperium diuinum in quo conſiſtat.24.4.
Imperium diuinum ciues olim habuit Iudeos. ibid.6.
Imperij diuini ſingulare veſtigium in Eccleſia ibid.6. & 7.
Imperium rationabile duplex.25.9.
Imperio rationali decernuntur bona ciuium particularum.ibid.10.
Imperium Græcorum vnde initium ſumpſit.41.6,
Imperium concupiſcibile eſt a ratione alienum. 26. 13.
In imperio concupiſcibili multa contra vitam ciuilem ibid.14.
Imperium iraſcibile quale & qui eius effectus. 27.16.
Imperium Turcicum plane iraſcibile ibidem.19.
Imitationem boni iuuant præclara exempla virtutum eorum qui communem vitam nobiſcum ſortiti ſunt. 254.
Improportio quædam deploranda vt grauе malum tam in clero quã Religioſis, ex tribus cernitur.264.11
Inæqualitas quam iuſtitia decernit inter ciues ex duobus oritur.240.9.
Inepta plane excuſatio Proteſtantium dicentium ſe ſacrificio in cruce peracto religione diſcerni & quare.564.19.
Inepta & inſulſa Proteſtantium concio nihil religionis aut cultus dei continet, ſicut nec pſalmorum gregarius cantus.ibid.20.
Indolis nomine quid ſignificetur.
Indolis hominis notio vnde capienda ibidem.
Indoliſ populorum cognoſcendi ratio quo ad ciuilitatem ex Geographia. ibidem.
Indoles Borealium & Auſtralium populorum quæ.
Indoles medij ſitus mundi populorum quæ. ibidem.
Indoles mollis ac tenerior ad ciuilitatem, quam aſpera & dura commodior.ibidem.
Indoli teneriori quis modus præſcribendus. ibidem.
Indolis animi tenera multum confert officijs ciuilitatis
Ingenium inmite & crudele repugnat ciuilitati. ibidem 15.
Ingenia præſtantia ſunt triplicis ſpeciei ibid.9.
Ingenium ciuile ſemper magnanimum eſt ibid.16.
Ingenij illaudabilis tres ſpecies ibid.10.
Italicæ nationis quæ incommoda quo ad ciuilitatem.
Inſtitutiones Caluini cenſentur ab hæreticis doctè ſcriptæ, ſed nihil ſolidi habent præter calumnias & mendacia.492.7 & 8.
Iucunditas virtutum non eſt craſſa aut ſenſualis, ſed ſpiritualis.83.10.
Iudæorum religio Auguſtiſſima, quia a deo præſcripta quo ad templum & cæremonias 558.2.
Ingenia vt bona ſint quid faciendum aut, quid cauendum 312.1.& 2.
Ingenia crudelia & odio plena, ciuilitatem omnem tã quam furiarum infernalium impreſſiones corrumpũt. 293.8
Iudicare aut damnare aliquem ex leuibus delictis & arguere graue delictum 305.8.
Intellectus non minus virtutibus ornandus ac corpus veſtimentis.85.1.
Iniuſtitiæ crimen maiorem redolet malitiam voluntatis quam alia vitia, duplici ratione 240.7.
Iuſtitiæ neceſſitatem, virtutis conditio & ciuilis emolumenti ratio adfirmant.239.6.
Iuſtitia dicitur virtus moralis rationalis, quia non reſpicit immediate actus appetitus ſenſitiui.207.2.
Iuſtitia inter virtutes pacificas numeratur .212.8.
Iuſtitia ciuilis quatuor ſortitur ſpecies.137.1.
Iuſtitiæ ſubiectum debet eſſe ſubactum & amans ingenium.239.5.
Iuſtitia ſubiectiua eſt duplex, commutatiua & diſtributiua:& quæ proportio in vtraque ſeruanda ibidẽ
Iuſtitia comparatur Heſpero micanti ſtellæ & quare. 240.8.
Iuſtitiæ munus eſt tribuere vnicuique quod ſuum eſt & æqualitatem ſeruare, quomodo intelligendum 237.1.
Iuſti quomodo fiant conſortes diuinæ naturæ. 468.5 & 6.
Iuriſdictio Eccleſiæ quæ ex poteſtate ordinis diſtinguitur, quid ſit dicitur.430.
Iuuentuti ſtultitia adfecta eſt.51.4 & 57.3.
Iuuenes ſenes audire & ab illis edoceri debent. ibi.4.

L.

LAchrymæ dolore excuſſæ, gaudii cauſa ſæpius ſunt 69.6.
Lex obſequentium conſcientias, ſua vi ad officia virtutum cogit & quomodo 354.12.
Lex duplicem habet vim coercitiuam.ibid .13.
Lex fidei quæ & charitatis, principum inſtitutis commodiſſima eſt.551.12.
Legis condendæ poteſtatem principes non amittunt etſi prauis moribus ſint fœdati, ſed etiam dyſcolis obediendum ibid.9.
Lege naturæ prius decretum & a magiſtratu ciuili iterum præceptum feliciter ex diuina gratia implendum.ibidem.10.
Leges quæ magnam partem ciuilitatis abſoluunt a morali Philoſophia dimanant.145.1.
Lex in ſtatu naturæ integræ vel nulla vel paucæ fuiſſet. 35.1.
Legem eſſe vilem perſuadent ignorantia & malitia noſtra

noſtra nobis inſita. ibidem.
Leges aut ius gentium non comprehendunt amplitudinem boni honeſti.ibid.2.
Legum multitudo in Repub.neglectũ inducunt.ibidẽ
Legum pluralitas prouenit ex praua indole ciuiũ, malis eorũ actibus, atq; ex diuiurnitate regiminis eiuſdem.ibid.3.
Legum prologi & introductiones cur adhibeãtur.352.4.5.
Leges ferendi poteſtas, deriuatur a Deo in perſonam principis mediante Reipublicæ conſtitutione.ibid.6
Leges interuenire debent inter principis poteſtatem & ſubditorum obedientiam.353.7.
Lex quid ſit deſcribitur.ibidem.
Legis condendi materia debet legiſlatori eſſe ſubiecta.ibid.8.
Legis materia iuſta eſſe debet atque rectæ rationi & Sacroſanctæ fidei conſentiens.ibid. 9.
Leges ferendo principes vtilitatem populo, ſtatui ſuo ſtabilimentum adferunt.354.10.
Leges ciuiles,ideſt ciuitatibus propriæ,an ſint concluſiones legis naturalis,reſoluitur. ibid.11.
Ad legiſlatorem ſpectat otium, negotium parare & bellum recte diſponere.2t t.4.
Liberum ac ciuile imperium quale.404.4.
Liberi arbitrij actus ſolus laude ac vituperio dignus. 188.1.
Litteratura indocti,intrant in potentiam domini, Eccleſiam,quæ eſt regnum Dei.428.6.
Litterati & ſcientia clari ſemper in admiratione habiti fuere.87.5.
Litterarum ſtudia turpem amorem & eius illecebras ac vindictæ furorem compeſcunt.87.5.
Litterarum ſtudijs animum applicans duo ſibi proponere debet.132.3.
Ludi & recreationes qui inter ciues admittendi.334.1,& 2.
Ludos in mores ciuiles admittendos quomodo probat Plato.336.
Ludi rationales congrue vocantur oblectamenta mentia.ibid.6.
Ludi ſacri e re ciuili ſunt, vt omnium gentium mores probant.ibid.5.
Ludi ad irritandum concupiſcentiam fugiendi ſunt, 336.8 & 9.
Ludere vt quis ditior,& ex aliorum damno victor euadat,turpe eſt,ſicut & voluptatem petere ex lucro ac fortuna.339.10.
Ludi pugnaces & gladiatorij plane inutiles & noxij. 337.11.

M.

Magiſtratu ventes bona diſciplina inſtructoa eſſe oportet.66.8.
Magiæ nomine intelligitur neceſſitudo practica cultus inter demonem & hominem ſiue tacita ſiue expreſſa 364.14.
Magiſtratus dum punit ſontes ſenſum charitatis ſpectare ac ſequi debet, 290.12.
Magiſtratus prohibere debet illorum exceſſum,qui nimium voluptates in ciuium mores effundunt 401.7.
Magiſtratus ciuilis,ex quibus percipiat,proteſtantes fidei interitum meditari & exterminium omnis ciuilitatis morum,457. 36 & 37.
Magiſtratus quid aduertere debet ac cogitare reſpectu delinquentis ciuis.146.4
Magnum fuit, B. Virginem ſe haud extuliſſe auditis eis quæ ab Angelo & Paſtoribus dicebãtur 482,11
Mala Duo in ciuitatibus in publico faciunt Proteſtantes.550.13.
Malitiæ humanæ a charitate & amore mutuo recedentis,duplex gradus.ibid.14.
Maria virgo qua ratione a peccati contagione aliena fuit.478 2.
Maria virgo data eſt in peccati remedium,vt illud vel puniret vel curaret ibid.4.
Maria virgo terra proferens florem patris æterni filium.479.4.
Maria virgo fœmina fuit non vulgaris conditionis vt hæretici blatterant,ſed excellentiſſima& ſuper omnes fœminas benedicta, 479.5.
Maria virgo beatiſſima, quod mater ſit Catholicorum, in ſe pietatis affectum merito exigit 481.10
Mariæ virginis laudes vide,479.5.7.8 & 9.
Mariæ virginis quanta dignitas ex Chriſti ſeruatoris actis & redemptione.481.10.
Maria virgo ingenti amore flagrauit erga Chriſtum 483.13.
Matria virgo quomodo ſe ab omnibus generationibus beatificandam prædixit,482.10.
Mariæ virginis quanta humilitas ibid.12.
Mariæ virginis quam amans ingenium in nos,patet ex verbis in nuptijs Canæ Galileæ.483.15 & 16.
Maria virgo inſigne documentum obedientiæ in verbo ſeruis ac miniſtris nuptiarum dato: *Quodcumque dixerit vobis facite*, nobis reliquit. 484.17.
Maria virgo princeps virginitatis. 579.3.
Maria virgo inſigne ſummæ charitatis in Deum argumentum dedit,quando Filio morient, in cruce adſtitit.
Maria virgo cum Apoſtolis commorata,rebus diuinis cum eis incũbebat,expectauitque aduentum Spiritus Sancti & eum cum illis accepit.485.21 & 22
Maria virgo pro Eua deſtructrice reparatrix:& Chriſtus pro Adamo reparator. 486.23.
Mariæ virg excellentia,quod Deo vicinior,directa vt mater Dei eſſet & ad ſalutem mundi cooperaretur 478.2.
Mariæ virginis coltus ſtudijs ciuilibus maxime idoneus,quando pietas in virginem honorem filij Dei augeat ac tueatur,ibid 24.
Matrimonium diuinũ inſtitutũ vocant Ethnici 58.9.
Matrimonium conſtat ciuili quodam contractu, cuius fidelitas eſt pars iuſtitiæ,281.1.
Matrimonij Sacramentum efficit in coniugibus fidem matrimonialem & charitatem indiuiduam.282.
Matrimonij Sacramentum magnam vim adfert ad ea bona quæ in matrimonio expetuntur.ibid.8.
Matrimonii iura frangere rixando diſcedẽdo & adulterando,multorũ malorum in Republica cauſa. ibidẽ.
Matrimonialis thori vſus in remedium furentis libidinis datus & conceſſus eſt ,319 1.2.
Menſas largas ſeruis & famulis inſtruere, eſt, Reipublicæ & prolibus noxiũ & ipſis famulantibus.319.15
Mendacium ſeruile vitium eſt omnium philoſophorum ſententia.413.2.
Metaphyſicæ ſtudiis ſumma cura cur Catholici doctores incumbant. 490.3.
Metaphyſica theologiæ iuncta,myſteriorum ſenſus ac rationes exactius declarat.ibid.4.
Methodus duplex diſſerendi de moribus,145.2

Meriti

Meriti principium eſt collatio gratiæ ex dono Dei miſerentis. præmium meriti, opus Dei ex iuſtitia prouidentis. 500.12.
Meriti Catholica doctrina ciuilis eſt, quæ Rempub. ex bonis operibus florere facit. ibid. 13. & 14.
Meritum Chriſti pro redemptione mundi fuit inſtiſſimum, infinitum & efficax pro iuſtis & ſufficiens pro iniuſtis 475. 22. & 27.
Milites in appetitu ac corpore moderandis ſedati eſſe debent. 66. 8. & 370. 10.
Militari poteſtate ex violentia nihil in imperio formidabilius. 364. 14
Miracula diuinitus facta argumenta diuinæ prouidentiæ. 108. 11.
Modeſtia omnium virtutum conſeruatrix, progignitur ab ipſa virginitate. 318. 6.
Mollis & delicata ſpecies ex interna voluptate, deformis, turpis & indecora. 389. 3.
Monachi noſtri veteres quales fuere. 589. 7.
Monaſtica ſtudia non differunt a ciuilibus inſtitutis. 11. 11.
Monachi nomen cur olim Romæ odioſum. ibid. 10. 11
Monarchiæ nomine quid ſignificetur. 508. 1.
Monarchia ſicut & monarcha duplex eſt. ibid.
Monarchiam eſſe intollerabilem quædam Nationes dixerunt. ibidem. 2.
Monarchijs addendæ variæ ponderationes, quales videmus in monarchia Eccleſiaſtica. 505. 10.
Monarchia perit ſæpe ex libidine regum & tyrannide. ex libidine euadit monarchia contemptibilis, ex tyrannide odioſa. 565. 19.
Modus ſciendi lux nobis eſt a natura conceſſa. 83. 12.
Moralium actionum fons in homine eſt mens & ratio. 146. 12.
Mortificatio & diſciplina vtilis omni ſtatui ac generibus hominum. 67. 11.
Mortificationis quæ notio aut ſignificatio, quis vſus & finis. 53. 1. 23.
Mortificationis ſtudium non a paſſione ſed a virtute decernitur. 54. 8.
Mortificatio vt ſpina Roſæ, agnata virtuti. 59. 12.
Morum compoſitio apud omnes gentes ex agnitione Diuinæ prouidentiæ, præmia & pœnam diſcernentis. 57. 4.
Mora & cunctatio prudentiæ neceſſaria. 179. 5
Motus duo in peccatum, 193. 1.
Motus appetitus varij ingenio obſunt. 55. 3.
Mundi fabricæ inſpectio facit ad maiorem Dei cognitionem, et ... lem compoſitionem. 144. 7
Multitudo ... um corpus conueniens communi conſenſu, poteſtatem ſibi facit ad ſe defendendum, bonum commune conducendum, et ad hoc leges condendi. 510. 7
Muſicæ ſuauitas duo reſpicit, animi vim et eius motum. 167. 2.
Muſicæ ineſt vis ad excitandum animi affectum. ibid. 3. 4. 5.
Muſica ciuile eſt inſtitutum, natura, moribus & doctorum teſtimonio probata ibid. 6.
Muſica quædam diuina laudes Deo cantans, quædam rationalis, & quædam concupiſcibilis & quædam iraſcibilis. 169. 7.
Mutatio regnorum & ſuperiorum neminem impellere poteſt vt a Deo, a virtute, ab honore diuino & a propria ſalute deficiat. 362. 6.
Mutationum ſemina in homine virtutes intellectuales & morales & vitiæ illis oppoſita continent. ibid. 7.
Mutatio in fidei negotio ac religionis efficaciſſima eſt ad mutationem ciuilem inducendam, ſicut & regnorum vicinorum qualitates & cum ijs inita commercia. 363. 11. & 12.
Mutationes quomodo fiant in quatuor Imperijs, diuino, rationali, concupiſcibili & iraſcibili declaratur 364. 12.

N

NAtura humana ad vnionem perſonalem ſublimata, apparet nobis amabiliſſima & quomodo. 276. 3.
Natura expellit quædam, & quædam retinet, quæ triplicis ſunt conditionis. 307. 3.
Natura ipſa apud omnes gentes docuit deferri perſonis cultum, honoratis eorum imaginibus. 568. 9.
Naturæ vniuerſæ contemplatio oportuna fini ciuilitatis. 143. 5. 6. 7 8. 9.
Nobiles pro Repub. animoſi eſſe debent. 63. 1. & 2.
Nobiles Roſis comparantur. ibid.
Nobilibus neceſſaria diſciplina & duplex inſtitutio. ibidem.
Nobilitatem ingenitam ex Numinis diuini notitia agnoſcit homo. 94. 3.

O

OBlationes, poſſeſſiones & vectigalia ſacris ceremonijs ſponte oblata, ad duo ſunt. 261. 5.
Oculi qua ratione dicantur fontes. 64. 6.
Ocium, negocium, pax, bellum quatenus ciuibus arridere debent. 250. 2.
Odio proximum proſequi, animæ ſanctitati repugnat. 556. 36.
Officium ſiue munus ad religionem ſpectans, poteſt quatuor modis exerceri. 519 3 & 4.
Officia ciuilia quatuor, ſunt in ſtudio contemplationis phiſicæ. 141. 1.
Opus in quod tendit cognitio triplex. videlicet mentis, imaginationis, aut externæ alicuius potentiæ, 139. 3.
Opiniones prauæ in fauorem impuræ voluptatis, vera ſapientia profligandæ. 194. 10.
Orator Chriſtianus ſibi proponit fidem facere, mouere & flectere 154. 5.
Ordo ſacer ſacrorum hominum diuina monita & beneficia in ciuilem ſtatum refert. 256. 1.
Ordini ſacerdotali omnis natio, fama religionis ac ciuilitatis nota, ornamenta & priuilegia indulſit 256. 2.
Orationi ānexæ corporis & animæ humiliatio & genu flexio ſunt viro forti honorificæ. 261. 5 & 7. 8.
Oraturi Deū, an fide Catholica credere debent id obtenturos pro quo orant 350. 9.
Ordinatio quarundam perſonarum in Eccleſia ad officia religionis ex inſtituto Chriſti & Apoſtolorum 429. 6.
Ordinationes Duæ in Eccleſia, Sacerdotij & Epiſcopatus ibid. 7.
Orthodoxi duplici methodo diſputant in hæreticos, 427.
Orthodoxæ fidei multa adſunt argumēta credibilitatis ad fidem perſuadendam. 443.
Orthodoxæ fidei cultores maxime litteris incumbunt & ſacratis ſtudijs. 489. 1. & 2.

P

PAllas ægide capite & Gorgone in Clypeo armata quid deſignet. 66. 5. et 6.

Paſtorum quale officiũ ex ſpiritus ordinatione. 585. 2

Panis quod firmamentum vitæ vocatur, duobus commodis abundat. 312. 2.

Parentes diuino iure amandi pariter & venerandi. 283. 1.

Parentum pietas in proles & prolium in parentes ex naturæ progreſſu qualis. 284. 4.

Paſſiones appetitus ſenſitiui quomodo alia paſſio ſuperueniens moderatur. 54. 6.

Paſtorum & religioſorum vitæ genus, quale perfectius aut honorabilius. 264. 9.

Pax inter religioſos & paſtores ſeruanda ex ratione ciuilitatis & quare. 263. 9.

Pax eſt duplex in homine: vna inter partes animæ appetentis, & alia inter appetitum iſtius ciuis & appetitut alterius: & vtrumque efficit charitas. 270. 2.

Pacis tempore quæ virtutes conueniant ciuibus ad cauendas ocioſas voluptates. 212. 7.

Pacem ocioſam tria ſectantur Iuſtitiæ aduerſaria. ibidem. 8.

Pactum cum dæmone inij qui conſulit illum de latenti aliqua veritate, aut eius auxilium implorat de eo quod expetit. 382. 2.

Paraſiti, principes ſuos vita defunctos inter Deos collocarunt. 373. 8.

Parentibus proles ductu naturæ cultũ exhibent. 284. 4.

Pati, genuinum eſt officium fortitudinis & nobiliſſimum. 343. 8.

Patientia cunctas virtutes comitatur. 338. 1.

Patiens fortitudo hilari animo ſuſtinet ærumnam aduerſariam, ſiue bono iucundo, ſiue ſenſui & honori aduerſariam. 343. 9.

Patientiam, charitatem & caſtitatem Ethnici falſo putabant fortitudini ciuili aduerſari. ibidem 11. et 12.

Peccatum noxium ciuibus ac Reipublicæ. 196. 2.

Peccatum naturam humanam inquinat et violat. ibidem. 3.

Peccatum naturam humanam exulcerat & conſpurcat. ibidem. 4.

Peccati illecebra, non pure aut vere delectabilis, ſed vim acerbitatis illi immiſcuit. ibid.

Peccatum Sancta prophanat, fædat & viliſſimis vſibus deſtinat. 199. 3.

Peccatum infeſtum proximo & multitudini. ibid. 4.

In peccato tria ſunt, ex quibus eius odium ac deteſtatio in nobis oritur. 195. 1.

Peccatum ſummam iniuriam Deo irrogat. 196. 1.

Peccatorum aliquæ ſpecies cadunt in iuſtum. 503.

Peregrinationes ad remotas nobis nationes opportunæ ſunt ciuilibus ſtudijs. 301. 5.

Peregrinationes ad diuerſas terras, omnes nationes fecerunt, quo experti plura cognoſcerent. 302. 6.

Peregrinationes ſiue profectiones ad exteras nationes quæ quandoque inconuenientia ponant. 302. 8.

Perpetua apud exteros manſio multum deficit a fœlicitate ciuili. 303. 9.

Perturbatio, quam in mores inducunt Proteſtantes, ex ſola fide iuſtificante & priuato ſpiritu ſcripturas interpretante oritur. 522. 3.

Periurium inter reliqua flagitia peculiare inciuilitatis defectus 416. 9.

Pœna & acrimonia ex charitate infligenda ſontibus, decernenda amore veri & iuſti. 292. 5.

Pœna ſumma illi digni, qui Remp. in qua euecti ſunt ad honores & dignitates, nefandis moribus ex vitioſa libertate corrumpunt. 200. 6.

Pietatis iura obſeruarunt omnes gentes, ciuilitatis nota celebres 283. 1.

Philoſophia humana ad ciuilem virtutem producendam ſatis valida non eſt. 128. 8.

Philoſophia moralis adfert momentum ad regendum & quiete viuendum. 148. 11.

Philoſophi in moribus ſordidi & impij. 130. 14. & 15.

Pietas erga defunctos multiplici redundat vtilitate. 575. 3.

Philoſophorum de Deo & animæ immortalitate quã abſurda doctrina. 129. 10.

Poëſis genus aliud diuinum, aliud rationale, aliud concupiſcibile & 163. 5.

Poëſis dicitur ab Ariſtotele placens philoſophia. 162. 1.

Poëſis & Rethoricea quæ differentia. 162. 3.

Poëta bonus vt quis ſit, quid requiratur. 165. 3.

Poëtica ars quatenus admitti debeat in ciuitate aut republ. 163. 4.

Poëtis quatuor motus ſpectandi. 164. 9.

Poëtæ in quibus accuſandi. 165. 11, 12. 13.

Poëtas Socrates & Tyrius Maximus & Plato Republica indignos iudicarunt. 166. 14.

Politiæ ratio virtuti inſeruire debet, ſicut & ratio ſtatus. 50. 12.

Politici aduertant quale ſit officium cum dæmone humani generis hoſte, vitæ negotia tractare. 382. 12

Politici peruerſi ingenii vim dolo, ſimulatione, æquiuocatione artificioſe eludere nouerunt. 416. 11

Politici laborant ſtabilire inter Chriſtianos Imperium deſpoticum cum graui nocumento generis humani, & quibus modis id conati ſint. 406. 12. & 13.

Pontificis Romani iudicio infallibili, Catholici omnia referunt ob quam cauſam. 521. 17.

Pontificis Romani primatum ſicut & petri Apoſtoli, cuius ipſe ſucceſſor eſt, Epiſcopi omnes orbis, quouis tempore agnouerunt. 516, 11.

Pontificis & Eccleſiæ authoritati principes & ſummi imperatores, quo ad Eccleſiaſtica, faſces ſuas obſequenter ſubmiſerunt. 516. 11.

Pontifex ac ſummus Chriſtianorum monarcha, vt in ciuitate Romana per fidem Chriſto iam ſubdita, collocaretur, prouidentia diuina factum agnoſcitur. 515. 8.

Populus vnde a defectione & rebellione cohibendus. 10. 15.

Populi mores erga ſuum principem dependet ex moribus ipſius principis. 370. 10.

Potentia maxima ſine virtute ſeruitus ſpecioſa eſt. 60. 1

Poteſtas diuina in ſpiritus malignos, atque occultorum ſcelerum manifeſtatio, argumenta diuinæ prouidentiæ. 109. 13.

Prædictiones veræ ex hominum libero arbitrio, adſtruunt diuinam prouidentiam. 108. 10.

Poteſtas ciuilis in alios, ſibi annexum habet connaturale debitum retinendi & excolendi virtutes. 355 1

Pueri quomodo in educatione dirigendi. 52. 7. 8. 9.

Puritanorum in Eccleſiaſticis regimen, ad pacem Reipublicæ & principum præiudia infeſtiſſimum. 519. 7.

Praxis

Praxis & ſcientia ciuilis ſimul in ciue optandæ. 83.8.
Praxis acquiſita rerum ex notitia externarum gentiu, fixa & ſolida, maximam vim obtinet ad mores formandos. 302.9.
Prima originalis inſtitutio ciuilitatis ex actionibus oritur, quas filij parentibus exhibere debent; ideo pietas ciuilis inter conſanguineos apud omnes in more poſita fuit. 285.4.& 5.
Principes Chriſtiani illi peſſimi, qui poſt pactum iuratum amicitiæ, permittunt ſubditos ſe iungere rebellibus confœderatorum regum. 395.13.14.
Princeps ſuperbus ruinam Reipub. infert, & quiduis non audet. 394.12.
Principes Chriſtiani cur ſuperbiam & ambitionem a ſe ablegare debent. 395.13.
Principes, qui ſuas copias cum expenſis alteri dat, vt ipſe ſuo nomine bellum inferat, non regaliter ſed viliter facit, & ſit in præiudicium Eccleſiæ & bonorum ſubditorum principis confœderati, ibid. 14.
Principes illi peſſimi, qui permittunt ſuos, ad partes hæreticorum excurrere cum armis, eis opitulatum. 369.16. et 17.
Princeps ſine virtutibus moralibus & Intellectualibus, nil iuſti habet. 40.8.
Principi quæ decora & quæ indecora. 60.2 & 3.
Principes egent reſtringentis diſciplinæ ſeueritate & quate. 60. 1.
Principum faſtus & officia, cæcæ fortunæ caſibus obnoxia. 60.5.& 6.
Princeps ſi ciues morigeros optat, curare debet ſcientia illuſtrari. 138.2.
Principes & ciues quibus ad pudentiam diſponuntur. 180.10.
Principis officium eſt, non alios ſtatuere qui ſub ſe regant, ſed vt ipſe directiue & coercitiue regat. 201.1.
Princeps in Repub. loco communis canis eſſe debet ex Platonis ſententia, & quomodo ibid. 2.
Princeps ocium & voluptatem excutere debet, & ſtudio bono tempus inpendere. 202.3.
Princeps in monaſticis & politicis inſtructus eſſe debet. 202.4.
Princeps ad veram ex fide ſapientiam aſpirare debet, quam ſimul cum lege ab Eccleſia, cui Deus ciuilem poteſtatem ſubiecit, accipere debet. 203. 5. & 6.
In principe quæ potiſſimũ ſcientia deſideretur ad hoc vt debite regat. 203.7.& 8.
Princeps eloquentia & ſtilo ſuaui & intellectus lumine fulgere debet ſicut & prudentia, quæ leges & ciuium conſuetudines complectatur. 204 10. et 11.
Princeps in regimine nihil ex fraude, feritate et præcipitantia facere debet, ibid. 12.
Princeps ſicut authoritate excellit omnes, ſic ei reſpondere debet prima virtutis dignitas. 356.3.
Principis cuſtos, eſt eius innocentia, ibid. 4.
principis virtus acerrima & fortiſſima eſſe debet. 357.5.
Principes in charitate maxime excellere debet, ibid. 9
Princeps fortis & mites eſſe debet ibid. 8.
Principis a ſubditis ſummus amor, ciuilis ſtatus vinculum, defferendus ibid. 10.
Princeps eſt in ſuo throno, ſicut magnes, qui ad ſe ciuium animos trahat. 358.10.
Principi nihil incomodius, quam atheiſmus admiſſus in animos ciuium. 369.7.
Princeps conſtituens religionem ad voluntatem populi, illum ad barbariẽ & atheiſmum manuducit. 369.9.& 10.
Principes aduertere poſſunt, quantum momenti illis adferat virtus, cuius imperium in Eccleſia Catholica tantum floret. 225.24.
Principes non debent ex quacunque cauſa in Eccleſiæ Catholicæ ciues & domeſticos arma inferre, & quare. ibid. 25.
Principibus & magiſtratibus ciues obedientiæ officia et honoris deferre debent. 286.1.
Principum ac ſubditorum corda imbuenda obedientiæ & humanitatis diſciplinis, ibidem.
Principi ſuo ſubditi debent præſtare amorem & obſeruantiam ibidem. 2.
Princeps triplicẽ habet excellentiam: ſanguinis, authoritatis, & virtutis pag. 287.2.
Principẽ amare multa ſubditos cogunt ibib. 3.
Principis ambitio, & priuati emolumenti ſtudium, ciues ad inobedientiam excitãt, ibid. 4.
Principẽ diffamare aut accuſare, graue ſcelus, ibid. 5.
Principis in ſuos charitas & pietas ſumma eſſe debet & perfecta. 288.6.
Principis erga ſubditos non eſt omnimoda amicitia, ſed hinc inde amor & pietas, ibidem.
Principis ſecuritas & gaudium proueniunt ex amore erga ſubditos. 289.8.
Princeps ſi diuinum imperium ſupra ſe reſpicit, ſemper ſe beneuolum & liberalem exhibebit, vt probãt exempla allata. 289.9.
Princeps ſine ſumma virtute, tanquam qui exemplar totius ciuitatis eſt, eſſe non poteſt: debet enim duplices virtutes habere. 355.1.
Princeps a virtute declinans, eſt deterrimus omnium in ſua Repub. & quaſi dæmonis imago, ibidem. 2.
Princeps ſuis ciuibus virtutis ſplendorem adhibere debet, ſicut ſol ſtellis lucem impertit ibid. 5.
Princeps Chriſtianus non debet regi a populo quo ad fidem & religionem, ſed a Deo & Eccleſia. 370. 20.
Principes prudentes & ciuiles, ſtatus ſuos ad Deum referentes, merito ſe nil eſſe agnoſcunt. 376.15.
Princeps noſter Chriſtus Dominus, principes inſtituit ad humilitatem, regiæ perſonæ exemplo ibid. 375. 14.
Principes imperium deſpoticum vendicans in ſubditos, nec ſuæ nec ciuium ſaluti recte conſulunt. 454.5.
Principi ita ciues ſubeſſe iam libertate donatos, vt barbarico ac tyrannico modo ſubſint, graue iugum & intollerabile. ibid 6.& 7.
Principes, vt ſacrorum præſules, populus nec habere nec admittere poteſt, cum nouum teſtamentum hos non ſtatuat. 520.2.
Principia duo aſſerentes, vt Manichei, errore maximo in Barbariem deflectunt. 376.16.
Principia duo actionum nobis nota intellectu & ſynderesi. 183.1.
Priuatus ſpiritus ſcripturas interpretans ſibi ipſi & aliis exitioſus. 441.13.
Priuato ſpiritu ſentientes, a primitiuæ Eccleſiæ patribus Athei habiti. 442 ibid.
Prometheum fabulantur Poetæ igne animos hominum accendiſſe ad artium & excellentis vitæ inſtitutionem, quem poſtea dii corrupuerunt, & quomodo 366.1.
Proteſtãtes dubii in fide ſua, nullo fauore Eccleſiæ aut patrum ſe protegere poſſunt. 447.

Proteſtantes

Proteſtantes ad ſeducendam Catholicos validi nati, inualidi tamen ad Iudæos vel Ethnicos conuertendos. 455. 28.
Proteſtantes non poſſunt oſtendere Arianos & Pelagianos fuiſſe hæreticos. 455. 32.
Proteſtantes ex ſuperbis rebellantes, Deo intellectum in obſequium fidei captiuare nolunt. 441. 10.
Proteſtantes miniſtri nullum veſtigium iuriſdictionis quo ad Sacramenta, cenſuras ac verbi miniſterium habent. 434. 16.
Proteſtantes duplici obiectu tentationum ad infidelitatem impelluntur. 446. 6.
Proteſtantium cohors quaſnam ſibi functiones ab Eccleſia noſtra mutuati fuerint. 433. 15.
Proteſtantum negligentia, obſtinatio ſeu contemptus erga hiſtorias vitæ Sanctorum, ad Atheiſmum facit 441. 12.
Proteſtantes hoſtes ſunt Chriſtianæ fidei, inducentes veterẽ idololatriam, Iudaiſmum & Mahumetaniſmum. 456. 34. 35.
Paulus quid prophetauit de Proteſtantibus. 591. 19
Proteſtantes meliorem metamorphoſim fecerunt, quã vnquam Ouidius, immutantes deum in diabolum. 588. 11.
Proteſtantes Clero & religioſis carent, plane ſæculares & irreligioſi. 589. 15.
Proteſtantes multa, ſed falſo, criminantur in Religioſis. 590. 16.
Proteſtantes ſex habent educatores. 591. 123. 4. vſque 22.
Proteſtantes in rem vxoriam accenſi, puritatem, odio habent. 581. 9.
Proteſtantium ſacra ſunt Concio, cantio, lotio, cæna. 582.
Proteſtantiſmus ex quatuor mere inciuilis. 590. 18.
Proteſtantium religio quoad defunctos, nulla aut plane frigida cæremonia. 578. 11.
Proteſtantes religionis hoſtes capitales. 583. 14.
Proteſtantes impij in Dei iuſtitiam & odium in peccatum. 462. 15.
Proteſtantum dogma de Deo, peccati authore, horrendiſſimum. 463. 17.
Proteſtantes nõ plus diuinitatis Chriſto tribuunt, quã Turcæ & Mahumetani. 472. 12
Proteſtantes, nugantur, Chriſtum Deo patri ſuum meritum obtuliſſe pro Sãctis & prædeſtinatis: ideſt proteſtantibus, reliquis ad æternas pœnas relictis. 476. 27.
Proteſtantes contendunt omnia opera Iuſtorum ex Chriſti gratia facta, eſſe peccata. 477. 29.
Proteſtantes ciuilẽ ſtatum, ac ſanctitatis in eo progreſſum, a Sapientia, quæ Chriſti excellentiam expendit, perturbant & conuellunt. ibid. 31.
Proteſtantium erroribus obueniunt in vitæ actionibus turpia & fœda. 478. 3.
Proteſtantes doctrinam de excellentia B. Mariæ virginis, gratia & gloria, Sanctorumque inuocatione calumniantur, & virginem & Sanctos dignitatibus ſpoliant. 488. 27.
Proteſtantes Sanctos ſine iuſtitia in cœlo eſſe, & ſine ſcientia, ſed cum ignorantia affirmant. Ibidem. 28.
Proteſtantes vniuerſam Eccleſiæ doctrinam tam diuinam quam naturalem ſuis erroribus contaminarunt. 489. 30.
Proteſtantes horridi, ſpirantes barbariem in bonas literas. 491. 6.
Proteſtantes academici oxonij in Anglia pompoſe, Theologorum libris flammis exuſtis in ſpeciem exequiarum, per ludibrium parentarunt. ibid.
Proteſtantes fidei capitales hoſtes, et ſtipendiarij Antichriſti. 493. 10.
Proteſtantum muſicam, quam Catholici in ſuis officijs colunt, minus induſtrie colunt. ibid 11. 12. 13. & 14.
Proteſtantes ab artium cultura, otio ac deſidia reſiliunt. 494. 15.
Proteſtantes nullam artem niſi piraticam ac ſartoriam promouerunt. ibidem.
Proteſtantibus Catholici ſunt longe ſapientiores in multis & quare. ibid. 16.
Proteſtantum prudentiæ obeſt eorum voluptas & ira. 495. 17.
Proteſtantium errores ortum habent ex imprudentia eorum. ibid. 19.
Proteſtantes mortificationis inſtituta, vt molles, ſuperſtitioni & hyppocriſi attribuunt. 498. 5.
Proteſtantes aſſerunt virtutem non ex libera voluntate fieri, nec eidem bonitatem ac iuſtitiæ ſplendorem concedunt. ibid. 6. & 7.
Proteſtantes ſuauitati virtutum & animi quietudini aduerſantur. 499. 8.
Proteſtantes negant omne virtutis meritum & ex cõſequenti deum eſſe remuneratorem bonorum operum. 500. 15.
Proteſtantes falſo contendunt opera bona eatenus eſſe meritoria, quatenus a patre æterno propter Chriſtum reputantur. 501. 16.
Proteſtantes falſo contendunt peccati turpitudinem nullam eſſe, ideo Deum eius auctorem faciunt. 502. 19. et 20.
Proteſtantes puritati virtutum fœde reſiſtunt, et ignorantes, veritati iuſtitiæ aduerſantur. ibid. 22.
Proteſtantum quantus error, fidem ſolam iuſtificantem aſſerere ſine charitate & virtutibus. 4. 5. 7. et 8.
Proteſtantum maxima ſuperbia, ſuos errores vt cæci merito ignorantes. 508. 12.
Proteſtantes hoſtes ſubiectionis, inimici monarcharum, quo laxius viuant. 509. 5. et 6.
Proteſtantes inobedientes ad præuaricandum legibus quomodo incitentur. 511. 11.
Proteſtantes legibus contra fidei hoſtes latis ab Eccleſia contra hæreticos, infeſti ibid. 12.
Proteſtantes in principum perſonas furioſi. 512. 13.
Proteſtantes Eccleſiæ monarchiam viſibilẽ negant & maxime Puritani. 519. 5. et 6.
Proteſtantium imperium etiam in pace diuturnum eſſe nequit, et quare. 350. 45. et 46.
Proteſtantes crudeles et ſanguinarij. 533. 14. 15. 16. 17
Prouidentia Diuina, authoritatem in terris conſtituit, cuius indicio dubia et contentiones in rebus fidei terminantur. 463. 18.
Prouidentiæ diuinæ ſubſeruiunt cognitiones quatuor nouiſſimorum, mortis, iudicij, gloriæ et inferni. 465. 23.
Prouidentiæ Dei cognitio quid efficiat in nobis et quanta eius vtilitas. 91. 9. 10. et 11.
Prouidentiæ Dei cognitio nos deo arctius aſtringit. 93. 10.
Prouidentia Dei, et decreta, et concurſus ad omnia, vno peccato excluſo, extenduntur. 93. 2.
Prouidentiæ pars, quæ vindicat peccata, timorem domini efficit. 95. 10.
Prouidentia Dei aſſeritur, quod conditor, creator & finis

& ſuus rerum ſit. 97.5.
Prouidentiæ Dei pœnam decernentis quis finis ibid.
Prouidentiæ Dei conſideratio plurimũ prodeſt rebus & moribus ciuilibus. ibidem.
Prouidentiæ Dei erga hominem cognitio quatuor requirit conſideranda. 99.1.
Prouidentia Dei duplex: naturalis & voluntaria. ibid. & 100.4.
Prouidentiæ Dei conſideratio ad humilitatem inducit 103.9 & dona ab ipſa ſperare facit ibid. 10.
Prouidentiam Dei aſtruunt ſigna varia, portenta, prodigia ac monſtra. 107.5.6.7.8.9.
Prudentia regula practica virtutum. 77.6.
Prudentia nullo dehoneſtamento etiam a maleuolis defœdari poteſt. 84.13.
Prudentia ciuilis nulla, cognitioni quæ ex fide, eſt vnquam anteponenda. 136.2.
Prudentia eſt origo, auriga & directrix virtutum. 175.2.
Prudentia duplex, vera & adulterina & circa quæ verſetur. 175.2.
Prudentiæ quæ vis & quæ partes. 176.2 & 4.
Prudentia quæ ad bonum refertur quatuor ſpecies complectitur 177.6.
Prudentiæ quæ laudes vtilitates, ac virtutes. 178.3. & 4.
Prudentiæ æſtimationẽ eneruãt voluptas, triſtitia & dolor. 179.6 & 7.
Prudentia inſtar palmæ ſicut & intellectus, in aduerſa conſurgit. ibidem.
Prudentiæ hæreticorum obſunt voluptas & ira. 495.17.
Prudentia in omnibus actionibus, maxime religionis & delectus fidei. 495.20.
Prudentia iungitur cum alijs virtutibus: nemo enim prudens qui non ſit honeſtus. 495.11.
Prudentiæ lux vt conſeruetur in homine duo curãda. 282.5.

R.

RAtio ab optimo magiſtro inſtrui debet. 146.3.
Reges Iudæorum ciuiles, prudentes & Sancti corã Deo in humilitate ambularunt. 376.15.
Regni Dei eximia ſpecies in beatis. 25.8.
Regnorum & imperiorum mutatio ſtulte & inepte quidam in tempora & annorum decurſus vt in altiſſimas cauſas referunt, ſicut & ſiderum influentias aut fatales conuerſiones. 360.2.3.4.
Regnorum & imperiorum quanta eſt & fuerit mutatio oſtenditur 359.1.& 2.
Regnorum ac ſtatuũ iura & ſtabilitates ab ordine diuinæ prouidentiæ pendent: quomodo vero id fiat nobis ignotum & ſcitu impoſſibile. 360.5.
Regnorum in mutatione omnia ad tria nobis conſideranda reducuntur. 361.6.
Religio nulla apud omnes gentes caruit rerum ſacrarum præſidibus ac præfectis excepta proteſtantica. 513.2.
Religio nulla poteſt inter homines coaleſcere abſque ſignis & ceremonijs externis. 265.1.
Religionis noſtræ Catholicæ magnitudo ad ciuiles mores inducendos potentiſſima ex ingenti pondere meritorum Chriſti fidelibus collatu. 266.6.
Religionum diuerſarum ſuſceptum a magiſtratu patrocinium, ad atheiſmum confert. 368.6.
Religioni, iuſiurandi Sacramento maxime infeſtus Atheiſmus. 369.8.
Religioſis ſtatus in Eccleſia ſanctiſſimus quid ſibi proponat. 262.1 & 2.
Religioſi in duos ordines diſtribuuntur. ibid. 3.
Religioſorum inſtituta ciuilibus negotijs quam ſint vtilia. ibid. 4. & 263.8.
Religioſi mundi ſtudijs auocati, idonei ſunt qui præclara ac ſolida artium ſcientia polleant. 263.6.
Religionem vt virtutem ciuilem agnouerunt omnes nationes quæ ſub cœlo ſunt. 241.1.
Religionis norma & regula eſt Sapientia & fides diuinitus reuelata. ibid. 2.
Religionem rebus publicis & ciuilibus eſſe neceſſariã omnes nationes agnoſcunt. ibid. 3.
Religione ſacrata multa fuiſſe apud Romanos multa probant. 242.4.
Religio ſepulturæ in quem finem a Catholicis deſtinetur. 573.4.
Religio noſtra ex defuncti corporis ſepultura profitetur reſurrectionem. ibid. 7 & 8.
Religioſa funerum cura ad demortui expiationem, ſacrificio mediante, refertur. ibidem. 9.
Religioſarum precum defectũ viuentium pro defunctis, ſupplet mater Eccleſia. ibid. 10.
Religioſorum ordines & ſtatus, Eccleſiæ vtiliſſimi. 585.4.
Religioſos in Eccleſia cur Sanctus Auguſtinus volucribus comparauit. 590.17.
Religioſi in duobus a Clero diſtinguuntur. 584.1.
Religio apud Iudæos ſuper omnes gentes fuit illuſtris ibidem. 5.
Religio truculentiam inter homines prohibet, quod ea humanitatem inducat & conſeruet. ibidem. 243.6.
Religio non ſolum inter virtutes morales primum locum tenet, ſed eſt mater & radix aliarum & quomodo. 243.8.
Religio non præbet acceſſum ad Deum malis & contaminatis. 244.8.
Religio commendabilis ab externo nitore & corporis puritate. ibid. 9.
Religionis præſides imperium habent in munera reliquarum virtutum, adeoque in res externas ibidem. 10.
Religio non debet inuentitijs artibus excogitari, aut in gratiam alicuius ſtatus politici præſcribi cõmoditatis gratia. 245.1.
Religio vt ciuilis ſit quæ requirantur & quæ eius conditiones. ibid. 2 & 3.
Religioni eminente ſpecies illuſtris, magnifica ac anguſtiſſima & quare. 246.4.
Religioſe, ſumptuoſe & ornate colere Deum naturæ inſtinctus omnes gentes docuit. ibid. 5.
Religio ſpecie quadam vmbratili quatuor contemplãda proponit ibid. 6.
Religiones, quæ minus ciuiles & legitimæ fuerint, 247.

147.9.10.11.& 12.
Religio coniuncta metui,quo pii reprimantur ne exaudita a deo ſuperbiant.253.14.
Rerum ſtatus mutantur quando rationes & actiones deficiunt per quas creuit & aucta fuit. 364.15.
Res externæ ab homine quatenus in Dei prouidentem referendæ.104.14.
Reſpublica minus quieta,quæ libidine quam que bello inflammatur 398.8.
Reſpublica quæ felix.48.6.
Reipublicæ nulla forma mali expers.6.9.
Reſpublicas Chriſtianorum Religio florentes fecit. 110.16.
Reipublicæ eadem facies & firmitudo ſtare non poteſt ,vbi hæreticæ religiones impune graſſantur. 139.10.
Reſpublica qualibet duobus hominum ordinibus cõſtat, videlicet ſacris & ciuilibus.256.1.
In Republica duo maxime optanda. 176.52.
Reſpublicæ fundatæ in virtute diutius immotæ permanent :ſecus quæ in ſenſuumoblectamentis robur habent.361.8.
Rebus publicis immutationes inferunt plerumque principum ipſorum in vtramque partem actiones vel virtuoſæ vel vitioſæ.363.9.
Rempublicam perturbant ordinarie inæqualitas inter ciues & ſtudiorum contrarietas.364.14.
Reſpublicæ quæ hæreſi & rebellione ſtatuuntur,cito pereunt.365.20.
Rhetorica, argumenta dicendi petit ab alijs ſcientijs. 550.1.
Reuelare ſecretum delictũ,cuius detectio Iuſtitiæ aduerſatur,quomodo cœlandum vel detegendum. 304. 5.
Reipublicæ ſalus alicuius a cœlibatu quomodo dapendeat. 319.
Reipublicæ duo ſunt maxima bona.554.7.

S.

SAcerdos Dei Angelus & Dei ad homines legatus eſt.246.6.
Sacerdotes non debere ſordidas artes exercere aſſeruit Plato.256.2.
Sacerdotibus & ſacris hominibus a prius quam vlli ciuium generi, priuilegia & immunitates concedendæ.257.3.
Sacerdotibus a moleſtijs reſeruatis prouidendum de ſufficienti peculio,ne indecore vitæ neceſſaria emédicent.ibid.4.
Sacerdotes & clerus immunes eſſe debent ab omni coactione & pœna ciuili & non niſi ſacris legibus ac magiſtratu ſacro gubernandi ibid.5.
Sacerdotum & cleri priuilegiis reſiſtentes furtum honoris Dei quoddam committunt.ibid.6.
Sacerdotes & cleri immunitas non derogat principum poteſtati aut iuribus,nec libertatem confert liberius delinquendi,ſed ad vitæ honeſtatem eos obligat.258.7.
Sacerdotum priuilegia faciunt imperium virtutis in vulgo ſtabilitum & firmum. ibid.8.
Sacratarum perſonarum,in iniuriam immaniter illatã
Deus ſeueriſſime animaduertit.258.9.
Sacerdotes expediuntur ad peregre proficiſcendum, quibus magnum impedimentum eſſet iugum matrimonii.260.6.
Sacra Catholicæ fidei ſacroſancta ac puriſſima,puritatem in adminiſtrantibus requirunt.ibid.4.
Sacra Eccleſiæ Catholicæ excedunt vmbras & figuras veteris ſynagogæ 559.3.
Sacramenta Eccleſiæ numero ſeptem, maxime incitamenta ſunt & fomenta charitatis erga Deum & homines.550. 15.
Sacramentorum vſus , triplici argumento excitat ad ſpei opera.543.16.
Sacris muneribus eſſentur inepti,qui infinitis negotiis pacis & belli,vt ſunt reges & principes ſeculares,distrabuntur.520.51.
Sacramentum Euchariſtiæ pulcro ſcemate vniuerſã naturam Sanctæ charitatis ac ciuilitatis repreſentat. 555.17.
Sacramentum Euchariſtiæ vis & gratia facit ad totius hominis perfectionem.ibid.58.
Sacramentum Euchariſtiæ rationi & menti illuminandæ vtila & daſiderium noſtrum in Deum inflamat.552.20.59.
Sacramentum Euchariſtiæ eſt quo Deus amans, ſe homini amato comunicat amore amicitiæ in bonum amati ibid.21.
Sacrmentum Euchariſtiæ robur præſtat ad fortia quæque aggrediendra.553.23.
Sacramentum Euchariſtiæ vt rite recipiatur,requiritur belli quædam armatura.ibidem.
Sacramentum Euchariſtiæ viaticum eſt noſtræ peregrinationis. ibid.25.
Sacramentum Euchariſtiæ ſtudijs principum maxime fauet.554.26.
Sacramentum corporis Chriſti fit per tranſſubſtantiationem panis in corpus Chriſti.ibid.27.& 28.
Sacris Sanctorum corporibus pretium virtutis,ad eorum decorem ac deo ſtatutum eſt.568.8.
Sacramentum puritatis ſiue pænitentiæ, præter pœnitudinem cordis requiri,quo qui ob crimen ſacris indigni facti expientur,naturæ ipſi & ſummæ veritati eſt conſentiens.249.3.
Sanctorum corpora poſt mortem multa miracula perpetrarunt.579.4.
Studium caſtitatis in Clero, Chriſti exemplo accẽdique 580.4.&.582.10.11.
Sacerdotum & Cleri exemptiones religionem noſtrã ornant.384.52.13.& 583.12.
Sanctos colendi mos,vt pote ſummis virtutibus ornatos, etiam poſt obitum illorum,in Eccleſia perpetuo retentus fuit.255.3.
Sanctorum ex cultu oſtenditur virtute nihil eſſe præſtantius.ibidem.4.
Sanctorum cultus non ſecernitur a cultu Dei ac Sanctiſſimæ Trinitatis,ſed in hunc recurrit vt flumina in mare.ibid. 5.
Sanctorum actionum præſtantia Dei munere illis collata ,eos nobis venerabiles reddit.256.5.
Sanctorum res geſtas ob oculos ponere, Chriſti cultoribus plurimum prodeſt.ibid.6.
Sanctorum in feſtis congreſſus,manos epulos ,ludos publica celebratos ,antiqua Eccleſia in more habuit 256.7.
Sanctorum Excellentia in tribus poſita contemplatur

Catholicorum

Catholicorum ſapientia, 487. 25.
Sanctis Chriſtus impreſſit ſuuper principaliſſimas notas. ibidem.
Sancti florent & coluntur quia Chriſti ſanguine ſanctificati ſunt, ibid. 26.
Sanctorum iuſtitia tanquam viuus fons in ipſis, opera omnis generis virtutum protulit. 487. 27.
Sancti in cælum ſublati nobis hic peregrinantibus patroni manent. ibid. 28.
Sanctorum communionis cogitatio eſt ad mutuam inter ciuea beneuolentiam prouocatio 543. 57.
Sanctorum Imagines idola vocantes tam Iconoclaſtæ quam proteſtantes, merito a Niceno Concilio ſecundo anathemate perculſi fuere. 568. 8.
Sanctorum corpora quia animabus in vita inſeruierunt, decoranda ſunt præmio in cœlo, ideo eorum precioſas reliquias antiquo Eccleſiæ ritu ſtudioſe veneramur. ibid. 10. & quæ rationes hoc ſuadeant. 569. 11. & 12.
Sanctorum gloria & ſanctitas valorem operum & gratiam Chriſti & immenſitatem bonitatis oſtendit. 570. 14.
Sanctis ſuis quanta Deus tam olim quam modo contulit & quantam poteſtatē illis dedit, mirabile plane cenſetur. ibid. 15.
Sanctorum cultui quod Proteſtantes detrahant non mirum, qui iam pridem omnē ſanctitatem pernicioſo dogmate abſtulerunt. 571. 19 & 20.
Sancti ſanguinis Chriſti vim & efficaciam declarant, vtpote a quo virtutum opera in eis fluxere. 570. 16.
Sāctis in cœlo non adimunt peccati næuos proteſtantes, vnde errores iſti maxime pernicioſi. ibid. 22. & 23.
Sanctorum detractores proteſtantes quam maxime adulantur, illos magnates in diuos referentes, qui ipſis fauent. 473. 24. & 25.
Sanctorum feſti dies inter Catholicos ſtatuti ſunt & cur formæ variæ in ſanctorum imaginibus adhibeantur. 571. 17 & 18.
Sanctis cultum adhiberi a nobis, eſſe deo iniuriam inferre, falſo affirmant Proteſtantes, 566. 1.
Sancti & ſi mundanis fuere contemptibiles, tamen in cælo ſunt magni principes & cū Chriſto regnāt: ideo eos innocatione & cæremonijs honoramus. ibid. 3.
Sanctorum excellentia eſt cauſa cur eis cultum exhibeamus ibid. 4.
Sanctorum cultum vt idolatricum proteſtantes contra propriam conſcientiam & ſcientiam blaſphemant ibid. 6.
Sanctorum cultum externum in duobus ponunt Catholici. ibid. 7.
Sanctorum in natalitijs ſacrificium offerre olim in primitiua Eccleſia ſicut & ſanctis feſtos dies dicari in more fuit. 567. 5.
Sacramentorum Religio ſplendida & inſignis apud Catholicos, vt pote vaſorum diuinæ gratiæ. 561. 10.
Sacra nulla religio apud proteſtantes, ſed omnia eius officia impia prorſus & barbara. 562. 15.
Sacram nullam religionem ex ſuis inanibus & ieiunis Sacramentis prætēdere queunt proteſtantes ibidem 563. 17.
Sacrificii Catholicæ Eccleſiæ dignitas ſumma eſt, quia in eo ſummus honor deo impenditur. 559. 4.
Ex ſacrificio noſtro admirabilis oritur vis religionis & ciuilitatis. ibidem.
Sacrificij noſtri figura fuit cibus Iacob patri ſuo Iſaac oblatus. 560. 5.
Sine ſacrificio & ſacerdotio nulla religio poteſt conſiſtere. ibid. 6.
Sacrificij cauſa ſacerdotium a Chriſto in Eccleſia catholica. ibid. 8.
Sacrificij ritus ipſi naturæ adfinis & quare. ibid. 7.
Sacrificij cauſa extructæ vbique Eccleſiæ. 560. 10.
Sacra munera quæ obtulere tres reges domino recens nato, duo preſignarunt. ibid. 12
Sacræ liturgicæ cōſecrationes & cetera Eccleſiæ ornamenta religione ſunt plena. 562. 13.
Sacrificium, quo neque barbaræ nationes caruerunt, non habent Proteſtantes. ibid. 17.
Sacramenta & ſplendor Eccleſiæ Catholicæ & noſtræ religionis Chriſtum Deum verum & dominum cœli & terræ oſtendunt. 561. 11.
Pſalmodia Geneuenſis inſulſa eſt vociferatio proteſtātium ad inſtar ſacerdotum Baal. 565. 23.
Sacra Anglicanæ religionis Iuuenis chinenſis, lumine ſolo naturali contempſit & deriſit. ibid. 23.
Sacra proteſtantum ſuperſtitioſa & impia ſunt, ſicut reliqua omnia proteſtantium. ibid. 18.
Sapientia circa altiſſimas cauſas verſatur. 89. 2.
Sapientia tribus argumentis vtitur ad probandum dei exiſtentiam. ibid. 4.
Sapientia antiquorum de deo obſcuriſſima. 90. 5.
Sapientia quæ vnum Deum, oſtendit motum ciuilitati conuenientiſſima & quare. ibid. 6.
Sapientia Chriſtiana prouidētiam Dei, præmia & pœnas decernentem fatetur 96. 3.
Sapientia, id eſt doctrina Catholica, de Deo, Chriſto & Maria virgine & omnibus Sanctis, ad mores ciuiles inſtituendos & confirmandos idonea. 488. 29.
Secreta humani cordis nulla creatura ſed ſolus Deus nouit. 303. 1.
Secreti ſigillo multa Deus voluit eſſe clauſa. ibid.
Secreti humani author ipſe Deus. ibid. 2.
Secreti ſigillum in confeſſione ſpectat ad neceſſitatem Sacramenti. ibid. 2.
Secreta recondita a Deo nobis duo ſignificant. ibid. 3.
Secretorum detectio extra fraternā correctionem & alia efficit multa mala. 305. 8.
Senſus oblectamenta corporeis adminiculis egent, vt cibi & potus, & ſunt ad inſtar medicinæ, 227. 3. & 4.
Sceleris grauioris crimen tria mala ordinarie ſequuntur. 248. 1.
Sepultura honorifica corporibus impenſa & religioſum officium ciuilitati prodeſt. 268. 5.
Sepulturæ honos corporibus impenſus quid doceat aut admoneat ſuperſtites. ibid. 6.
Sepulturam religioſam conducere ad animæ quietem etiam veteres ethnici putarunt. 574. 1.
Sexus fœmineus ad condolendum, ad amandum, ad miſerandum omnino pronus. 486. 9.
Signa externa religionis ac cæremoniæ ad quatuor genera reducuntur. 265. 1.
Silentium & ſecretum religioſe cuſtodire docet prudentiæ virtus. 82. 4.
Societatis plures ſpecies. 4. 4.
Sodalitia in ciuitate ex amicitiis coaleſcunt. 297. 9.
Sodalitia duo adiumenta ſodalibus in eis coaleſcentibus conferunt. ibid. 10.
Sodalitia non aduerſantur Eccleſiæ vel Reipub. vnitati. ibidem. 11.
Sodalitia paſſim animoſitates & inuidentias generant. ibid. 15.

Sodalitia in diuerſis ordinibus conſtituta, duo debent conſiderare. 296. 13.
Somnus ſuſcipiendus ad hoc vt naturam iuuet & cōcoctionem promoueat. 312. 18.
Solitarius ciuis eſt. 15. 7.
Solitarius primo in Societate inſtitui debet. 141. 2. 3. 4.
Spes gratiæ non aufert liberum arbitrium. 539. 5.
Spei Chriſtianæ cauſa eſt ipſa diuina bonitas, qua nobis beatitudinem & ad eam gratiam confert. 538. 1.
Spes diuina & humana, quæ eis in remundi, quomodo differant. 539. 3.
Spes vt firma ſit & recta, d nobus aſtringitur. ibid. 4.
Spes noſtra facilitatur ex medijs auxilio diuino pleniſſimis. 542. 13.
Spes vocatur a Clemente Alexandrino ſanguis fidei. ibid. 12.
Spes Catholica & circumſtantiæ eius, ad ſacros & ciuiles mores confirmandos vtilis eſt. ibid. 14.
Spei affecla & ſocius eſt timor, qui animi ſuperbiam expugnat, humilitatem parit. ibidem.
Spes proteſtantium eſt audax, proterua et importuna præſumptio, ibidem. 18.
Spei noſtræ prodeſt Sanctorum pietas in cœlo pro nobis intercedentium. ibid. 17.
Spes proteſtantium ſiue fiducia, in barbariem & fœditatem morum tendit. 544. 19.
Spes firmamentum proteſtantes conuellunt, dum ſacramenta nihil efficere ex opere operato docent. ibidem. 20.
Spes in dei miſericordiam confirmat curſum virtutis. 347. 1.
Spei noſtræ certitudo ſola Dei bonitate munitur. 348. 3
Spiritus Chriſtiani hominis non habuit vnquam quouis loco & tempore coniuratiores hoſtes quam hæreticos Caluiniſtas ac proteſtantes Anglos. 573. 26.
Spiritus ignei in homine ſi vanitati concedantur, ad vitia vehementer inclinant; at ſi veritati, e contra ad virtutem inclinant. 194. 8 & 9.
Status diſpoſitionis humani quinque. 28. 2. 3. 4. 5 & 6.
Status aduerſitatis homini ſecurior quam proſperitatis & quid ex eo colligendum. 217. 10 & 11.
Status vidualis virtuti, publicæ vtilitati ad multa officia conueniens 321. 3.
Status reipublicæ is deterior, qui ſuperatur a voluptate. 397. 1.
Status ille in ciuitate nō ſtatuendus, qui cum abiectione & cum contemptu virtuti officit & detrahit. 405 8.
Status Rerumpublicarum non excedunt mortalium & rerū humanarū notiones, hinc paulatim corrumpi & concidere neceſſe eſt. 366. 21.
Status ciuilis a vera quæ fide in Deum pendet, ad cuius vnitatem ſtabilem Eccleſiaſtica monarchia multum valet. 517. 12.
Studia hæreticorum longe abſunt a prudentis & diſcreto conſilio. 537. 3.
Stylus alius rationalis, alius concupiſcibilis & tertius iraſcibilis. 157. 5.
Stylus Ciceronianus omnium optimus ad ciuiles mores vſumque eloquij. 161. 26.
Styli venuſtas in declamando in quatuor formas reducitur. 159. 3.
Stoici nihil deprecatum ferebant, ſed omnia in fati & fatales conceptus. 104. 15.
Stoici quibus rationibus contenderunt omnia fato euenire. 250. 5 & 6.

Suauitas ſumma ex virtute, eo quod hominem deo ſimilem reddit & ipſum in cœlum eueh t. 228. 8.
Subditorum & ciuium mentes longe abeſſe debent a rebellione. 287. 4.
Superbia eſt animi motus ille, qui aſcendit excellentiā petendo 391. 1.
Superbus & arrogans ſemper mendax. 391, ibid.
Superbiæ fauent ingenia acria & ignea. ibid. 2.
Superbia ad mores ciuiles deijciendos omnia vitia ſecum trahit, ibid. 3.
Superbia homines facillime trahit ad omnia vitia. 393. 7.
Superbia ambitioſa, vbi quod vult obtinet, mirum in modum dura & refractaria. ibid. 6.
Superbia eſt in corpore politico quod naturalis febris in corpore humano. ibid. 9.
Superbia conatur ſe humilē oſtendere, ſed tunc ſeruilem potius ſe exhibet. ibid. 11.
Superbiæ ingenium inquietum eſt ſemper ad vlteriora tendens. 394. 10.
Superbus princeps ruinam Reipubl. infert & quiduis non audet. ibid. 12.
Superbiam, ambitionē, iram, Æmulationem & ſimulationem cur princeps Chriſtianus a ſe ablegare debeat. 395. 13.
Synderesis ac conſcientia faciunt animam recte fungi officio ſuo 505. 3.

T.

THeologia Catholicorum fidei & dictis Dei innititur. 84. 16.
Theologia non detrahit quod ænigmatibus & ſpeculis vtatur. ibidem 1
Theologiæ ſapientes inter ciues maximo honore habendi. 139.
Temperantiæ ſtudium eximia pars eſt ciuilitatis. 306. 2.
Temperantiæ mediocritas duplex conſideranda. ibid. 1
Temperantiam quomodo ſcriptura appellat Sanctificationem, ibidem.
Temperantia non ſolum naturalia ſed moralia meditatur. 312. 1.
Temperantia voluntatem erga alios optime inſtruit & mentem ſerenat. ibid.
Templū ſeu Eccleſia imago eſt ipſius cœli, in quo numinis diuini ſpeciem refert Eucharistia. 246. 6.
Templa & veſtitus ſacerdotales, cur ex pretioſa materia ſiunt. ibidem.
Timorem reprimere difficilius eſt quam audaciam moderari. 341. 1.
Timorem excuſſerunt ſæpius Deus, Angeli & nimiam anxietatem quomodo cohibuerunt, ne a ſpe deciderent homines. 348. 2.
Tobacci ſiue Tobaccæ vſus quā pernicioſus. pag. 314
Turbari cito, angore exedi, gemitu ac ſuſpirijs reſolui, animi imbecillis ſunt argumenta. 347. 10.
Tyrannidū nulla ſpecies immanior ea, qua quidā contendunt principem in diuerſas ſectas & religiones diſſipare. ibidem.
Tyrannidis monſtrum per ſe ſpectatum, omni fera beſtia truculentius in oculis mortalium. 407. 1.
Tyrannis multo fucu virtutis ſe occulit. ibidem.
Tyrannicæ potitiæ magnam vim adfert religionis popularis oſtentatio ibid. 3.
Tyranni ex fraude fingunt ſe boni communis curatores

res & mites erga ciues, & tantum debitam exigere obedientiam. 408. 4. 5. 6. 7.
Tyrannus commodum ducit, vitijs ciues ſpurcare conuerſatione, luxuria ac crapula. 409. 23.
Tyrannus deſcribitur & eius epitheta ibidem.
Tyrannus ciues vult ingloríos & vndique vexatos. ibidem. 24.
Tyrannus prauos præficit ciuibus & conatur animos ciuium frangere voluptate & timore ſupplitiorum. 410. 6.
Tyrannicum eſt & inciuile, ciues redigere in pauperiē. 411.
Tyrannus infidentiam ſpargit inter ciues & diſcordias & inimicitias, ne alicuius potentiā reformidet. ib. 7.
Tyrannus cupit omnes rerum ignorantia laborare, quo de bono communi haud deliberent. ibid.
Tyrannis omnis euentus ſæpe irritus & artes exitioſi.
Traditio primaria regula & originalis eſt fidei orthodoxæ, et oſtenditur ex multis. ibid.
Tumultus ex rebus fidei exortus inter ſubditos in partes abeuntes, Romani pontificis authoritate principes Chriſtiani ſolitiſsime ſedabunt. 517. 17.

V

VArietas ſtatus regnorum & imperiorum, diſpares vultus, inter admiranda mundi cenſentur. 359. 2.
Veritas quadruplex eſt in ſcripturis. 440. 10.
Veritas triplex ad veram fidem ſpectat. 131. 1.
Veritatis intelligentia multiplex inter ciues retinenda. 141. 10.
Verborum ornatus ſacra ſcriptura, nec veteres Theologi, in enarrandis diuinis myſterijs admittunt. 153. 1. et 2. et 154. 12.
Veſtes Senatorias conſules in nuptijs olim adhibebant. 324. 7.
Veſtis breuior, mulierum impudicarum ſignum ſicut diuerſorum colorum. 325. 8.
Veſtes & colorum ſpecies, conditionem vitæ & animi affectionem repræſentant. 323. 5.
Veſtuariæ notæ nobilium certæ ſunt, quibus proditur eorum nobilitas. ibid. 7.
Veſtitus ciuilis educendus vel a fide aut a ratione recta. 326. 1.
Veſtibus idoneis ſignificata mentibus aliorum ingerenda: nec vlla corporis pars, maxime fœminis, detegenda. 326. 12.
Veſtium ſuarum coloribus qui indecentiam prætendunt, turpes merito exiſtimandi. 329. 2.
Veſtitus conſtituendus modus, vt conſtet veſtitum ratione duci. 324. 7.
In veſtitu duo conſideranda. 323. 2.
Veſtitu curioſo homines duplicem capiunt voluptatem. 323. 1.
Veſtium vſum natura inuenit. ibid. 3.
Veſtibus quidam ſignificant ſpiritus internam conditionem, & affectum, maxime in coloribus. ibidem. 9. & 10.
Veſtium luxum qui aliorum indecora procurant, diabolo ſimiles. 337. 3.
Veſtium pompa luxurioſa eſt, inter ciues vituperabilis. ibidem. 4.
Veſtium ornatus, non honorem aut amorem, ſed vituperium & odium conciliat. 328. 5.
Veſtium comptus ornatus in viro effeminatum quid arguit; maxime in coniugatis. ibid. 6. & 7.
Veſtitus agreſtis, teterrimus & neglectus, indicium ſenſus moroſi, duri abiecti & ſui negligentis, niſi ad ocium diuinum aſſumatur. ibid. 8.
Veſtium ſplendore quidam voluptatem appetunt & popularem faſtum & glorioſum ex ſuperbia. 329. 1.
Veſtium oſtentatio in iuuenili ætate diſplicet ſenibus & quare. ibidem. et 2.
Veſtium oſtentu qui gloriam venatur, nihil magni aut honore digni habere conuincitur. ibid. 4.
Veſtium elaborata cura in riſum, iocum, odium aliorū & ſui infamiam exſpirat. 330. 5.
Veſtitus honoris, & purpura, in potentiæ nimiam adſectationem, ſæpe fuit in malitiā & fraudulentiā procedit. ibid. 6. & 7.
Veſtium colores varij hominibus vnde placuerunt. 331. 1. & 2.
Veſtitus peregrini imitatio, ignobilitatis quid in ſe continet. 333. 5. 6. 7. 8. & 9.
Veſtium luxum Chriſtiana fides moderatur & prohibet. ibid. 10.
Veſtes curioſas contemnit Chriſtianus, qui mundo nō vtitur & æterna bona præſtolatur. ibid. 12.
Viæ Domini ſunt ipſius leges. 504. 3.
In Vijs domini quomodo cadant peccatores. ibidem.
Viciſsitudinem regnorum & Imperiorum, quidam Dei prouidentiam negantes, fato adſcripſerunt. 354. 1.
Victoriā obtentā contra rebellantem comitem Palatinum Ad Pragam Bohemiæ Metropolim, Dux Bauariæ in litteris ad Pont. Max. in Dei prouidentiam retulit. 112. 20.
Victus intemperans, cauſa multorum malorum, 302. 3.
Viduitatis propoſito non deeſt ſpecialis difficultas. 322. 10.
Viduitatis quæ vtilitas & commodum Rebuspub. ibi. 11. & 12.
Virga vigilans Hieremiæ oſtenſa, quid denotet. 96. 3.
Vini in qualitate duo ſpectanda. 307. 4.
Virginitas quomodo fidelitati matrimonij a ciuibus ſeruandæ conducat. 317. 3.
Virginitas nutrit & fouet admirabiles virtutes in commodum Reipub. ibid. 4.
Virginitas actuoſa, fortis & actis & quomodo. ib. 5.
Virginitas quia pudica & modeſta, temperantiæ viciniſſima, & in vniuerſum virtutibus ancillatur. 318. 7.
Virginitatis decus triplex ſpectatur. 316. 1. & 2.
Virginum olim ſolicitudo maxima ex virtute honeſte decenter incedere, tectis corporeis membris. 231. 1.
Virgines Religioſæ in ſuis obſeruantijs clauſura & caſtitate, virtutis magnum Imperium teſtantur. 220. 8.
Virginitas qua ratione virtus & qualis & quam vtilis. 319.
Virginitatem profeſſos tam viros quā mulieres multos, teſtatur Eccleſiæ Catholicæ hiſtoria antiqua. 588. 10. & 11.
Virginitatis ſtudiū facit ad dignitatē religionis Chriſtianæ. 578. 1.
Virginitatis ex cultu vis diuina, & veritatis & virtutis ineſt fidei Chriſtianæ. ibid.
Ad virginitatis florem Chriſtiana dignitas, propter Chriſti gratiam, ſemper aſpirat. 581. 8.
Virgineum matris ſuæ Mariæ vterum ſecundus Adam Chriſtus ſuo virgineo corpuſculo homo factus inhabitauit. 579. 3.
Virginum pulchritudo non in veſtibus ſed in virtutibus quærenda. 328. 6.
Viri boni dupliciter ex virtute delectantur. 234. 11.

Virtus ad malum trahi non poteſt vllo abuſu. 231. 1.
Virtutis externa facies tum Hypocriſis tum falſata virtus merito dicitur. ibid. 2.
Virtutis fucatæ ſiue Hypocriſis vſus dupleciter fit. 231. ibid.
Virtus malo fine adulteratur. 232. 4.
Virtus vera et ſolida ſola humilitatis inſtrumentum. ibidem. 6.
Virtuti grauis iniuria irrogatur, quando eius ſpecies in res peſſimas induuntur. ibid. 6.
Virtuti inſe ita eſt duplex voluptas. 356. 5.
Virtutem in Principe requiri, publicum quod gerit officium & neceſſitudo cum ciuibus coniunctum, 357. 6.
Virtutes ciuiles quæ dicantur 11. 2. et 3.
Virtutes inſignes etiam in regionibus inclementia cæli producuntur. 36. 12.
Virtutum intellectualium neceſſitas vnde colligatur. 41. 3. 4. 5.
Virtutes intellectuales et morales ad inſtituta ciuilia neceſſariæ. ibid. 1.
Virtutum intellectualium quædam practicæ, quædam ſpeculatiuæ. ibid. 2.
Virtutum cultor prius dominari affectibus debet. 48. 2
Virtutes intellectuales quæ. 75. 3.
Virtutes intellectuales ſunt ſcientia, ſapientia, intellectus, prudentia. hæ duæ practicæ, reliquæ ſpeculatiuæ. 77. 8.
Virtutes intellectuales quomodo a quibuſdam varijs næuis denigrentur. 78. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
Virtus dulcem vitam inſtituit, vitam vero amor. 99. 8
Virtutum forma ac pulchritudo laruis vitiorum ac rerum peſſimarum ſpecie ſæpe cælatur ac tegitur. 183. 2.
Virtutis vultum quatuor obtegunt. ibid. 3.
Virtutem non facit opinio aut lex, ſed recti bonique natura. 184. 3.
Virtus eſt nō naturalis motio in obiectum virtuoſum, ſed libera in bonum & rectum operatio. 185. 6.
De virtutis natura quæ Manichæi, Lutheri & Caluiniſtarum dogmata. ibid. 7.
Virtutis pulchritudinem labefactare conatur ſceleratorum hominum furor & vehemens in vitia inclinatio. ibid. 8.
Virtutem oppugnant cōſpiratione facta error, voluptas, rabies & ſuperbia. 186. ibidem.
Virtutis indoles eſt ſe ſponte occultare et ſuum ſplendorem aliquo inuolucro tegere ibid. 11. 12. 13.
Virtutis ſpecies, cęlata inuolucris mortificationis & humilitatis, non contemnenda. 188. 14. 15.
Virtus ſingulari luce ſuapte virtute ſplendet. 188. 2.
Virtutis decus oſtendit voluptas, in qua virtus depugnat. 189. 3.
Virtus dum voluptatem impugnat, oſtendit altitudinē & excellentiam ſuam. 189. 4.
Virtuti valde cōforme lumen rationis, quod illam venuſtiorem reddit. ibid. 7.
Virtutem commendat voluntatis noſtræ operandi modus. ibid. 8.
Virtus reddit amabiles res in ſe deſpectibiles, cultu & admiratione dignas. ibid. 10.
Virtutes intellectuales in principe vt digne regat vigere debent. 201 2
Virtutes morales quo ad tria inter ſe comparantur. 208. 3.
Virtutes rationales quod ad voluntatem rationi ſubiectam dominari antecedunt moralibus. 209. 6.
Virtutes morales difficiliores quàm voluntariæ ac rationales. ibid. 9.
Virtutes quæ voluntatem perficiunt, politicæ dicuntur, quo nomine aliæ plane non excluduntur. 210. 10.
Virtus ſua vi ac imperio tum impellit & trahit, tum attrahit & emollit. 217. 1.
Virtus ſuo Imperio tempore legis naturæ ac ſcriptæ, adhuc infans fuit: at tempore Euangelij vires ſuas exercuit valide. ibid. 2.
Virtutis in Imperando difficultas ex duobus oritur. ibidem. 3.
Virtutis fidei quantum Imperium ſit, oſtendit Abraham. ibid. 5.
Virtutis Imperium maximum in virtute fortitudinis ſe manifeſtat. 220. 7.
Virtutis potentiſſimæ Imperium quæ exempla Imperatorum & Regum oſtendunt. 220. 10.
Virtutis Imperio etiam ij, qui eam vituperarunt, mimi, hiſtriones & carnifices paruerunt. 222. 13.
Virtutea potentia nullis humanę ætatis ſpatijs definita, a funere ſanctorum et de ipſo cælo admirabili odore corda transfundit. 224. num. 19.
Virtus quomodo delectet & ſuauitate afficiat. 226. 2. et 3.
Virtutis cauſa boni ſemper odio habentur. 224. 21.
Virtus oblectat potentias nobiliſſimas, intellectum videl. & voluntatem. 227. 5.
Virtutis ſuauitas ex decore quo, animam exornat & Deo uicinam conſtituit. ibid. 6.
Virtus non ſolum animam ſed etiam corpus exornat & condecorat. 231. 11. et 12.
Virtutes conuincunt ſemper vitia de turpitudine. 186. 9.
Virtuti proprius honor debetur. 566. 1.
Virtus maxime nobilis, quæ res ignobiles ad eam quodammodo pertinentes nobilitat. 569. 13.
Virtutis ciuilis magnum eſt incitamentum, credere virtutum opera a iuſtis ex gratia Chriſti producta, Deo placere & bona opera eſſe. 499. 9.
Virtus hominem reddit excellentem & nouum hominem facit & ſimilem Deo. ibid. 10.
Virtutes Deo placent & valorem a Chriſti gratia accipiunt & vitæ æternæ ſunt meritoria ibid. 11.
Virtus nihil aliud eſt quam humanæ voluntatis abductio a deliciis appetitus ſenſitiui. 522. 2.
Vnionis diuinæ naturæ cum humana modus, intellectu difficilis. 470. 8. et 7.
vnitates quædam etiam inueniuntur in Ariſtocratia et Democratia, ſed ſumma vnitas in monarchia. 514. 6.
Vita ciuilis quomodo ordinanda. 11. 4.
vitæ ciuili qui aptiores. ibid. 8.
Vitiorum origo quandoque a corporis conditione & ſanguinis & ſpiritus feruore. 192. 2.
Vitioſum dogma vitia profert, maxime quod voluptatem non turpem eſſe doceat. 143. 3.
Vitiorum obiecta ſiue materia, vt voluptas, pecunia, honores, officia, ſumptus, in oculis hominū ſplendere videntur & vitiorum ſorditates obfuſcant. ibidem. 5.
Vitia vnde videntur virtutibus eſſe ſimilia. 196. 12.
Vitium naturæ aduerſatur, eamque expugnat. 195. 10.
vitioſi poteſtate, libertate ac diuitijs fulgentes, quaſi extrinſeco ornatu, non interne ſplendent. 195. 12.
Vitia cauſas ſui odij in ſe complectuntur. 295. 1.
vitiorum voluptates recte comparat Hieremias Propheta.

pheta. 198. 1.
Vocatio dei appellatur lumē Dei, quod in nobis ſplendet pag. 541. 10.
Vota tria Religioſorum cum Regula & inſtitutis ad Deum ardenter amandum adhibentur. ibid.
Voto caſtitatis Sacræ perſonæ cur ſe obſtringunt. 580. 6.
A voto caſtitatis ad connubium tranſire grauis noxa. 581. 6.
Voluntarium & liberum definitur. 146. 5.
Voluntati ſubeſt appetitus ſenſitiuus. 207. 1.
Voluntas quomodo moueatur a Deo ratione appetitus ſenſitiui ac ab ipſo cælo. 117. 10
Voluntas ad virtutem relata, dupliciter conſideratur. 107. 9.
Voluntas artificoſa duplex, vel a ratione vel a ſenſu. 174. 12.
Voluptas dupliciter mutationi obnoxia. 363.
voluptuarium ad bonum qui tantum reſpiciunt, totam vim ciuilitatis euertunt 388. 1.
Voluptatis appetitus, magnam obtinet vim in hominum mores ibid. 2.
Voluptas magis acuitur in Chriſtianæ fidei profeſſoribus quam in omnibus alijs mortalibus, & quare. 402. 21.
voluptas animam a decore ſuo deiicit ad fœda quæque. 389. 4.
Voluptas ingenia quomodo hebetet. ibid. 5.
Voluptas comparatur Nilo flumini. ibid.
Voluptas naturæ vigorem tam in corpore quam in ingenio diſſoluit. ibid. 6.
Voluptas crudelis, aſpera & in principe tyrannica. 390. 7.
Voluptuoſi timore voluptatis amittendæ vehementer ad vim & crudelitatem commouentur. ibid.
Voluptas quam ſtatui Reipub. noceat, experientia docet in vnius familiæ corruptione. 8.
Voluptates vel ipſa natura a ciuibus amonit. ibidem. 9.
Voluptas genus mali pernicioſiſſimi. 391. 10.
Voluptas venerea duplici methodo affligitur. 347. 2.
Voluptas venerea deſæuit in pacem & fidem ciuium & in familiarum rectam inſtitutionem & prolis educationem. 398. 7.
Voluptas in conciues petulantior magis eſt & irritabilis & rabioſa, quam duritiès vitæ bellicioſæ. 399. 9.
Voluptates incontinentiæ eſſe inciuiles oſtendit in rebus ciuilibus conſtantia ciuium in propoſitis exequendis & amicitijs conſeruandis. ibid. 12.
Voluptuoſi minus quærunt bonum commune quam aut ſeueri aut irati. 400. 15.
Voluptas peculiari ratione, Dei agnitioni ex fide, eiuſque dilectioni ac cultui aduerſatur. ibid. 14.
Voluptatibus effeminati, magis deo diſplicent quam campeſtri nuditate horridi. ibid. 15.
Voluptuoſis nil aliud manet quam extremum excidiū & exitium. 401. 16.
voluptas ex Ariſtotelis ſententia turpior & ſtudiis bonorum morum infeſta magis quam incontinentia iræ. ibid. 19.
Voluptas qua ratione nocentior quam ira ibidem.
Vultus ad actiones ciuiles quomodo componendus. 69. 3.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

BRVGIS

Ex Typographia Guillelmi de Neue, ſub ſigno Solis,

M. DC. XXVI.

[illegible]

[illegible]